# R.P. JOANNIS CABASSUTIJ AQUISEXTIENSIS ... NOTITIA ECCLESIASTICA...

Jean Cabassut, François Houat, Mathieu Ogier, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
28 M
3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# NOTITIA ECCLESIASTICA

Digitized by Google

Digitized by Google

# R. P. JOANNIS CABASSVTII

AQVISEXTIENSIS PRESBYTERI CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI IESV

# NOTITIA ECCLESIASTICA

## HISTORIARUM, CONCILIORUM, & Canonum invicem collatorum, veterumque juxta, ac recentiorum Eccleſiæ Rituum,

*Ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, ad noſtra uſque tempora, ſecundùm cuiuſque ſæculi ſeriem accuratè Digeſta.*

Cum duplici Indice, priori Hiſtorico, initio Operis; poſteriori Canonico, & univerſali omnium rerum Notabiliorum, ad calcem rejecto.




LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS ET JOAN. POSUEL.

*M. DC. LXXX.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO D.D.

# HIERONYMO

# GRIMALDO

## S. R. E. CARDINALI

## Aquarumſextiarum Archiepiſcopo,

MECOENATI MEO.

Spectatum ſatis & donatum jam rude, quæris
Mecœnas iterum antiquo me includere ludo.

*SATIS ſuperque tuæ Eminentiæ auſpicijs in arenam prodiiſſe, atque inter Athletas decertaſſe viſus fueram duorum editione Operum, Notitiâ Conciliorum, Notitiáque & praxi Canonici Iuris, quibus peractis receptui canere, deincépſque quieta miſſione perfrui mihi jam meo jure videbar; cum mihi nihil tale cogitanti nova tua juſſio acceſſit præſens iſtud Opus concinnandi, & denuò in arena ex qua diſceſſeram periclitandi, novúmque cudendi volumen, quo uberior & plenior ſcientiæ Eccleſiaſticæ peritia ſuppeditaretur. Atque ita poſt exhibita quaſi ludicra & velitationes, tota demum & decretoria decernerem acie. Vniverſæ ſanè Eccleſiæ perſpecta eſt illa tua verè Paſtoralis ſollicitudo, major omni præconio, Clericos informandi tum ſanctitate morum, tum rerum Eccleſiaſticarum peritiâ. Idipſum omnibus prædicant Tua illa ſanctiſſima inſtituta, & leges religioſiſſimæ, quibus ad perfectionis culmen niteris ſubjectos Tibi Clericos provehere. Id palam enunciat ampliſſimum illud Aquenſe Seminarium tuis ſumptibus à fundamentis erectum, magnificéque dotatum, ex quo velut*

*ex Academia ſacra Scientiæ, & virtutum omnium officina, quotidie prodire cernimus inſtructiſſimos Clericos, conſummatóſque ac indefeſſos Operarios, qui vineam Domini, quæ Eccleſia eſt, excolunt; ex eáque vitiorum ſtirpes evellunt, ſummáque ſedulitate ad virtutum Chriſtianarum fructus copioſos ac proventus uberes adducunt. Ad hæc verò emolumenta exiſtimaſti nonnihil præſidij conferre poſſe injunctum mihi abs Te munus colligendi ex Concilijs, quotquot eſſent, præcipuæ utilitatis Canones, eóſque invicem conferendi, eorúmque ſenſum ubi opus eſſet explicandi: hiſque adjungendi ad ſingula ſæcula brevem & expeditam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ narrationem, recenſione Scriptorum illuſtrium, quos Deus in progreſſu temporum Eccleſiæ ſuæ providit, intextam.*

*Deus quidem providens ne Sacerdotium vileſceret, pleroſque corporeos & naturales defectus in veteri Lege obſervari voluit, quibus qui affecti eſſent, à ſacri Sacerdotij dignitate prorsùs excluderentur, quales in* Levitici *libro permultos legimus. In Lege pariter Evangelica permulti hujuſmodi defectus, ſub nomine* Irregularitatum *homines à myſtico Sacerdotio aliiſque Sacris Ordinibus arcent. Sed multò major apud Deum, ejúſque Eccleſiam ratio ſemper habita fuit vitiorum animi, ne his laborantes ad ſacra Miniſteria prorſus admitterentur. Cúmque duæ ſint animæ facultates, quæ vivam Creatoris Dei referunt imaginem, noſque Angelis propemodùm adæquant, intellectus, & voluntas: vitium intellectus, ipſa eſt ignorantia; voluntatem autem vitiat malitia. Quo utroque defectu præ cæteris omnibus hominibus Sacerdotes vacuos eſſe jubet rerum omnium Opifex, tam in veteri quàm in nova Lege. Si enim divina conſulas Evangelia, Deus illos conſtituit eſſe* lucem mundi, *per divinarum rerum ſcientiam; &* Sal terræ *per morum integritatem ac innocentiam. Si vero vetus indagemus Teſtamentum, Dominus idipſum voluit eſſe ſignificatum in veſte qua* Exodi 28. *præſcripſit ſummum adornari priſcæ Legis Pontificem. Sanxit enim ut ad pectus ornamentum illud geſtaret quod* Rationalis *nomine deſignat, duodecim gemmis præfulgens; inter quas intermicaret myſticum illud* Vrim & Thummim: *Vrim quidem, quod doctrinam Latinè; Thummim verò, quod veram conſummatámque perfectionem, morúmque integritatem exprimit. Ad iſtam autem Sacerdos pertingere nequaquam poteſt, niſi divinæ ſimul & Eccleſiaſticæ legis ſcientiâ illuſtratus, ut eam ipſe moribus & actibus ſuis præſtet, atque in opus deducat, prætereáque in cæteros homines ſacræ doctrinæ radios diffundendo, ejus obſervationem pro viribus ſuis conetur perſuadere, ut per ſanctos Sacerdotes populus quoque ſanctificetur. Quod verò radians ſplendoribus ornatus ille ad pectus Aaronici Pontificis erat collocandus, id indicatur ſacri Hierarchæ præcipuum in hoc verſari officium, ut omni cordis affectu & pectoris ſtudio divinæ Legi invigilet, ejuſque illibata obſervatione ſeipſum in primis, deinde fidelem populum, cujus tribuum nomina eodem in rationali gemmis inſculpta geſtabat, ad vitæ perfectionem, morúmque ſanctitatem ſtrenuè promoveret. Hoc idem propoſitum pectori tuo,* EMINENTISSIME ANTISTES, *firmiter inſidet: quippe qui totus incumbis in hoc ipſum, ut perfectus exiſtas, & Clericis populóque præeas ad ſanctitatem vitæ: atque ut Clerus ſacrorum Canonum pleniore doctrina imbuatur, ac perficiatur.*

*Id certè antiquiora Concilia commendant, & præcipiunt. In quibus Aurelianenſe* III. *anni* 538. can.ult. *ſic dicens:* Canones ſuos nec ignorare quemquam, nec diſſimulare permittitur. *Quartum pariter Aurelianenſe ita ſciſcit* can. 6. Parochiani Clerici à Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi, vel populi, quæ pro ſalute eorum decreta ſunt, excuſent poſtmodum ignoraſſe *Pari providentia Celeſtinus Papa ejus nominis Primus, ad Epiſcopos Calabriæ & Apuliæ ita ſancit:* Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obviare. *His omnibus ſuo præivit*

*exemplo*

Digitized by Google

*exemplo ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor & Pontifex Auguſtinus, cujus tempore nondum ſacri Canones in tantam, qualem nunc videmus, molem excreverant: De quo diſcipulus ejus Poſſidius* in illius vitæ cap. 8. *Sic perhibet*: Sategit ut Concilijs Epiſcoporum conſtitueretur, ab Ordinatoribus debere Ordinatis, vel Ordinandis, omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam deferri. *Et utique cum id legatur ita conſtitutum à Concilio tertio Carthaginenſi* can. 3. *cui interfuit & ſubſcripſit Auguſtinus, non eſt dubitandum, ipſum autorem ſuaſorémque fuiſſe Concilio iſtud decernendi, quod decretum his concipitur verbis*: Item placuit ut ordinandis Epiſcopis, vel Clericis, prius ab Ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe aſſerant. *Scilicet ignorantiam propriam excuſando, ac prætexendo.*

*Conſtituit humani generis Salvator Eccleſiam ſuam in terris, quam duobus præſidijs circummunivit, muro, & antemurali: quod futurum in lege Gratiæ prænunciaverat Iſaias prophetes ita dicens:* Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. *Quis ille Salvator? non alius à Chriſto Ieſu, qui eſt Eccleſiæ conditor & rector. Quiſnam erectus ad Eccleſiæ tutelam & defenſionem murus? ipſa Dei Lex, per quam ut atteſtatur Rex Propheta* Dominus in circuitu populi ſui. *Et per Zachariam:* Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Zachar. 2. *Quodnam antemurale? Leges & conſtitutiones Eccleſiaſticæ. Quemadmodum verò ad urbis propugnationem, murus pomærium urbis circumcingens, ne quis ad eam aditus pateat hoſtibus, ſic etiam ad mœnium defenſionem extruitur antemurale legum Eccleſiaſticarum; quibus præſcribitur ratio & modus obtemperandi Sanctionibus divinis: quo amoto propugnaculo divinæ Leges de tranſgreſſione admodum periclitantur, & facilè corruunt inſtar mœnium urbis Iericho tempore Ioſue Principis: atque ita Civitas Dei indefenſa tartarearum poteſtatum incurſu expugnaretur, & ſolo æquaretur. Verumtamen, ut idem alibi prædicat Iſaias,* ſuper muros Ieruſalem Deus conſtituit cuſtodes *in defenſionem muri ejus, ſimul & antemuralis. Hi ſunt Dei zelo ſuccenſi Prælati, ac protomyſtæ, eodem quo Tua Eminentia ſpiritu exciti & animati. At verò, ex oppoſito, adverſus ſegnes & inertes Paſtores & præfectos apud Ezechielem* cap. 13. *graviter indignatur Deus & exprobrat:* Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini. *Quanti autem ſint operæpretij ac momenti Eccleſiæ Canones, documento ſunt ipſi Eccleſiæ hoſtes hæretici hodierni, qui poſtquam ejus προτείχιον ac antemurale, Decreta nimirum Eccleſiæ quaſi hominum inventa conati ſunt diſſipare, non ibi quieverunt, neque his finibus ſuas coërcuerunt impietates; ſed ulteriùs proſilientes, murum ipſum immediatè à Chriſto Deo & Legiſlatore excitatum adorti, & cuniculis ſuffoderunt, & aperta aggreſſione ubicunque prævalent everterunt, ac demoliti ſunt. Cujuſnam enim quæſo juris ſunt tum Fidei aſſertiones, tum Sacramenta Eccleſiæ, tum ſacra Hierarchia? non utique humani, ſed prorſus divini; non inquam Eccleſiaſticæ, ſed planè divinæ inſtitutionis, nec primariò ab Eccleſia, ſed à Chriſto Deo & Legiſlatore dimanarunt: quare adverſus ipſum Dominum, & adverſus Chriſtum ejus præcipiti furore inſurrexerunt, bellúmque impium indixerunt, dum ſacræ Fidei veritates, quæ non niſi à revelante Deo profectæ ſunt, impugnare audent, & expugnare nituntur. Nonnè ſeptem Sacramenta divinæ ſunt inſtitutionis? at illi ſibi unicum retinuere Baptiſmum, cæteris ſublatis, nec enim profana illorum cœna dici poteſt Chriſti Sacramentum. Nonnè hierarchicum Ordinem & Paſtorum ſubordinationem Chriſtus Ieſus per ſe conſtituit, quando primum Hierarcham ordinavit Petrum? illi verò Petri primatum, Petróque ſubditorum Paſtorum autoritatem ſubalternam à ſe prorſus abdicarunt, jugúmque ſuis cervicibus à Chriſto impoſitum quaſi furentes & indomiti tauri excuſſerunt.*

Digitized by Google

*excuſſerunt. Nonnè articuli ſeu decreta Fidei Deus ipſe ſuæ revelavit Eccleſiæ? At illi quàm ſacrilegis aſſertionibus, quàm impijs dogmatibus, eamdem Fidem perverterunt, qui homini derogant liberæ voluntatis arbitrium, & omnia flagitia in Deum refundunt autorem: qui opera Charitatis nihil ad æternam ſalutem, ſed ſolam fidem conferre affirmant; fidem inquam, non eam, quâ doctrinæ Chriſti acquieſcimus, ſed veſanam quamdam ab ipſis introductam ſub nomine* Fidei *perſuaſionem, quâ quis firmiter credit ſe immutabili decreto Dei ad cœleſtem felicitatem eſſe prædeſtinatum, de qua periclitari aut excidere nullo flagitio ſuo poſſit. Et cùm Ieſus Chriſtus ad Patrem proximè rediturus ſuis præcipiat Diſcipulis, ut omnes doceant gentes divina omnia ſervare mandata; illi è contra, ne qua illorum ſervandorum nos cura ſollicitet, prædicant mandata divina eſſe obſervatu impoſſibilia, etiam præſente divini Spiritus adjutorio. En itaque quàm ſit perſpicuum, ex neglectu Canonum Eccleſiæ naſci pro certo mandatorum Dei omnem deſpicientiam, & quantamlibet impiam tranſgreſſionem.*

*Non igitur ſatis laudari pro dignitate poteſt Tuum illud quo flagras ſtudium, ut Clerici debitam navent operam in addiſcendis ſacris Eccleſiæ Canonibus, iiſque accuratè ſervandis. Hoc tamen unum conſultius fuiſſe videri poſſet, ſi melius quàm in me ſit ingenium alibi delegiſſes. Qualecumque verò in me ſit, felicem me exiſtimo, dum Eminentiæ Tuæ obſequijs, pro meis quamvis tenuibus viribus inſerviam. Deum ipſum hac in re imitaris, qui etiam in exiguis rebus offerentium affectum gratum habet, nec ad confectionem Tabernaculi, quod præceperat, viliora munera offerentium, pilos caprarum, & arietum pelles, aliáque id genus dedignatus eſt, tametſi ditiores alij aurum & gemmas in id opus conferrent. Deo namque, animiſque ſublimibus peculiare eſt, ut voluntatis affectum magis quàm munera, & ſtudium cordis magis quàm cenſum penſitent. Cujuſmodi ſtudio & inviolabili officio æternùm perſiſtam*

EMINENTIÆ TVÆ

Addictiſſimus & obſequentiſſimus ſervus,
I. CABASSUTIUS Presbyter Orat. D. IESU.

BENEVOLO

Digitized by Google

# BENEVOLO LECTORI.

VT tibi, dilectiſſime Lector, noſtri hujus inſtituti ratio conſtet, præmonendum te duxi, eos, qui mihi Opus iſtud injunxère, in hunc ſcopum intendiſſe, ut hac noſtra lucubratione facilior cunctis aperiretur aditus, ad neceſſariam Eccleſiaſticarum rerum notitiam, citra uſque adeo prolixam temporum diuturnitatem, & graviores, quàm permulti ferre poſſint, in comparandis multis voluminibus impenſas aſſequendam; tum in his quæ ad hiſtoriam Eccleſiæ, tum in illis quæ ad Sanctiones Conciliorum perdiſcendas attinent. Præclarè illi quidem: ſic enim innumera removentur impedimenta, quæ innumeros homines ab his perdiſcendis arcent ac deterrent. In primis enim innumera leguntur in Conciliorum collectionibus, quæ jam ad immenſam excrevère molem decreta, quæ pluſquam centies (citra omnem exceſſum aut hyperbolem loquor) fuerunt ſucceſſu temporum in diverſis paſſim Concilijs repetita. Conſultius autem viſum eſt, ſi ſexies, aut ad ſummum ſepties vel octies, eadem in hujus Operis decurſu per collationem mutuam repeterentur ex celebrioribus ac melioris notæ Synodis, ut in temporum ſucceſſionibus conſtans adverti poſſit Eccleſiæ Sanctæ ordo ac diſciplina; aut ſi quid aliquando variatum ſit, ratio cur ita factum fuerit innoteſcat. Conſultum præterea fuit permultorum ſtudioſorum hominum inopiæ ac egeſtati, quibus & bonitate ingenij, & laudabili perdiſcendi affectu ſubnixis, opes minimè ſuppetunt ad comparanda ſibi numeroſa & ampliſſima Hiſtoriarum & Conciliorum volumina. Nec vero his duntaxat eorumque inopiæ conſultum fuit; ſed proviſum præterea fuit temporum impenſis, in illis præſertim qui alijs nec exigui momenti occupationibus, & officijs diſtinentur, & ita brevitate ſibi conceſſi temporis arctantur, ut longioribus aſſiduiſque lectionibus, ſine officiorum ſuorum tum publicorum tum privatorum detrimento, vacare non liceat. Immenſi porro ſolatij res eſt, ſi quis peritiam Eccleſiaſticam, ex innumeris hauſtam erutamque voluminibus, atque in unum redactam, nanciſci poſſit unius anni lectione, nihil cæteris & neceſſarijs occupationibus demendo, vel præjudicando. Hiſce hactenus commemoratis commodis altera non levis accedit utilitas, ſcilicet commodiſſimum memoriæ ſubſidium. Qui enim ex tot voluminum evolutione, emenſóque multorum annorum ſtudio, hanc ſibi peritiam comparare velit, niſi aliquo ſubinde moderato adjuvetur & ſublevetur compendio labilis ejus memoria, illud inevitabile continget, ut ea rerum quas recondidit multitudine obruta, multa in dies per oblivionem dilabantur & evaneſcant, dum longiſſimo & tædioſo ſtudio ex numeroſis & immenſis libris, quos nemo perlegere queat, niſi multorum annorum decurſu, innumeras res coacervàre in animum contendit: ſicque in medio ſtudiorum decurſu priuſquam ad prolixiorum lectionum finem pertingat, quæ jampridem ſtudioſè perlegerat oblivione deleantur, aut invicem confundantur: & cum ad terminum longiſſimi ſtudij pertigerit, haud peritior evadat quàm fuerat initio ſuſcepti laboris, niſi compendioſioris alicujus voluminis præſidio, quæ brevi dilapſura erant, firmiùs infigantur, aut ea quæ dudum memoriâ exciderant reparentur, atque in reminiſcentiam revocentur. Non parum itaque conducet noſtra hæc lucubratio ijs, quibus ampliores Bibliothecæ minimè ſuppetunt. Nec tamen ſtudioſis hominibus, quibus ſuppetunt inſtructiores, multiſque libris refertæ Bibliothecæ, noſter hic labor ſine fructu erit: imo vero haud parùm fortaſſe proficiet; illis namque pro clavi aut manuductione ad facilius aſſequenda, altiùſque labili memoriæ infigenda deſerviet, quæ prolixiùs & copioſiùs illi alij multiplices, quorum copiam habent libri, complectuntur. Hoc etiam admonitum te volo, cùm procul Lugduno degerem, per meam abſentiam in excudendo iſto Opere varia irrepſiſſe menda, quorum quæ graviora occurrunt Indicem texui: quæ verò reliqua ſunt, tua ſupplebit induſtria, tuaque humanitas æqui boniſque accipiet.

REVERENDO PATRI.

# IOANNI CABASSVTIO,

## CONGR. ORATORII DOMINI IESV,

In ſuam Hiſtorico-Synodicam Notitiam, IOANNES GROSSI ejuſd. Congreg. Presb.

*SVOS Synagoga Prophetas, Eccleſia, ne invide:*
*Habes enimverò & ipſa Tu,*
*Si non certiùs, at longè cùm apertius, tùm frequentiùs*
*Loquentem Tibi in Synodis Deum.*
*Hinc quippe, tuam quæ vel firment vel elucident Fidem;*
*Hinc tuam quæ vel ordinent vel emendent Diſciplinam;*
*Hinc Tuorum quæ vel efformandis vel reformandis ſint Moribus,*
*Tantus Tibi affatim effundit Doctor:*
*Vt verè, ni vix verus,*
*Vix ſaltem perfectus habeatur à Te diſcipulus,*
*Illa quem latêre contigerit.*
*Aſt, prô humanæ quà Mentis, quà Ætatis anguſtias!*
*Ecquis, ex integro, evolvendis!*
*Ecquis, in totum, capiendis ſufficiat*
*Synodicorum tot acervis voluminum?*
*Quàm ergo providè, CABASSVTI,*
*Tanto dum occuris, ſuccurris incommodo!*
*Iam ſiquidem (Quæ tua eſt ſolertia)*
*Et brevi & ubertim Synodalem peritiam,*
*E tuâ cuique datur haurire NOTITIA:*
*Quam ſcilicet in unam, coactum exhibes*
*Chriſtiano quidquid ab Ævo, Chriſtianum per Orbem,*
*Ceu ſtatuêre Credendum,*
*Ceu Servandum ſanxêre Synodici Patres:*
*Quâ iterùm ipſâ*
*Sacrorum ita Canonum Interpretem agis,*
*Vt quantum ab Autoribus pondus,*
*Tantam propemodùm à te lucem excipiant:*
*Adeo vim eorum omnem aſſequeris!*
*Adeò genuinum cujuſque ſenſum aperis!*
*Magna hæc equidem magnoque omnibus futura uſui!*
Horat. in Ar. Poët. *Omne tamen punctum ex eo potiſſimùm tuliſti,*
*Quod Dulce Vtili miſcens,*
*Quam Synodicam dumtaxat, antè dederas,*
*Hiſtoricam ſimul, modò NOTITIAM edas;*
*Novâque hac Chriſtianorum Annalium acceſſione,*
*Lectorem non minùs dites quàm delectes,*
*Non ſubleves minùs quàm illicias.*
*Suis ſiquidem votis tam abundè jam factum,*
*Quàm ſuo parcitum labori & intelligit & geſtit,*
*Dum omni abſque moleſtiâ,*
*Quoniam omni abſque morâ,*
*Omnium tot per volumina, tot & per ſecula ſparſorum*
*Selectam iſtic congeriem luſtrat;*
*Vnoque penè obtutu,*
*Chriſtianæ ſe Antiquitatis omniſcium habet.*
*Mira penitùs docendi Novitas,*
*Quos ſemel lectores habeas, ſimul & doctos efficere!*
*Alijs momento ſcientiam infundere,*
*Quam Tibi tam multis paratam vigilijs conſtat!*
*Publicam ergo rurſus in lucem*
*Tuus iſte, non tenebrarum, tametſi vigiliarum, fœtus*
*Bono prodire ne cunctetur publico,*
*Publicis eò ampliùs excipiendus plauſibus,*
*Quò novis prægnantior opibus,*
Matth 13.52. *Te verè doctum probabit ſcribam in regno Cælorum,*
*Qui tuo de theſauro, tanto cum ſœnore,*
*Nova profers, & Vetera.*

NOTITIÆ

Digitized by Google

# NOTITIÆ ECCLESIASTICÆ
## Tabula Hiſtorica.

*Litera P. Paginam. C. Columnam. N. Numerum indicat.*

## A

ACacius Conſtantinopolis Epiſcopus hæreticus Eutychianus à Felice Papa III. anathemate damnatur, ipſeque viciſſim Felicis nomen de tabulis Eccleſiæ obliterat. Diuturnum diſſidium Romanam inter & Conſtantinopolitanam Eccleſiam de Acacij nomine ex ſacris Diptychis eradendo. *P.*188. *&* 189. *n.*24. *& p.*244. *c.*1.

Adelfonſus cognomine *Magnus*, Gallæciæ rex, ingenti Maurorum fuſo exercitu, occiſóque ipſorum duce Alcainan, quum filium Garſiam tædio longioris vitæ paternæ rebellantem reprimere poſſet, ne tamen res Chriſtiana civili bello infirmaretur, ſicque Infidelibus robur accreſceret, maluit regnum ſponte dimittere: continuatoque Saracenico bello, idem ipſe à filio Rege præfectus regijs exercitibus, alias nobiles victorias de Mauris reportavit. *Pag.*363. *n.*12.

Africam Genſericus Vandalorum rex occupat. *P.*191. *c.*2.

Africa, Duce Beliſario, Imperio Romano redintegratur, devicto & capto Gelimere ultimo Vandalorum rege. *P.*245.

Agatha Virgo Catanenſis & Martyr ſub Decio. *P.*59. *c.*2.

Agapetus Papa Antimum Eutychianum Conſtantinopolis Patriarcham Epiſcopatu dimovet, cui Mennam Catholicum ſubſtituit. *Pag.*245. *n.*17. *& pag.*259.

Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus, eo quod iniquè Ludovicum Pium in Conciliabulo Compendienſi depoſuiſſet imperio, deponitur ipſe Epiſcopatu in Concilio ad Theodonis villam. *P.*344. *c.*1.

Alamundarus Saracenorum rex abjectis idolis Fidem orthodoxam ſuſcipit. *P.*242. *n.*12.

Alaricus Gothorum Rex, qui ſuadente Stilicone Græciam depopulatus fuerat, regreſſus in Italiam, compoſitáque cum Honorio Imperatore pace, dum profectionem parat in Hiſpanias, à Saule Duce gentili, cui Stilico partem exercitus cum mandatis dederat, contra præſtitam fidem laceſſitus, copias Saulis aggreſſoris profligat, converſiſque in Romam victricibus armis, Urbem expugnat & diripit. Ipſe verò Stilico proditorijs artibus detectis, Heracliani manu perimitur apud Ravennam juſſu Honorij. Imperij quippe aditum Eucherio filio idololatræ aperiebat, qui Romæ pariter cum Serena matre necatur. *P.*181. *& ſeqq.*

Alarico vita functo ſucceſſit Attaulphus. Hic Placidiam Imperatorum Arcadij & Honorij ſororem duxit uxorem: cujus precibus delinitus ab Italia receſſit, & in Hiſpaniam conceſſit, cum uxore & omnibus copijs novum ſibi regnum quæſiturus. *Ibid.*

Albigenſes hæretici, propugnantibus Raimundo Comite Toloſano, & Petro Aragonum Rege, Raimundi affine, ſacrum contra ſe bellum excivêrunt, cujus Dux ſummus fuit Monfortius Comes Simon, quem Albigenſium exercitus ſupra centum millia bellatorum Mureti, in agro Toloſano incluſum obſedit, non amplius quàm octingentis equitibus & mille peditibus inſtructum. At Simon cum ſuos omnes Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramentis præmunijſſet, præeunte cum Cruce S. Dominico, facta ex oppido eruptione, tam horribilem tot hoſtium ſtragem edidere, ut Aragonum Rex inter confertos ſuos dimicans occiſus ſit. Raimundus vero poſt ſuorum internecionem vix fuga evaſerit. Simon Monfortius, hac adepta victoria, munitiſſimas hæreticorum urbes & arces expugnavit, donec ipſe obſidione Toloſam premens, accepto de mœnibus vulnere interijt. Id bellum ſub Regibus Philippo Auguſto & Ludovico VIII. acriter geſtum, tandem ſub S. Ludovico IX. deſijt, quum Raimundus ſuis omnibus exutus, hæreſim Lutetiæ Pariſiorum publicam obiens pœnitentiam ejuravit, ſuámque filiam Alfonſo S. Ludovici fratri cum dotali Comitatu Toloſano nuptu collocavit. *P.*420. *n.*7.

Alboinus Longobardorum Rex ab Eunucho Narſete accitus Italiam occupat. *P.*275.

Alborum & Nigrorum factionibus Piſtorij in Tuſcia natis, conflictata demum univerſa Italia fuit. *P.*480. *n.*6.

Alienora Guilielmi Aquitaniæ Ducis filia Ludovico VII. dicto juniori Franciæ Regi nupſerat, cujus adulteriorum ille pertæſus, poſt compertum affinitatis impedimentum ab ea divortium fecit. Iſta vero dotales habens peramplas patris ditiones Aquitaniam & Pictavos Henrico ſecundo nupſit Angliæ Regi, Normanniæ Duci & Andegavorum Comiti: unde magnæ vires acceſſerunt Anglis fatali funeſtæque Francorum genti. *P.*396. *n.*10.

Amadæus Sabaudiæ Dux, in Schiſmate vocatus *Felix*, apud Nicolaum V. Eugenij IV. ſucceſſorem prætenſo Pontificatu ſe abdicat, ejuſque ſe poteſtati ſubjicit, conciliante Carolo VII. Francorum Rege, qui licèt ſtudio inſtaurandæ collapſæ Eccleſiæ diſciplinæ Pragmaticam ſanctionem in regnum introduxiſſet, ſemper tamen & apertè reprobaverat Eugenij depoſitionem, & Amadæi electionem. Nicolaus Amadæum creat Cardinalem, primúmque in eo ampliſſimo Ordine locum tenere jubet, & conſtituit eumdem in omni temporali ipſius dominatu Legatum perpetuum. *P.*517. *n.*37.

Amalaſuntha Theodorici Oſtrogothorum Regis unica legitimis ex nuptijs filia, virtutibus cunctis ornatiſſima fœmina, ab ingratiſſimo Theodato, quem Regem ipſa conſtituerat, trans Vulſinium lacum tranſportata in carcere occiditur. *P.*244. *c.*1.



Digitized by Google

# Notitiæ Eccleſiaſticæ

Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus Theodoſium Auguſtum ab Eccleſiæ limine arcet ob Theſſalonicenſium cædem. *P.93.c.2.*

Ammonius Philoſophiæ in Schola Alexandrina Profeſſor Chriſtianus Plotinum diſcipulum habuit. *P.65.c.1.*

Anaſtaſius Imperator hæreſes omnes fovet, ſolamque ſub *hæreſis* nomine perſequitur Eccleſiam. *P.24.n.11.* Et poſt innumeras piorum cædes & exilia, fulmine ictus perit. *P.243.c.2.*

Antonini Pij innocens & pacificum imperium. *Pag.21.c.2.*

Angli ex Germania in auxilium à Britannis adverſus Scotos & Pictos acciti univerſam Britanniam ſubjugant. *P.192.n.29.*

Angliam Dani pluries invaſerunt. In primis Boërredo pulſo Merciorum Rege inſulam occuparunt anno 874. Poſtmodum anno 1011. Dani omni hoſtilitate Angliam vexant. Qua de cauſa Rex Anglus Ethelredus ex Angloſaxonum proſapia ortus, ſecreta mandata in omnes regni partes tranſmittit, ut Dani omnes furtivo & inopinato impetu trucidentur: ſicque Anglia tantiſper à tyrannide reſpiravit. Sed anno 1016. mortuo Ethelredo, communi Anglorum conſilio vocatur in regnum Canutus Daniæ Rex, Suenonis Regis Dani filius, à quo Angliam occupante fuerat Ethelredus ipſe regno pulſus, & in Normanniam ſeceſſerat cum uxore Emma, duobúſque filijs Alfredo & Eduardo, ad uxoris ſuæ fratrem Ricardum Normanniæ Ducem, anno 1013. Ricardi ſuppetitijs, mortuo jam Suenone, Angliam recuperat Ethelredus. Qui tamen ſubinde à Canuto Dano ſuperatus moritur anno 1016. Et ſublato æmulo Canutus pacificè poſſidet Anglicanum regnum. At mortuo in Anglia Canuto, regnum Alfredo Ethelredi primogenito defertur. Moxque vita functo Alfredo, vocatur in regnum frater natu poſterior Eduardus, fretus potiſſimùm Goduini Anglorum Optimatis poteſtate, cujus filiam Editham ceperat uxorem, ſed ſervata in matrimonio virginitate nullam reliquêre prolem: verum Eduardus beneficij memor ab avunculo Ricardo accepti, filium ejus Guilielmum ex concubina relictum vivens deſignat regni ſui ſucceſſorem. Haraldus tamen Edithæ frater Goduini filius ſtatim ab Eduardi obitu Angliam occupat. Guilielmus tamen tranſmiſſo Oceano cum valido exercitu Haraldum opprimit, qui ſtrenuè dimicans in ipſo conflictu moritur. Quo ex tempore, Normannorum progenies longa ſucceſſione in Anglia regnavit. *Pag.371. num.7.*

Anglicanæ procellæ ab Schiſmate & hæreſi per Regem Henricum & illegitimam ejus filiam Elizabetham. *P.558.*

Apollonius Senator Apologiam pro Chriſtianis à ſe ſcriptam in Senatu legit, & capitali judicio moritur. *P.24.c.1.* & *p.64.n.31.*

Apoſtoli replentur Spiritu ſancto, *p.1.* Matthiam in Apoſtolatum eligunt loco Iudæ. *Pag.1.* Fidem in commune ſymbolum componunt antequam diſpergantur in gentes. *P.5.n.9.* Eorumdem tria Ieroſolymis habita Concilia. *P.16. & ſeqq.*

Arij Alexandrini hæreſiarchæ, ſimulque Nicæni Concilij hiſtoria. *P.86.*

Arianorum flagitiorum & calumniarum, ſuperſtite Conſtantino Magno, hiſtoriæ. *Pag.125.* Eorumdem hiſtoriæ & impoſturæ ſub Conſtantio. *Pag.129. & ſeqq.*

Ariminenſis Concilij ob Arianorum fraudes & tyrannidem infauſtus exitus. *P.89.*

Ariſtidis Athenienſis, & Quadrati Athenienſium Epiſcopi, Iuſtini, Melithonis, Athenagoræ pro Chriſtianis Apologiæ. *P.23.n.16.*

Armentarius, qui ſe Epiſcopum Ebrodunenſem ordinari curaverat, excidit ambito Epiſcopatu per decretum Regienſis Concilij, retento tamen charactere, ut ejus valerent ordinationes. *Pag.109. & 110.*

Arnaldus Brixianus, Abælardi diſcipulus, tumultus & ſeditiones Romæ concitat, ut omnem civilem poteſtatem & juriſdictionem ab Eccleſia auferat, transferatque in Senatum & Sæculares Magiſtratus. *P.394.*

Arnobius ex gentili Rhetore Chriſtianus. *P.65.c.1.*

Arnulfus Germaniæ Rex Romam ridiculo eventu lepuſculi perterrefacti expugnat. *P.314.n.24.*

Arnulfus Carolomanni filius nothus, ex Caroli Magni progenie ultimus Germanorum Rex, Carolum Craſſum, quem Odonis ſeu Eudonis factio Franciæ regno expulerat, quotidiano & precario victu alit. Idemque accitus à Formoſo Papa peſſimè habito à Vidone Spoletano Duce, Italiæque tyranno, quem Formoſus ipſe coronaverat, & proclamarat Imperatorem, quique Romam tyrannide premebat, in Italiam potenti exercitu ſuccinctus advenit, Romam obſidione capit, indeque Vidonis uxorem & Sergium factionis Ducem exigit. *P.361.n.6. & p.362.*

Artaxerxes Perſa ter acie cæſis Parthis, eorúmque interfecto Rege Artabano, Perſarum, qui hactenus Parthis ſubjecti fuerant, vetus regnum inſtaurat. *P.64.n.30.*

Athanaſius in Tyrio Conciliabulo nequiter damnatus, Treviris exulat. *P.87.n.14.* Ab exilio reducitur Alexandriam à Conſtantino juniore. Hinc denuò pellitur per Conciliabulum Antiochenum, & ne qua ſpes reſtitutionis ſuperſit, Gregorium Cappadocem armata vi Ariani in Alexandrina Sede conſtituunt. *P.87.c.2. & p.88.c.1.* Urgente Conſtante tertiogenito Conſtantini Magni filio, Sardicæ in Myſia Synodus generalis convocatur, cujus decreto Athanaſius reſtituitur, cui, metu fraterni belli, Conſtantius ſe ſimulat conſentire, ſuamque reſumit Eccleſiam Athanaſius. Sed amota per Conſtantis obitum formidine, Conſtantius duobus fratribus ſine prole defunctis ſuperſtes receptóque ex aſſe Imperio liberiùs cum ſuis Arianis debacchatur, & Athanaſius ad necem conquiſitus clam dilabitur, latétque ad mortem uſque Conſtantij, cui ſuccedens Iulianus Athanaſium initio Imperij ſui, alióſque ab exilijs revocat. Sed paulo pòſt, Iuliano jubente, cogitur denuò exulare. At mortuo perfido Principe, in priſtinam Eccleſiam à religioſiſſimo Imperatore Joviniano reducitur Athanaſius. *p.88.* Moritur demùm Alexandriæ, lecto decumbens, quo tempore Valens Arianus poſt obitum Chriſtianiſſimi Joviniani in Oriente dominabatur, & Lucium Arianum Alexandrinæ Eccleſiæ præfecerat. *P.92.c.1.*

Athanaſius an ſit autor Symboli, quod ipſius nomine circumfertur. *P.54.*

Aurea Virgo apud oſtia Tiberina Martyr ſub Alexandro. *P.58.c.1.*

Aurelianus Imperator Chriſtianos inſectatur, victam Zenobiam in triumphum ducit. Romanæ civitatis pomœrium ad quinquaginta milliaria

Digitized by Google

liaria amplificat. *Pag.* 62. *num.* 24. & *pag.* 68. *col.* 2.

## B.

BAbylas Epiſcopus Antiochenus Martyr ſub Decio. Præſentia ejus reliquiarum Apollinis Daphnæi oraculum in ſuburbio Antiochiæ Epidaphne obmuteſcit. *P.* 59. *c.* 2. & *p.* 90. *n.* 25.

Michaël Balbus, ejuſque filius in Imperij Græcanici conſortium vocatus Theophilus, ambo iconomachi, Legatos ad Ludovicum Pium Occidentis Imperatorem Regemque Franciæ miſerunt, ut communi ſtudio Romanum Pontificem Eugenium Secundum ad reprobandum Synodum VII. inducerent, quam dudum Franci in Concilio Francofordienſi ſub Carolo Magno reprobarant. Franci quidem in eo tunc errore verſabantur, nullatenus eſſe colendas pias Imagines, ſed tamen ad hiſtoricam notitiam, & piam excitandam memoriam, eſſe habendas & conſervandas. At Græci eorum temporum, nec habendas, nec colendas, ſed prorſus exterminandas. Synodus autem VII. quam Romana complectebatur Eccleſia, & ſervandas & colendas eſſe, modò ne latriæ cultu. Franci in id unum conſpirantes, ne cultus ullus imaginibus adhiberetur, Legatos Romam miſerunt Ieremiam Archiepiſcopum Senonenſem, & Ionam Epiſcopum Aurelianenſem, cujus etiam nunc ſuperſunt libri venerationem omnem Imaginibus abrogantes, unà cum Græcorum Legatis: quibus auditis, Synodus VII. iterum Romæ approbata eſt, cum Imaginum pio cultu. *Pag.* 319. *num.* 7.

Balduinus primus ex Latinis Byzantinus Imperator, dum Joannem alijs dictum Joanninum Bulgarorum Regem ſimulantem fugam perſequitur, in præparatas inſidias cadit: captuſque in carcere necatur. Cui ſucceſſit ejus frater Henricus in Imperium, alijque ordine ſucceſſores Latini, donec Græcorum proditione Michael Palæologus Conſtantinopolim invadit, indeque Latinos exigit. Ultimus autem Latinus Græcorum Imperator Balduinus clam evaſit urbe. *Pag.* 421. *num.* 13.

Baptiſmum ab hæreticis collatum reprobarunt Tertullianus, Agrippinus, Cyprianus; atque extra Africam Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, & Dionyſius Alexandrinus: quibus obſtitit Stephanus Rom. Pontifex, ratumque haberi juſſit. *P.* 58. & 59.

Barcochebas rebellantium Judæorum Dux. *P.* 21. *col.* 1. *n.* 6.

Bardas homo nequiſſimus ambitione imperandi ſororem ſuam Theodoram Michaëlis Porphyrogeniti Imperatoris matrem, quæ filium ſuum luxurijs & crapulæ mancipatum ad meliorem frugem reducere conabatur, protrudit in Monaſterium. Ignatium etiam Patriarcham ſibi, propter incorruptam virtutem, inviſum Patriarchatu dimovet: eique Photium moribus perverſiſſimum hominem ſubrogat, Imperiumque per ſuperbiam & rapacitatem adminiſtrat. Sed tandem Bardas juſſu Michaëlis occiditur à Baſilio Macedone, quem Michaël Auguſtum & Imperij conſortem creavit. Qui tamen ſapienter Michaëlem admonens vitiorum, quibus Imperium dedecorabat, illius grave odium incurrit, itaut remigi cuidam pollicitus ſit Imperium, ſi Baſilium interficeret. Cujus rei certior factus Baſilius ſepultum vino Michaëlem è medio ſuſtulit, ſoluſque imperavit. *Pag.* 323.

Barnabas & Paulus tum Antiochiæ, tum alijs locis permultos ad Chriſtum convertunt. *P.* 3. *c.* 1.

Baſilides hæreticus Simonis Magi diſcipulus. *Pag.* 7. *col.* 2.

Baſilides alter & Martialis Hiſpani Epiſcopi juſtè ob crimina depoſiti turbas & ſeditiones movent. *P.* 61. *c.* 2.

Baſilius Macedo Concilium VIII. generale procurat apud Adrianum Papam II. cujus decreto Ignatius ab exilio & Monaſterio, in quod fuerat à Barda & Photio detruſus, ad Patriarchalem dignitatem revocatur, Photiuſque invaſor depellitur. Cæterum defuncto vita Ignatio, Baſilius deterrimo conſilio de conſenſu Joannis Papæ VIII. indicto altero Concilio Photium juſtè excommunicatum ſine ulla morum mutatione ac pœnitentia revocavit ad Patriarchatum: cujus perverſis artibus immenſaque ambitione, ut ſuppreſſa Romana Sede, ſolus univerſæ dominaretur Eccleſiæ, Romani Pontifices proclamati ſunt cum obtemperantibus eis populis excommunicati, eorúmque devoluta poteſtas ad Conſtantinopolis Epiſcopum: quod funeſtum Orientalium Schiſma hodieque perdurat. *P.* 323. *n.* 21.

Baſilius idem altero abjectiſſimæ credulitatis exemplo, grave ſibi vituperium aſcivit, dum perverſi hypocritæ Theodori Santabareni arcta neceſſitudine Photio conjunctiſſimi calumnijs deluſus, extremum ſupplicium proprio filio præſtantis virtutis & ſapientiæ juveni Leoni intentavit: qui dolens patrem ſuum obtentu ſanctimoniæ nequiſſimorum duorum hypocritarum illorum conſilijs addictum, nec proprium diſſimulans ſenſum, ambos in ſuum concitavit exitium: adeo ut credulus pater filium Leonem in carcerem truſum decreverit excæcare: idque præſtitiſſet niſi Senatus ampliſſimus ſupplicibus lacrymis & obteſtationibus conſtanter obſtitiſſet. Detentum tamen in vinculis diu habuit, donec eodem adnitente Senatu, quem geniali convivio intra regiam exceperat, incidente fortaſſe mentione Leonis, omnis Senatus in lacrymas & gemitus effuſus eſt, nemine cibos appoſitos attingente. Tunc enim ſe pater exorabilem probationibus innocentiæ filij ſui exhibuit, atque è vinculis eductum complexus eſt. *Pag.* 323. & 324. *num.* 22.

Belgarum hæreticorum rebelliones & diutina bella. *P.* 562. *n.* 28.

Berengarij Andegavenſis (qui poſtea Sacramentariorum extitit Princeps) lateri hærentem cacodæmonem Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus moribundus conſpiciens, ipſum è ſuo conſpectu longè amoveri jubet. *P.* 381. *c.* 2.

Bernardus Italiæ Rex in patruum ſuum Ludovicum Pium cum cœpiſſet rebellia movere arma, mox hujus ſui conatus, re adhuc integra, factus pœnitens, & ſupplex ad Ludovici pedes veniam petens, illius juſſu oculis orbatur, & paulo poſt ex vulnerum dolore moritur. Cujus ſeveritatis Ludovicus publicam ab Epiſcopis ſuſcepit & præſtitit pœnitentiam. *P.* 319. *n.* 6.

Bernardus Abbas Claravallenſis Petri Leonis ſchiſma diligentiſſima ſollicitudine extinxit. *P.* 391. & 392.

Boëmundo Roberti Guiſcardi primogenito occupato in incepto à patre contra Græcos bello,

regnum Apuliæ & Siciliæ præripitur à minore natu fratre Rogerio. Idem Boemundus bello ſacro intentus, poſt multa & inſignia edita virtutum ſpecimina, Antiochiæ & circumfuſarum arcium dominatum conſenſu omnium ſacræ militiæ Procerum obtinuit. *P.*375.

Borealium regionum ex Paganiſmo ad Chriſtum converſio poſt Apoſtolicos viros Sunibertum & Villebrodum. *P.*279.*n.*12.

Bonifacius Papa VIII. ut ſe geſſit erga Philippum Pulchrum Franciæ Regem, quorum ex diſſidio gravia exorta ſcandala. *P.*479.*c.*2.

Boſo à Concilio Mantalenſi & Proceribus, qui ſub ejus præfectura degebant, Rex eligitur novi regni Arelatenſis, quod Lugdunenſem tractum, Allobroges, Viennam, Burgundiam Sequanorum, & Galloprovinciam complectebatur. *P.*353.*&* 354.

Ad Bovinas prælium atrox inter Imperatorem Othonem IV. de Stirpe Saxonica, & Philippum Auguſtum Francorum Regem. Ambo in conferta pugna equis dejecti ſunt, & in recentes equos ſublevati Othonis copiæ poſt horrendam ſuorum ſtragem in fugam effuſæ, opulentiſſimas manubias arma & equos & captivos Francis reliquerunt. Inter quos fuit belli hujus fax & incentor Ferdinandus Flandrenſium Comes, Lutetiam Pariſiorum abductus. Eadem die altero illuſtri apud Andegavos prælio Frãcos inter & Anglos decertatum eſt: his quidem ſub Joannis Angliæ Regis ductu pugnantibus; illis ſub Ludovico Philippi Auguſti nato, qui poſtmodum hoc nomine Octavus paternum ſucceſſit in regnum. In gratiarum de utraque victoria actionem, ædes Deiparæ Virgini ad Sylvanectum dedicata ſub nomine *Victoriæ* fuit. *P.*418. *num.*1. *&* 2.

Britannia per Lucium Merciorum Regem ad Chriſtum converſa, Eleutherio Pontifice. *Pag.*57. *col.* 1.

Bruno Tullenſis Epiſcopus ab Henrico ſecundo Imperatore Romam dimiſſus ad Papæ dignitatem conſequendam, Cluniaco pertranſiens, monitu Hildebrandi Monachi, quem ſecum ille Romam deduxit, purpuram depoſuit, ne videretur dignitatem ſupremam ante Romanæ Eccleſiæ confirmationem præripuiſſe. Deinde lætanter Romæ exceptus confirmatus eſt Papa, dictus Leo IX. *p.*371.

Burgundionum ſub Rege Sigiſmundo converſio ad Catholicam fidem, ſatagente Avito Viennenſi Epiſcopo. *P.*242.*n.*11.

## C.

CÆcilia Virgo, Valerianus, & Tiburtius ſub Alexandro Martyres. *p.*58.*n.*6.

Callinicus Mathematicus, adinvento à ſe igne Græcanico, claſſem Saracenorum incendit. *p.*278. *num.*8.

Calojoannes in Oriente imperat. Inſignes illius victoriæ, & pietas. *p.*395.*n.*17.

Caracalla fratrem Getam Imperij conſortem interimit. *p.*57.*col.*2. Papinianum Juriſconſultorum Principem capite punit, fratricidium ejus in Senatu excuſare recuſantem. Ejuſdem alia ſcelera in Alexandrinos, & in Artabanum Parthorum Regem. *Ibid.*

Carolomannus Caroli Martelli prior natu filius, ex Auſtraſiæ Rege voluntarius Monachus in Monte-Caſſino. *p.*303.*n.*9.

Carolus Magnus ab Adriano Papa I. imploratus, quem Deſiderius Longobardorum Rex bello inſectabatur, hunc acie victum & arcibus ſpoliatum, tandem intra Ticini urbem obſeſſum in ſuam redigit poteſtatem, cúmque cum uxore & liberis abductum, & Leodij in cuſtodiam datum, omni dominatu exuit, Pontificiámque ditionem multis adauget urbibus & provincijs, ab amne Silaro & Urbe Siponto, aduſque portum Lunæ, cujus nunc eſt nomen Lerice, fluviúmque Macram, quæ Tuſcia & Liguria diſterminantur. His adjungit Corſicam inſulam, territorium Sabinenſe, cum Ducatibus Spoletano & Beneventano, Iſtriæque Venetiarúmque dominatu. *p.*304. Idem ſubjugavit præterea Saxones, Slavos, & cum Taſſilone Duce Baioarios, Avares ſeu Hunnos, & in Hiſpanijs Saracenos. *Ibid.* Ipſo Natalis Domini die à Leone Papa III. ſalutatur & coronatur Romanorum Imperator. *p.*305.

Carolus Simplex Franciæ rex Heriberti Veromanduorum Comitis perfidia deluſus, Peronæ carcere includitur, ibique moritur. *p.*364. Idem Rolloni Normannorum Principi filiam Giſlam nuptum dat cum Neuſtriæ provincia, quæ deinde dicta eſt Normannia. *p.*364.*n.*15.

Caroli Simplicis audita captivitate, uxor ejus Eadgina Alſtani Angliæ Regis filia ad patrem cum filio infante Ludovico Simplicis filio in Angliam confugit: ibique hæſit uſque ad interitum Rudolfi Burgundi, quem rebellium factio in regnum Franciæ provexerat. Eadem factio à Ducibus Heriberto & Hugone excitata Ludovicum inde *Tranſmarinum* dictum ad paternum regnum excivit, qui ſolio paterno reſtitutus Normannos Aquitaniam populantes, magna illorum ſtrage, repreſſit. Dum vero Lotharingiam, quam pater Carolus Simplex rebus ſuis per factiones rebellium deploratis Henrico Saxoni Germanorum Regi ceſſerat, recuperare intendit, tunc demum iterum Hugonem Pariſienſium Comitem, à quo Capetiorum Regum ſtirps ortum duxit, ſenſit adverſantem, ſuo enim conjugio cum Othonis magni Germanorum filia ſuperbiens, cumque Othone Francicis quas uſurpabat viribus junctis, Hugo Ludovicum acie commiſſa fugavit. *p* 364 *n.*17.

Carolus Dyrrachinus, quem Urbanus Papa VI. immeritis & injuſtis Beneficijs demeritus fuerat, in eumdem Pontificem rebellans, ab eodem communione fidelium reſecatur. *p.*500. Idem tyrannicè occupato Hungariæ regno perimitur. *pag.*482. *num.*14. *&* *p.*485.*n.*21.

Carolus ultimus Burgundionum Dux, à Lotharingis, quos duobus prælijs temerè laceſſiverat, profligatus, tertio ad Nanceium prælio perimitur, relicta unica hærede filia Maria, quæ Maximiliano Auſtriaco Imperatori nupſit. *p.*518.*n.*41.

Caroli V. Imperatoris Victoria inſignis de Friderico Saxone, & de Landgravio Lutheranis. *p.*558. Ejuſdem adverſus Romanos & Clementem VII. Pontificem facinora. *p.*556.

Carus Imperator liberos ſuos Numerianum & Carinum Cæſares creat. Idem fulminis ictu perimitur. *p.*63.*n.*26.

Cerinthus hæreſiarcha Chriſto Divinitatem abrogat. *p.*7. *c.*2.

Claudius Cæſar univerſam Britanniæ inſulam intra ſexdecim dies ſubjugavit. *p.*6.*n.*18.

Claudius II. Imperator, poſt inſignes de Barbaris victorias, peſtilentia extinguitur. *pag.*62. *num.*24.



Digitized by Google

# Tabula Hiſtorica.

Clemens Papa ſub Trajano in Cherſoneſum deportatus in mare demergitur. *p.7.n.22.* multa ſcripſit ab alijs depravata. *p.23.c.2.*

Clemens Alexandrinus Pantæni auditor, & in ſchola Alexandriæ ſucceſſor. *p.64.n.31.*

Clemens V. Sedem Pontificiam Avenionem transfert. Idemque in Viennenſi Concilio Templariorum Ordinem abolet. *p.479.n.4.*

Clodomirus qui Aurelianis regnabat Sigiſmundum Burgundorum Regem acie victum, & cum uxore & liberis captum, ſimul omnes in puteum projicit. *p.246.c.2.*

Clodovæus Francorum Rex ad fidem convertitur à Remigio Remenſium Epiſcopo, & baptizatur ac inungitur. *p.239.n.4.& 5.* Idem Gundebaldum Burgundiæ Regem ſuperat. *p.240.* Alaricum Viſigothorum Regem propria manu in acie perimit. *p.241.* ejuſque provincias Rhodano & Oceano incluſas occupat. *p.241.*

Clotildis Burgunda Clodoveo Franciæ Regi nupta, conjugem à Paganiſmo ad Chriſti fidem traducit. *p.239.n.5.*

Clotildis altera, prioris illius & Clodovei filia, Amalarico Viſigothorum regi nupta, quum à viro ad Arianam perfidiam verberibus urgeretur, liberatur à fratre Childeberto Pariſijs regnante: à quo fuit Amalaricus acie victus & fugatus. Qua in fuga Narbone à ſuis, quibus ob pravos mores erat inviſus, occiditur. Clotildis verò dum Pariſios à fratre reducitur, in itinere interijt. *pag.246. num.21.*

Concilia tria Ieroſolymæ ab Apoſtolis celebrata. *p.16. & ſeqq.*

Concilia circa Paſchale feſtum multis locis edita. *p.19.*

Concilium Nicænum Arium & ſequaces ejus anathematizat. *p.86.*

Concilij Nicæni primi plenior hiſtoria. *p.100.* 101. 102.

Concilium Conſtantinopolitanum I. Macedonium pravè de Spiritu ſancto ſentientem damnat. In hoc tamen vituperabile, quod Gregorium Nazianzenum Sede expulit, & defuncto in Synodo Meletio, Flavianum, contra quàm fuerat conventum, ſpreto Paulino, Antiochenæ præfecit Eccleſiæ. *p.93.n.36.*

Concilij Epheſini uberior hiſtoria. *pag.206. & ſeqq.*

Concilij Chalcedonenſis hiſtoria. *pag.189.n.21. & p.204. & ſeqq.*

Concilij VI. hiſtoria & decretum adverſus Monothelitas. *p.278.n.8.*

Concilij œcumenici VII. hiſtoria. *p.306.*

Concilij generalis primi Lugdunenſis ſub Innocentio IV. hiſtoria. *p.450.*

Concilium generale Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. cui interfuere Patriarcha Conſtantinopolitanus, & plerique Græcorum Epiſcopi. Michael verò Palæologus, ut ſibi ſervaret Imperium, quod invaſerat, Romanam per literas & Legatos profeſſus eſt Religionem. *p.421.c.1.* Græcique, qui interfuere, Epiſcopi nobis adhæſerunt. *Ibid.*

Concilium, abrogato Pontificatu tum Petro Lunenſi, tum Angelo Corario, dicto Gregorio XII. Pontificem creat Petrum Philaretum Cretenſem, qui nomen ſumpſit Alexandri V. *pag.502. & 503.*

Concilij Conſtantienſis à Joanne Papa XXIII. indicti hiſtoria. *p.505. & ſeqq.* In eo exautorantur Petrus Lunenſi, ipſeque Joannes XXIII. Gregorius vero XII. ſeipſum ſponte per procuratorem Sigiſmundum Malateſtam Arimini Principem apud Sigiſmundum Imperatoré abdicavit, proteſtatus ſe nullam agnoſcere in Concil. Conſtantienſi autoritatem, idque ſolum intendere, ut de ſua ſpontanea demiſſione Concilij Patres atteſtari poſſint. *p.506.*

Concilium Baſileenſe ſchiſma novum ingerit, deponendo Eugenium IV. & intrudendo Amadæum Sabaudum. *p.513.*

Concilium Ferrarienſe ab Eugenio Papa IV. indictum ad quod Imperator Græcus Joannes Palæologus cum Demetrio fratre & Patriarcha Conſtantinopolis Joſepho, alijſque Præſulibus Græcis advenrarunt. *p.513. n.29. & 30.* Superveniente peſte transfertur Florentiam. *p.514.n.31.* Diſputatur in eo perdiù de proceſſione Spiritus ſancti, tum de alijs controverſijs. Inde Græci omnes (ſolo excepto Marco Epheſino) unanimes cum Romana Eccleſia & Pontifice abſcedunt. *p.515.*

Concilium Lateranenſe V. ſub Leone X. *p.553.*

Concilium Tridentinum. *p.564.n.33. & p.580. & 581.*

Cœleſtius per dolum Zoſimo Papæ imponit, ſed tandem detegitur hæreticus. *p.187.c.1.*

Conſtans avi ſui Heraclij impietatis imitator, novum edictum nomine *Typi* promulgat, quod à Martino Papa in Romano Concilio damnatur. Quamobrem Martinum in Cherſonam relegatum multis ærumnis necat. *p.278.*

Conſtantinus Pogonatus, impio patri Conſtanti planè diſſimilis, ſextam cum Agathone Papa Synodum promovet, Saracenos coërcet, victóſque ad tributum adigit. *p.278.n.8.*

Conſtantinus Copronymus Leonis Iſaurici filius, ad paternam impietatem de ſacris Imaginibus diſperdendis, adjungit abolitionem omnis cultus erga Mariam Virginem, quam Dei matrem cum Neſtorio eſſe negabat: Sanctorúmque ſimul omnium, & reliquiarum venerationem prohibebat. Moritur vociferans ſe ob dehoneſtatam Deiparam ſempiternis ignibus eſſe condemnatum. *p.301.n.3.*

Conſtantinus Magnus cœleſti Crucis indicio, ab ejus exercitu evidenter perſpecto, confirmatur in Chriſti fide. Profectus contra Maxentium, ejus copias ſibi inter anguſtias Alpium diſpoſitas diſſipat. Eumdem prope Romam acie commiſſa ſuperat, qui fugiens ruina pontis in Tiberim cadens ſubmergitur. *p.84.col.1.* Ejuſdem ſtudium in tuenda Chriſti religione etiam apud Saporem Perſarum Regem, ſubditos ſibi Chriſtianos perſequentem. *p.86.*

Conſtantini Magni obitus & ultima voluntas in ſuburbio Nicomediæ, Imperijque inter liberos partitio. *p.87.n.5.*

Conſtantinus tyrannus à Conſtantio Duce apud Arelatem victus & captus occiditur. *p.150.n.26.*

Conſtantius Dux Placidiam connubio ſibi aſciſcit, Imperatorum Arcadij & Honorij ſororem, ex qua ſuſcepit Valentinianum, qui *Tertius* ejus nominis Romæ imperavit, Honorij avunculi ſucceſſor; filiamque Honoriam, quæ Attilæ nuptias ambivit. *p.190.n.26.*

Conſtantinopolis à Mahumete II. Turcarum rege expugnatur. Ejuſdem de alijs Chriſtianorum Provincijs victoriæ. *p.517.n.38.*

Cornelius Papa martyrium ſubit ſub Gallo & Voluſiano. *p.61.c.1.*

Cyprianus

Digitized by Google

Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus ſub Valeriano & Galieno martyrium capitis abſciſſione complet. *p.6.c.1.*

Cypri Eccleſiæ ab Antiocheni poteſtate ademptæ. *p.208. & ſequ.*

Cyprus inſula ad dominium Reipublicæ Venetæ tranſit, per obitum Catharinæ Cornaræ ab eadem Republica ante ipſius nuptias adoptatæ, quæ demum filij ſui Jacobi Luſiniani tenera ætaté defuncti mater hæreditatem nacta eſt, quam in Rempublicam Venetam tranſtulit. *p.518.n.40.*

Cyprum Solimus II. Turca Venetis eripit anno 1570. *pag.560.n.26.*

## D.

DEcimum ſæculum, alioquin infelix, multorum tamen Sanctorum Regum & Principum proventu, reliquis felicius. *p.368.n.31.*

Decius Cæſar Eccleſiæ crudelis perſecutor. *p.59.n.12.* Idem in pugna contra Barbaros voragine cum equo abſorptus moritur. *p.60.c.1.*

Diocletianus Maximianum Herculium creat Auguſtum, novóſque Cæſares Conſtantium Chlorum & Maximianum Galerium, dictum *Armentarium*, eo quòd ab armentorum cura eductus fuiſſet ad militiam. *p.63.c.2.*

Diocletianus & Maximianus Herculius poſt atrocem contra Eccleſiam perſecutionem Imperio ſe ſimul abdicant. *p.64.n.29.*

Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus hæreſes Sabellij, Millenariorum, & Pauli Samoſateni ſcriptis libris refellit. *p.61.c.1.*

Dionyſius Mediolanenſis pro fide Catholica exulat. *p.89.c.2.*

Dionyſius Areopagites ad Chriſtum Paulo Apoſtolo concionante convertitur. *pag.6.c.1.* Scripta illius ab antiquiſſimis Syris ſcriptoribus allegata. *p.293.*

Dioſcorus Alexandrinus Concilio Latrocinali apud Epheſum præſidet. Mox Alexandrina ſede pellitur, cui Proterius orthodoxus præficitur. *p.189.c.1.*

Diſputatio Lutherum inter, & Joannem Eckium, qui nobilem de hæreſiarcha victoriam reportat apud Lipſiam. *p.552.n.15.*

Domitianus ſecundam movet in Chriſtianos perſecutionem. *p.7.n.24.c.2.*

Donatiſtarum Schiſmatis origo, & actus. *p.85.c.1. & p.97.*

## E.

EBbo Remenſis, eo quòd injuſtè Ludovicum Pium in Compendienſi conciliabulo depoſuiſſet Imperio, depoſitus ipſe eſt ſuo Epiſcopatu in Concilio ad Theodonis villam. *p.344.*

Ebion hæreticus Chriſto divinitatem abrogat. *pag.7. col.2.*

Eccleſiæ prima intra Judæam perſecutio. *pag.1. col.2. & p.3.n.8.*

Eccleſiæ pax ſub Commodo Imper. *pag.12. c.1. num.11.*

Eduardus III. Angliæ Rex, ex Iſabella Philippi pulchri Franciæ Regis filia genitus, poſtquam ex Philippi ſtirpe directa nulli ſuperſtites liberi extiterunt, vocato ſecundum legem Salicam ad ſucceſſionem regni Philippo Valeſio, reclamat Anglus ſibi in materna jura ſuccedenti deberi Franciæ regnum. Qua ex contentione naſcitur teterrimum & diutinum bellum, quo primùm ad Cluſas in Belgio, prælio navali, Franci pene ad internecionem deleti ſunt. Deinde ad Creſſiacum Angli certamine terreſtri Francos ſuperarunt, quorum pluſquam triginta millia in acie ceciderunt, qua obtenta victoria Caletum Anglis in poteſtatem ceſſit. Succeſſit autem paternis infortunijs Joannes Philippi Valeſij filius, commiſſo prælio cum Valliæ Principe Eduardo Tertij filio, quo, edita multorum Francorum cæde, Joannes ipſe cum Philippo filio multáque nobilitate in Angliam captivus traductus eſt. Unde poſt quadriennium ab ea pugna in Pictonibus edita, compoſita ad Britiniacum pace Joannes & Philippus liberi dimiſſi ſunt. *p.483.n.15.16.17.*

Elesbaam Æthiopiæ Rex Religionis Chriſtianæ ſtudioſiſſimus, glorioſam expeditionem adverſus Homeritarum in Arabia tyrannum Dunaam, ſubditos ſibi Chriſtianos omni crudelitate compellentem ad Judaïcam perfidiam, quam ipſe abjurata Chriſtiana, in qua fuerat educatus, fide, profitebatur. Huic igitur Rex Elesbaam terra marique bellum infert: & debellatum cum impijs ſuaſoribus & miniſtris gladio perimit. Poſtquam vero ſui regni ſucceſſorem religioſiſſimum Principem conſtituit, proprium diadema in Baſilicam Ieroſolymitanam tranſmiſit, factuſque Monachus reliquum vitæ in aſperitate & orationum frequentia tranſegit. *p.247.n.21.*

Elizabetha Sigiſmundi Imperatoris unigenita primùm Alberto nubit Auſtriaco Imperatori. Quo vita functo, Hungari fœminæ ſubeſſe detrectantes, Regem optarunt qui poſſet patriam à Turcarum armis tueri: proinde Elizabetham compellunt Uladiſlao Polonorum Regi nuptijs copulari. Completo demum iſto nuptiali fœdere, parit Elizabetha poſthumum à priore marito Alberto ſuſceptum, nomine Ladiſlaum, quem protinus ad Fridericum Auſtriacum III. Imperatorem clam tranſmiſit cum regni corona, quam ei imponi ſtatim à Baptiſmo curaverat. Omnis Hungaria cum Joanne Hunniade, quo autore Uladiſlaum expetierat, pro Uladiſlao dimicabat. Sed alterum hæreditarium Elizabethæ regnum Bohemia pro infante Ladiſlao pugnabat, ſub feliciſſimo Duce Joanne Ziſca; à quo Hunniades ſemel iterumque bello ſuperatus, caſtriſque exutus fuit. Poſt hæc Varnenſi certamine contra Turcas, quibus regnabat Amurathes, Uladiſlaus Rex inter primos Ordines fortiter pugnans concidit, Turciſque victoria hæſit. Tum vero Hungari ſimul & Bohemi Regem depoſcunt Ladiſlaum, quem tamen Fridericus dimittere renuit, aſſerens ſecurius apud ſe puerum conſanguineum aſſervari, quàm apud populos eidem hactenus rebelles ac infidos. Dumque Rex puer adoleſceret, adminiſtratio regni bellique præfectura omnium conſenſu Hunniadi demandatur. Rex demum per ætatem factus regnandi capax, regimenque ſuſcipiens, gemini regni ſui ad avunculum ſuum Ulricum Ciliæ Comitem matris ſuæ Elizabethæ fratrem adminiſtrationem tranſtulit, recordatus beneficiorum ſibi ab eo collatorum, qui conſtanter partes ſuas, dum erat infans, ſuſtinuerat; eamque ob cauſam captus ab adverſantibus Polonis, moleſtias diutini carceris ſuſtinuerat, dum Hunniades contra ſe pro Uladiſlao Polono decertabat, eique regnum aſſerebat. Unde mortuo poſtmodum Hunniade, gravis relicta eſt

æmulatio

æmulatio & concertatio inter Ulricum, duoſque Hunniadis liberos Ladiſlaum & Matthiam Corvinum. Hi fratres populorum gratia freti, plebem continuo in Ulrici odium concitabant, ipſeque prior natu Ladiſlaus, ſcelere aperto, Ulricum interficit. At Rex tumultum populorum reformidans, injuriam diſſimulat, juſtè occiſum dicens Ulricum, cujus dudum ſibi ipſi intolerabilem ſuperbiam Regiæ dignitati injurioſam fuiſſe aſſerebat. Attamen expectata opportuniore occaſione, occiſorem, quem beneficijs & familiari conſuetudine cicuraverat, capitis tandem obtruncatione punivit. Ejus verò fratrem Matthiam, ne quid mali moliretur, ſub tuta cuſtodia tenuit. His ita geſtis dum adventantem ſibi deſponſatam Franciæ Regis filiam magnifico apparatu præſtolatur, morte opprimitur in ipſo juventutis flore, non ſine veneni ſuſpicione. Atque ita memorabili exemplo humanarum rerum inconſtantiæ Rex Ladiſlaus à ſolij regalis culmine, ipſóque propemodum geniali nuptiarum thalamo in tumulum effertur. Simúlque Matthias Corvinus in regnum votis populorum expetitus, ex vinculis & imminente morte, quam in dies opperiebatur, confeſtim ad coronam & thronum regni provehitur. *p.517. n.39.*

Evodius primus à Petro Apoſtolo Antiochenam regit Eccleſiam. *p.3.n.9.*

Euphemius Conſtantinopolis Epiſcopus non aliter Anaſtaſium conſentit agnoſcere Imperatorem, niſi poſt acceptum ab illo de profeſſione Catholicæ fidei, ſimulque Chalcedonenſis Concilij approbatione chirographum. Quod tamen multis artibus & comminationibus Anaſtaſius fruſtra repetijt. Quæ conſtantia Euphemij, illius perſecutiones, bonorum direptiones, dignitatis abdicationem & exilia in ipſum aſcivit. *pag.238.n.2. & p.243. c.1.* Hoc uno tamen graviter culpandus, quod prælegit cum Romana Eccleſia communionem abrumpere, quàm impij Acacij præceſſoris ſui nomen de tabulis Eccleſiæ delere. *Ibid.*

Euſebij Vercellenſis Epiſcopi pro fide Catholica exilium. *p.89.c.2.*

Euſtathij Antiocheni ab Arianis iniquiſſimæ inſectationes & calumniæ, in Conciliabulo Antiocheno fabricatæ, cui præſedit flagitioſiſſimus Euſebius Conſtantinopolis Pſeudoepiſcopus; unde juſſu Conſtantij Trajanopolim deportatus, ibique ærumnis confectus moritur. *p.89.*

Eutyches archimandrita hæreſiarcha, ejúſque hiſtoria. *p.188. c.2. & ſeqq.*

## F

Factiones Burgundionum, & Aurelianenſium, Franciæ exitiales. *p.509. & ſeq.*

Fames ab Agabo Propheta prænunciata. *p.4.c.1.*

Fauſtus Lerinenſis Abbas Theodorum Forojulij Epiſcopum graviter offendit. *p.225.* Idem Semipelagianorum ſignifer. Idem fit Regienſis Epiſcopus. Ejuſdem fraudes & verſutiæ. *p.227. & 228.*

Frumentius Tyrius ab Athanaſio conſecratus Epiſcopus, ab eodem ad Indos mittitur, ut in ijs regionibus fidem Chriſtianam diſſeminet, Eccleſiáſque conſtituat. *p.86. n.13.*

Feliciſſimus Sacerdos ſchiſma adverſus S. Cyprianum ſuſcitat. *p.60.c.1. & 2.*

Felix Papa III. Acacium, & Fullonem, & Moggum excommunicat. *p.229. & p.230.*

Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Granatam, in qua Maurorum reliquiæ conſederant, univerſámque Bæticam expugnat. Ejus & uxoris Iſabellæ auſpicijs novæ & jampridem incognitæ regiones ultra Oceanum Atlanticum aperiuntur, miſſo ad eas conquirendas Chriſtophoro Columbo Genuenſi: poſteáque Americo Veſpacio Florentino, à quo explorata dictáque fuit America. *pag.519. num.42.*

Flandria, ſeu Belgium, à regno Franciæ ſejungitur ſub Carolo Calvo, cujus filiam Iuditham Balduinus ſibi nuptiali fœdere jungit cum dotali Flandria, conſentiente Calvo. *p.321.n.16.*

Flavianus in Concilio I. Conſtantinopolitano in locum vita functi eodem in Concilio Meletij ſufficitur, contra quàm Meletius ipſe ſub exitum vitæ diſpoſuerat, ne quis alius ſibi ſubrogaretur Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus præter Paulinum. *p.164.c.2. & p.165.c.1.* Idem Flavianus Theodoſium Auguſtum adverſus Antiochenos excandeſcentem mirificè placavit. *p.93.n.37.*

Flavianus alter Epiſcopus Conſtantinopolis martyrio ab Eutychianis afficitur. *p.215.n.5.*

Franciſci I. Franciæ Regis bella cum Mediolanenſibus, & Carolo V. Imperatore. *p.554. & ſeqq.* Ejuſdem inſignis imprudentia ob quam ſuum perdidit exercitum, & in captivitatem & manus hoſtium incidit. *p.555.*

Fridericus Ænobarbus coronatus Imperator ab Adriano I V. adverſus eum ſimultates ſumpſit. Ejus ſucceſſori Alexandro III. Victorem per ſchiſma in Papienſi conventiculo oppoſuit. Continua bella cum Longobardis, Liguribus, & Mediolanenſibus pro Pontifice decertantibus vario ſucceſſu geſſit. Quorum ut aboleret invidiam, ſacra demum ſuſcepta in Palæſtinam expeditione, dum in amœna Cydni amnis unda prope urbem Tarſum corpus abluit, repente extinguitur. *p.394. & 395.*

Friderici II. Imperatoris Ieroſolymitana profectio, ejuſque cum Infidelibus propudioſa conventio. Indeque quaſi triumphabundus Italiam depopulatur, & Eccleſiam lacerat. *p.419.*

Fridericus Dux Saxoniæ à Carolo V. Imperatore acie vincitur & capitur. *p.558.*

## G

Galba, Neronis ſucceſſor, ab Othone perimitur. *p.6.c.2.*

Gallicana ſeu Francica vetus Canonum collectio. *p.8.c.2.n.6.*

Gallus, ejúſque filius Voluſianus, Decianam perſecutionem proſequuntur. *p.61. col.1.*

Genua partibus adhærens Joannis Papæ XXII. adverſus Henricum Lutzemburgum, Auriorum & Spinularum familias Gibellinas exulare cogit, eorumque ædes diruit. At illi ſtudijs ſibi conjunctos Mediolanenſes ad obſidionem Genuæ impellunt, tuentibus urbem Guelphicæ ſeu Pontificiæ partis Principibus Fliſcis & Grimaldis, qui Robertum Apuliæ Regem in auxilium evocant. Hic vero ad ſuppetias accurrens, Mediolanenſes obſidionem ſolvere coëgit. *p.481. n.9.*

Genſericus Vandalus Attilam Hunnorum Regem pecuniâ & muneribus incitat ad gerendum bellum contra Theodoricum Viſigothorum Regem, cujus natam Hunnerico filio nuptam naribus & auribus mutilatam ad patrem ignominioſè remiſerat. *p.194. c.2.*



Digitized by Google

Germanorum regnum, non tamen Imperium tenuere, mortuo pediculari morbo Arnulfo, cui Formoſus Papa coronam Imperij conceſſerat, ejus filius Ludovicus, quem Germani Principes Regem elegerant ex Caroli Magni ſtirpe. Iſtoque vita functo, Conradus Franconiæ Dux alterius proſapiæ. Poſt hunc Henricus Saxo, dictus *Auceps* ex Vittichindi progenie ortus. Iſte vero Henricus Hunnos Germaniam populantes multis victorijs repreſſit. Huic ſucceſſit filius Otho Magnus Imperator à Joanne XII. Papa coronatus, innumeris victorijs per Germaniam, Galliam, & Italiam illuſtris. *p.363.n.14.*

Gilimer ultimus Vandalorum Rex à Beliſario victus & Conſtantinopoli in triumpho traductus identidem proclamabat, Vanitas vanitatum & omnia vanitas. *p.145.*

Gnoſtici portentoſarum libidinum profeſſores. *p.7.c.2.*

Godofredi Bullonij ſacra expeditio, regnumque Ieroſolymitanum. *p.374.*

Gordianus optimus Imperator à Philippo tyranno interficitur. *p.59.c.2.*

Gothorum in Italia dominatum Beliſarius & Narſes extingunt. *p.146.n.19.*

Gotheſcalchi Monachi & Sacerdotis doctrina in Synodis Moguntinenſi & Cariſiaca damnata. *pag.343.*

Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis Epiſcopus. *p.64.n.31.*

Gregorius Magnus cùm eſſet Pelagij Papæ Apocriſiarius apud Tiberium Imperatorem, Eutychium Conſtantinopolis Patriarcham ab errore contra tractabilem corporum reſurrectionem concepto, pro quo & librum ediderat, ita convertit, ut librum ſponte igni tradiderit, moriénſque tractabilem & ſenſibilem corporum reſurrectionem palàm profeſſus ſit. Gregorij ejuſdem in locum Pelagij Papæ ex peſte defuncti electio, quam quoad fieri potuit declinaverat, & in Summo Pontificatu inexhauſta erga pauperes & ægrotos charitas. Miſſo in Britanniam cum alijs Sanctis operarijs ſancto Monacho Auguſtino, gentis illius ad fidem converſæ dici meretur Apoſtolus. *p.148.*

Gregorius Papa VII. ab Imperatore Henrico III. in arce S. Angeli Romæ obſeſſus, & in extrema redactus, virtute Roberti Guiſcardi Apuliæ Regis, compulſo in fugam Henrico, liberatur, & inde Salernum abductus præteritis ærumnis confectus interit. *p.373.*

Gundebaldum Burgundionum Regem Clodoveus bello vincit. *p.240.*

## H.

HElvetij ſe in libertatem aſſerunt, ſub Imperio Alberti Auſtriaci. *p.423. n.15.*

De Helvetijs memorabilis Francorum victoria ad Marinianum, quam ſequitur Mediolani deditio. *p.554.*

Helvetiorum Catholicorum & hæreticorum mutua inter ſe bella religionis ergò in quibus aggreſſores hæretici magna ſtrage debellantur, & Zuinglius belli autor in pugna concidit. *pag.559. n.19. & 20.*

Henricus ex Bavariæ Duce Imperator, ejus nominis Primus, virginitatem perpetuam cum uxore Cunegunde ſervavit. Cum Stephano primo Hungariæ Rege affinitatem init, data ei in uxorem ſorore Giſla, cúmque ad cultum Chriſti cum omni populo traduxit. *p.369.c.2.* Ejuſdem mirificus cum Roberto Franciæ Rege ad amnem Moſam occurſus. *p.369.n.3.*

Henrico I. defuncto ſuccedit in Imperium Conradus I. ex Vormatiæ Ducibus. Conrado ejus filius Henricus II. ſuccedit. Et huic vita functo ejus quoque filius Henricus III. quinquennis puer, cujus duravit Imperium, maximo Eccleſiæ, contra quam perpetuum bellum geſſit, detrimento; ad duos & quinquaginta annos. *p.370.n.5.*

Henrici III. Imperatoris pœnitentia ad arcem Canuſij ejuſque cum Gregorio Papa VII. reconciliatio; ſed ſubinde relapſus, & denuò excommunicatus moritur, & in loco profano Spiræ ſepelitur. *pag.389.*

Henricum III. mortuum ejus filius excipit Henricus IV. Imperator, qui patrem antea Eccleſiæ rebellem fuerat armis inſectatus, ut ſibi viam ad Imperium muniret, ad quod poſtea promotus ſe hoſtem Eccleſiæ exhibuit infenſum: poſt Coronam quippe Romæ à Paſchali Papa II. acceptam, hunc ipſum unà cum Cardinalibus alijſque Prælatis Eccleſiæ manibus armatorum in diverſos carceres truſit, nec dimiſit, graviora etiam comminatus, niſi extorto juramento & inveſtituris Eccleſiaſticis per annulum & baculum. Res tandem componitur in Vormatienſi Prælatorum & Procerum conventu, quum duo adverſantes exercitus in procinctu ad prælium ſtarent, & admiſſæ ſunt mutuæ conventiones inter Calliſtum II. Paſchalis ſucceſſorem, & Henricum IV. *p.390.n.4.*

Henricus Lutzemburgus, Clemente V. Pontifice, totam factionibus & bellis funeſtat Italiam. *p.479.n.5.*

Henricus V. Angliæ Rex Catharinam Caroli VI. Franciæ Regis, ſed mente impotis filiam, uxorem ducit cum dotali Franciæ regno, à quo excluditur Carolus Delphinus: interim Henricus Anglus declaratur Franciæ regens quandiu Rex Francus victurus eſſet. Hæc omnia urgente Regina Iſabella Bavara Franci Caroli uxore. *p.510. & ſeq. n.25.*

Henrici VIII. Angliæ Regis apoſtaſia. *p.557. num.16.*

Henricus IV. Franciæ Rex prælio Ivriaco victor Lutetiam obſidet, hæreſimque Calvinianam ejurat. *p.563. & 564. n.32.*

Hugonottorum in Francia multiplicia bella. *p.561.n.27.*

Herodes Agrippa tetrarchijs Lyſaniæ & Philippi, ſimúlque Regis titulo auctus, à Claudio quoque Caij ſucceſſore Judæam & Samariam obtinet. *pag.3. n.8.*

Herodes Antipas Joannem Baptiſtam præcepit decollari. Idem omni exactus dignitate Lugdunum relegatur. *p.3.*

Herodias ſpreto marito Philippo tetrarcha inceſtas nuptias init cum Herode Antipa, cujus exilio ſe comitem adjungit. *Ibid.*

Herodes Agrippa Apoſtolum Jacobum Zebedæi capite truncat. Petrum item Apoſtolum in vincula conjicit, & morti deſtinat. Idem in ſuperbiam elatus ab Angelo apud Cæſaream Paleſtinæ, dum ad populum ſibi applaudentem orat, percuſſus interit. *p.3.n.8.*

Heriberti Veromanduorum Comitis multiplex perfidia. *p.364.* Ejuſdem filius necdum quinquennis conſecratur Remenſis Epiſcopus. *Ibid.n.18.*



Digitized by Google

# Tabula Hiſtorica.


Hermenigildus Leovigildi Viſigothorum Regis filius natu prior Ingundem Sigiberti Metenſium Regis filiam ex Brunechilde accipit uxorem. At Socrus Goſiuntha Leovigildi uxor, poſtquam nutum Ingundem blanditijs fruſtra tentavit in Arianiſmum inflectere, hoc ipſum per ærumnas & cruciatus niſa eſt obtinere. At puella conſtans in fide, unà cum Sancto Hiſpalis Antiſtite Leandro Hermenigildum conjugem ad Catholicam fidem pellexit ab Arianiſmo. Qua ex re Leovigildus excandeſcens, diram adverſus Catholicos movit perſecutionem, filiumque Hermenigildum in vincula detruſum, cum à ſancto propoſito dimovere non poſſet, per immiſſum apparitorem trucidavit. Sed mox ipſum crudelitatis ſuæ admodum pœnituit, & quamvis Arianam hæreſim non abjuravit; filium tamen natu minorem Recaredum impensè hortatus eſt, ut fratris Martyris religionem imitaretur. Quod ille fideliter præſtitit, adeo ut ſuſcepto regno ſubditos ferè omnes ab Arianâ impietate, adjuvante Leandro ad Catholicam fidem traduxerit. *pag.*247.

Heraclius Perſico bello primùm victus, & Provincijs Orientalibus exutus, proſequendo bellum omnia recuperat, & Crucem Chriſti de manibus Perſarum vindicat. *p.*277. Idem Monothelitarum hæreſim ſuſcitat, jubétque edicto, quod *Ectheſim* vocavit, à cunctis obtemperari. *Ibid.*

Hincmarus Laudunenſis quàm dira paſſus ſit ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, gratia apud Carolum Calvum præpotente,& abutente ad ſuperbiam & ultionem. *p.*345. *&* 346.

Hilarij Pictavienſis Epiſcopi exilium pro Religione. *p.*89.*c.*2. Idem in Seleucienſi conciliabulo, pro fide ſtrenuè decertat, atque in reditu apud ipſum Conſtantium Auguſtum Arianum. *Ibid.*

Hiſpaniæ quatuor Reges, Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ, & Navarræ, Ilamolinum Tuniſij Regem, qui vincendo univerſam Hiſpaniam à Gadibus uſque ad Pyrenæos peragrarat, conjunctis viribus ad Toloſam Hiſpaniæ oppidum adorti, ejus exercitum, cæſis acie ducentis millibus, profligarunt. Deinde viceſimo poſt anno Ferdinandus Caſtellæ Rex Cordubam expugnavit Maurorum arcem, ut nihil ei reliquum fuerit præter Granatenſe regnum. *p.*420.*n.*8.

Hiſpanorum de Mauris mirifica victoria, quâ Abohacenus Rex Maurus tres amiſit filios, ipſeque ſuis copijs internecione cæſis fugam arripuit, anno Chr.1340. *p.*438. *&* 485.*n.*18.

Hugo Arelatenſis Rex Rodulfum Italiæ Regem atque Burgundiæ Italico regno depellit, regnumque Italiæ annis viginti poſſidet. Marofiam nuptum accipit, & cum ea Romanam urbem & arces munitiſſimas dotis nomine. Sed exorto jurgio inter Hugonem & Albericum, quem ipſa Maroſia ex Adelberto Tuſciæ Marchione pepererat, exurgit contra Hugonem ejuſque filium Lotharium Berengarius ſecundus Eporediæ Marchio: qua ex cauſa Hugo in Galloprovinciam revertitur, relicto in Italia Lothario filio cum Regis titulo,unà cum ejus uxore Adelaïde præfati Rodulfi Burgundiæ Regis filia, quem Hugo Italiæ regno exuerat. Verumtamen ubi Lotharius vita exceſſit, Berengarius Eporediēſis integro potitus eſt Italiæ regno cum filio Adelberto. *p.*362.*n.*10.*&* *p.*363.

Hugonis *Magni* dicti Abbatis nobilitas & proſapia. *p.*365.*n.*19.

Hugonis Capeti in conſtituendo Franciæ regno prudentia. *p.*365.*n.*21.

Humbertus ingenio & prudentia eximius ex Tullenſi Diœceſi à Leone Papa IX. Romam educitur. Fit Cardinalis & Sylvæ-candidæ Epiſcopus,atque mittitur Apoſtolicus Legatus Conſtantinopolim ad Conſtantinum cognomine *Monomachum* Auguſtum, à quo perbenignè exceptus Michaëlem Cærularium Patriarcham coram Imperatore diſputando confudit, & pertinacem in ſuo ſchiſmate damnavit. *p.*371. *&* *p.*372.*n.*10.

I

Iacobus Apoſtolus frater Domini à Iudæis de Templi faſtigio præcipitatur. *p.*4.*n.*12.

Iacobus Zebedæi, jubente Herode Agrippa, decollatur. *p.*3.

Jagellonis Lithuaniæ Principis cum ſua omni gente converſio: Baptiſmus, & conjugium cum Heduvige Poloniæ regina. *p.*485.*n.*21.

Ibæ Edeſſeni Epiſcopi epiſtola ad Marim Perſam. *p.*363. Ibas idem conſedit in Concilio Chalcedonenſi. *Ibid.*

Iberi per captivam Chriſtianam,quæ Regem & Reginam illius gentis graviſſimis morbis ſola Chriſti invocatione liberarat, fidem Chriſti ſuſcipiunt. *p.*86.*c.*2.

Ieroſolymam Saladinus Babyloniæ Sultanus Chriſtianis eripit. *p.*390.*n.*5.

Ieſu Chriſti mors,Reſurrectio,& Aſcenſio. *p.*1. *c.*1.

Ieroſolymitanum Apoſtolorum Concilium de immunitate ab obſervationibus legalibus. *p.*18. *col.*2.*n.*15.

Ignatius Tertius à Petro Antiochiæ Epiſcopus Martyr ſub Trajano. *p.*6.*c.*2. Ejus & Polycarpi epiſtolæ. *p.*23.*c.*2.

Joanna Darcia ſimplex & ruſticana puella Franciam ab Anglis liberat, & Carolum Delphinum ad regnum promovet. *p.*511.

Ioanna Neapolitana, impellente Urbano Papa VI. à Carolo Dyrrachino ſtrangulatur. *p.*482. *col.*2.

Ioannes Apoſtolus à ferventis olei dolio illæſus egreſſus in Pathmos inſulam relegatur. *p.*7.*c.*2. Evangelium & Apocalypſim ſcribit. Epheſum poſtliminio ſub Nerva regreditur. *Ibid.*

Ioannes Damaſcenus pro aſſerendo piarum Imaginum cultu ſcriptis decertat adverſus Leonis Iſaurici impia edicta. *p.*301.*c.*1.

Ioannis Chryſoſtomi magnanimum cum Gaïna potentiſſimo Gothorum Duce ad Imperium aſpirante, & Eccleſiam pro ſe ſuiſque Arianis poſtulante, colloquium. *p.*182. Ejuſdem perſecutio, exilium, & obitus apud Amaſæam ad Pontum Euxinum. *p.*183. Ejuſdem reliquiarum perhonorifica Conſtantinopolim tranſlatio. *p.*186.*c.*2.

Ioannes Burgundus Aurelianenſem Ducem Ludovicum per ſicarios interimit. *p.*509.*n.*23. Idem pacem Eccleſiæ interturbat, ne Conſtantienſis Synodus ullum ſortiretur effectum, & Papam Ioannem XXIII. à bono & laudabili propoſito diſſuadet. *p.*505.*c.*2. Idem horrendas cædes per ſuos ſequaces Pariſijs perpetrat. *p.*510.*c.*1. Idem coram Delphino Carolo ad confluentem Icaunæ & Sequanæ à Tannequio Caſtellio necatur. *p.*510.*n.*24.





Digitized by Google

Joannes Papa XXIII. in demortui Alexandri V. Sedem electus, à Sigiſmundo rogatus Conſtantiæ Concilium pro ſchiſmate extinguendo indicit. *p.504.*

Joannis Vvicleffi hæreſes ex Anglia in Bohemiam traductæ. *p.501.n.3.*

Joſephus Barſabas cognomine Juſtus. *p.1.c.1.*

Jovinianus Princeps religioſiſſimus Juliano Apoſtatæ ſuccedit. Ab Athanaſio de Fide inſtitui poſtulat. Prunarum nidore extinguitur. *pag.91. num.27.*

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus ſub Septimio Severo Martyr. *p.57. c.2.*

Irene Auguſta, promoto ad Patriarchalem Conſtantinopolis Sedem Taraſio, & rogato Adriano I. Pontifice, Nicænam Synodum ſecundam pro inſtauranda piarum Imaginum veneratione promovet, præſidentibus Apoſtolicis Legatis. *p.301.c.2.* In ordinem à Conſtantino filio, & in Monaſterium compellitur, qui ganeis, luxurijs, omníque pravitate Eccleſiam imperiúmque perſumdat. Irene vero Stauracio adjuvante priſtinam reſumit dignitatem & adminiſtrationem rerum, filióque effoſſis oculis necem infert. *p.301. num.5.*

Iſaacius Angelus Græcorum Imperator perfidè à proprio fratre Alexio Angelo excœcatus Imperio privatur. Cujus criminis ultionem ſuſcipit Latinorum Principum fœderata claſſis ad recuperandam Palæſtinam deſtinata, quæ facta exſcenſione Conſtantinopolim occupat, Alexio tyranno Delbetum confugiente. Quo in tumultu Alexius Ducas cognominatus *Murzuphlus*, Iſaacio cœco animam agente, filium ejus Alexium Angelum arte cluſum laqueo interimit. Tunc Principes confœderati Balduino Flandro Imperium deferunt, & Murzuphlum in ſuam redactum poteſtatem ex alta turri præcipitant. *p.396.n.19.*

Italici Principes, deficiente, aut ad inertiam degenerante Caroli Magni ſtirpe, de Imperio invicem contendunt. Vido ſeu Guido Spoleti Dux à Formoſo Papa coronam accipit Imperij. At Berengarius Forojulienſis Dux Imperium quoque ambit, reſque inter ambos ad arma deducitur. Victus à Vidone Berengarius ad Arnulfum Germaniæ Regem recurrit, cujus adventu Roma obſidetur & capitur à Germanis. In Germaniam reverſus Arnulfus pediculari morbo interijt. Ejus filium Ludovicum proceres Germani evehunt ad Imperium. At in Italia Vido moriens Lamberto filio ſucceſſionem detulit Imperij. Iſtiuſmodi Italorum de Imperio concertationes Italiam perpetuis civilibus bellis,& horrendis hoſtilibus vaſtationibus, ſeptuaginta & amplius annos dilacerarunt, donec Germanis aſſertum eſt ab Othone I. Imperium. *p.361. & 362. ad n.11.*

Judæa poſt mortem Herodis Agrippæ Provinciæ Syriæ adjicitur. *p.3.n.8.*

Judæorum ſub Nerone rebellio. *pag.7.c.1.* Altera ſub Trajano. *pag.20.col.2.* Et ſub Adriano. *p.21.c.1.*

Julianus Apoſtata contra Conſtantium rebellat. Chriſtianos inſectatur, quorum odio cum Judæis conſpirat ad inſtaurandum ipſorum Templum; ſed Deus novis prodigijs conatum iſtum eluſit. Horrendis cacodæmonum invocationibus & tartareis præſtigijs ſe addicit. Babylæ Martyris oſſa ex Epidaphne abduci mandat. In Perſas ſtolido conſilio bellum movet: Ejuſque exercitu extrema penuria laborante, ipſe telo cœlitùs immiſſo necatur. *p.90. & 91.*

Julius Papa II. Mirandulam expugnat. Inde excedens Ferrariam obſidione cingit, quam tamen cum gravi ſuorum jactura ſolvere compellitur. *p.553.n.7.* Concil. Lateranenſe V. indicit. *p.553.*

Juſtinianus Imperator à Theodora conjuge, & à Theodoro Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo, ambobus hæreſi Eutychiana infectis depravatus Chalcedonenſem Synodum infirmare conniſus, trium capitulorum quæſtionem movet, Vigilio Pontifice reluctante, quem ideo carcere gravibúſque ærumnis mactat. Cum tamen Juſtiniani pertinacia eò rem adduxiſſet, ut impenderet Eccleſiæ formidabile Schiſma, Vigilius tandem conſenſum præbuit. *p.264.*

Juſtinianus ſecundus Imperator dictus *Rhinotmetus* vecors, impius, & crudelis, à religioſiſſimo patre Conſtantino Pogonato prorſus degener, Synodum ſchiſmaticam dictam *Quiniſextam* in Trullo Palatij fornicata parte cogit. *p.279. n.13. & p.297. c.2.*

Juſtinus primus de religione præclarè meritus Imperator ſacram Religionem ab Anaſtaſio, cui ſucceſſit, proculcatam erexit. Hormiſdæ Pontificis precibus adductus nomina Acacij, Euphemij, & Macedonij Conſtantinopolis Patriarcharum; itemque Zenonis, & Anaſtaſij execrandorum Principum, de tabulis Eccleſiæ juſſit eradi. *p.144.* præſtititque ut ſopitis noxijs contentionibus, divulſæ ab invicem Orientis & Occidentis Eccleſiæ in unum Corpus coaleſcerent.

## L.

Lactantius Firmianus, inter Scriptores Chriſtianos politiſſimus, Criſpi Cæſaris inſtitutor. *p.65. c.1.*

Ladiſlaus Hungariæ & Poloniæ Rex ejúſque variæ fortunæ. Vide ſuperius in *Elizabetha Sigiſmundi. p.517. n.39.*

Ladiſlaus alter, alijs dictus *Lancelotus*, à Ludovico Andegavenſi, cum quo de regno Apuliæ decertabat, acie vincitur: qua tamen victoria non opportunè uſus Ludovicus ſpe regni excidit. *p.483.* Idem Romam invadit & diripit, compulſo in fugam Ioanne XXIII. Pontifice. *p.483.*

Laurentius Diaconus Romanus Martyr ſub Valeriano & Galieno. *p.61. c.1.*

Leo Iſauricus bellum ſacrarum Imaginum cultoribus indicit. *p.300.*

Leo Quartus Copronymi filius, quum detractam è Templo B. M. Virginis olim à Mauricio dicatam coronam capiti ſuo impoſuiſſet, gemmis & carbunculis radiātem, naſcētibus inde anthracibus capite intumuit, & dira febri extinctus eſt. *p.301. n.3.*

Leo dictus VIII. Papa ſchiſmaticus Octaviano dicto Ioanne XII. exulante decretum cudit in Romana Pſeudoſynodo, præſente Othone I. quod eſt in Decreto Gratiani *in c. in Synodo, diſt.63.* quo defertur plena Othoni, ejúſque ſucceſſoribus poteſtas eligendi ac nominandi deinceps Romanum Pontificem. Et quamcunque Papæ electionem à Clero populóq; Imperatore invito factam pronunciat irritam. Et quoſcumque ſic eligentes excommunicat. Sancit inſuper cujuſcumq; Epiſcopi, vel Abbatis electionem, aut ordinationem habendam eſſe pro inani & invalida, niſi ex cōſenſu Othonis & ſucceſſorum eius geſta res fuerit. Quibus etiam

inveſtitu

Digitized by Google

inveſtiturarum jura indulget, dum ſint à ſimonia remotæ. *p.*367.

Leonides Origenis pater ſub Severo Martyr. *pag.*57. *col.*2.

Leporius Presbyter & Monachus Gallicanus, ab hæreſibus in quas prolapſus fuerat per S. Auguſtinum reſipuit. *p.*188.*n.*19.

Liberij Papæ lapſus in Conciliabulo Sirmienſi. *p.*89. *c.*2. *n.*21.

Longobardorum Italiam, impellente Narſete eunucho, invadentium hiſtoria. *p.*275.

Lotharius primus eo nomine Imperator inter liberos tres ſuas partitur Provincias. Penes primogenitum Ludovicum ſtetit Imperium, hoc eſt Italia. Lothario Franciam Orientalem, quæ Neuſtria vocabatur; Minimo autem ſcilicet Carolo Burgundiam, Lugdunenſem tractum, Viennenſem & Narbonenſem Provincias, finitimaſque his Alpes reliquit. Qua facta partitione, ipſe in Prumienſe Monaſterium ſeceſſit, in quo Monachus reliquum vitæ exegit. *Pag.*320. *num.*12. *&* *p.*321. *n.*14.

Lotharius illius primi Lotharij Imperatoris ſecundogenitus legitimam conjugem Theutbergam falſis criminibus inſimulatam repudiare inſtituit, ut cum ſua pellice Valdrada nuptias iniret. Eaque de re conventum aſſentatorum Epiſcoporum Aquiſgrani cogit, qui nuptias cum Valdrada permiſerunt. At Nicolaus Papa I. id improbans, alteram apud Mediomatrices Synodum indixit, quæ præter Pontificis ſpem Aquiſgranenſem confirmavit. Proinde Nicolaus coacto Lateranenſi Concilio, duo illa præcedentia damnavit. Quum vero Lotharius à fratre Ludovico Imperatore rogatus in Italiam ad ferendas contra Saracenos ſuppetias conceſſiſſet, atque Adriano II. qui Nicolao ſucceſſerat, coram ſacratiſſimo Sacramento pejeraſſet ſe à Valdrada abſtinuiſſe, ex quo ſibi fuerat à Nicolao prohibita illius conſuetudo, cum tamen oppoſitum cunctis perſpectum fuiſſet, receptus eſt ab Adriano in communionem. Sed tamen brevi pòſt tempore in ipſa Italia Deus perjurium & ſacrilegium ipſius morte ultus eſt. *p.*325.*n.*15.

Lotharius prior natu Ludovici Pij filius, defuncto patre, univerſam ſucceſſionem fratribus præripere volens, atrox bellum apparat, & fratre Pipino multis pollicitationibus in ſuas partes adducto, junctis ſimul viribus, uterque reliquos binos fratres Ludovicum Germanicum & Carolum Calvum prælio ad Fontiniacum (*Fontenay*) aggreditur: quo cæſa in acie perhibentur centum armatorum millia. Victoria tamen penes Ludovicum & Carolum hæſit. Lotharius vero contumax altero etiam prælio voluit experiri, quo tamen iterum eſt profligatus. Conſentiunt igitur quatuor fratres ad pacificam inter ſe Provinciarum diviſionem. Imperium, hoc eſt Italia Lothario obtigit cum Orientali Galliæ parte, pars vero Occidentalis Carolo obvenit, Ludovicus totam Germaniam ſibi aſcivit, Pipino attributa eſt Aquitania. Sed hic Pipinus qui primus in patrem Pium rebellaverat, & Caroli Calvi matrem Iuditham in Monaſterium compulerat, quique falſa ſpe deluſus præripiendæ Calvo debitæ partis cum Lothario fratre injuſta arma conjunxerat, Calvum habuit ultorem, qui rebus compoſitis Aquitaniam poſtea eidem præripuit, ſibique aſcivit. *p.*320. *&* 321.

Ludovici Pij ex priore uxore Irmingarde liberi Lotharius, Ludovicus, & Pipinus inviſam habentes novercam Iuditham, natúmque ex illa Carolum, quos in Monaſteria relegarunt, adverſus optimum parentem ſemel & iterum rebellant, conſpirantibus etiam haud paucis corruptis Epiſcopis, quos inter præcipui eminebant Ebbo Rhemenſis & Abogardus Lugdunenſis. At populus tanti facinoris horrore fremens Ludovicum Pium priſtinæ libertati & Imperio ſemel & iterum reſtituit, & Iuditham de Monaſterio eduxit. *p.*320.

Ludovicus Tranſmarinus ex Anglia paternum in regnum accerſitur poſt Eudonis intruſi obitum. Idem Normannos in Aquitania graſſantes aliquot prælijs reprimit. Lotharingiam de Othone Germaniæ Rege vindicare connixus, ejus & Hugonis Franci rebellis conjunctis armis repellitur. *p.*364.*n.*17.

S. Ludovicus Franciæ Rex ſtudio Chriſtianæ religionis incenſus, cum valida claſſe trajecto mari bellum Ægypti Sultano infert: primóque impetu Damietam expugnat. Sed in ejus caſtra locis paluſtribus ſita, & hoſtibus ſimul Nilóque circumcluſa, lues peſtifera, rerúmque omnium penuria inceſſit, adeout Franci paſſim interirent, & pauci ſuperſtites viribus exhauſti deficerent. Rex tamen intrepidus ejuſque fratres Alfonſus Pictavienſis, & Carolus Andegavenſis Comites fortiter pugnantes ab hoſtibus capti ſunt. Res tamen majori quam ſperabatur facilitate compoſitæ ſunt, Deo animos Infidelium ad humanitatem inflectente. Captivi convento pretio dimiſſi ſunt, eóque moderato, Damieta reſtituta, & induciæ in decennium firmatæ. Alteram tamen expeditionem Rex Sanctus in Africam exorſus eſt, caſtriſque ad Tunetum diſpoſitis, ingruente per exercitum peſtilentia Rex contactus ſpiritum Deo reddidit. *p.*422. *n.*14.

Ludovici Bavari Germaniæ Regis, & Ioannis XXII. Papæ diſſidia. *p.*480.*n.*7. *&* 8.

Ludovici XII. Francorum Regis bella cum Mediolanenſibus, cum Venetis, & cum Iulio II. & cum Rege Hiſp. Ferdinando. *p.*549. *& ſeqq.*

Lucianus Presbyter Antiochenus tranſlatione Græca ſacrorum Librorum celebris, martyrium ſubit Maximino perſecutore. *p.*85.

Lucia Virgo Siracuſana Martyr ſub Diocletiano. *p.*64.

Lucilla odio percita in Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum ſchiſma Donatiſtarum pro viribus promovet. *p.*81.*c.*2.

Lucius Pontifex Rom. ſub Valeriano Martyr. *p.*61. *c.*2.

Lucius Britanniæ Rex ab Eleutherio Papa expetit & impetrat prædicatores Chriſtianæ Religionis. *p.*57.*c.*1.

Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiarum perſecutio ſub Marco Aurelio. *pag.* 22. *col.*1. *numero* 10.

Lugdunenſis clades & incendium à Septimio Severo. *p.*57.*c.*2.

Lyſtrenſes Paulo & Barnabæ ut dijs ſacrificare volunt, & mox lapidibus in eos conjectis ex ſua urbe exigunt, exemplo celebri popularis inconſtantiæ. *p.*5.*n.*13.



Digitized by Google

# Notitiæ Eccleſiaſticæ

## M.

MAgnentius tyrannus ad Murſam acie vincitur à Conſtantio Imperatore. *p.90.c.1.*

Malchion Presbyter Antiochenus Paulum Samoſatenum in ſecundo Concilio Antiocheno diſputando vincit. *p.68.c.2.*

Manes hæreſiarcha juſſu Perſarum Regis excoria tus. *p.63.n.25.*

Marcianus Epiſcopus Arelatenſis Novatiani ſchiſmatis promotor. *p.61.c.1.*

Marcion hæreſiarcha. Ejus errores. Dictus à S. Polycarpo *primogenitus Diaboli. p.22.c.2.n.13.*

Manuel Comnenus perfidus Græcorum Imperator, Latinorum copias in Palæſtinam proficiſcentes diſperdidit. *p.395.n.18.*

Manaſſes Arelatenſium Epiſcopus quinque ſimul opimiores Epiſcopatus poſſidet. *pag. 367. num.26.*

Marcellinus Papa, compellente Diocletiani perſecutione, idolis thurificavit. *p.79.c.1.*

Mariæ Stuartiæ Scotorum Reginæ calamitates, & mors ab hæreticis. *pag.558.n.17. & p.557. num.15.*

Martini Lutheri hæreſis Germaniam & Septentrionis regna pervertit. *p.554.n.11.*

Marcus Evangeliſta miſſus à Petro Alexandrinam fundat Eccleſiam. *p.3.c.2.n.9.*

Marcus Aurelius Imperator ab hoſtibus inter anguſtias interceptus liberatur, & vincit, orationibus Chriſtianæ legionis. *p.21.c.2.* Idem tamen calumnijs adverſus Chriſtianos circumventus eos dirè perſequitur. *p.22.c.1.n.10.*

Martyres inſignes ſub M. Aurelij perſecutione. *Ibid.*

Martyres ſub Licinij perſecutione. *p.85.*

Martyres ſub Domitiano inſigniores. *pag.7. col.2.*

Martyrius Antiochiæ Epiſcopus orthodoxus à Petro Cnapheo Eutychiano vi depellitur, qui ejus invadit Eccleſiam. *p.189.n.23.*

Martina Virgo Romana Martyr ſub Alexandro. *p.58.c.1.*

Matthæus Apoſtolus quandonam primus Evangelium Hebraïcè conſcripſit. *p.3.c.1.*

Matthias in locum traditoris Judæ ſufficitur. *p.1.c.1.*

Mauricij Imperatoris à Phoca rebellante calamitas, & mira patientia. *p.276.n.3.*

Mauvia Saracenorum Regina fuſis Valentis copijs, Moïſem obtinet orthodoxum Epiſcopum. *p.92.n.31.*

Maximianus Herculius dum Conſtantino genero inſidias ſtruit, hujus juſſione Maſſiliæ perimitur. *p.83.c.2.*

Maximinus Imperium invadit. Eccleſiam perſequitur. A ſuis apud Aquileiam occiditur. *p.59.n.9.*

Maximus tyrannus Gratianum Auguſtum Lugduni per Andragathium interimit. *p.92.*

Sanctus Maximus typo impij Conſtantis obſiſtens, linguâ & dexterâ abſciſſis exulat. *p.278. num.8.*

Meletianum ſchiſma, cui ſe Arius adjunxit adverſus Petrum Alexandriæ Epiſcopum. *pag.85.*

Menander Simonis Magi diſcipulus. *pag. 7. col.1.*

Mennas orthodoxus, invita Theodora, ab Agapeto Papa ordinatur Conſtantinopolis Epiſcopus, extruſo Antimo Eutychiano. Idemque Synodum Conſtantinopoli pro ſtabilienda Catholica contra Eutychianos fide convocat: ſatagitque ut Ieroſolymitanus Antiſtes ſimilem apud ſe Synodum convocet. *p.245.n.17 & p.259.*

Michaël dictus Porphyrogenitus matrem Theodoram eximiæ virtutis à regni miniſterio amovet, remiſſa omni cura in nequiſſimum hominem Bardam, ſeque prorſus luxurijs & crapulæ addicit. Deinde Bardam ipſum ob ejus ſuperbiam peroſus per Baſilium interimit, cui confert Imperij dignitatem. Cum vero Baſilius Michaëlem admoneret officij, eum Michaël mandat quoque interfici. Sed admonitus Baſilius ab illo cui demandata fuerat ſui interfectio, Michaëlem de medio tollit, ejúſque ſibi aſciſcit Imperium. *p.303.*

Michaël Cerularius Patriarcha Conſtantinopolis ſcriptis libris Eccleſiam Romanam oppugnat. Sed Leo Papa IX. Legatos Conſtantinopolim mittit ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum, quos iſte benignè ac perhonorificè excepit. Princeps Legationis eximij ingenij & prudentiæ vir erat, quem Pontifex ſecum ex priſtina Diœceſi Tullenſi Romam adduxerat, Humbertus Sylvæ-candidæ Epiſcopus Cardinalis. Iſte congreſſum cum Patriarcha petijt. At ille ſibi diffidens Nicetam cœnobij Studitarum Monachum librorum ſub nomine Patriarchæ editorum autorem protulit, qui palam diſputatione convictus converſúſque palinodiam publicè dixit. Cerularium verò pertinacem tres Legati publicè Conſtantinopoli excommunicarunt. *pag.371. & 372. n.10.*

Michaël Palæologus Conſtantinopolim Latinis eripit. *p.421.n.13.* Romanam Religionem per literas & Oratores in Concilio Lugdunenſi I. profitetur, metuens, ne inſtigante æmulo ſuo Carolo Andegavenſi quidquam in Concilio Gallicano adverſum ſe decerneretur. Qua etiam ex cauſa metûs, internuncio uſus Joanne Prochyta Monachi veſte induto, Petrum Aragoniæ Regem ad eripiendum Carolo Andegavenſi Siciliæ regnum impulit, in quo Franci omnes improviſi ad ſignum veſpetarum Paſchalium trucidati ſunt. *p.422.c.2.*

Michaël Balbus. Vide *in B. p.319.*

Montanus hæreſiarcha ſe Paracletum jactat. *p.23.c.1.* Idem Zephyrinum Papam ſua hypocriſi circumvenit, qua demum detecta ab eodem damnatur. *Ibid.*

## N

NArſes Eunuchus Gothos Italiâ pellit. Deinde injuria offenſus Longobardos in Italiam evocat. *p.275.*

Neapolitana hiſtoria à regno Caroli Claudi ad Joannam ſecundam. *p.481. & 482.*

Nero Romam incendit: ejuſque conflagrationis Chriſtianos criminatur, diriſque torquet ſupplicijs. *p.6.n.19.*

Nero à Senatu damnatus ſe ſuo pugione conficit. *p.6.c.2.*

Neſtorianæ hæreſis hiſtoria. *p.187.c.2.*

Nicolaïtæ ſpurciſſimi hæretici, *p.7.c.2.*

Niſibis à Perſis obſeſſa miraculosè à ſuo Epiſcopo Jacobo liberatur. *p.9.n.24.*

Ad

Ad Nicopolim ſtrages Francorum à Bajazethe ex gravi culpa & intempeſtiva Comeſtabilis iracundia. *p.*484.*n.*20.

Ad Novariam Franci acie Mediolanenſes ſuperant, urbemque Novariam cum arce deditione capiunt. Unde Mediolanenſium Dux Ludovicus Sforcia cognomine *Maurus* inter egredientes Helvetios deprehenſus, ejuſque frater Cardinalis Aſcanius Sforcia captivi in Franciam abducuntur. Ludovicus decennio captivus in Lochienſi arce moritur. Aſcanius autem beneficio Georgij Amboſij liber dimittitur. *p.*549.*& ſeq.*

Normannorum Dux Rollo Neuſtriæ (quæ deinceps dicta Normannia) Provinciam à Carolo ſimplici Francorum Rege ſub fide clientelæ obtinet, ſumpta in uxorem Giſla Caroli Regis filia. Ipſe Rollo cum ſuis Baptiſmum fidemque Chriſtianam ſuſcipit operâ Franconis Rotomagenſium Epiſcopi. *p.*364.*n.*15.

Normanni ex Gallia profecti numero pauci Siciliam, Apuliam, & Calabriam incredibili virtute Saracenis & Græcis eripiunt, ſibique armis aſſerunt, conſentiente demum Apoſtolica Sede, cui ſe tributi & clientelæ nomine ſubjiciunt. *p.*371.

Novatiani adverſus Cornelium Pontificem ſchiſma & hæreſis. *p.*60.*c.*2.

Novi Orbis regiones in Oriente & Occidente Caſtulonenſium & Luſitanorum navigationibus deteguntur. *p.*559.*c.*1.

Numerianus inſidiis Apri ſoceri ſui occiditur. *p.*63.*n.*26.

## O.

ODenatus Palmyræ Rex Niſibim & Carra, & Meſopotamiam de Perſis à ſe fugatis recuperat. Ideoque à Gallieno in conſortium Imperij aſſumitur. Cui defuncto ſuccedit magni animi conjunx Zenobia. *p.*68.*n.*4.

Odoacer Turcilingorum Rex, Romano extincto Imperio regnat in Italia. A Theodorico Rege Oſtrogothorum vincitur, & necatur. *p.*192. *num.*19.

Oneſimus Epheſi Epiſcopus Martyr ſub Trajano. *p.*20.*c.*2.

Ordinum Militarium inſtitutiones, Templariorum, Hoſpitalariorum, & Militum S. Ioannis Baptiſtæ, Teutonicorum, Livonienſium. *p.*356. *num.*11.

Ordinis Cluniacenſis per Abbatem Bernonem exortus. *p.*366.*n.*22.

Ordinum aliorum cœnobiticorum origines. *p.*397.*n.*21.*& p.*423.*n.*17.

Origenes ſe ipſum caſtravit. Idem libros ſuos erroribus inſperſit, ideoque à Demetrio Alexandriæ Epiſcopo damnatur. *p.*58.*c.*2. Sine dimiſſoriis Epiſcopi ſui Demetrij ordinatur ab Epiſcopis Cæſarienſi & Hieroſolymitano, unde gravis inter eos contentio exorta. *Ibid.*

Oſius Cordubenſis Epiſcopus cum plena poteſtate in Orientem pro Eccleſiarum pace delegatus Concilium Alexandriæ convocat, eique præſidet, pariterque Nicæno. *p.*86.

Oſij lapſus in Sirmienſi Synodo. *p.*89.*c.*2.

Otho à Vitellio Imperio ſimul & vita privatur. *p.*6.*c.*2.

Otho primus Saxo à Ioanne Papa XII. inſignia cepit Imperij, Bohemos Slavoſque perdomuit. De Lotharingis, Flandris, Belgis, & Francis inſignes victorias refert. Idem Berengarium regno privat Italiæ. Adelbertum Berengarij filium acie fudit. Græcos Apulia & Calabria vincendo exigit. *p.*363.*n.*10.*&* 14.

Otho II. prioris filius adverſus Græcos Saracenorum auxiliis Apuliam & Calabriam repetentes infeliciſſime dimicat, quo ex prælio vix fuga evaſit, & Romæ ex mœrore diem obiit extremum. *p.*263.*n.*14.

Otho III. à Gregorio Papa V. natione Germano Romæ coronam accepit Imperij. Ambo ſimul cum eſſent affinitate conjuncti, convocato Romæ Concilio cujus acta interciderunt, ea tractarunt, ut ſcribit Sigibertus, quæ ad Imperij jura & regimen pertinent. Cumque Othoni nulla ſpes prolis eſſet, ne eo defuncto Germania Principum & populorum contrariis ſtudiis diſcinderetur, ibi conſtitutio facta creditur de facienda Imperatoris electione à Septemviris Principibus. *p.*368. Idem Creſcentium qui ſe Romanum prætexens Conſulem arcem Sancti Angeli occuparat, populumque tyrannide premebat, eductum ex arce ſub juramenti fide promiſſâ vitâ, contra fidem decollari fecit: cujus perfidiæ expiandæ causâ, ex præſcripto S. Romualdi, de monaſterio Claſſenſi apud Ravennam nudis pedibus aduſque montem Apuliæ Garganum, in quo ædes erat S. Michaëli dicata, peregrinatus eſt, totâque Quadrageſima in eodem Claſſenſi monaſterio incluſus rigidam pœnitentiam complevit. *p.*368.

Otho IV. primùm ab Innocentio III. Papa expetitus & coronatus, deinde contra fidem Romana jura violans excommunicatus, bellum movet adverſus Philippum Auguſtum Franciæ Regem, à quo gravi internecione victus ad Bovinas oppidum in fugam vertitur. *p.*418.*n.*2.

## P.

PAlæſtinæ recuperandæ gratia multiplicia ſacra bella. *p.*426.*&* 427.

Pantænus Alexandrinæ ſcholæ moderator ab Alexandrino Antiſtite in Indiam mittitur ad prædicandum Evangelium. *p.*64.*n.*31.

Pamphilus apud Cæſaream Palæſtinæ Martyr ſub Maximino. *p.*85. hujus ſibi nomen aſcivit Cæſareenſis Euſebius; ſicut Cæcilij Cyprianus.

Paulus Apoſtolus collectas eleemoſynas in Iudæam fame laborantem tranſportat. *p.*4. *c.* 1. Corinthi anno & ſemeſtri prædicat. Et per triennium Epheſi. Et in Græcia & Macedonia. Accuſatur à Iudæis primùm apud præſidem Iudææ Felicem, ejuſque ſucceſſorem Feſtum, à quo Cæſarem appellat. Ideóque Romam deducitur ubi ſub cuſtodia detinetur. Apud Romam denique decollatur ſub Nerone, quo etiam die Petrus crucifigitur. *p.*4.*n.*1.11.12 *& p.*7. Pauli excurſiones ad diſſeminandam Chriſti fidem. *p.*4.*&* 5.

Paulus & Silas prohibentur à Spiritu Sancto evangelizare in Aſia & Bithynia: & jubentur prædicare in Macedonia. *p.*5.*n.*16. Idem Philippis in Macedonia flagellis cæduntur, & in cuſtodiam traduntur, ſed cuſtodem cum tota familia baptizant, & inde liberi dimittuntur. *pag.* 5. *cap.* 2. *num.*16.

Paulus peragrata Macedonia Athenas ingreditur, ductuſque in Areopagum, Dionyſium Areopagitam & Damarim cum aliis Chriſto adjungit. *p.*6.

Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus Chriſti Divinitatem impugnat. *p.* 61. tandemque incorrigibilis ab Eccleſia & Sede expellitur. *Ibid.*

Paulus Conſtantinopolis Epiſcopus, perſequentibus



Digitized by Google

tibus Arianis, quatuor exagitatus moleſtiſſimis exilijs & carceribus, Cucuſi demum inter deſerta Tauri montis inedia & frigore ſemimortuus in tetro carcere ſtrangulatur. *p.*88.*n.*18.

Pelagianæ hæreſis hiſtoria. *pag.*186. *n.*16. *&* *p.*187. *c.*1.

Pelagij pueri annorum tredecim mirabilis in martyrio à Saracenorum Rege illato conſtantia. *p.*366. *n.*24.

Peſtis teterrima toto orbe graſſata ab Imperio Galli & Voluſiani aduſque regnum Aureliani, quæ etiam Claudium Imperatorem abſtulit. *p.*62. *col.*2.*n.*23. *&* 24.

Petri Apoſtoli duabus primis prædicationibus octo millia hominum Ieroſolymis ad Chriſti fidem convertuntur. *p.*1.*c.*2.

Petrus & Joannes Apoſtoli Samariam adeunt, ut manus baptizatis à Philippo Diacono imponant. *p.*2.*n.*4.

Petrus Apoſtolus Lyddæ prædicat, ibique Æneam paralyticum ſanat. In Joppe Tabitham reſuſcitat à morte. Cornelium centurionem divino admonitu Cæſareæ catechizat & baptizat. *pag.*2. *num.*7.

Petrus Antiochenæ Eccleſiæ ſexennio præfuit, inde Romam ſub Imperio Claudij accedit. *pag.*3. *col.*1.

Petrus è carcere Herodis ab Angelo mirabiliter educitur. *p.*3.

Petrus Romanam Eccleſiam rexit annis vigintiquinque. *p.*3.

Petri Romana in Sede ſucceſſor veroſimilior Linus, deinde Cletus, poſteà Clemens, poſtmodum Anacletus. *p.*6. *n.*22.

Petri Alexandriæ Epiſcopi ſub Maximino martyrium. *p.*85.*c.*2.

Petrus de Luna, præcipiti conſilio, Avenione, defuncto Roberto Genevenſi ſubſtituitur. *p.*501. *num.*4.

Petri Leonis ſub *Anacleti* nomine Schiſma contra Innocentium II. *p.*391. *n.*7. *&* 8.

Petrus Cnapheus, expulſo per ſeditionem Martyrio orthodoxo Epiſcopo, ejus invadit Sedem, & Eutychianam hæreſim promovet. *p.*189.*n.*23.

Philippus Diaconus Samariæ prædicans multos ad Chriſtum convertit, & baptizat. *pag.*2.*n.*4. Eunuchum etiam Candacis Reginæ Æthiopum cœleſti monitu inſtruit, & baptiſmo abluit. *pag.*2. *n.*5.

Philippus Gordiano occiſo Imperium occupat: Sed & ipſe cum cognomine filio occiditur. *p.*59. *col.*2.

Philippus I. Franciæ Rex repudiata legitima uxore Bertha, cum pellice Bertrada ſacrilegas nuptias init, ideoque ab Urbano Papa II. in duobus Franciæ Concilijs Oſtionenſi & Arvernenſi excommunicatur. *p.*348.*n.*3.

Philippus Auguſtus Franciæ Rex, repudiata conjuge Gerberga, nuptias cum Maria Moraviæ Ducis filia contrahit. Ideoq; à Celeſtini Papæ III. miſſis in Franciam Legatis ſupponitur Interdicto, unà cum univerſo regno in Concilio Divionenſi: ipſeque tandem Rex Gerbergam revocat, & Mariam ad ſuos remittit. *p.*349. *n.*5.

Philippi Pulchri Franciæ Regis, & Bonifacij Papæ VIII. diſſidia. *p.*479. *c.*1.

Phocas Mauricium Imperat. cum omnibus ejus liberis trucidat, & Imperium invadit, à quo mox eum Heraclius ſimul & vita ejicit. *p.*176.*n.*4 *&* 5.

Photius Conſtantinopolis Pſeudopatriarcha anathematizatur à Nicolao primo, ab Adriano II. & à Ioanne VIII. qui eum inexcuſabili facilitate defuncto S. Ignatio, quem Photius iniquiſſimè fuerat conſectatus, ſeque in ejus Sedem intruſerat, ſubrogari rogatu Baſilij Græcorum Imperatoris ſine ulla Photij emendatione, aut tantillo pœnitentiæ indicio conſenſerat. Eumdem Synodus VIII. generalis pariter reſtituto in Sedem Ignatio pariter anathemate damnarat. *p.*350. *n.*7. *&* 8. *&* *p.*355.

Phrygiæ urbs circumfuſo Maximini exercitu in odium Legionis Chriſtianæ cum ſuis omnibus incolis incenditur. *p.*85.*c.*2.

Pipinus Hereſtallus Francorum Princeps Borealium regionum converſionem ad Chriſtianiſmum plurimum adjuvit, tum armis quibus Ratbodum Friſonum Regem Evangelij prædicationi obſiſtentem perdomuit; tum opibus & omni favore. *p.*300.

Pipinorum Francica proſapia. *Ibid.c.*2.

Pipinus Martelli filius, abdicato ob ignaviam Chilperio, eligitur Franciæ Rex. *pag.*303.*n.*10. Idem rogatus à Stephano Pontifice, quem Longobardorum Rex Aſtulfus aſperrimo bello infeſtabat, in Italiam contendit, Romam Aſtulfi obſidione liberat: multas & opulentas ditiones Aſtulfo eripit, eaſque unà cum exarchatu Ravennæ, quem Aſtulfus Græcis ademerat, in Eccleſiæ Romanæ dominium transfert, poſtquam Aſtulfum Ticini (quæ nunc *Papia* dicitur) obſeſſum in ſuam redegit poteſtatem. Erat vero Ticinum Regum Longobardorum Sedes, quemadmodum fuit Ravenna Odoacri & Oſtrogothorum atque Exarchorum Sedes. *p.*303.*n.*11.

Plinij relatio de Chriſtianis ad Trajanum, & hujus reſponſio. *p.*20.*c.*1.

Poloni, vita functo Mieſlao Rege, viduam ejus cum infante Caſimiro ejiciunt. Infans in Franciam defertur incognitus, & diſcendi factus capax literis operam dat; Monachúmque profitetur Cluniaci ſub Abbate Odilone, atque Diaconus conſecratur. Interim Poloni facta diligenti perquiſitione, quum de regno in diverſas partes diſſidentes civili bello periclitarentur, neque pax inter eos iniri poſſet niſi Regia promotione Caſimiri, in quem univerſi conſentiebant, ſi modo uſpiam gentium poſſet reperiri, addiſcunt tandem verſari illum apud Cluniacum, miſſaque Legatione ad Odilonem repetunt Caſimirum ad regnum, qui tamen renuit abſolutè ſuum conſenſum. At Legatis conſilium dat Odilo Romam adeundi, & Pontifici unanimem populorum petitionem exponendi, & bella civilia toto regno inevitabilia, niſi votis ipſorum accedat Caſimirus. Quinimo neque diuturnam fore populorum quietem, ſi cœlebs, nulláque relicta de ſe prole vita excederet Caſimirus, ac proinde neceſſe eſſe ut vota quibus erat obſtrictus laxarentur. His maturè perpenſis, Caſimirum à gemino voto tum Monaſticæ profeſſionis, tum ſacri Ordinis diſpenſat, quin etiam diſtrictè jubet ut oblatum ſibi regnum recipiat. Is erat Papa Benedictus IX. cui ille obtemperans pacem & felicitatem in Poloniam invexit. *p.*170.*n.*6.

Polonia per matrimonium puellæ Heduvigis hæredis regni cum Iagellone Lithuaniæ Principe, & Provincijs novis augetur, & Iagello ſecundum conditionem ab Heduvigi propoſitam & requiſitam

Digitized by Google

requiſitam unà cum ſubditis baptiſmo abluitur. *p.385.n.11.*

Polixenus. Vid. *Xenaias. p.243.n.13.*

Potamienæ Virginis admirabile ſub Maximino martyrium. *p.85.c.2.*

Priſci hiſtorici Græci relatio de duobus Clodionis liberis de paterni regni ſucceſſione inter ſe contendentibus, quorum qui major natu erat totum ſibi vindicabat, at junior medietatem ſibi poſcebat regni, atque ab Aëtio adoptatus ſuas cum illo vires junxerat: ſub Attila verò Senior frater cum ſibi adhærentibus Francis militabat. *pag.194.*

Priſcilliani Hiſpani Epiſcopi hæreſis Concilijs damnata, ipſeque hæreſiarcha Ithacio Epiſcopo ipſum reum poſtulante judicio Maximi uſurpatoris Imperij capite damnatus eſt, *p. 93.*

Probus multis adeptis victorijs pacem firmat Eccleſiæ. *p.63.*

Q

QUadrati pro Chriſtianis Apologia. *pag. 23. num. 16.*

Quintæ Synodi hiſtoria, *p.264.*

R

RAchiſius Longobardorum Rex, tranſlato in fratrem Aſtulfum regno, Monachus in Monaſterio Montiſcaſſini efficitur. *p.303.n.9.*

Radagaiſius Gothorum Rex cum ducentis armatorum millibus intra Feſulanos montes concluſus, à Stilicone profligatus eſt, ibique perijt nulla Romanorum cæde, vel jactura. *p.181.*

Ramirus Alfonſi cognomento *Caſti*, Leonis & Gallæciæ Regis filius & ſucceſſor, conſerta acie ſeptuaginta Maurorum millia delevit. *p.314.n.25.*

Ravenna Regia Sedes Odoacri primùm, deinde Regum Oſtrogothorum. *p.192. n.29.* Eadem Sedes fuit Exarcharum. *Ibid.*

Roberti Franciæ Regis pietas & eximiæ dotes. *p.365.n.21.*

Roberti Guiſcardi Normanni admiranda belli facinora. *p.372. & 373.*

Ricardus Angliæ Rex ad ſacrum bellum in Orientem profectus Cyprum Græcis eripit, eámque tradit Guidoni Luſiniano, in commutationem juris Guidoni competentis ad regnum Ieroſolymitanum, quo ille fuerat à Saracenis ſpoliatus. Sed dilapſis demum viribus, poſt captam à ſe Ptolemaïdem in patriam revertit. Verum tempeſtate ad oram Iſtriæ pulſus capitur ab infenſo ſibi Marchione Auſtriæ Leopoldo, eo quod quum prior Ptolemaïdis propugnaculum ſuorum virtute occupaſſet, inde fuiſſet à Ricardo ejectus. Marchio poſtmodum eumdem Henrico Imperatori petenti tradidit, à quo diu in vinculis detentus eſt, donec ſe ille ingenti pretio redemiſſet, violatis ſacri belli promiſſis inter Principes inducijs. *p.419.n.6.*

Rodolphus Harpurgenſis Comes, ſtirps ultimæ gentis Auſtriacæ Regum feraciſſimæ, electus Germaniæ Rex, Ottocarum Bohemiæ Regem ſibi rebellantem vicit ac repreſſit: ſed rebellionem iterum inſtaurantem altero conflictu in quo mortem Ottocarus oppetijt, ſuperavit: ſicque Auſtriam, quæ fuerat Ottocari, Rodolphus Alberto filio ſuo conceſſit. Helvetios etiam & Burgundiones jugum detrectantes repetitis prælijs attrivit. *p.422.n.15.*

Romanus Diogenes inſignem à victo Turcarum Sultano, quem ipſe bello provocarat, expertus eſt humanitatem: à ſuis tamen Græcis crudeliſſima morte innocens perimitur. *pag.373. & ſeq.*

Rodericus Viſigothus Hiſpaniarum Rex ſuis ſtupris dedit occaſionem Saracenis Hiſpanias invadendi. *p.302.n.6.*

Rotadus Sueſſionenſis Epiſcopus quàm dira paſſus ab Hincmaro Remenſi. *p.344. & 345.*

S

SAbellius hæreſiarcha unicam in Deo perſonam aſtruit. *p.62.*

Sauli apud Damaſcum admirabilis converſio. *p.2. n.6.*

Schiſmata Feliciſſimi & Fortunati adverſus Cyprianum Carthaginenſem. Donati adverſus Cæcilianum. Novatiani adverſus Cornelium. *p.60.* Alia vide *p.391. & p.482.*

Schiſma inter Laurentium & Symmachum Papam. *p.240.*

Scriptores Eccleſiaſtici ſecundi ſæculi. *pag.23. n.15. & 16.*

Sæculi Tertij. *p.64.n.31.*

Sæculi Quarti. *p.94.n.39.*

Sæculi Quinti. *p.192. & 193.n.30.*

Sæculi Sexti. *p.248.n.25.*

Sæculi Septimi. *p.279.n.14.*

Sæculi Octavi. *p.305.*

Sæculi Noni. *p.324. & 325. n.26.*

Sæculi Decimi. *p.368.n.32.*

Sæculi Undecimi. *p.375.*

Sæculi Duodecimi. *p.397. & 398.*

Sæculi Decimitertij. *p.424. & 425.*

Sæculi Decimi quarti. *p.485. & 486.*

Sæculi Decimiquinti. *p.519.*

Sæculi Decimiſexti. *pag.564.*

Sanguine Chriſti in atramentum inſtillato ſcriptæ aliquot impiorum condemnationes. *pag.350. num.8.*

Sacri belli pro recuperanda Palæſtina Duce Gotofrido Bullionio hiſtoria. *p.374. & ſeq.*

Saraceni ex Mauritania à Juliano evocati Hiſpanias diluvij inſtar inundaverunt anno 712. *p.302.*

Saraceni Leontio tyranno Imperium Conſtantinopolis occupante Carthaginem expugnant, indeque dominatum ſuum uſque ad Oceanum promovent an.698. *p.279.n.11.*

Saraceni ex Hiſpania accerſiti ab Eudone Aquitaniæ Duce in Gallias, ductore Abderamo, ſe effudêre, quorum prodigioſam ſtragem repetitis prælijs edidit Carolus Martellus. *p.301.n.7.*

Saturninus hæreticus Simonis Magi diſcipulus. *p.7. c.2.*

Scotiæ calamitates ab hæreticis Jacobo Stuartio notho & Joanne Cnoxia Calvini diſcipulo. *p.558.n.17.*

Septimius Severus Eccleſiam perſequitur. Ejus adverſus Lugdunum immanitates. *p.57.c.2.*

Sergius Paulus Cypri Proconſul viſo Elyma Mago divinitùs excæcato Chriſti fidem ſuſcipit. *p.4. n.13.*

Severus Acephalorum ſectæ ſignifer Anaſtaſio chariſſimus Flavianum orthodoxum Antiochena Sede pellit, quam ipſe per vim invadit, Epiſcopos, & Sacerdotes inſectatur & deponit. Heliam

Ieroſoly

Ieroſolymorum Epiſcopum Catholicum ſede ejicit. p.143. n.13.

Sebaſtiani Luſitaniæ Regis Africana expeditio, infauſta pugna qua tres conciderunt Reges; ipſe ſcilicet, & Muleius, & Abdimelechus Saraceni. p.562. num.30.

Sicilia quomodo à Suevis ad Francos, & ab his ad Aragones tranſijt. p.421. & ſeqq.

Sigiſmundus Burgundionum Rex, peracta in Agaunenſi Monaſterio à ſe condito pœnitentia de nece, quam primogenito ſuo Sigerico inſtigante noverca injuſtè intulerat, bello victus & captus à Clodomiro tetrarcha Franco Rege, in altum puteum cum ſecunda illa uxore & filijs, quorum gratia Sigericus peremptus fuerat præcipitatur. pag. 246. c.2.

Sigiſmundus Hungariæ Rex, ejecto ob ſegniciem & crapulam fratre Venceſlao natu majore, creatur Imperator multis virtutibus commendabilis. p.501.n.3. Idemque Conſtantienſe Concilium mira conſtantia & ſedulitate promovet. *Ibid.*

Simeon Cleophæ filius Ieroſolymitanam, poſt Jacobum minorem, rexit Eccleſiam. p.6. n.21. Sæviente Trajani perſecutione idem ſenex centum & viginti annorum crucifigitur. p.20.c.2.

Simon Magus pecunia emercari vult donum conferendi Spiritum ſanctum. p.2.n.4. Idem ad preces Petri præcipitio interit. p.6.n.20.

Stephanus Diaconus à Judæis lapidatur. pag.2. num.4.

Stephanus Papa ſub Valeriano & Galieno Martyr. p.61.c.1.

Sixtus Papa ſub ijſdem Imperatoribus Martyr. *Ibid.*

Stiliconis & Rufini præfectorum, (hic Orientalis, ille Occidentalis Imperij) mutuæ æmulationes & ambitiones exitio utrique Imperio fuere. Ambo enim ut ſibi viam ad Imperium munirent, & continuo exercitibus præeſſent, Barbaros certatim ad prædam utriuſque Imperij accivere, conſilia occulta cum illis communicarunt, cumque poſſent eos internecione delere, levibus contenti victorijs, eoſdem intra ditiones Imperij opibus & conſilijs fovebant. p.181.

Sylveſter Papa II. prius dictus *Gelbertus*, primum Archiepiſcopus Remenſis; quo ex gradu dejectus, fit Archiepiſcopus Ravennas, tandemque Romanus Pontifex. p.369.n.1.

Solimannus Turca Belgradum, Rhodum, Budam, Albam-Regalem, aliáque deinceps Pannonum oppida & arces expugnat. Idem Ludovicum Hungariæ Regem acie vincit & occidit. pag.557. num.15.

## T

Tancredi ab Altavilla Normanni filiorum bella & victoriæ de Saracenis & Græcis. pag.372.

Tatianus Iuſtini Philoſophi primùm diſcipulus, poſtea hæreticus Encratites. p.23.c.1. & 2.

Tertullianus à Montaniſtis infatuatus. p.23.c.2.

Theodoricus Oſtrogothorum Rex, in gratiam Amalarici ex filia nepotis, Francos, ne in Provinciam Romanam cis Rhodanum erumperent, cohibet, cogitque ab obſidione civitatis Arelatenſis diſcedere. p.242. Idem Ioannem Summum Pontificem, Symmachum Senatorem, ejuſque generum Boëtium eximij meriti viros trucidat. p.244.c.1.

Theodoſius Hiſpanus à Gratiano in conſortium vocatur Imperij, & Maximum tyrannum acie victum occidit. p.92.c.2. Idem alterum tyrannum Eugenium, qui per Arbogaſtum Viennæ in Gallia Valentinianum Gratiani fratrem occiderat, conſerto prælio vicit, & morti addixit. Arbogaſtus verò rebus ſuis deſperatis mortem ſibi conſcivit. p.93.n.36. Idem Antiochenis metu conſternatis, veniam ſeditionis, deprecante Flaviano eorum Epiſcopo, indulget. Ex oppoſito Theſſalonicæ, quæ per ſeditionem præfectum Illyrici necaverat, cædem promiſcuam indixit: qua ex cauſa Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus eidem ab Eccleſiæ acceſſu prohibito publicam indixit pœnitentiam, quam humiliter adimplevit. pag.93. col.2.

Theophilus Alexandrinus perverſe inſectatur Iſidorum, & Anachoretas, & Ioannem Chryſoſtomum. p.183. & p.186.

Theophilus Antiochenus Epiſcopus multa Religionem ſpectantia ſcribit. p.23. & 24.

Theophylactus Conſtantinopolis Patriarcha perditiſſimè vir nequam. Ejuſdem in alendis equis inſania. p.266. & ſeq.

Timotheum Paulus circumcidit, ſibique comitem adjungit. p.5.n.15.

Timotheus Ælurus Proterium Epiſcopum Alexandrinum obtruncat, ejuſque Sedem occupat. p.189.n.21.

Timotheus Solophaciolus ab orthodoxis eligitur Æluri mortui ſucceſſor in Alexandrina Sede: ab hæreticis autem Petrus Moggus hæreticus, qui Zenonis Imperatoris gratia fretus prævaluit. pag. 189. num.23.

Titus Imperator dictus humani generis deliciæ. pag.7. n.24. Idem Ieroſolymam expugnat. *Ibid.*

Totila ultimus Oſtrogothorum Rex à Narſete Eunucho acie ſuperatus & fortiter pugnans occiditur, p.246.n.19.

Trogolipix Turcarum Princeps Perſidem ſubjugat. p.371.n.8.

Trajanus Imperator tertiam adverſus Chriſtianos movet perſecutionem. p.20.c.1.

Traſamundus Vandalorum Rex Arianus Catholicos diriſſimè inſectatur. Et Fulgentium alioſque orthodoxos Epiſcopos in Sardiniam omni exutos ſubſidio relegat. p.241. c.1.

Trium capitulorum hiſtoria. p.263. & 264.

Turcarum origines & progreſſus. pag.371. n.8, & pag.484. n.19.

## V.

Valens ejuratâ Catholicâ fide fit Arianus. Catholicos aſperè perſequitur. Victúſque à Gothis in tugurio, quò confugerat, vivus comburitur. p.91.n.28. & 29.

Valentinianus I. Imperator proclamatus, Valenti fratri adhuc Orthodoxo ceſſit Orientis Imperio: Duos ſibi reliquit ſuperſtites liberos Gratianum, & ex ſecunda uxore Iuſtina Ariana Valentinianum juniorem. p.91.

Valentinianus II. ab Arbogaſte occiditur Viennæ in Gallijs. p.93.n.36.

Valentinianus III. intentato uxori Maximi Senatoris ſtupro, & interfecto hortatu ipſius Maximi Aëtio, ſeditionem in ſe militum commovet, ob quam interficitur Valentinianus. Maximus verò,

Digitized by Google

verò, ſublato Valentiniano, & qui eidem ſucceſſiſſet multo potior meritis & populorum gratia ſucceſſurus erat Aëtio, procurat ſibi Imperium ſuis cum Eudoxia Auguſta nuptijs. *p.191. n.27.*

Valerianus Auguſtus à Sapore Perſarum Rege dolo interceptus, quaſi fera caveâ includitur: cujus dorſum Sapores equum conſcendens proculcare ſolebat: & demum quum filius ejus Galienus patris redemptionem negligeret, vivus excoriatur. *p.61.c.1.*

Vandali ab Eudoxia Auguſta in execrationem Maximi accerſuntur in Italiam ſub eorum Rege Genſerico, & Romam captam diripiunt. *pag.191. c.1.* Vandalorum variæ excurſiones. *Ibid.*

Vandalicæ contra Eccleſiam perſecutiones ſub Genſerico Hunnerico & Thraſamundo regibus. *Ibid. c.2.*

Venetijs pax ſancita inter Alexandrum III. Papam & Fridericum Ænobarbum Imperatorem. *p.395. n.16.*

Vitiges Oſtrogothorum Rex à Beliſario victore captus Conſtantinopolim ad Juſtinianum abducitur. *p.246. n.19.*

Vittichindus Saxo qui toties à Carolo Magno profligatus, inceſſanter rebellarat, excluſus demum Saxonia, Angriano Ducatu donatus à Carolo fuit, ejuſque hortatu relictis idolis Baptiſmum ſuſcepit. *p.305.*

Vitellius Imperio deturbatur à Flavio Veſpaſiano. *p.6.c.2.*

Victor Papa ſub Severo Martyr. *p.57.c.2.*

Urbanus Papa II. ſacram promulgat in Orientem expeditionem in Concilio Claromontano. *pag.374.*

Uladiſlaus Poloniæ Rex: Vide in *Eliſabetha Sigiſmundi.*

## X

Xenaias Perſa Eutychianus, Manichæus, primúſque Iconomachus, Anaſtaſio Imperatori chariſſimus. *p.243.n.13.*

## Z

Zenobia cum conjuge Odenato Palmyrenorum Rege, quem Galienus Imperij conſortem fecerat, ut Orientis Provincias contra Perſarum inſultus tueretur, quos ille multis prælijs attriverat; mortuo quoque viro Odenato, ſuam in Oriente dominationem armis ſtrenuè propugnabat, non modò contra vires Perſarum, ſed etiam adverſus Aurelianum bellicoſum Imperatorém. *p.68. c.2.* Hæc tandem hujus potentioribus armis ſuccubuit.

Zenonis edictum, dictum *Henoticum*, multarum in Eccleſia turbarum fons. *pag.* 189. *&* *p.*190.

Zephyrinus Pontifex primùm dolis Cataphrygum eluſus, eos tandem detecta fraudum larva damnavit, Martyrque ſub Septimio Severo occubuit. *p.13. c.1.*

*Finis Indicis Hiſtorici.*

# SUMMA PRIVILEGIJ
## Regis Chriſtianiſſimi.

AVCTORITATE Regia ſancitum eſt, ne quis *Notitiam Eccleſiaſticam Hiſtoriarum, Conciliorum, & Canonum invicem collatorum, Eccleſiæquè Rituum* Authore R. P. IOANNE CABASSUTIO, intra quindecim annos à prima Editione numerandos imprimat, aut alibi impreſſam in hoc Regno divendat, præter ejuſdem R. P. CABASSUTII voluntatem, aut eorum quibus id juris conceſſerit; hocque omnibus perinde clarum, notum, indictum habeatur, ac ſi Regij Diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finive poſtponatur. Qui ſecus faxit, Librorum confiſcatione, aliiſque pœnis Regio diplomate declaratis mulctabitur. Datum apud S. Germanum in Laya, die 29. Decembris 1678.

*De mandato Regis, ſignatum* PERET.

*Quod quidem diploma in acta Typographorum Pariſienſium relatum eſt die* 5. *Ianuarij* 1679. *Ab* EDMUNDO COUTEROT, *Syndico.*

Idem R. P. Ioannes Cabaſſutius jure ſuo ceſſit Fratribus *Aniſſonijs, & Ioanni Poſuel*, Bibliopolis Lugdunenſibus.

Hæc prima Editio abſoluta fuit die decimaquinta Novembris 1680.

NOTITIA



# NOTITIA ECCLESIASTICA HISTORIARVM, CONCILIORVM, ET CANONVM INTER SE COLLATORVM VETERVMQVE ECCLESIÆ RITVVM.

## ECCLESIÆ PRIMI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. VNIGENITUS Dei filius Ieſus-Chriſtus poſtquam humanum genus cruciatibus ſuis, & ſupplicio Crucis ſalutari aſſeruit libertati, tertióque die, ut prædixerat, ſurrexit à mortuis redivivus, dieque à reſurrectione ſua quadrageſimo cernente diſcipulorum multitudine, conſcendit in cœlum; primarij eius diſcipuli, quibus inditum Apoſtolorum nomen, plureſque alij quos prioribus ad fundandam, propagandamque Eccleſiam ſociaverat, de dilectiſſimi Domini abſentia mœſti atque in unum collecti, ijſdemque ædibus concluſi, adjunctâ venerabili & ſacratiſſimâ Chriſti matre, primum habuere totius Eccleſiæ Concilium; in quo à Petro Apoſtolorum coryphæo propoſitum diſcipulis fuit, ut in perditiſſimi Iudæ vicem novus, ex illis qui viventi Chriſto comites aſſidui hæſerant, deligeretur Apoſtolus, qui duodenarium numerum compleret, eſſetque Chriſti miraculorum & doctrinæ, reſurrectionis quoque, & ad æternum Patrem Aſcenſionis idoneus teſtis. Præmiſſis igitur humillimis ad Deum precibus, ſelectiſque duobus inter diſcipulos eximijs, cum incertum adhuc eſſet, uter amborum tanto munere dignior eſſet, cœleſti demum indicio, ac divinâ ſorte, in locum ex quo traditor Iudas exciderat ſuffectus Matthias fuit, altero cui Ioſephi Barſabæ nomen, & juſti cognomen, poſthabito. His ita geſtis, ſancta illa multitudo aſſiduis orationibus, & mutuis cohortationibus, promiſſum ſibi à Ieſu Chriſto divinum Spiritum avidiſſimè præſtolabatur. Qui tandem decimo ab aſcenſu Chriſti in cœlum die ſub ignearum linguarum ſignis in ſingulos congregatos mirificè illapſus, eos omnes divinis cognitionibus, & ſapientiâ infusâ colluſtravit, & cœleſtibus virtutum donis cumulavit. Contigere iſta ſecundum exactiorem chronologiam anno excurrente Imperij Tiberij Cæſaris decimo-octavo.

2. Spiritu ſancto repleti diſcipuli, hactenus mœſtitiâ dejecti, & præ timore abditi, quaſi generoſi Leones ex ſuis ſpecubus erumpentes, in publicum proſiluerunt, Dominique reſurrectionem, aſcenſionem ad Patris dexteram, ſimulque divinitatem palam Ieroſólymis prædicare cœperunt; eamque in rem tantùm ſtudij & ardoris impenderunt, ut invidentes, infenſique Iudæi illos vino temulentos proclamarent. Sed tantâ nihilominus divinæ virtutis efficaciâ, ut Petrus Eccleſiæ caput, & conſtitutus à Deo Apoſtolorum princeps, eo ipſo primo quo ex latebris prodijt die, tria Iudæorum millia ad Chriſti fidem converterit. Idemque iteratâ prædicatione, additáque viri curatione, qui claudus, & artubus impotens ab ipſa fuerat nativitate, duo ad Chriſti fidem converſorum hominum millia ad primos illos adjunxerit; niſi quis



Digitized by Google

malit numerum quinque millium à prioribus tribus millibus eſſe diſtinctum, ut excurrat numerus ad octo mille recens converſos, cui ſuffragantur ſententiæ Sancti Doctores Hieronymus Auguſtinus & Chryſoſt.

3. Hiſce naſcentis Eccleſiæ initijs Apoſtoli non ſolùm curæ animarum intenti erant, ſed etiam alimoniæ, cæterarúmque corporum neceſſitatum ex communibus facultatibus (nihil quippe proprium ſibi, ſuæque familiæ peculiare, quiſquam fidelium reſervarat) indefeſſa ſollicitudine deſtinebantur. Cum tamen, creſcente in dies numero diſcipulorum, jam non poſſent Apoſtoli utrique officio ſatisfacere, propoſuerunt faciendam multitudine convocatá ſeptem Diaconorum electionem, quorum deinceps operá fieret ut ipſi Apoſtoli, rerum temporalium onere ſublevati, liberiùs ſacris incumberent miniſterijs. Idque communi conſenſu perfectum, creatis per univerſorum ſuffragia Diaconis ſeptem, quorum hæc nomina, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaüs Antiochenus advena.

4 Cæterum humanæ gentis pater, & cuſtos Deus quidquid magnũ in terris molitur, ſolet malignantium dæmonum hominumque inſectationibus probandum, atque exercendum objicere, ut ſuperatis tandem obſtaculis divina virtus & gloria clariùs eluceſcat. Exorta igitur prima ex Iudæorum malignitate perſecutio, cujus pauló ante primordia in Sacerdotum Scribarum & Saducæorum concilio prohibẽte Ieſum prædicari jacta fuerant. Sanctis igitur Apoſtolis Chriſtum annuntiare nõ deſinentibus, ſanctoque Stephano Diacono Iudæos obſiſtentes ſtrenuè convincente, tanto furore Synagoga exarſit, ut Stephanus quaſi blaſphemus & impius lapidatus ſit, cæterique diſcipuli ad vincula, & necem conquiſiti undequaque fuerint. Cujus occaſione calamitatis diſcipuli, ex Iudæa profugi, ſeſe in finitimas regiones diſperſere: ex quorum numero Philippus alter Diaconus Samariam commigrans quamplurimos ibi Iudæos ad Chriſti fidem adduxit & baptizavit; atque in his Simonem Magum. Cùm verò Philippus charactere careret Epiſcopali, atque ita poteſtate fidelibus per manuum impoſitionem Spiritũ Sanctum conferendi, ad Apoſtolos recurrendi neceſſitas fuit. Quamobrẽ Petrus & Ioannes Ieroſolymá egreſſi Samariá adventarunt, novos fideles ſacrá manuum impoſitione confirmaturi, & conſignaturi. Cumque Simon Magus miracula conſpiceret in illis qui Spiritum divinum ſuſceperant effulgentia, ipſeque Magicis artibus addictus, ſignis & prodigijs ambiret inclareſcere, voluit donum hoc cœleſte profano pretio ab ipſo Petro mercari. Sed ab ipſo acriter repulſus depoſitá tum demum pietatis ementitæ larvâ; quâ Eccleſiæ illuſerat, primus evaſit Hæreſiarcha, ſinumque matris Eccleſiæ, quo benignè fuerat exceptus, quaſi vipereus partus laceravit. De homine hoc infelici alius poſthac nobis ſermo erit.

5. Philippus Diaconus, poſt navatã egregiè operam in converſione Samariæ, occurrit Angeli admonitu eunucho præpotenti Candacis Æthiopũ Reginæ, dum curru vectus in Æthiopiam revertit, poſt adoratum in Templo Jeroſolymitano Deum. Comiter ab Eunucho accitus Philippus in currum aſcendit, eidemq; Iſaiæ de Chriſto prophetiam legenti, Chriſtum tantá divini Spiritus vi enuntiavit, ut perſuaſus Eunuchus baptiſmum petierit, & de curru exiliens in aqua obvia de manu Philippi receperit. Quo peracto Angelus Philippum è conſpectu Eunuchi abreptum in Azotum tranſtulit.

6. Ex alia parte Saulus, Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus, mirabili prorſus eventu ad Chriſti Eccleſiam, quam atrociter perſequebatur, traducitur. Hic Tarſo Ciliciæ Metropoli, ac nobili municipio, cui Octavius Auguſtus jura & privilegia Romanæ Civitatis indulſerat, oriundus, religione ab infantia Iudæus, à Gamaliele, Phariſæorum ſapientiſſimo, qui poſtmodum religionem amplexus eſt Chriſti, ſacris literis ſecundùm Iudaïcum ritum inſtitutus, Saulus inquam ille, qui Stephanum ad mortem perſequutus carnificum veſtimenta, ut expeditiores in eo lapidando eſſent, aſſervaverat: deinde ampliſſimâ inſtructus à Pontificibus poteſtate, militum turmis ſtipatus Damaſcum contendebat, fideles quoſcunque comprehenſurus, vinctoſque Ieroſolymam traducturus, ſupplicio afficiendos, ſtupendo prorſus eventu ad portas Damaſci Chriſti ſibi apparentis terrifico aſpectu & voce perculſus, ſtatimque excæcatus, terræque alliſus, & proſtratus, totum ſe derepente ipſius cultui addixit, & poſt dies paucos lucem animi ſimulque oculorum recepit in Baptiſmo, de manu Ananiæ ſervi Dei ſuſcepto. Contigit mirifica iſta cõverſio anno à Chriſti morte, & martyris Stephani tertio.

7. Interea Petrus Apoſtolus Lyddæ, quæ poſteà Dioſpolis vocata eſt, Evangelium prædicans, Æneam ab annis octo paralyticum ſanum reddidit & incolumem. Inde Joppen digreſſus, mortuam Tabitham, quæ Dorcas pariter vocabatur, religioſiſſimã fœminam ad vitam revocavit. Hinc divino admonitu Cæſaream petijt, ut Cornelium centurionem virum gentilem Chriſtianâ fide imbueret baptizaretque, quo facto primus gentium primitias Chriſto Domino dedicavit, qui lapis angularis à Prophetis prædicatus, Iudæos pariter & gentiles quaſi geminos parietes ad ſuæ fabricam Eccleſiæ copulavit. Petrus

itaque

itaque in Cornelij perſona primus gentilibus aditum in Eccleſiam reſeravit. Cæterùm & apud Phœnices, & Cyprios, & Cyrenenſes, & Antiochenos iiſdem temporibus propagata eſt Chriſtiana religio. Barnabas, adjuncto ſocio Paulo, Antiochiam civitatem ampliſſimam, Orientis Metropolim, accedens, quamplurimos ibi cives ad Chriſti Eccleſiam adjunxit: Indeque poſt annum digreſſi Paulus & Barnabas Ieroſolymam ſimul profecti ſunt. Antiochenam Eccleſiam Petrus ſexennio tenuit, ſic tamen ut inde ſæpiùs in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithiniam excurreret, exactoque ſexennio Romam tandem conceſſit, ut quæ terreni ſedes erat imperij, ſuprema quoque ſedes conſtitueretur Chriſtianæ religionis, ac Eccleſiaſticæ poteſtatis. Eò verò Petrus Apoſtolus acceſſit Claudio Cæſare rerum potiente. Sub hiſce temporibus Matthæus Apoſtolus primus in Iudæa ſanctum Evangelium Hebraico ſermone conſcripſit, anno à Chriſti natali quadrageſimo primo, & poſt ejuſdem mortem vivificam octavo.

8. Quo pariter anno Herodes Agrippa Ariſtobuli, quem pater Herodes Idumæus occiderat, filius, atque ita Herodis Idumæi nepos, Philippi atque Lyſaniæ Tetrarchijs à Caio Caligula Imperatore donatus, cum Regis appellatione fuit. Eaque de cauſa Agrippæ ſoror Herodias, quæ Philippo viro ſuo relicto inceſtas cum Herode Antipa nuptias inierat, & quâ impellente idem Herodes Antipas Ioannem Baptiſtam inceſtum iſtum palam redarguentem decollaverat; illa ipſa Herodias ambitionis ſtimulis ex nova fratris dignitate concitata, Herodi marito ſuaſit, ut regium pariter decus & inſignia ab eodem Caio Cæſare exambiret. Sed mulieris ambitioni Agrippa intercedens, qui gratiâ penes Caium longè prævalebat, id tandem perfecit, ut Antipas Lugdunum relegaretur, & pro regno poſtulato ſortiretur exilium, ad quod Herodias inceſta uxor illum comitari voluit, atteſtans ſe in aduerſis perinde, ac in proſperis ſociam fore individuam. Antipæ ſpoliati & exulis Tetrarchiam Galilæam in æmulum ejus Agrippam Cæſar tranſtulit. Quin etiam Claudius, paulò poſt Caio ſuccedens, regnum Agrippæ adauxit acceſſione Judææ & Samariæ, atque ita ditionem integram, quâ ejus potitus fuerat avus Herodes Idumæus, tandem Agrippa obtinuit. Iſte porrò Agrippa Chriſtianæ religionis infenſus hoſtis Iacobum Apoſtolum, Ioannis Apoſtoli fratrem natu majorem, decollavit; nec multò poſt ut majorem Iudæorum gratiam demereretur Petrum Apoſtolorum Principem, pariter occidendum, in vincula conjecit: ex quibus tamen inſigni miraculo per Angelum eductus fuit. At Regem Agrippam divina ultio brevi excepit. Cum enim ad Cæſaræenſem populum regio cultu inſignis concionaretur, populuſque eidem dicenti tanquam Deo acclamaret, ipſeque per arrogantiam Rex ſuperbiret, protinus ab Angelo in ipſo tribunali percuſſus eſt, & conſternatus; unde tabeſcente & vermibus ſcatente corpore brevi abſumptus eſt. Illo mortuo tametſi filium ſuperſtitem reliquiſſet, Iudæa Provinciæ Syriæ adjuncta & contributa fuit Claudio adhuc imperante.

9. Anno Chriſti quadrageſimo quarto, & Claudij Imperatoris ſecundo, dum naſcentē Eccleſiam Agrippa Rex in Iudæa perſequebatur, Sancti Apoſtoli collato priùs inter ſe fidei Apoſtolicæ ſymbolo, ut eſſet veluti militaris teſſera eorum qui Chriſtianæ fidei intra Eccleſiæ caſtra nomen dederant, de univerſo terrarum orbe ſub jugum Chriſti redigendo conſilium inivere. Galilæi nimirum piſcatores foris contemptibiles, omni humano præſidio deſtituti, deſpicati, egentes, contumeliis, vinculis & verberibus quácunque inceſſuri erant excipiendi; calumnijs & cruciatibus à fæce populorum, à mundi ſapientibus, ab idolorum Sacerdotibus, à Magiſtratibus, à ſæculi primoribus, ab inſidiatoribus & proditoribus fratribus, tradendi, diffamandi, cruciandi, lacerandi, & trucidandi; qui tamen inter tot anguſtias, & vexationes eo ſucceſſu munus ſuſceptum obivere, ut Chriſti cultum & religionem ad extremas terrarum regiones, ac remotiſſimas gentes propagarint; & verè teſtificetur Paulus, ad Romanos ſcribens, Chriſtianam fidem annunciari per univerſum mundum; completumque eſſe divinum vaticinium iſtud. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ipſe autem Petrus, poſtquam Iudæos Evangelij luce perfudit, multaſque in Aſia fundavit Eccleſias, & Marcum Evangeliſtam in Alexandriam tranſmiſit, opulentiſſimam poſt Romam civitatem orbis, relictoque Antiochiæ ſui ſucceſſore Evodio, Romam demum acceſſit arcem & ſedem Imperij, primuſque in ea Chriſtum prædicavit Claudij Cæſaris Imperij anno circiter tertio, ut fidem facit Euſebius in Chronico: & lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 24. Eamque primariam totius orbis Eccleſiam annis excoluit viginti quinque, ut ibidem prodit, quorum primordium in annum incidit à Chriſti natalibus quadrageſimum tertium. Paulus verò juxta Hieronymi calculum lib. de ſcript. Eccleſ. Romam vinctus adductus eſt Neronis Imperantis anno ſecundo, à Chriſto autem nato quinquageſimo ſecundo.

10. Ipſemet Paulus in ſuis, quas Lucas commemorat, excurſionibus quamplurimas

A 2 fundan-

fundans Eccleſias,curam prӕterea geſſit colligendӕ ſtipis, cujus largitione, adventante illâ dirâ ſterilitate & fame, ab Agabo Propheta prӕnunciatâ, fratribus in Iudӕa conſiſtentibus ſubveniret. Paulus Corinthi, quӕ Achaïӕ Metropolis erat anno & ſex menſibus verſatur, ibique innumeros ex Iudӕis & gentibus aggregat ad fidem. Hinc Epheſum profectus totius Aſiӕ primariam civitatem, ac emporium famoſiſſimum, copioſam animarum ſegetem triennio in horreum Domini intulit: ait enim accitis illa ex urbe Miletum diſcipulis Epheſijs Act. 20. Vigilate, memoriâ retinentes quoniam per triennium nocte ac die non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrum. Coactus ergo demum Epheſo abſcedere, per motam ab argentarijs Dianӕ cultoribus tumultuoſam ſeditionem, Macedoniam repetit, & Grӕciam atque Achaïam, quas in prima dudum profectione ſua religione Chriſtiana imbuerat. Poſt hӕc Mileto ſolvens in Syriam navigat, atque inde Jeroſolymam proficiſcitur eleemoſynas erogaturus quas toto ſuo itinere paſſim corrogaverat.

11. Amantiſſimè Paulus Ieroſolymis exceptus à Iacobo fuit, qui frater Domini dicebatur, ſoluſque Apoſtolorum in ea urbe, cujus gerebat Epiſcopatum, conſtiterat. Ibi Paulus à Senioribus admonetur impendentis à Iudӕis periculi, quibus erat eo nomine inviſus, quòd legis Moſaïcӕ prӕdicaret abolitionem, quam ut de ſe exiſtimationem diſſiparet conſilium illorum ſequitur, ut cum alijs quinque Iudӕis Nazareorum voto devinctis, ſe palam in templo ſecundùm Moſaïcӕ legis prӕſcripta ſanctificaret. Perperam aliqui hac in re quartum & poſtremum Apoſtolorum Concilium prӕtendunt, quo fuerit definitum, licere converſis ad Chriſti fidem Iudӕis, per diſpenſationem in aliquod tempus, legales adhuc ſervare cӕremonias, cum tamen ut rectiùs hoc in loco docet Baronius nullum hîc intervenerit ſynodale decretum, ſed privata dumtaxat admonitio, cui poſtquam morem geſſit Paulus, concitatur in eum Iudӕorum tumultus, à quibus comprehenſus eſt, & peſſimè habitus. Sed ex horum manibus occurrens cum militum manu Tribunus Paulum abripit, & duabus catenis ligatum (quod Paulo ante Ieroſolymis eventurum Cӕſareӕ conſiſtens Agabus coram ipſo prӕdixerat) in caſtra perduxit. Atque inde validâ militum manu ſtipatum, ne quid adverſus eum Iudӕi attentarent, Cӕſaream traducit ad Iudeӕ prӕſidem Felicem, apud quem ejuſq; ſucceſſorem Feſtum accuſantibus Iudӕis cauſam dicit Paulus. Sed cũ Feſtus Iudӕis gratificari volens, propoſuiſſet Paulo, vt eius cauſa Ieroſolymis diſceptaretur, Paulus perſpectam habens accuſatorũ ſimul & judicis nequitiam, ad Cӕſarem appellavit.

12. Quocirca navi Romam devehitur anno Chriſti epochӕ quinquageſimoſexto, & Neroniani Imperij ſecundo, ibique vinctus catenâ, & militis unius cuſtodiӕ commiſſus, manſit in hoſpitio cunctis ad ſe adventantibus Chriſtum prӕdicans: tandémque poſtquam coram Nerone peroravit dimiſſus eſt liber. Animo propoſuerat Apoſtolus in Hiſpaniam ab Ieroſolymitano reditu proficiſci, Romamque in tranſitu ad breve tempus reviſere. Sed aliter diſpoſuit Dei providentia; Romam enim non liberâ ſed coactâ profectione petijt, ibique in catena & ſub cuſtodia moram fecit. Vtrùm verò recuperatâ libertate profectionem Hiſpanicam, de qua ad Romanos ſcribit, ſit proſequutus, nihil certi habemus. Hoc unum conſtat, Apoſtolum ſuӕ poteſtati dimiſſum Romanam Eccleſiam unâ cum collega Petro excoluiſſe, ac demum eadem in urbe, eademque die ſanctiſſimam vitam glorioſo martyrio conſummaſſe: Petrum crucifixione Paulum capitis amputatione, anno Chriſti ſexageſimo ſeptimo, Neronis decimotertio. Iudӕi vero Iacobum Apoſtolum, dictum Domini fratrem, primum Ieroſolymorum Epiſcopum ante ſex annos de Templi faſtigio prӕcipitaverant.

13. Apoſtoli Pauli primas excurſiones quӕ communem Apoſtolorum diſperſionem prӕceſſere, ne reliquӕ hiſtoriӕ filum interrumperetur, huc diſtulimus. Ille igitur poſt ſuam apud Damaſcum converſionem Chriſtum ardenti ſtudio eadem in civitate prӕdicare cœpit, frementibus in eum Iudӕis, quorum inſidias ut devitaret de muro Damaſci per funem in ſporta demiſſus comitante Barnabâ Ieroſolymam primùm, deinde Cӕſaream; mox Tarſum Profectus, inde in Arabiam ſe contulit, ut ipſe de ſe ad Galatas ſcribit, exactoque triennio Ieroſolymam regreſſus eſt viſendi Petri gratiâ, apud quẽ dies quindecim exegit; nec alium tunc Apoſtolum vidit niſi Petrum & Iacobum Domini fratrẽ. Hinc in Ciliciam abijt civibuſque ſuis Tarſenſibus Chriſtum prӕdicavit. Tarſo excedens unà cum ſocio Barnaba commigravit Antiochiam, ubi Chriſtiana religio magnis in dies augebatur iñcrementis. Ea in urbe uberrimam converſionum ad fidem ambo meſſem collegerunt, donec divino revelante ſpiritu miſſi ſunt à Senioribus & Prophetis in ea civitate commorantibus ad diſſeminandũ alijs in regionibus divinum Evangelium. Itaq; ambo ſimul cum Marco, cognominato Ioanne, digreſſi Seleuciã ingreſſi ſunt verbum Dei annuntiantes. Inde in Cyprum quӕ Barnabӕ patria erat navigarunt. Qua in inſula Proconſulem Sergium Paulum Apoſtolus Paulus ad fidem perduxit

poſtquam in illius conſpectu Elymas Magus qui Paulo antè evangelizanti præfractè reſiſtebat, repente divinâ ultione fuit excœcatus. Inde Antiochiam Piſidiæ accedunt, unde Iudæis turbantibus excedere coacti, Lycaoniam petunt, cuius primariam civitatem Iconium, Lyſtramque cum finitimis oppidis Chriſtianâ pietate imbuunt. Lyſtræ porro Paulus claudum àb matris utero ita incolumem artubus reddidit, ut Gentiles miraculo ſtupefacti præeunte Iovis Sacerdote credentes Barnabam Iovem, Paulumq; Mercurium, adductis tauris voluerint ambobus, niſi prohibuiſſent, ſacrificare. Verùm (quæ eſt populorum inconſtantia) Lyſtrenſes in eoſdem paulò poſt commoti ambos jactis lapidibus, itaut Paulum ſe interemiſſe crediderint, inſectati, procul ablegaverunt. At illi vix elapſi prætergrediuntur Pamphyliam, atque Antiochiam, unde priùs diſceſſerant, revertuntur.

14. Antiochenam verò civitatem diverſas in partes conſciſſam, magnâ utrimque animorum contentione, reperiunt. Contendebant converſi ad fidem Iudæi neceſſitatem perpetuam ſervandæ Moſaïcæ legis, ſcilicet circumciſionẽ, delectum ciborum, purificationes, cæteraque inſtituta legalia, etiam in Evangelica lege perdurare: neque Paulo & Barnabæ acquieſcebant ab gentium converſione revertentibus, collataque divinitus dona converſis à ſe gentibus enarrantibus. At verò pars Antiochenſium altera, quæ ex idololatria nuper prodierat circumciſionẽ, aliaque legis Iudaïcæ onera conſtanter recuſabat admittere, ſeque huic jugo rebatur ſubducendam. Ad controverſiam dirimendam Paulus & Barnabas perſuadent conſulendos eſſe, qui tunc Ieroſolymæ verſabantur ſelectos ab ipſo Chriſto Ieſu Apoſtolos, quibus pollicitus fuerat omnem à ſpiritu divino revelatum iri veritatem. Eam ob rem Ieroſolymam profecti ambo, concertationis hujus ſeriem omnẽ referunt. Verſabatur Ieroſolymæ Petrus Româ excedere juſſione Claudij Cæſaris compulſus, qui Iudæos quoſcumq; ex Urbe ſuo edicto depulerat. Qua etiam de cauſa refert Lucas Act. 18. Aquilam Ponticum ex urbe Roma Corinthũ ſeceſſiſſe. Anno autem Claudij nono, qui eſt Chriſti quinquageſimus-primus, promulgatum eſt hoc edictum, & Concilium iſtud Apoſtolicum Ieroſolymis celebratum. Illum quoque Pauli Ieroſolymam adventum eumdem eſſe Hieronymus, Epiphanius, aliique unanimes affirmant, de quo ſcribit ad Galat. Paulus: *Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.* Qui utique quatuordecim anni computandi ſunt non à fine triennij quod Paulus ibidem memorat, ſed à vocatione ipſius, & converſione apud Damaſcum. Id enim evidens ratio convincit, ex illis quæ ab eodem Paulo, poſt diremptum iſtud Concilium, geſta fuiſſe nullus ambigit: ſubducto enim illo triennio, ſejunctiſque ab eo quatuordecim annis neceſſe eſt iſtud Concilium referre in annum Claudij imperantis duodecimum. Cum verò conſtet Claudium annos regnaſſe tredecim & menſes octo, Paulumque vinctum Romam adductum tertio ineunte Neronis anno, ſoli ſupererunt anni duo, quibus Paulus omnia geſſerit, quæ à cap. 18. Actuum geſta à Paulo recenſentur, ad uſque captivitatem eiuſdem, & vincula, in quibus Romam eſt deductus. At intra breve hoc intervallum nulla ratione includi valent annus cum dimidio Corinthi ab Apoſtolo tranſactus, & triennium Epheſi ab eodem conſummatum, & alia pleraque ab eodem geſta.

15. Habitum igitur eſt Concilium iſtud anno à Pauli converſione decimo-quinto, à Chriſto nato quinquageſimo primo, atq; Imperij Claudij nono. Huic ſacræ Synodo, ultra Paulum & Barnabam, interfuerunt Apoſtoli Petrus, & Ioannes, & Iacobus. Primus ſuam ſententiã de fidelibus à præceptionibus Moſaïcæ legis eximendis Petrus dixit: cui ſuffragatus eſt Iacobus, tametſi Iudæorum qui hanc moverant litem primus exiſteret Epiſcopus. Deniq; communi decreto, Spiritu ſancto aſpirante, concluſum eſt, Chriſti fideles immunes eſſe à rituum legalium oneribus, ſolâ retentâ prohibitione veſcendi ſanguine, & animalibus ſuffocatis. Eáque de re literas tranſmiſere ad omnes Antiochiæ, Syriæ, Ciliciæq; Eccleſias, remiſſis in eas partes Paulo & Barnabâ, Iudâ & Silâ. Iſtâ perfuncti legatione Paulus & Barnabas in diverſa proficiſcuntur. Paulus, adjuncto ſibi Silâ, Syriam, Ciliciam, & Lycaoniam reviſit: qua in profectione Timotheum Lyſtræ gentili patre & Iudæâ matre natum, ut omnem offendiculi occaſionem amoveret, circumcîdit, ſociumque ſibi fidiſſimum aſcivit

16. Qui ulteriùs ambo provecti Evangeliũ in Galatia & Phrygia prædicarunt, & ſubinde prohibiti à Spiritu ſancto in Aſia & Bithinia evangelizare, ab eodémq; excitati ad prædicandum in Macedonia, Philippos acceſſerunt Macedoniæ oppidum. Quo loco virgis cæſi, & in arctam cuſtodiam detruſi ſunt Paulus & Silas: qui cum in vinculis mediâ nocte laudibus divinis intenderent, concuſſis repentino terræmotu carceris fundamentis, ſimulque ſolutis eorum vinculis, & oſtiis patefactis, converſus miraculo commentarienſis, cui credita erat carceris reorumque cuſtodia, ſimul cum omni familia ſua baptizatus eſt. Poſtridie verò accedentes Magiſtratus Paulum & Silam ex carcere atque Vrbe liberos dimiſerunt.

17. Inde profecti ſimul ambo alia Macedonũ oppida evangelizando peragrarunt, Amphipolim, Apolloniam, in quibus ingens ad Chriſtianam religionem acceſſio facta eſt. Hinc Berœam ſe conferunt, ibique permanentibus Sila & Timotheo, Paulus Athenas conceſſit primariam Græciæ civitatem, in qua diſputationes primùm cum Iudæis, deinde cum gentilibus Philoſophis complures habuit. Deductúſque in Areopagum, & ibi concionatus, Dionyſium Areopagitam cum aliis viris, & mulierem illuſtrem Damarim Eccleſiæ Chriſti adjunxit. Eâ civitate digreſſus Apoſtolus, poſtquam multas pervaſit regiones, poſtremò Ieroſolymam regreſſus, vinculis alligatus, Romam deductus eſt: cui cætera ibidem contigere quæ ſuperiùs commemoravi.

18. Eodem iſto ſæculo Claudius Cæſar Anno Imperij ſui tertio univerſam Britanniam inſulam intra ſexdecim dies mirâ felicitate perdomuit, ſubjecitque Romano Imperio.

19. Claudij privignus Imperiique ſucceſſor Domitius Nero, ad omne flagitium effuſus, cum decreviſſet Romam ſumptuoſiſſimis ædificiis, aliiſque publicis decorare ornamentis, Urbem totius orbis ampliſſimam nocturnis horis incendit, diſpoſitis paſſim ſceleratis viris qui ignem admoverent, & accurrentes ad extinguendum vi prohiberent. Ipſe interea tuto loco de turris Mœcenatis vertice ex erumpentium flammarum proſpectu, & miſerandis hominum vociferationibus immanem capiens voluptatem, Troïanæ urbis veterem conflagrationem ad citharam decantabat. Poſt deformatam incendio Romam, volens à ſe tanti ſceleris amovere ſuſpicionem, in Chriſtianos innocentes atrociſſimi criminis derivavit accuſationem, diriſſimiſque ſuppliciis affecit. Plurimos eorum ferarum exuviis contectos canibus ferocibus tradidit laniandos, alios à leonibus in publicis ſpectaculis expoſuit devorandos, alios innumeros adipe & pice illitos palis & axibus alligatos ſuppoſitis ſarmentis & virgultis per urbis trivia & compita in uſum nocturni luminis ardere fecit. Dici pro rei indignitate non poteſt quæ fuerit innocentium Chriſtianorum conſternatio, quantaque naſcentis Eccleſiæ calamitas & deſolatio.

20. Præterea Simon ille præſtigiator, olim Samariæ ab Apoſtolo Petro acerbè reprehenſus, Romam iiſdem temporibus migraverat. Hic Neronis in omne ſcelus projectum animum maleficis artibus ſibi conciliavit: ſed Magum à tartareis dæmonibus in ſublimem aërem ſubvectum admirabilis ille Petrus, orationis ſuæ vi diſſipatis præſtigiis, in ima præcipitem egit: illeque cruribus effractis, totoque corpore eliſus, lacer, & ſaucius miſerrimè interiit. Qua ex cauſa excandeſcens Nero Petrum & Paulum ultimo ſupplicio addixit, illum crucis, iſtum capitis abciſſionis, utpote Romanum civem, anno exeunte Imperij ſui decimo-tertio, Chriſtique ſexageſimo-ſeptimo, poſtquam Petrus Romanam Eccleſiam annos ſolidos rexit quinque & viginti. Denique crudeliſſimus Nero ineunte regni ſui anno decimo-quinto rebellantibus contra eum univerſis à Senatu damnatus, in agrum fugitivus mortem ſibi adacto in ventrem pugione conſcivit. Eius capeſſivit imperium Sergius Galba. Sed iſtum imperio ſimul vitaque privavit Sylvius Otho. Othonem viciſſim Vitellius expulit. Vitellium denique Flavius Veſpaſianus dum bellum adverſus Iudæos proſequitur, ad quos perdomandos ab ipſo Nerone miſſus fuerat.

21. Iudæorum gens, ante ſex annos quàm fuerit Petrus cruci affixus, Iacobum Apoſtolũ Minorem dictum, & Domini Ieſu fratrem, id eſt conſobrinum, ex Cleopha ſive Alphæo, & ex Maria ſorore Mariæ Virginis Deiparæ natum, de Templi pinnaculo præcipitaverant. Hujus Epiſcopatui Ieroſolymitano Simeon ſucceſſit, qui martyrio quoque crucis, imperante Trajano, in cœlum abijt. Marcus Evangeliſta iiſdem temporibus Eccleſiæ præfuit Alexandrinæ cuius fuerat à Petro primus conſtitutus Epiſcopus, in cuius deinde ſedem ſuffectus eſt Anianus. Antiochenam pariter Eccleſiam adminiſtrabat ſecundus ab Apoſtolo Petro Evodius, quem poſtmodum excepit Ignatius. At verò Romanæ clavum Eccleſiæ primus à Petro rexit Linus, deinde Cletus, qui aliis Anacletus dicitur. Et hoc defuncto Clemens olim Petri diſcipulus, ſanctitate omnes & martyrio inſignes.

22. Quæſtio ſatis ambigua eſt de Lino, de Cleto & de Clemente, uter eorum poſt Petri martyrium totius Eccleſiæ regimen ſuſceperit. Scribunt aliqui electum ſibi à vivente Petro ſucceſſorem Clementem, à quo tamen recuſatum fuerit regiminis onus. Ideoque Linum per communem electionem ſuffectum ad ſupremum regimen fuiſſe, eique defuncto Cletum ſubrogatum, Cleto deinde Clementem, & poſt Clementis exceſſum fuiſſe Anacletum Eccleſiæ gubernaculo admotum. Græci veteres Ignatius, Irenæus, Euſebius, & ex Latinis Optatus & Auguſtinus epiſt. 164. Cletum non agnoſcunt ſed Anacletum, quem perhibent Clementis ſucceſſorem. His alij quidam recentiores Petrum poſtquam mortuo Claudio, & regnante Nerone Romam ex Iudæa revertit, cum ſe ad emetiendas pro Evangelij propagatione diverſas Provincias accingeret, conſtituiſſe ferunt chorepiſcopum Linum, qui ſe abſente Romanam

Romanam Eccleſiam regeret : Linum verò tranſactis undecim regiminis annis obiviſſe anno Neronis duodecimo, & defuncto Lino Petrum iam Romam regreſſum deſignaſſe ante ſuum martyrium Clementem ſibi ſucceſſorem. Sed poſtquam in cœlum Petrus abijt orta inter fideles diſſenſione, metuentes ne deſignatio iſta ſucceſſionis foret pernicioſi deinceps exempli, Clementem ipſum Cleti electionem promoviſſe, poſt cuius interitum communibus demum ſuffragiis electum fuiſſe Clementem, cui Trajani Principis iuſſu in Cherſoneſum relegato, & in mare demerſo, fuiſſe tandem canonicè ſublectum ſcribunt ſucceſſorem Anacletum.

23. Sacrilegam Iudæorum impietatem ultus eſt Deus per Romanos Principes Veſpaſianum, & eius filium Titum. Huius inviſæ gentis calamitati nulla par hiſtoriarum monumentis deſcribitur, Deo ſcilicet vindictam ſceleris in Chriſtum ab impia gente commiſſi repoſcente per horrendas Romanorum Præfectorum, & Præſidum immanitates, quales prodit oculatus teſtis Flavius Ioſephus, & per odia crudeliſſima finitimarum nationum, imò etiam remotarum, inter quas diſperſi erant innumeri Iudæi. Miſerrima natio aſſiduis contumeliis, rapinis, percuſſionibus, & cædibus in deſperationem adducta in apertam demum prorupit rebellionem. Nec id ſatis, ſed eadem ipſa gens in factiones diviſa adverſus ſeipſam furens, mutuis direptionibus, incendiis, & cædibus hoſtiliter ſæviebat & debacchabatur. His acceſſerunt horrendæ peſtilentiæ, fameſque eò uſque rabida, ut matres propriis infantibus à ſe trucidatis veſcerentur. Caput gentis Ieroſolymam circumducto undequaque muro ne quis elabi poſſet Romanus exercitus Tito duce obſedit; quod futurum Chriſtus Dominus ſuper hac civitate plorans prænuntiaverat. Itaque innumeri Iudæi, qui eò ex remotiſſimis etiam quas incolebant regionibus confluxerant ad ſolemnia Paſchalia, ſeptuageſimo Chriſti anno quaſi feræ intra caſſes adactæ cõcluſi ſunt, eorumque (quod alibi prorſus eſt inauditum) undecies centena millia unâ illâ obſidione periere. Templum gentis, magnificentiæ ac ſplendoris toto terrarum orbe incomparabilis, injecto à milite igne conflagravit. Urbs denique illa everſa, & ſolo æquata.

24. Poſt extinctum Veſpaſianum, eiuſque ſucceſſorem filium Titum, cui optima indoles, & virtutis præſertim beneficentiæ & clementiæ ſtudium hanc laudem aſciverat ut humani generis deliciæ diceretur, hujus frater Domitianus, inmenſæ ſuperbiæ, & inſatiabilis crudelitatis monſtrum, habenas ſuſcepit Imperij. Hic ſecundam à Neroniana perſecutionem adverſus Eccleſiam excitavit anno regni ſui decimo, Chriſtique nonageſimo-tertio Cletum Pontificem neci dedit. Ioannem Apoſtolum, Epheſo Romam ab Aſiæ Proconſule miſſum, in ferventis olei dolium mitti iuſſit : ſed protegente Deo eductum inde incolumem in Pathmon inſulam, ex Sporadibus unam, fecit deportari, in qua vir Sanctus divinam ſcripſit Apocalypſin, manſitque ibi donec reſciſſis à Senatu ſub Nerva Principe Domitiani actis Epheſum poſtliminio repetiit : qua in ciuitate anno Chriſti nonageſimo-nono, & Nervæ primo Evãgelium compoſuit, ad aſſerendam contra hæreticos Ebionem, & Cerinthum Chriſti divinitatem. Inter ſecundæ huius perſecutionis martyres recenſentur Antipas, cuius eſt honorifica in Apocalypſi mentio, Anacletus Pontifex, Flavius Clemens, qui erat Domitiani Patruelis, cuius etiam liberos deſtinarat Imperij ſucceſſores Domitianus. Flavia item Domitilla Flavij Clementis ex ſorore neptis, iubente Domitiano, in inſulam Pontiam relegata martyrium tandem ſub Trajano conſummavit. Hæretici Eccleſiam hoc primo ſæculo oppugnarunt, Simon Magus eiuſque diſcipuli Baſilides Saturninus & Menander. Itemque Cerinthus & Ebion Chriſtum merum hominem aſſerentes. Nicolaïtarum ſpurciſſima ſecta, Gnoſticorum, id eſt peritorum nomen jactanter ſibi vendicantium ſæculum iſtud teterrimâ lue afflavit. Fuit enim malignantium dæmonum conſilium Chriſtianos in infamiam, & odium omnium hominum pertrahendi per hæreticorum, qui ſe Chriſtianos mentiebantur, fœdiſſima execrandaque inſtituta, ſceleratiſſimos mores, præſtigias tartareas, carnis deteſtandas ſpurcitias, & portentoſa dogmatum deliria : qualia de propudioſis illorum temporum hæreticis referuntur ab Irenæo, Tertulliano, Epiphanio, Philaſtrio, & aliis.

---

## *DE CANONIBVS APOSTOLORVM propemptica Diatriba.*

1. MIRARI ſubit, ſi quum habita fuere illa de rebaptizandis his quos abluerant hæretici Concilia, fuerit aliqua Canonum Apoſtolis attributorum notitia, quî fieri potuerit, ut non ab Agrippino, neque à Carthaginenſi cui ille præfuit Concilio, nec poſtea à Divo Cypriano, & octoginta ſex aliis Epiſcopis, quibus ille præſedit, & quorum ſingula vota ſuperſunt, facta ulla ſit mentio trium Canonum Apoſtolorum, ſcilicet 45. 46. & 68. qui perſpicuè decernunt inanem eſſe baptiſmum ab hæreticis collatum : cum tamen ſuppeditaſſent iſti Canones præcipuum ſententiæ ipſorum præſidium ac munimen : maximè cum Stephani Romani Papæ reſcriptum, ex adverſo urgeret ipſam Africanis adverſantem Apoſtolorum traditionem. Ipſi quidem Africani Præſules recurrunt



Digitized by Google

interdum ad Apoſtolicam authoritatem; ſed eam duntaxat quæ à ſolis Apoſtolorum ſacris libris hauritur, quale eſt illud Pauli effatum ſæpiſſimè ab ipſis repetitum. *Vnus Deus, una fides, unum baptiſma.* His adjunge Auguſtinum, qui neque in ſeptem libris adverſus Donatiſtas, in quibus fuſiſſimè iſtam texuit diſputationem, ullius meminit Apoſtolorum Canonis; neque Optatus Milevitanus toto ſuo prolixo adverſus Donatiſtam Parmenionem opere, cum etiam Donatiſtis ſolemne eſſet quoſcumque extra ſuam ſectam baptizatos denuo baptizare. Imò verò Auguſtinus ſic in oppoſitum docet lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. *Apoſtoli nihil exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut multa quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis rectè præcepta creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.* Igitur Canones illi tres Apoſtolis aſcripti fictitij ſunt, eorúmque traditio, ſi Agrippino, ſi Sancto Cypriano, ſi Stephano Papæ, ſi ab eis collectis Synodis, ſi Auguſtino fidem habemus.

2. Nec minus antiquioribus Græcis quàm Latinis iſti Canones inviſi planéque ignoti ſunt. Alioqui enim Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Græcus Epiſcopus, & Græcæ Synodi adverſus hæreticorum baptiſmum Congregatæ, cuius per Firmilianum, ſcriptis ad Cyprianum literis, Patres quæcumque poſſunt ſuæ cum Cypriano communis ſententiæ argumenta congerunt, hoſce Apoſtolicos Canones minimè ſiluiſſent, ſi notos habuiſſent. Quod idem de Dionyſio Alexandrino, ſuiſque, in idem propoſitum cum Cypriano, & Firmiliano conſentientibus, dici quoque poteſt: haud enim norant ſibi Canones Apoſtolorum ſemel iterumque ſuffragari.

3. Nihil verò confert ad iſtos vulgares aſtruendos Canones, Apoſtolorum nomine inſcriptos, quòd videantur aliqui ex illis etiam ab antiquis Græcis allegari, tum in Nicæna Synodo prima, tum in Canonica illa Baſilij ad Amphilochium Epiſtola, tum in alia Conſtantini ad Euſebium Cæſareæ Paleſtinæ Antiſtitem, quæ legitur lib. 3. vitæ Conſtantini Auguſti circa finem; & ſi qua eiuſmodi alia proferuntur loca: non enim reſpiciunt ad hanc de qua movetur quæſtio Canonum collectionem, ſed ſolemnis erat conſuetudo quæ adhuc perdurat, & ab Auguſtino aſſeritur, quæcumque moribus in univerſa Eccleſia vigent, nec tamen in divinis Scripturis exprimuntur, referendi ut æquum eſt ad acceptas ab Apoſtolis traditiones, ac Apoſtolicas regulas diſciplinæ. Exemplo ſit vel ipſum Nicænum Concilium aliquas referens Apoſtolicas Sanctiones, quæ tamen in illa de qua diſceptamus collectione minimè continentur. Ejuſmodi eſt Nicænus Canon ſextus, inſtaurans electionum ritum iuxta vetuſtiorem (ut ait) Canonem. Præterea Canon Nicænus: Ne quis in exitu vitæ divino privetur Viatico, allegans ad hoc antiquiorem Canonem. Inſuper Nicænus Canon. 38. aſtruit ex antiquiore Canone: illicitum eſſe ſi Diaconus auſit Presbytero ſacram Euchariſtiam ad communionem porrigere. Itemque veteri Canone cautũ eſſe: Ne Diaconi inter Presbyteros conſideant. Præterea Nicænis Canonibus 9. & 10. declaratur fuiſſe priſcis Canonibus proviſum ne ordinentur illi qui non fuerint antea examinati, aut qui fuerint gravium criminum convicti, aut aliquando de fide Catholica lapſi. De quibus tamen omnibus nihil in totis Canonibus Apoſtolis attributis legitur, cum tamen nullus ambigat cæteros uſque ad finem Canones Apoſtolicos dictos numerum perficientes octogeſimum-quartum ſuppoſititios, & pſeudepigraphos eſſe; quin etiam ex iiſdem non paucos ab Hæreticis & Schiſmaticis obtruſos.

4. Sed neque conſtans perſuaſio eſt de prioribus quinquaginta, fuiſſe ab Apoſtolis concinnatos. Summus enim Pontifex Gelaſius in Romano ſeptuaginta Epiſcoporum Concilio anni quadrigenteſimi nonageſimi-quarti, unà cum multis Hæreticorum libris reprobat, & apocryphum declarat librum Canonum Apoſtolorum, atque inter ipſos quinquaginta habentur Canones baptiſmum ab Hæreticis collatum indiſcriminatim reprobantes. Poſt annos tamen ab illo Romano Concilio duos & triginta Dionyſius Abbas, dictus exiguus, primus inſeruit Latinè à ſe converſos eoſdem Canones quinquaginta, etiamſi non fuiſſent in antiquioribus ſacrorum Canonum collectionibus ullatenus admiſſi. Cæterum idem ipſe Dionyſius in ſuâ Præfatione ſic proteſtatur, quaſi diffidens etiam probatiorum illorum quinquaginta Canonum authoritati. *In principio* (inquit) *Canones quinquaginta qui dicuntur Apoſtolorum de Græco tranſtulimus, quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum noluimus veſtram ignorare ſanctitatem, quamvis quædam poſteà conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumpta eſſe videantur.*

5. Licet verò Iſidori compilatio, quæ Dionyſianam ſubſequuta eſt, Canonum Apoſtolis aſcriptorum numerum auxerit ad quatuor & octoginta, Humbertus tamen Cardinalis Epiſcopus Sylvæ Candidæ, qui Legatione apud Græcos pro Leone Papa nono, magnâ eruditionis laude fungebatur, reſpondens ad librum Nicetæ Græci Schiſmatici, aſſeverat apocryphos eſſe Apoſtolorum Canones, exceptis quinquaginta, quamvis horum quoque vacillet authoritas, utrùm ab ipſis Apoſtolis immediatè promanarint, an verò ab aliis, (quod eſt veroſimilius) ex obſervatione veterum Eccleſiæ conſuetudinum, poſterioribus ſæculis procuſi fuerint. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis, qui anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo-ſexto obiit, gravior author altero Iſidoro dicto Mercatore, hæc refert ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec Sancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quòd ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis utilia inveniantur; tamen ab authoritate Canonica, atque Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Refertur apud Gratianum diſt. 16. can. 1. Vide pariter c. Sancta Romana Eccleſiæ diſt. 15.

6. Franci ſub prima Regum ſuorum progenie ſuam habuere Canonum Eccleſiaſticorum collectionem, cujus meminit Papa Hormiſdas, Clodovæo qui primus Galliæ Regum Chriſtianam profeſſus eſt religionem, coævus, in c. ſi quis Diaconus diſt. 50. In ea Gallicana collectione nulli erant Canones Apoſtolis attributi, ſed Chilpericus Rex, dum Prætextatum perſequitur Epiſcopum Rotomagenſem, iſtam collectionē augeri voluit Canonibus Apoſtolorum, ut Epiſcopi iſtius, cui erat infenſus, condemnationem magis urgeret, cōquerens illum eſſe reum tranſgreſſi, violatique Canonis Apoſtolorum vigeſimi-quarti, ideoque ex ejuſdem Canonis præſcripto eſſe Epiſcopatu amovendum. Sic enim teſtificatur Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſt. Franc. c. 18. *Ipſe verò* (Rex Chilpericus) *ad metatum diſceſſit tranſmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi Apoſtolicos, continentes*

Digitized by Google

*tinentes hæc : Epiſcopus in homicidio, adulterio aut perjurio deprehenſus à Sacerdotio divellatur.* Serius tandem ſæculo ſexto decurrente, quo primum Romæ prodiit Dionyſiana collectio quinquaginta Canonibus illis adaucta, illis authoritas acceſſit nova, non utique quaſi fabricatis communi Apoſtolorum decreto, aut conſenſu, ſed ex ſequenti Romanæ ſedis confirmatione: adeò ut eodem ſexto ſæculo Ioannes Papa ſecundus Epiſt. VI. ad Cæſarium Arelatenſem, inter Canones, ſecundum quos cauſam criminalem contumelioſi Reienſis Epiſcopi judicari jubet Apoſtolorum Canonum 25. attexuerit.

7. Inter priores illos 50. Canones, is qui ordine quintus legitur, ſtatuens ſegregationis & depoſitionis pœnas in Epiſcopum, Presbyterum aut Diaconum, qui religionis prætextu ſuam dimiſerit uxorem, veroſimiliter fuit olim ab Hæreticis, vel Schiſmaticis confectus. Atque adeò ſchiſmatica Synodus Quiniſexta, prætextu violationis eiuſdem & quorumdam Canonum aliorum ex illis Apoſtolicis, damnare præſumpſerit Romanam, cum cæteris Latinis, Eccleſiam. Cæterum Sanctus Papa Gregor. Magn. lib. 7. epiſt. 29. ritè diſtinguit cohabitationem domeſticam à conſortio tori, hoc aſtruens, licitam quidem eſſe ſacris Clericis domeſticam uxorum quas ante ordinationem duxerant ſollicitudinem & curam, ſed prohibitum omnino conjugij uſum. Et ſanè Concil. Arelatenſe ſecundum tempore S. Leonis Papæ primi celebratum, quamvis can. 3. prohibeat quemquam uxoratum ad Sacerdotium aſſumi, niſi præmiſſa ab utriſque conjugibus cælibatus fide, permittit tamen can. 4. ut Presbyteri & Diaconi converſam ſecum uxorem habeant. Id tamen non vacat periculo & peccati fomitem, & occaſionem ſuppeditat incontinentiæ, cuius luctuoſa exempla proferuntur à Siricio Papa epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum Cap. VIII. & à S. Baſilio epiſt. 198. ad Paregorium.

8. Igitur meliori cautione proviſum fuit, ne uxor vel uxoratus ad religionem, vel ſacrum ordinem aſſumatur, niſi conſorte conjuge religionem pariter aut ordinem ſacrum profitente. Sic enim poſterioribus temporibus ſancitum eſt ab Alexandro III. c. ad Apoſtolicam de converſ. conjug. Denique mirum eſt ad ſtabiliendam Canonum iſtorum Apoſtolicam autoritatem proferri à nonnullis Synodum Conſtantinopolitanam ſub Nectario, quæ ſanxit in cauſa Agapij & Bagadij non licere Epiſcopum deponi à duobus vel tribus alijs, ſed neceſſarium eſſe Synodi Provincialis judicium iuxta Apoſtolicos Canones. Controverti enim non debet ita fuiſſe olim ab Apoſtolis conſtitutum, ſed tamen extra vulgares illos octoginta quatuor Canones illis inſcriptos, & affixos, in quibus ea Sanctio nullatenus legitur, ſed potius aliquid quod videtur adverſari, Canone enim 74. decernitur duos ſufficere teſtes ad Epiſcopi depoſitionem, nihilque prorſus ſtatuit de Synodo Provinciali.

## *CANONES SANCTORVM APOSTOLORUM, per Clementem à Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopum, in unum congeſti.*

I. EPISCOPUS à duobus aut tribus Epiſcopis ordinator.

II. Preſbyter ab uno Epiſcopo ordinator, item Diaconus, & reliqui clerici.

III. Si quis Epiſcopus aut preſbyter, præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliqua animalia, aut legumina ſupra altare obtulerit, ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor: excepto novo frumento, & uva opportuno tempore. Præterea licitum non eſto aliud quippiam admovere ad altare, quàm oleum in candelabrum, & incenſum oblationis tempore.

IV. Omnium aliorum pomorum primitiæ Epiſcopo & preſbyteris domum mittuntor, non ſuper altare. Manifeſtum eſt autem, quòd Epiſcopus, & preſbyteri inter Diaconos & reliquos clericos eas dividunt.

V. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus uxorem ſuam prætextu religionis non abjicito: ſi abjicit ſegregator à communione: ſi perſeverat deponitor.

VI. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ſæculares curas non ſuſcipito: alioquin deponitor.

VII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ſanctum diem Paſchæ ante vernum æquinoctium cùm Iudæis celebraverit deponitor.

VIII. Si quis Epiſcopus aut Preſbyter, aut Diaconus, aut quicunque ex ſacerdotali conſortio, oblatione factâ, non communicaverit, cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minus dixerit, à communione excluditor tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, motâ contra eum ſuſpicione qui obtulit.

IX. Quicunque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud preces & ſanctam communionem permanent: eos tanquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, à communione arceri oportet.

X. Si quis cum excommunicato, licet in domo, preces conjunxerit, iſte communione privator.

XI. Si quis cum depoſito clerico, ut cum clerico preces conjunxerit, deponitor & ipſe.

XII. Si quis clericus, aut laïcus à communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus civitatem, ſine commendatitijs litteris receptus fuerit, à communione excluditor tam qui recepit, quàm qui receptus eſt. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.

XIII. Epiſcopo, qui parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licet à pluribus ad hoc compellatur, niſi rationabilis aliqua

aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quòd plus lucri & utilitatis his,qui illic conſtituti ſint, verbo pietatis conferre poſſit: neque hoc tamen à ſe ipſo, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & exhortatione maximâ.

XIV. Si quis Preſbyter, aut Diaconus, aut quicunque tandem de Clericorum conſortio, relictâ Parochiâ ſuâ, in aliam conceſſerit, & omnino tranſmigratione factâ, præter voluntatem ſui Epiſcopi in alia Parochia moram traxerit: hunc jubemus, ne porrò in miniſterio publico ſit Eccleſiæ, maximè ſi accerſente ipſum Epiſcopo ejus redire contemnat, perverſo illic ordine perſeverans: ut laïcus tamen ibi locorum in communionem admittitor.

XV. Quòd ſi Epiſcopus ad quem acceſſerint, pro nihilo reputatâ vacationis à miniſterio Eccleſiaſtico pœnâ, quæ contra eos definita eſt, ipſos ut Clericos ſuſceperit, à communione excluditor, ut perverſi ordinis magiſter.

XVI. Qui poſt Baptiſmum duabus implicitus fuit nuptijs, aut concubinam habuit, is Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

XVII. Qui viduam duxit aut divortio ſeparatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis, Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus, aut denique ex conſortio Sacerdotali eſſe non poteſt.

XVIII. Qui duas ſorores duxit, aut conſobrinam Clericus eſſe non poteſt.

XIX. Clericus, qui fidejuſſiones dat, deponitor.

XX. Si quis humanâ violentiâ eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia, aut ita natus fuit & dignus eſt, efficitor Epiſcopus.

XXI. Qui ſibi ipſi virilia amputavit, Clericus non efficitor: ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.

XXII. Si quis, cùm Clericus eſſet, virilia ſibi ipſi amputaverit, deponitor: homicida etenim ſui ipſius eſt.

XXIII. Laïcus, qui ſeipſum mutilavit, per tres annos, à communione ejicitor: putà quia ipſe vitæ ſuæ poſuit inſidias.

XXIV. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehenſus, deponitor: non tamen à communione excluditor. Dicit enim ſcriptura: Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni conſimiliter & reliqui Clerici ſubduntor.

XXV. Ex his, qui cœlibes in clerum pervenerunt, jubemus, ut lectores tantùm & cantatores (ſi velint) nuptias contrahant.

XXVI. Epiſcopum, aut Preſbyterum, aut Diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipſis per hujuſmodi vult incutere, deponi præcipimus. Nuſquam enim Dominus hoc nos docuit. Immo verò contra, cùm ipſe percuteretur, non repercutiebat: cùm laceſſeretur convitijs, non reddebat convitium: cùm pateretur, non comminabatur.

XXVII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ob certa crimina juſtè depoſitus, attingere miniſterium, quod aliquando tractaverat, præſumpſerit, omnino hîc ab Eccleſia abſcinditor.

XXVIII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu, hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipſe, quàm qui eum ordinavit, & omnino à communione abſcinditor, quemadmodum Simon Magus à me Petro.

XXIX. Si quis Epiſcopus ſæcularium magiſtratuum familiaritate uſus, per ipſos Eccleſiam nactus fuerit, deponitor, ſegregantor quoque à communione, quicunque cùm ipſo communionem habent.

XXX. Si quis Preſbyter, proprium aſpernatus Epiſcopum ſeorſum conventicula egerit, & altare erexerit, cùm de nullo crimine Epiſcopum in pietate ac juſtitia condemnarit, deponitor, quaſi qui principatum ambiat: tyrannus enim eſt. Conſimiliter & reliqui Clerici, qui ſuum illi calculum apponunt: Laïci verò à communione ſegregantor. Atque hæc poſt unam, & item alteram, ac tertiam Epiſcopi exhortationem fiunto.

XXXI. Si quis Preſbyter, aut Diaconus per Epiſcopum à communione excluſus ſit, hunc neutiquam ab alio fas eſto ſuſcipi, quàm ab eo qui ipſum à communione excluſit, niſi fortè fortunâ Epiſcopus, qui ipſum à communione ſegregavit, defunctus ſit.

XXXII. Nemo peregrinorum Epiſcoporum, aut Preſbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitijs ſuſcipitor literis: & ſi eas obtulerit, attentiùs in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi Prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor: ſin minùs, ubi neceſſaria ipſis ſuppeditaveritis, ad communionem & ulteriorem ipſos conſuetudinem non admittitote, multa enim per obreptionem fiunt.

XXXIII. Cujuſque gentis Epiſcopos oportet ſcire, quinam inter ipſos primus ſit, habereque ipſum quodãmodo pro capite, neq; ſine illius voluntate quidquam agere inſolitum: illa autem ſola quemque pro ſe tractare, quæ ad Parochiam ejus, & loca ipſi ſubdita attinent. Sed neque in illa citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia



Digitized by Google

cordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in ſancto Spiritu.

XXXIV. Epiſcopus extra terminos ſuos in civitatibus & regionibus ſibi non ſubjectis ordinationes facere non præſumito. Si verò præter voluntatem eorum, qui civitates illas aut regiones detinent, id feciſſe convictus fuerit, deponitor tam ipſe, quàm etiam hi quos ordinavit.

XXXV. Si quis ordinatus Epiſcopus miniſterium & curam populi ſibi commiſſam non ſuſceperit, hic à communione ſejunctus eſto tandiu, donec ſuſceperit, obedientiam accommodans. Similiter autem Preſbyter & Diaconus. Si verò non præ voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit, maneto ipſe quidem Epiſcopus: Clerus verò ejus civitatis à communione ſegregator, eò quod tam inobedientem populum non corripuerint.

XXXVI. Bis in anno Epiſcoporum celebrator ſynodus: ac pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocanto, neque non in Eccleſijs incidentes contradictiones dirimunto: ſemel quidem quartâ feriâ Pentecoſte *a* ſecundo duodecima Hyperberetei *b*.

XXXVII. Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam Epiſcopus gerito, & eas diſpenſato, quaſi inſpectante Deo. Non licitum autem ei eſto quidpiam ex ijs ſibi tanquam proprium aſſumere: aut cognatis ſuis elargiri, quæ Deo dedicata ſunt. Quod ſi pauperes illi ſint, ut pauperibus ſubminiſtrato: non tamen horum prætextu res Eccleſiæ venundato.

XXXVIII. Preſbyteri, & Diaconi abſque voluntate Epiſcopi nihil peragunto: ipſius enim fidei populus Domini commiſſus eſt, & pro animabus ab ipſo repetetur ratio.

XXXIX. Manifeſtæ ſunto privatæ res Epiſcopi: ſi modò & privatas habet: manifeſtæ item ſunto dominicæ, ut privatas quidem res Epiſcopus, cùm moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occaſione Eccleſiaſticarum rerum intercidant res Epiſcopi, qui nonnunquam uxorem & liberos aut cognatos, aut ſervos habet. Iuſtum enim eſt apud Deum pariter & homines, ſimul ne Eccleſia per ignorationem rerum Epiſcopi damni aliquid ſuſtineat, ſimul ne Epiſcopus aut cognati ejus prætextu Eccleſiæ oblædantur: aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejúſque mors implicetur diffamationibus.

XL. Præcipimus, ut Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ fidei ejus committendæ ſunt: multò utique magis oportuerit & de pecunijs mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur, neque non cùm timore Dei ſummaque ſollicitudine per Preſbyteros ac Diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem & ipſe (ſi modò indiget) quantùm ad neceſſarios ſuos & hoſpitio exemptorum fratrum uſus opus habet, ne quo modo ipſe poſteriore loco habeatur, quàm cæteri. Ordinavit enim lex Dei, ut qui altari inſerviunt, de altari nutriantur, quando nec milites unquam ſuis annonis hoſtibus arma inferant.

XLI. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel deſinito, vel deponitor.

XLII. Subdiaconus aut Cantor, aut Lector, qui conſimilia facit, vel deſinito, vel à communione ſejungitor. Similiter & laïci.

XLIII. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus qui uſuras à mutuum accipientibus exigit, vel deſinito, vel deponitor.

XLIV. Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus qui cùm hæreticis preces conjunxerit, duntaxat à communione ſuſpenditor. Si verò etiam ipſos tanquam Clericos aliquid agere permiſerit, deponitor.

XLV. Epiſcopum, aut Preſbyterum, qui hæreticorum baptiſma, aut ſacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus. Quæ etenim conventio inter Chriſtum & Belial? aut quæ particula fidelis cùm infideli?

XLVI. Epiſcopus aut Preſbyter, ſi eum, qui verum baptiſma habeat, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impijs non baptizaverit, deponitor, ut qui crucem & mortem Domini derideat: neque diſcernat veros Sacerdotes à Sacerdotibus impoſtoribus.

XLVII. Si quis laïcus, cùm ſuam à ſe uxorem abjicit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, à communione ſegregator.

XLVIII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, ſecundùm ordinationem Domini non baptizaverit in Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum ſed in tres principio carentes, aut tres filios, aut tres paracletos, deponitor.

XLIX. Si quis Epiſcopus: aut Preſbyter in una initiatione non tres immerſiones, ſed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate: ſed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

L. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut quivis omnino de Sacerdotali conſortio, nuptiis, & carnibus, & vino abſtinuerit, non propterea quò mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valdè, & quòd maſculum & fœminam Deus creavit hominem, ſed diffamationibus laceſſens

a *al. hebdomade.* b *Hyperbereteus apud Aſiæ populos & Macedones October Græcè dictus.*

laceſſens creationem Dei, vocat ad calumniam aut corrigitor, aut deponitor,& ex Eccleſia rejicitor, Conſimiliter laïcus.

LI. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter eum, qui à peccato revertitur, non recipit, ſed rejicit, deponitor, eò quod Chriſtum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui reſipiſcat gaudium oboriri in cœlo.

LII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus carnibus & vino, feſtivis diebus non utatur, idque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis deponitor, tanquam qui cauterio notatam habet conſcientiam, & multis auctor ſit offendiculi.

LIII Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excluditor: excepto tamen eo, qui neceſſariò in itinere in commune divertit hoſpitium.

LIV. Si quis Clericus Epiſcopum contumeliâ affecerit, deponitor: principi enim populi tui non maledices.

LV. Si quis Clericus contumelia affecerit Preſbyterum, aut Diaconum, à communione ſegregator.

LVI. Si quis mancum aut mutum, ſurdúmve, aut cæcum, aut eum, cui vitioſus inceſſus eſt, ſubſannaverit, communione privator. Conſimiliter & laïcus.

LVII. Epiſcopus, aut Preſbyter, qui negligentiùs circa Clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, à communione ſegregator. Si verò in ea ſocordia perſeveraverit, deponitor.

LVIII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, Clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditaverit, à communione rejicitor: ſin perſeverat, deponitor, ut qui fratrem ſuum necaverit.

LIX. Si quis falsò inſcriptos impiorum libros tanquam ſacros in Eccleſia ad populi & Cleri corruptionem publicaverit, deponitor.

LX. Si accuſatio contra fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacunque aliâ actione prohibitâ, & convictus fuerit, in Clerum non perducitor.

LXI. Si quis Clericus per metum humanum, vel Iudæi, vel Græci vel hæretici negaverit, ſiquidem nomen Chriſti, ab Eccleſia rejicitor: ſi verò nomen Clerici deponitor: pœnitentiâ tamen ductus, ut laïcus recipitor.

LXII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunque ex Sacerdotali conſortio comederit carnes in ſanguine animæ ejus, aut à beſtiis abreptum, aut ſuffocatum, deponitor: hoc enim lex prohibuit. Sin verò laïcus fuerit à communione excluditor.

LXIII. Si quis Clericus, aut laïcus, Synagogam Iudæorum, aut hæreticorum conventiculum ingreſſus fuerit, ut preces cùm illis conjungat, deponitor, & à communione ſecluditor.

LXIV. Si quis Clericus in concertatione aliquem pulſaverit, & uno ictu ac pulſatione interemerit deponitor, propter temeritatem ſuam. Sin verò laïcus ſit, arcetor à communione.

LXV. Si quis Dominicum diem, aut Sabbatum, uno ſolo dempto jejunare deprehendatur, deponitor: ſin laïcus, à communione ejicitor.

LXVI. Si quis Virginem ſibi non deſp[illegible]ſatam admotâ vi detinet, à communione ſuſpenditor. Non licitum autem eſto ei aliam ducere: ſed eam detineto, quam ſollicitavit, quamvis paupercula ſit.

LXVII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit, deponitor tam ipſe, quàm qui ipſum ordinavit: niſi fortè conſtet ordinationem eum habere ab hæreticis. Qui à talibus baptizati, aut ordinati ſunt, hi neque fideles, neque Clerici eſſe poſſunt.

LXVIII. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam Feriam, aut Paraſceven non jejunaverit, deponitor: præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laïcus ſit, communione privator.

LXIX. Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunque ex Clericorum conſortio cùm Iudæis jejunaverit, aut communem feſtum diem cùm ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud hujus generis, ab eis ſuſceperit, deponitor: ſi laïcus à communione ſegregator.

LXX. Si quis Chriſtianus oleum ad ſacrâ gentilium aut in Synagogam Iudæorum in feſtis eorum detulerit, aut lucernas incenderit, à communione excluditor.

LXXI. Si quis Clericus, aut laïcus ceram aut oleum ex ſancta ſubripiat Eccleſia, à communione ſejungitor.

LXXII. Vas aureum & argenteum ſanctificatum, aut velamen linteúmve, nemo amplius in ſuos uſus aſſumito, iniquum enim eſt. Cæterùm ſi quis deprehenſus fuerit, excommunicatione mulctator.

LXXIII. Epiſcopum de aliquo per fide dignos accuſatum homines, ab Epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſi quidem comparuerit, & confeſſus convictúſve fuerit, cenſura irrogator Eccleſiaſtica. Si verò vocatus non obtemperaverit, ſecundâ quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum Epiſcopis. Quod ſi per contumaciam ne ſic quidem

comparuerit

Digitized by Google

comparuerit Synodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, nequid tergiverſando detrectandóque judicium lucrifacere videatur.

LXXIV. In dictionem teſtimonij contra Epiſcopum hæreticus non admittitor: ſed neque fidelis, ſi ſolus ſit. In ore enim duorum aut trium teſtium conſiſtet omne dictum.

LXXV. Item non oportet Epiſcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato humano gratificari affectu. Neque enim Eccleſiam Dei conferre debet in hæredes. Enimverò ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipſe autem excommunicatione percellitor.

LXXVI. Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitor: non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.

LXXVII. Qui verò mutus ſurdúſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitor, non quia oblæſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munia.

LXXVIII. Si quis dæmonem habeat Clericus non efficitor, ſed neque cùm fidelibus preces fundito. Mundatus verò recipitor: & ſi dignus fuerit, efficitor.

LXXIX. Qui ex vita gentili advenerit, & baptizatus eſt, aut ex converſatione prava, eum juſtum non eſt protinus promoveri in Epiſcopum. Injurium enim eſt, eum, qui non priùs ſpecimen & documentum de ſe præbuerit, aliorum Doctorem exiſtere: niſi alicubi dono divinæ gratiæ hoc fiat.

LXXX. Dicimus, quod non oporteat Epiſcopum, aut Presbyterum publicis adminiſtrationibus immittere: ſed vacare, & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, juxta præceptum Dominicum.

LXXXI. Servi ſi in Clerum promoveantur citra dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem: Si quando verò ſervus quoque gradus ordinatione dignus videatur (qualis & noſter Oneſimus apparuit) & Domini conſenſerint, manúque emiſerint, & domo ſuâ ablegaverint, efficitor.

LXXXII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui militiæ vacaverit, & ſimul utrumque retinere voluerit, tam Officium Romanum, quàm functionem Sacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ Dei, Deo.

LXXXIII. Quiſquis Imperatorem aut Magiſtratum contumeliâ affecerit, ſupplicium luito, & quidem ſi Clericus ſit deponitor: ſi laïcus, à communione removetor.

LXXXIV. Sunto omnibus vobis, Clericis ſimul & laïcis venerandi ac ſacri libri, veteris quidem teſtamenti, Moïſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Ieſû filij Nave unus. Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Derelictorum ex libro dierum, Duo. Heſter unus. De Machabæorum geſtis tres. Iob unus. Pſalterium unus. Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum. Prophetarum duodecim. Vnus Eſaiæ. Hieremiæ unus. Ezechiel unus. Daniel unus. Inquiritor autem à vobis extrinſecus, ut adoleſcentes veſtri addiſcant item Sapientiam eruditi Syrach. Noſtra verò, hoc eſt, novi teſtamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis. Pauli epiſtolæ quatuordecim. Petri epiſtolæ duæ. Ioannis tres. Iacobi una. Iudæ una. Clementis epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ vobis Epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt: quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in ſe continent. Et actiones noſtras Apoſtolorum.

## *DE CONCILIIS ECCLESIÆ:*
## *De differentia, & convocatione eorumdem, de perſonis, &c.*

### OBSERVATIONES.

1. PHILO, olim à Sancto Eccleſiæ Doctore Epiphanio conſecratus Carpathiorum Epiſcopus, exponens iſta Cantici Salomonis verba *Capilli tui ſicut greges caprarum.* Scribit, Eccleſiæ ſponſæ Chriſti capillitium eſſe ſancta Concilia. Quemadmodum enim teſtante Apoſtolo 1.Cor.11. mulieri ad ipſius ornatum capillos Deus conceſſit, ita etiam ex Sacris Conciliis decorem & dignitatem acquiri Eccleſiæ mirificam & præcipuam. Per hæc enim divinum numen Chriſtianos populos edocet omnem fidei veritatem, ſacraſque regulas præſcribit, quarum ductu fulcitur ſacra diſciplina Chriſtianorum, mores virtutibus illuſtrantur, & univerſa Eccleſia, ut ſponſam Chriſti decet, ſanctitatis ornamentis decoratur. Hæc attendentes Concilij Conſtantienſis ſapientiſſimi Patres hæc aſſeruere ſect.39. *Conciliorum generalium celebratio agri dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, tribulos, & ſpinas hæreſeum & errorum & ſchiſmatum extirpat; exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum verò defectus ac neglectus præmiſſa mala diſſeminat; atque fovet.*

2. Conciliorum celebrandorum jus & poteſtas, quâ potitur Eccleſia, ex ipſo divino jure atque Apoſtolicis traditionibus derivatur. Id præcipuè docet Apoſtolorum Concilium decreto ſuo, Spiritus ſancti auctoritatem aſciſcens his verbis. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Act.15. Ipſeque Dominus Deus ſic effatur, Matth.18. *Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi in medio eorum ſum.* Hoc enim Chriſti oraculum Cæleſtinus Papa in epiſt. ad Concil. Epheſinum; & Concilium Chalcedonenſe in ſua ad Leonem Papam

epiſt. Synodica. Inſuper & ſexta Synodus act.17. ſacris Eccleſiæ Synodis accommodant.

3. Quatuor dinumerantur Conciliorum differentiæ. 1.Generalium ſeu Oecumenicorum. 2.Nationalium. 3. Provincialium. 4. Diœceſanorum. Generalia illa ſunt ad quæ conveniēdi jus habent omnes & ſinguli univerſæ Eccleſiæ Epiſcopi, quibus præſidet, vel per ſe, vel per Legatos à ſe miſſos, Summus Pontifex. Nationalia illa ſunt ad quæ convocantur unius alicujus regni vel nationis Præſules,quibus aliquis Patriarcha vel Primas præſidet,aut nonnunquam ipſe Papa, miſſive Pontificij Legati. Qui enim poteſt Concilia generalia ob collatam ſibi à Chriſto autoritatem indicere per univerſam Eccleſiam, eádem ratione minora poteſt Concilia in aliqua Eccleſiæ regione convocare, qualia pleraque habemus Gallicana: quibus nunc Summus Pontifex, nunc Pontificij Legati, prout ipſi Papæ viſum fuerat, præſederunt. Provincialia demum Concilia unius Provinciæ finibus coërcentur. Atque iſta veteres Canones bis unoquoque anno cogi à Metropolitanis ſtatuère. Tres iſtæ Conciliorum ſpecies Generalium, Nationalium, Provincialium, commemorantur ab Auguſtino hæc dicente lib.2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.3. *Concilia Provinciarum,vel etiam majora qualia ſunt regionum, à plenariis Conciliis emendantur.* Quinetiam ipſa nationalia interdum à Patribus nomine generalium & univerſalium deſignantur. Atque ut alios ſileam ipſe Auguſtinus eodem lib.2. de Baptiſmo cap.9. vocat primum Arelatenſe, in quo ſoli convenere Occidentis Epiſcopi plenarium, univerſale, & univerſæ Eccleſiæ Concilium.

4. Nec tantùm minoribus Conciliis majora ſic prævalent, ut ea emendare valeant, ſicut paulò ante dictum eſt; ſed etiam à poſterioribus Synodis priores, tametſi non minores, revocantur aut emendantur. Præſtat ipſum audire Auguſtinum eodem lib.2. de Baptiſmo cap.3. dicentem: *Ipſa Concilia, quæ per ſingulas Diœceſes vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambiguitatibus cedere: ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Hujuſmodi quamplurima occurrunt exempla in iſta, quam proſequimur, notitia Conciliorum.

5. Diſcrimen inter generalia, & his minora Concilia, non conſiſtit in majore vel minore Prælatorum qui interſunt numero: Contigit enim aliquando numeroſiorem eſſe cœtum Concilij nationalis, quam fuerit Concilij generalis. Secunda œcumenica, ſub Damaſo Papa, Synodus,Conſtantinopoli habita, non plures quàm centum quinquaginta numeravit Antiſtites, cum tamen nationalis Carthaginenſis, cui Sanctus interfuit Auguſtinus, ducentis & ſeptemdecim Epiſcopis conſtiterit, teſte Proſpero in Chronico. Sola itaque convocatio ex legitima autoritate promanans, plureſque Provincias complectens, totum facit in hac re diſcrimen. Si ergo Summus Pontifex,cujus utique eſt in univerſam Eccleſiam poteſtas, univerſos ad Concilium Catholicos Epiſcopos acciverit, id erit Oecumenicum, ac Generale: Sed ſi Summus idem Pontifex, aut Patriarcha,vel Exarchus,aut Primas,unius tantummodò regionis Antiſtites advocaverit, quantocumque numero convenerint,illud erit Nationale.

6. Iudices in Conciliis neceſſarij,atque ex jure divino ordinarij, non alij ſunt quàm Epiſcopi. His enim regimen Eccleſiæ ſuæ credidit ejus ſponſus Chriſtus Ieſus; his eiſdem Spiritus ſanctus ex officio proprio ipſorum præcipit, Act.20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiā Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Iure autem Eccleſiaſtici privilegij S. R. E. Cardinales, tametſi non Epiſcopi, judices in Conciliis exiſtunt. Propagatum fuit hoc idem ab Eccleſia privilegium ad Abbates conſecratos & Ordinum regulariū Generales,adeò ut ex diutina conſuetudine jus iſtud eis acceſſerit: Univerſa enim Latinorum generalia Concilia huic juri præluſerunt. Quin etiam in Nicæno ſecundo, quod Græcorum fuit, univerſali Concilio Act.4. legimus ſubſcriptos, unà cum Epiſcopis, Archimandritas & ἡγουμένους, id eſt, Abbates, ac regulares Præſules. In libro quoque Pontificali ſtatuitur, ut qui ab Epiſcopis benedicuntur Abbates ſeſe jurejurando aſtringant accedendi ad Concilium quotieſcumque à Papa vocabuntur.

7. Presbyteri aliquando,ſapientiâ & eruditione præcellentes, admiſſi ſunt ad ſuffragia in Conciliis conſultiva, aut etiam ut præſentes hæreſiarchas diſputando convincerent, ac expugnarent. Ea de cauſa Origenem ad Concilium Arabicum introduxerunt Epiſcopi, qui tantâ rationum vi naſcentem quandam hæreſim profligavit,ut illius auctores & ſectatores, in eo ipſo Præſulum cœtu, ad Catholicam fidem revocarit, ut teſtatur Euſebius lib.6. Hiſt. Eccl. cap.37. Qui idem lib.7. cap.28. refert admiſſum in Synodum Antiochenam fuiſſe Malchionem Presbyterum, ad refutandum & impugnandum Paulum Samoſatenum hæreſiarcham, propter quem Synodus indicta fuerat, idque Malchionem ſtrenuè & feliciter præſtitiſſe. Rufinus, & Socrates perhibent, Alexandrum Alexandriæ Antiſtitem ſecum ad Nicænum Concilium Athanaſium Diaconum adduxiſſe. Hunc verò acerrimè adverſus hæreſiarcham Arium,ejuſque fautores Epiſcopos inſtitiſſe.Quod idem in Conſtantienſi Concilio factum legimus, adverſus Ioannem Hus & Hieronymum Pragenſem, pariter Hæreſiarchas: præſtitumque ſimiliter fuiſſet in Tridentino,ſi Luterani & Sacramentarij indulto ſibi uti voluiſſent commeatu.

8. Præter iſtam quam attigi cauſam, tres alias obſerva, propter quas ſæpenumero viſum fuit Epiſcopis, ut Clerici ſecundi ordinis intra Synodos introducerentur, ſcientiâ & prudentiâ inſignes; quibus etiam deciſivum ſuffragium impertiebantur. Præter hos itaque ſolebant alij intromitti Epiſcoporum abſentium procuratores, qui votum ferebant deciſivum quale habuiſſent Epiſcopi à quibus mittebantur, & quorum vices gerebant. Denique vocari ſolent alij ad ventilandas & examinandas in privatis Congregationibus propoſitiones quarum poſtea definitivum judicium non ipſis quidem ſed Epiſcopis in Concilio reſervatur.

9. Sacerdotes hoc fine ad Concilium vocati, ut communibus cum Epiſcopis votis res deciderent, ac definirent, non ſedebant tamen promiſcuè cum Epiſcopis; ſed ab horum tergo: quemadmodum etiam ſejunctim poſt Epiſcopos ſubſcribebant. Idipſum liquet ex Synodicis antiquis ſubſcriptionibus quæ ſuperſunt.Concilium Eliberitanum iſto inchoatur exordio: *Cum conſediſſent ſancti & religioſi Epiſcopi in Eccleſia Eliberitana,*

*reſiden*

Digitized by Google

*reſidentibus etiam viginti & ſex Presbyteris, adſtantibus Diaconis & omni plebe.* Romanum ſimiliter Concilium relatum à S. Gregorio Magno lib. 4. epiſt. 44. ſic habet: *Gregorius Papa coram ſanctiſſimo Beati Petri corpore, cum Epiſcopis omnibus ac Romanæ Eccleſiæ Presbyteris reſidens, aſtantibus Diaconis & cuncto Clero.* In cujus Concilij fine ſubſcribunt poſt Gregorium Papam duo & viginti Epiſcopi, & ſeorſim ab his complures Presbyteri. Concilium pariter Toletanum, can. 4. præſcribit iſtam habendi Concilij formam: Poſt ingreſſum Epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde Presbyteri, quos cauſa probaverit introire. Nullus ſe inter eos ingerat Diaconorum. Poſt hos ingrediantur Diaconi probabiles quos ordo probaverit intereſſe. Et coronâ factâ de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteri à tergo eorum reſideant. Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent. In primis Apoſtolorum Synodis, in quibus licuiſſet eis, ſi libuiſſet, alios excludere quoſcumque, legimus in Actis Apoſtolorum cap. 1. & 6. & 15. admiſſos etiam ad ſuffragium definitivum Presbyteros ſeu Seniores.

10. De procuratoribus Sacerdotibus, quos ad Concilia mittebant ij Epiſcopi, qui per ſe intereſſe nequibant, diverſimodè actum comperio inter Orientales Synodos & Occidentales. In Orientalibus plagis convocatis Synodis, ad eumdem ſeſſionis ſuffragij & ſubſcriptionis ordinem recipiebantur Presbyteri, qui Epiſcopis, eos delegantibus, ſi præſentes fuiſſent, debebatur. Facilè id compertum cuivis percurrenti acta & ſubſcriptiones Nicenæ primæ, & Nicenæ ſecundæ, necnon Conſtantinopolitanarum, & Epheſinæ, & Chalcedonenſis, ipſiuſque licet ſchiſmaticæ Quiniſextæ. At verò diverſa viguit conſuetudo in Occiduarum regionum Conciliis. In his enim Sacerdotes, abſentium Epiſcoporum vicem gerentes, votum quidem ferebant deciſivum, non tamen inter Epiſcopos conſedebant, & ſeorſum ab ipſis ſubſcribebant. Id liquet ex primo Arelatenſi Concilio, ex Romano primo ſub Pontifice Symmacho, ex Agathenſi, ex Aurelianenſibus ſecundo, tertio, quarto, & quinto: (nam in Aurelianenſi primo ſoli Pontifices ſubſcripſere) præterea ex Cabilonenſi, ex Africanis Conciliis, temporibus Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Cæleſtini Romanorum Pontificum, ex Hiſpanicis etiam Eliberitano, Ilerdenſi, Valentino, Egarenſi, & pleriſque Toletanis.

11. Longè aliud tamen ſemper, & ubique terrarum obſervatum in Apoſtolicis Legatis fuit; non ſolùm in Epiſcopis, ſed etiam in ſecundi ordinis Sacerdotibus, & Diaconis: quippe quibus honoratior ſedes ſemper reſervata fuit, etiam ante omnes Patriarchas, & Primates. Pius Papa Quartus, inſtaurato quod fuerat intermiſſum Tridentino Concilio, edixit de Primatibus, tam veris quàm prætenſis, ut promiſcuè inter Metropolitanos juxta conſecrationum ſuarum tempora ſederent, exeunte Decembri anno 1562.

12. Quales ingenio, & peritiâ viri ſint ad Eccleſiæ Concilia convocandi, & quantùm interſit delectum habere perfectiſſimè verſatorum in ſacris Literis, in Eccleſiaſticis Hiſtoriis, in Conciliis & Canonibus Eccleſiæ, nec non in rebus ſolerter agendis, docet defœcatiſſimi ingenij Cardinalis Jacobus Sadoletus in ſua ad Paulum Tertium epiſtola, de indicendo Concilio generali ſollicitum. Ea verò eſt numero ſeptima libri duodecimi in qua hoc etiam admonet: *Etenim ſi confidit Sanctitas tua res bene proceſſuras, horum Theologorum ope, qui Doctoribus in iſtis recentioribus tantùm exercitati ſunt, credat mihi ipſa, in quo mentiri cupio, acerbiore diſſidio, & multiplicatis erroribus nos ex Concilio eſſe diſceſſuros.* Ratio quæ Sadoleti animum movebat hæc ipſa erat, quia antiquiorum Eccleſiæ rerum ignoratio, cum illa diſputandi acrimonia & uſitatiſſima inter contendentes in Scholaſtico pulvere contumacia, non tam de veritate, quàm de varia ingenij oſtentatione ſollicitis, quæque illos cogit, ne cedere videantur, ad tricas, & plenas ambagibus argutias recurrere, prorſus eſt ingenuæ ſinceritati, omnique veritatis perſpicuitati inimiciſſima.

13. In œcumenicis Synodis poſſunt Legati qui præſident, literas privatas ad ſe ſcriptas etiam ex parte Regum, & Rerumpublicarum recipere, privatim aperire & legere. Si his perlectis aliquid offendunt, de quo ſit admonendus patrum conſeſſus, re illâ cum conſultoribus & Collegatis agitatâ, proponendum erit univerſo conſeſſui. Quæ verò literæ non privatim ad Legatos, ſed ad univerſum Concilium diriguntur, hæ non niſi conſultis patribus aperiendæ ſunt, niſi earum literarum auctor alias privatim ad Legatos, aut unum ex eis ſimul direxiſſet, per quas ipſius Legati arbitrio ac prudentiæ permitteret, eas quæ ad univerſum Concilium ſcriptæ ſunt, vel proferre, vel ſupprimere. Quod autem ſpectat ad alias deliberationes in Concilio agitandas, harum propoſitio eſt de officio Legatorum, aut conſultorum Legatis adjunctorum diſcutienda, re tamen priùs cum Legatis accuratè examinatâ. Singulis autem qui ad Concilium convenêre liberum eſt quæ ſibi proponenda videbuntur, ſcriptis in manus Legatorum aut conſultorum conſignare. Sic enim occurretur confuſioni, ſuperfluitati & rerum inutilitati, perſonarumque contentioni, atque diſſenſioni futuræ, ſi ſinguli quæcunque menti occurrunt vellent in communem deliberationem adduci.

14. Si Papam rebus humanis ſubduci contingeret, quo tempore generale Concilium celebratur, non pertineret ad Concilium electio ſucceſſoris; ſed ad ſolos Cardinales, quibus id officij incumbit. Exemplum præceſſit in Concilio Conſtantienſi, quod etſi jus ſibi aſſeruiſſet Pontifices Romanos tunc inter ſe contendentes abdicandi, non tamen eligendi eorum loco ſucceſſoris. Judicio itaque Concilij Cardinales id negotij ſuſcepere, à quibus ſeorſum intra conclave Martinus, qui vulgò quintus dicitur, ad Petri Cathedram promotus fuit. Paulus etiam Papa tertius, antequàm indiceretur ab eo Tridentina Synodus, decreto ſpeciali Congregationis Cardinalium conſtituerat, ut ſi Papam mori contingeret, dum celebratur generale Concilium, Cardinales Sanctæ Eccleſiæ tantiſper è Concilio ſecederent, Romamque commigrarent, atque inter ſe ſucceſſorem Apoſtolicum Eccleſiæ Dei providerent. Hæc edita conſtitutio eſt deſinente Octobri anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ut ſcribit Cardinalis Sforcia Palavicinus, Hiſtoriæ Concilij Trident. p. 1. cap. 1.

15. Præliminaria Conciliorum ineundorum hæc obſervanda ſunt. Indictio ſolemnis jejuniorum, nec non publicatum ſimul, privatarumque ſupplicationum, ad implorandam divini numinis opem & præſidium; ſimulque diei publicatio, quo ſacrum Concilium auſpicandum & inchoandum erit.

erit. Qua in re habenda ratio eſt temporis, intra quod remotiorum Eccleſiarum Antiſtites commodè poſſint ad Concilij deſignatum locum proficiſci. Die condictâ conveniunt patres, horâ conſtitutâ, in aulam Palatij deſtinati, atque ibidem ſinguli à propriis famulis, aut camerariis veſtiuntur, & ornantur propriæ dignitatis inſignibus, ut ſunt mitræ, pluvialia, caſulæ, dalmaticæ. Exinde, pro ſui gradus & conſecrationis ordine, bini & bini in baſilicam deſtinatam, & magnificè adornatam ſilentio procedunt, præeunte ſanctæ Crucis vexillo. Chorum ingreſſi flexis genibus orant: tum hymnus invocationis ſancti Spiritus altâ voce ab omnibus concinitur, aliæque ſuccedunt preces. Miſſam univerſi ex præparatis undique ſedibus & ſubſelliis reverenter audiunt; Concio de ſuggeſtu ab inſigni oratore pronunciatur. His præmiſſis plebs foras emittitur, & fores loci obſerantur: conſident ſuo ordine patres, diploma indictionis Sacri Conventus legitur; officiales Concilij eliguntur, leges in Concilio ſervandæ promulgantur; Oratores Principum admittuntur, viſis & perlectis ipſorum literis commonitoriis: & deinceps quæſtiones in ſacro cœtu definiendæ proponuntur, rationes ex utrâque parte accuratè expenduntur, explorantur & definiuntur; nonnunquam in alios dies pleniùs examinandæ differuntur. Quæ definita fuere in ſcripta rediguntur, eorumque demum approbatio & confirmatio à ſummo Eccleſiæ Hierarcha, ſeu Pontifice humilibus precibus poſtulatur.

16. Prima quidem Nicæna Synodus inita fuit intra aulam Palatij Conſtantini Magni, ut in illius Vitæ lib. 3. cap. 12. fidem facit Euſebius. Sexta etiam Synodus contra Monothelitas, præſente Conſtantino Pogonato habita eſt in regiarum ædium laqueato loco, qui Trullus vocabatur, in quo etiã coacta poſtmodum fuit Synodus Quiniſexta. Oecumenica verò ſecunda Synodus Conſtantinopoli conſedit in ſacra æde Sanctorum martyrum Pantaleonis & Marini, quæ ex unanimi Epiſcoporum conſenſu nomen ὁμονοίας, id eſt concordiæ ſortita eſt, ut ſcribit Ioannes Damaſcenus, tract. 3. de Imaginibus. Similiter Epheſina in æde Beatæ Mariæ, & Chalcedonenſis in Templo Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ. Nicæna altera in ejus urbis primario templo. Synodus denique octava in baſilica divinæ Sophiæ ſacra.

17. Conſuetudo ab antiquo invaluit, ut in medio Concilij ſolio ſuper pulvinari collocaretur ſacer Evangeliorum codex: nonnunquam etiam veneranda lipſana, ſeu reliquiæ, ut factum legimus in actis Synodorum Chalcedonenſis, Nicenæ ſecundæ, & ultimæ Conſtantinopolitanæ, quæ octava dicitur.

18. Præcipui qui inter præliminaria Conciliorum eligendi ſunt officiales, ſunt conſultores, qui Legatis præſidibus aſſiſtunt in omnibus quæ agenda, proponenda, vel dirigenda ſunt. Notarij qui quæ dicuntur, proponuntur, poſtulantur & conſtituuntur, in ſcripturam redigunt. Promotores ſeu Procuratores qui culpas & tranſgreſſiones decretorum Conciliarium obſervant, & poſtulant emendari. Scrutatores qui ſingulorum ſcrutinia excipiunt, in ſcripta referunt, & ad menſam conſultorum deferunt numeranda.

19. Inſtituendæ pariter ſunt ab initio ſelectorum Doctorum congregationes, in quibus, ſeorſim à cœtu Concilij, accuratè diſceptentur per rationes & ſuffragia, non deciſiva aut definitiva, ſed tantùm conſultiva, propoſitiones & quæſtiones poſtmodum in ipſo Concilio dijudicandæ, ac definiendæ. Ad hujuſmodi diſceptationes prævias pertinere videtur illa S. Ambroſij ad Evangelium Lucæ expoſitio. *Duc rete in altum*, id eſt in profundum diſputationum, ne quid ſcilicet, niſi bene antea exploratum, decernatur.

20. In poſtremis demum Concilij ſeſſionibus illic editi Canones releguntur, ſubſcribunt Concilij Patres, Apoſtolicum rogant ut decreta confirmet: quemadmodum factum legimus à Synodi Chalcedonenſis Patribus, apud Pontificem Leonem Magnum, his verbis: Ὡς θεῷ κυβερνώμενοι [illegible] πᾶσαν ὑμῖν τῶν πεπραγμένων τὴν δύναμιν ἐγνωρίσαμεν εἰς σύστασιν ἡμετέραν καὶ τῶν πεπραγμένων, βεβαίωσίν τε καὶ συγκατάθεσιν. Vt nutu divino gubernati, omnem vobis geſtorum vim inſinuavimus, ad noſtræ ſinceritatis comprobationem, atque ad eorum quæ à nobis geſta ſunt confirmationem, & conſenſum.

### *Apoſtolorum Concilia.*

1. Tria legimus in Actis Apoſtolorum coacta ab ipſis, atque habita Concilia. Primum quidem quo in locum perfidi Iudæ Matthias à cœtu diſcipulorum ſublectus eſt; qui convenere numero circiter centum viginti Act. 1. Petrus ut ſacri Collegij præfectus ac præſes, & conventum indixit & faciendam propoſuit electionem. Subjungitque ſacer hiſtoricus. *Et ſtatuerunt duos, Ioſeph qui vocabatur Barſabas qui cognominatus eſt Iuſtus, & Matthiam.* Nimiùm demiſsè & abjectè, meo quidem judicio, de hac Matthiæ promotione ſentit venerabilis Beda. Scribens namque in primum iſtud caput, exiſtimat debuiſſe diſcipulos per electionem procedere, quæ tutior atque rationi, & Canonibus inſequentibus conformior via eſt: atque in hoc facto non fuiſſe à culpa immunes, quatenus, omiſsâ electione, rem tanti momenti ſortibus commiſerunt: ſed tamen in hoc excuſandos quia nondum in eos fuerat Spiritus ſanctus illapſus.

2. Verumtamen in oppoſitum contendunt cæteri Eccleſiæ Doctores, Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique; & cum his maxima inſequentium Theologorum pars, proceſſum fuiſſe à Diſcipulis per electiva ſuffragia, & hac ratione conſtitiſſe duos præ reliquis Apoſtolico faſtigio eſſe digniores: ſed cum adhuc ambiguum eſſet uter amborum Deo eſſet acceptior, ad orationem recurriſſe, atque ad ſortes per ſpiritum Dei dirigendas: de quibus nunc nobis agendum conformiter ad Eccleſiæ Doctorum mentem.

3. Præſtiterit in primis ipſius Ioannis Chryſoſtomi os aureum audire, qui locum iſtum exponens, ter aſſeverat electionem à multitudine factam. *Quamobrem* (inquit) *exordiens Petrus dicebat, viri fratres, oportet* ELIGERE *ex nobis. Multitudini permittit judicium, ſimul eos qui* ELIGEBANTVR *reddens reverendos & ſeipſum liberans ab invidia, ſimultateque, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam hæc ſemper ingentia gignit mala. Quod igitur ſic oportuit fieri docuit, adducto Propheta teſtimonio: ex quibus autem oporteat fieri* ELECTIONEM *ipſe interpretatur, dicens; ex Congregatis nobis per omne tempus.*

4. Libet jam Origenis, qui Chryſoſtomum ætate longè præceſſit, ſubjungere teſtimonium homil. 23. in Ioſue, *Invenio* (ait) *quod aliquando, cum*

Digitized by Google

*cum deeſſet numero Apoſtolorum unus Apoſtolus, ut eſſet neceſſarium in loco Iudæ alium ſubrogari, convenientes Apoſtoli, qui utique multò ſapientiores quàm ij, qui nunc Epiſcopos vel Presbyteros vel Diaconos ordinant,* ELEGERVNT *duos & ſtatuerunt in medio. Nec tamen de his ſibimetipſis judicium permiſerunt, ut illum facerent quem ipſi volebant: ſed orantes, inquit, miſerunt ſortem ex illis duobus quos ſtatuerunt in conſpectu Dei, id eſt Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus, & Matthiam. Et cecidit, inquit, ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Diſcipulis. Præcedente namque oratione, non jam caſu, ſed providentiâ ſors divinum judicium deferebat.* Ita Origenes.

5. Tertius in medium teſtis adducatur Auguſtinus, hæc dicens in Pſal. 30. concio. 2. *Sors non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Iudas tradito Domino perijt, & ſicut de illo ſcriptum eſt, abijt in locum ſuum, cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur.* ELECTI *ſunt duo judicio humano &* ELECTVS *eſt de duobus unus judicio divino.* Sic Auguſtinus.

6. Poſteriora deinceps ſæcula confertiſſimam teſtium veritatis nubem ſuppeditant, quam proferre ſupervacaneum ſit. Non tamen pigebit, aliis quamplurimis prætermiſſis, Nicolaum Liranum adducere ſic dicentem: *Et ſtatuerunt duos. Non diſtinxerunt ab aliis per ſortem ſed per* ELECTIONEM *tanquam magis notabiles ex ſcientia, & factorum Chriſti experientia.* Et poſt pauca. *Et orantes dixerunt. Tu Domine. Licet enim iſtos* ELEGISSENT *ut notabiliores aliis, ſicut dictum eſt, tamen ignorabant quis eorum eſſet dignior ad Apoſtolatum: propter quod imploraverunt ſuper hoc divinum judicium, per temperationem ſortium, ſecundum quod dicitur Prover. 16. Sortes in ſinum mittuntur, & à Domino temperantur.* Sic Liranus.

7. Noviſſimis ſæculis hæc iſtius loci de electione intelligentia magis invaluit, ex Græcarum literarum peritia, quâ carebant ætatis mediæ Theologi, tametſi conſtantes hujuſce veritatis aſſertores. Itaque, ubi tranſlatio vulgata dicit, *& annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis,* ipſe Sancti Lucæ contextus, quem certum eſt Græcè ſcripſiſſe, ſic effert ϗ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων. Quæ verba Ioannes Gagnæus, Theologis Pariſienſis probatiſſimus, juxta Græci verbi indubitatam proprietatem vertit. *Et calculis omnium cooptatus eſt cum undecim Apoſtolis.* Franciſcus quoque Vatablus, Regius Pariſijs ſacrarum Literarum Profeſſor, ſic exponit *ſuffragijs additus eſt ad numerum undecim.* Xanthes inſuper Pagninus, & Arias Montanus, ita vertunt *ſimul ſuffragijs electus eſt cum undecim.* Cornelius quoque à Lapide ſic exponendum dicit, juxta Græcum S. Lucæ archetypum: communibus calculis cooptatus eſt. His diſertè ſuffragantur Alfonſus Salmeron & Lorinus.

8. Illa tamen facta per Diſcipulos electio nihil obeſt, quominus Matthias profiteri poſſit cum Paulo ad Galatas ſcribente, eſſe ſe Apoſtolum. *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum.* Cum perſpicuum planè ſit non ante cœpiſſe, aut extitiſſe hujus Apoſtolatum, niſi ex quo divinitus directa ſors in ipſum cecidit. Quis verò neget has ipſas ſortes circa ambos diſcipulos fuiſſe ab hominibus datas? cum id liquidò teſtetur Lucas. *Et dederunt* (non alij ſanè quàm diſcipuli, qui homines erant) *ſortes eis.* Et tamen ſortes iſtæ, ab hominibus collatæ, nihil huic divinæ vocationi obſiſtunt, ſed famulantur, & inſerviunt. Deus enim eas ad hunc finem ſuâ peculiari providentiâ direxit. Atteſtante Salomone. *Sortes in ſinum mittuntur, & à Domino temperantur.*

9. Iſte nimirum eſt conſtans divinæ Providentiæ ordo, & diſpoſitio, ut creatas & naturales cauſas inflectat, ad ſibi propoſitos, quantumvis ſupernaturales, ſublimeſque fines. Exercitium piſcandi prorſus humanum & deſpicabile contribuit vocationi ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, in perſonis Petri, Andreæ, Ioannis & Iacobi. Chriſtus enim, in littore maris Galileæ obambulans, eos à piſcatione piſcium traduxit ad piſcationem hominum. Egreſſus Samaritanæ mulieris ad hauriendam aquam, in ordine divinæ Providentiæ, occaſio extitit, & cauſa per accidens ad cœleſtem ejuſdem converſionem. Simile quoque per eamdem providentiam contigit Zachæo publicano ex ejus in ſycomorum aſcenſu, qua Chriſtus erat tranſiturus. Ipſa quoque peccata Deus ideò permittit, ut electorum æternæ ſaluti contribuant, ut paſſim docet Auguſtinus. Sic enim Deus peccata Iudæorum adverſus Chriſtum ſuum in redemptionem flexit generis humani, & tyrannorum infidelium crudelitas aditum martyribus patefecit in cœlum. De Chriſto ſanè ſic Petrus affirmat Apoſtolus, Act. 2. *Hunc definito conſilio, & præſcientiâ Dei, traditum per manus iniquorum, affigentes interemiſtis.* Quod perinde eſt ac ſi dicat: Deum per conſilium altiſſimæ ſuæ providentiæ malitiâ, quam permittebat, uſum fuiſſe ad hunc finem, ut inde humani generis ſalus emergeret. Hæc eſt planè aurea Sancti Auguſtini, tract. in Ioan. 21. ſententia. *Sicut enim* (ait) *malè utuntur iniqui bonis operibus Dei: ſic contrà Deus bene utitur malis operibus iniquorum.* Fratres quoque ſuos, à quibus fuerat per invidiam venditus, Ioſeph ſic alloquitur. *Vos cogitaſtis de me malum, Deus autem vertit illud in bonum.* Si ergo peccata hominum dirigit Deus ad gratiæ ſupernaturales effectus, cur non multò magis eoſdem eliciet effectus ex ſanctorum etiam hominum rectè factis, & laude dignis actibus?

10. Verumtamen, ne extra ſacrarum Synodorum in quibus verſamur metas noſtra excurrat oratio, ipſi ſanè Patres in Concilium convenientes ad definiendas fidei quæſtiones ac ambiguitates, & homines ſunt, & humanis rationibus & diſputationibus, quaſi velitantes, futuræ circa fidem definitioni præludunt; ut ex veterum & recentium Synodorum actis compertum eſt. Ipſa tamen fides, quæ per haſce diſputationes inveſtigatur, non ſyllogiſmis, non humanarum mentium argumentationibus, ſed piorum ſupervenientе conatibus divinâ illuſtratione, & ſupernâ revelatione fundatur, innititur & conſtat. Divus ſanè Auguſtinus de Theologiæ diſciplina loquens, quæ humanis rationibus res fidei explorat & confirmat, ſic ait lib. 4. de Trinit. cap. 1. *Huic ſcientiæ tribuitur id, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur.* Meminimus etiam, ſuperiori capite, allegoricæ expoſitionis quam tradit D. Ambroſius ad Chriſti verba Lucæ 5. *Laxate retia veſtra in capturam.* Et ad hæc altera Petro dicta. *Duc in altum,* de inſtitutis diſputationibus ad ſtabiliendam fidem.

11. Recurſum porrò ad ſortem non eſt cur in Diſcipulis venerabilis Beda coarguat; Certum eſt enim non modò fuiſſe Hebræis uſitatiſſimũ, ſed ab ipſo Deo præſcriptum & approbatum. Inter duos hircos, quorum unus erat Deo immolandus, alter

in deſertum ablegandus, ſors præcipiebatur jacienda Levit.16. Aaron ſorte aliis Prælatus ad capeſſendum ſummum Sacerdotium, Deo id fieri jubente Num.17. Cujus etiam juſſu Samuel Saülem per ſortes Regem populi conſtituit 1. Reg. c.10. Terra promiſſionis ſorte inter Iſraëlitas diviſa fuit, Num.25. Sacerdotalia munia ſorte obtingebant, 1.Paralip.24. Ideoque ſcribit Lucas, Zachariæ patri Ioannis ſortem contigiſſe adolendi incenſum Deo in Sanctuario. Denique ait Auguſtinus, in Pſal.30.conc.2. *Sors non aliquid mali eſt, ſed in dubitatione humana res eſt divinam indicans voluntatem.* Idque allegatur apud Gratianum 26. qu.2. c.1.

12. Sæpenumero ſortium remedia jura civilia præcipiunt. Etenim cohæredes inter ſe ſortiuntur apud quem ex ipſis remanſuræ ſint hæreditariæ cautiones, l. ſi quæ ſunt cautiones ff. familiæ erciſcun. Et ſortitione hæreditas dividitur l.2. C. quando & quib. quar.pars debe. Atque in judicijs familiæ erciſcundæ communi dividendo, & finium regundorum, quibus confines poſſeſſores, vel hæredes, vel ſocij de partitione decertant, ſi quæratur litis ordinandæ gratiæ uter actor ſit, uter reus, res ſorte dirimitur, l.ſed cum ambo ff. de judicijs. Et ſi plures legatarij circa rerum optionem diſſentiant, ſortibus hoc dijudicatur; ut ad quem ſors veniat illius ſententia in optione rei legatæ præcellat. §.optionis inſt. de legatis. Atque ideò verificatur dictum iſtud Prover.18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes dijudicat.* Denique ſortium aliæ conſultivæ ſunt quæ ſolæ reprobantur, aliæ diviſivæ, aliæ electivæ, harumque legitimus eſt uſus ſaltem quando ambiguitas aliter expediri commodè non poteſt.

13. Secundum Apoſtolorum cæterorumque diſcipulorum Concilium refertur Act.6. ubi coacto per Apoſtolos diſcipulorum grege, communibus ſuffragiis electi primùm fuere ſeptem Diaconi. Eccleſiæ hierarchia ut docet S. Dionyſius cœleſtem imitatur. Sicut ergo ſeptem Angeli coram Deo adſtant Tobiæ 12. & Apocal 1. ſimiliter in Eccleſia ante ſacrum Altare, & circa Hierarcham divina celebrantem Diaconi ſeptem adſtant: quem olim numerum non licebat excedere, ut conſtat ex Neocæſarienſi Concilio can.15.qui allegatur c. Diaconi ſeptem diſt.93. & ex epiſtola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, quam refert Euſebius, recenſens clerum Romæ conſiſtentem; ſcilicet Diaconos ſeptem, Subdiaconos totidem, &c. In Romano pariter ſub Sylveſtro Pontifice primo, numerantur Diaconi in urbe Cardinales ſeptem.

14. Etiamſi Diaconi ſucceſſerint Apoſtolis in menſarum miniſterium, non tamen in hac menſarum ac alimoniarum præfectura ſtat præcipuum illorum munus. Conſtituti quippe ſunt in altaris miniſterium, quod eſt longè ſublimioris dignitatis. Id autem liquet quia etiam Apoſtolis coævus Ignatius epiſt. ad Trallianos, & qui ſub Ignatij nomine circumfertur autor epiſtolæ ad Eronem Diaconum, tradunt officium Diaconorum in eo verſari, ut Epiſcopis & Sacerdotibus ſacrificantibus & divina Sacramenta miniſtrantibus ſubminiſtrent. Quinetiam eò quoque Diaconorum officium promovebatur, ut vivificum Chriſti ſanguinem communicantibus præberent, ut teſtatur S.Iuſtinus martyr Apolog.2. & 5. Cyprian. ſerm. de lapſis, & de ſanctiſſimo Diacono & martyre Sanctus commemorat Ambroſius lib. 1. Offic. Quinetiam Chriſtiano populo ſacroſanctum Chriſti corpus ſub ſpecie panis exhibebant, præterquam Sacerdotibus, ut ſtatuitur Nicænæ primæ Synodi can.14. perſpicuè etiam tradit martyr Iuſtinus in extrema Apologia 2. ſolitos Diaconos vivificam Euchariſtiam ad abſentes deferre.

15. Tertium Apoſtolorum Concilium fuſiùs deſcribitur Act.15. convenere in unum Apoſtoli & ſeniores decernentes, fideles immunes eſſe à jugo circumciſionis & Moſaïcarum ceremoniarũ, tantùm ut abſtinerent ab immolatis ſimulacrorum, & à ſanguine & à ſuffocatis animalibus, & fornicatione. Concilium iſtud Ieroſolymis habitum fuit, anno Chriſti ut ſupputat Baronius quinquageſimo primo. Huic Paulus & Barnabas interfuere ex Antiochena civitate profecti, anno ab ipſius Pauli converſione decimo-quarto, cum ſcribat Gal.2. deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.

16. Gravis hic ſuboritur difficultas. Cum enim hoc ipſo Concilio vetentur fidelibus carnes idolis immolatæ quæ Græcè idolothyta dicuntur, Paulus tamen paulò poſt ſcribens ad Corinthios, negat eos idolothytis veſcentes peccare, niſi vel ſcandalum infirmis parerent, vel per errorem peccare ſe exiſtimarent, 1.Cor.8. Huic nodo convenientem cuneum Baronius adhibet, admonens præceptum de idolothytis, ſanguine & ſuffocatis non fuiſſe ab Apoſtolis impoſitum fidelibus univerſis, ſed tantùm incolis Iudææ, Syriæ, atque Ciliciæ, apud quos orta erat iſta quæ Concilio cauſam dedit controverſia: & quia Provinciæ illæ converſis ad Chriſtum Iudæis præceptionibus Moſaïcis aſſuetis, earumque æmulatoribus abundabant. Et quidem Synodica, quam Lucas refert, epiſtola ſic inſcribitur, Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem. His ergo propter converſorum Iudæorum multitudinem cum quibus converſi ad Chriſti Eccleſiam gentiles cohabitabant, ad eorum declinandam offenſionem néve inter utroſque fraterna pax & charitas interturbaretur, hæc interdicta ſunt quæ cæteris fidelibus libera fuere relicta.

17. Nihilominus præceptum iſtud à ſanguine abſtinendi in univerſam Eccleſiam dimanavit uſuque omnium ubique ferè receptum eſt; adeò ut multis poſtea ſæculis tam in Occidente quàm in Oriente invaluerit. Qua de re conſulito quæ inferiùs congeſſi ad Synodi Gangrenſis can.2. Chryſoſtomus homil.3. in Act. Apoſt. obſervat in his Conciliis prudentiam & ſummam in Petro animi moderationem qui cum eſſet Summus Pontifex Chriſtique per univerſum orbem Vicarius, & divini Spiritus luce pleniùs illuſtratus, nihil tamen per ſeipſum aut jure propriæ auctoritatis, quamvis Sacroſanctæ atque ſibi præ cunctis aliis divinitus collocatæ poteſtatis, decernere voluit: tametſi (ait Chryſoſtomus) id per ſe agere vel ſolus potuiſſet: ſed Eccleſiæ ſuffragia per iſtas Synodorum convocationes requiſivit. Libentius quippe iis obtemperabatur quæ communi conſenſu ſtabilita fuerant ὁρᾷ δὲ πέτρον μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης οὐδὲν αὐθεντικῶς οὐδὲν ἀρχοντικῶς. Intuere Petrum nihil niſi de communi Conſilio agentem, nihil verò per imperium, nihil ex propria autoritate.



Digitized by Google

### *De variis circa diei Paſchalis obſervationem paſſim habitis Conciliis.*

1. QVamvis diverſa ſit ratio decretorum fidei à decretis exterioris diſciplinæ; adeò ut res fidei conſtantes ubique terrarum ſint ac immutabiles, cum tamen diverſi poſſint, pro locorum varietate ac uſu, ritus exiſtere circa Eccleſiaſticam diſciplinam, nullâ Eccleſiarum ſciſſione ac nullo animarum damno inde ſubnaſcente; ut ex Ambroſij teſtimonio docet Auguſtinus, epiſt. ad Ianuarium 118. nec eſſe abſolutæ neceſſitatis, in aliis orbis Chriſtiani partibus & plagis, conformationem ad aliquos Romanæ Eccleſiæ ritus, apud quam jejunia ſabbatorum præcipiebantur, cum tamen toto Oriente, etiam per quadrageſimam, prohiberentur: ut conſtat ex Ignatij epiſt. ad Philippenſes, & ex antiquis ſub nomine Apoſtolorum Canonibus can. 66. ipſeque Ambroſius aſſerat ſe, quando Romæ verſabatur ſabbato ſolitum jejunare, ſed non quando in ſuo Mediolanenſi Epiſcopatu degebat; idemque aliis conſulat faciendum. Vbi tamen juſta & gravis cauſa urgeret in oppoſitum, poſſent ſuis in locis Epiſcopi, totoque terrarum orbe Summi Pontifices aliqua circa ſacram diſciplinam ſub pœnis & cenſuris jubere, vel prohibere poſſunt. Quis enim negaverit Apoſtolicum iſtud monitum, Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* latiùs ſe extendere, quàm circa ea quæ vel fidem Catholicam, vel ſacramentorum ſubſtantiam comprehendunt?

2. Controverſia porrò de die Paſchalis celebrationis primo Eccleſiæ ſæculo prorſus innoxia fuit, neque ullum in Eccleſia ſchiſma, neque ſimultates animorum niſi leves, in quibus animarum ſalutis cardo non vertebatur, producebat. Idcircò perfecta viguit charitas inter Anicetum Romanum Pontificem, & admirandum illum Polycarpum Smirnæ Antiſtitem, quamvis iſte Aſiaticum, ille verò Romanum & univerſalem circa diem Paſchæ ritum conſectaretur. Verùm ex quo immoderata partium ſtudia in id exceſſus prolapſa ſunt, ut alteri alteros damnarent, ipſique Aſiani cum Iudæis convenirent ut ſimul Chriſtianos reliquos quaſi divinæ legis violatores, à ſua communione excluderent; & Polycrates Epheſinus Epiſcopus cùm ſibi conſentientibus Epiſcopis, & populo, palam per literas Synodicas proteſtarentur ſibi & aliis quibuſcumque nefas eſſe alio quàm Lunæ Martij decimaquarta die Paſcha celebrare, & jejunia ſolvere, propter divinum & indiſpenſabile ad hoc adigens præceptum, eique conformem quam à Ioanne Apoſtolo acceperant traditionem; illudque oggererent Deo potiùs obediendum quàm hominibus, quæ pervicacia manifeſtum ſchiſma parturiebat. Tum demum Romanus Papa Victor, quamvis diſſuadente præ ſtudio pacis Irenæo Lugdunenſi, (qui tamen Romanum ritum cum univerſa Gallia ſervabat) Aſiaticos omnes quicumque alio quàm Dominicæ reſurrectionis die Paſcha deinceps celebrarent fulmine perculit excommunicationis. Cæterùm obſtinati Aſiani minimè obtemperarunt, duravitque conſciſſionis malum, donec per autoritatem Nicæni Concilij & potentiam Magni Conſtantini penitus obſolevit, & coaleſcentibus diviſis antea partibus unitas demum Eccleſiarum redintegrata eſt.

3. In cauſa iſta multa ſub Victore Papa celebrata Concilia, refert Euſebius lib. Hiſt. Eccleſ. 5. Romanum, Palæſtinum, Ponticum, Corinthiacum, Lugdunenſe, aliaque Gallicana, invicem omnia cum Romana obſervatione convenientia, hiſque unum adverſaris Epheſinum, præſide Polycrate, cum quo Blaſtus quidam Semijudæus factione jungebatur. Pars utraque in ſui defenſionem traditionem Apoſtolicam prætendebat. Quartodecimani ritum ſuum ad Ioannem Apoſtolum, qui ſeptem Aſiæ Eccleſias fundaverat, referebant, ut ex ſcripto Polycratis perſpicuum fit apud Euſebium. Sed pars oppoſita, eodem referente Euſebio, ita ſibi à reliquis Apoſtolis traditum, præſertim Petro & Paulo aſſeverabat, ne Paſcha die alio quàm Dominico, quo mundi Salvator reſurrexerat, celebraretur. Ignatius vir Apoſtolicus qui tertius ab Apoſtolo Petro Antiochenam rexit Eccleſiam ſic ſcribit ad Philippenſes. Si quis cum Iudæis Paſcha celebrat, aut ſymbola eorum recipit, particeps eſt eorum qui Chriſtum occiderunt, & Apoſtolos ejus. Proterius item Alexandrinus Epiſcopus, in ſua ad Papam Leonem epiſtola, quam refert Beda, de ratione temporum cap. 42. teſtatur: Petrum Apoſtolum Romanos ita docuiſſe, in venerationem Dominicæ Reſurrectionis; & Marcum hanc eandem Petri diſciplinam Alexandriæ promulgaviſſe. Octavus prætereà inter Apoſtolicos canon ſic edicit, *Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus ſanctum Paſcha diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebraverit, abjiciatur.* Quod attinet ad oppoſitam Ioannis Apoſtoli traditionem, ea non ſolùm quibuſdam Eccleſijs circumſcribebatur, ſed etiam diſpenſatoria erat ad breve dumtaxat tempus, quemadmodum in Iudæa obſervatio legalium: ut ſic ad fidem pellicerentur ſuaviter Iudæi, & ſenſim perfectioribus inſtitutis aſſueſcerent. Contigere iſta, quæ commemoravi, de Paſchali ſolemnitate diſſidia, circa annum à Chriſto nato ducenteſimum.

ECCLESIÆ

# ECCLESIÆ SECVNDI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. ETiamsi Coccæi Nervæ imperium pacem optatiſſimam attulerit, quippe qui præceſſoris Domitiani Acta crudeliſſima reſcindendo, Chriſtianos à tetris carceribus, ab ergaſtulis, ab exiliis, à diris ſuppliciis eripuit; idem tamen, Vlpium Trajanum per ejus adoptionem ad Imperij ſucceſſionem deſignando, tertiæ auctorem perſecutionis ſuſcitavit. Iſte quidem non ſtatim ab imperij ſui exordio fideles inſectatus eſt novis edictis, ſed permiſit tamen edita olim adverſus Chriſtianos Domitiani edicta, quæ humanitate Nervæ vel reſciſſa, vel ſopita fuerant, denuò excitari & reviviſcere. Quo factum eſt ut Clemens Pontifex, Trajani anno tertio, poſt biennij exilium apud Tauricam Cherſoneſum, in mare demerſus martyrium conſummarit.

2. At verò propriis edictis Trajanus deſævire cœpit anno imperij ſui quinto. Etenim Cajus Plinius Secundus, quo anno Bithiniam accepit Proconſulari imperio regendam, Conſulibus Romanis Surâ & Serviano, qui fuit imperij Trajani quintus, ad hunc ipſum Imperatorem epiſtolam ſcribit (quæ eſt ejus libri decimi nonageſima ſeptima) illius conſilium exquirentem, quid ſibi agendum foret in judicijs innumerorum Chriſtianorum qui deferebantur rei violatæ legis, quâ Trajanus ipſe conventus omnes, & ſodalitia ipſis ſub capitalibus pœnis interdixerat. Cui eidem teſtatur in eorum cœtibus poſt accuratas inquiſitiones nihil comperiſſe criminis, præter inflexam animorum obſtinationem, cum ſe ſacramento obſtringerent abſtinendi ab omnibus flagitiis, ſolerentque ante lucem convenire ut Chriſto quaſi Deo carmen dicerent, cibumque promiſcuum ſed tamen innoxium caperent. Reſpondit Plinio Trajanus, non eſſe conquirendos Chriſtianos, ſed tamen, ſi ab aliis deferantur & arguantur, eſſe pœnis lege latis afficiendos. Hujus iniquitatem reſponſi arguit in Apologetico Tertullianus: ô ſententiam (inquit) neceſſitate confuſam! negat inquirendos eſſe ut innocentes, mandat puniri ut nocentes! parcit & ſævit, diſſimulat & animadvertit: quid teipſum cenſurâ circumvenis? ſi damnas cur non inquiris? ſi non inquiris cur non abſolvis?

3. Quia tamen delatores implacabiles & inſenſi nunquam deerant, non ceſſabant magiſtratuum inquiſitiones; & per dira ſupplicia propagabatur innocentium perſecutio. Atque iſtâ ſub Trajano procellâ occubuerunt martyres inſignes Oneſimus Pauli Apoſtoli diſcipulus Epheſi Epiſcopus, Simeon Cleophæ filius ex Davidica progenie, qui cum eſſet Ieroſolymorum Epiſcopus, ætatiſque adeò provectæ ut annos vixiſſet centum & viginti, admirabili conſtantiâ ſemel & iterùm flagellis laceratus, deinde cruci affixus glorioſiſſimam mortem obijt. Ignatius quoque, qui tertius fuit poſt Petrum & Evodium Antiochenorum Epiſcopus, ex Syria Romam devectus in amphitheatro Titi à leonibus peremptus eſt; ut Euſebius & reliqui veteres produnt, rerum potiente Trajano. Fallitur ergo Maximus martyr, dum ſcribens in Dionyſij libri caput 5. de divinis nominibus Ignatium tradit ante Domitianum mortem oppetiviſſe. Anacletum quoque perſecutio eadem ſuſtulit Romanum Epiſcopum, quem Evariſtus excepit.

4. Cum verò Trajanus Antiochiæ verſaretur, cujus ſanctiſſimum Antiſtitem Ignatium occiderat, horrendo terræmotu ampliſſima illa civitas eſt everſa, anno Chriſti centeſimo decimoquinto, quo fuere Conſules Meſſala & Pedo: quorum hic in illo terræmotu ruinâ eſt oppreſſus; Trajanus verò per feneſtram eductus vix ruinæ ereptus eſt. Cladem iſtam altera eſt calamitas ſubſequuta; ſubactæ ab Imperatore Provinciæ paſſim rebellarunt. Iudæi Cyrenenſes & Palæſtini, fanatico ſpiritu abrepti, ex improviſo inſurgentes vix credibilem Romanorum ſimul & Græcorum multitudinem interimunt: nec cæde contenti carnibus eorum veſcuntur, pellibus amiciuntur, & cruentis inteſtinis pro cingulis utuntur. Quos vivos ceperunt partim medios à pube ad verticem ſerris diſſecant, alios beſtiis lacerandos objiciunt, aliosque inter ſeſe digladiari cogunt, conſtituto ſibi Andreâ duce, ſub quo ducenta & amplius hominum millia omni crudelitatum genere trucidarunt. Pars alia Iudæorum, duce Artemiione, per inſulam Cyprum effuſa, tantâ rabie graſſata eſt, ut ducenta & quadraginta hominum millia ferro & igni abſumpſerit. In tantæ immanitatis ultionem conſtitutum

ſtitutum

Digitized by Google

ſtitutum eſt ne quiſquam Iudæus Cyprum attingat, & ſi vel tempeſtatis vi, vel per errorem illuc deferri contingat, morte puniatur. Alia inſuper furentium Iudæorum multitudo Ægyptum Luecâ ductore depopulata eſt. Verumtamen perduelles viciſſim Trajanus aſperrimâ ultione compeſcuit, per duces Martium Turbonem & Lucium Quietum, quorum iſte, poſtquam Iudæos in Cypro debellavit, in Meſopotamiam miſſus Iudæos in ea conjurantes internecione delevit: cujus expeditionis præmium à Trajano obtinuit Iudææ præfecturam. Tunc Iudæi quidem accisis viribus tantiſper quieſcere compulſi ſunt, ſed haud multò poſt in novum furorem ſub imperio Adriani proruperunt.

5. Ælius Adrianus Trajano ſuccedens, cœptam ab eo adverſus Chriſtianos perſecutionem proſequitur. Duos itaque Romanæ Pontifices Eccleſiæ, Evariſtum & Alexandrum, interimit: Brixianos etiam Fauſtinum & Iovitam morte afficit, alioſque perilluſtres, quorum in martyrolologiis mentio legitur.

6. Interea Iudæi clam defectionem machinabantur, & arma munitioneſque parabant. Poſtquam verò Adrianus, infenſo in Judæos animo, Ieroſolymam occaſione præcedentis ſub Trajano belli everſam inſtauravit, eamque Æliæ Capitolinæ nomine novo inſignivit. Iovis prætereà intra eam templum excitavit, hiſque peractis cum exercitu inde abſceſſit. Tum demum rebellionem priſtinam Iudæi inſtauravere duce Barcocheba, quod Hebræum nomen filium ſignificat ſtellæ. Iſte quidem veterator ſe olim deſignatum aſſerebat illâ libri Numerorum prophetiâ, *Orietur ſtella ex Iacob.* Vixerat Chriſtianis infenſiſſimus, quos, ut Iuſtinus & Euſebius teſtatum reliquerunt, diris perurgebat cruciatibus ad ejurandam Chriſti fidem. Bellum iſtud in Iudæa plures annos utramque partem diſtinuit, ſub Rufo Iudææ præſide Romanorum duce, ut neceſſe fuerit ex ultima Britannia Iulium Severum egregium belli ducem accerſere, à quo innumeris cladibus afflicti Iudæi, perdomiti tandem ſunt, ſub finem vitæ ac imperij Adriani. Iudæis ad extremum redactis exitium, ſub capitali ſupplicio vetitum eſt, non modò Æliam quæ olim Ieroſolyma fuit, ingredi, ſed etiam procul ex edito aliquo ſpectare, aut in ejus per circuitum territorio pedem figere, unico excepto quotannis die, quo illis permittebatur in agrum convenire, urbemque contemplari æternum ſuæ calamitatis exilijque monumentum. In ipſorum etiam opprobrium, ignominiamque ſupra portam, quæ Bethlehem reſpicit, collocatus eſt porcus in marmore inſculptus. Ab eodem Adriano profanata pariter ſunt ſacra Chriſtianorum loca, erecto in loco reſurrectionis ſimulacro Iovis, in rupe ſalutiferæ crucis ſtatuâ Veneris, & apud Bethlehem inſtituto meretricio Adonidis cultu. Quæ ſacrilegæ profanationes, ut teſtificantur Hieronymus & Paulinus, aduſque Conſtantini Principis imperium perdurarunt.

7. Prole carens Adrianus adoptaverat, ſucceſſoremque ſibi deſignaverat Ceionium Commodum, ſed eo poſt paucos menſes extincto Arium Antoninum, qui pius poſtea dictus, hac lege adoptavit; ut ille ſibi duos quoque liberos adoptaret Annium Verum, Ceionij Commodi (quem Adrianus Ælium Verum dici voluerat) filium, & Marcum Aurelium Antoninum. His peractis diutinâ conſumptus tabe perijt, cum hoc dixiſſet: multitudo medicorum Imperatorem necavit.

8. Hujus morte Imperium ſuſcepit Antoninus cognomine Pius, anno Chriſti centeſimo trigeſimo octavo, rexitque in ſumma pace, patris potiùs quàm principis affectu, ſolâ nixus autoritate quam ſubditorum amor ei conciliabat. Huic poſt feliciſſimè exactos imperij ſui annos quatuor & viginti ſucceſſerunt, ſecundùm tabulas adoptionis Marcus Antoninus Pij gener, hujus quippe filiam Valeriam Fauſtinam matrimonio acceperat, & Lucius Verus, cui filiam Lucillam Marcus Aurelius nuptu collocarat. Tunc primum duo ſimul Auguſti regnavere, donec Lucius Verus devictis Parthis mortuus eſt.

9. Parthico bello Marcomanicum ſucceſſit. Cunctæ enim Barbaræ gentes, ab Illyricis finibus ad Germanicum uſque Oceanum, adverſus Romanos conſpiraverant. Marcus Aurelius, poſt Marcomanos acie victos, à Quadis & reliquâ hoſtium incredibili multitudine loco iniquo cum toto Romano exercitu circumcluditur, ipſique Romani conſilij inopes fame, ſiti, & morbis conficiebantur, barbari verò ſe abſque cæde, aut certamine Romanos cum Imperatore captivos brevi habituros confidebant. In hiſce anguſtiis, Prætorianorum militum præfectus admonet Marcum de legione Melitinorum, quæ tota Chriſtianis militibus conſtabat, ut juberet ei Deum ſuum invocare (fruſtra enim Romani ab inanibus diis ſuis opem auxiliumque votis & ſacrificiis poſtulaverant.) Vix preces ſuas Chriſtiani finierant, cum cœlum nubibus undequaque obduci viſum, mugire tonitrua, & copioſum imbrem effundi, quem Romani clypeis & galeis excipiunt ſitim ſuam &



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

equorum ſimul explevere. Quæ verò ſupra hoſtes cadebant aquæ, illos quaſi ignis ac fervens oleum exurebant, ijdemque crebris & supernè excuſſis fulminibus interimebantur. Quibus adacti cladibus barbari ad concluſos Romanos confugiebant veniam poſtulantes; hos ſupplices Imperator excepit perbenignè. Hinc Chriſtianæ legioni κεραυνοβόλα, ſeu fulminatricis inditum nomen. Quo Imperator commotus eventu, edicto prohibuit Chriſtianos ob ſolam quam profiteri ſolent religionem in jus vocari, propoſitis etiam gravibus contra eorum accuſatores pœnis: ut refert Tertullianus in Apologetico, & in libro ad Scapulam Africæ Proconſulem.

10. Nihilominus, diabolo inſtigante, haud multò poſt acerbior recruduit adverſus Chriſtianos perſecutio, ex intentatis falſis horrendorum criminum delationibus, & invidioſis calumnijs inceſtuoſorum inter parentes & liberos diverſi ſexus congreſſuum, Thyeſtæorum conviviorum, in quibus infantium trucidatorum carnes pro eſcis erant, & ſanguis potabatur humanus, aliorumque paris atrocitatis confictorum ſcelerum. Hinc diriſſimæ habitæ à crudelibus & infenſis magiſtratibus quæſtiones; hinc exquiſitiſſimi cruciatus, & diabolicæ innocentium carnificinæ; quales referuntur in celebri epiſtola illa quam & Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ ad Eccleſias Phrygiæ conſcripſere. Quæ ad longum inſerta eſt ab Euſebio lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 1. Iſto Gallicanæ Eccleſiæ perſecutionis turbine abrepti ſunt glorioſiſſimi martyres Photinus Lugdunenſis Eccleſiæ Præſul, Vetius Epagathus Diaconus, Biblis & Blandina, Attalus & Alexander. Aliis verò locis tres Romani Pontifices Pius, Anicetus, & Soter; prætereà Polycarpus Smyrnenſium Epiſcopus, Iuſtinus Philoſophus, alijque plerique martyrio mortem oppetierunt.

11. Toto Commodi regno qui patri Marco ſucceſſit pax optatiſſima univerſæ Eccleſiæ affulſit, ex anno Chriſti, quo mortuus eſt Vindibonæ ſeu Viennæ Marcus Aurelius, centeſimo octogeſimo, uſque ad annum ducenteſimum ſecundum, qui fuit decimus Imperij ſeptimij Severi, qui eo anno novum Eccleſiæ bellum indixit, cum præcedentes annos in aſſerendo ſibi imperio adverſus competitores ſuos Peſcenninum Nigrum, & Albinum conſumpſiſſet.

12. Hæreſes complures ſæculo iſto quaſi viperei fœtus matris Eccleſiæ viſcera lacerarunt. Has excitarunt & propagarunt Baſilidiani, Saturniani, Carpocratiani, qui & Gnoſtici, Nicolaïtarum ſectæ fœdiſſima propago: quorum propudioſis libidinibus profligatiſque flagitiis Chriſtiani inſontes ac incontaminatæ vitæ infamabantur, accuſabantur, atrocibuſque ſuppliciis torquebantur ab idololatris. Aquila Ponticus, à Sinope quæ eſt ad Pontum-Euxinum oriundus, poſt tranſactos in idolorum cultu & Mathematicis diſciplinis melioris ætatis annos, ſacris Chriſtianis nomen dedit, & baptiſmo luſtratus eſt. Verùm quia genethliacorum indagationibus, & divinationibus ex horoſcopiorum obſervationibus plus nimio addictus erat, poſtquam multoties admonitus non deſiſtebat communione tandem exſciſus fidelium, in Iudaïcam migrans ſuperſtitionem circumcidi voluit, atque in odium Chriſtianæ religionis Hebraïcam linguam diligenter addidicit, procuditque novam ſacrorum voluminum tranſlationem, Græcam, quâ eam quæ à ſeptuaginta interpretibus edita Græco ſermone fuerat, & quâ univerſa utebatur Eccleſia, perverteret, ac ſi poſſet aboleret: vereteſque de Chriſto ejuſque Eccleſia prophetias vel expungeret vel in alienos ſenſus detorqueret, ut perhibet Epiphanius qui hunc ſub Adriano Cæſare vixiſſe tradit.

13. Altera ex Ponto afflata peſtis Marcion hæreſiarcha, Synope pariter natus, ex patre qui ſoluto matrimonio fieri meruit Epiſcopus. Ab hoc Marcion ſanctè educatus in vitia deflexit, conſecratam enim Dei obſequio Virginem vitiavit. Quâ ex cauſâ excommunicatus à proprio patre Romam confugit, ſperans ſe communioni à Romano Pontifice redditum iri. Verumtamen ob nequitiam ſuam ſpe illâ fruſtratus, hæreſis ſuæ Virus ibidem effudit, multoſque pervertit: ex quibus tamen plurimos divinus Polycarpus, qui tunc Romam cum Aniceto Papa de rebus Eccleſiæ collaturus advenerat, reduxit ad Catholicam fidem. Polycarpo Marcion aliquando Romæ occurrens procaciter dixit, cognoſcis ne nos? Cui ille cognoſco te primogenitum diaboli. Docebat Marcion, ex doctrina Cerdonis, duos eſſe Deos inter ſeſe adverſantes, bonum unum alterum malum, à quibus univerſa ſint condita. Deum malum veteris, bonum autem novæ legis autorem prædicabat; malum quoque Deum aſſerebat univerſarum rerum viſibilium opificem, bonum verò ſpiritualium rerum autorem. Carnium uſum omnem, omniaque conjugia execrabatur, utpote inventa Dei perverſi. Sed Ieſum Chriſtum bonum eſſe Deum aiebat, cujus tamen negabat incarnationem, paſſionem, & mortem. Carnis quoque reſurrectionem repudiabat, hiſq; alia multa deliria adjungebat quæ omnia quinque libris refellit Tertullianus.

14. Eodem

Digitized by Google

14. Eodem ſæculo regnante Marco-Aurelio, ſe à Deo paracletum Montanus jactitabat, comites ſecum adducens inſanas duas mulieres Priſcam & Maximillam fatidicas, ſibi prophetiæ dona uſurpantes. Hic hæreſiarcha conatus eſt, ſua occultando tantiſper dogmata perverſa, effictamque orthodoxæ fidei confeſſionem exhibendo, Romanæ Sedis communionem intercipere : adeò ut Pontifex ipſe Zephyrinus, ab eo deluſus, ſectariis iſtis formatas literas & pacem per Phrygiam & Aſiam indulſerit. Sed poſtquam Praxeas illorum apud Romanum Epiſcopum fraudes detexit, & dogmatum perverſitatem reſeravit, tunc demum iſte literas ſuas ſubreptitiè conceſſas revocavit. Sanè nihil mirum accidit, ſiquando per dolos & mendacia Eccleſiæ Dei circa res facti illudatur : qua in re Tertulliano adverſus Praxeam ſcribenti & conquerenti aſſentimur. Simili deceptione Euſtathius Sebaſtenus hæreticus à Liberio Papa literas communicatorias poſterioribus temporibus retulit, qui fraude compertâ eumdem Eccleſiæ communione dejecit; ut commemorat Socrates lib.4.cap.11. Cœleſtius ſimiliter hæreſiarcha, damnatus ab Innocentio Papa, Zoſimum ejuſdem ſucceſſorem circumvenerat, adeò ut literas reprehenſionis ad Concilij Carthaginenſis Patres ſcripſerit : quaſi præcipiti judicio virum bene de fide ſentientem condemnaſſent. Idem tamen Zoſimus, poſtquam Africani Epiſcopi larvam Cœleſtio detraxerunt, hunc ipſum convictum iterato anathemate perculit : prudens tamen literas communicatorias, quantumvis deceptus, eidem denegarat : utpote quem præceſſor Innocentius palam damnaverat. De Tertulliano, mirum eſt quòd poſtquam Cataphrygas cum Montano inter hæreticos in ſuo de præſcriptionibus libro connumeraſſet, idem poſtmodum ſic ab eiſdem dementatus fuerit, ut eorum partes adverſus Catholicam Eccleſiam præfractè tueretur. Sed hominem proprij ingenij fiduciâ ſuperbientem, & ad omnia quæ ſeveritatem ſapiebant immodicè propenſum, miſerabiliter deluſit magnifica illa Paracleti & prophetiarum larva, ſimulque jactantia hominum, qui nihil aliud perſonantes quàm perpetua jejunia, auſteritatem vitæ, continentiam à nuptiis, martyrij appetentiam; orthodoxis omnibus, tanquam carnalibus & animalis vitæ profeſſoribus, inſultabant.

15. Iiſdem ferè temporibus, Tatianus natione Syrus ex philoſopho Platonico Iuſtini philoſophi Chriſtiani & martyris diſcipulus, à quo Chriſtianâ fide imbutus fuit, & qui pro ſincera fide dimicavit dum vixit præceptor & catechiſtes Iuſtinus, poſt ejuſdem felicem obitum erroribus Valentini ſe implicuit. Marcionis quoque & Saturnini amplexus eſt continentiam, carnibus veſci ſacrilegum putans, nuptias execrationi habens, vini uſum tam pertinaciter condemnans ut ipſum & à communi victu, & à ſacris myſteriis excluderet. Ex hoc autore hæreſis Encratitarum, id eſt, continentium ortum duxit : quam futuram prædixerat Apoſtolus Paulus 1.Timoth.4. Tales fuere Marcioniſtæ, Euſtathiani, Montaniſtæ, & quotquot aliquorum ciborum, & vini, & matrimoniorum damnatores erant, quaſi rerum damnabilium; quas vel malus Deus ut volebant Marcioniſtæ & Manichæi, vel cacodæmon produxerat, vel hominum, ut accuſabant Cataphryges, incontinentia invexerat. Iſte Tatianus dum rectè adhuc de fide ſentiebat volumen edidit adverſus gentes : poſtquam autem deſcivit à recta fide unum ex quatuor Evangelijs librum compilavit inſcriptum διὰ τεσσάρων in quo tamen ſtudioſè reſecavit quæcumque de genealogia & carne Chriſti ab Evangeliſtis ſcripta fuerant, vir ſcilicet Marcioniſta.

16. Sæculi hujus ſcriptores Eccleſiaſtici, quorum aliqui ſæculo etiam anteriore manum ſcriptioni admoverant, fuere Clemens Papa, cujus extant recognitionum Apoſtolicarum libri octo, cum aliquot epiſtolis. Sed inter bonas fruges his comprehenſas inimicus homo zizania ſuperſeminavit. Etenim multa his ſuppoſititia hæretici olim inſeruerunt. Ignatij literæ priſtinam illam ſanctitatem & Apoſtolicum fervorem undique reſpirant. Idem eſto judicium de Polycarpi ad Philippenſes epiſtola. Papiæ Ioannis Evangeliſtæ diſcipuli ab antiquis commendatæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ interciderunt. Sanctorum Chriſti martyrum libri eruditione atque pietate referti ſunt. Idemque cenſendum de attributis Dionyſio Areopagitæ libris. Melito Sardenſis Epiſcopus, Apollinaris Hierapolitanus, & Dionyſius Corinthius Epiſcopi, ſcriptis inſignibus Eccleſiam illuſtrarunt. Præclaras pro Chriſtianis apologias procuderunt ante omnes Quadratus Athenienſium Epiſcopus, & Ariſtides pariter Athenienſis, ad Hadrianum Imperatorem, qui tum temporis hyemem Athenis tranſigebat. Deinde Iuſtinus unam ad Senatum Romanum & alteram ad Antonium Pium Imperatorem. Melito Sardenſis, & Athenagoras, ſinguli ſuam apologiam Marco Aurelio Principi pro Chriſtianis obtulerunt. Theophylus Antiochenus Epiſcopus, ſub Marco Aurelio & Commodo ingruentes tunc hæreſes pluribus voluminibus oppugnavit. Superſunt



Digitized by Google

ſunt hujus in Bibliotheca Patrum tres ad Autolicum libri, & in quatuor Evangelia Commentarij, quorum Hieronymus in Catalogo meminit. Pantæni etiam libri celebres fuerunt. Hic Alexandrinæ Scholæ magnâ commendatione, & diſcipulorum concurſu præfuit: quorum unus extitit Clemens Alexandrinus. Iuſſus Pantænus à Iuliano Alexandriæ Epiſcopo, ut ſcribit Euſebius, aut à Demetrio Iuliani ſucceſſore, ut tradit Hieronymus, ad Indos, regnante Commodo profectus eſt, ad prædicandum huic genti Evangelium. Quo munere aliquandiu functus, Alexandriam reverſus Scolas iterum moderatus eſt, aduſque vitæ finem. Sub eodem Commodi Imperio Apollonius Romanus Senator, à proprio ſervo delatus quod Chriſtianus eſſet, juſſuſque religionis ſuæ rationem reddere, luculentam edidit pro Chriſtianæ fidei defenſione apologiam, quam coram Senatu recitavit. Cujus tamen decreto abſciſſo capito in cœlum evolavit.

17. Sæculum iſtud cum ſit Conciliis vacuum, nos circa perquiſitionem veterum Eccleſiæ rituum, & diſciplinæ quæ priſcis illis Chriſtianiſſimis temporibus floruit, exercebit. Quod utique inſtitutum eò pertingit, ut hujus operis lectio permultum ad univerſam rerum Eccleſiaſticarum notitiam conducat; prætereáque, hujuſmodi notitiæ defectu, innumera Patrum & Conciliorum veterum loca percipi ac intelligi non poſſunt; neque ordo, neque progreſſus, ac viciſſitudo Eccleſiaſticæ diſciplinæ. His adde cognitionem hujuſmodi multùm habere jucunditatis & gratiæ.

## DISSERTATIO I.

### *De manuum impoſitione.*

1. CONFERT plurimùm iſta Diſſertatio ad antiquorum Canonum, & veterum Eccleſiæ Doctorum intelligentiam. Sciendum in primis quid manuum impoſitio ſignificet? Eam verò notitiam nobis egregiè tradit S. Dionyſius Hierat. Eccleſ. cap. 5. ſcribit enim, per hanc ſignificari cum cui manus imponuntur conſtitui ſub divinæ manus protectione: prætèrea virtutis, divinæque gratiæ in ſubjectum caput effuſionem: tertiò diabolicæ fraudis & malignitatis depulſionem: quartò denique ſub Deo ſubjectionem, ut nihil extra ductum ejus & auſpicium à nobis agatur; quaſi Deo nos ſibi manu ſuâ vindicante, ſuumque in dominium & poſſeſſionem aſſumente. Sic verò loquitur Dionyſius ἡ δὲ τῆς ἱερατικῆς χειρὸς ἐπίθεσις ὁμοῦ μὲν ἐμφαίνει τὴν τελεταρχικὴν σκέπην ὑφ' ἧς ὡς παῖδες ἱεροὶ περιέπονται, πατρικῶς αὐτοῖς τὴν ἕξιν καὶ δύναμιν ἱερατικὴν δωρουμένοις, τὰς ἐναντίας ἀπ' αὐτῶν δυνάμεις ἀπορραπίζουσα. Διδάσκει δὲ ἅμα καὶ πάσας τελεῖν τὰς ἱερατικὰς ἐνεργείας ὡς ὑπὸ Θεῷ πράττοντας τοὺς τελεσθέντας καὶ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν αὐτὸν ἔχοντας ἐν πᾶσι καθηγεμόνα. Pontificiæ autem manus impoſitio ſimul quidem manifeſtat ſacramentalem protectionem, quâ tanquam ſancti pueri paternâ protectione foventur: quæ quidem Sacerdotalē det eis habitum & virtutem: contrarias autem poteſtates ab eis depellat: docet etiam ſacras functiones obire eos qui conſecrati ſunt, ut ſub Deo agentes, omniumque actuum ſuorum ducem habentes. Manuum impoſitio dicitur χειρῶν ἐπίθεσις Act. cap. 6. v. 6. & cap. 8. v. 17. 18. 19. & 1. Timot. 4. v. 14. & 2. Timot. cap. 1. v. 6. Concilium Nicænum primum can. 8. & 19. Ordinationem & conſecrationem verbis χειροτονίας & χειροθεσίας exprimit: necnon reliqua deinceps Græca Concilia & Sancti Patres. Tametſi vox χειροτονία quævis etiam multitudinis ſuffragia & electiones ſignificet, nec tantùm Sacerdotes, ſed etiam Diaconi manuum impoſitione conſecrentur: ut refertur de primis ſeptem Eccleſiæ Diaconis. Act. 6. v. 6.

2. Ad diverſos effectus manuum impoſitione utebatur Eccleſia. Præclarè gloſſa in cap. manus impoſitio 1. q. 1. quinque recenſet ſpecies manuum impoſitionis, conſecratoriam, confirmatoriam, ordinatoriam, reconciliatoriam, morborum curatoriam. Marcus Remenſis de variis capitib. Eccl. c. 18. has differentias accuratiùs pertractat, his verbis. *Non uno modo ſemper impoſitio manus intelligitur, ſed pro diverſitate illorum ſub diverſa ſignificatione reperitur. Aliquando enim pro confirmatione Neophytorum accipitur, ut in decretis Apoſtolicorum virorum, Clementis, Vrbani, Melchiadis expreſſum ſæpenumero reperitur. Nunc pro ordinatione Sacerdotum, ſive Diaconorum, juxta illud Apoſtoli ad Timotheum. Nemini citò manus impoſueris, quod & Canones apertiſſimè praſcribunt. Eſt & reconciliatoria manus impoſitio, per quam pænitentes hæretici, ſive ſchiſmatici, Sanctæ Romanæ Eccleſia reconciliantur, de qua ſimiliter Canones multa dicunt, de qua B. Auguſtinus, lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, teſtatur quod nihil ſit niſi oratio ſuper hominem qua iterari poſſit. Fit etiam manus impoſitio ſuper infirmos, juxta illud Evangelij. Super ægros manus imponent & bene habebunt. Item ſuper catechumenos & energumenos: Item & cum ſimpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Iacob Patriarcha cum filios Ioſeph benediceret manus eis impoſuit. Et Dominus in Evangelio oblatos ſibi parvulos per impoſitionem manus benedixiſſe legitur.* His adde manuum impoſitionem ſuper Diaconiſſis, de qua in Diſſertatione proximè ſequenti.

3. Manuum impoſitio ad Confirmationis ſacramentum ſolius eſt Epiſcopi officium. Hujus præceſſit exemplum in Apoſtolis Petro & Ioanne Samariam miſſis, ut urbis hujus habitatoribus paulò ante à Philippo Diacono baptizatis confirmationis ſignaculum conferrent, quò cum advenîſſent. *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Scitè verò hæc docet S. Cyprianus epiſt. 73. ad Iubaianum. *Quod deerat id à Petro & Ioanne factum eſt, ut oratione pro eis habitâ & manu impoſitâ invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur præpoſitis Eccleſia offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo dominico conſummentur.* Cornelius etiam Papa in epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam refert

Digitized by Google

fert Euſebius lib.6.Hiſt.Eccl.cap.35. ita de Novatiano ſchiſmatico ſcribit. *In lecto in quo decumbebat aquâ circumfuſus baptiſmum accepit, ſi modo talem hominem baptiſmum accepiſſe dicendum ſit: verum morbo tandem elapſus neque cætera, quibus poſt baptiſmum ſecundum Eccleſiæ Canonem imbui oportuerat, acquiſivit, neque Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit: quo quidem nequiquam potitus, quomodo quæſo Spiritum ſanctum adeptus eſt?* Ad idem Sacramentum, quod Sancti Patres ſigni ac ſigilli nomine deſignant, Innocentius Papa tertius cap. unico de ſacra Vnct.in ſacris in quibus unctio adhibetur, duplicem conſiderandam unctionem docet, externam nimirum atque ſenſibilem alteram, alteram verò internam & inviſibilem, cujus autor agnoſcendus ſit ſacer Spiritus Dei. Primâ illâ unctione in tribus linimur Sacramentis, Confirmatione, Ordinatione, & ultima infirmorum unctione, illaque ad ſubſtantiã pertinet trium Sacramentorum. Ea verò ſecunda, quæ interior eſt unctio, ad gratiam pertinet Sacramenti, & ad omnia etiam extra Sacramentum ſuperna chariſmata. Ejus generis eſt unctio, qua delibuta eſt Sacroſancta Chriſti Domini humanitas, prædicente Iſaia. *Spiritus Domini ſuper me; propter quod unxit me.* Rege etiam canente Pſalmiſtâ, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Et Petro Apoſtolo in Actib.Apoſtolorum enunciante, *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute.* De Chriſtianis internâ unctione delibutis Paulus 2.Cor.1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quemadmodum etiam 1. Ioan.2. *Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos. Sed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus & verum eſt.* Atque idem Innocentius, ſermonem ſuum proſequens, ingenioſè divini Spiritus unctioni columbam Spiritus Sancti ſymbolum accommodat, quæ in arcam Noë revolavit virentis olivæ ramum deferens, quâ ex arbore oleum exprimitur. Eſt demum alterum unctionis externæ genus cæræmoniale, & tantùm Sacramento accidens; qualis eſt in ſcapulis & pectore atque vertice baptizati unctio olei, quæ ex Apoſtolica etiam inſtitutione ortum habet.

4. Fieri quoque ſolebat impoſitio manuum Epiſcopi ſimul & Cleri in reconciliatione publicè pœnitentium, quem ritum Cyprianus commemorat epiſt. 10. *Nam cum in minoribus peccatis* (ſcilicet comparatione habitâ cum peccatis fidei Chriſtianæ deſertorum, de quibus ibidem Cyprianus, tametſi ea de quibus loquitur quaſi de minoribus gravia in ſeipſis eſſent, quippe quæ publicâ pœnitentiâ eluenda eſſent) *agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant. Nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtitutâ Eccleſiæ ipſius pace ad communionem admittuntur, & offertur eorum nomen, & nondum pœnitentiâ actâ & nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſitâ, &c.* Nec tantum in reconciliatione pœnitentium, ſed etiam inter preces, quas diebus jejuniorum fundebant Sacerdotes ſupra pœnitentes; manus quoque eiſdem imponebant: ut habetur Concilij quarti Carthaginenſis can.80. Energumenis etiam exorciſtæ quotidie manus imponebant ibid.can.90. Manus impoſitio ad Confirmationis ſacramentum olim requiſita, nunc quoque uſu viget. Nam Epiſcopus manum fronti imponit, ſimulque inungit & oblinit, ut teſtatur Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis, lib. 1. de Offic.Eccleſ. cap.27. ſub finem, his verbis. *Vt ab Epiſcopis ſolis inungatur per manus impoſitionem; ab Apoſtolis acceptum eſt.* Denique ſolemne antiquitus fuit viduas ordinari Diaconiſſas adhibitâ manus impoſitione ut ſequenti proximâ diſſertatione demonſtrabitur.

## DISSERTATIO II.

### *De Diaconiſſis.*

1. Diaconiſſarum in Eccleſia primitiva jam inde ab Apoſtolorum ætate multiplex erat officium, ut ex Clemente Papâ Romano Sancti Petri diſcipulo, ex Ignatio atque ex Epiphanio, aliiſque veteribus colligitur. Ignatius quidem epiſt.12. ad Antiochenos curam illis attribuit januarum ſanctorum veſtibulorum, ſcilicet ejus partis Eccleſiæ ad quam ſolæ fœminæ admittebantur: his enim Diaconiſſæ præficiebantur ἀσπάζομαι τὰς φρουρὰς τῶν ἁγίων πυλώνων τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. Saluto in Chriſto Diaconiſſas ſacrorum Veſtibulorum cuſtodes. Quemadmodum etiam januis locorum, ad quæ ſoli viri conveniebant præficiebantur janitores, quos pariter ibidem Ignatius ſalutat πυλωρούς.

2. Sanctus martyr Clemens Papa lib.3. Conſtitutionum cap.15.& 16. hæc pariter Diaconiſſis aſſignat officia, ut ſcilicet pia Sacerdotum & Diaconorum mandata apud fœminas exequantur; ſive diſtribuendarum eleemoſynarum, ſive mutuarum reconciliationum, ſive ſanctarum admonitionum aut juſſionum Eccleſiaſticarum, ſive catecheſeon ejuſdem ſexus gratiâ. Sic enim præcavebatur ne Clericorum cum fœminis converſationes fomitem ſuggererent vel peccatis; vel ſuſpicionibus pravis. Adjungit ibidem munus Diaconiſſarum verſari circa catechiſandas catechumenas, & proſpiciendum ne quâ horâ veſtibus exuebantur ad baptiſmum; vel baptizatæ in vertice à Sacerdote perungebantur quidquam præter decorum aſpectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ipſæque Diaconiſſæ reliquas unctiones in multis Eccleſiis ſuis manibus proſequebantur. Eadem ſimiliter ſcribit Epiphanius hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum. Concilium pariter Carthaginenſe ſub Anaſtaſio Papa quartum can. 12. præſcribit Diaconiſſis miniſterium inſtruendi fœminas baptiſmi fonte abluendas.

3. Videndum nunc de viduis Diaconiſſis, quali ætate eligebantur, quonam habitu veſtiebantur & utrum impoſitione manus tales conſtituerentur. Quod in primis ad earum ſpectat ætatem, providet Apoſtolus 1.Timot.5. *ut eligantur viduæ non minus ſexaginta annorum, neque bigamæ.* Tertullianus lib. de velan. virgin. hæc loquitur de Diaconiſſis: *ad quam ſedem præter annos ſexaginta non eliguntur.* His aſtipulatur S.Hieronymus in Iſai.cap.3. *Nec Eccleſiaſticis viduæ ſuſtentatur alimentis, niſi quæ ſexaginta annorum eſt, & maturitatem habet pariter morum & ætatis.* Extat pariter conſtitutio Theodoſij ſenioris Auguſti, cujus meminit Sozomenus lib.7. cap.16. quæque legitur in Codice Theodo-



Digitized by Google

ſiano de Epiſco. & Cler. l. 27. *Ut nulla niſi emenſis ſexaginta annis, cui votiva domi proles ſit ſecundum Apoſtoli præceptum ad Diaconiſſarum conſortium promoveatur.* De virginibus quidem, & ſacris Monialibus, quia incluſæ neque totidem ac Diaconiſſæ muneribus exterioribus addictæ erant, ſufficiebat ad velamen ſuſcipiendum annorum quadraginta ætas. Auctor quidem vitæ S. Leonis Papæ primi, quæ eſt in Pontificali, ſic de hoc atteſtatur: hic quoque conſtituit ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem niſi probata fuerit in virginitate ſexaginta (aut ut Codices regij referunt ſexaginta novem) annis. Verumtamen nihil tale prorſus in tanti Pontificis, quæ plurima extant, decretis reperiri poteſt. Quinimò Synodus œcumenica Chalcedonenſis, quæ Sancto Leone Papa auctore celebrata fuit, cuique idem per Legatos ex ſuo latere miſſos præſedit, quam & ſuâ roboravit confirmatione, præfixit ſolùm Diaconiſſis ordinandis annum quadrageſimum ætatis, can. 15. Quinetiam eodem Sancto Pontifice Leone ſuadente, Majorianus Auguſtus edixit Novellâ 8. ne qua virgo à ſuis parentibus oblata ſacrum velamen accipiat ante quadrageſimum ætatis annum. Eaque limitatur conſtitutio in illis quæ à parentibus offeruntur ad conſulendum puellarum libertati, ne qua vis aut coactio à progenitoribus fieret. Quamvis autem in illis Eccleſiæ primordiis, providerit Apoſtolus Diaconiſſas non admitti ante annos ætatis ſexaginta, proceſſu temporum illa præfinitio annorum ſenſim laxata fuit, & ad annos ætatis quadraginta reſtricta eſt: ut perſpicuum fit per memoratum Chalcedonenſem canonem, & inſuper conformem Agathenſis Concilij can. 19. qui tamen non de Diaconiſſis ſed de ſanctimonialibus velandis ſic decernit. *Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.* Qui canon falsò à Gratiano attribuitur Concilio Carthaginenſi tertio can. Sanctimoniales 20. q. 1. Concilium in Trullo quiniſextum can. 14. & Vormatienſe can. 73. Diaconiſſas expreſsè vetant ordinari, ſicut & Chalcedonenſis canon 15. antequam attigerint quadrageſimum ætatis annum.

4. Diaconiſſarum habitum fuiſſe à ſeculari diſtinctum probat Concilij quarti Carthaginenſis canon 104. his verbis: *Viduæ quæ ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjectâ ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ in religioſo habitu apparuerint.* Et qui præcedit canon 103. eaſdem dicit ſtipendiis Eccleſiarum ſuſtentari. Concilium pariter Toletanum quartum can. 55. hæc de diſtinctis ab habitu ſæculari veſtibus enunciat. *Quæ forma ſervabitur etiam in viduis, virginibuſque ſacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt aut ad nuptias tranſierunt.* Viduas tamen quales erant Diaconiſſæ velari omnino prohibet Gelaſius Papa, epiſt. 9. ad Lucanos & Siculos can. 13. de virginum porrò & viduarum, quæ ſtipendiis Eccleſiarum alebantur, incumbente Epiſcopis ſolicitudine multa refert Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio: ſub cujus poſtea Epiſcopatu Eccleſiam eximiâ ſanctimoniâ decorarunt Diaconiſſæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, Olympias, Pentadia, Salvina, quæ de primariis totius imperij proſapiis ortæ, & maritis dignitate toto orbe præcipuis orbatæ, diſtributis in egenos ampliſſimis opibus, ſeſe paupertati, humilitati & Eccleſiæ obſequiis addixere. Neque verò hic omittendum alterum, præter ſuperiùs relata, Diaconiſſarum officium ex Hieronymo epiſt. ad Nepotianum, ſcilicet ægrotorum cura & miniſterium *Multas* (inquit) *annis nutrit Eccleſia quæ & officium præbeant, & beneficium recipiant miniſtrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat eleemoſynæ.*

5. Supereſt ut de harum ordinationibus diſſeramus. Etiamſi doctiſſimus Baronius ad annum Chriſti trigeſimum quartum n. 288. innixus, ut ipſe autumat, Nicænæ Synodi can. 19. ſcribat, nullam olim fuiſſe in Diaconiſſis conſecrandis adhibitam manuum impoſitionem, alij tamen antiqui Canones manuum impoſitione ſolitas illas ordinari confirmant. Nicænus verò canon nihil iſtis obſiſtit: loquitur enim ſpeciatim de Paulinianiſtarum baptiſmo, quem declarat inanem ac irritum; & ut qui ex iſta hæreſi convertuntur novo abluantur baptiſmo, ac deinde, ſi ita viſum fuerit, ordines eis de novo conferantur, quales in ſua hæreſi indebitè exercuerant. Prohibet tamen converſas ex eadem hæreſi Diaconiſſas ad idem officium aſſumi, manuſque ipſis imponi. Certè ſi ejuſmodi totâ Eccleſiâ viguiſſet diſciplina, ne Diaconiſſæ manus impoſitionem ſubirent, ſupervacaneum eſſet id ſpeciatim in Diaconiſſis, quæ Paulinianiſtarum hæreſim profeſſæ aliquando fuiſſent, prohibere. Cauſa itaque hoc prohibendi ad præteritam hæreſim referenda eſt: Patres enim Nicæni præcipuè convenerant ad hæreſim Arianam reprimendam in hoc cum Pauliniana convenientem, quia utraque Chriſto divinitatem abrogabat. Quia verò præcipuum Diaconiſſarum officium in catechiſandis fœminis ad baptiſmum aſpirantibus verſabatur, grave periculum erat catechumenarum inſtitutionem fœminæ committere, quæ in hæreſi ultra ſexaginta annos (quod eſt præſupponendum in converſis Diaconiſſis) conſenuerit; & mutabile ſexus ingenium cauſa plerumque eſt ut earum fides vacillet poſt oppoſitam tot annorum profeſſionem.

6. Juvabit quoque altera diſtinctio, ſi ad Canonem Nicænum reſpondeas, excludi quidem Diaconiſſas à Sacramentali manus impoſitione, qualis proculdubio cenſenda eſt quæ in Diaconorum conſecratione adhibebatur, non verò à merè ceræmoniali, quam præfata Concilia in Diaconiſſis diſertè requirunt, præcipuè Chalcedonenſe: cujus Canonis verſio Dionyſiana Græco exemplari perfectè conformis, ait. Si autem poſtquam manuum impoſitione ſuſceptâ, &c. Græcum exemplar ſic habet εἰ δὲ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν, &c. Si voce χειροτονία uteretur, quæ nunc ſuffragium, nunc electionem ſignificat, res eſſet ambigua: ſed vox quam adhibet χειροθεσία nihil aliud quàm manus impoſitionem exprimit.

7. Deferveſcente tandem pietatis ac religionis ſtudio, & gliſcentibns Diaconiſſarum vitiis, deficiente pariter conſuetudine baptiſmum in provectiorem ætatem differendi, paulatim exoleſcere cœpit Diaconiſſarum miniſterium. Siquidem ſub ipſo Leone primo habitum Arauſicanum primum Concilium can. 26. de illis abolendis cogitans ita decernit. *Diacona omnimodis non ordinanda. Si quæ jam ſunt, benedictioni quæ populo impenditur capita ſubmittant.* Quibus verbis eas quæ ſuperſunt in ſtatum redigit vulgarem ac ſæcularem. Deinde ſub Hormiſda Pontifice Concilium Epaonenſe ſic decernit can. 21. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus,*

Digitized by Google

*abrogamus, ſolâ pœnitentiæ benedictione ſi converti ambiunt imponendâ.* Demum Aurelianenſis ſecunda Synodus, ſub Ioanne Papa ſecundo, ita ordinavit can. 18. *Placuit etiam ut nulli poſtmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.*

## DISSERTATIO III.

### *De ſacris Virginibus.*

1. Olim in Eccleſia duo erant Sanctimonialium genera quæ ſe perpetuæ continentiæ voto aſtringebant, ſcilicet Diaconiſſarum, quæ viduæ erant, de quibus ſuperiori diſſertatione abundè tractatum eſt, atque ſacrarum Virginum. Tertullianus, lib. de velandis virginib. Virgines utpote verecundiores, ſolitudini aptiores, & externarum rerum ſollicitudini minus idoneas, fuiſſe à Diaconatu excluſas, teſtis eſt locuples. *Ad quam ſedem* (inquit) *præter annos ſexaginta non tantùm univiræ, id eſt, nuptæ aliquando eliguntur, ſed matres, & quidem educatrices liberorum: ſcilicet ut experimentis omnium affectuum inſtruere facilè norint cæteras, & conſilio & ſolatio juvare.* Imò addit monſtrum eſſe ſi virgo in hujuſmodi ſtatu conſtituatur. Quod verò ſuperius de Diaconiſſis obſervavimus, fuiſſe illas habitu ac veſte à laïcis diſtinctas, hoc idem ſacris virginibus pariter commune erat, ut addidimus ex Concilij Carthaginenſis quarti can. 11. ita ſtatuentis *Sanctimonialis virgo, cum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.* Virginum ſacrarum habitus erant pulla veſtimenta, tunica, pallium, & cingulum, & capitis velamen: dicente Hieronymo epiſt. 12. *Solent quædam cum futuram virginem ſpoponderint, pullâ tunicâ eam induere, & parvo operire pallio.* Idemque epiſt. 8. ad Demetriadem. *Vili tunicâ induitur, viliori tegitur pallio.* Idem etiam ad Marcellam epiſt. 23. *Pulla tunica minus cum humi jacueris ſordidatur.* Et de cingulo ibid. *Cingulum laneum & totâ ſimplicitate puriſſimum, quod poſſit magis aſtringere veſtimenta quàm ſcindere.* Apud Concilium Nicænum actio. 4. Aſterius ita refert de ſancta Euphemia virgine, & martyre Chalcedonenſi. *Aſtabat virgo pullâ veſte & pallio Philoſophiam profeſſa.*

2. De ſacro virginum velo ſic Tertullianus, de virginib. velandis cap. 15. *Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm ſemetipſam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet, confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones & ſuſurros.* Hieronymus ad Demetriadem. *Scio ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operire caput.* Quo etiam loco docemur, benedictione ſolemni ſolitum ſanctificari per Epiſcopum, & ſacræ virginis capiti velamen imponi. Ambroſius lib. 3. de virginib. cap. 1. ſcribit de Marcellina ſorore ſua *fuiſſe Romæ ad Sanctum Petrum, ipſo Salvatoris natali die, à Liberio Papa conſecratam virginem, cum propoſitum virginitatis ipſa veſtis mutatione ſignaſſet.* Crinium in virginitatis, aut viduitatis profeſſione tonſionem, ſolemnis fuiſſe in quibuſdam Eccleſijs conſuetudinis, in Syria præſertim, & Ægypto, teſtis eſt Hieronymus, epiſt. 48. Quæ tamen non ubique viguit conſuetudo, cum ſcribat Ambroſius ad Virginem lapſam cap. 8. ſolitos alibi tonderi capillos in ignominiam, & delicti pœnam, ſi lapſa virgo in pœnitentiam redacta eſſet.

3. Jam ſupereſt ut de virginum ordinationibus diſſeramus. Adhibenda diſtinctio eſt, quam ſatis evidenter Leo Magnus inſinuat, epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, inquiſit. 15. inter propoſitum virginitatis cum habitu conjunctum, ſeu veſte quâ virginitatem profeſſæ amiciebantur, & ipſam conſecrationem quæ à nullo alio quàm ab Epiſcopo fiebat ritu ſolemni. Ex teſtimonio enim ipſius Leonis, mox adducendo, conſtat moris fuiſſe, ut virginitatem profeſſæ non ſtatim à veſtitu ſed interpoſito longioris temporis intervallo conſecrarentur. Et ſanè probabile eſt à nubili ſtatim ætate, ſcilicet duodecim expletis annis, potuiſſe poſt ſpontaneam perpetuæ virginitatis profeſſionem religioſo habitu indui, dilatâ in aliud tempus ſolemni conſecratione. Sic enim reſcribit Epiſcopo Narbonenſi Leo Magnus. Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo judicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligant prævaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſerit, cujus utique non fraudarentur munere ſi in propoſito permanerent.

4. Virginum Deo palam dedicatarum duo alia diſtinguebantur genera: quædam enim in parentum ædibus cum ipſis verſabantur, cujuſmodi fuerunt Sanctæ Marcella, Euſtochium, Principia, Demetrias: aliæ in Monaſteriorum ſeptis religioſam vitam à perſonis ſæcularibus ſejunctæ degebant. Quæ primi generis erant in communem Eccleſiam cum laïcis ad ſacra vel audienda, vel percipienda conveniebant, ad deſtinatam ſexui fœmineo Templi medietatem, quæ viris inacceſſa erat: ſed tamen ſanctimoniales ejus partis locum penitiorem occupabant, Sanctuario viciniorem, laïcas fœminas à tergo habentes, etiam interpoſito ſepto ſejunctas: ut ex Ambroſij epiſtola ad Virginem lapſam colligitur cap. 6. Aliæ quæ in Monaſterium ſeceſſerant, ſtrictiori diſciplinâ & clauſurâ circumſepiebantur, neque ad earum ſacellum ullus laïcis aut religioſis etiam perſonis externis patebat aditus: cum eſſet ſacellum ac oratorium in Parthenonis ſeu Monaſterij penetralibus intimis: Sed probatiſſimæ vitæ Sacerdos mittebatur qui Miſſam intus celebraret, & Sacramenta miniſtraret Monialibus, hac conditione ſeu præſcriptâ lege, ut ſacro expleto miniſterio quamprimum regrederetur. Concilium Epaonenſe ſub Hormiſda Pontifice habitum has præſcribit cautiones, can. 38. *Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ & ætatis provectæ, ad quaſcumque earum neceſſitates, vel miniſtrationes, permittantur intrare. Ad faciendas verò miſſas qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt. Aliàs autem nec Clericus, nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna, aut germana neceſſitudo probetur admittere.* Eaſdem iterant præcautiones circa miſſam, quæ intra intima clauſtra in oratorio Monialium celebranda erat, poſteriora Epaonenſi habita Concilia ſub Leone Papa tertio, & Carolo Imperatore Magno: ſcilicet Turonenſe tertium can. 29. Cabilonenſe ſecundum can. 16. Arelatenſe ſextum can. 7.

&c

Digitized by Google

& ſub Ludovico Pio Aquiſgranenſe part.2. can. 27. Nunc verò temporis Monialium Eccleſiæ extra clauſtra ædificantur, ut ſit externorum ad eas liber acceſſus, ſtatio autem Monialium & Chorus, ut ſint externis inacceſſi clauſtris includuntur. Quod autem ſpectat ad eas Virgines quæ proprias parentum ædes incolebant, illuſtre præbent exemplum tres Sancti Gregorij primi Pontificis amitæ, invicem ſorores, Tarſilla, Æmiliana & Gorgonia virginitatis voto Deo conſecratæ, de quibus ita idem Sanctus Gregorius hæc teſtatur homil.8. in Evang. *Vno omnes ardore converſæ, uno eodemque tempore* SACRATÆ SVNT *ſub diſtrictione regulari degentes, in domo propria ſocialem vitam ducebant.*

5. Conſecrabantur ab Epiſcopo Virgines, per manus impoſitionem, & capitis benedictum velamen, non niſi ab anno ætatis quadrageſimo; & ut in diſſertatione ſuperiori declaratum eſt, juxta præſcriptum Conciliorum Chalcedonenſis, Carthaginenſis, ſeu potiùs Agathenſis, Quiniſexti, & Novellæ Majorani Auguſti. Obſervandum tamen Concilio Carthaginenſi tertio can.4. Affigi Diaconorum ordinationem, & Virginum conſecrationem anno ætatis vigeſimo quinto. Qui Canon habetur apud Gratianum c. placuit ut ante annos. diſt.7. Concilium iſtud dico, non ſecundum ut volunt Baronius & Binius, ſed verè tertium ut probat Labbæus. Et iſto quidem ſpeciali jure Africanæ utebantur Eccleſiæ Virginum conſecrationis ab anno vigeſimo quinto. Nam ſecundum Milevitanum Concilium hoc idem jus conſtituit, eamdemque præſcribit ætatem ad accipiendum virgineum flammeum: quin etiam plures allegat cauſas ob quas tempus iſtud præveniri conveniat. Sic enim ejus canone 26. ſancitur. *Item placuit, ut quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitia virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) velaverit Virginem intra viginti quinque annos ætatis, non ei obſit Concilium quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.* Qui canon ijſdem repetitur verbis in Concilio Africano can.93. & in decreto Ivonis lib.3. Citatur pariter in Concilio Turonenſi ſecundo can.20. anni 567. Cum etiam in Concilio Arelatenſi ſecundo can.32. excommunicatione feriat puellas quæ ſe Deo devoverunt; *& poſt annum vigeſimum quintum ad terrenas nuptias ſponte tranſierunt*, argumento eſt in Gallicanis Eccleſijs conſecrationem Virginum eodem ætatis anno fieri ſolitam, ſicut in Eccleſijs paſſim Africæ. Nam eadem pariter decernitur ætas in virginum ſolemni ordinatione, in Capitulari Aquiſgranenſi ſub Carolo Magno. Quinetiam in Græcis Eccleſijs minor ad conſecrationem hujuſmodi aliquando conceſſa fuit ætas: Sanctus enim Doctor Baſilius, in canonica & receptiſſima ad Amphilochium epiſtola, can.18. ad eam ordinationem Virginum non amplius exigit quàm ſexdecim completos annos. Quam eamdem deſignavit Tridentinum ſacrum Concilium ad regularem utriuſque ſexus profeſſionem. Synodus Trullana Quiniſexta can.40. jubet ut ex præſcripto S.Baſilij Virgines nullæ ante XVII. annum velentur.

## DISSERTATIO IV.

### *De ritibus olim Baptiſmo adhiberi ſolitis.*

1. BAPTISMI tractatio aliis quibuſcumque Sacramentis præmittenda eſt, cum ſit & reliquorum Sacramentorum janua, & ad ipſam Chriſti Eccleſiam neceſſaria introductio; nec ſine illo haberi poſſit animæ ſalus, atteſtante ſalutis omnis auctore Chriſto, Ioan.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* Eſt quippe baptiſmus nativitas ad ſupernaturalem vitam, omniſque ſanctitatis primordium, & fons, ab æterna morte traductio ad deiformem æternamque vitam. Adeò ut Gregorius Nazianzenus, orat.4. ad ſanctum Baptiſmum, non dubitet iſtud tam neceſſarium & ſaluberrimum myſterium proclamare. Τῶν τοῦ Θεοῦ δώρων τὸ κάλλιστον καὶ μεγαλοπρεπέστατον. Donorum omnium Dei pulcherrimum & magnificentiſſimum.

2. Quæcumque nunc cæremoniæ Baptiſmo adhibentur eædem omnes apud priora Eccleſiæ ſæcula uſitatæ fuerunt, catechiſmi, exorciſmi, inſufflationes, unctiones verticis, ſcapularum & pectoris: quarum myſteria ab antiquis Patribus exponuntur; præſertim à Tertulliano tract. de Baptiſmo, adverſus Quintillam: & à Cyrillo Hieroſolymitano in catecheſibus. Illinebantur pariter, ſicut nunc, oleo ſacro neophytorum aures & nares: quem ritum pulcherrimo ſermone Auguſtinus elucidat, ut per hoc ſinguli fidelium admoneantur, aures quidem eloquijs pernicioſis occludere, atque ad excipiendum bonum Chriſti odorem nares animi aperire, ut cum ſacra ſponſa poſt fragrantiam unguentorum ejus curramus, quandiu vita noſtra reſpirabit. Quæ tamen olim oleo liniebantur baptizandorum aures & nares, nunc ſalivâ.

3. Aſpirantes ad Baptiſmum, qui catechumeni vocabantur, in duplici erant differentia, audientium ſcilicet & competentium. Circa competentes præcipua verſabatur Sacerdotum cura: jam enim ſufficienter fidei myſterijs imbuti, ſcriptiſque eorum nominibus præparabantur omni pietatis & pœnitentiæ diſpoſitione ad Sacramentum ſuſcipiendum, & ad ſingulos ritus, & ad interrogata reſponſiones ritè obeundas. Ad hos diriguntur Auguſtini ſermones, inſcripti ad competentes. Cæterorum qui auditores dicebantur differebatur Baptiſmus ad tempora remotiora.

4. Licet autem Apoſtolicâ traditione receptum eſſet, ut infantes baptizarentur ſecluſo etiam vitæ periculo, hoc tamen fiebat invito admodum Tertulliano, atque etiam vituperante: ſed futili prorſus & inani argumento, dum cap.18. de Baptiſmo ita conqueritur. *Cur feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Perinde ac ſi autor iſte Pelagio præcurrere, illiuſque hæreſim peccati originis impugnatricem prævertere ſtuduiſſet. Tunc verò nulla præcedebat catecheſis, & miniſtri aſſumebantur ac ſponſores qui pro puero baptizando reſponderent conceptis verbis. Tempora baptiſmo, citra neceſſitatis caſus, præfinita erant ſabbatis Paſcha & Pentecoſten præcedentibus; ut ſtatuit Papa Siricius epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap.2. Leo Magnus epiſt.4. & 80. Gelaſius epiſt. 1. cap. 12. Gregorius Nazianzenus orat.40. in ſanctum Baptiſma; in qua tertium

præterea

prætereà diem aſſignat Epiphaniam: ſed iſtud ad localem quandam conſuetudinem pertinebat. Et Tertullianus, diverſique veteres canones diem excludunt Epiphaniæ ab hoc Sacramento, ſolaque duo ſabbata commemorata huic muneri aſſignant.

5. Præmittebatur adultorum Baptiſmo peccatorum omnium ſecundum diſtinctas ſpecies ad aurem Sacerdotis confeſſio, quæ Græcis Exhomologeſis dicitur. Non enim pudori parcebatur qui nullus fuiſſet in generali & publica peccatorum confeſſione, qualem edit Sacerdos ſacram Miſſam inchoans. Hujus rei teſtes ſunt omni exceptione majores Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. ultim. *Ingreſſuros Baptiſmum* (inquit) *orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, ut exponant etiam baptiſmum Ioannis, tingebantur* inquit *confitentes delicta ſua. Nobis gratulandum eſt ſi non publicè confitemur iniquitates aut turpitudines noſtras.* Hæc Tertullianus. Quod idem teſtatur Cyrillus Ieroſolymitanus catech. 1. Gregor. etiam Nazianzenus orat. 40. in ſanctum Baptiſma cujus iſta ſunt verba μὴ ἀπαξιώσῃς ἐξαγορεῦσαί σου τὴν ἁμαρτίαν εἰδὼς ὅπως Ἰωάννης ἐβάπτιζεν, ἵνα τὴν ἐκεῖθεν αἰσχύνην τῇ ἐνταῦθα φύγῃς ἐπειδὴ μέρος τῆς ἐκεῖσε κολάσεως καὶ δείξῃς ὅτι τὴν ἁμαρτίαν ὄντως μεμίσηκας παραδειγματίσας αὐτὴν καὶ θριαμβεύσας ὡς ἀξίαν ὕβρεως. Ne peccatum tuum confiteri grave ducas, ſciens quo pacto Ioannes baptizaverit, ut per iſtius vitæ pudorem, alterius vitæ ignominiam devites, notumque facias te ſeriò atque ex animo peccatum odiſſe ac deteſtari, dum illud tanquam contumelia dignum traducis, deque eo triumphum agis.

6. Immediatè ante Baptiſmum denudabantur intra baptiſterium catechumeni, viri à Diaconis, fœminæ à Diaconiſſis; atque quaſi Chriſti athletæ inungebantur ab hierarcha in tribus corporis locis; ut ſcribit Dionyſius Eccl. Hierar. c. 3. Quod intellige in vertice, in pectore, atque inter humeros: quam unctionem reliqui miniſtri proſequebantur per totum corpus, Diaconi videlicet in viris, Diaconiſſæ in fœminis. Idem confirmat Cyrillus Ieroſolymitanus catech. myſtagog. 2. dicens εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπ᾽ ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. Deinde veſtibus exuti oleo exorciſato uncti eſtis à ſummis capillis uſque ad infima corporis. Severus præterea Alexandrinus tract. de Baptiſmo, hæc ait: *Educit baptizator baptizatum de medio aquarum, & dat eum ſuſceptori ſuo, & ungit omnia membra ejus, & manus, & pedes & nares, tum demum induitur ſuis veſtimentis.*

7. Ritus baptizandi antiquiſſimus & communis erat per trinam immerſionem quam indicat Apoſtolus, Rom. 6. *Conſepulti enim ſumus cum Chriſto per baptiſmũ in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus ſimul & reſurrectionis erimus.* Eadem ferè repetit, & commemorat, Coloſ. 3. Quamvis ergo immerſio plus haberet incommodi, & pudoris, quia tamen plus habebat myſterij ob Dominicæ mortis, ſepulturæ & reſurrectionis conformitatem, ac ſimilitudinem majorem, erat in ordinario Eccleſiæ primitivæ uſu; neque adhibebatur infuſionis ritus niſi erga periculosè ægrotantes. Nunc verò major habetur incommodorum corporis, atque pudoris ratio, ſimulque amovendarum tentationis illecebrarum, adeò ut ritus immerſionis jam ubique propemodum exoleverit.

8. Solemni baptiſmo duo alia ut plurimum Sacramenta jungebantur, Euchariſtia & Confirmatio: ut liquet ex Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Ieroſolymitano, Ambroſio, & Chryſoſtomi ad Innocentium Papam epiſtolis, facinus enarrantibus quod acciderat intra baptiſterium, quando eruptione militum Chriſti ſanguis præparatus ad neophytorum communionem effuſus eſt, exutæque ad baptiſmum fœminæ gravis contumeliæ diſcrimen ſubierunt. Albinus flaccus, ſive Alcuinus, qui ſub finem octavi ſæculi floruit, lib. de divinis Officijs cap. de Sabbato ſancti Paſchæ, hæc ſcribit. *Ipſis etiam infantibus tria uno die conferri Sacramenta, atque poſt trinam immerſionem ubi præſens eſt Epiſcopus, chriſmari ad confirmationem, & mox ſacrâ Euchariſtiâ refici.* Hoc tamen diſtrictè admonet ne lactentur infantes antequam communicaverint.

9. Teſtes ſunt Tertullianus de Corona militis cap. 3. & Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos moris fuiſſe, ut recens baptizatis exhiberetur lactis & mellis deguſtatio. Quo ritu myſticè ſignificabatur hac ſpirituali ad cœleſtem vitam nativitate, quaſi modò genitos infantes debere nos ad innocentiam & morum ſimplicitatem reformare, ut ibidem Hieronymus exponit. Quæ eadem res indicatur per veſtem candidam, quâ induebantur qui de aquis baptiſmi emerſerant.

10. Conſuetudo Mediolani alijſque quibuſdam in locis, non tamen Romæ invaluerat, ut Epiſcopus linteo ſuccinctus, baptizandorum pedes ablueret, antequam ad fontem deducerentur. Id teſtatur Ambroſius lib. 3. de Sacramentis, cap. 1. & lib. de his qui myſterijs initiantur. cap. 48. Ejuſdem meminit pariter Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium in fin. Quem morem abrogat in Hiſpanijs Concilium Illiberitanum can. 48. dicens: *Nec pedes eorum qui baptizantur lavandi ſunt à Sacerdotibus aut Clericis.*

## DISSERTATIO V.

### *De veteribus in ſacroſancta Euchariſtia ſolitis adhiberi ritibus.*

1. EORUM quamplurimi obſoleverunt, vel à recentioribus Eccleſiæ Canonibus in melius commutati ſunt. In primis perſpicuum eſt divinam Euchariſtiam primis quinque integris ſæculis in manus etiam laicorum dari ſolitam fuiſſe: quibus liberum erat eamdem in proprios lares deferre, & privatim aſſervare D. Cyprianus, tract. de Lapſis, multa colligit exempla, eorum qui Sacramentum iſtud indignis manibus acceptum, nec minore indignitate penes ſe cuſtoditum, ſenſerunt ſibi exitiale, divinamque ſuæ temeritatis ultionem ſunt experti. At verò miraculoſa beneficia ijs collata, qui ad hoc Sacramentum privatim aſſervatum piâ devotione recurrerunt, ut de alijs ſileam, de ſorore ſua Gorgonia Gregorius Nazianzenus, & de Satyro fratre ſuo Ambroſius, ſingulis quiſque orationibus in ipſorum funere habitis retulerunt. Gorgoniam à gravi, quâ premebatur, ægritudine effuſis coram Sacramento,

quod illa in privato conſervabat oratorio, liberatam. Satyrum verò in naufragio à fluctibus in quos ille ſe conjecerat ereptum, atque in locum tutum mirificè tranſlatum, eò quòd ſacratiſſimam Euchariſtiam orario involutam, ſibi ad collum alligari curaſſet. Similem nunciat eventum ſuo tempore accidiſſe Gregorius Papa Magnus, lib. 3. Dialogorum cap. 36. de Maximiano, ejuſque ſodalibus, qui in naufragio conſtituti ſacram quàm ſuprà ſe gerebant Euchariſtiam ore devotiſſimè ſumpſerunt, ejuſque virtute ad littus delati ſunt. Denique Baſilius in ſua ad Cæſariam Patriciam epiſtola ſic ſcribit. Aliquem verò manu propriâ ſumere Euchariſtiam ubi non eſt Sacerdos minimè grave eſſe, ſupervacaneum eſt oſtendere; propterea quòd res ipſa longâ conſuetudine probetur. Omnes enim qui ſunt in deſertis Monachi ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem ex ſeipſis illam ſumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto, unuſquiſque ex laïcis qui illic degunt, maxima ex parte communionem habent domi. Poſtquam verò compertum in Hiſpania fuit, Priſcillianiſtas hæreticos per immane ſacrilegium ſacratiſſimâ Euchariſtiâ in magicis præſtigijs abuti, Concilium Toletanum primum anno 405. & Cæſaraugustanum can. 3. juſſerunt acceptam Euchariſtiam in ipſa Eccleſia per communionem abſumi. At extra Hiſpaniam, quò ſe hæreſis hæc non extenderat, priſtina etiam conſuetudo & libertas perduraverunt.

2. Synodus Quiniſexta, ineunte octavo ſæculo habita, nimirum anno 707. non permittit communicantes Euchariſtiam aliquo vaſculo, quantumvis pretioſo, ſed ſolis manibus in crucis figuram conformatis excipere. Hoc idem ſuadet Cyrillus Hieroſolymit. Catech. Myſtag. 5. Eumdem veterem, communemque ritum commemorat Chryſoſtom. lib. 3. de Sacerdotio ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος τοῖς ἁπάντων χερσὶ κατέχεται. Qui cum patre ſurſum ſedet omnium manibus continetur. Alicubi tamen fœminæ divinum Sacramentum linteamine excipiebant, ut docet Auguſtinus, ſerm. 252. Maximus martyr, & Monothelitarum debellator admonet communicaturos viros, ut priùs manus abluant, quibus ſunt Sacramentum excepturi: at verò fœminas ut mundiſſima linteamina deferant, ſupra quæ à Sacerdote corpus Chriſti deponatur inter earum manus. Denique Antiſiodorenſe Concilium anni 578. ſtatuit can. 36. *Non licet mulieri Euchariſtiam nuda manu accipere.* Deinde can. 42. *Vt unaquæque mulier quando communicat Dominicale ſuum habeat. Quod ſi qua non habuerit uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Illud ipſum eſt quod admonet Auguſtinus, dicto ſerm. 252. de temp. *Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina ubi corpus Chriſti excipiant.*

3. Infantibus etiam lactentibus ab ipſis Eccleſiæ incunalibus adminiſtrabatur Euchariſtia, eorúmque infundebatur ori Chriſti ſanguis de ſacro Calice. Cujuſmodi refert Cyprianus exemplum inſigne tract. de lapſis: de puellula recens nata, quàm parentes Chriſtiani perſecutionem fugientes nutricis curæ commiſerant. Illis abſentibus gentiles puellulam idolis initiarunt, rei quæ gerebatur inſciam, rationiſque prorſus impotem, quam necdum valentem quidquam cibi deglutire vino potarunt idolis oblato. Paulò poſt, ſedatâ tantiſper procella perſecutionis, parentes puellam ad ſe reverſi recipiunt, atque ad ſacram Synaxim offerunt, quæ cum nondum obſirmatis gingivis ſolius alimenti liquidi capax eſſet, offertur ei à Diacono Dominicus de calice ſanguis, illa verò toto corpuſculo violenter commota, omnique nixu reluctatur: ſed tandem majore vi gerularum cedere coacta, liquorem ingeſtum invita tranſmiſit in ſtomachum, ſed mox evomuit. Communionis Euchariſticæ infantium meminit Auguſtinus epiſt. 107. ad Vitalem ſic dicens: *Scimus parvulos ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt recepturos vel bonum vel malum. Vnde & ipſi, ſicut dixi, ſi in illa parva ætate moriuntur, utique ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora geſtantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati ſunt, quando carnem Chriſti manducaverunt vel non manducaverunt, quando & ſanguinem biberunt vel non biberunt, ſecundum hæc ergo quæ per corpus geſſerunt judicabantur.* Hactenus Auguſtinus.

4. Nicænæ Synodi prioris Canon Arabicus 10. Ita ſancit, *Nati benedictionem accipiant ſecundum Eccleſiæ legem, & conſtitutionem, nimirum poſt quadrageſimum à Nativitate diem, nec ultra hoc tempus differendum eſt. Sed babizentur & Chriſtiani efficiantur ſine ulla cunctatione, ut ſacram ſuſcipiant Euchariſtiam, & edant panem, & vinum bibant, quæ ſunt caro & ſanguis Domini, & Dei noſtri Ieſu-Chriſti.* His accedat ſancti Paulini teſtimonium qui epiſt. 12. ad Severum, Verſus commemorat à ſe conditos, quos in baſilicæ Nolanæ baptiſterio Capitalibus ſcribi voluit literis.

*Inde parens ſacro ducit de fonte Sacerdos*
*Infantes niveos corpore, corde, habitu,*
*Circundanſque rudes feſtis altaribus agnos*
*Cruda ſaluiferis imbuit ora cibis.*

5. Idipſum fuiſſe in Gallia uſu receptum tempore ipſo Hugonis Victorini, Roſveidus, in hunc Paulini locum, annotat, producens ipſius Hugonis verba iſta, lib. 1. de cæremonijs Eccleſiaſticis cap. 20. *Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſt miniſtrandum, digito Sacerdotis quia tales naturaliter ſugere poſſunt.* Citat Hugo ibidem verba quædam ex Auguſtino lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 22. Verùm in illo Auguſtini loco nihil hac de re legitur. Sufficiat ergo locus Auguſtini paulò ante adductus ex ejuſdem ad Vitalem epiſt. 107. Abraham Echellen Maronita, rituum Orientalium peritiſſimus, in ſuis ad Nicænos Canones Arabicos obſervationibus, fidem facit, hunc in multis Orientis regionibus vigere morem infantes communicandi, ut intinctum ſacro ſanguini digitum Sacerdos infanti exugendum præbeat. Sed tractationem iſtam claudat Tridentini Concilij decretum ſeſſ. 21. cap. 4. *Denique eadem ſacroſancta Synodus docet, parvulos uſu rationis carentes nullâ obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem: ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideò tamen damnanda eſt antiquitas ſi eum morem in quibuſdam locis ſervavit aliquando. Vt enim ſanctiſſimi illi patres ſui facti probabilem cauſam, pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe ſine controverſia credendum eſt.* Porrò ex utroque jam commemorato veteri

ritu

Digitized by Google

ritu porrigendi Euchariſtiam laïcis ipſis, domum ſi luberet deferendam, ſub ſola panis ſpecie; itemque tenellos infantes communicandi ſub ſola ſpecie vini, hoc dilucidè conſtat, poſſe fidelem populum ſub unica ſpecie communicare.

6. Fuiſſe inſuper receptiſſimam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem iſtam legimus apud Evagrium, lib.4.hiſt.Eccl.cap.36. pueros ex Scholis accerſendi ad comedendas Euchariſtiæ particulas, quæ de populi communione ſupererant, ne ſitu corrumperentur. Quâ occaſione miraculum narrat inſigne nati ex parentibus Iudæi pueri, qui cum Scholæ ſodalibus accitus de Sacramento ſimul comederat. Quod ubi pater reſcivit tanto exarſit furore, ut innocentem ac ſimplicem puerum in fornacem accenſam conjecerit. Mater ſceleris paterni inſcia puerum aliquot dies flebiliter conquiſivit, qui tamen auditis ejulatibus maternis è fornace reſpondit. Ad ſtupefactæ matris diligentiam recluſo fornacis oſtio, puer inſtar trium Hebræorum puerorum veterum, in Babilonicam fornacem conjectorum, viſus eſt in medijs ignibus incolumis, & illæſus: indeque eductus narravit ſe à patre in ignes truſum, à divina eximiaque quadam matrona exceptum, ejuſque pallio circumfuſum non ſenſiſſe flammarum ardorem. Quinetiam ne fame moleſtaretur ſubminiſtratum ab eadem fuiſſe cibum & potum. Puer liberatus unà cum converſa matre ingenti populi concurſu, & celebritate, initiatus eſt Baptiſmo. Pater autem obſtinatiſſimus damnante Iuſtiniano Auguſto ob admiſſum in filium ſcelus affixus eſt cruci.

7. Ab ipſis Romanæ Cathedræ primordijs, ad ſignificandam omnium orbis Eccleſiarum conſenſionem & communionem cum Romana indivulſam, conſuetudo viguit ut Romanus Epiſcopus ſacram per internuncios mitteret ad cæteros Epiſcopos Euchariſtiam, qui cum Romana Eccleſia & Apoſtolica Cathedra communionem & obſervantiam religioſè colebant. Id conſtat certiſſimo Irenæi Lugdunenſis teſtimonio, quod, de ejuſdem ad Victorem Romæ Pontificem epiſtola, refert Euſebius lib.5.hiſt.Eccleſ. cap.24. Cum enim ſtatuiſſet Victor nonnullas Aſiæ Eccleſias à communione fidelium reſcindere, hac de cauſa, quia in celebratione feſti Paſchalis ab aliis omnibus diſſidebant. Irenæus pacis, juxta nomen ſuum, ſtudioſiſſimus, ut Victorem ab iſto conatu dimoveret, exemplum adducit præceſſorum Pontificum, quibus ſolemnis erat conſuetudo mittendi ad Aſianos, ſicut & ad alios Epiſcopos, ſacram Euchariſtiam ad Catholicæ communionis ac ſocietatis pignus, mutuæ dilectionis indicium.

8. Mos item in Romana Eccleſia olim invaluit, ut in communione Euchariſtica vinum in quod pars aliqua ſacratiſſimi ſanguinis ex myſtico calice infuſa fuerat populo ſubminiſtraretur, loco ſanguinis: ſic enim loquitur Ordo Romanus ex Alcuini libris, in quibus allegatur proculdubio antiquior, ſub finem tituli de officio Miſſæ. *Sed ipſe Pontifex confirmatur* (hoc eſt communicat) *ab Archidiacono, in calice ſancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, ſeu ſcyphum quem tenet acolythus, ut ex eodem ſacro vaſe confirmetur* (id eſt communicet) *populus: quia vinum, etiam non conſecratum, ſed ſanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum.* Ita liber Ordinis Romani.

9. In eadem Romana Eccleſia conſuetudine receptum fuit, ut Epiſcopus à Romano Papa conſecratus communicaret ſuper altari, quo die conſecrabatur, de parte ſacræ hoſtiæ quam ei Papa conſecrator porrexerat. De reliquis autem ejuſdem hoſtiæ partibus per inſequentes quadraginta dies communicabat novus Epiſcopus, dieque quadrageſimo perficiebatur totius hoſtiæ conſummatio, ut Alcuinus tradit de divinis Officijs tit. Qualiter Epiſcopus ordinetur in Romana Eccleſia. Simili ritu Eccleſia Senonenſis uſa diu fuit, cum ſeptem ſibi ſuffraganeis Eccleſijs Cathedralibus, ut fidem facit Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt.2. ad Finardum, *Noſtri enim Epicopi Provinciales in hujuſmodi ritum omnes conſentiunt.* Ordinatus itaque in Sacerdotium de manu ordinantis hoſtiam ſacram ſumebat, cujus partem quotidie ad altare conſumere tenebatur, donec integra hoſtia quadrageſimo die demum conſumeretur. Atque hujus particularis ritus myſticas rationes autor ibidem proſequitur.

10. Inoleverat varijs in locis conſuetudo, ut etiam mortuis fidelibus Euchariſtia daretur. Sed hoc diſtriſtè prohibet Concilium Carthaginenſe tertium, circa tempora Siricij congregatum, can.6. prætereaque Hipponenſe can.5. Item Antiſiodorenſe anni 578. can.12. Prætereaque Synodus in Trullo Quinſexta can.83. Refert tamen S.Greg. Papa lib.2.Dialogor.c.24. Sanctum Abbatem Benedictum viris quibuſdā in manus tradidiſſe corpus Domini, ut collocarent ſuper cadaveris pectus quod bis terræ ſepultum, terra ipſa bis ejecerat: ſed tertio ſepultum cum Euchariſtia ad pectus terra ſinu ſuo continuit. Ex Dionyſij Alexandrini ad Fabium Antiochenum epiſtola refert Euſebius, lib.6. hiſt. Eccle. cap.44. felicem è vita exitum ſenis Serapionis Ægyptij, qui per infirmitatem perſecutione ſæviente Idolis ſacrificarat, & mox facti ſui pœnitens reconciliationem quam multis gemitibus ab Eccleſia poſtulabat, ob delicti gravitatem non potuerat obtinere. Hic in gravem delapſus ægritudinem triduo jacuit ſenſibus & voce deſtitutus. Quartò die pauliſper relevatus accerſito nepote rogat, ut Sacerdotem à quo reconcilietur adducat. Quia verò Dionyſius Epiſcopus mandaverat ut quicumque pœnitentes in vitæ diſcrimen adducti ſine mora reconciliarentur, Sacerdos cum ipſe quoque morbo decumberet, puero exiguam Euchariſtiæ partem dedit, mandavitque ut ægrotum Serapionem conveniens, madefactam in os infunderet illius: Serapion voce & ſenſu pauliſper recuperatis dixit: veniſti fili? quamvis Presbyter non potuerit advenire id præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me in pace diſcedere. Puer madefactum Sacramentum in os ſenis ingeſſit quod ut ille in ſtomachum demiſit, Spiritum Deo reddidit. Hic obſerva urgente neceſſitate, cum neque Sacerdos neque Diaconus præſto eſſet, adhibitum pueri miniſterium ad impertiendam Euchariſticam communionem contra Canonum ſacrorum præſcripta.

11. Mos quoque multis in locis invaluerat, ut ſacra Euchariſtia ſanguine Chriſti madefacta & intincta communicantibus porrigeretur. Id verò fieri deinceps vetuit Iulius Papa, in epiſt. ad Epiſcopos Ægypti; quæ refertur cap. cum omne, de conſecrat. diſtinct.2. & Concilium Bracarenſe quartum anni 675. canon.1. Qui tamen

ritus alicubi etiam propagatus aduſque undecimi ſæculi finem. Hildebertus enim qui tunc florebat, Cenomanenſis primùm Epiſcopus, deinde Turonenſis Archiepiſcopus epiſt.64. admonet Abbatem de conſuetudine ex ejus Monaſterio eliminanda, quâ communio Monachis præbebatur in intincta hoſtia.

12. Sanctus Lucianus Presbyter, cum Nicomediæ ſub immani perſecutione Diocletiani detineretur in carcere, ſupinus jacens & humi colligatus, cum verò Chriſtiani circumdarent triſtes, quia eis non licebat ſacro intereſſe vel communicare, ſolemni qui tunc occurrebat Epiphaniæ die, ipſe vim præ animi devotione profundens lacrymarum, petijt ſacra ſymbola ſuo nudo pectori ſuperimponi divino amore flagranti, quo, perinde ac altari uſus, rem divinam fecit, ſeque & circunſtantes fideles, poſt peractam conſecrationem fuſaſque ſolemnes preces, communione divina refecit, & aliquanto poſt expiravit. Martyris hujus breviter meminit Euſebius, lib.hiſt. Eccl.8. c.13. & lib.9. cap.6. ſed fuſius ejus hiſtoriam proſequitur Simeon Metaphraſtes. Extat Chryſoſtomi de ſancto martyre Luciano panegyricus ſermo, quem ait fame necatum à gentilibus, cum non alios cibos quàm idolis oblatos aut immolatos ad tentationem illi apponerent manducandos. Hanc orationem conſtat ex ipſius textu fuiſſe poſtridie feſti Epiphaniæ pronunciatam, quæ diei circunſtantia Metaphraſtis narrationem firmat. His factum adjungendum Theodoriti Cyri in Palæſtina Epiſcopi, qui ſolâ motus voluntate piis indulgendi deſiderijs anachoritæ Maris, qui ſponte incluſus pedem de ſua cellula jam inde à multis annis non extulerat, divina miniſteria intra eam cellam celebravit, uſus altari non alio quàm manibus ſibi aſtantium Diaconorum expanſis, ut idem de ſe refert Theodoritus in religioſa quam edidit hiſtoria.

## DISSERTATIO VI.

### *De Agapis.*

1. AB Apoſtolicis uſque temporibus Agaparum ducuntur initia. Harum quippe apertè Paulus meminit, & qui in eas irrepſerant abuſus Corinthijs, in prima ad ipſos epiſtola, exprobrat. Cum enim hac intentione inſtitutæ eſſent ut intra Eccleſiā, poſt participatam Euchariſtiam qui convenerant fideles, pauperes ſimul & divites quaſi fratres ijſdem appoſitis cibis promiſcuè veſcerentur, quas ſoli divites proprijs impenſis in commune conferebant, ut docet Chryſoſtomus in 1.Cor.11. ſecus tamen res peragebatur. Qui enim ſumptus præbebant intemperanter veſcebantur pauperibus excluſis, quibus conferendi facultas non ſuppetebat. Idcircò expoſtulat Apoſtolus, *Convenientibus vobis in unum jam non eſt Dominicam cœnam manducare: unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?*

2. De Agapis quales eſſent, aut ut in illis Chriſtiani ſe gererent, Romanum Senatum his verbis inſtruit Tertullianus. Apologet.cap.39. *Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Vocatur enim ἀγαπὴ id quod eſt penes Græcos dilectio. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus.* Et paucis interjectis. *Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non priùs diſcumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Oratio convivium dirimit.* De his ijſdem convivijs in Chriſtianorum conventibus inter preces ad Deum fieri ſolitis meminit Plinij ad Trajanum epiſtola, eademque eſſe teſtatur innoxia.

3. Synodus Gangrenſis can. 11. occaſione ſumpta ab hæreticis Euſtathianis, qui ſolemnes fidelium conventus averſabantur, eos omnes à fidelium communione reſecat, qui agapas ita deſpicantur ut neque ad eas accedant, & accedentes condemnent. Ex adverſo autem quia graves in agapas nonnunquam gliſcebant defectus, de quibus audivimus Paulum conquerentem, imò etiam horrendæ diſſolutiones in conventibus Nicolaïtarum, contra quos acriter invehitur Iudas Apoſtolus, eoſque dicit in conviviis ſuis maculas, Græcè in agapis ἐν ταῖς ἀγάπαις σπιλάδες. Ideò Synodus Laodicena can.28. edixit: *Non oportet in Dominicis locis ſeu Eccleſiis agapen facere, & intus manducare vel accubitus ſternere.* Concilium præterea Carthaginenſe tertium can.30. vetat Epiſcopis & Clericis univerſæque plebi intra Eccleſiam convivari. Hoc idem fieri Mediolani prohibuerat Ambroſius: refert quippe Auguſtinus de ſua matre Monica, lib.6. Confeſſionum c.2. ipſam quum Mediolani verſaretur, & ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat caniſtrum cibis refertum detuliſſet, fuiſſe ab oſtiario prohibitam, quia talia fieri præſul Ambroſius interdixerat, hanc verò docilem & morigeram, neque de conſuetudine Eccleſiarum Africanarum ultra ſollicitam, reportaſſe domum quæ inde aſportaverat. Anglis tamen recens converſis, ideoque ſuaviter alliciendis, ne auſteritate deterrerentur Sanctus Papa Gregorius permiſit, ut in tabernaculis ex virentibus arborum ramis juxta Eccleſiam ſtructis, celebritates Martyrum religioſis conviviis celebrarent, lib.19. epiſt.71. hanc adjungens conceſſionis rationem. Vt dum eis *aliqua exteriùs gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire faciliùs valeant.*

## DISSERTATIO VII.

### *De literis formatis ſeu Canonicis.*

1. QUÆ literæ Græcè Canonicæ, Latinè formatæ dicebantur, uſitatiſſimæ fuerunt ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis ab Apoſtolorum ſæculo. Verùm quia his frequenter tum hæretici, tum etiam ex gentilibus impoſtores abutebantur, viſum eſt Patribus in Nicæna prima Synodo congregatis novam illis formam præſcribere, ut fidem facit Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus hoc ordine, ut in primis prima apponerentur ſanctiſſimæ Trinitatis perſonarum elementa pro voce πατὴρ litera π. pro voce ὑιὸς lit. υ. & pro voce ἅγιον πνεῦμα lit. α. Apoſtoli quoque Petri lit. π. ejus quoque qui formatam epiſtolam ſcribit prima nominis

nominis litera, & cui ſcribitur ſecunda, & pro quo ſcribitur tertia, & civitatis de qua ſcribitur quarta litera. Denique indictionis quæcumque tunc occurrerit numerus literalis aſſumatur. Obiter ex illo Attici teſtimonio liquet indictionum uſum jam viguiſſe Nicæni Concilij tempore. Indictionum plerique ſuſpicantur auctorem Conſtantinum Magnum. Errare inſuper conſtat Cedrenum alioſque illarum affirmantes auctorem Theodoſium ſeniorem. Indictiones ſingulæ quindecim annorum ſeriem complectebantur. Earum triplex notatur diſcrimen: aliæ namque Conſtantinopolitanæ dicebantur, de quibus ita loquitur Ambroſius, in epiſt. ad Epiſcopos Æmiliæ. *Indictio* Septembri menſe incipit hoc eſt ipſis Calendis Septembribus. Aliæ Cæſareæ vocabantur, quarum ſumitur initium ab octavo Calendas Octobris. Tertiæ demum Romanæ quia in Pontificijs diplomatibus adhiberi ſolent, earumdemque notatur exordium à Calendis Ianuarij. Ad finem formatarum adhibebatur Græca vox ſeu potiùs Hebraïca ſed literis Græcis expreſſa ἀμήν. Hanc de formatis literis obſervationem juxta Nicænum decretum tranſmiſit Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus, quaſi additamentum ad viginti Nicænæ Synodi canones, quos ab ipſo expetiverat Aurelius Carthaginis Epiſcopus, quo tempore habebatur Concilium cui præſidebat Carthaginenſe ſextum, ut annotat Baronius tomo 3. ad annum 325. & reperitur in antiqua Creſconiana editione, ſub Attici titulo; & alibi excuſum legitur poſt finem Synodi Chalcedonenſis, ut monet Baronius dicto anno numero 162. & Bellarminus lib. 1. de Summo Pontifice cap. 14.

2. Formatæ porrò literæ in varias diſtribuuntur ſpecies quarum aliæ communicatoriæ, Græcè κοινωνικαὶ γραφαὶ dicuntur, iſtæque ab Epiſcopis concedebantur ſubditis ſuis peregrè euntibus, ut quocunque tendebant in communionem fidelium admitterentur, hoſpitioque exciperentur. Huc reſpiciunt quæ ad Caium ſcribit S. Ioannes Apoſtolus epiſt. 3. *Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinis, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ, quos benefaciens deduces dignè Deo. Pro nomine ejus profecti ſunt nihil accipientes à gentibus. Nos ergo ſuſcipere debemus hujuſmodi ut cooperatores ſimus veritatis. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ, ſed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos, neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt prohibet, & de Eccleſia ejicit.* Hujuſmodi literarum, ſub nomine conteſſerationis hoſpitalitatis, meminit Tertullianus, de præſcriptionib. adverſ. hæret. cap. 20.

3. Sub imperio Veſpaſiani veterator inſignis profeſſione Philoſophus, nomine Peregrinus, & ob verſatiles in omnem modum fraudes cognominatus Proteus, ſe aliquando Chriſtianum finxit; eoque dolo non modo frequentium peregrinationum certiſſimum viaticum retulit, ſed etiam innumera fabricans mendacia, multas divitias ex liberalibus Chriſtianorum officiis; quorum tandem communione (detectis impoſturis) ejectus ſe ad priſtinam gentilitatem reduxit. Hujus veteratoris hiſtoriam flagitijs præſtigijſque refertam Lucianus pertexuit.

4. Nihil verò quod ad rem attinet, intercedebat diſcriminis inter pacificas & communicatorias, id eſt, ut Græci appellant, inter εἰρηνικὰς καὶ κοινωνικάς: ſed ſub diverſis nominibus una eademque res exprimebatur, nec his aliò intendebatur quàm ut aliquis viæ ſe committens hoſpitio ſuſciperetur, & in communionem cum cæteris fidelibus admitteretur Chriſtianæ ſocietatis. At verò commendatitiæ, non vulgaris notæ & proletarijs laïcis, ſed ſolis honorificis perſonis indulgebantur ut lautiùs & liberaliùs exciperentur ab Eccleſijs, ut colligere eſt ex can. 11. Chalcedonenſis Synodi, hoc ſanciente, ut pauperibus peregrè ituris ſolæ darentur ad Eccleſias literæ pacificæ, ſed non συστατικαὶ, id eſt commendatitiæ: quippe quæ in favorem reſervandæ ſint τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει. Quia verò Græca vox ὑπόληψις nunc ſuſpicionem, nunc autem honorificam æſtimationem denotat, eam vocem hoc loco interpretati ſunt de ſiniſtra ſuſpicione poſteriores Græculi; Zonaras, Balſamon, & Matthæus Blaſtares. Gentianus quoque Herveus ibi exponit commendatitias, ſolis perſonis quæ ſuſpectæ ſunt concedi oportere. Sed jam quæro cur ſolis pauperibus & ſimul ſuſpicione improbâ laborantibus, non alias quàm pacificas præberi literas, cum tamen clarioris notæ peregrini minus habeant ſuſpicionis, & paupertas viliores perſonas, præſertim vagas & errabundas, multò faciliùs ac frequentiùs ad mendacia & impoſturas adigere ſoleat. Quapropter cum ſit major de pauperibus & obſcuris perſonis quàm de claris & ſublimioribus hominibus ſuſpicio, illis utique multò magis denegandæ ſunt commendatitiæ quàm iſtis, à quibus remotior eſt nimis fraudulentiæ ſuſpicio. Sed longè prudentior mens Concilij fuit, indignum exiſtimantis diſcrimini Eccleſiarum & Antiſtitum objicere homines abjectos, & ſuſpicioni obnoxios per commendatitias, quibus majus ineſt privilegium, eaſque illis recuſare quos ſua claritas & honorabilis exiſtimatio longiùs ab omni ſuſpicione removet. Feliciùs igitur veræ intelligentiæ ſcopum veteres tranſlationes attigerunt. Dionyſij quidem ſic vertentis *Commendatitias literas honoratioribus tantummodo perſonis præſtari.* Et deinde Iſidori, ſic interpretantis, *Commendatitias epiſtolas eos tantum accipere convenit qui in opere ſunt clariores.* Et ſanè apud veteres Græcos voces duæ ὑπόληψις & δόξα id commune habent ut nunc opinionem ac exiſtimationem generatim, nunc verò glorioſam famam & claritudinem ſignificent. Ideoque Chalcedonenſis canon 13. interdicit Clericis Eccleſiaſtica miniſteria in aliam commigrantibus civitatem, niſi commendatitiis μηδαμῶς ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον ἢ διάκονον ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι. Quis verò inter obſcuros homines collocet Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos; cum ſint in Eccleſia digniores & honoratiores præ aliis, ſive Clericis ſive laïcis? Sardicenſis præterea canon 9. providet, ut ad graviora negotia in majori civitate, aut in comitatu Principis gerenda, mittant Epiſcopi Diaconum ad loci Antiſtitem cum commendatitiis literis. Carthaginenſe pariter ſub Siricio Pontifice Concilium tertium can. 28. non permittit Epiſcopis tranſmarinas profectiones inconſulto Metropolitano, à quo formatam ſumere neceſſe habent. Prima commendatitiarum epiſtolarum mentio fit 2. Cor. 3. Nunquid egemus ſicut quidam commendatitijs epiſtolis ad vos? Græcè συστατικῶν ἐπιστολῶν.

5. Quemadmodum, ut dixi, ad exercendos alibi jam ſuſceptos ordines, neceſſariæ ſunt Clericis commendatitiæ literæ, ita & ad novos alibi ſuſci-

piendos ordines neceſſariæ ſunt Clerico ex parte proprij Epiſcopi dimiſſoriæ literæ ἀπολυτικαὶ γραφαί. Vt admonet Theodorus Balſamon, ad Apoſtolorum canonem 15. diſtrictè namque prohibetur Epiſcopis alieni Clerici ordinatio, niſi ex conſenſu proprij illius Epiſcopi, Nicæno canone 16. alijſque innumeris canonibus priſcis, atque recentibus.

6. Formatarum inſuper nomine deſignantur literæ Paſchales, indicentes quota ejus anni Dominica celebrandum ſit proximum Paſcha. Fuit antiquiſſima conſuetudo ut Romanus Epiſcopus quotannis ad univerſas Eccleſias ſcriptis encyclicis, ſeu circularibus, literis diem Paſchalem indicaret, ut legitur Arelatenſis Concilij primi can. 1. Quia verò Ægyptij aſtronomiæ peritiâ præcellebant, ea cura per Nicænam Synodum demandata fuit Alexandrino Epiſcopo, ut in primis diem Paſchalem futurum Romano indicaret Epiſcopo ſedulò exploratum, à quo poſtmodum cæteris univerſi orbis Eccleſijs indiceretur & promulgaretur: ut S. Leo Papa ſcribit epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum. Primates deinde & Metropolitani ſuarum Provinciarum Epiſcopis, & hi ſubjectis ſibi Eccleſijs per literas formatas ſignificabant; ut ſtatuit Concilij Carthaginenſis can. 7. *Vt dies Paſcha formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Promulgabatur autem futurus ille dies per Diaconum inter Miſſarum ſolemnia ipſo Epiphaniæ die, ut conſtat ex Concilij quarti Aurelianenſis can. 1. & Bracharenſis ſecundi can. 9. qui eſt inſertus, de conſecra. diſt. 3. c. placuit. Quo jubetur adveniente natalis Domini die in Eccleſia poſt decantatum Evangelium adſtante populo diem ſeu lunam Paſchæ adventantis intimari. Commemorat Gregor. Turonenſis, lib. de gloria martyrum cap. 24. & 25. in oppido Luſitaniæ, cui nomen Oſem, eſſe piſcinam marmoream ad Baptiſmi uſum extructam à Catholicis, atque in eam ipſâ quintâ majoris hebdomadæ feriâ ſolitum eſſe cum Clero, & frequenti populo Pontificem, explorandi gratiâ procedere, nullâque repertâ inibi aquâ protinus egredi, & valuas obſeratas ſigillo munire, ſed adveniente poſt biduum Sabbato ſolitum reverti Pontificem, comitantibus Clericis & populo, inſpectis & effractis ſigillis oſtia reſerari, & dictu mirum! piſcinam reperiri aquis exundantem, atque idem miraculum ſingulis annis renovari. Addit idem autor Hiſpaniarum Regem Theodogiſilum Arianum moleſtè ferentem quòd par apud ſuos nullum fieret miraculum, crediliſſe fraudem ſubeſſe Catholicorum. Ideoq; proprio annulo vnà cum orthodoxorum Antiſtite fores baptiſterij obſignaſſe, effoſsâ prius in profundum terrâ per baſilicæ circuitum & diſpoſitis toto triduo excubantibus militibus. Sed quum fons ubertim aquis refertus Sabbato inſequenti viſus eſſet, confirmata eſt divini miraculi fides, cum gravi hæreticorum confuſione. Auctor pariter eſt in ſuo Chronico Sigibertus anno Chriſti 573. coortam fuiſſe inter Gallos & Hiſpanos concertationem, quonam ejuſdem anni die celebranda foret Paſchæ feſtivitas. Sed tandem rectè à Gallis celebratam divino oſtento monſtratum fuiſſe, cum enim Hiſpani per errorem calculi præveniſſent diem, fuiſſe ipſorum fontes quo die celebrarunt vacuos & aridos, ſed alterâ hebdomadâ, quâ Galli Paſcha celebrarunt eoſdem ipſos Hiſpaniæ fontes aquarum copia exuberaſſe. Caſſianus item, collat. 10. cap. 1. perhibet moris eſſe, ut ſancto Epiphaniæ die inter ſacra myſteria populus admoneatur, quonam die Paſchale feſtum ſit celebrandum.

7. Formatis pariter accenſendæ ſunt encyclicæ, ſive circulares epiſtolæ, quæ vel ab Epiſcopo Romano vel à Primate, vel ab inferiore Prælato, vel à Synodo tranſmittuntur ad plures Eccleſias, vel perſonas diſtribuendæ, ſive in cauſa fidei, ſive in rebus diſciplinæ, ſive ad indicendas preces aut jejunia, vel ad fideles de alijs rebus admonendos.

8. Inter formatas recenſentur quoque commonitoriæ ſeu memoriales literæ, quæ Legatis, vel Nuncijs, vel apocriſarijs ac reſponſalibus Eccleſiaſticis expediuntur, præſcribentes ut ſe gerere debeant in miniſterio ſibi injuncto. Harum fit mentio in can. 98. Concilij Africani, & apud Cyrillum epiſt. 1. ad Succeſſum apud Auguſtinum epiſt. 129. & 158. Sidonium Apollinarem lib. 8. carm. ad Lampridium alioſque veteres.

9. Locum prætereà inter formatas habent tractoriæ, quibus providebatur ut Prælatis ad Synodum commeantibus vecturæ, & viatica ſuppeditarentur. Harum meminit Carthaginenſe Concilium quintum, can. 10. Non hic ſermo eſt de tractoriis Imperatorum, etiam in convocandis Epiſcoporum Synodis, quales innumeræ leguntur in veterum Conciliorum & hiſtoriarum Eccleſiæ monumentis. De tractorijs multa ex Sacris & ex prophanis Scriptoribus teſtimonia congerunt duo Gallicani Juriſconſulti conſummatiſſimæ eruditionis, Barnabas Briſſonius, de verborum ſignificatione, v. tractoriæ & Jacob. Cujacius, ad lib. 12. Codicis tit. 51. qui eſt de tractorijs.

10. Inter commoda innumera & emolumenta, quæ in univerſam Eccleſiam per formatas diffunduntur, primum dignitatis habebat olim locum admirabilis illa fidelium toto terrarum orbe in unitate fidei, in officijs charitatis, & ſanctitate diſciplinæ communio. Religioſiſſimam iſtam ſocietatem æmulati ſunt Schiſmatici, & Hæretici, ſed nunquam aſſequi potuere. Hoc unitatis Eccleſiæ argumento tanquam inevitabili telo Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, hæreticorum ſectas impugnarunt, & profligarunt. Optatus lib. 2. contra Parmenianum recenſitâ Epiſcoporum Romæ, à Petro ad Damaſum uſque, ſerie addit *cum quo* (ſcilicet Damaſo) *nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Auguſtinus etiam, ut Fortunium Epiſcopum Donaſtitam affirmare auſum ſuam ſuorumque gregalium ſocietatem ubique terrarum protendi, dum vult ſibi Catholici, hoc eſt univerſalis denominationem vindicare, falli manifeſtè convincat, ſic ſcribit epiſt. 163. ad Eleuſium. *Quærebam* (ait) ab eo *utrùm communicatorias epiſtolas, quas formatas dicimus, poſſet quò vellem dare? & affirmabam quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facillimè illam terminari quæſtionem poſſe.* Refert Gregorius Nazianzenus invectivâ 1. in Iulianum, ſceleſtiſſimum iſtum apoſtatam invidiâ concitatum, transferre in gentiliſſimum propoſuiſſe multos laudabiles quibus Eccleſia florebat ritus, ac præſertim literas hoſpitalitatis.

* * *

## DISSERTATIO VIII.

### *De publicis priſcorum Chriſtianorum pœnitentijs.*

1. PLerique magnæ eruditionis Scriptores materiam iſtam pertractarunt, inter quos eminet Ioannes Morinus Congregationis Oratorij Domini Iesu inſigne decus, & ornamentum. Sciendum in primis de diverſis publicæ pœnitentiæ ſpeciebus. Nicenæ primæ Synodi canones 11. & 12. tres illius diſtingunt ſpecies aut claſſes, Auditorum, Subſtratorum, & citra oblationem communicantium: Auditores juxta fores Eccleſiæ, ab earum tamen limine excluſi, in ſummo luctu & ſquallore ſaccis & cilicijs amicti verſabantur. Iidem poſt ſtatutum tempus in ſubſtratorum ſtationem tranſibant. Subſtrati porrò intra Eccleſiæ partem quæ à foribus liminibus primùm occurrebat, & Narthex vocabatur, admitti ſolebant, ibique Miſſæ partem illam, quæ catechumenorum dicebatur, nec non homiliam ac ſermonem qui in Eccleſia de ſuggeſto poſt decantatum Evangelium pronunciabatur, unà cum catechumenis audiebant, ſed ante offertorium ne myſterijs ineffabilibus intereſſent, unà cum catechumenis & energumenis, ut Dionyſius in ſua Eccleſiaſtica Hierarchia docet, voce Diaconi à liminibus templi omnino excludebantur: ſoluſque in templo perſiſtebat ad finem uſque Collectæ ac Miſſæ tertius pœnitentium ordo, qui ſolius divinæ Euchariſtiæ communionis exors erat. Niceni quidem Patres nihil de pœnitentibus omnino ab Eccleſiæ aditu prohibitis meminerũt, qui lugentes dicebantur: ſed tacitè ſupponunt juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de his quæ foris ſunt judicare.* Prætereà cum ijdem Patres can. 11. proteſtentur, ſe humaniùs & præter meritum eorum qui ſub nupera Licinij tyrannide lapſi fuerant, decernere; credendum eſt, ne canonica ſeveritas lapſos deterreret eorúmque converſioni obſiſteret, remiſſam illis fuiſſe aſperiorem ſtationis lugentium obſervationem, ideoque ab initio ipſo remiſſos fuiſſe reos hujuſcemodi ad ſecundam, quæ eſt audientium, ſtationem.

2. At verò Sancti Gregorius Neocæſarienſis & Baſilius Magnus, in ſuis pœnitentium Canonibus, alijque veteres Patres publicè pœnitentium quatuor diſtingunt ordines in πρόσκλαυσιν fletum, ἀκρόασιν auditionem ὑπόπτωσιν proſtrationem & σύστασιν conſiſtentiam, quibus tandem ſuccedebat μέθεξις participatio Euchariſtiæ. Exempli gratiâ, Baſilius, in ſuis ad Amphilochium canonibus, præſcribit mœchis annos publicæ pœnitentiæ quindecim, quatuor nimirum in fletu, quinque in auditione, quatuor in proſtratione, reliquos duos in conſiſtentia. Gregorius autem Neocæſarienſis can. 11. flentes ait arceri ab Eccleſiæ foribus, audientes intra fores admitti; verſarique in parte navis, quæ narthex vocabatur. Sub audientium autem appellatione comprehendit proſtratos, iſtoſque omnes cum catechumenis, ante offertorium docet expelli foras. Ultimúmque pœnitentium ordinem, qui conſiſtentium dicitur, unà cum fideli populo ad finem uſque ſacrificij intus perſiſtere, privari tamen Euchariſticâ communione. Judæis autem & gentilibus, atque hæreticis, quò facilius ad veram fidem pellicerentur, permittebatur ut promiſcuè catechumenorum officio Eccleſiaſtico intereſſent; & concionem Evangelicam audirent; ut liquet ex Carthaginenſis Concilij quarti can. 84. Solis quippe primæ claſſis pœnitentibus, id eſt lugentibus interdicebatur Eccleſiæ aditu, ut in humum abjecti ſub dio aut ſaltem in veſtibulo preces & lacrymas funderent.

3. Pœnitentium habitus erant pullæ veſtes cinere conſperſæ, ſacci, cilicia, ſquallor capitis inculti. Diutinis prætereà in pane & aqua jejuniis, orationum frequentiâ, crebris vigilijs, chameunijs, omniúmque deliciarum abdicatione; alijſque ταλαιπωρίαις, ſeu aſperitatibus perpetim exercebantur; nuptias, convivia, balneas, & hominum congreſſus averſabantur, neque ipſis arma deferre aut militare licebat. Hæc docent Arelatenſe Concilium ſecundum can. 21. Leo Magnus epiſt. 92. cap. 11. & 12. Tertullianus lib. de Pœnitentia. Pacianus paræneſi ad pœnitentiam, Hieronymus epiſt. ad Oceanum de obitu Fabiolæ. Ambroſius epiſt. ad virginem lapſam, & lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. Concilium Toletanum tertium can. 12. Concilium Agathenſe can. 15.

4. Quæri poteſt utrùm ad pœnitentiam publicam adjuncta eſſet publica criminis confeſſio? Rem elucidabit una diſtinctio: ſi enim publica illa pœnitentia injuncta erat ob publicum delictum aut publicè notum, nihil repugnat ejus publicam præſcribi confeſſionem delicti, qualis extitit Fabiolæ unius ex primarijs Romæ matronis, in æde Lateranenſi, quippe quæ publicè alteri viro, vivente adhuc marito nupſerat per errorem juris, dum credit id ſibi licitum propter mariti adulteria. Hanc Fabiolæ pœnitentiam Hieronymus in epiſtola illa ad Oceanum graphicè deſcribit.

5. Cæterùm ubi delictorum occultorum publica ſuſcipiebatur pœnitentia, ex arbitrio pœnitentis ſimul & ex Epiſcopi prudentiâ id totum dependebat, an ſufficeret generalis illa delictorum confeſſio, quæ nullum in ſpecie propalaret peccatum; an verò expediret aliquid particulare fateri. Et quidem pluribus priſcorum teſtimonijs probari poteſt ſæpius contigiſſe, ut ad publicam pœnitentiam nulla particularis confeſſio adjungeretur. Primus huc accedat teſtis Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 16. dicens, *Si quis occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen pœnitentiam egerit ſtudioſè, quomodo iſthic recipiet ſi ei communio non refunditur?* Hic certè occulti criminis occulta duntaxat ac generalis confeſſio cum publica pœnitentia copulatur. At verò toto illo de pœnitentia opere ſanctus Doctor non de alia, quàm de publica pœnitentia tractationem inſtituit. Statim enim ibidem ſubjungit. *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus.* Idémque lib. 2 de pœnitentia cap. 10. hortatur ad publicam pœnitentiam, quos ab illa ſuſcipienda pudor quidam deterrebat. Iſtoque ibidem nititur argumento, nihil eſſe cauſæ cur eos pudeat Deo publicè ſupplicare, & humiliari, cum non puduerit occultè apud Sacerdotem confiteri admiſſum delictum, quod tamen ante privatam illam confeſſionem Sacerdos ignorabat. *An pudeat* (inquit) *Deo ſupplicare quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini quem lates confiteri?* Quæ Ambroſij ratio prorſus inepta depellendo pudori eſſet, ſi publica exhomologeſis, ſeu confeſſio, indiviſſa ſemper à publica pœnitentia fuiſſet: cum

Digitized by Google

cum nemo ignoret graviorem multò pudorem ex publica ad univerſum populum criminis anteà ignoti confeſſione naſci, quàm ex privata ſecretaque ad unius Sacerdotis aurem. Hoc igitur Ambroſij loco pudor ex publica exurgens pœnitentia ſine ſpeciali peccatorum manifeſtatione, confertur cum pudore manifeſtati privatim penes unum Sacerdotem per ſecretam confeſſionem.

6. Similiter Concilium Toletanum quartum can.14. decernit per publicam illam pœnitentiam, cui non fuerit comes publica delicti confeſſio, neminem à ſacris Ordinibus excludi. Quod idem deinde iteravit Concilium Toletanum decimum tertium can.10. Cæteroqui enim certum apud omnes eſt, publicam pœnitentiam quâ particulare crimen populo aſtanti exprimebatur, perpetuam peperiſſe ad ſacros ordines irregularitatem, ut conſtat ex Origene lib.2. contra Celſum; ex Hieronymo Dialog. adver. Luciferianos; ex Siricio Pontifice epiſt.1. ex Innocentio Papa epiſt. ad Agapitum; & ex Conciliorum autoritate, Nicæni primi can.10. Toletani primi can.2. Carthaginenſis quarti can.68. Arelatenſis quarti can.3. Epaonenſis can.3. & alijs.

7. Præterea Leo Magnus epiſt.138. aliàs 80. ad univerſos Epiſcopos Campaniæ, Samnij & Piceni, loquens de pœnitentijs publicis perſpicuè docet, ſufficere in his ſecretam penes unum Sacerdotem confeſſionem; nec neceſſe eſſe reatum palam manifeſtari. Iſtis tamen tam frequentibus teſtimonijs unus obſiſtere videtur can.32. Concilij Carthaginenſis tertij, diſertè prohibens omninò permitti ullam publicam pœnitentiam, *niſi ob publicum & vulgatiſſimum crimen quod univerſa Eccleſia noverit.* Et ſanè canone iſto convincitur diverſum aliquando à reliquis fuiſſe Africanarum Eccleſiarum uſum.

8. Siricius Papa epiſt.1. cap.14. duas circa publicam pœnitentiam regulas præſcribit; eam ſcilicet quam jam protulimus, non eſſe recipiendum in Clerum eum qui publicâ fuerit aliquando pœnitentiâ (adde & exhomologeſi publicâ) perfunctus. Alteram, eum qui ordini Clericali fuerit adſcriptus, non eſſe ad publicam pœnitentiam, neque ad manuum impoſitionem ablegandum; ſic dicens. Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum; ita & poſt pœnitudinem & reconciliationem nulli unquam laïco liceat honorem Clericatus adipiſci. Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati; nulla tamen gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere debent qui dudũ fuerint vaſa vitiorum. Diſciplinæ hujus, quâ laïcus in crimen lapſus ſuſcipiebatur in pœnitentiam, & communione privabatur Sacramentorum, Clericus autem deponebatur à Clericali gradu & honore, ſed pœnitentiæ minimè addicebatur, neque prorſus à communione ſegregabatur, teſtis eſt locuples Baſilius epiſt. ad Amphilochium, can.3. duas ibi rationes allegans; quarum prima eſt: quia Deus non vindicat bis in idipſum. Nahum.1. Atque ideò non ſit ad pœnam depoſitionis Clerici altera pœna cumulanda. Quæ ratio quoque profertur circa depoſitionem majorum Clericorum, ſcilicet Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi in can.24. Apoſtolorum. Altera Baſilij ratio hæc eſt; quia laïcus reus completo pœnitentiæ canonico tempore, in priſtinum communionis ſtatum reſtituitur, Diaconus autem ab inflicta ſemel depoſitione non reſurgit. Idemque juris eſt in Presbyteris, & Epiſcopis. Sed loco publicæ intra Eccleſiam pœnitentiæ in Monaſterium adigebatur aliquando. Ita conſtituit Ioannes Papa ſecundus, epiſt. ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, mandans ut Regienſis Epiſcopus, nomine Contumelioſus, ob ſua crimina deponatur, totâque reliquâ vitâ Monaſterio concluſus veniam à Deo requirat. Concilium inſuper Agathenſe can.50. ſtatuit. *Si Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus in Monaſterium retrudatur: & ibi quandiu vixerit laïcam tantummodò communionem accipiat.* Similia ſancivit Concilium Epaonenſe can.22. *Si Presbyter, aut Diaconus crimen capitale commiſerit, ab officij honore depoſitus in Monaſterium retrudatur ibi tantummodò quandiu vixerit communione ſumendâ.*

9. Primum quidem Arauſicanum Concilium can.4. præfatæ diſciplinæ videtur contradicere, dum ſtatuit. *Pœnitentiam deſiderantibus Clericis non negandam.* Sed hujuſmodi pœnitentiam ſpecie omninò diverſam à vulgari cenſeo: itaut nullam irregularitatis notam poſcenti Clerico inureret, non inhabilem functionibus Eccleſiaſticis redderet, neque publicam ullius delicti confeſſionem involveret; ſolumque ad majorem plebis ædificationem, & Clerici poſcentis majorem perfectionem conduceret: quemadmodum ſuperiùs ex luculentis Ambroſij, Leonis & Conciliorum Toletanorum teſtimonijs demonſtravimus. Hæc eſt Albaſpinæi Aurelianenſis Epiſcopi, in antiquitatibus Eccleſiaſticis admodum verſati, conjectura in illum canonem Arauſicanum. Hieronymus, ſcribens ad Sabinianum Diaconum lapſum, evidenter innuit Eccleſiæ conſuetudinem lapſos majores Clericos ad ſolitudinem vel Monaſteria ablegandi, ſic dicens: *Hortatus ſum ut ageres pœnitentiam, & in cilicio & cinere volutareris, ut ſolitudinem peteres, ut viveres in Monaſterio & Dei miſericordiam jugibus lacrymis implorares.* Auguſtinus verò teſtatur lapſis hujuſcemodi Clericis; & idcirco à miniſterio excluſis manus tamen inter laïcos non imponi lib.1. de Baptiſmo contra Donatiſtas c.1. Manus imponere lapſis Presbyteris & Diaconis vetat quoque canon 11. Carthaginenſis Concilij quinti, cui idem Auguſtinus interfuit. Hoc tamen ſcitè obſervat Ioannes Morinus lib.4. de Pœnitentia cap. 12. tribus primis Eccleſiæ ſæculis ipſos Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos fuiſſe plerumque ad publicam pœnitentiam, lugubrem habitum & manus inter laïcos impoſitionem adactos; idque convincit varijs antiquiorum Patrum, Tertulliani, Cypriani, aliorumque locis: adeò ut diſciplina præmonſtrata, quæ lapſos Clericos à laïcis pœnitentibus ſecernit, non invaluerit niſi quarto ineunte ſæculo. Clerici propter delicta nonnunquam ad communionem laïcam redigebantur, ut frequenter canonibus ſtatutum legimus; & ita excidebant privilegio Clericalis communionis, per quam admiſſi fuiſſent ad communionem Euchariſticam in ipſum Sanctuarium ſeorſum à laïcis, quibus extra Sanctuarium ſacra communio impertiebatur, juxta canonem 13. Concilij Bracarenſis primi; ſic edicentem. *Item placuit ut intra Sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laïcis viris, vel mulieribus, niſi tantum Clericis ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt.* Atque ita per pœnitentiam Clerici rei ſeorſim

ſim ab alijs Clericis extra Sanctuarium promiſcuè cum laïcis divinæ participabant Euchariſtiæ. Sic Sanctus Papa Gregorius lib.4.epiſt.5. mandat ut Saturninus Presbyter juſtè depoſitus, *Si pœnituerit inter laïcos accipiat communionem* : Et in Synodo octava,actio.4. adverſus quoſdam Epiſcopos olim ob Photinianam hæreſim depoſitos aſſerentes ſe olim à Nicolao Papa in communionem Romæ admiſſos, hæc reſpondet Maximus Romanæ Diaconus Eccleſiæ, eademque in Synodo Legatus Pontificius. Quando iſti Romam adventarunt ego in Eccleſia S.Mariæ, quæ dicitur Præſepis, miniſtrabam. Illic eos ſuſcepit Sanctiſſimus Papa Nicolaus, per ſatisfactionem libelli & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Epiſcoporum : Si verò contradixerint oſtendant quòd eos ſuſcepit in communionem ut Epiſcopos.

10. Duplex à Sacerdotibus adminiſtrabatur pœnitentibus publicis manuum impoſitio : una quidem quæ ad ſingulas collectas iterabatur, ante ipſorum ab Eccleſia dimiſſionem, fieri ante offertorium ſolitam,fundebantque Sacerdotes pro illis ad Deum preces cum manus impoſitione, quæ dicitur deprecatoria. Altera erat Sacramentalis, & abſolutoria vocabatur, & reconciliatio ſeu communio pacis : hæc manus impoſitio ſemel tantùm indulgebatur pœnitentibus, & tunc pœnitentiæ publicæ legibus ſolvebantur,niſi anticipanda eſſet ob vitæ diſcrimen ſuperveniens, nondum expleto tempore ad pœnitentiam præſtituto, hac tamen lege, ut ſi convaleſceret reus interruptam pœnitentiam proſequeretur ad tempus, vel Canone vel Epiſcopi arbitrio præfinitum. Nunquam verò reconciliabantur pœnitentes, quin ſimul ſacta eis Dominici corporis indulgeretur communio, teſtificante Ambroſio lib.2.de Pœnitentia cap.3.Quotieſcumque peccata donantur corporis ejus Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio.

11. Quæ verò crimina expianda publicâ pœnitentiâ erant ad tria potiſſimum reducebantur; infidelitatem, luxuriam, & homicidium; ut docent Tertullianus de Pudicitia cap.14. & 12. Pacianus in parænesi. *Reliqua* (inquit) *peccata meliorum operum compenſatione curavit Spiritus ſanctus. Hæc verò tria crimina ut baſiliſci afflatus, ut veneni calix,& lethalis arundo metuenda ſunt. Quid faciet contemptor Dei? quid ſanguinarius aget? quod remedium capiet fornicator? nunquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit? aut conſecrare ſanguinem ſuum qui fudit alienum? aut redintegrare Dei templum qui illud fornicando in ſe violaverit? iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia.* Gregor. Nyſſenus, in ſua ad Lectoium Epiſcopum epiſtola, pœnitentiæ his tribus criminibus indictæ rationem petit à tribus animæ humanæ primarijs facultatibus, ratione, concupiſcentiâ, & irâ, quatenus rationem omnis in Deum impietas pervertit; iram homicidia attingunt, ut cupiditatem ſeu libidinem mœchia, quâ omnia ſpeciebus diverſa, quæ per carnis concupiſcentiam exercentur flagitia continentur. Ad infidelitatem ibidem refert omnes magorum præſtigias, incantationes, & dæmoniacas invocationes. Concilium Arelatenſe primum can.14. & Agathenſe 32. ſubjiciunt publicæ pœnitentiæ crimina falſi, ſive in chartis & ſcripturis, ſive in falſis & calumnioſis accuſationibus & teſtificationibus. Publicarum pœnitentiarum praxis in Eccleſia duodecim integris ſæculis viguit. Et quamvis pœnitentibus armorum geſtatio, & militia interdicta decem omnino ſæculis fuiſſent ut ſupra docuimus : duobus tamen ultimis ſæculis pœnitétiæ canonicæ in expeditiones adverſum infideles ac ſacram militiam commutatæ ſunt.

## DISSERTATIO IX.

### *De Ordinum Eccleſiaſticorum numero apud veteres tum Orientis, tum Occidentis Eccleſias, & de Orario quid rei eſſet.*

1. NOn eſt præſentis mei propoſiti illa diſcutere quæ inter Theologos oppoſitis partibus & ſententijs diſputantur, utrùm minores ordines ſint Sacramenta,necne;utrùm ex divina immediatè,an ex Eccleſiaſtica inſtitutione ortum ducát. Apud omnes orthodoxos in confeſſo eſt Epiſcopatum, Sacerdotium, Diaconatum, eſſe Sacramenta non genere ſed ſpecie abinvicem diſtincta, divinituſque inſtituta.De Subdiaconatu aliſq;ue inferioribus adhuc ſub judice lis eſt. Tonſuram verò negant propemodum omnes eſſe Sacramentum; nihil eſſe aſſerentes quàm præparationem,ſeu diſpoſitionem ad ordines ſuſcipiendos. Septenarium ordinum Eccleſiaſticorum numerum penes Latinas Eccleſias jam inde à primis ſæculis invaluiſſe planè compertum eſt : Presbyterorum ſcilicet, ſub quibus Epiſcopi comprehenduntur, Diaconorum, Subdiacorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum,& Oſtiariorum:hos enim cunctos recenſet Clemens Papa diſcipulus Petri epiſt.2. ad Iacobum fratrem Domini : & Cornelius Pontifex in epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium lib 6.hiſt.Eccleſ.cap.42. Item Caius Pontifex, in epiſt.ad Felicem; cujus etiam meminit Damaſus Papa. Concilium etiam ſub Sylveſtro can.3. Item Laodicenum can.24. & Carthaginenſe quartum can.3.4.5.6.7.8.9. cui ſubſcribit Auguſtinus Hipponenſis, atque (ut mediorum temporum teſtificationes ſileam) noviſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ.23.cap.2.

2. Hypodiaconatum non fuiſſe olim ſacris ordinibus accenſitum liquidò conſtat ex cap.nullus in Epiſcopum diſt.60. & diſertè docet Innocentius tertius c. à multis de ætate & qual.ord. Sed cum poſterior Eccleſiæ conſtitutio ſacris adnumerarit Ordinibus, ea nunc eidem competit dignitas per Eccleſiæ inſtitutionem, etſi non jure divino. Numerum ſeptenarium iſtum aſtruunt pariter leges civiles, qualis eſt Valentiniani, Valentis, & Gratiani, quâ tribuitur perſonalium onerum immunitas diſertè Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiarijs, & Acolythis. L. Presbyteros C.de Epiſco. & Cler.

3. An verò ijdem omnes ordines penes Orientis Eccleſias ſimiliter recepti uſitatique fuerint, non perinde perſpectum eſt, ut in Occidentalibus. Acolythorum apud Græcos, etſi vox ipſa Græca ſit, vel nulla mentio, vel ſaltem ambigua, utrùm de ſpeciali ordine Eccleſiaſtico intelligenda, an generaliùs de quocunque aſſecla ſeu comite; id enim Græca vox ſignificat. Martyr quidem Ignatius in epiſt. ad Antiochenos recenſet ordines Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Janitorum, Exorciſtarum : ijſdem adjungit Cantores, & laborantes, non tamen Acolythos,

lythos, ut neque Synodus Antiochena, cujus can.10. à corepiſcopo ordinari poſſe aſſerit Lectores, & Exorciſtas, & Hypodiaconos, de Acolythis nihil enunciat, à ſolis verò Epiſcopis Presbyteros & Diaconos initiari. Quos verò martyr Ignatius vocat κοπιῶντες laborantes, id nomen non ordinis, ſed officij erat; quemadmodum & ψάλται, id eſt Cantores, quos eadem epiſtolâ commemorat. Docet enim Epiphanius in compendio, iſtorum verſari Officium in fidelium defunctorum cadaveribus ſepeliendis, quales pollinctores profana vocabat antiquitas, & quales antiquus auctor libri de ſeptem gradibus Eccleſiæ, ad Ruſticum Narbonenſem, inſerti inter opera Hieronymi, vocat foſſarios. Synodus Laodicena can, 24. recenſet ſingillatim Presbyteros, Diaconos, ὑπηρέτα, id eſt Miniſtros (hi ſunt Subdiaconi) Lectores, Cantores, Exorciſtas, & Oſtiarios. Iuſtinianus Imperator, Novella 3. cap.1. & 2. teſtatur fuiſſe in Conſtantinopolitana Eccleſia Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, & Oſtiarios. Sed neque Cantorum, quos Ignatius, Concilium Carthaginenſe quartum, & Iuſtinianus Auguſtus commemorant, ullus erat ſpecialis ordo, ſed merum officium; cùm conſtet ex Carthaginenſi canone, id munus non ab Epiſcopo, ſed à ſimplici Sacerdote conferri ſolitum. Synodus quoque Laodicena can.22. meminit ordinis Lectorum, ſimulque officij cantorum, & can.7. ὑπηρετῶν quos ait portarum habere præfecturam. Hoſce ὑπηρέτ-, ſeu ſubminiſtros, nonnulli exiſtimant non alios eſſe, quàm Hypodiaconos, quibus cura januarum navis Eccleſiæ incumbebat. Cùm verò nonnulli negant eſſe nunc Græcorum ullos ordines, quàm Lectorum: ſi hoc ita ſit, nuperum eſt; cùm ex ſuperiùs adductis priſcorum Græcorum teſtimonijs, per omnem Græciam viguiſſe minores Hypodiaconorum, Lectorum, Exorciſtarum, & Oſtiariorum, ſeu janitorum ordines, liquidò conſtet.

4. Quòd verò, apud præfatos canones Laodicenos 22. & 23. ſolis permittitur Sacerdotibus, & Diaconis orarij geſtatio & uſus; Hyperetis autem, & Lectoribus prohibetur: ſciendum eſt orarij nomine diverſa ſignificari; in primis verò ſacri ornamenti genus, quod vulgò ſtolam dicunt, & prælongæ laciniæ formam habet. Vocabulum iſtud, in hoc ipſo ſignificato, Græci Latinique ſuæ ſinguli linguæ attribuunt. Balſamon enim Græcus canonum Scoliaſtes, ſcribens in hunc ipſum Laodicenum can. 22. deducit ejus etymon à verbo ὁρᾷν, quod eſt videre ac obſervare; quia Diaconus aſſiſtens Presbytero celebranti, Clericis in pulpito exiſtentibus orarij ſui elevatione indicat & admonet, quoties novus ab ipſis cantus ſit exordiendus. Eſt tamen vox illa originis Latinæ ab orando; quia orarij uſus eſt in publicis orationum miniſterijs. In Græca Chryſoſtomi Liturgia ὠράριον & ἐπιτραχήλιον pro eodem geſtamine uſurpantur: eſt enim τράχηλος collum, & ἐπιτραχήλιον collare, ſeu colli amictus: quia orarium collo circumaptatur. Concilium ſecundum Bracarenſe, anno Chriſti 563 ſub Ioanne tertio Papa collectum, præcipit can.9. ut Diaconi ſuperpoſito ſcapulæ orario utantur, quam rem multo pridem Sylveſter Pontifex conſtituerat in Romano Concilio cap.6. deinde Concilio Toletano quarto can.4. conſtitutum ita legimus, *Orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat ſive prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat.* Beda in collectionibus, cap. de ſeptem ordinibus, hæc ſcribit: *Bene etiam orationibus convenit orarium, conveniens officio veſtimentum.*

5. Alteram Eccleſiaſticam orarij ſignificationem, alij comminiſcuntur de longa & talari veſte; & ſanè propria & vulgaris eſt ſignificatio, non orarij quidem, ſed ſtolæ tam ſacræ, quam profanæ. Vocabulum enim ſtolæ, Græcis, Latiniſque longè ante Chriſtum uſurpatum, non poteſt ad ſignificationem Eccleſiaſticam reſtringi. Dicitur quoque id genus veſtimenti ποδήρης; eò quòd ad pedes uſque demittatur, Apoc.1. ſimilem filio hominis veſtitum podère. Porrò illam orarij pro talari veſte ſignificationem verè dixi eſſe commentitiam: errori cauſam dedit perverſè intellectus canon 28. Concilij Moguntini. *Presbyteri, ſine intermiſſione utantur orarijs propter differentiam Sacerdotij dignitatis.* Ibi enim orarium quidam exponunt de talari veſte: ſed numquid talare veſtimentum commune pariter erat Diaconis? & tamen canon Moguntinus vult orarij perpetuam geſtationem, eſſe differentiam & privilegium Sacerdotalis dignitatis. Quo ſuppoſito, ſi Diaconi ejuſmodi orarium extra publicum officium geſtaſſent, attentaſſent uſurpare inſignia dignitatis alienæ: & tamen Clerici minores, nedum Diaconi longis veſtibus amiciri tenebantur; cum tamen ipſis orarium geſtare non liceret extra Eccleſiam & divina officia. Quod tamen jubebat Synodus Moguntinenſis à Presbyteris perpetuò deferri, tum ob dignitatis venerationem, tum etiam ut ubique expediti eſſent ad ſacras preces, & ſacramenta, etiam in repentinis, & inopinatis eventibus miniſtranda: quam etiam ob cauſam Synodus Arauſicana prima can.1. juſſit Sacerdotibus, alijſque Baptiſmi miniſtris, ut indeſinenter ſacrum Chriſma ſecum deferent. Explodatur igitur iſta orarij, pro longâ promiſſâque ad pedes tunicâ, ſignificatio.

6. Orarium denique, etiam apud profanos autores, commune linteum, ori detergendum deſtinatum, ſignificat, quod aliàs ſudarium, aut ſudariolum vocitatur: fuit etiam conſuetudo vetus tam Græcis, quàm Latinis, tum in theatris, tum in Eccleſijs, ut in ſignum applauſus & favorabilis acclamationis populus oraria, id eſt linteos & ſudaria ſurſum jactaret. Refert Flavius Vopiſcus in Aureliano, hunc primum oraria populo Romano in theatris & comitijs diſtribui feciſſe, quibus uteretur ad favoris ſignificationem. Narrat Euſebius hiſt. Eccleſ. lib.7. cap. 30. de Paulo Samoſateno Antiochiæ Epiſcopo & hæreſiarcha vaniſſimo, voluiſſe, ut ſibi in Eccleſia concionanti populus, lintea elevando & jactando, applauderet; perinde ac in theatris ὡς ἐν θεάτροις κροτοῦσι ταῖς ὀθόναις, quem locum Rufinus ita exponit. Ab auditoribus verò non favorem neque plauſum expectare ſolùm, ſed theatrali more oraria ſibi moveri affectabat. Pontius Diaconus Sancti Cypriani Epiſcopi & martyris diſcipulus in hiſtoria martyrij ejus, refert à fidelibus linteamina & oraria in loco præparata & diſpoſita fuiſſe, ut martyris fluentem oruorem exciperent. Ambroſius, in oratione quam habuit in obitu Satyri fratris, perhibet de ipſo, quòd cùm adhuc catechumenus eſſet, & navis quâ vehebatur immani tempeſtate jactaretur, jam proxima naufragio, metuens myſterij vacuus è vita diſcedere, petijt à convectoribus qui erant myſterijs initiati divinum Sacramentum,

Digitized by Google

mentum, orario involutum fecit ſibi ad collum alligari. Quem de orario locum mirum eſt aliquem ſomniaſſe ſtolâ Liturgicâ involutum, per ignorantiam illius lintei ac orarij, quod Dominicale vocabatur, quo divinum Sacramentum moris erat excipi. Myſterijs autem initiati, ubi nihil additur, intelligendi ſunt duntaxat laïci baptizati. Orarium etiam communi uſu linteamen propriè ac ſudarium, ut probatum eſt, ſignificat, indiſcriminatim in rebus ſacris & prophanis.

## DISSERTATIO X.

### *De veterum Eccleſiarum ſitu partibus, & ſtructura.*

1. VETERES Eccleſiæ, illæ ſaltem quæ ob amplitudinem & hominum confluentium frequentiam, Baſilicæ vocabantur, quatuor conſtabant partibus: quarum prima, quæ ingreſſuris obvia erat, Græcè πρόναος, Latinè veſtibulum ſeu porticus dicebatur, atque pro foribus Eccleſiæ ſtructa erat: Non tamen ſacra cenſebatur, etſi ſacræ ſtructuræ proximè adjaceret. Secunda pars Græcè ναὸς, Latinè Navis, ſeu gremium denominabatur: huc populus ad divina Officia conveniebat. Tertia pars aliquot gradibus ſupra navim aſſurgens Græcè dicebatur ἄμβων, deductâ voce ab ἀναβαίνειν, quod eſt aſcendere, Latinè verò Suggeſtum nominabatur. Iſto ex loco Scripturæ ſacræ ad populum legebantur, & ſermones à concionatoribus habebantur, Epiſcoporum conſtitutiones, Imperatorum etiam edicta quandoque promulgabantur, Pſalmi etiam ſolemniter concinebantur, aliæque divini Officij partes. Fruſtra igitur vir quidam doctiſſimus chorum ab ambone ſejungit, cui refellendo ſufficiat Laodicenus canon 15. περὶ τοῦ μὴ δεῖν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν, τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων, ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν ἐκκλησίᾳ. Non oportere præter Canonicos cantores, qui ambonem aſcendunt, & ex membranâ legunt, aliquos alios canere in Eccleſia. Quarta denique pars Eccleſiæ Græcis ἱερατεῖον necnon ἁγιαστήριον itemque ἱερὸν βῆμα Latinis Sanctuarium, Sacrarium, ſanctum Altare dicebatur, eoque loco divina myſteria & ſacrificia ſolemni ritu celebrabantur.

2. Vt autem ſingillatim quas diximus partes exploremus, veſtibulum ac porticus nihil aliud erat, quàm tectum humilioris ſitus, ab Eccleſiæ tecto, quod ſublimius erat, diſtinctum; columnis aut arcubus ſuffultum, qualia viſuntur ante pleraſque Romæ Baſilicas ſacras. Hic locus, cum non eſſet muris concluſus, ventis & ſolaribus radijs pervius & apertus erat. Hic aſſentiri minimè poſſum ſcriptori, tametſi peritiſſimo, qui pœnitentium ſecundæ claſſis, hoc eſt Auditorum ſtationem in illa porticu collocat, depellitque ab eâ primum, hoc eſt flentium ordinem, quos ad aream ſub dio vult omnino ablegatos. In primis enim certum indubitatúmque eſt Auditores pœnitétes fuiſſe intus Eccleſiam admiſſos, eorumque ſtationem ideò dictam audientium fuiſſe, quia lectiones Scripturarũ audiebant; quæ divinum præcedebant Officium; & finitis lectionibus Pſalmodiam, deinde Miſſam catechumenorum dictam, poſtmodum Evangelij cantum, poſtremò Evangelicam prædicationem diſtinctè & intelligibiliter audiebant; & poſt aliquot Sacerdotum preces ſuper iſtis pronunciatas, foras voce Diaconi dimittebantur. At nihil horum ſub porticu fiebat, aut fieri audirique poterat, ſed intra Eccleſiæ fores ac limina. Prætereà quis neſciat diſtinctas fuiſſe à lugentibus Auditorum ſtationes? At verò innumeris & perſpicuis priſcorum Patrum teſtificationibus liquidò conſtat flentium ſeu lugentium locum fuiſſe ad fores Eccleſiæ, quarum tamen limen tranſilire vetabantur. At verò, ut ad metam illam ſe ſiſterent, tranſilienda primum eis porticus erat; quippe quæ foribus illis objecta erat. Omiſſis teſtibus alijs innumeris audiamus can. 11. Gregorij Neocæſarienſis, aut ſi quis ſit alius ejus autor, gravis certè & antiquitate venerandus ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου, fletus extra januam oratorij eſt. Deinde ſubjungit ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, auditio intra portá in Narthece. Non igitur cis portam ad quam porticus pertingebat, ſed intus eamdem, ſeu intra oratorium in quo decantabantur divina Officia, legebantur divinæ Scripturæ, pronunciabantur de pulpito ad plebem ſermones; quarum omnium rerum auditioni obſtrictum erat genus pœnitentium ſecundum, hoc eſt Auditores. Similiter Baſilius ad Amphilochium can. 56. de voluntario homicida, quem ante omnia ſtationi fletus per quadriennium addicit, ſic decernit ἐν τέσσαρσιν ἔτεσι προσκλαίειν ὀφείλει ἔξω τῆς θύρας ἑστὼς τοῦ εὐκτηρίου οἴκου. Debet quatuor annis deflere ſtans extra fores oratorij. Idemq; can. 75. de inceſtuoſo qui propriam ſororem vitiavit, τριετίαν προσκλαιέτω τῇ θύρᾳ τῶν εὐκτηρίων οἴκων παρεστηκώς. Triennio defleat ſtans ad fores domus oratoriæ. Non igitur reum ordinis flentium amandat procul extra oratorij valvas ad aream aliquam ſub dio, ſed ſtationem ad oratorij valvas aſſignat; & canoni ſatisfit, ſi propter januam conſiſtat, dum limen oratorij non tranſiliat. Et verò ſi pœnitentibus iſtiuſmodi orandum ſub dio fuiſſet, periclitandum illis de morte fuiſſet ingruente imbrium vi, aliáve tempeſtate.

3. Ingreſſis Eccleſiæ januas primùm occurrebat pars illa navis, quæ νάρθηξ dicebatur, eratque pœnitentium auditorum ſtatio. Toto enim cœlo aberrarunt qui Narthecem Auditorum locum ac ſtationem, exiſtimarunt eſſe porticum extra Eccleſiæ Sanctæ ambitum, & laquearia ſtructam, tectoque humiliorem: ſatis enim ſuperque jam oſtenſum eſt Auditores conſtitiſſe intus ſacram Eccleſiam, flenteſque in ipſo veſtibulo ſeu porticu. Sapientiùs itaque locum Gregorij Neocæſarienſis ἐν τῷ νάρθηκι. Baronius to. 2. ad an. Chr. 263. n. 29. ſic exponit, in loco quem Narthecа vocant ſeu in ferula, quàm vulgaris interpres, qui multis fraudi fuit, dum vertit *in porticu*. Hujuſce verò denominationis cauſam congruentem nullam video, præter eam quam tradit Ioannes Meurſius in ſuo Lexico Græcobarbaro. Quia (inquit) ibi pœnitentium ſtatio erat ſub Eccleſiaſticæ cenſuræ ferula: id enim, id eſt ferulam, ſonat νάρθηξ. Flentes autem, quaſi projectitij & alieni ab ingreſſu Eccleſiæ manuúmque impoſitione Sacerdotali, non dignabantur nomine filiorum ſub ferula conſtitutorum, juxta illud Pauli Hebr. 12. *Quod ſi extra diſciplinam eſtis; ergo adulteri, & non filij eſtis.*

4. Audientes pœnitentes loco intus Eccleſiam antecedebat aliorum pœnitentium ordo, qui ὑποπίπτοντες, id eſt ſubſtrati ſeu proſtrati dicebantur. Atque iſti ſimulque audientes unà cum catechumenis atque energumenis, ad vocem Diaconi proclamantis exeant qui non

communicant de Eccleſia, ante offertorium diſcedebant, remanentibus tamen adusque finem collectæ pœnitentibus quartæ claſſis, qui Græcè συνεςῶτες, Latinè conſiſtentes nuncupabantur, eorúmque ſtatio ac ordo, σύςασις, id eſt conſiſtentia quarti generis pœnitentium, qui à tergo populi ad Euchariſtiæ participationem admiſſi, exortes tamen erant ſacræ communionis. Quæ ultima populi verſus ſacrarium ſtatio à Baſilio dicitur μέθεξις, id eſt participatio, nimirum communionis.

5. Navim ingreſſis occurſabat tabulatum, aut murus intermedius virorum ſtationem à fœminis dirimens, pertingenſque à primis Eccleſiæ foribus adusque ambonem & Sanctuarium. Ex utrâque parte janua occurrebat, cujus præfectura incumbebat ex parte fœminarum oſtiariæ Diaconiſſæ. Januæ verò, quæ viris aditum aperiebat, cuſtodia penes oſtiarios Clericos erat. In hiſce ſexuum ſeparationibus ordines utrâque ex parte ſervabantur pœnitentium & participantium, à nobis jam commemorati; quibus ex parte fœminarum adjungebantur ſacræ Virgines ad intimam ſtationem Sanctuario proximiorem; ſicut ex parte virorum intima occupabant Monachi quo tempore proprias Eccleſias non habebant, ut ex Dionyſij hierarchiâ Eccleſiaſticâ, & ex Ambroſij ad Virginem lapſam epiſtolâ colligitur. Per gemina etiam navis ſeu gremij latera, in quibuſdam Eccleſijs producebantur hinc inde porticus arcubus vel columnis ſuffultæ, intra quas diſtincta erant ſacella ſeu oratoria ad ſecretiùs, ſi luberet, orandum; ut commemorat Paulinus in epiſtola ad Severum, in quibus altaria erecta erant.

6. Altera Eccleſiæ pars erat ut dictum eſt, ambon; chorus nimirum muro circumſeptus, ad quem gradibus aliquot aſcendebatur ex paululùm ſubjectâ navi. Situs erat ambonis intermedius navi & Sanctuario. Ex ambone minores Clerici pſallebant, ut liquet ex præcitato canone Laodiceno 15. Itemque Carthaginenſis quarti Concilij can. 10. & ex Romano ſub Sancto Gregorio anni 595. Indidem Diaconus ſolemniter in Miſſa ſanctum concinebat Evangelium, proclamabantur Epiſcoporum edicta & juſſiones, denunciabantur excommunicati, recitabantur ex diptychis fidelium tum viventium tum defunctorum nomina, legebantur à Clericis lectoribus ſacri libri, atque ad populum ſermones habebantur. Superſunt Romæ integri duo vetuſtiſſimi ambones, quos præſens, dum eſſem in comitatu Eminentiſſimi Cardinalis Hieronymi Grimaldi Aquiſextienſis Archiepiſcopi, exactè obſervavi. Horum unus eſt in Eccleſia Sancti Clementis Papæ & Martyris ad Amphitheatrum. Alter in Eccleſia Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, prior ille ambon duo continet pulpita, ſingula utrique lateri cohærentia; cùm tamen unicum ſit Sanctorum Nerei & Achillei pulpitum muro navis cohærens.

7. Quatuor ut plurimùm erant in ambonibus portæ, ex quibus geminæ ad navim ſpectantes vocabantur ὡραῖαι ſpecioſæ, aliæ pariter geminæ ad Sanctuarium præbentes ingreſſum, dicebantur ἅγιαι πύλαι portæ ſanctæ. Iſtarum cura & cuſtodia Subdiaconis incumbebat, quibus prohibent Synodi Laodicenæ canones 21. & 22. ab his januis diſcedere, atque eiſdem vetant in Sanctuarium & Diaconium ſe ingerere.

8. In Eccleſijs Græcorum locus erat amboni & Sanctuario intermedius, qui nunc σωλῆα nunc σωλέως nunc σωλεία legitur appellatus, eratque ambone ſeu choro paucis aliquot gradibus elevatior: atque couſque ad Euchariſtiam participandam procedebant laïci, & cum eis Clerici, qui ob aliquam culpam fuerant ad laïcam redacti communionem. Qua de re tractatum ſupra fuit in Diſſertatione V. de veteribus olim in ſacrâ Euchariſtiâ adhibitis ritibus. Solea itaque interjacebat inter ambonem & Sanctuarij cancellos. In hiſce objectis Sanctuario cancellis erant apud Græcos dictæ ſacræ portæ. Mihi quidem adhuc incompertum eſt, utrùm tempore Chalcedonenſis Synodi, Senatus, qui ante cancellos conſidebat eſſet intus, an extra cancellos; an in ſanctuario; an in ſolea. Certè vel Principum ambitione, vel Cleri ſocordia factum fuerat, ut Principes primùm, deinde optimates aulæ multa ſibi indebita in Eccleſijs Græcorum præriperent; ut addiſcimus ex congreſſu Theodoſij ſenioris cum Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, coram quo ſuam ille excuſat in Sanctuario præſentiam, eò quòd neſcieviſſet uſum cæterarum à Conſtantinopolitana Eccleſiarum, in quâ Patriarcha Nectarius ipſum in Sanctuario voluerat reſidere. Perſpecta etiam eſt Nicolai Romæ Pontificis expoſtulatio apud Michaëlem Orientis Imperatorem, qui etiam inter ſacra officia Conſtantinopolitanum Patriarcham ad ſuos pedes abjicere non verebatur. Refert hiſtoricus Nicetas ſolium Imperatoris intra Conſtantinopolis Eccleſiam longè eminentius fuiſſe Patriarchali ſede. Illa ſanè Chalcedonenſis œcumenicæ Synodi expreſſio, actione 1. Reſidentibus magnificentiſſimis & glorioſiſſimis Iudicibus, & ampliſſimo Senatu in medio ante cancellos ſanctiſſimi Altaris ἐν τῷ μέσῳ πρὸ τῶν κιγκλίδων τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου, videtur ambigua, num intra vel extra ſacros cancellos ſederent illi Magiſtratus. Sed tamen mirum eſt ſi Sanctuarium Eccleſiæ Chalcedonenſis tantæ fuiſſet amplitudinis, ut ambitu ſuo tam multos Antiſtites tamque numeroſam optimatum & ſenatorum multitudinem complecti poſſet.

9. Quartæ demum Eccleſiæ partis diverſa erant nomina, Sanctuarium, Secretarium, Tribunal, Sancta Sanctorum Latinis; Græcis verò ἱερατεῖον, ἱερὸν βῆμα, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἀνάκτορον, eratque pars Eccleſiæ ſacratiſſima penitiſſimaque. Hujus in medio ſitum erat ſub tabernaculo altare primarium, ad quod Sacerdos ſacrum celebrans ſtabat facie ad populum verſâ: quo etiam ſitu pleraque adhuc Romæ viſuntur altaria, præcipua nimirum quinque Baſilicarum præcellentium, quæ Patriarchales nuncupantur, Lateranenſis, Petri in Vaticano, Pauli viâ Oſtienſi, Sanctæ Mariæ Majoris in Eſquilijs, & Laurentij in agro Verano, prætereaque Cæciliæ trans Tiberim, Sabinæ, Alexij, Pancratij, Euſtachij, Nerei atque Achillei. Tabernaculum verò altari ſuperpoſitum fornix erat lapidea, aut ex metallo quatuor columnis ſuſtentata, qualis etiam nunc viſitur in altaribus jam memoratis. Eidem etiam nomen ciborij promiſcuè à Græcis & Latinis tribuitur, ut paſſim legitur in libro Pontificum Anaſtaſij. Germanus inſuper Conſtantinopolis Epiſcopus κιβώριον iſtud deſcribit, conſtans ſupernè amplâ teſtudine, & quatuor infernè columnis altare ambientibus. Quin etiam huic voci Græcam tribuit etymologiam à κίβος ſeu κιβωτὸς, id eſt arca; & ὁρᾶν, quod eſt videre, quaſi

quaſi ſit area viſionis ſeu manifeſtationis Domini Salvatoris. Latini verò deducunt à cibo id nomen, hoc eſt ab Euchariſtico pane, quo ad perennem vitam alimur. Simile in præcedenti diſſertatione vidimus de orario, cujus etymon Græci Latinique ſinguli ad propriam linguam referunt. Nec deſunt qui vocem myſterium, alij ad Græcam, alij ad Hebraïcam originem referant; hi ad radicem סתר Satar, alij ad Græcum μύω, quæ utraque vox ſignificat abſcondere, claudere: & מִסְתָּר Miſtar, abſconditum, res abdita. Vnde facilè deducitur myſterium.

10. Sanctuarium porrò ipſum, interjectis cancellis, à reliquâ Eccleſiâ fuiſſe diviſum non modo tradit Chalcedonenſe Concilium, ſed etiam meminit Gregorius Nazianzenus κιγκλίδος cancelli, orat.150. ex quo verbum Dei populo prædicabat. Euſebius etiam Cæſarienſis lib.10. hiſt. Eccl. c.4. loquens de ſtructura baſilicæ Tyri, à Paulino ejuſdem civitatis Epiſcopo dedicatæ, hæc dicit, *Locus erat Sanctuarij in ſpeciem quadratam columnis ſublimibus undique circumſeptus, quarum media intervalla interſtitys ex ligno inſtar retis aut tranſennæ cancellatis in mediocrem & æquabilem longitudinem circumcluſo.* Additque altare in Sanctuarij meditullio ſitum fuiſſe. Ibidemque adjungit à fronte hujus templi poſitum fuiſſe fontem uberes aquas profundentem, ad quem manus abluebant quicunque locum ſacrum ingreſſuri erant. Paulinus etiam Nolanus Epiſcopus aliorum meminit fontium, ad introitum Eccleſiarum conſtitutorum, epiſt.12. ad Severum, & epiſt.31. ad Aletium; quibus arguitur conſuetudinem religioſam, quam Judæi ſervabant, manus abluendi ante ſacras preces, quam refert Ariſtæas, lib.de ſeptuaginta interpretibus, ad primos quoque Chriſtianos pervaſiſſe, ideóque ſolitos fontes pro foribus Eccleſiarum collocari.

11. Præterea ita diſponebatur Eccleſiarum ſitus, ut ad Orientem ſpectarent. Clemens Papa & martyr de Eccleſiæ ſtructurâ loquens lib.2. Conſtitutionum cap.6. *Primum quidem* (inquit) *ſit longa, & ad Orientem converſa.* Hoc idem ſignificat Tertullianus adverſus Valentinum c.2. Idemque aſſerit Paulinus in relatâ ad Severum epiſt.12. hoc idem atteſtatur loco citato Euſebius, de ſtructurâ memoratæ Tyri Eccleſiæ. Qui præterea lib.3. vitæ Conſtantini cap.36. deſcribens fundatum à magno Conſtantino in loco Dominicæ reſurrectionis templum, tres illius partes ad Ortum perſpexiſſe perhibet. Templi quoque Salomonis anteriorem partem ſolis ortum proſpexiſſe teſtantur oculati teſtes Ariſteas, & Ioſephus, atque ex horum teſtificatione Ribera, in opere ſuo de templo Iudaïco, & Baronius ad annum Chriſti 57. numero 103.

12. In Sanctuario, præter intermedium altare, geminæ hinc inde menſæ collocatæ erant, quales etiam nunc conſpiciuntur marmoreæ in Sanctuario commemoratæ Sanctorum martyrum Nerei & Achillei Eccleſiæ. In eâ, quæ ad lævam erat, reponebâtur vaſa ſacra cum ſuis velis, ſimulque panis conſecrationi, ſacræque communioni deſtinatus, partim etiam eulogijs poſt ſacram ſynaxim diſtribuendis aſſignatus. Menſam iſtam Græci πρόθεσιν, id eſt propoſitionem, & διακόνικον vocant; cujus acceſſum etiam ipſis Subdiaconis, necnon ſacrorum vaſorum contactum interdicit Laodicena Synodus canon 21. In alterâ ad dexteram erectâ menſâ reponebantur ſacra Epiſcopi vel Sacerdotis ſacrificaturi veſtimenta.

13. Per interiorem Sanctuarij circuitum diſpoſitæ erant exhedræ pro Sacerdotibus, atque his editior cathedra Epiſcopalis in medio ac intimo Sanctuarij hemicyclo è regione altaris; adeò ut ſedens Epiſcopus & altare & populum rectà proſpiceret. Hujuſmodi viſitur ſolium, in illo ſanctorum Nerei & Achillæi ſanctuario, ex quo ſanctus Papa Gregorius (ut ipſe de ſe perhibet) ſermonem olim die horum Martyrum natalitio ad populum habuit. Propter quæ venerandæ antiquitatis veſtigia ſedulò admonuit, inſculptis marmori literis, nunquam ſatis laudatus ejuſdem Eccleſiæ titularis Cardinalis Cæſar Baronius, ne quis poſthac ejus ſpeciem immutaret, aut lapidem moveret. Cujus etiam curam & miniſterium Sacerdotibus Oratorij Sanctæ Mariæ dictæ in Vallicella, fecit attribui. Iſta verò Pontificia ſedes tribus eſt elevata gradibus ſupra contiguas utrobique diſpoſitas ex marmore Cathedras. De Cathedra Epiſcopi ſic Auguſtinus ſcribit in Pſal.126. *Quomodo vinitori altior locus fit ad cuſtodiendam vineam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt, & de iſto loco periculoſa redditur ratio.* Liturgia etiam Chryſoſtomi ſedem vocat Epiſcopalem τὴν ἄνω καθέδραν, quæ ſurſum eſt Cathedram. Clemens Papa & Martyr lib.2. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap.61. ſimiliter docet in medio Sanctuarij ſedere Epiſcopum, id eſt in medio penitioris parietis, qui Sanctuarium à tergo ambit. Additque ſacrum Clerum ad ejus utrumque latus aſſidere.

14. Verumtamen ex iſtâ Cathedrâ, quæ divinis Officijs inſerviebat, ſermocinari non ſolebant ad populum Epiſcopi, neque ex ambone, niſi minores Sacerdotes. Sed quando Antiſtes erat ad plebem concionaturus, apparabatur ei mobilis cathedra ſupra celſiorem altaris gradum è regione ambonis atque navis. Eaque vigebat conſuetudo tum in Orientalibus, tum in Occiduis Eccleſijs. Gregorius enim Nazianzenus, orat.150. ait ſe concionante cancellos vim paſſos, ac penè emotos à confluentis populi frequentiâ καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὐτὴ τοῖς μέλλουσιν ὠθουμένοις. Cancellorum autem objectu ſuperiùs dictum eſt, Sanctuarium fuiſſe à reliquo templo diviſum. Et de Chryſoſtomo Socrates prodit peculiare hoc ei fuiſſe, ut extra Sanctuarium, quo meliùs à populo audiri poſſet, in ambonem prodiret ad concionandum, inſtar inferiorum Sacerdotum, quibus licitum non erat è Sanctuario ſermocinari. Huc ſpectat pariter Prudentij baſilicam Hippolyti martyris deſcribentis diſtichum, de Sanctuario ſic loquens.

*Fronte ſub adverſâ gradibus ſublime tribunal*
*Tollitur, Antiſtes prædicat inde Deum.*

Et Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum Epiſcopum ita concinit

*Seu te conſpicuis gradibus venerabilis ara*
*Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,*
*Expoſita legis bibat auribus ut medicinam.*

Suprà memoratus Clemens meminit duorum, ut appellat, paſtophoriorum in Eccleſijs extruendorum lib.6. Conſtit. Apoſt.cap.61. Eadem ſignificat Paulinus nomine Secretariorum, quæ dicit eſſe ad abſidem epiſt.12. ad Severum. Cùm verò abſis peculiariter diceretur fornix, ſeu arcus ipſum Sanctuarium ſupernè coronans, facilè colligitur



Digitized by Google

gemina illa Paſtophoria ſeu ſecretaria fuiſſe in fronte Sanctuarij hinc inde collocata : quorum unum inſerviebat (ut multis viſum eſt) recondendæ ſacratiſſimæ Euchariſtiæ : aut ( ut alij multi opinantur ) erat ipſa quæ nunc vocatur Sacriſtia, & antiquitus Secretarium,quod idem nomen nonnunquam Sanctuario quoque tribuebatur , ut diverſis paulò poſt teſtimonijs comprobabitur. Græcè etiam Sacriſtia σκευοφυλάκιον vocabatur , & Sacriſtiæ præfectus ſeu ædituus σκευοφύλαξ , Latinè Sacriſta , cuſtos , ædituus. Alterum verò Secretarium ſeu Paſtophorium ſacris ac Eccleſiaſticis libris recondendis uſui erat. Teſtificatur Paulinus ſe quod ad lævam erat Secretarium hoc diſticho inſcripſiſſe

*Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas*
*Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.*

Idemque,de altero Secretario ad dextram ſito à ſe deſcripti Templi, ſcribit à ſe ſuperpoſitum fuiſſe diſtichum iſtud

*Hic locus eſt,veneranda penus quo conditur,& quo*
*Promitur alma ſacri pompa miniſterij.*

15. Sacræ reconditorium Euchariſtiæ ſolebat antiquis utplurimùm eſſe armarium ac reconditorium ad Sanctuarij latus, ut colligitur ex ſuperallegatis Clementis & Paulini locis. At verò ſecundum Turonenſe Concilium can.3. prohibet in imaginario ordine componi Dominicum corpus, ſed jubet in altari reponi ſub titulo crucis.Poterat quidem eſſe loculus affabrè diſpoſitus in illa crucis mediana parte,quâ duo ligna, rectum & tranſverſum, committebantur; aut certè titulus crucis pro ipſamet cruce ibi uſurpatur , ut velit Concilium Euchariſtiam in medio altaris recondi intra loculum ſitum ſub pede crucis. Alibi prætereà ſolebat divinum Sacramentum reponi , & aſſervari intra ſuſpenſam ſupra ſanctum Altare columbam, vel pyxidem , vel arculam auream vel argenteam, ut colligitur ex ſupplice libello quem œcumenicæ quintæ Synodo Clerici & Monachi Antiocheni obtulerunt, actione 1. Severum Pſeudopatriarcham hæreticum accuſantes ſubreptarum furto columbarum ex auro fabricatarum , quæ fuerant ad ſacras aras appenſæ , itemque aliarum argentearum quæ fuerant in baptiſterijs collocatæ ad communicandos (ut conjicio) recens, pro vigente tunc conſuetudine , baptizatos. Legimus inſuper in Baſilij Græcè conſcripta vitâ,Amphilochio attributâ,columbis argenteis incluſam de more fuiſſe in templis Euchariſtiam. Quem ritum ſuſpendendi vaſculo auguſtiſſimum Sacramentum, quod funiculo ſerico elevari aut demitti olim ad populi communionem ſoleret , vidimus adusque noſtram ætatem perduraſſe in Metropolitana Aquarumſextiarum Baſilica. Sed jam prorſus inolevit , introductis commodioribus tabernaculis primario Altari ſuperpoſitis. Extat Venantij Fortunati carmen de turri , quam Felix Bituricenſis Epiſcopus ex auro fabricari curaverat , ad condendum intus vivificum Sacramentum. Is verò, Felix huic Turonenſi ſecundæ Synodo legitur ſubſcriptus. Aſſervatæ præterea in templis Euchariſtiæ exemplum habet Optatus Milevitanus lib.2. contra Parmenianum, in illo Donatiſtarum ſcelere, qui,factâ in Eccleſiam orthodoxam irruptione , depromptum inde ſacratiſſimi corporis Sacramentum canibus devorandum projecerunt : ſed converſi canes ad ſacrilegos non Euchariſtiam,ſed illos impios dentibus & efferatâ rabie lacerarunt. Taceo epiſtolam ad Iacobum fratrem Domini , quæ meminit aſſervationis ſacrorum fragmentorum hujus Sacramenti intra ſacrarium, quæ Clementi Papæ attribuitur ; quæ quidem pſeudepigrapha & ſuppoſititia eſt, opus tamen antiquum , & demonſtrans priſci temporis uſum.

16. Secretarij vocabulum diverſa ſignificat. Primum apud Juriſperitos uſurpatur pro ſecreto judicis auditorio , in quo ſeorſim tum partes, tum teſtes audiebantur. Apud Eccleſiaſticos verò Scriptores diverſa connotat : nunc ipſum conclave, in quo vaſa ſacra & alia ad ſacrificium ſpectantia, omniſque ad templi cultum & ornatum pertinens ſupellex aſſervatur : nunc illam etiam Sanctuarij partem in qua vela,vaſaque & indumenta ſacra ad ſacrificium decenter apparabantur, tum in Diaconio,tum in menſâ protheſis, ut ſuperiùs deſcripſi : nunc demum pro toto ipſo Sanctuario uſurpatur. Sic enim tertium Carthagine habitum Concilium inſcribitur, *In Secretario Baſilicæ Reſtitutæ*.Et quartum Carthaginenſe ſimiliter , *In Secretario.* Sextumque ibidem , *In Secretario Baſilicæ Fauſti.* Septimum pariter in eadem civitate , *In Secretario Baſilicæ Reſtitutæ.* Et Milevitanum , *In Secretario Baſilicæ.* Atque Africanum plenarium, *In Secretario Baſilicæ.* Cæſarauguſtanum *In Secretario.* Arelatenſe ſecundum can.15. diſertè Secretarij nomine Sanctuarium exprimit. Liberatus Diaconus in Breviario c.13.vocat Secretarium Eccleſiæ Sanctæ Euphemiæ locum, in quo Synodus inita eſt Chalcedonenſis. Denique Gregorius Magnus lib. 2. epiſt.54. Sanctuarium ſimiliter Secretarij appellatione deſignat.

17. Græca etiam vox βῆμα duplex Eccleſiaſticum ſignificatum complectitur , ſecluſis alijs & prophanis ſignificationibus. Nam præterquam quod Sanctuarium perſæpè ſignificat , uſurpatum pariter pro ambone legitur , vociſque origo ac etymon utrique rei convenit ἀπὸ τοῦ βαίνειν ab accedendo. Gregorius Nazianzenus, Invectiva 1. in Iulianum, poſtquam retulit iſtum militiæ Chriſtianæ infamem deſertorem, olim in Eccleſia Clericum Lectorem fuiſſe , ſubjungit ἐν τῷ μεγάλῳ βήματι ἠξιωμένον τιμῆς ambonis acceſſu honoratum. Siquidem ex ambone legebatur : ſolis verò ſacris Clericis, quales minimè cenſebantur Lectores, Sanctuarium ingredi licebat , ut perſpicuè decernunt Laodicænæ Synodi canones 21. & 22.

18. Denique Baptiſteria non intra ſed extra Eccleſiam conſtructa erant,quale hodie viſitur Conſtantinianum juxta Baſilicam Lateranenſem,quam utramque fabricam Conſtantinus à fundamentis erexerat. In primarijs item Etruriæ civitatibus Florentia & Piſis, Metropolitanarum Baſilicarum Baptiſteria ſejuncta ab eis cernuntur, Veteriſque hujus conſuetudinis certam fidem facit Cyrillus, Catech. Myſtag.1. Paulinus etiam in ſæpius præfatâ epiſt.12. Baptiſterium refert à ſe inter duas Baſilicas extructum.

* * *

DISSERTA

## DISSERTATIO XI.

### De Eulogiis.

1. EUlogiæ erant ex panibus exciſæ particulæ, precibus ſolemnibus benedictæ, in ſignum Catholicæ in fide, & charitate communionis, inter fideles diſtribuendæ. Harum referunt multiplices ſpecies antiquorum monumenta: quædam enim erant panis azymi, quædam panis fermentati: Aliæ item publicæ, aliæ privatæ cenſebantur. Prima Eulogiarum inſtiſtitutio ſolas azymas, nec ullatenus fermentatas admittebat. Hac nimirum ratione, quia deſpertiebantur fidelibus illis qui ſacroſanctæ Euchariſtiæ non fuerant participes: earum enim materia ex panibus erat ad myſticam conſecrationem deſtinatis, quæ primis ſæculis ubique in Oriente & in Occidente non aliter quàm in azymis fiebat. Panes itaque azymi, antequam ad ſacrum Altare deferrentur, apponebantur in Diaconicâ menſâ, ibique ſolemnibus orationibus benedicebantur; quibus peractis cultro, quem Græci ἁγίαν λόγχην ſacram lanceam vocant, in multas diſſecabantur partes, quarum aliquæ ad conſecrationem & myſticam Altaris communionem tam Sacerdotis quàm populi ſecernebantur; reliquæ verò citra myſticam conſecrationem, pro fidelibus qui Euchariſtiæ non participarant, nec tamen Catholicæ & Eccleſiaſticæ communionis exortes erant, ſeponebantur; & in ſymbolum quoque communis fraternæque unionis diſtribuebantur manducandæ. Poſt debellatos magni Conſtantini armis tyrannos Eccleſiæ Chriſti perſecutores, ruinis jam deficientis Paganiſmi Eccleſia mirificè aucta propagatáque fuit; quâ occaſione Melchiades ejus temporis Romanus Pontifex conſtituit, ut non tantùm ex azymis, ut olim fieri ſolebat, ſed etiam ex fermentatis panibus conficerentur. Idque in Pontificali autor vitæ illius inſinuat. *Hic fecit ut oblationes conſecrata per Eccleſias ex conſecrato Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Inde liquet ab Epiſcopo ſolitam impertiri benedictionem iſtam, qui haſce deinde Eulogias ad titulorum Presbyteros, id eſt Parochos dirigebat, iſtiq; ſubditis ſibi fidelibus largiebantur: qui ritus brevi omnes Occidentis Provincias pervaſit: non conſtat tamen fuiſſe ad Orientem propagatum.

2. Altera fermenti mentio in Siricij vita ſic legitur, *Hic conſtituit ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.* Vox ibi *conſecratum*, perinde eſt ac vox benedictum. Tertia ejus fit mentio ab Innocentio Papa primò, in epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, cap.5. *De fermento verò, quod die Dominico per titulos mittitur, ſuperfluè nos conſulere voluiſti, cùm omnes Eccleſiæ noſtra intra civitatem ſint conſtitutæ: quarum Presbyteri, quia die ipſo propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcircò fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt, ut ſe à noſtra communione maximè illâ die non judicent ſeparatos, quod per Parochias* (ſcilicet rurales atque ab urbe longè remotas) *fieri debere non puto, quia non longè portanda ſunt Sacramenta* (id eſt res benedictæ ac precibus ſanctificatæ, licet non cenſeantur de numero Sacramentorum ſtrictiùs uſurpatorum ſeptenario) *nec nos per cœmeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus, ut & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Vult hoc loco Innocentius eamdem per cunctos Epiſcopatus circa Eulogias fermentatas ſervari conſuetudinem, quæ Romæ uſitabatur. Quarta demum fermenti mentio eſt in perantiquo Romano libro, quem citat Baronius his verbis. Quintâ Dominicâ in quadrageſima Sabbato datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſi.

3. In Oriente celebrata Synodus Laodicæna can.15. ita ſciſcit: *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ in alias Parochias tranſmittantur.* Cujus decreti ratio eſt: quia cum Paſchalibus feſtis omnes fideles Euchariſtiam ſumant, ſuperflua fuiſſet minor communionis fidelium, (quæ per Eulogias fit) ſignificatio, quæ diebus alijs non communicantibus Euchariſtiam fidelibus impertiebantur. Eſt prætereà Laodicænus can.32. Prohibens ab hæreticis Eulogias ſumere. Cujus ratio conſtat: quia cum dentur Eulogiæ in ſignum communionis ac unionis fidelium, is qui ab hæreticis acciperet, proteſtaretur ipſo facto cum eorundem ſectâ communionem ac ſocietatem. Eadem inſuper Synodus can.49. ſancit non eſſe in quadrageſima panem offerendum alijs à Sabbato & Dominica diebus. Illi qui panem hunc ibi de Euchariſtia intelligunt, rationem iſtam decreti proferunt, una cum Græco commentatore Theodoro Balſamone, quia non celebrantur apud Græcos Sacræ Liturgiæ, neque participatur Euchariſtiæ Sacramentum diebus jejuniorum, & quia Sabbatis & Dominicis totius anni, etiam intra quadrageſimam occurrentibus, ab Apoſtolorum uſque ætate prohibita ſunt apud Eccleſias Orientis jejunia. Alij verò canonem de Eulogijs exponentes rationem adducunt iſtam: quia præſcripta quadrageſimalibus diebus jejunia comeſtione Eulogiarum infringerentur; quæ quidem infractio non eſt pertimeſcenda Sabbatis & Dominicis, quibus apud Orientales jejunia vetantur.

4. Catechumenis aliquando datæ fuerunt feſtis Paſchæ diebus Eulogiæ, quia vice erant ac ſupplemento Euchariſtiæ, quam iiſdem ſumere nefas erat; quatenus ante Baptiſmum res eſt nefaria & ſacrilega participatio alterius cujuſcumque propriè dicti Sacramenti. Sed Eulogias catechumenis tandem conferri prohibuit Concilium Carthaginenſe tertium can.5. eò, quòd nondum in Eccleſiam ſint admiſſi, permiſitque eis dumtaxat ſalis prægustationem, quam nihilominus idem Sacramentum vocat, largiore nimirum ſignificatu. Quo eodem uſurpat Auguſtinus, dum ſic de catechumenis loquitur, lib.2. de peccatorum meritis, cap.26. *Et quod accipiunt quamvis non ſit corpus Chriſti, Sanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur; quoniam Sacramentum eſt.* Idque Sacramenti nomen de Eulogijs uſurpat paulò antè prolatus Innocentij Pontificis locus. Theophilus ſimiliter Alexandrinus, can.8. decernit oblatorum ad Altare minimè participes eſſe debere catechumenos, ſed ſolùm Clericos, & plebem myſterijs initiatam.

5. Priuſquam fuiſſet inſtitutum fermentum, editus eſt de Eulogijs à Pio Papa primo canon iſte, *Vt de oblationibus quæ offeruntur à populo, & de conſecrationibus quæ ſupe ſunt, necnon de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis Presbyter*

*Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias, hoc eſt panem benedictum, omni die Dominico & diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Iſte ritus etiam nunc à Græcis obſervatur Romæ ad miniſtrantes Sancti Athanaſi. Denique ſæculo nono Leo Papa quartus, idem qui adverſus Saracenos in Italia graſſantes Vaticanam Eccleſiam, & ſuburbium munitionibus cinxit, eique parti nomen Leoninæ urbis indidit, ita ſancivit in epiſtolâ encyclicâ ad omnes ubique Sacerdotes. *Eulogias poſt Miſſas in diebus feſtis plebi diſtribuite.* Antiquiſſimus ille oblationum populi ritus, ex quibus ſacra ſubinde conficienda erat Euchariſtia, cum diſtribuendis Eulogijs, confirmatur iſtâ Cypriani Carthaginenſis querelâ, de opere & eleemoſynis. *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, qui corbonam omninò non reſpicis, qui in Dominicum ſine ſacrificio venis, qui & partem de ſacrificio quod pauper obtulit ſumis.* Similem renovat querimoniam Auguſtinus ſerm. 215. de temp. *Oblationes, quæ in Altari conſecrentur, offerte, erubeſcere debet homo idoneus, ſi de alienâ oblatione communicat.* Eamdemque materiam ſermone ſequenti fusè quoque proſequitur idem Auguſtinus.

6. Ne verò privatas Eulogias ſilentio involvamus, quas ſcilicet privatim amici inter ſeſe ultro citróque mittere conſueverant, Paulinus, ep. 1. in fine, vini Campani eulogiam mittit ad Severum. Idémque aliam ad Auguſtinum & alteram ad Alypium, ut legimus epiſt. 31. apud Auguſtinum & epiſt. 35. Idémque ad Romanianum & Licentium alias mittit eulogias ex pane. Auguſtinus viciſſim eulogias ad Paulinum mittit epiſt 34. Atque iſta ſatis, ut ad alia progrediamur.

## DISSERTATIO XII.

### *De diſcrimine inter Epiſcopos, & Presbyteros jam inde ab ipſis Eccleſiæ exordijs.*

1. In fausto quodam omine conſcripti à quodam Batavo Calviniano libri adverſus Epiſcoporum dignitatem, & quod mirum eſt inſulſi, inepti, perpetuiſque ipſius autoris adversùs ſemetipſum contradictionibus referti, nonnullos etiam Catholicæ profeſſionis adeò ludificarunt, ut etiam editis in lucem libris non dubitarint hunc aſſerere errorem, in Catholicæ profeſſionis viris intolerabilem: nihil fuiſſe diſcriminis inter Epiſcopos & Presbyteros primis Eccleſiæ ſæculis, quod attinet ad officium dignitatemque; ſed qualecumque nunc temporis invectum ſit, id omne novitatem redolere, ab initio autem non ſic fuiſſe. Prætermitto hic vetuſtiſſimorum ſcriptorum monumenta, quæ omni perſpicuitate convincunt iſtam inter utroſque differentiam, adeò ut omnes Epiſcopi præcipuum quid haberent, neque cum inferioribus Sacerdotibus commune; ita ut non omnes Sacerdotes eſſent, aut dicerentur Epiſcopi; atque iſtos illis præfuiſſe non ſolùm ratione ordinationis, quæ tamen ſuprema eſt in Eccleſiæ regimine dignitas; ſed etiam in confirmandi poteſtate, quâ confertur Spiritus Deus, in alijs manuum impoſitionibus, in conſecrationibus Eccleſiarum, Altarium, ſacrorum Vaſorum, & Virginum, in poteſtate juriſdictionis Eccleſiaſticæ interioris atque exterioris, in auctoritate publicè decernendi, in inflictione cenſurarum aliarúmque pœnarum Eccleſiæ, in diſpenſationibus, mandatis, juſſionibus, in Officiis & Beneficijs conferendis, aut amovendis, in promulgandis legibus aut decretis, in Synodis convocandis, in ſacro conficiendo chriſmate, aliiſque innumeris functionibus, quas regimen requirit humeris Epiſcopalibus incumbentis Eccleſiæ. Ordinatio pariter Epiſcopalis longè diverſa fuit à communi Sacerdotali, adeò ut per hanc conſecrationem Spiritus Sanctus talem illis impertiatur poteſtatem, & regendi Eccleſiam autoritatem, qualem ex vi propriæ conſecrationis cæteri Sacerdotes minimè nanciſcuntur, aut nanciſci potuerunt ab initio, nec deinceps poterunt adusque mundi finem. Idque non humanâ ſcientiâ, ſed fide prorſus ad ſalutem æternam neceſſariâ tenendum.

2. Epiphanius hæreſi 76. Aërium hæreſiarcham ab Eccleſia eo nomine damnatum perhibet, quia omne tollebat Epiſcopi & ſimplicis Sacerdotis diſcrimen, eoſque in omnibus volebat haberi pares. At Epiphanius longè diſpares eſſe probat ratione ordinationis, quæ ſolis ab Epiſcopis fieri poteſt. Verba ejus omninò digna ſunt quæ mentibus fidelium inſigantur ἡ μὲν γὰρ ἐπισκόπων τάξις πατέρων ἐστὶ γεννητικὴ, πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, ἡ δὲ πατέρων μὴ δυναμένη γεννᾶν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν τοὺς πατέρας ἢ διδασκάλους, καὶ πῶς οἷόν τι ἦν καθιστᾶν πρεσβύτερον πατέρα μὴ ἔχοντα χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν; Epiſcoporum ordo eſt ad gignendos patres, nam Eccleſia patres, id eſt Sacerdotes progignit. At Sacerdotum ordo cum nequeat patres progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Eccleſiæ. Quomodo enim poſſet patres progignere poteſtate carens manuum impoſitionis?

3. Quantos verò poſſumus ætatis Apoſtolicæ atque adeò ab ipſis Apoſtolis conſecratos Epiſcopos proferre? Jacobum Jeroſolymis Domini fratrem, quique huic ſucceſſit Simeonem. Itémque Marcum Alexandriæ, & qui ei ſucceſſit Anianum. Evodium Antiochiæ, & hoc defuncto Ignatium, Smyrnæ pariter Polycarpum Ioannis Apoſtoli diſcipulum. Tres prætereà ab Apoſtolo Paulo conſecratos Epiſcopos, Timotheum Epheſi, Titum Cretæ, Epaphroditum Philippenſium.

4. De Epiſcopatu Iacobi Apoſtoli fratris Domini cognomento juſti refert Hegeſippus apud Hieronymum, de ſcriptorib. Eccleſ. cap. 4. *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum in quinto Commentariorum libro de Iacobo narrans ait, ſuſcepit Eccleſiam Ieroſolymæ frater Domini cognomento Iuſtus.* Clemens Alexandrinus lib. 6. hypotypoſeon, & ex eo Euſebius lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 1. eumdem aſſerunt à Petro & Ioanne & Iacobo majore Ieroſolymorum conſtitutum Epiſcopum. His adde ſi Lubet Anacletum Pontificem Apoſtolis ſupparem, relatum in decreto can. ult. diſt. 66. & Clementem Papam Petri diſcipulum lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 35. referentem, quòd Iacobus tam à Chriſto primùm, quàm ab Apoſtolis creatus eſt Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtes. Quibus accedunt conformia poſteriorum teſtimonia Euſebij & Hieronymi in Chronico Epiphanij hæreſi 29 num. 3. & hær. 78. n. 13. & 14. Cyrilli Hieroſolymitani catech. 4. & 14. Chryſoſtomi ſerm. 38. in 1. Corint. & ſerm. 3. in Acta.

5. De

Digitized by Google

5. De Epiſcopatu Marci Evangeliſtæ fidem faciunt Euſebius lib.2.hiſt.Eccl.cap.24. Hieronymus in Catalog. ſcript.Eccl.cap.18. dicens Alexandrinam Eccleſiam fuiſſe à Marco Evangeliſta fundatam, eique ſucceſſiſſe Anianum octavo Neronis anno. Idémque epiſt.126. Epiphanius quoque hæreſi.51.Marcum aſſerit fuiſſe à Petro miſſum in Ægyptum,poſtquàm Evangelium conſcripſerat. Euſebius ſimiliter & Hieronymus teſtificantur Petro in Antiochenam ſedem ſucceſſiſſe Evodium, & deinde Ignatium. Timotheum ab Apoſtolo Paulo conſtitutum Epheſinæ Præſulem Eccleſiæ, idem Apoſtolus ſcribit, 2.Timoth.1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum.* Deque ejuſdem ſupra Sacerdotes judiciaria poteſtate, 1.Tim.5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Titum ſimiliter Paulus perhibet à ſe conſecratum Cretenſium Præſulem, Tit.1. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Epaphroditum denique fuiſſe ad Epiſcopalem Philippenſium Eccleſiæ ſedem promotum,idem docet Apoſtolus Philipp.2. quo loco eumdem vocat Philippenſium Apoſtolum.

6. Irenæus lib.3. cap.3. perhibet Apoſtolos in ſingulis Eccleſijs à ſe fundatis conſtituiſſe qui eas regerent Epiſcopos. Additque Romanam Eccleſiam inſtitutionis ſuæ à Petro,qui primus ejus fuit Epiſcopus, habuiſſe primordia, ejuſdémque ſucceſſorum Pontificum ſeriem texit ad ſuam uſque ætatem. Ipſum deinde Polycarpum commemorat ab Apoſtolis præfectum Smyrnæ Antiſtitem ac Hierarcham, *quem nos* (inquit) *vidimus in priori noſtrâ ætate.* Idémque alios exprimit Epiſcopos quorum ſucceſſorum ſeriem extare affirmat in propriarum Eccleſiarum Archivijs. Eidem patrocinatur cauſæ Tertullianus, qui ſecundo exeunte, tertióque ineunte ſæculo ſcribebat hoc argumento, hiſque verbis, quoſcumque hæreticos fortiter expugnans tractatu de præſcription.cap.32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modò Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Proinde utique, & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.* Hactenus Tertullianus.

7. Ut verò cunctos obices & remoras amoveamus,ultro annuimus ſimplices quandoq; ac ſecundi Ordinis Sacerdotes Epiſcoporum nomine in ſacris Scripturis deſignari, quæ mera denominatio eſt, rei ipſius diſcrimen minimè tollens. Eædem, namque voces & nomina nunc ampliorem, nunc ſtrictiorem ſignificationem ſortiuntur; & peſſimè argumentaretur,quiſquis, ex eo quòd paſſim apud Sanctos Patres Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Paulinum, alioſque,vocentur quilibet nomine Papæ, vellet concludere habere ſingulos æqualem cum ſupremo Pontifice gradum, paremque in univerſa Eccleſia poteſtatem. Indifferentem illam Epiſcopi & Sacerdotis denominationem obſervant Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoritus, freti tum verbis iſtis Apoſtoli ad Philippenſes,*Omnibus ſanctis qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconibus.* Nulla ibi Presbyterorum mentio, quia ſub Epiſcoporum nomine comprehenduntur: alioqui enim eſſe in unâ urbe plures Epiſcopi non poſſunt,ſumendo id nomen in ſtrictâ magiſque propriâ notione, quæ ad ſolos coarctatur Pontifices. His accedunt verba quoque Pauli Act.20. *Attendite vobis & univerſo, gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quo loco Apoſtolus Presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ adhortatur,quos Miletum acciverat, cùm tamen ex ſacris Eccleſiæ inſtitutionibus non poſſit niſi unus Epiſcopus uni Eccleſiæ præfici. Tertius locus eſt in cap.1. epiſtolæ ad Titum,cui maximè innititur Hieronymus,in ejus loci Commentario. *Hujus rei gratiâ, reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt*,&c. Cujus moniti hanc rationem ſubjungit, *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe,ſicut diſpenſatorem Dei.* Apoſtolus igitur ſingulis Presbyteris,quos Titus ordinaverit, nomen quoque tribuit Epiſcopi.

8. Enimverò prorſus eſt improbabilis opinio Theodoriti comment. ad 1.Tim.cap.3. Eos nimirum qui ſunt ſuperioris ordinis Sacerdotes, & nunc vocari ſolent Epiſcopi, fuiſſe olim nominatos Apoſtolos. At verò poſterioris ordinis Sacerdotes communi appellatione Epiſcoporum fuiſſe deſignatos. Eſto vocaverit ſemel Paulus Epaphroditum Apoſtolum,Philip.2. At pluries etiam nunc contingit perfectos, ſuique officij admodum ſtudioſos Clericos cujuſcunque Ordinis, quorum operâ plures ad morum ſanctitatem aut ad fidei profeſſionem ex depravata vita vel ex infidelitate, aut hæreſi converſi fuerint, Apoſtolos audire ac denominari. Sic Sanctus Dominicus apud Volcas & Tectoſages,S.Vincentius Ferrerius, S.Antonius Ulyſſiponenſis, & apud Japones S.Franciſcus Xaverius, qui nunquam fuere Epiſcopi, denominati ſunt Apoſtoli. At verò illi, qui cùm Epiſcopali dignitate fulgerent, dicti quoque fuere Apoſtoli, illam nuncupationem honorificam ſunt conſequuti, non propter characterem ſacri Ordinis, ſed ſolùm propter converſas à ſe nationes: ſic enim Sancti Epiſcopi Remigius Francorum, & Leander Viſigothorum, Bonifacius Germanorum Apoſtoli audiunt, ob populos quos evangelizando in ovilia Chriſti traduxerunt. Eoque ſenſu Epaphroditum nuncupat Paulus Apoſtolum, ab Apoſtolicis laboribus, & ſacro zelo quo ardebat in excolendis ſibi commiſſis populis.

9. Hieronymus tamen haud leve hac in re negotium faceſſit,tum in epiſt. ad Evagrium 85.tum in commentarijs epiſtolæ ad Titum cap.1. adeò ut Michaël ipſum in invidiam traxerit dogmatis Aëriani; ſed perperam,nec citra temeritatem. In primis Sanctus Doctor contendit nomen Epiſcopi fuiſſe ab ipſis Apoſtolis attributum quibuſlibet Eccleſiæ Presbyteris, quod nos ultrò concedimus. Additque in illâ ad Evagrium epiſtola. *Quod autem unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* Atque hoc idem ſic repetit ſcribens in epiſtolam ad Titum. *Poſtea verò cum in partes & contraria ſtudia diviſus eſſet populus, ut dicerent quemadmodum Corinthij; Ego ſum Pauli, ego verò Apollo, ego autem Cephæ, ut demum plantaria iſta diſſenſionum divellerentur, ad unum*

*unum ſingulari Epiſcopi nuncupatione omnium ſollicitudinem eſſe delatam.* Et ſubinde. *Sicut ergo Presbyteri ex Eccleſia conſuetudine ſciunt ſe ei qui ſibi prapoſitus fuerit eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominica veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitatores Moyſis qui cum haberet in poteſtate ſolus praeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit cum quibus populum judicaret.* Idemque præfatâ ad Evagrium epiſtolâ, *Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Epiſcopus quod Presbyter non faciat?*

10. Agnoſcens ergo Hieronymus Epiſcopos inferioribus Presbyteris præcellere ordinandi poteſtate, quâ iſti omnino carent; idemque pares Moyſi faciens Epiſcopos, & æquiparans Presbyteros ſeptuaginta illis judicibus, quos Moyſes in ſui conſortium & ſolatium aſſumpſerat, ſatis indicat ſe non exiguum poteſtatis & dignitatis diſcrimen agnoſcere inter Epiſcopum & Presbyterum: dum verò contendit idē in Eccleſiæ exordijs, pares cum Epiſcopo fuiſſe Presbyteros, id multiplices eoſque veros ſenſus involvit. In primis pares erant nuncupatione, ſecundùm quam nunc diſpares exiſtunt. Secundò pares in regimine, quamvis origo & fons regiminis in ſolo eſſet Epiſcopo. Ea quippe moderatio primo veteq; aureo ſæculo in Epiſcopis erat, ut in commune bonum omnia cum Sacerdotum cœtu gererent, neq; his inconſultis Præſules quidquam aggrederentur. Quæ diſciplina licet in multis exoleverit, multa ſuperſunt tamen, in quibus neceſſe habent Epiſcopi conſilium Capituli adhibere. Præclaréque decernit Alexander Papa III. de his quæ fiũt à Prælat. ſine conſen. capit. c. novit. *Novit tua diſcretionis prudentia qualiter tu & fratres tui unum corpus ſitis, ita quòd tu caput illi membra eſſe probantur. Vnde non decet te omiſſis membris in Eccleſia tua negotijs aliorum conſilijs niti, cum id non ſit dubium, & honeſtati tua, & ſanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.*

11. Æquiparari nonnihil poteſt priſtinum illud ab Hieronymo commemoratum regimen Eccleſiarum cum illo Prætorum Athenienſium, quos ἄρχοντας vocabant, Collegio. Poſtquàm enim, mortuo ultimo illorum Rege Codro, Reſpublica Athenienſium in Democratiam vertit, ab electorum à ſe prætorum Senatu ſemper fuit adminiſtrata. Iſti quidem ſinguli Archontes vocabãtur, ſingulis etiã incumbebat Reipublicæ ſollicitudo: Sed tamen horum unus ſimiliter Archon dignitate reliquis præeminebat, ſolus collegas convocabat, convocatis præſidebat, ejuſque ſolius nomine anni & faſti ſignabantur. Sufficit verò ad eluendam labē, quam auſus eſt Medina Hieronymo, ipſique Epiphanio inſpergere, quòd uterque in ſolo Epiſcopo agnovit ordinationis poteſtatem, quæ tamen non unica eſt prærogativa: veteres quippe canones, quos ambo patres optimè norant, alia Epiſcopis privilegia tribuunt, à nobis paulò ante recenſita, ad quæ Sacerdotibus inferioribus aſpirare ac præſumere non licebat. Ipſeque Epiphanius Aërium inter hæreticos accenſet hoc nomine, quia temerario auſu Presbyteros Epiſcopis æquiparabat.

12. Egregium circa Epiſcopalem ordinandi poteſtatem alijs Sacerdotibus incōmunicabilem proferre lubet exemplum ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, & veteris Concilij orthodoxi teſtimonio. Athanaſius in ſuo Apologetico refert ſe Arianorum accuſatione reum peractum eo nomine, quòd Iſchyram Presbyterum ſacris ad Altare myſterijs operantem Macarius ab ipſo mandatus Athanaſio malè multaſſet, atq; myſticum calicem (quo utebatur Iſchyras) cōfregiſſet. Tum Synodus Alexandrina, ad quã Epiſcopi Ægypti, Lybiæ, Thebaïdis, & Pentapolis convenere, poſt diſcuſſam accuſationis hujus cauſam, ſcripſit Synodicam ad Iulium Romæ Pontificem, cæteroſque omnes orbis Chriſtiani Antiſtites, quam integram ſuo inſeruit Apologetico idem Athanaſius: ea verò teſtificatur neque ibi Iſchyram rem ſacram feciſſe, neque myſticum calicem habuiſſe, ac ne Presbyterum quidem fuiſſe, ſed tantùm laïcum; quippe qui à Colluthо manuum ſuſceperat impoſitionem, qui non Epiſcopus, ſed tantùm Presbyter erat.

13. Ut verò ad Hieronymum regrediar, ejus ſententia de differentia inter Epiſcopum & Presbyteros introducta, non à Domino, ſed ab Eccleſia elucidatur per veterem atque indiſcriminatã Epiſcopi & Presbyteri nuncupationem, Scripturis etiam ſacris, quas paulò antè produximus, ab Hieronymo comprobata, & quam poſtmodum Eccleſia diſcriminavit, ad ſolos Eccleſiæ Præſules & Hierarchas hanc reſtringens denominationem. Neque ſolùm clareſcit per commune Presbyterorum conſilium, quorum operam & miniſterium in conſortium laboris & ſollicitudinis aſſumere ſacri ſolebant Pontifices. Sed tertiò quoque aſtruitur & elucidatur inde, quia Apoſtolorum ætate erant Epiſcopales ſeu Cathedrales Eccleſiæ; earum quippe maxima pars à Sacerdotibus minoribus regebatur nullo præſente Pontifice, quemadmodum fieri cernimus in Parochialibus Eccleſijs. Etenim in Actis Apoſtolorum legimus, ipſam Samariam inclytam civitatem Ieroſolymitanæ æmulam, & in ipſo Iudææ confinio ſitam, non habuiſſe peculiarem ullum Epiſcopum; cùm neceſſe fuerit ad eam mitti Petrum & Ioannem Apoſtolos, ut ibi munus obirent Epiſcopale impoſitionis manuum ad Sacramentum Confirmationis.

14. Præeminentiam denique Epiſcoporum in omnem Clerum & populum, & obtemperandi neceſſitatem ac Officium quo illis Presbyteri obſtricti ſunt, inſigniter commendat inſignis Apoſtolorum diſcipulus & tertius à Petro in Antiochena Eccleſia Epiſcopus Ignatius Martyr ſanctiſſimus, ad Philadelphenſes ſcribens. Stet demum fidei fundamentũ inconcuſſum, jam inde ab Apoſtolis, ipſoque Chriſto ſtabilitum & noviſſimo generali Concilio Tridentino adverſum nuperas hæreſes aſſertum, ſeſſ. 23. can. 6. *Si quis dixerit, in Eccleſiâ Catholicâ non eſſe Hierarchiam divinâ Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Deinde can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos nō eſſe Presbyteris ſuperiores, anathema ſit.*

## DISSERTATIO XIII.

### *De Provincijs Eccleſiaſticis.*

1. PLurimùm conducit ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliorumque notitiam Provinciarum Eccleſiaſticarum peritia, quam hic pertractare aggredior. Quia verò diſtributiones præcipuarum Eccleſiarum factæ olim comperiuntur ad normam & partitionem veteris Imperij Romani, adeò, ut omnium Eccleſiarum antiquiſſima pariter & Sanctiſſima Ieroſolymitana, nihil antiquitus quàm ſimplex parœcia fuerit Epiſcopalis, Cæſareæ Palæſtinæ

Digitized by Google

læſtinæ Metropoli ſubjecta & ſuffraganea,non aliâ de causâ, quàm quia Cæſarea ſecundum civilem poteſtatem habebatur totius Palæſtinæ Metropolis; tametſi, antequàm ab Herode Idumæo in honorem Cæſaris amplificaretur, non aliud quàm turris Stratonis nomen haberet. Sic etiam quia Byzantium nobiliſſima Urbs ab irato & infenſo adverſùs eam Septimio Severo fuerat ſub præfectura ignobilis oppidi Perynthi,ſeu HeracleæThraciæ conſtituta, idcirco Byzantinus Epiſcopus, qui poſtremò evadet Conſtantinopolis Patriarcha, permultis annis extitit ab initio unus ex ſuffraganeis Heracleenſis Metropolitæ. Quia præterea inter Imperij Romani civitates primarias poſt Imperij caput Romam, primo fulgebat dignitatis gradu Alexandria Ægypti, & ſecundo Antiochia Syriæ ad Orientem; ideò vivente Apoſtolo Petro Romana Eccleſia primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium ſortita eſt nobilitatis gradum: diſertéque aſſerit Anacletus Pontifex Apoſtolos renovaſſe in Eccleſiâ jam dudum factam à Romanis Imperij diviſionem c.Provincias diſt. 99.

2. Itaque operæpretium duxi brevem,ſed tamen exactam Præfecturarum Imperij Romani notionē texere,ut innoteſcat inde quænam prioribus ſæculis fuerit partitio & ordo præfecturarum quoque Eccleſiaſticarum. Summa olim Præfecti prætorio poteſtas,quæ arma ſimul & jura complectebatur, fuerat jam inde à regno Tiberij Cæſaris penes unū. Sed ex quo inſidias Perennis Præfecti prætorio Commodus Imperator evaſit, cœpit ea poteſtas (ne foret nimia,ipſoſque Præfectos ad Imperij ambitionē ſollicitaret) inter duos æmulos dividi,teſte Herodiano lib.1. poſtmodum Conſtantinus magnus eam poteſtatem dignitatemque inter quatuor Præfectos partitus eſt, ſinguliſque proprias attribuit diſtinctas regiones. Quorum primus Orientē regebat, ei deniq; ſubdebantur Provinciæ Ægypti, Lybiæ,Pentapoleos,Cyrtes,Aſia,Cappadocia, Cilica,Syria, Armenia, Thracia, Myſia inferior, Cyprus cum reliquis Orientis plagis. Sequebatur Præfectus Illyrici, cui parebat Illyricum, Dacia, Triballi, Pannonia, Myſia ſuperior, Macedonia, Theſſalia,Græcia,Peloponeſus,Creta,& inſulæ circumfuſæ. Tertius accedebat Italiæ Præfectus, qui præerat Italiæ,Siciliæ,Africæ, & circumjacentibus inſulis. Quarto loco erat Galliarum Præfectus,cui obtemperat Gallia, Hiſpania, Britannia, & inſulæ adjacentes, ut ſcribit Zoſimus lib.2.

Quatuor iſtæ ſingulæ Præfecturæ in plures diſpertiebantur Diœceſes,quæ à Præfectorū Vicarijs regebantur; unde Vicariæ quoque dicebantur,plures etiam regiones ac Provincias complectentes,ut videre eſt in libro Notitiæ utriuſque Imperij,quem eruditis commentarijs Pancirolius illuſtravit.

3. Secto deinde in duas partes Imperio ſex dinumeratæ ſunt Orientalis ſeu Conſtātinopolitani Imperij Diœceſes. Prima Orientis cujus Metropolis Antiochia,& cujus Vicarius ſpeciali deſignatione audiebat Comes Orientis. Secunda Ægypti: Tertia Aſiæ. Quarta Ponticæ. Quinta Thraciæ. Sexta Illyrici partis Orientalis, quarum meminere leges 1. & 2. C. de militari veſte lib. 12. & l.1. C. ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos vel Vicar.eor. & l.ult.C.de diverſ.offic. lib.12.Orientis Diœceſis caput ac Metropolis fuit Antiochia,ut liquet ex hiſtorico Zoſimo lib. . Hieronymo ad Pammachium,Chryſoſtom.homil.1.ad populum Antioch. De hujuſce Vicarij Officio extat tit.C.de offic.comit.Orien. Diœceſis Ægypti Metropolis fuit Alexandria,ut ex Theodorito conſtat lib.1. hiſt.Eccl. c.1. Ægypti Vicarius appellatione inſigniebatur Præfecti Auguſtalis, de cujus officio tit.habetur in Cod.de offic.præf.Auguſtalis, & in ff.pariter. Diœceſis Aſianæ Metropolis erat Epheſus, Chryſoſtomo teſte in epiſt. ad Epheſ. necnon ſubſcriptione Theod.Epheſini Epiſcopi act.18.Synodi ſextæ. Porrò Diœceſis Ponticæ Metropolis extitit Cæſarea Cappadociæ, ut fidem facit Greg. Nazianz. orat.de laudibus Baſilij, & ſubſcriptio Philalethis Epiſcopi Cæſareæ Cappadocum in ſextâ Synodo. Thraciæ Metropolis à tempore Conſtantini fuit Conſtantinopolis, quam idem ſede Imperij decoravit. Tres verò iſtæ Diœceſes Thracia,Pontica & Aſiana fraude Græcorum in Concilio Conſtantinopol. primùm, deinde in Chalcedonenſi diſtractæ fuerunt;Thracia quidem à Romana ſede,Aſiana & Pontica ab Antiochena Diœceſi.

4. Diœceſis autem Macedoniæ,Daciæ,atque Illyrici, partis ejus quæ ad Orientis pertinebat Imperium, caput fuit Theſſalonica ut refert Theodoritus lib.5.hiſt.Eccl.cap.17. Ad poſtremum tamen Juſtinianus, tum ſedem Præfecti prætorio Illyrici, tum etiam Vicariam Apoſtolicam,ſeu jura Primatis (aſſentiente Papa Vigilio)ex urbe Theſſalonicâ tranſtulit Acridum Dardaniæ oppidum, Iuſtiniani natalem patriam,quam de ſuo nomine Iuſtinianam primam dici voluit. Novella 11. Deinde Nicolaus Papa primus epiſt.2. hortatus eſt Michaëlem Auguſtum, ut antiqua jura inſtaurari curaret, quibus fruebatur olim Theſſalonicenſis Epiſcopus, tanquam Romani Pontificis Vicarius,per omnem Epirum, Illyricum, Macedoniam, Achaïam, Theſſaliam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam, & Myſiam, Dardaniam atque Prævalim; has enim omnes Provincias hæc olim Vicaria ſacra complectebatur.

5. Sex pariter conſtitutæ ſunt Occidentis Diœceſes,ac Vicariæ civiles, una Italiæ,Altera Illyrici, partis ejus quæ ad Occidentis pertinebat Imperiū, Tertia Africæ, Quarta Galliæ, Quinta Hiſpaniæ, Sexta Britanniæ. Vicariæ Italiæ Metropolis fuit Mediolanum,ut ex epiſtolâ colligitur Athanaſij ad Solitar.vit.agen. ubi loquitur de Dionyſ. Mediol. Epiſcopo.Galliæ autem Auguſta Trevirorum,ut ex eâdem colligitur, ubi ſermonem habet de Paulino Trevirorum Antiſtite. Idem confirmat Theodorit. lib.2.hiſt.Eccl.c.15.Salvian.etiam lib.2.de providentiâ Dei, Treverim dicens ſummam Galliarum urbem. Britanniæ Vicariæ caput erat Eboracum Romanorum colonia, quam Spartianus in Severo urbem abſolutè per antonomaſiam vocat, & in qua Conſtantius Chlorus magni Conſtantini pater regiam conſtituit, diemque obijt extremum, ut produnt Euſebius lib.1. vitæ Conſtantini, Eutropius, Aurelius Victor, & Oroſius.

Diœceſis Africæ indubitatum eſt Metropolim tam civilem quàm Eccleſiaſticam fuiſſe Carthaginem, cujus etiam Epiſcopus Primatu totius Africæ potiebatur,ut paſſim viſitur in Cypriani epiſtolis, in Concilijs Africanis,quæ omnia ab Epiſcopo Carthaginenſi indicebantur, quibus etiam præſidebat,cuique etiam ſubjacebant Provinciæ Numidiæ, atque utriuſque Mauritaniæ Cæſarienſis & Tingitanæ, quæ à ſuis quidem regebantur particularibus Primatib. ſed ſub generali regimine atque autoritate Carthaginenſis Epiſcopi.

F 2 6. Illy

6. Illyrici, partis ejus quæ ad Occidentis ſpectabat Imperium, Metropolis fuit Sardica, urbs ejus Provinciæ præ reliquis celebris, & Concilio œcumenico nobilitata, in quo trecenti & amplius Occiduarum Provinciarum Antiſtites, procurante religioſiſſimo Imperatore Conſtante, de Ariana impietate triumpharunt. In ſubſcriptionibus Concilij magni Nicæni apud Gelaſium Cyzicenum ita ſubſcriptum legimus. *Protogenes Sardicæ civitatis Epiſcopus pro Sanctis Dei Eccleſijs quæ ſunt in Dacia, Calauria, Dardania & Provincijs vicinis.*

7. De Hiſpaniarum olim Metropoli Eccleſiaſticâ, quænam olim fuerit, ſupervacaneum eſt inveſtigare. Ut enim obſervat Fernandus Mendoſa lib.1. de confirmando Concilio Illiberritano ad ſubſcriptionem primam, quæ eſt Felicis Accitani Epiſcopi, nulla erat Primatum aut Archiepiſcoporum vel Metropolitanorum denominatio certis Eccleſijs affixa, niſi ſequioribus ſæculis: ſed quiſquis in ſingulis Provincijs reperiebatur ordinatione antiquior Epiſcopus, tametſi minori præeſſet civitati, jura exercebat Metropolitani, idque tum ex ipſo Concilio Illiberritano, tum aliunde facilè convincitur. Simplicius Papa primus circa annum 470. epiſt.1. ad Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, hunc ipſum in Hiſpanicis Eccleſijs Apoſtolicæ Sedis Vicarium creat. Deinde Hormiſda epiſt.26. Saluſtium Hiſpalenſem pariter Epiſcopum Vicariũ ſuum ſuper Provincijs Bæticâ & Luſitanicâ, cum plenâ poteſtate Concilia convocandi, declarat. Factum tandem eſt regnante in Hiſpanijs Hervigio anno Chriſti 681. ut Concilij Toletani duodecimi can.6. Hiſpanarum Eccleſiarum Primatia deinceps affixa ſit Epiſcopo Toletano Provinciæ Carpetanæ Metropolitano, cum hâc poteſtatis acceſſione, ut quem Reges (qui jampridem regiam ſedem Toleti ſtabiliverant) Epiſcopum cujuſcumque Provinciæ elegiſſent, ſine mora conſecraretur ab Epiſcopo Toletano, ſub obligatione tamen ſiſtendi ſe coram proprio Metropolitano intra tres à conſecratione menſes, ut refertur à Gratiano diſt.63. c.cum longè lateque.

8. Romæ verò Summus præerat Præfectus, qui reliquis omnibus præminebat officijs & dignitatibus urbis l.3. C.de præfecto urbis. Huic parebant ſuburbicæ quoque regiones, quotquot ſcilicet intra centeſimum ab Urbe lapidem protendebantur intra Tuſciam, Picenum, & Campaniam l.1.ff.eod. Huc reſpexit Septimius Severus Auguſtus, quando exautoratos Prætorianos milites Romæ finibus uſque ad centeſimum lapidem ſub capitis pœna juſſit excedere, ut refert Herodianus lib.2.

9. Demum Iuſtinianus pulſis ex Africa Vandalis quintum cæteris adjecit præcedentibus Præfectum prætorio, ejuſque ſedem Carthagine (quam de ſe Iuſtinianam tertiam dici voluit) conſtituit. l.1. C.de offic.Præpoſ.prætor.Africæ.

10. Nos ſuperiùs Vicariam quidem Galliarum Treviris præfiximus. At verò ſedem ipſius Galliarum Præfecti, cujus poteſtas Hiſpaniam quoque atque Britanniam inſulam complectebatur, ſtabiliverat Conſtantinus magnus in Arelatenſi urbe, cui etiam de ſe Conſtantinæ nomen eſt impertitus. Prorſus enim errant nonnulli qui hoc nomen cum alijs omnibus prærogativis mutuatam exiſtimant à tyranno Conſtantino, qui contra Honorium rebellis hâc ſe urbe communierat. Nequaquam enim poſt eumdem profligatum & extinctum tyrannum idem Honorius in ſuo ad Agricolam Galliarum Præfectum reſcripto Arelatem vocaret Conſtantinam, ut eam vocat, ſi recens id nomen à tyranno invaſore accepiſſet. Quo eodem reſcripto declaratur fuiſſe inſuper conſtitutam Arelate Præfecti ſedem. Jubet enim Honorius veterem conſuetudinem per tyrannos intermiſſam inſtaurari, ut quotannis in eâ urbe conventus habeatur ſeptem Galliæ Provinciarum *ſub illuſtri* (ſic enim loquitur) *præſentiâ Præfecturæ.* Undenam verò conſuetudo illa ortum habuit, niſi à magno Conſtantino civitatis hujus ſtudioſiſſimo, qui ſuum ei nomen indidit, quique totius Occidentis generale Concilium ibidem celebrari voluit in cauſa Donatiſtarum? Inſuper illa Galliarum Præfecti ſedes aſſeritur Arelate fixa his verbis Epiſcoporum olim Arelatenſi Primati ſubditorum, ad Leonem Papam ſcribentiũ *Hanc civitatem ſublimiſſima Præfectura, hanc reliquæ poteſtates velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant.* His alterum non minoris autoritatis adjungo teſtimonium Gregorij Turonenſis ſcribentis lib.2. hiſt. Franc. cap.7. Quo tempore Hunnorum Rex Attila ſe obſidioni Aureliæ accingebat, ejus urbis Epiſcopum Anianum implorandarum ſuppetiarum cauſa ad Aëtium Galliarum Præfectum ſe contuliſſe, Arelate commemorantem. Denique res eadem aſtruitur antiquis inſcriptionibus, quarum iſta in civitate Arelatenſi ſupereſt de Auxiliari Præfecto, cujus etiam fit mentio in Hilarij Arelatenſis Epiſcopi vita, ab auctore temporis ejuſdem conſcriptâ, referente, Præfectum Auxiliarem ſæpiùs privatis monitionibus ab Hilario correptum, non tamen emendatum, ab eodem tandem publicè concionante fuiſſe præſentem in Eccleſia redargutum. Inſcriptio illa vetuſta hæc continet

*Dominis noſtris* SALVIS DD. NN. THEODOSIO<br>
*Piis Felicibus Victoribus* ET VALENTINIANO P.F.V.<br>
*Triumphatoribus* AC TRIUM. SEMPER AUG. XV.<br>
*Vir inluſtris* COS. VIRINL. AUXILIARIS<br>
*Præfectus pratorio.* PRÆF.PRÆTO.GALL. *Galliarum*<br>
DE ARELATE MAMILLARIA PONI F. *fecit*<br>
*Milliare paſſuum unum.* M. P. I.

Erat columna iſta primus lapis milliarius proficiſcentibus ex Arelatenſi urbe. Hinc eſt quòd ſanctum Eccleſiæ doctorem & Pontificem Ambroſium urbs Arelatenſis ſibi civem jure merito vindicare poterit, cùm teſtetur in ejus vita Paulinus natum in Galliâ, in ipſoque Prætorio educatum fuiſſe infantem, eique in cunis dormienti examen apum circumſtetiſſe, dum pater infantis Præfecturâ Prætorianâ in Galliis fungebatur.

11. Perperam verò Joſephus Scaliger, & Vidus Savaro in ſuis ad Apollinarem commentariis tres fuiſſe intra Galliam Vicarios imaginantur, cùm diſertè doceat liber Notitiæ Imperij ſex tantummodò fuiſſe in toto Occidente Vicarios. In Italiæ quidem Præfecturâ tres, totidemque alios in Galliarum Præfecturâ, unum quidem Vicarium intra Galliæ fines ſecundum in Hiſpaniâ, tertium in Britannicâ inſulâ, ſub uno omnes Galliarum Præfecto prætorio. Quam rem accuratiùs obſervarunt Pancirolus ejuſdem Notitiæ commentator, & Jacobus Sirmundus in ſuis ad Sidonium Apollinarem notis lib.1. epiſt.3.

12. Qui Primates in Occidentalibus plagis nominantur, illi in Oriente à Græcis vocaban-

tur

tur *ἔξαρχοι τῶν διοικήσεων* exarchi in Diœceſibus, quorum meminit Synodus Chalcedonenſis duobus locis can. 9. & can. 17. Diœceſis enim vocabulo comprehendebantur plures Eccleſiaſticæ provinciæ ſeu metropoles. Singulæ verò metropoles complectebantur plures parœcias, ſeu inferiores Epiſcopatus, qui hodierno uſu ſolent Diœceſes vocitari. Zonaras Scribens ad Chalcedonenſem can. 17. quatuor commemorat Exarchos Epiſcopos, Cæſareæ Cappadocum, Epheſi, Theſſalonices, & Corinthi. Sinodus ſecunda œcumenica can. 2. tres commemorat Diœceſes Eccleſiaſticas. Aſiæ cujus metropolis Epheſus: Thraciæ cujus metropolis Heraclea: & Ponti cujus metropolis Cæſarea Cappadocum.

17. Quòd verò attingit Occidentis Primatias, Romanus EpiſcopusVicarios ſuos ſtabilire ſolebat quoſdam illuſtriorum ſedium Epiſcopos, quibus poteſtatem & juriſdictionem in vicinas provincias conferebat. Extat magni Leonis Pontificis epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, cui jura Primatis in finitimas Metropoles confirmat. Cæterùm ut ad Latinas Eccleſias progrediar, Zoſimus Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ Patroclum ſuum conſtituit Vicarium in tribus finitimis provinciis, ſcilicet Vienneſi, & duabus Narbonenſibus. Deinde Vigilius Papa ſcribens ad Aurelianum Arelatenſem Epiſcopum hanc illi attribuit Primatiæ, ſeu (Quod idem eſt) Vicariæ Apoſtolicæ autoritatem. Quæ legitur epiſtola in actis Synodi œcumenicæ quintæ. Eamdemque renovat poteſtatem ſanctus Papa Gregorius in gratiam Virgilij Arelatenſis lib. 4. epiſt. 51. & 52. vices ſuas ei committens per omnes Eccleſias quas regnum Childeberti complectitur. Romanus quoque Pontifex Zacharias in ſuâ ad Bonifacium Moguntinum Præſulem epiſtolâ, hunc ipſum per omnem Germaniam Primatem conſtituit. Similem indulget poteſtatem Hormiſda Papa Remigio Remenſium Antiſtiti per ſuam epiſt. 1. quacumque protenditur Clodovei regnum. Idemque Hormiſda eamdem Saluſtio Epiſcopo Hiſpalenſi confert autoritatem in Provinciarum Bæticæ atque Luſitaniæ Eccleſias univerſas.

## DISSERTATIO XIV.

### *De diptychis Eccleſiaſticis.*

1. PRo omnibus quidem Chriſti fidelibus ſolet Eccleſia inter ſacra miniſteria preces ad Deum fundere communes, ſed præterea ſpeciales Deo preces offerebat pro certis quibuſdam hominibus, tum viventibus, tum vitâ functis, quorum nomina ex ſcripto per Diaconos pronunciabantur inter ſacra myſtica, pro Imperatoribus & Regibus, pro Summo Pontifice, pro Epiſcopo loci, pro Patriarchis, pro cæteris quibuſdam Epiſcopis ſibi invicem hoc genere Officij gratificantibus: denique pro fidelibus illis qui munera & oblationes ad rem ſacram divinumque cultum contulerant. Ex alterâ autem chartâ, quæ defunctorum nomina referebat, nominabâtur pariter ad populum ex ambone ad aliquod tempus homines, vel principatu temporali, vel dignitate Epiſcopali pridem ſpectabiles. Inſignium autem benefactorum, quales erant fundatores illius Eccleſiæ, perpetua fiebat memoria & recordatio. Hujuſce ritus ſimulque gratitudinis innumera legimus veterum monumenta: nonnúquam etiam graves erant inter Eccleſias concertationes, alijs quorumdam inſignium dignitate virorum memoriam colentibus, alijs ex adverſo damnantibus, ut contigit in Ioanne Chryſoſtomo, cujus memoriam Romana venerabatur Eccleſia, ſed in oppoſitum Alexandrina, dum vixit infenſiſſimus Chryſoſtomi perſecutor Theophilus, execrabatur, unà cum factione Theophili freta Imperatoris Arcadij animoſitate, qui ſanctiſſimum virum, urgente Theophilo, injuſtiſſimis exilijs damnaverat, ut referunt Socrates, Sozomenus & Palladius. Nec minus nota ſunt diſſidia Orientalium Eccleſiarum cum Romanâ, dum hæc Acacij memoriam tanquam hæretici (ut verè fuerat) execratur: illæ verò ab eodem olim ſeductæ recolunt, quam referunt hiſtoriam Chronicon Marcellini, Theophanes & Theodorus Lector. Eâque ex causâ Euphemius Conſtantinopolis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis communione tanquam ſchiſmaticus excidit, cæteroqui orthodoxus, ob pertinaciam quâ nomen Acacij de tabulis Eccleſiaſticis eradere recuſarat, ut prodit Theophanes, & Nicephorus hiſtoricus.

2. Dionyſius lib. 3. de Eccl. hier. hæc de diptychis refert, & cùm ſe mutuò omnes ſalutaverint, myſtica ſacrarum *ἱερῶν πτυχῶν* recitatio fit. Eódem ſpectat illa Cypriani expoſtulatio epiſt. 10. de faciliori quorumdam lapſorum reconciliatione: *Ad communionem admittuntur, & offertur eorum nomen, nondum pœnitentiâ factâ.* Hieronymus in comment. ſuper Ezechielem 18. egregiè dicit. *Publicè Diaconus in Eccleſiâ offerentium nomina recitat, tantum offert ille, tantum ille pollicitus, placentque ſibi ad plauſum populi torquente conſcientiâ, damuſque materiam miſeris ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, & non lugeant ad ea quæ rapuerunt.* Innocentius Papa in illâ notiſſima ad Decentium Eugubinum Epiſcopum epiſtola dicit. *Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda: ut inter ſacra myſteria nominentur non inter alia quæ antea præmittimus, ut ipſis in myſterijs viam futuris precibus aperiamus.* Recitandorum nominum praxis viſitur in ipſis Liturgijs Iacobi Apoſtoli, Baſilij, & Ioannis Chryſoſtomi. In harum duabus ultimis hæc habentur *ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα τῶν τε ζώντων καὶ κεκοιμημένων ὧν βούλεται.* Diaconus ſacram menſam incenſat per circuitum, & diptycha tam viventium quàm eorum qui dormierunt, quorum vult. His adjungo Concilij Emeritenſis can. 19. *Proinde ſalubri deliberatione cenſemus ut pro ſingulis quibuſque Eccleſijs, in quibus Presbyter juſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina à quibus Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſijs videntur aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viventes in corpore ſunt ante altare recitentur tempore Miſſæ. Quod ſi ab hac luce diſceſſerint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo in ordine.* Magnus Gregorius Papa lib. 2. epiſt. 37. ad Conſtantium Mediolani Epiſcopum reſcripſit, nullam ipſi neceſſitatem incumbere Ioannem Ravennæ Epiſcopum nominandi, cum neque Ioannes Conſtantium ad altare nominare ſoleat.

3. Acacius Conſtantinopolis Epiſcopus hæreſi



Digitized by Google

Euthychianæ clam addictus, Zenoni Auguſto edictum, ( quod vocabatur henoticum ) ſuggeſſerat, quod univerſum orbem impenſe perturbavit, abrogato Synodi Chalcedonenſis contra Euthychianam hæreſim decreto: idemque Petrum Moggum Alexandrinum Epiſcopum, ipſoſque Felicis Papæ tertij Legatos in ſuas partes attraxit & corrupit. Quamobrem Papa Felix Acacium turbarum autorem communione fidelium amovit, qui vicem rependens, Felicis Pontificis nomen ex Eccleſiaſticis diptychis eraſit, anno 484. Mortuo demum Acacio Gelaſius Felicis in Romanâ ſede ſucceſſor omni ſtudio connixus eſt, ut perfidi Acacij nomen ex Græcarum Eccleſiarum diptychis obliteraretur, quem pariter conatum proſequuti ſunt inſequentes Romani Pontifices, Anaſtaſius, & Symmachus, inani tamen operâ. Sed rem demum obtinuit Hormiſda Pontifex, Juſtino fretus religioſiſſimo Imperatore, ſub quo ablatum diuturnum ſchiſma, & pax inter Orientis & Occidentis Eccleſias feliciſſimè reſtituta, damnatâ duorum præcedentium hæreticorum Imperatorum Zenonis & Anaſtaſij memoriâ, deletiſque ſacris ex tabulis eorum ſimul & Acacij, cæterorumque ſequacium infauſtis nominibus, poſt ſex & triginta pernicioſi ſchiſmatis annos ab excommunicatione Acacij.

4. Fidem quoque facit Theodoritus libro 5. hiſt. Eccl. cap. 34. circa graviſſimum diſſidium occaſione Joannis Chryſoſtomi, factione Eudoxiæ Auguſtæ & Timothei Alexandrini, qui dicto ad Quercum conciliabulo præſidens Chryſoſtomū injuſtiſſimè damnarat, & Epiſcopatu ejecerat. Sed Innocentius Papa innocentis Epiſcopi ſuſceptâ diſcuſſâque causâ, ipſum conciliabuli decretum abrogavit, atque in exilio defuncti memoriam honorificè reſtitui curavit; nec aliter pax inter Occidentis & Orientis Eccleſias ſtudiis diviſas iniri potuit, niſi reſtituto ad ſacras tabulas Joannis Chryſoſtomi nomine.

## DISSERTATIO XV.

### *De communionibus laica & peregrina.*

1. Utramque plerique confundunt, nihil eſſe diſcriminis inter laicam & peregrinam communionem exiſtimantes. At longè diverſæ ſunt, nec aliud quid inter ſe commune habent, quàm ut ſint ambæ pœnales, quotieſcunque ad alterutram illarum clerici reducuntur. Jam eſt utraque ſeorſim explicanda.

2. Laica communio clericis ſacris, ſeu majoribus ordinibus initiatis in pœnam decernebatur ne intra Sanctuarium Euchariſtiam ſumerent. Statutum quippe fuit Laodiceno canone 19. μόνοις ἱερατικοῖς ἐξὸν εἶναι εἰς τὸ θυσιαστήριον εἰσιέναι καὶ κοινωνεῖν. Solis licet ( non quidem Sacerdotibus ut minùs peritè aliqui tranſtulerunt ) ſed ( ut accuratiùs vertit Dionyſius exiguus ) ſacro miniſterio dedicatis, ideſt Presbyteris & Diaconis ingredi Sanctuarium, inibique communicare. Cæterùm in alicujus delicti pœnam ſacri clerici quandoque privilegio iſto excidebant, nec niſi cum promiſcuâ turbâ licebat eis communione divinâ refici. Hinc à Synodo Sardicenſi Euthychianus & Muſæus, qui ordinationes indebitas exercuerant, clericali etiam communione excluduntur, nec ipſis laica indulgetur communio, niſi poſtquàm illam convenienti humilitate petierint, Sardicen. can. 19. Præterea Agathenſi can. 32. ita ſancitur. *Si Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſaverit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus in monaſterium detrudatur, & ibi, quandiu vixerit, laicam tantum communionem accipiat.* Quem canonem inſerit Gratianus diſt. 50. c. Si quis Epiſcopus. Præterea canon Apoſtolorum 15. vagos clericos ad laicam demittit communionem. Cyprianus epiſt. 2. ad Antonianum ita ſcribit de Trophimo Sacerdote in perſecutione lapſo. *Sic tamen admiſſus eſt Trophimus ut laicus communicet.* Baſilius item ad Amphilochium can. 3. ad laicam communionem redigit Diaconum, qui ſit fornicatus. *Quoniam*, inquit, *antiquus eſt canon, ut qui à gradu exciderunt hoc ſolo punitionis modo plectantur.* Quibus verbis ſignificat illam ſacris initiati clerici pœnam, dummodo permittatur ei laica communio, eſſe quidem genus quoddam depoſitionis à jure Eccleſiaſticæ communionis, ſed nullatenus excommunicationis: atque illatæ depoſitionis vindictæ non licere per canones adiungere alteram excommunicationis pœnam. Quod idem repetit Baſilius ad Amphilochium can. 31. & comprobatur canone Apoſtolorum 25. ſic decernente. *Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus fornicationis, vel perjurij, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur: dicit enim ſcriptura, de eodem delicto bis ultionem non exiges.* Quo Græco canone dicitur καθαιρείσθω καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. Supponit ergo duplicem acceſſuram vindictam ac pœnam, ſi ad depoſitionem adderetur abſoluta communionis privatio. Non rarò tamen ſacris etiam clericis Eccleſia excommunicationem abſolutam infligit, quæ una depoſitionem aut ſuſpenſionem involvit, in unius clerici perſona. Sic enim memorata Synodus Sardicenſis can. 1. Epiſcopos, qui priore Epiſcopatu dimiſſo in alterum involaverint, laicâ etiam excludit communione. Ithacius quoque eò quòd Priſcillianum tametſi flagitioſiſſimum hæreſiarcham apud Maximum tyrannum, ad quem hæreſiarcha indebitè appellaverat, capitali ſupplicio addici feciſſet, ab Epiſcopo Theognoſto cum Ithacianis fidelium communione ſejunctus eſt. Quæ damnatio tantùm invaluit apud Deum, ut ſanctum Epiſcopum Martinum qui Treveris ad horam, gravi urgente neceſſitate, cum aliquibus Ithacianis communicaverat, per Angelum Deus ipſe coarguerit, eidemque ſolitam miraculorum edendorum virtutem diminuerit.

3. Quia vero clericis Eccleſiasticâ communione motis & ad laicam & promiſcuam redactis ſolitæ ( ut eas Cyprianus vocat ) ſportulæ non præſtabantur, ſed ut plurimùm vel ex patrimonialibus, vel aliorum liberalitate, vel ex proprio labore ac induſtria victum ſibi quærere compellebantur. Et excluſis ſimul à decimis & oblationibus, & prædiorum Eccleſiæ fructibus, ſi nihil aliud ſuppetebat, ex commiſeratione Eccleſia victum illis providebat. Ad menſam igitur illos admitti curabat, quæ ad quotidianum victum fidelibus peregrinis apparari ſolebat, quos proprius Epiſcopus per literas formatas Eccleſiis, ad quas aut per quas peregrè ibant commendarat: his enim Eccleſiæ alimoniam tum ex particularium contributione, tum ex propriis opibus reſervabant. Iſtiuſmodi humanitatis exempla ſuppeditat in

Digitized by Google

in primis Concilium Calcedonenſe actione 12. providens ut ipſius Antiochenæ Eccleſiæ facultatibus domnus Antiocheni Patriarchatus alatur. Simili etiam modo ſuſtentationi Baſſiani & Stephani providet, poſtquàm illos Epiſcopatu ob delicta ſubmovit actio. 12. Simili exemplo Syneſius Epiſcopus Alexandri Epiſcopi reſidere in Eccleſia propria renuentis curam habuit: ſic enim epiſt. 66. ſcribit Theophilo Alexandrino Patriarchæ. *In Eccleſiam quidem illum admittere nolui, nec ſacram cum illo menſam communem habui: domi verò perinde ac innocentes honoravi.* Denique Agathenſis Concilij canone 2. decernitur: *Contumacibus clericis qui prioris gradus elati ſuperbiâ communionem fortaſſis contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina communio tribuatur, ita ut cum eos pœnitentia correxerit reſcripti in matriculâ gradum ſuum dignitatemque recipiant.*

4. Ad exemplum & ſimilitudinem hujus pœnalis peregrinæ communionis, quâ in clericos animadvertebatur, altera vocabatur minus propriè peregrina communio, quâ Epiſcopi aliique inter ſacerdotes primarij, ſeu præfecturam habentes, non deponebantur prorſus à clero, ſed ſolùm à digniori & ſublimiori priſtino gradu, ut tamen in gradu inferiorum clericorum conſiſterent; adeò ut Epiſcopi ad inferiorum Sacerdotum ordinem redigerentur, ut & iſti ad diaconorum, atque iſti ad minorum clericorum ſtationem & claſſem. Sic enim depoſitis Epiſcopis ſubtrahebatur illa redituum Eccleſiæ quarta pars, quam Epiſcopis ſacri canones reſervabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus ſtipendia partirentur. Sacerdotes quoque illi qui præſunt, & quos Apoſtolus judicat duplici honore, hoc eſt ſtipendio vitæ providendos, ab hoc excidentes honore minus & exilius ſtipendium inter Diaconos nanciſcebantur. Iſti demum ſed minùs propriâ locutione dicebantur peregrinâ communione ſuſtentari, licet quotidianum victum cum inferioribus clericis ex quotidianis Eccleſiæ diſtributionibus perciperent.

5. Hujuſce pœnalis, ſed aliquantò humanioris ac mitioris diſciplinæ legimus exempla luculenta. Primum in Nicænâ Synodo canone 8. quo Novatianos dudum Epiſcopos ad Eccleſiaſticam unitatem redeuntes, ſi eorum loco aliquis jam fuerat Orthodoxus Epiſcopus conſtitutus, edicit potiri Sacerdotis, aut chorepiſcopi gradu, miniſterioque. Concilium ſimiliter Toletanum primum can. 4. ſic decernit: *Subdiaconus defuncta uxore, ſi aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, & habeatur inter oſtiarios & lectores.*

6. His accedit Concilium Regienſe, habitum in ſecundâ Narbonenſi provincia, quod diſertè communionis meminit peregrinæ. Armentarius per ambitionem ſe in Epiſcopum fecerat ordinari Eccleſiæ Ebrodunenſis à duobus tantùm Epiſcopis, invito etiam Metropolitano, qualem ſe prætendebat id temporis Arelatenſis Præſul, cujus curâ & ſollicitudine Synodus iſta convocata eſt anno 439. hujus can. 3. ſic ſtatuitur. *Liceat ei* (Armentario) *in unam ſuarum parochiarum concedere, in quâ aut chorepiſcopi munere aut peregrinâ communione foveatur, nec quidquam ipſi de Epiſcopalibus officiis uſquam uſurpare liceat, præterquam in Eccleſiâ, quam cujuſquam miſericordiâ fuerit indeptus, in qua ei ſolùm neophytos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur.* Quæ ſanè verba obſervatu digna ſunt: Sic enim Synodus Armentarium deponit, exautoratque Epiſcopali gradu; ut non modò ei ſalva ſuperſint Sacerdotalia jura, ſed etiam Pontificalia quædam poſſit exercere, nimirum confirmationis ſignaculum conferre, cæteroſque præcedere Sacerdotes, eidemque providetur ut communione peregrinâ foveatur, ad victum nimirum quotidianum. Et quamvis contra canonum præſcripta non fuerit à tribus Epiſcopis conſecratus, invito etiam Metropolitâ, character tamen in ipſo Epiſcopalis agnoſcitur ad neophytos confirmandos. Denique in œcumenica Synodo VIII. actio. 4. adverſus quoſdam Epiſcopos olim ob Photinianam hæreſim depoſitos, aſſerentes ſe Romæ à Nicolao Pontifice in communionem reſtitutos, hæc reſpondet Marinus Romanæ Diaconus Eccleſiæ & in Synodo Legatus Apoſtolicus: *Quando iſti Romam advenerunt miniſtrabam ego in Eccleſia S. Mariæ Virginis, quæ dicitur Præſepis. Illic eos ſuſcepit ſanctiſſimus Papa Nicolaus, per ſatisfactionem libelli & juramenti, nec tamen contulit eis communionem in loco Epiſcoporum. Si verò contradixerint, oſtendant quod eos ſuſceperit in communionem ut Epiſcopos.* Sanctus Item Papa Gregorius magnus lib. 4. epiſt. 5. mandat ut Saturninus Sacerdos juſtè depoſitus, ſi dignè pœnituerit, *inter laicos accipiat communionem.*

## DISSERTATIO XVI.

### *Quiſnam fuerit habitus olim proprius Epiſcopus ad Ordinum ſuſceptionem.*

1. Compertum eſt Nicæni Concilij primi can. 16. & Arelatenſis primi can. 22. & Antiocheni can. 22. & Sardicenſis can. 15. & Carthaginenſis primi ſub Iulio Papa can. 5. aliiſque pleriſque, proprium cujuſque clerici Epiſcopum, ad quem pro ſuſcipiendâ ordinatione recurrendum erat, aut ſaltem pro dimiſſoriis ad hunc finem literis, illum ipſum fuiſſe à quo clericus erat conſtitutus, certæque cuidam Eccleſiæ addictus, cui miniſtraret; à quâ tranſilire ſacri præfati canones diſtrictè vetabant. Iſtam diffuſè atque eruditè pertractat quæſtionem Franciſcus Hallier profeſſor primùm Sorbonicus, deinde dignus Cabillicenſium Epiſcopus, tractatu de ſacris electionib. ſectio. 5. cap. 3.

2. Scio equidem habitam quoque fuiſſe originis rationem, ipſe namque præallegatus Carthaginenſis canon. 5. hoc etiam præſcribit, *Nec licere laicum uſurpare ſibi de plebe alienâ, ut eum ordinet ſine conſenſu Epiſcopi ejus, de cujus plebe eſt.* Quod idem & à Sardicenſi Concilio decretum fuiſſe ibi aſſerit Gratus Carthaginenſis Epiſcopus. Et Julius Papa, ſub cujus Pontificio duo iſta Concilia celebrata fuere, ſic decernit in ſua inſcriptâ ad Orientales pro Athanaſio epiſtolâ, *Nullus Epiſcopus alterius parochianum præſumat retinere, aut ordinare, aut judicare, abſque ejus voluntate; quia ſicut irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio.*

3. Cæterùm pro origine reputabatur ipſum domicilium, ut ſi quis in aliâ, quàm in quâ natus erat,

erat parœciâ inhabitaret, hoc ipſo ſubijceretur Epiſcopo loci, in quo domicilium fixerat, ut poſſet ab ipſo in clericum aſſumi, Eccleſiæque certæ aſcribi, neque poſſet deinceps ab altero ordinari abſque dimiſſoriis. Neque verò prædicti canones obſiſtunt. Cenſebatur enim quis de plebe & de parœciâ cujus erat incola. Id autem innumeris ſuadetur teſtimoniis. In primis Arauſicani primi Concilij can.8. qui tamen requirit etiam jure merito alterius Epiſcopi teſtimonium, in cujus olim parœcia aliquis diu habitaverat in clerum ordinandus. *Si quis* (ait) *alibi conſiſtentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipſo habitet. Nec enim ſine conſultatione ejus Epiſcopi cum quo habitavit ordinare præſumat, quia non ſine cauſa diu ab alio non ordinatus remanſit.*

4. In Carthaginenſis Concilij tertij can.44. & Africani can. 28. Epigonius Epiſcopus conqueritur quemdam à ſe Baptizatum, educatum, & demum ordinatum lectorem, fuiſſe ſibi à Juliano Epiſcopo ſubreptum, dicente civem eſſe ſuæ parœciæ, ideoque ab eodem ſine ullis Epigonij dimiſſoriis factum Diaconum. Judicat vero Concilium fuiſſe hoc à Juliano indebitè attentatum, rationem adducens: quia dudum fuerat is clericus ab Epigonio ordinatus, & Mapalienſis Eccleſiæ miniſterio adſcriptus, in quâ biennio lectoris officium exercuerat. Cæteræ rationes Epigonij ad majorem ingratitudinis expreſſionem ex abundantiâ proferuntur, quòd is clericus de quo agebatur fuerat ab Epigonio bapizatus, quòd educatus, quòd in gravi ſuſtentatus inopiâ, quòd denique idem Epigonius eumdem Juliano commodaſſet.

5. Paulinus epiſt. 45. quæ etiam inter Auguſtini epiſtolas inſerta legitur ordine 35. refert ſe Burdigalæ ab Epiſcopo Delphino baptizatum: deinde Barcinone ad ferventem Barcinonenſium civium poſtulationem clericum ordinatum ab Epiſcopo Lampio, ſacratumque fuiſſe: ſed tamen decreviſſe à nullo alio quàm ab Ambroſio Mediolanenſi Sacerdotium ſuſcipere. Ex quo duo eruuntur obſervatu digna; Primum quidem exiguam & ferrè nullam originis & baptiſmi rationem in ordinationibus habitam, quandoquidem Paulinus in provinciâ procul ab urbe nativitatis, baptiſmique ſui diſſitâ & remotâ, in clerum fuit, ſacrumque ordinẽ adſcriptus. Ad id enim ſufficiebat perſpecta viri virtus toto orbe notiſſimi, ad amovendum periculum ordinandi eum, qui fortaſſis inſigni aliquo vitio, aut apud ſuos populares infamiâ laboraret, aut ob alium defectum canone ab ordinibus arceretur. Cæteroqui enim remittendus ad originis vel diuturnioris domicilij Epiſcopum fuiſſet, cui perſpectiores eſſe poſſent hujus ad ordinem explorandæ qualitates. Obſervãdum ſecundò, ex eodem Paulini teſtimonio, potuiſſe aliquem jam in clerum aſſumptum, & ordine aliquo initiatum, recipere ab aliquo alio Antiſtite ſacerdotium abſque prioris Epiſcopi dimiſſorijs: ſi tamen non ſponte, ſed quaſi per vim & coactionem ordinem anteriorem ſuſceperat, cùm hac proteſtatione, nolle ſe addici certæ ac peculiaris Eccleſiæ intra illum Epiſcopatum obſequio. Id enim Paulinus à ſe factum perhibet, epiſt.6.ad Severum, ſic dicens. *Nam in Barcinonenſi Eccleſiâ conditione conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſia non alligarer, in Sacerdotium autem non in locum Eccleſiæ dedicatus.* Ubi autem iſtæ deerant conditiones, ab eo ſolo qui primùm Clero addixerat vel ordinarat ſuſcipiendum erat Sacerdotium, quantumvis alibi quis natus fuiſſet.

6. Præterea multa ſuppetunt alia hujuſce apud veteres ritus exempla, præter iſtud Paulini. Origenes enim ortu Ægyptius ab Alexandro Jeroſolymorum Epiſcopo fuit Presbyter conſecratus, ad ſolas Demetrij Præſulis Alexandrini literas, de vita & moribus teſtimoniales, ſine dimiſſoriis. Nec verò tanti meriti Præſul (qui Deo revelante fuerat ad Jeroſolymitanæ Eccleſiæ ſolium promotus, quique vitæ ſanctitate & librorum quos ſcripſit eruditione toti Eccleſiæ tanquam cœleſte ſydus illuxit, atque illibatam vitam glorioſo tandem martyrio concluſit,) rem indebitam attentaſſet, aut libro in Demetrium Alexandrinum edito defendiſſet, cujus refert elogium Hieronymus in catalogo ſcript. Eccleſ. in Alexandro.

7. Præfatus autem Paulinus & Severus Sulpicius, ſcriptores ambo vitæ ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi, narrant Martinum Sabariæ in Pannoniâ natum, clero in Cypri urbe Salamine fuiſſe, quamvis invitum & repugnantem, exorciſtam primùm ordinatum: deinde ad majores ordines evectum, & deinceps Hilario Pictavienſium Pontifici dum vixit addictum.

8. Epiphanius juxta Eleutheropolim Phœniciæ oppidum natus, clero, tametſi repugnans & invitus, in Cypri urbe Salamine initiatus fuit; mox Diaconus, deinde Sacerdos, poſtremò Epiſcopus ejuſdem urbis creatus: ut ejus vitæ ſcriptor Græcus teſtificatur.

9. Similiter Hieronymus, Stridone oppido in Dalmatia oriundus, ab Antiochiæ Epiſcopo Paulino Presbyter eſt ordinatus, ut ex ipſius epiſtolis 57. 58. & 61. compertum eſt. Hieronymi quoque frater Paulinianus æquè Stridonenſis ſacerdotio ab Epiphanio Salaminæ, quæ Conſtantia quoque dicitur, Epiſcopo fuit inauguratus, ut ex Hieronymi epiſtola 61. liquet.

10. Auguſtinus cui patria Tagaſte in Africâ ab Ambroſio Mediolani baptiſmum, à Valerio autem Hipponenſi Epiſcopo clericalem tonſuram, cunctoſque ordines, atque adeo Sacerdotium ſuſcepit, ut refert in ejus vita Poſſidius.

11. Pinianus nobilis & illuſtris Romanus, cùm Hipponem, Auguſtini viſendi gratiâ conceſſiſſet, urgente atque ad clericalem militiam expoſcente eum populo ſe jurejurando obſtrinxit, nulla alia in Eccleſia clericatu initiatum iri quàm in Hipponenſi, ut perhibet Auguſtinus, epiſt.225.

12. Evagrium etiam Ægyptium Gregorius Nazianzenus Conſtantinopoli Diaconum ordinavit, teſte Socrate lib. 5. cap.18.

13. Quin etiam Auguſtinus & Severus mutuò diſceptantes pro Timotheo clerico, epiſt. Auguſtini 240. & 241. nihil de ipſius patriâ diſputant, ſed ſolùm à quonam fuerit ordinatus, ut eum ſibi ſolus vindicare poſſit, qui clericum fecerat. Conqueritur ibidem Auguſtinus Timotheum, poſtquam pluries in Eccleſia ſuæ parœciæ de pulpito legerat, fuiſſe tamen à Severo, ſe inconſulto, Subdiaconum ordinatum: ſed eum ad ſuam Eccleſiam aſſeverat pertinere, à Severo indebitè uſurpatum, & ordinatum, quem rogat ne hunc aperiri ſinat aditum ad ordinem infringendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſed Timotheum ad ſe dimittat, ne iſte ulterius perjurio ſuo Deum offendat, poſtquàm Eccleſiæ, in quâ primùm ordinatus eſt, juravit ſe nullatenus ex ea diſceſſurum. Ex hoc Auguſtini

guſtini loco perſpicua ſit veteris Eccleſiæ conſuetudo, quâ is qui Clero aſcribebatur juramento ſpondebat ſtabilitatem in Eccleſiâ, cui per ordinationem primùm alligabatur: quâ tamen ſponſione ſe devincire Barcinonenſi Eccleſiæ Paulinus recuſavit, & ipſe Hieronymus Antiochenæ, quia in ſuâ ordinatione nullius ſe miniſterio addictum iri proteſtatus eſt, ut de ſe ipſemet ſcribit epiſt. 61.

14. Collapſa demum aut ſaltem labefactatâ Eccleſiæ diſciplinâ, ex quo laudabilis deſijt conſuetudo traditione Apoſtolicâ, ſacriſque veterum Conciliorum Sanctionibus ſtabilita, ut quilibet clericus in ordinatione ſuâ certæ & particularis Eccleſiæ obſequio deputetur, à quâ diſcedere poſthac non ſit ei liberum, ut ſtatuitur generalis Concilij Arelatenſis primi can. 22. & œcumeniarum Nicenæ primæ can. 15. & Chalcedonenſis can. 6. factâ Demum clericis pro libito ab unâ ad alteram Eccleſiam commigrandi licentiâ & poteſtate, tum primùm invaluit proprij Epiſcopi notio & acceptio diverſa. Tria namque diſtincta ſunt Epiſcoporum diſcrimina, ad quos unicuique liberum eſſet recurrere; ad quoſvis ordines ſuſcipiendos. Hi verò ſunt Epiſcopi vel originis, vel domicilij, vel beneficij: cujus diſtinctionis primus ex iis qui ſuperſunt meminit canon Bonifacij Papæ VIII. c. nullus de temp. ordin. in 6.

## DISSERTATIO XVII.

### *Quiſnam fuerit priſcorum Epiſcoporum Senatus ac Presbyterium.*

1. PRioribus Eccleſiæ ſæculis viguit Sacerdotum ac Diaconorum, quibus tum Cathedralis Eccleſiæ nobiliora miniſteria & officia, tum inferiorum parochiarum cura & Sacramentorum adminiſtratio incumbebat, collegium; quod quoties convocabatur ſolebat Presbyterij nomine deſignari. Hujus meminit Paulus dicens 1. Timoht. 4. *Cum impoſitione manuum presbyterij*, & Act. Apoſt. qui Antiochenæ Eccleſiæ miniſtrabant, & Spiritu ſancto commonente manus Paulo & Barnabæ impoſuerunt, & ad prædicandum gentibus miſerunt. Hi componebant Eccleſiæ Antiochenæ presbyterium: Quemadmodum etiam Jeroſolymitanæ ſeniores illi qui unà cum Apoſtolis decretum ſuum de immunitate à legalibus obſervationibus ad Eccleſias Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ tranſmiſerunt per communes ac Synodicas literas. Tertullianus Apologet. cap. 39. de conventibus Chriſtianorum ſic loquitur: *Præſident probati quique ſeniores.* A ſenioribus enim qui Græcè πρεσβύτεροι dicuntur, denominatur preſbyterium.

2. Inſuper apud Cyprianum extat epiſtola 3. Cleri Romani ad clerum Carthaginenſem, quo tempore per Fabiani Romani Pontificis recens martyrium ſuprema ſedes vacabat, Cyprianus verò per fugam cædem ſæviente perſecutione latebat: unde colligitur presbyterium nõ modo à conſilijs præſenti Epiſcopo fuiſſe, ſed ad ipſum quoque vacuâ Epiſcopali ſede præfecturam & ſollicitudinem Eccleſiarum pertinuiſſe: quemadmodum Capitulum viduatæ Cathedralis Eccleſiæ nunc quoque curam gerit; idque his verbis ibidem ſatis exprimit Romanus clerus. *Et cum incumbat nobis qui videmur præpoſiti eſſe vice paſtoris & cuſtodire gregem.* Iidemque alias ad Cyprianum Romana ex urbe literas miſerunt, quibus iſte reſcribit epiſtolam ſuam quartam. Cumque diuturnior eſſet Romanæ ſedis vacatio, Cyprianus iterum Romanum presbyterium interpellat epiſt. 23. & 29. cui à Romano clero reſpondetur epiſt. 30. & 31. Presbyterij pariter idem meminit Cyprianus epiſt. 35. 46. & 49. Qui Fabianum martyrem exceperat Cornelius Papa, in eadem epiſt. 46. ad Cyprianum de clero Romano in Concilium à ſe convocato ſic ait: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque qui & hodie præſentes fuerunt, ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur.* Syricius item Papa, epiſt. 2. *Facto igitur* (ait) *Presbyterio conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt legi Chriſtianæ, eſſe contraria. Vnde omnium noſtrùm tam Presbyterorum & Diaconorum, quàm totius etiam cleri una lata fuit ſententia.*

3. Quod hîc dicitur Presbyterium, Hieronymus ad Ruſticum Cleri Romani Senatum vocat; quia ſine hujuſmodi conſilio Romanus Epiſcopus nihil arduum aggredi ſolet. Senatus iſte componitur etiam nunc ex Epiſcopis Romanæ provinciæ ſuffraganeis, & Presbyteris atque Diaconis titulorum ſeu Baſilicarum Romanæ civitatis, qui jam vocantur Cardinales, quos etiam purpureo amictu decoravit Innocentius quartus, in Concilio Lugdunenſi generali anno 1250. Similiter Presbyteria ſeu ſenatus cæterorum paſſim Epiſcoporum non fuerant à primævo canonici choro addicti, qui olim cantorum nomine cenſebantur, ut neque nunc Romæ canonici præcipuarum Baſilicarum Lateranæ aut Vaticanæ, ſed honoratiores Eccleſiæ Cathedralis officiales Presbyteri, cum parochis urbis. De hujuſmodi Presbyteris ſic decernit Gregorius magnus lib. 11. epiſt. 49. ad Ioannem Epiſcopum Panormitanum. *Tabellarium unà cum conſenſu ſeniorum & cleri memineris ordinandum, qui annis ſingulis, ad amputandam fraudis ſuſpicionem, ſolemniter debeat rationes ſuas exponere.* Et ſubinde. *Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenit quod te juſtè poſſit offendere, facilè non credas, nec te ad vindictam res accendat incognita: ſed præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda, & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis.*

4. Seniores illi conferri poſſunt ad Epiſcopum, quemadmodum olim, teſte Hieronymo, judices illi ſeptuaginta ad Moyſem. Ait enim in comment. ad epiſt. ad Titum. *Epiſcopi meminerint in commune cum Presbyteris Eccleſiam regere, imitantes Moyſem, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit cum quibus populum judicaret.* Alexander Papa III. in c. novit, de his quæ fiunt à prælat. ſine conſ. capit. hoc ſtatuit. *Novit tuæ diſcretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus ſitis, ita quod tu caput & illi membra eſſe probantur. Vnde non decet te, omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti, cum id non ſit dubium & honeſtati tuæ, & Sanctorum patrum inſtitutionibus contraire.*

5. Temporum tamen ſucceſſu Senatus Epiſcopalis jam non parochis & Eccleſiarum rectoribus

conſtat, ſed Canonicorum cœtu, qui ſibi ex omnibus Eccleſiæ functionibus, non Sacrificia, non Sacramentorum, non Doctrinæ, non Catecheſi on, non verbi Dei miniſterium; ſed munus Sanctum quidem, ſed his longè inferius, Eccleſiaſticum cantum aſciverunt, qui cantus ſolis olim infimis Clericis reſervabatur; adeò ut Cantores à ſolo Presbytero, nullo Epiſcopi interventu, conſtituerentur: cùm tamen Ordines etiam minores nemo conferre poſſit præter Epiſcopum, ut liquet ex Concilij quarti Carthaginenſis canone 10. Concilium etiam Romanum præſidente magno Gregorio Papa, cujus ipſe meminit libro 4. epiſt.44. & refertur diſt.92. cap. in Sancta Romana. Vetat Presbyteris & Diaconis in Eccleſiâ cantare, eo quòd eſſent Sanctioribus & ſublimioribus Officijs addicti. Huc etiam ſpectat inferius videndus Laodicenæ Synodi canon 15.

## DISSERTATIO XVIII.

### *De Symbolo Athanaſiano.*

1. DUAS legimus, Græcas hujus Symboli editiones, unam quidem Latinæ (quam originalem & prototypam omnes agnoſcunt eruditi) planè conformem circa proceſſionem Spiritus ſancti à patre filioque: alteram quæ filij vocem inde, Græco errore, obliterat, aliaque paſſim interpolat. Ex antiquis qui hujus meminere ſymboli ſeu profeſſionis fidei, Hincmarus Rhemenſis (qui anno Christi 848. floruit) ita ſtatuit: *Sermonem Athanaſij de fide, cujus initium eſt. Quicunque vult ſalvus eſſe, memoriæ quiſque commendet & ſenſum illius intelligat.* Sed Hincmaro paulò antiquior Ahiton Epiſcopus Baſilæenſis tempore Ludovici Pij in ſuo Capitulari cap.4. ſic decernit: Quartò ut fides Sancti Athanaſij à Sacerdotibus diſcatur, & ex *corde die Dominico ad horam primam recitetur.* Quinetiam circumfertur priſcus Auguſtodunenſis canon, quem veriſimile eſt fuiſſe in Auguſtodunenſi Concilio editum, cujus epocham refert Sirmondus ad annum Chr. 670. ita ſanciens: *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel Clericus ſymbolum quod inſpirante ſancto Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & fidem ſancti Athanaſij Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Quod verò teſtimonium Auguſtino tribuitur, in Pſal.120. cui fidem adhibet Cardinalis Bellarminus, aſcititium & falsò ſuppoſitum ab alijs eruditis communiter cenſetur. Baronius illud teſtimonium leviter perſtringit, non tamen confirmare audet, quamvis id ſymbolum indubiè Athanaſio aſcribat. Locum verò illum Auguſtino attributum Lovanienſes ideò expunxerunt, quia non reperitur in ullis antiquis Manuſcriptis, ut obſervat quoque doctiſſimus & perſpicaciſſimus Jacobus Sirmondus Societatis Jesu.

2. Athanaſium porrò non eſſe illius profeſſionis fidei autorem multa ſuadent. Sanctus hic Doctor perpetuus & præcipuus fuit vocis conſubſtantialis aſſertor, quâ veluti teſſerâ diſcernebantur à Catholicis Ariani, nec illam omiſiſſet ſuo tempore uſque adeò neceſſariam in ſymbolo fidei à ſe edito. Præterea idem ſe prorſus alienum commonſtrat à condendâ novâ fidei formulâ, nec aliam Arianis, quàm Nicenæ Synodi (in qua conſubſtantialitas definitur) permittit; cùm tamen in omnes ſe formas verterent, multaſque in dies formulas fidei procuderent; ut Nicænam in odium conſubſtantialitatis abolerent, ut ipſe Athanaſius Arianis identidem exprobrat, & vitio vertit, præſertim in ſuis quatuor adverſus eoſdem ſermonibus, & in epiſtolâ ad Antiochenſes.

3. Hoc idem præterea convincitur, quia hujus profeſſionis verbis. *Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ.* Directè refelluntur duæ hæreſes, quæ nondum tempore Athanaſij innotuerant: ſcilicet hæreſis Neſtorij, & altera Eutychis, quæ in Chriſto divinitatem cum humanitate confundebat, emerſitque ſub Leonis magni Pontificatu, damnatáque fuit primùm à Flaviano Conſtantinopolis Epiſcopo, deinde à Leone Papa in œcumenicâ Synodo Chalcedonenſi. Palmare utique eſt iſtud argumentum. Quis verò credat tantam fuiſſe Romanæ Eccleſiæ offuſam caliginem, quæ in ſuo (quem in proprium uſum confecerat) Codice, quaſcumque agnoſceret fidei profeſſiones, ſollicitè compilaverat, & hanc Athanaſianam neglexerat, aut ignoraverat? Idémque de doctiſſimo & ſapientiſſimo Leone Magno quis ſibi perſuadeat? dum ſollicitè conquiſita veterum Patrum Eccleſiæ Doctorum ad refellendam Eutychianam hæreſim accuratè congerit teſtimonia, illud unum (quod præcipuum & evidentius, majoriſque præ reliquis debuiſſet eſſe autoritatis) Symbolum Athanaſij prætermiſiſſe, ſi tunc temporis Eccleſiæ innotuiſſet; præſertim cùm in ſuis admonitorijs ad œcumenicam Synodum libris, neque ipſe, neque œcumenica Synodus, alia Athanaſij loca, minùs evidentia, minoriſque quàm fidei Symbola autoritatis, adverſùs Hæreticum dogma, ſiluerit. Eo verò magis memoriæ inhærere, atque altiùs menti Summi Romæ Pontificis, ejuſque conſiliariorum infigi debuiſſet, ſi verum extitiſſet (quòd perhibet Annalium conditor) Athanaſium, quando Romæ ſuam adverſùs Euſebianos cauſam coram Pontifice Julio tuebatur, hunc fidei libellum Latinè ſcripſiſſe, & in præſentiâ Julij, ipſique aſſidentium Sacerdotum ſelectorium recitaſſe, ipſis omnibus profeſſionem hujuſmodi approbantibus. Quod idem de Celeſtino Romæ Præſule, necnon de Cyrillo, qui Athanaſij in Alexandrinâ Cathedrâ ſucceſſor Epiſcopus, & Celeſtini in Epheſinâ Synodo præſidens Legatus, in congerie Patrum, quorum teſtificationibus oppugnanda erat Neſtoriana hæreſis, hanc ſolam eamque primariam nullatenus omiſiſſent, ſi eam perſpectam habuiſſent. Enimverò unitatem perſonæ in Chriſto, ut fidei veritatem Symbolum iſtud profitetur, cùm tamen Neſtorius duas Perſonas divinam humanámque in Chriſto diſtinctas aſſeveraret. Geminum iſtud argumentum tanti eſt, ut in injuriam tantorum Pontificum & generalium Conciliorum, à quibus profligatæ ſunt hæreſes Neſtoriana & Eutychiana, redundet Symboli hujus tanquam Athanaſij aſſertio.



Digitized by Google

# DISSERTATIO XIX.

## *De veterum jejuniorum Eccleſiæ origine, & ritibus.*

1. OPeræpretium haud exiguum fuerit originis, & legum jejunij Eccleſiaſtici tractationem inſtituere, cujus priſca ſeveritas temporum inſequentium decurſu admodum remiſſa laxatáque eſt. Quod verò ad quadrageſimam, ſpectat; ejus origo altiùs quàm ad Teleſphorum Romanum Epiſcopum referenda eſt, qui ſub Antonino Pio Cæſare, Martyr occubuit. Enimverò multis ante hunc annis ſanctus Martyr Ignatius ſic ſcribit ad Philippenſes. *Quadrageſimale jejunium ne ſpernatis, continet enim exemplum converſationis Dominicæ.* Imò jam inde à primordijs Eccleſiæ Apoſtolos inſtituiſſe comperta res eſt, atteſtante Hieronymo epiſt. ad Marcellam. *Nos unam quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno tempore nobis congruo jejunamus.* Deinde ſubtexit de Montaniſtis hæreticis. *Illi tres in anno quadrageſimas faciunt, quaſi tres paſſi ſint Salvatores, non quod ut per totum annum, exceptâ Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quia aliud ſit neceſſitate munus offerre, aliud voluntate.* Ex quo liquet ſtatum quæſtionis olim inter orthodoxos & Montaniſtas in hoc extitiſſe, quod iſti præter Antepaſchalem quadrageſimam, ab Apoſtolis inſtitutam, binas alias quaſi ex divino præcepto ſingulis annis obſervarent; quia ſcilicet Montanus, quem Paracletum credebant, ita juſſerat.

2. Sanctus præterea Pontifex Leo ſerm. 42. qui eſt 6. de quadrageſimâ *Vt Apoſtolica* (inquit) *inſtitutio quadraginta dierum jejunijs impleatur.* Idémque ſerm. qui eſt ſecundus de jejunio Pentecoſtes, & ſerm. 92. qui eſt nonus de jejunio decimi menſis, quatuor temporum jejunia inſtitutioni Apoſtolicæ adſcribit. In profeſtis magnarum ſolemnitatum indixerat ſacra traditio jejunia ſimul cum vigilijs, ut fidem faciunt Clemens lib. 5. conſtitut. Apoſtol. cap. 19. Tertull. lib. 2. ad uxorem. Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 7. & plerique alij veteres. At poſterioribus ſæculis ob gravia offendicula, quæ occaſione nocturnorum in Oratorijs conventuum naſcebantur, ceſſatum demum fuit à vigilijs, & retenta ſunt ſola jejunia.

3. Jejuniorum diebus non à carnibus ſolùm, ſed à vino quoque oleoque abſtinendum erat. Id pleriſque veterum teſtimonijs comprobatur. Laodicenæ Synodi can. 50. decernit ſervandam totam quadrageſimam in Xerophagia Δεῖ πᾶσαν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας. Oportet totam quadrageſimam jejunare aridis veſcentes. Quid ſit xerophagia, ſeu aridorum victus exponit Tertul. lib. adversùs Pſychicos dicens. *Xerophagiam obſervamus ſiccantes cibum ab omni carne, ab omni jurulentia, & uvidioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis, vel edamus, vel potemus.* Carnis prohibitæ nomine piſces comprehendebantur, nomine quoque jurulentiæ oleum cæteráque condimenta, præter ſal: omne quippe mactabile, ut ait Trullana Synodus, arcebatur à jejunijs can. 56. νηστείαν ἐκτελεῖν δεῖ, καὶ ἀπέχεσθαι ὥσπερ θυτοῦ παντός, οὕτω δὴ καὶ ᾠοῦ καὶ τυροῦ. Jejuniũ perficere oportet, & abſtinere quemadmodum ab omni mactabili, ſic & ab ovo & caſeo. Quæ quidem obſervantia, ab antiquo deducta, in hanc uſque ætatem ad Schiſmaticas Orientis Eccleſias defluxit. Græcos enim totâ quadrageſimâ piſcibus minimè veſci teſtis eſt Balſamon, ad Apoſt. can. 69. imò etiam quartis & ſextis ferijs per totum decurrentem annum; adeò ut nec cum ægrotis ipſis diſpenſetur circa piſcium eſum, in ipſo mortis confinio, ut idem refert Balſamon. Et ſcribunt diverſi, qui utramq; Armeniam peragrarunt, Armenos, qui ferè omnes Eutychetis dogmata conſectantur, nec piſcibus jejuniorum diebus veſci, nec vinum bibere, nec oleum adhibere ad olera: Præterea S. Baſil. homil. 1. de jejunio. *Carnes* (ait) *non edis, vino abſtines, veſperam expectas ut cibum capias.* Theophilus pariter Alexandrinus Epiſcopus, in epiſt. Paſchali ad diverſas Eccleſias Ægypti, ita ſcribit: *Qui legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinum in jejunijs, & carnium uſum repudiant.* Idemque Theophilus, in interrogationibus & reſponſionibus canonicis, ſic edicit: *Decimo quæritur, an qui ex infirmitate contabuerit poſſit veſci oleo & vino tempore quadrageſimæ? & reſpondemus poſſe.* His aſtipulatur Cyrillus Jeroſol. catecheſi 4. illuminatorum, ſcribens: *Jejunamus & à vino carnibuſque nos abſtinemus; non ea quaſi piacula abhorrentes, ſed mercedem expectantes, ut dum ſenſibus grata reſpuimus, ſpirituali cœleſtique menſâ, fruamur.* His Sanctus accedit Hieronym. in hæc verba Dan. 4. *Panem deſiderabilem non comedi: hoc enim docemur exemplo tempore jejunij à cibis delicatioribus abſtinere, nec vinum bibere, nec carnem comedere.* Sunt & alia propemodum innumerabilia priſcorum patrum ad iſthæc confirmanda teſtimonia.

4. Quadrageſimale jejunium continuis duodecim ſæculis non niſi veſperi, ac tribus poſt horam nonam horis, ſolvi licitum fuit. Reliqua verò per annum jejunia non niſi poſt nonæ officium ſolvi conſuetum erat, id eſt poſt emenſas tres à meridie horas cum triente. Sanè legenti homil. 1. Baſilij de jejunio, ubi dicit *Veſperam expectas ut cibum ſumas,* perſpicuè conſtat ſermonem eſſe quadrageſimalem. Et Hieron. epiſt. 22. ad Euſtoch. hæc ait, *Jejunium totius anni æquale eſt, exceptâ quadrageſimâ, in quâ ſolâ conceditur diſtrictius vivere. A Paſcha autem in Pentecoſtẽ cœnæ mutantur in prandia.* Quibus verbis ſignificat in medio Paſchæ & Pentecoſtes interſtitio ceſſare omne jejunium. Hoc tamen intererat diſcrimen inter cœnobitas Ægypti (de quibus ibidem loquitur Hieron.) & reliquos de populo Chriſtianos, quia iſti à jejunio immunibus diebus duplicem adhibere ſolebant refectionem prandij & cœnæ quacunque luberet horâ; ſed Ægyptij tum Cœnobitæ tum Anachoretæ unico prandio reficiebantur, ſolutis vini diebus, nec niſi poſt nonam; quia ſi nonam cibo prævenisſent, minùs ipſis tolerabilis fuiſſet unica refectio in cœnam dilata, eoq; pertingunt hæc Hieronymi verba. *Cœnæ mutantur in prandia, quò & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato.* Et utique ſecundum communem loquendi uſum dies prandij apud veteres Sanctos Patres diebus jejuniorum quadrageſimalium opponi ſolent, ut paſſim loquitur Auguſtinus, epiſtol. ad Caſulanum, in qua loquitur de jejunijs extra quadrageſimam occurrentibus, quib. poſt nonam refectio promiſcuè fiebat. Quod idem hiſce Paulini verbis vitam Ambroſij contexentis confirmatur, *Ipſe autem venerabilis Epiſcopus erat multæ abſtinentiæ, & vigiliarum, & laborum quotidiano jejunio macerans corpus, cui*

*prandendi nunquam conſuetudo fuit niſi die Dominico & Sabbato.* Quinetiam ſic ait ipſemet Ambroſius ſermone 33. *Illud etiam, fratres, ad perfectionem jejunij tacendum non eſt, ut qui abſtinemus & minimè prandemus hoc tempore, prandia noſtra pauperibus erogemus.* Atque idem ſerm. 39. *Homines quorum animus ſemper in prandio eſt prandendi ſibi cauſas inquirunt, dum ſe à jejunijs excuſant.*

5. Porrò de jejunijs Sabbatorum, & quantùm Orientales Eccleſiæ hac in re ab Occidentalibus diſcrepabant, ſatis ſuperque diſſerui hoc in opere ad can. 50. Synodi Laodicenæ, ubi notas noſtras inferiùs conſule.

6. Ad poſtremum Sæculo XIII. invaluit conſuetudo, refrigeſcente devotione, ut quadrageſimali quoque jejunio ſtatim à nona corporibus cibus indulgeretur, ut ex S.Thoma colligitur 2. 2. quæſt. 147. tit. 7. noviſſimiſque demum ſæculis, nullo ſuffragante canone, ſuperaddita eſt ſub collationis nomine refectio veſpertina, quam etiam ad aliquam moderationem vix ulla repagula coërcere queunt, uſque adeò natura humana in deteriora proclivis eſt: ſimilis aquæ in caldaria olim fervidè bullienti, quæ niſi continuè fomenta ignis ſubjiciantur ſuum ſenſim reſumit priſtinum & naturale frigus; ſic animæ noſtræ, ſi non in malum proclivitati fervor charitatis & continuus labor obnitatur, in deteriora paulatim dilabuntur, quod altera ſimilitudine vetus Poëta egregiè exprimit.

*——Adverſo veluti qui flumine Lembum*
*Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remittat*
*Tunc illum in præceps prono rapit alveus amne.*

Certè perſpicuum eſt ſæculo duodecimo non niſi poſt veſpertinam horam licuiſſe jejunium quadrageſimale ſolvere, refectiunculis quas vocant, & comeſſationibus longè remotis. Ut enim vetuſtiora tempora, ipſamque Benedictinam regulam omittam ex uſu totius Eccleſiæ ſic ſtatuentem, cap. 41. *Ab initio quadrageſimæ uſque ad Paſcha ad veſperam reficiant.* Veſpertinum autem officium veteri ritu computabatur, & perſolvebatur tribus à nonâ horis, nonâque ipſâ tribus alijs à meridie horis: perſolutoque veſperarum officio diſcedebatur ex choro ad cœnam. Theodulfus Aurelianenſium Præſul in ſuo Capitulari cap. 39. ſubditum ſibi populum ſic admonet. *Solent plures, qui ſe jejunare in quadrageſimâ putant, mox ut ſignum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint quàm veſpertinum celebretur officium.* Canon iſte falsò ab Ivone & à Gratiano diſt. 1. de conſecr. cap. ſolent. Concilio Cabilonenſi aſcribitur, à Burcardo autem Sylverio Papæ. Sanctus denique Bernardus, quem conſtat ſæculo floruiſſe duodecimo, ſic prædicat ſerm. 5. de quadrageſimâ. *Hactenus uſque ad nonam jejunavimus ſoli: nunc uſque ad veſperum jejunabunt nobiſcum ſimul univerſi Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in unum dives & pauper.* Et Micrologus de rebus Eccleſiaſticis cap. 49. hoc dicit. *In hoc quadrageſimale jejunium à cæteris differt jejuniorum diebus, quòd in alijs poſt nonam, & in hoc poſt veſperam refici debemus.* Atque idipſum eſt quod Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium ait: *Jejunium totius anni æquale eſt exceptâ quadrageſimâ, in quâ ſolâ conceditur diſtrictius vivere.* Baſilius pariter loquens de quadrageſimali diſtrictione ſerm. 1. de jejunio *Veſperam* (inquit) *expectas ut cibum ſumas.*

ECCLESIÆ

Digitized by Google

# ECCLESIÆ TERTII SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. SAncta Dei Eccleſia, quæ ſub Marco-Aurelio fuerat atrociter divexata, pace tandem tranquillâ potiri cœpit ſub ejus filio & ſucceſſore Commodo; quem, tametſi ſceleſtiſſimum atque impuriſſimum Principem, Deus ſuſcitaſſe viſus eſt Chriſtianorum ultorem. Innumeros enim Senatores & Provinciarum Præfectos, qui patre vivente omni crudelitate adversùs Chriſtianos graſſati fuerant, ipſe exilijs, bonorum ſpoliatione, & ultimis ſuppliciis, quandiu regnavit, inſectatus eſt atrociſſimè. Commodo regnante Lucius ejus partis Britanniæ inſulæ Rex, quam nondum Romani ſubegerant, miſſis Legatis ad Eleutherium Romanum Epiſcopum, Chriſtianam religionem expetivit, & ſacros ab eo miniſtros impetravit, qui ſe ſuumque populum divinâ fide imbuerunt: ut referunt liber de Romanis Pontificibus in Eleutherio, & Beda de geſtis Anglorum lib. 1. cap. 4. Ado quoque in Chronico, atque hoc eodem vivens ſæculo Tertullianus, adverſus Judæos cap. 7. ita ſcribit *Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto ſunt ſubdita.* Sub Commodo Principe Theodotion, qui ex hæreticorum lacunis ad Judæorum cloacas tranſmigrarat, tertiam edidit Græcorum Græcam editionem, poſt illas quas ſeptuaginta interpretes primùm ſub Ptolomæo Philadelpho, Ægypti Rege, deinde Aquila Ponticus ſub Hadriano Imperatore concinnarant. Quartam verò poſtmodum ſub Septimio Severo Symmachus edidit.

2. Occiſo à ſuis Commodo datus eſt ſucceſſor Pertinax, cujus probitatem & optima inſtituta cum ferre non poſſent milites Prætoriani, luxui olim & rapinis ſub Commodo aſſueti, morte indignâ ab eiſdem perduellibus Prætorianis, intra octogeſimum octavum ab electione diem, ſublatus eſt. Tum Septimius Severus à Pannonicis legionibus, devictis duobus Imperij competitoribus Peſcennio Nigro, quem Syriæ legiones, deinde Clodio Albino, quem Britanniæ legiones elegerant, Imperium capeſſivit, natione Afer, ingenio vaferrimus, & moribus crudelis; poſtquàm duos potentiſſimos adverſarios diviſit, ſibique magnificis pollicitationibus Cæſareæ dignitatis & partis Imperij devinxit. Verùm poſt debellatum Peſcennium, arma in ſocium Albinum inopinatò convertit, calumnijs rebellionis & perfidiæ innocentem perfidus ipſe opprimens, cum eo acie ad Lugdunum congreditur, quâ in prælio Clodius Albinus pugnans interimitur, ipſaque urbs victoris irâ diripitur & incenditur. Rerum potitus Severus, Baſſianum natu priorem filium ſuum Antonini, gratiſſimo Romanis nomine, decoravit, poſterioremque Getam nominavit.

3. Anno deinde Imperij decimo, qui fuit à Chriſto ducenteſimus ſecundus, graviſſimam perſecutionis procellam Severus contra Chriſtianos movit, quæ cœlo martyres dedit: Alexandriæ quidem Leonidam Origenis parentem: Lugduni Irenæum: Romæ Victorem Pontificem: in Africâ Perpetuam, & Felicitatem nobiles fœminas. Severo mortuo filij duo paternum ſortiti ſunt regnum Baſſianus Antoninus, dictus pariter Caracalla, & frater Geta: Sed hunc brevi ſuâpte manu in palatio, atque inter matris brachia, Caracalla trucidavit. Sub hoc deferbuit, quam pater in Chriſtianos ſuſcitaverat, perſecutio, eamque in ipſos vertit perſecutores. Superbiſſimum enim Plautianum ſocerum ſuum, Chriſtianorum toto orbe diriſſimum carnificem, vivente adhuc patre, occîdit: quin etiam Severum patrem mori præ mœrere coëgit, poſtquàm diverſis modis ejus inſidiatus eſt vitæ; mortuoque patre in Senatores, & præſides provinciarum, cæteroſque magiſtratus, paternæ adverſus Eccleſiam hoſtilitatis adminiſtros, atrociter deſæviit.

4. Prima crudelitatis ejus, poſt cæſum fratrem, victima fuit Juriſconſultus Papinianus, Senatus Romani præcipuum decus, quem interpellavit ut fratricidium apud Senatum quaſi juſtum, & ad avertendas Getæ adverſus primogenitum fratrem inſidias neceſſarium, excuſaret. Sed vir probus & integer mori prælegit, quàm injuſtis calumniis, & occiſoris ſceleri patrocinari. Quapropter ad mortem à furente Caracalla damnato cervix gladio cæſa eſt. Poſt iſta Romæ perpetrata flagitia in Ægyptum abijt Alexandrinis infenſus, à quibus fuerat dicterijs

perſtrictus, eoſque ad ſpectaculorum apparatum allectos ingenti ſtrage exercitus quem ducebat, nihil tale ſuſpicantes, trucidavit; & fugientes eſt inſectatus, ut ampliſſima civitas civium cruore redundaret. Inde digreſſus Artabanum Parthorum Regem ficto prætextu nuptiarum cum ejus filiâ, fraudulenter invaſit, ejuſq; populatus eſt regnũ.

5. Interea dum pace fruebatur Eccleſia Romæ ſub Zephyrino, qui poſt Victoris martyrium ſedem Petri aſcenderat, nobilis & publica diſputatio de fide habita eſt, inter Caïum periciſſimum Theologum, & Proclum apud Montaniſtas Cataphrygas celeberrimum ducem. Victoria penes catholicam partem ſtetit, divulgatoque in omnes partes adeo felici ſucceſſu, ſecta ipſa pene extincta fuit, ſectariis certatim ad Eccleſiam redeuntibus; etiamſi pertinaciſſimus Tertullianus variis editis libris collabentem ac propemodum conclamatam hæreſim fulcire niteretur.

6. Eccleſiæ à Gentilibus pax cœpta ab exordio Imperij Caracallæ recenſeri poſſet annorum quatuor & viginti, aduſque regnum Maximini, niſi fuiſſet aliquando interrupta regnante Alexandro Mammeæ filio; qui licet bene affectus erga Chriſtianos eſſet, ipſumque Chriſtum unà cum falſis numinibus in ſuo privato larario coleret; quia tamen Ulpiano Juriſconſulto Chriſtianis infenſo, quem Præfecti prætorio dignitate decoraverat, cuique curam Imperij commiſerat, in omnibus obſequebatur, aliosque inſignes Iuriſconſultos imperialium legum & Senatus-Conſultorum adversùs Chriſtianam religionem editorum ſtudioſos, Papiniani illuſtriſſimi olim diſcipulos, Fabium Sabinum, Iulium Paulum, Pomponium, Modeſtinum, Calliſtratum, Celſum, alioſque peritiâ juris inſignes, præcipuis muneribus & provinciarum præfecturis honorabat: inde factum eſt, ut ſub optimo Principe Chriſtiani graves ubique clades à magiſtratibus, quibus erant inviſi, perpeſſi fuerint. Inſignes ſub Alexandro martyres Eccleſiam illuſtrarunt in primis duo Romanæ Eccleſiæ Pontifices, Calliſtus, pro Chriſti fide in puteum demerſus, & Urbanus Papa, Cæcilia inſuper Virgo cum ſponſo Valeriano, & hujus fratre Tiburtio; item Calepodius Presbyter, Martina Virgo Romana, Aurea Virgo apud Oſtia Tiberina, Hippolytus Portuenſis Epiſcopus, Iulius & Heſychius Chriſtiani milites.

7. Eodem regnante Alexandro gravis eſt orta contentio inter Demetrium Alexandriæ Epiſcopum, & Theoctiſtum Cæſareæ Paleſtinæ, & Alexandrum Ieroſolymorum Epiſcopos. Cùm enim celeberrimus ille Origenes adhuc adoleſcens, nec dum ſatis maturo judicio, in errorem inductus ex malè intellecta Evangelij propoſitione. *Sunt eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum*, auſus fuiſſet ſe ipſum virilibus mutilare, poſtque aliquot annos Alexandriâ profectus, ſecum deferens ab Alexandrino Epiſcopo commendatitias communionis literas, Cæſaream Palæſtinæ appuliſſet, Theoctiſtus Cæſareæ, & Alexander Ieroſolymæ Epiſcopi ſuarum impoſitione manuum illum Diaconatu, Sacerdotio que ex mutuo conſenſu ordinarunt. Quæ ut reſcivit Demetrius Alexandrinus, literas querelarum plenas ad quoſcunque potuit Antiſtites tranſmiſit, admonens de harum ordinationum Sacris canonibus adverſantium nullitate. Primùm quia illa Origenis mutilatio ſpontanea legum Eccleſiaſticarum erat evidens tranſgreſſio, irregularitatem pariens, atque ad Eccleſiaſticos ordines inhabilitatem. Deinde quia ſine ſui conſenſione (cum proprius eſſet Origenis Epiſcopus, ipſum (quod Sacri vetabant canones) ordinare attentaſſent. At illi ſe in hoc facto ab omni culpâ immunes aſſeverabant; eò quòd non ſe ferro, ſed medicaminibus quibuſdam caſtraſſet Origenes, prætereaque nihil ipſi peregiſſent, niſi poſt inſpectas Demetrij commendatitias literas, quas ſufficere nec aliud præterea requiri contendebant. Simultas iſta Demetrij cum Origene majoribus deinde acceſſionibus eſt aucta, deprehenſis inter ejus editos libros permultis erroribus, à quibus ſe tamen Origenes purgare nitebatur, culpam omnem in ſuos malevolos refundens, quos conquerebatur ſe inſcio errores illos ſuis libris inſperſiſſe. Cæterùm neque iſtas ſuppoſitiones ab aliis factas fuiſſe convincebat, neque primaria ulla exemplaria ab his immunia proferebat, neque objectos ſibi errores ſigillatim contrariis damnabat, ideóque Demetrius illum, quaſi hæreſis convictum, fidelium communione ſummovit.

8. Sub Alexandri quoque regno alterum graviſſimum exortum eſt diſſidium, quod ſuccedentibus temporibus Eccleſiam fere univerſam diſtinuit. Tertullianus Afer, ante ſuam ab Eccleſiâ Catholicâ defectionem, librum Græco ſermone procuderat, quo demonſtrare intendebat, nullam eſſe baptiſmi vim ac efficaciam à quocumque hæretico collati. Is liber prorſus intercidit, cujus tamen idem meminit lib. de Baptiſmo cap. 14. quo ſuam illam pariter aſſeverat opinionem. Hæc verò ita Africanorum mentes pervaſit, ut Agrippinus Eccleſiæ Cartaginenſis Præſul, totiuſque Africæ primas coacto

Digitized by Google

cto Africæ, Numidiæque Concilio Epiſcoporum, omniumque rogatâ ſententiâ, canonem ediderit de iterando hæreticorum Baptiſmo, ut refert Cyprianus epiſt. 71. ad Quintum. Sed & ipſe Cyprianus Agrippini ſucceſſor hoc ipſum dogma, tribus alijs Carthagine convocatis Concilijs, firmavit. Interea Stephanus Romanus Epiſcopus geminum Cypriani Concilium reprobavit, prohibuitq; ne quis auſit ab oppoſitâ huic decreto Apoſtolicâ traditione diſcedere. Cyprianus, eâ contradictione indignatus, tertium octoginta ſeptem ex Numidiâ, Africâ & Mauritaniâ Epiſcoporum colligit, quo præcedentium decretum firmatur & inſtauratur. Iiſdem temporibus Firmilianus Cæſareæ Cappadocum Metropolites, cujus extat eâ de re, inter Cyprianicas ad ipſum Cyprianum, epiſtola 61. commotionis plena, Synodum alteram Iconij in Phrygiâ multorum Epiſcoporum habuit, quæ omnem pariter hæreticorum baptiſmum reprobavit. Idemque decrevit Dionyſius Alexandriæ Antiſtes, ut fidem facit Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 6.

9. Interfector Alexandri Maximinus invaſit Imperium, ſimulque in Chriſtianos immanem perſecutionem exorſus eſt, duoſque occidit Romanos Pontifices, Pontianum, & Anterum, cui datus ſucceſſor Fabianus. Breve tamen fuit tyranni hujus imperium, utpote violentum, morte optimi Principis uſurpatum, & ultra omnem modum cruentum & intolerabile. Cùm enim Aquileiam Carnorum Metropolim, & Italiæ validiſſimum ex parte Aquilonis propugnaculum obſidione premeret, furoreque percitus ob civium conſtantem reſiſtentiam in proprios ipſe milites crudeliter ſæviret, iſti laboribus ſupra quàm ferre poterant aſſiduè fatigati, tyrannique violentiam pertæſi, ipſum cum cognomine filio, quem ſocium fecerat imperij, trucidarunt.

10. Accepto nuncio de interfectione Alexandri amantiſſimi Principis, deque invaſo per interfectorem Imperio, Gordiani pater & filius, promoventibus Africæ legionibus, purpuram cæteraque Imperij inſignia Carthagine ſumpſerunt. Verumtamen ambo, poſt exactum annum, purpurâ ſimul & vitâ ſpoliati ſunt à Maximini duce Capelliano. At Romanus Senatus ut Maximinum truculentiſſimum tyrannum amoliretur, Clodium Balbinum, & Maximum Pupienum unà cum puero Gordiano, cui populus impensè favebat, promovit in Imperium, miſitque in omnes Provincias Legatos, qui eas in Senatus poteſtate firmarent. At Balbinus & Pupienus cùm per mutuam æmulationem haud ſatis inter ſe convenirent, niſi in hoc uno, ut Gordianum amoverent, militum ſimul populique odium in ſe concitarunt, à quibus occiſi ſunt. Gordianus itaque optimæ indolis adoleſcens ſolus imperare cœpit, ductaque in uxorem viri ſapientiſſimi Miſithei filiâ, conſilijs Soceri regebatur: cujus ductu & hortatu Perſas adortus, eos ultra Tigrin repulit. Verumtamen res proſperè decurrentes evertit Philippi Arabis ambitio, à quo primum occiſus eſt Miſitheus, deinde Gordianus, concitatis in ipſum auro pollicitationibuſque corruptis militibus. Cujus in locum parricida ipſe ſucceſſit, ſociato in regnum cognomine Filio. Cum Perſis ab invaſore pax fœdiſſima inita eſt, quibus reſtitutæ ſunt Carræ, Niſibis, aliáqua limitanea oppida, & arces quas Gordianus cum Miſitheo paulò ante expugnaverant. Sub Philipporum regno milleſimus ab Urbe conditâ occurrit annus, quo ſæculares ludi magnificè ſunt celebrati. In horum aliquo ſpectaculo obſervatum eſt Philippum patrem in cachinnos effuſiorem tacitè à filio per faciei averſionem fuiſſe admonitum, & tacitè increpatum, quâ occaſione filio inditum cognomen eſt Agelaſti.

11. Scribit Euſebius lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 27. Philippum Chriſtianum fuiſſe, atque ob patrata flagitia inter pœnitentes redactum, & à Romano Epiſcopo (is erat Fabianus) ingreſſu Eccleſiæ prohibitum, morem geſſiſſe. Sexto Demum poteſtatis anno ambo Philippi, pater Veronæ, filius Romæ, à militibus necati ſunt Decium promoventibus.

12. Decius ex Pannoniâ ortus filium ejuſdem ſecum nominis aſcivit in Imperium, idque ſtatim auſpicatus eſt perſecutione Eccleſiæ indictâ, cujus initio Fabianus Papa Martyrium ſubijt, tantáque animadverſione protinus in Chriſtianos ſævitum eſt, ut Romana ſedes annum ampliùs vacaverit. Dionyſius, Alexandrinæ tunc temporis Eccleſiæ Præſul, admiranda commemorat de martyribus Alexandriæ, totiuſque Ægypti, quos Deciana perſecutio in cœlum tranſmiſit in epiſt. prælongâ, quam refert Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. c. 33. & 34. Celebratur etiam Babylæ Antiocheni Epiſcopi nobile martyrium. Sanctæ præterea virginis Reparatæ Cæſareæ in Palæſtinâ; & Cathanæ in Sicilia virginis nobilis triumphus Agathæ: Smyrnæque in Aſiâ Pionij Presbyteri, qui in cruce clavis confixus, ſubjecto igne, glorioſus in cœlum evolavit. In Galliâ ut enarrat Gregorius Turonenſis lib. 1. hiſt. cap. 30. imperante Decio, eodemque & Grato conſulibus, Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis

Pariſienſis cum ſociis Ruſtico & Eleutherio mortem pro Chriſto ſubijt.

13. Divina tandem ultio crudelem Eccleſiæ hoſtem ſecundo illius Imperij anno ſuſtulit. Conſerto enim cum Gothis prælio, amiſſoque filio Imperij conſorte, qui fortiter in acie pugnans occubuit, Decius pater inclinantem aciem ſuorum redintegrare conatus in voraginem incidit, quâ hauſtus cum equo nunquam deinceps eſt viſus. Victus profligatuſque à barbaris Romanus exercitus Gallum Hoſtilium creavit Imperatorem, qui Voluſianum filium in conſortium aſſumpſit Imperij.

14. Primum quod in Eccleſia Dei Schiſma legitur contigiſſe ſuſcitavit adversùs Cyprianum Carthaginis Epiſcopum, & Africanarum Eccleſiarum Primatem, Sacerdos Feliciſſimus, colligatis aliis ſibi Sacerdotibus quinque. Infelix ille primùm electioni Cypriani omnibus viribus fruſtra obſtiterat, ut ex Cypriani epiſt. 40. liquet. Electus tandem Cyprianus cum ex officio ſtudioque Sacræ Diſciplinæ lapſis in perſecutione communionem differret, donec congruam pœnitentiam ſecundum canones complesſent, nec ſibi oblatos à confeſſoribus intempeſtivè libellos pro lapſis reciperet, vir ſacrilegus invidiâ & ambitione tumens, tum lapſos tum confeſſores à Cypriano divellere ſtuduit. Eò demum progreſſus eſt, ut quoſcunque ſuis partibus addixerat, Eccleſiam ſeorſim & altare Sacrilegum erigens, in montibus colligeret. Fœdus iſtud impium Cyprianus ut diſſolveret, duos Epiſcopos Caldonium & Herculanum, duoſque cum his Sacerdotes Rogatianum & Numidicum Vicarios ſuos ad hanc rem conſtituit, mandans inter alia ut pauperum curam gererent, eorumque debita expungerent, ut his beneficiis devincti Schiſmate abjurato, in Eccleſiæ communionem reducerentur. Sed iſtud fraternæ charitatis officium, adlectis ſibi creditoribus, & adhibitis gentilibus magiſtratibus, alijſque artibus Feliciſſimus impedivit. Tum demum Cyprianus Feliciſſimum & quoſdam alios ejus aſſeclas præſente anathemate nominatim perculit, cæteriſque horum partiarijs ſimilem comminatus eſt pœnam, niſi ab illis diſcederent. Diſceſſio iſta Feliciſſimi veluti germen aliquod fuit, ex quo Novatianorum pariter & Donatiſtarum Schiſmata pullularunt. Novatus quippe pſeudoepiſcopus Feliciſſimum Diaconatu initiaverat, atque ita ſcelere ambo conjuncti erant, ut Feliciſſimum Cyprianus ep.49. Novati Satellitem vocet. Eóque res proceſſit, ut Fortunatus adversùs Cyprianum fuerit à Schiſmaticis ſublectus Carthaginis Epiſcopus, iſtéque cum deſertorum collegio Feliciſſimum Romam ſine mora delegaverit, ut Schiſmatis cauſam apud ſupremam ſedem tueretur, & calumnias adverſus Cyprianum contexeret. Verumtamen Cornelius Papa Schiſmaticos ne quidem auditione dignatus eſt, remiſitque ut erant excommunicatos. Hæc Cyprian. Epiſt. 55. Sæculo exinde inſequenti ſimile ſuſcitavit Schiſma Donatus adverſus Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum, ſuoſque ſequaces ad imitationem Feliciſſimi in montes ſeorſum ad Sacrilegos conventus adducebat, eáque de cauſâ Montenſium nomen Donatiſtis adhæſit. Porrò feliciſſimi ac Fortunati pſeudoepiſcopi factio ad Cornelium potiùs quàm ad Novatianum pſeudopontificem Romanorum recurrere præelegit, quia contrarium prorſus erat utriuſque Schiſmatis inſtitutum. Novatiani enim lapſos nequidem poſt expletam pœnitentiam recipiendos contendebant; Feliciſſimi autem factio lapſos quoſcúnque præproperè in Eccleſiam admitti volebat, haud expletâ, imò necdum inchoatâ pœnitentiâ.

15. Poſt Fabiani Martyrium & pluſquam anni interregnum ſubrogatus eſt Cornelius Papa, contra quem Novatianus primum in Eccleſia Romana Schiſma fabricavit, à pauciſſimis ſectarijs electus, cui ſe Novatus Africanus Epiſcopus adjunxit. Inter eos qui Novatiani Schiſma ſtrenuè oppugnaverunt eminet S. Cyprianus Carthaginenſis, & S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, cujus epiſtolas ad ipſum Novatianum & ad Fabium Antiochenum Epiſcopum vacillantem, quem Novatianus ipſe in ſuas penè partes pellexerat, aliáſque ad alios Schiſmatis Novatiani ſimul & hæreſis impugnatorum literas refert ad longum Euſebius. Erat Romanæ Presbyter Eccleſiæ Novatianus, ſed contra canonum inſtituta ordinatus, quibus adulti qui in lecto per morbum decumbentes Baptizati fuerant (ut in Novatiano contigerat) ab ordinibus Eccleſiaſticis arcebantur. Fuerat præterea energumenus, & per exorciſtas poteſtati dæmonis ereptus, quales ab Eccleſiæ ordinibus pariter excludebantur. Tantâ verò efferebatur ambitione, ut malis & fraudulentis artibus primam univerſæ Eccleſiæ ſedem adverſus legitimè promotum Cornelium ambiverit; novas hæreſes excitaverit; ſe ſuoſque Catharos, id eſt, puros vocitarit, & quoſcunque in Eccleſijs Orthodoxis Baptizatos ad ſe deficientes rebaptizari voluerit, omnem alium præterquam ſuæ ſectæ Baptiſmum ut Sacrilegum, impurum, & inanem reprobans atque abjiciens.

16. Gallus

16. Gallus & Voluſianus exacto Imperij biennio à propriis militibus interempti ſunt, poſtquàm ambo à præceſſore Decio excitatam perſecutionem proſequuti Cornelio Papæ ob Chriſti fidem necem intulere. Cornelio ſuffectus Lucius ſub Valeriano ejuſque filio Galieno martyr occubuit. Lucio datus ſucceſſor Stephanus, quem deinde, & qui Stephano ſucceſſit Sixtum Romæ Epiſcopum, eorumdem Valeriani & Galieni perſecutio abſtulit.

17. Sedente Romæ Stephano Agrippini quondam Carthaginis Epiſcopi, & Concilij ſub ipſo habiti decretum majoribus ſumptis viribus inſtauratum eſt. Sub annum quippe Chriſti 246. Carthagine à Cypriano convocato altero Concilio Baptiſmus Hæreticorum irritus eſt declaratus, ideóque in Eccleſia iterandus. Quod idem alijs celebratis alibi Concilijs ſancivere Cæſareæ in Cappadocia Firmilianus, & apud Alexandriam Ægypti Dionyſius primariæ eruditionis & ſanctitatis Epiſcopi, famáque rerum præclarè in Eccleſia geſtarum celeberrimi. His ſe Romæ Stephanus Pontifex conſtanter oppoſuit, vetuitque traditionem hactenus in Eccleſia receptam immutari: cujus tamen prohibitioni adhuc reſtitiſſe conſtat prænominatos Antiſtites. Furente Valeriani perſecutione ſublatus fuit primùm Stephanus, Cyprianus verò in exilium pulſus anno Chr. 257. & poſt annum exilij decollatus. Sixtus Papa, ejuſdem nominis primus, morte damnatus anno Chr. 259. Quatriduo pòſt Laurentius Diaconus illuſtre martyrium ſubiit, moxque Hippolytus.

18. Sed Valerianus, qui etiam priuſquam iniret Imperium conſtitutus cenſor ab Imperatore Decio atrocem in Chriſtianos carnificinam exercuerat, pœnas demum crudelitati ſuæ debitas exolvit. Enimvero Saporis Perſarum Regis dolo interceptus, & feræ inſtar in caveâ circumductus, ejus ad humum incurvati cervicem pedibus Sapores conculcabat, quoties equum aſcenſurus erat. Ad poſtremum cum Galienus filius patrem ex tam injurioſâ captivitate redimere negligeret, Saporis juſſu Valerianus excoriatus fuit, & inſtar porci ſale conditus miſerrimè interijt. Ipſe verò Galienus paterno edoctus exemplo mitiorem ſe Chriſtianis exhibuit.

19. Cypriani omnibus perſpectiſſima virtus, & ſapientia uſque adeò celebrem ipſi famam pepererant, ut Gallicanæ etiam & Hiſpanicæ Eccleſiæ ipſius in graviſſimis negotijs conſilium & autoritatem expeterent. Marcianus Arelatenſium Præſul Novatianorum non modò fovebat cauſam, ſed & omni ſtudio & conatu promovebat in Galliâ. Fauſtinus Lugdunenſium Antiſtes admonuit (ut par erat) hujus in Eccleſiâ Gallicanâ ſtragis Stephanum Romanum Epiſcopum: & prætereà literas ad Cyprianum ſemel & iterum direxit, ut quâ pollebat autoritate & exiſtimatione, rem iſtam apud Stephanum ſcriptis promoveret. His incitatus ille, literas quæ extant ad Stephanum ſcripſit hortatorias, ut graſſantem in ovili dominico lupum expellat, literaſque admonitorias ad Epiſcopos Galliæ dirigat, ut ab ſchiſmatico & hæretico caveant, eumque averſentur: aliàs quoque ad plebem Arelate conſiſtentem, quibus abſtento abdicatóque Marciano alius in ejus locum eligatur Epiſcopus.

20. In Hiſpanijs Baſilides Legionenſis & Martialis Aſturicenſis Epiſcopi proditæ religionis ſub perſecutione, aliorúmque flagitiorum convicti rei, & idcircò Epiſcopatu moti, cum vellent Epiſcopatus recuperare quibus exciderant, ſibique canonicâ electione ſubrogatos Sabinum atque Felicem diſpellere, turbas in Hiſpanijs graves excitarunt. Ex his Baſilides, qui crimen confeſſus & pœnitentiâ ductus ſe ab Epiſcopatu ſponte abdicarat, atque in pœnitentium claſſem demiſerat, mox in deteriora verſus, & livore adverſus ſubrogatum contabeſcens Sabinum, Romam profectus dolis & mendacijs Stephanum aggreditur, qui nimium credulus, & occultatæ ſibi veritatis ignarus, nec auditâ parte ſe paſſus eſt exorari. De Martiali verò utrùm Apoſtolicam ſedem adierit incompertum eſt. At Hiſpaniæ Antiſtites à quibus fuerant ambo depoſiti, & alij eorum loco ſublecti, volentes pro ſuo officio perfidos amoliri, & cauſam iſtam apud Stephanum proſequi, ſuffragium Cypriani, quo præmunirentur, exquiſierunt, ipſoſque ſubrogatos Epiſcopos Sabinum & Felicem Carthaginem dimiſerunt, Romam inde profecturos. Ab his ſollicitatus Cyprianus Concilium inijt Epiſcoporum, in quo lectæ ſunt Præſulum Hiſpanorum literæ, auditique horum Legati, atque prolata probationum acta, omnibuſque ritè perſpectis reprobata eſt Baſilidis & Martialis poſtulatio, approbatáque Sabini & Felicis cauſa. Tunc Cyprianus collegarum omnium nomine ſcripſit epiſtolam 68. ad Clerum, & plebes in Hiſpaniâ conſiſtentes, in qua hæc habetur expreſſio. *Nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propriâ confeſſione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam noſtrum longè poſitum, & rei, geſtæ ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi ſe injuſtè in Epiſcopatum, de quo fuerat juſtè depoſitus. Hoc eò pertinet, ut Baſilidis non tam abolita*



Digitized by Google

*ſint, quàm cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille cui negligenter obreptum eſt, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit.* Quonam verò exitu terminata ſit iſta diſceptatio incertum eſt.

21. Sub Imperio Valeriani Sabellius acceptam à Magiſtro Noëto hæreſim latiùs propagavit, quæ Trinitatem perſonarúmque diſtinctionem rejiciebat, unamque in Deo perſonam quemadmodum & eſſentiam aſſerebat: tria verò nomina nihil aliud quàm diverſos erga creaturas reſpectus ac effectus connotare. Huic ſe peſti fortiter oppoſuit Dionyſius Alexandrinus: ſed iſtud officium quod laudi eſſe debuerat, calumniæ adversùs ipſum occaſio fuit. Ex hoc enim quòd divinarum perſonarum diſcrimina fortiter propugnabat, nonnulli ejus Diœceſi ſubditi Pentapolitani illum hæreſis apud cognominem Romanum Pontificem Dionyſium poſtularunt, perinde ac naturæ ſubſtantiæque diverſitatem inter perſonas æternas docentem & prædicantem, eaſque conſubſtantiales ejuſdémque eſſe naturæ inficiantem, quæ fuit Arij hæreſis ſæculo ſequenti. Iuſſionem à ſupremâ ſede Dionyſius Alexandrinus accepit, ut ſuam hâc in re mentem dilucidè ſcripto explicaret, quod ubi cumulatè perfecit, rejecta eſt adverſariorum accuſatio, ipſeque à lite dimiſſus. Idémque ſtylum acuit ad refellendum Millenariorum, ſeu Chiliaſtarum errorem, occaſione librorum Nepotis Ægyptij Epiſcopi, paſſim per omnem Ægyptum ſe effundentem. Deniq; ſcribendi finem fecit in refutandâ Pauli Samoſateni Epiſcopi Antiocheni hæreſi, Chriſto Divinitatem abrogante, quo labore perfunctus, regnante Galieno ad præmia cœleſtia evolavit.

22. Paulus iſte divinitatem Chriſti auſus eſt impugnare, contra cujus hæreſim duæ Synodi Antiochiæ diverſis temporibus convenerunt. Harum primæ interfuere Firmilianus Cæſareæ Cappadocum, & Gregorius dictus Thaumaturgus Neocæſareæ in Ponto, ejuſque frater Athenodorus pariter in Ponto Epiſcopi. Sed ſubdolâ ſimulatione vafer hæreſiarcha patres eluſit, qualemque iſti optabant fidei profeſſionem, ſed fictam ementitámque edidit. Sed ab horum diſceſſu depoſitâ larvâ perniciosum dogma apertè inſtauravit. Poſt felicem Gregorij Neocæſarienſis obitum, eadem recrudeſcens peſtis poſteriori Concilio Antiocheno cauſam dedit, quo Paulus damnatus & Epiſcopatu dejectus eſt. Quia verò pervicax hæreticus ſedem priſtinam quà vi, quà dolo retinere contendebat, ab Epiſcopis interpellatus, qui tunc regnabat, Aurelianus Auguſtus edixit adjudicandam Antiochenam ei, cui Italiæ Epiſcopi & Romanus Epiſcopus tribuendam eſſe decernerent: quo factum eſt, ut Dionyſij Papæ, cæterorúmque Italiæ Præſulum decreto Paulus coactus fuerit ſede excedere, anno Chriſti 270.

23. Nunquam terrarum orbis univerſus tot calamitatibus eſt involutus, quot paſſus Imperante Galieno. Exitioſiſſima peſtis, qualis nulla unquam extiterat jam inde ab Imperio Galli & Voluſiani aduſque Aureliani regnum, per univerſas Orientis & Occidentis Provincias hominum ſtragem incredibilem fecit. Terræmotus, & portentoſi terrarum hiatus innumeras urbes vel everterunt, vel abſorbuerunt. Atrociſſimis perſecutionibus, exceptis ultimis Galieni annis, in Chriſtianos ubique ſævitum eſt. Innumeræ diverſis ex partibus barbarorum gentes ferro, flammiſque, atque omni immanitate univerſas Provincias undique infeſtarunt. His adjunge triginta tyrannos, qui regnante Galieno ex ipſis Imperij Romani viſceribus prodierunt, & ſinguli aſſumptâ purpurâ Provincias teterrimis bellis, immanibus tributis, & direptionibus oppreſſerunt, Imperiúmque dilacerarunt.

24. Claudius dux exercitus in Daciâ, pertæſus Galieni ſocordiam, invadit Imperium, ejuſque dolo Galienus apud Mediolanum occiditur. Chriſtianorum carnificinam à Galieno intermiſſam reſuſcitavit ſimul ac Romam ingreſſus eſt, exorſus à nobiliſſima Virgine Cyrilla, quam jugulari fecit. Prætorianos etiam milites, quotquot Romæ Chriſtiani comperiri potuerunt, cum eorum uxoribus & liberis trucidari juſſit. Illuſtres de barbaris, Imperij Provincias incurſantibus, victorias reportavit. Ipſeque demum peſte contactus, orbem indeſinenter devaſtante, occubuit. Tuncque Aurelianum exercitus Imperatorem proclamarunt, à quo prorogata eſt in Chriſtianos indeſinens, atque in dies ſæviens perſecutio. Sub hoc martyrium paſſi Felix Papa Dionyſij ſucceſſor, Symphorianus, Reſtituta virgo, Syneſius lector, Athenodorus Gregorij Thaumaturgi germanus, Mamas apud Cæſaream Cappadocum ſcriptis Baſilij celebratus. Ipſe demum Aurelianus, qui tam multos innocentes necaverat, necatus eſt Mneſtei inſidijs, anteverteutis mortem quam ipſimet fuerat interminatus Aurelianus. Romanam civitatem ſic Aurelianus ampliavit, ut murorum ambitus (ſi Vopiſco habenda ſit fides) ad quingaginta milliaria perductus ſit. Aureliano ſucceſſor datus eſt Tacitus, qui ad Tacitum præſtantem

rem hiſtoricum ſuam referebat progeniem; Quo febri conſumpto, Probus Imperium ſumpſit. Iſte paucis annis res maximas bello geſſit; Germanos univerſa ex Galliâ, quam occupaverant, exegit; Sarmatas ex Illyrico, Gotthos ex Thraciâ debellatos repulit: Blemmios ſubegit, tyrannos profligavit; Parthos & Perſas ad pacem ſecum componendam adegit. Eccleſia Chriſti ſub hoc Principe, non minùs re quàm nomine probo, continuam pacem habuit.

25. Anno Chriſti 270. Probo imperium tenente Manes, qui & Manichæus, novæ hæreſis virus effudit, latéque in animarum perniciem propagavit. Duo rerum principia, eaque ab æterno exiſtentia docuit. Vnum horum bonum totius naturæ ſpiritualis, & animarum rationalium conditorem, novæque ſub Chriſto legis autorem: alterum verò huic adverſum & malum, corporearum ſubſtantiarum opificem, Moſaicarum præceptionum legiſlatorem, animarum corpora informantium creatorem. Duas in ſingulis hominibus ineſſe animas prædicabat, bonam unam à principio bono exortam, intellectualem ac rationalem: alteram malam à malo principio profectam, quæ corporeæ ſubſtantiæ forma ſit, eique vitam impertiat, quæque univerſa peccata operetur. Chriſtum verè negebat carnem aſſumpſiſſe, cùm ſit caro de ſe mala, omniſque mali fomes. Eam etiam ob cauſam martyrum reliquias execrabatur. Se quoque paracletum jactabat eſſe, Montani delirium & arrogantiam æmulatus. Cùm demum veterator iſte Regi Perſarum pollicitus eſſet ſe filium ejus periculosè ægrotantem ſoſpitem ſolis ſuis precibus redditurum, amandatis procul medicis filius Regis inter Manetis manus expiravit. At Manes, juſſu Regis quem deluſerat, toto corpore excoriatus meritas impoſturæ ſuæ pœnas luit.

26. Extincto Probo ſuffectus eſt Manlius Aurelius Carus, qui liberos ſuos Numerianum & Carinum Cæſares fecit. Carus Narbone oriundus devictis bello Perſis, receptáque Meſopotamiâ, & ad Cteſiphontem uſque progreſſus fulminis ictu perimitur. Numerianus verò debilitatis ex morte patris nimio fletu oculis, dum Lecticâ vehitur, inſidijs Apri perfidi ſoceri ſui, hoc parricidio viam ſibi ad regnum munire volentis, occiditur. Tum verò Diocletianum Dalmatam Romanus exercitus proclamat Imperatorem, quo ille accepto perfidum Aprum ſuâpte manu obtruncat. Id contigit Septembri menſe, anno Chriſti 284. decurrente.

27. Nulli ſub Imperio Cari leguntur martyres: at multi ſub Numeriano, quales fuere Romæ Pontifex Euthychianus, Chryſantus & Daria conjuges, & in provincijs plerique alij. Unde conjiciendum videtur Numerianum, cum Cæſarem ageret, hanc perſecutionis procellam proprio Marte, inconſulto aut diſſimulante patre, ſuſcitaſſe. Carinus patri fratrique ſuperſtes perverſitate morum odia omnium in ſe concitavit: atque inſequente anno, cùm arma contra Diocletianum moveret, à ſuis apud Murgium oppidum Mœſiæ proditus, Diocletiani traditus eſt militibus, qui ſtatim illum peremerunt. Ipſe verò Diocletianus regni ſui primordio ruſticos in Galliis tumultantes, quos Bacaudas vocabant, profligavit, miſſo contra illos Herculio Maximiano, quem Cæſaris dignitate decorarat. Anno deinde 286. eundem Maximianum creavit Auguſtum, ſuccreſcentibúſque diverſis ex partibus cauſis bellorum, Cæſares novos fecit Conſtantium Chlorum, (cujus poſtmodum filius Conſtantinus divinâ providentiâ ad Imperij apicem promovebitur) & Galerium Maximianum, qui eò quòd armentorum aliquando paſtor fuiſſet, Armentarij cognomen habuit. Statimque hi ad diverſa bella accincti profectique ſunt. Carauſius Dux in Britannicis, quas occupaverat, inſulis potens armis hærebat; Achillæus Ægyptum invaſerat, atque uterque Imperij ſumpſerat inſignia: Narſes Perſarum Rex limites Orientis infeſtabat. Quinquegentiani ſeu Pentapolitani Africam incurſantes populabantur. Ambos Cæſares affinitate ſibi duo Auguſti devinxere, antequam bellicas expeditiones inter ſe partirentur. Diocletianus filiam ſuam Valeriam Armentario, Maximianus Herculius privignam ſuam Theodoram Conſtantio nuptum dedit, repudiatis quas antea duxerant uxoribus: atque ita Helena Conſtantini mater extra Conſtantij ædes amandata eſt. His peractis nuptijs, Principes ad diverſas profecti ſunt expeditiones, quæ multis exhauſtis laboribus felicem demum ſortitæ ſunt exitum. Carauſius enim à Socio æmulóque ſuo Alecto per inſidias extinctus eſt, atque ita recepta Britannia. Quinquegentianos Herculius perdomuit. Armentarius Galerius à Perſis victus & fugatus acceptum dedecus ſequenti anno reparavit, fuſo Perſarum exercitu, captiviſque abductis Narſetis conjugibus & liberis. Diocletianus obſeſsâ expugnatáque Alexandriâ, profligatiſque hoſtilibus copijs Ægyptum recuperavit.

28. Atrocius bellum & injuſtius iſti

Principes adverſus Chriſtianos innocentes & inermes excitarunt. Enim verò etiam antequam feralia promulgarentur edicta Sebaſtianum Diocletianus Prætoriæ cohortis Ducem, ob Chriſti fidem ultimo ſupplicio affecerat. Maximianus Herculius in illâ contra Bacaudas expeditione, Thebæorum cum duce Mauricio Legionem, quæ tota ex Chriſtianis militibus conſtabat, totius reliqui exercitus armis nullatenus reſiſtentem deleverat, eò quòd à profanis gentilium Sacrificijs ſe ſubduxiſſet trantiſper ad Agaunum oppidum. Sunt tamen qui alterâ & poſteriore Gallicanâ expeditione hoc martyrium legionis contigiſſe velint. Nihil certè intricatius horum temporum chronologiis, tum ob ſcriptorum diſſenſiones, tum ob difficultatem reducendi Chriſtianæ annos Epochæ ad annos Romanorum conſulares; aut etiam diſcernendorum annorum inchoatorum ſeu ineuntium à deſinentibus: tum ob diverſarum conjecturarum incurſantes difficultates. Quas ob cauſas doctiores qui noſtris temporibus floruere chronologi, poſtquàm ab iſtis ſe ambagibus expedire conati ſunt, longè tamen ab invicem diſſentiunt. Diocletiani Maximianique contra Chriſtianos edicta biennio priuſquam Imperio cederent publicata ſunt. Quo ab initio aduſque Maximini exitum Orientis tyranni, quem ſubſequuta eſt Eccleſiæ pax, quacunque protendebatur Romanum Imperium, Paulus Oroſius annos decem recenſet perſecutionis; quæ quidem tam dira & Chriſtianorum quos abſumpſit multitudine, & horrendâ ſuppliciorum immanitate fuit, ut nihil atrocius, aut crudelius excogitari queat. Euſebius Cæſarienſis hanc perſecutionem duobus, octavo & nono, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libris deſcripſit. Verſabantur Nicomediæ duo ſimul Imperatores, quando perſecutionis edictum promulgarunt. Quo eodem die publicè propoſitum vir Chriſtianus, ex nobilioribus Nicomediæ civibus, divino fidei æſtu incenſus edictum ex publico detractum loco palam diſcerpſit, ideóque inter immaniſſimos cruciatus conſtantiſſimè paſſos generoſum ſpiritum exhalavit. Antimus Nicomediæ Epiſcopus, Petrus, Dorotheus, Gorgonius alijque innumeri morte glorioſâ martyrium conſummarunt. In ſolâ Ægypto centum quadraginta quatuor Chriſtianorum millia cæſa numerantur. In Gallijs hâc perſecutione ſublati ſunt, ſub Rictiovaro præſide, Epiſcopi Victorinus Pictavorum, Firminuſque Ambianorum. Remis Macra Virgo. In Hiſpanijs, ſub Præſide Daciano, Vincentius Cæſarauguſtæ, Eulalia Virgo Emeritæ, ut etiam in Sicilia poſt Agatham Virginem Lucia Virgo Syracuſis, & Procopius & Pamphilus apud Cæſaream Palæſtinæ illuſtre martyrium ſubiere.

29. Ambo tandem Auguſti Diocletianus Nicomediæ, & hujus ſuaſione Maximianus Mediolani eodem die Imperium dimiſerunt. Id anno Diocletiani vigeſimo & Chriſti tercenteſimo quarto contigit, eodémque ſimul die renunciati ſunt Auguſti Conſtantius Chlorus, & Maximianus Galerius Armentarius. Hic verò duos Cæſares fecit, Severum & Maximinum, ſuum ex ſorore nepotem, quem Orienti, priorem verò Italiæ præfecit. Conſtantius reliquis abdicatis provinciis ſolam ſibi Galliam, & Hiſpaniam cum Britanniâ retinuit.

30. Extra fines Imperij magna hoc ſæculo facta eſt in Oriente rerum converſio. Perſæ cum antea ſub Parthorum regno fuiſſent, contra illorum regem Artabanum rebellarunt, Duce Artaxerxe, qui tribus præliis Parthos ſuperavit, ipſumque Artabanum occîdit, atque ſubjectis ſibi Parthis vetus Perſarum regnum, ab Alexandro Macedone exciſum, inſtauravit, à quo deinceps graves Romani clades perpeſſi ſunt.

31. Doctores inſignes Eccleſiam hâc ætate illuſtrarunt. Pantænus in primis Chriſtianas ſcholas rexit, quas longo ante ipſum tempore fuiſſe Alexandriæ inſtitutas tradit Euſebius. Hic ad prædicandum Indis ſacrum Evangelium, ſive à Iuliano (ut ſcribit Euſebius) Alexandriæ Epiſcopo, ſive à Iuliani ſucceſſore Demetrio, ut teſtatum reliquit Hieronymus, Evangelium Matthæi quod anteà fuerat receptum in illis regionibus reperit: huic enim genti Bartholomæus Apoſtolus fidem Chriſti prædicaverat, & Matthæi Evangelium Hebraïcè ſcriptum reliquerat, quod fuerat à Chriſtianorum ibi commorantium reliquijs religioſè aſſervatum. Reliquit poſt ſe Pantænus pleroſque ſuæ pietatis atque eruditionis ſucceſſores, inter quos eminet præcipuus ejus diſcipulus Clemens Alexandrinus, præceptoris ſui magnificus laudator, divinarum humanarúmque diſciplinarum (ut ejus ſcripta produnt) peritiſſimus. Ex eâdem ſcholâ prodijt Origenes Clementis diſcipulus, ſtupendi ingenij, quem eruditiſſimi gentilium Plotinus Amelius, & ipſe Chriſtianis infenſiſſimus Porphyrius in admiratione habuerunt, & teſtati ſunt Origenem arcem eruditionis tenuiſſe. Apollonius Senator, qui Commodo Imperium tenente ſcriptam à ſe pro Chriſtianis apologiam in Senatu recitavit, cujus decreto caput illi amputatum eſt. Gregorius Thaumaturgus, Iulius Africanus, Heraclas Alexandrinus

xandrinus

Digitized by Google

xandrinus Epiſcopus. Ammonius Philoſophiam Alexandriæ magnâ celebritate profeſſus, cujus auditor ( teſte Porphyrio ) Plotinus fuit. In Africâ Tertullianus, qui poſtquam Scriptis omnem laudem excedentibus orthodoxam fidem invictiſſimè defendit, miſerando tandem lapſu in Cataphrygum hæreſim deflexit. Romæ Minutius felix. Carthagine Cæcilius Cyprianus, doctrinæ ſimul, eloquentiæ, Sanctitatiſque ſpecimen egregium. Alexandriæ Dionyſius Epiſcopus, de quo ſuperius eſt actum. Pamphilus Cæſareæ Palæſtinæ Presbyter, & Lucianus Antiochiæ Presbyter, ambo doctiſſimi, qui ſub Maximino martyrium paſſi. Arnobius, ex gentili artis rhetoricæ profeſſore, factus Chriſtianus, & hujus diſcipulus Lactantius Firmianus, Criſpi Cæſaris magni Conſtantini filij inſtitutor, quo nemo inter Eccleſiaſticos Scriptores Latinè politior.

## *CONCILIA DIVERSIS LOCIS ad reprobandum hæreticorum Baptiſmum habita.*

1. Tertiò decurrente ſæculo ſeges plurimarum in Eccleſiâ concertationum fuit tantopere agitata quæſtio de validitate collati ab hæreticis baptiſmi. Mota primum hæc diſputatio fuit à Præſulibus Africanis ſub Agrippino Carthaginis Epiſcopo, qui hac de re Concilium Africanorum convocavit, quo decretum fuit quoſcumque ab hæreticis baptizatos nullatenus eſſe in Eccleſiam admittendos, niſi denuò in Eccleſia baptiſmum accipiant, ut memoriæ prodit Cyprianus, epiſt.71. ad Quintum. *Quod quidem* (inquit) *Agrippinus cum cæteris coëpiſcopis ſuis, qui illo tempore in Provinciâ Africâ & Numidiâ Eccleſiam Dei gubernabant, ſtatuit, & librato Concilij communis examine firmavit, quorum ſententiam nos etiam ſequuti ſumus.* Idémque repetit, epiſt.73. ad Jubaianum. Quò verò iſta ſub Agrippino Synodus pleniorem ſortiretur autoritatem, altera quoque Africanotum Patrum Synodus ab eodem indicta eſt Cypriano, convenientibus uno & ſeptuaginta Epiſcopis, qui præcedens decretum, nemine contradicente, firmarunt. Poſthæc ſcripſit hac de re Cyprianus Synodicam ad Stephanum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum epiſtolam, ſub cujus finem providēs ne ex iſtâ cōcertatione ullū Schiſma naſceretur, ut ipſe conteſtatur, addit, nihil iſto decreto præjudicari aliorum libertati, ut liceat eis oppoſitum ſentire, ſi ita eis videatur, ſine ullâ Eccleſiaſticæ unitatis labe. His acceptis literis Stephanus Africani Concilij ſanctionem reprobavit, vetuitque ne quis auderet à contrariâ traditione Apoſtolicâ recedere. Cui tamen Stephani reſcripto Cyprianus minimè acquievit, ſed refertam querimoniarum de Stephano epiſtol.74. ad Pompeium ſcripſit, quâ Stephanum tum ſuperbiæ, tum imperitiæ, tum imprudentiæ inſimulat. In quo ſanè moderationis limites haud dubiè tranſilivit. Quin etiam alteram ſine morâ convocat Africanorum Epiſcoporum Synodum octoginta & ſeptem, ex Provincijs Africæ, & Mauritaniæ, & Numidiæ: in cujus initio præfatur, non eſſe dirimendam ab his qui diſſentiunt communionem & pacem. Deinde tacito Stephani nomine, ipſum paulò acriùs perſtringit his verbis: Neque enim ſe quiſquam noſtrum Epiſcopum Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequij neceſſitatem collegas ſuos adigit. Quo ex loco, atque ex Tertulliani libro adversùs Pſychicos, cap.1. vbi Romanum Pontificem pariter Epiſcopum Epiſcoporum nuncupat, conjicitur hunc fuiſſe priſcis illis ſæculis unum de titulis communiter illi attributis. Iſto demum Concilio præcedentium ſanctio fuit renovata. Cæterùm ab iſta culpa mox reſipuiſſe Africanos Patres prodit Hieronymus, in Dialogo aduersùs Luciferianos, ſic dicens: *Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos eſſe hereticos cum ipſo* (Cypriano) *ſtatuerant, novum emiſere decretum. Quid facimus? Ita nobis majores noſtri, & illis ſui tradidere majores.*

2. Auguſtinus lib.2. de Baptiſmo contra Donaſtitas cap.4. dubitat num Cyprianus ſuam tandem de Baptiſmo hæreticorum mutaverit ſententiam, dicens: *Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus: neque enim omnia quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt memoriæ literiſque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata ſunt novimus.* Atque idem epiſtol.48. Sic de Cypriano loquitur: *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt quod correxerit; & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis qui hoc errore nimiùm delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Exemplo certè S.Cypriani, S.Auguſtinus paſſim Donatiſtas expugnat; quatenus illi, cæterique Patres Africani, licet diverſa ſentientes, univerſitatis atque unitatis Eccleſiaſticæ conſervandæ ſemper fuere ſolliciti: Donatiſtæ ex adverſo fuere adeò in ſuo ſenſu pertinaces, ut à Petri ſede, atque ab univerſa Eccleſiâ Catholicâ diverterint, neque ullum in ſectam ſuam aſciverint, niſi ejurato Baptiſmo, quem priùs in Eccleſiâ Catholicâ ſuſceperat.

3 Iiſdem ferè temporibus, Stephano Summo Pontifice, duæ in Orientis partibus Synodi hoc idem, de rebaptizandis hæreticis quibuſcumque, decreverant, Iconij & Synadis anno circiter 256. quarum meminere S.Dionyſ. Alexandrinus, epiſt. ad Philemonem Romanum Presbyterum, & Euſebius lib.7. hiſt. Eccl.cap.7. Firmilianus quoque Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus Metropolites, cum multis Cappadociæ & Ponti Epiſcopis, huic errori tenaciter adhæſit; ut liquet ex ejuſdem ad Cyprianum epiſtola, quæ eſt inter Cyprianicas 61. in quâ graviter expoſtulat ſe à Stephano fuiſſe de communione Eccleſiæ dejectum. Et potuit utique fieri, ut ipſum ſolum ad incutiendum alijs terrorem à cœtu fidelium ſejunxerit, nihil tale auſus in Dionyſium Alexandriæ, Ægyptique Patriarcham, vel in Cyprianum Carthaginis & Africæ Primatem, veritus imminens periculum, ſi communionis exortes fierent tam multæ Eccleſiæ, tantæque exiſtimationis Prælati. Fortaſſis etiam Firmilianus, iracundiæ abreptus æſtu Stephani comminationis, perinde ac ſi reipſa cōpleta eſſet, quaſi modum excedentis ſeveritatem exaggerat. Ipſe tamen Cyprianus quamquam aſperiùs de Stephano, tum alibi, tum præſertim in ſuâ ad Antonianū epiſtolâ



Digitized by Google

quiritetur, & Auguſtinus qui tam ſæpè tamque prolixè de his paſſim diſputat, neque Euſebius ullatenus de excommunicatione ſermonem habent. Imò verò illæſam fraternam dilectionem,& pacem in his concertationibus ſervaſſe refert Auguſtinus,lib.5. de Baptiſmo cap.25. aliiſque locis. Euſebius autem lib.7. cap.5. ex epiſtolâ Dionyſij Alexandrini refert,Stephanum ſcribentem ad Eccleſias Ciliciæ, Cappadociæ, Galatiæ, aliaſque his finitimas de Heleno & Firmiliano, tantùm comminatum fuiſſe communionem ſe abrupturum,niſi deſiſterent hæreticos converſos rebaptizare. Ipſe quidem Dionyſius aliquandiu verſatus eodem in errore fuit, de quo ita refert Hieronymus in catalogo ſcript.Eccleſ. *Dionyſius in Cypriani & Africa Synodi dogma conſenſit*. Verumtamen neque ipſe, neque Firmilianus in errore diu perſtiterunt, ut facilè conjicitur ex Dionyſij allegatis ab Euſebio literis: idque etiam convincitur Baſilij teſtimonio, qui in ſuâ ad Amphilochium epiſtolâ apertè de Dionyſio conqueritur, quòd baptiſmum Pepuſianorum hæreticorum,Montani hæreſiarchæ ſectariorum,approbaret; etiamſi in his, quàm in cæteris hæreticis gravior Baptiſmi eorum reprobandi cauſa foret, eò quòd Pepuſini alium Paracletum prædicarent, quàm quem Eccleſia Catholica in Baptiſmo invocat, eum ſcilicet, quem falsâ deceptione illuſi credebant fuiſſe in Montano incarnatum. Cæterùm Dionyſij ab errore priſtino reſipiſcentis mens erat, quemadmodum Stephani Papæ, Baptiſmum non mutuare virtutem & efficaciam ab interiore miniſtri diſpoſitione, vel cogitatione, ſed ab externis & ſenſibilibus ſignis, & verbis à Chriſto inſtitutis. Atque ita quantumcumque Pepuſianus hæreticus, aut Montaniſta,de Divinis perſonis deliret ac hallucinetur, dummodò tres Perſonas enunciet, quomodo enunciari Chriſtus inſtituit,ratus validuſque ſtat baptiſmus. Id ipſum verò poſtmodum diſertis verbis ita definivit anno 314. Concilium Arelatenſe primum can.8. his verbis: *De Afris quòd propriâ lege ſuâ utuntur ut rebaptizent, placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum; & ſi perviderint eum in Patre & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc trinitatem, baptizetur.* Agebatur tunc temporis de Donatiſtis per Africam diſperſis, qui quoſcunque ſive ab Eccleſiâ Catholicâ, ſive in diverſâ ſectâ baptizatos ad ſe deficientes ſolebant rebaptizare.

4. Poſt annos ab Arelatenſi Concilio undecim devolutos, Nicænum Concilium can.19. cùm de ſolis Pauliániſtis ad orthodoxam fidem converſis, decernat eſſe iterum baptizandos, ſatis inſinuat eos qui apud reliquas ſectas baptiſmum ſuſceperint, nullatenus eſſe rebaptizandos. Ideòque Hieronymus adversùs Luciferianos disertè ſcribit: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis.*

5. His ita conſtitutis mirari ſubit poſt Stephani Pontificis decretum, poſt Dionyſij & Firmiliani Palinodiam ac reſipiſcentiam, poſt definitiones Conciliorum primùm Arelatenſis, deinde Niceni, aliquos ex ſanctiſſimis Epiſcopis & Primarijs Sanctæ Eccleſiæ Doctoribus conſtanter aſſeruiſſe, baptizandos denuò eſſe hæreticos ad Eccleſiam revertentes, ſi fuerant ab hæreticis baptizati. Baſilius magnus,qui eamdem Cæſareæ Cappadocum rexit Eccleſiam,quam rexerat pridem Firmilianus, in primâ illâ epiſtolâ ad Amphilochium, quàm omnes propemodum Orientis Eccleſiæ,ut normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ complexæ ſunt, videtur antiquiori illi Firmiliani ſenſui reprobato adhærere. Siquidem can.1. diſcrimen haberi vult inter Hæreticos & Schiſmaticos, qui illæsâ fide ſeipſos ab Eccleſiæ unitate ſejunxere, quales ibidem proponit Catharos, id eſt Novatianos: atque eoſdem de ſchiſmate reſilientes docet ſine novo Baptiſmo admittendos, ſi olim fuerant intra Eccleſiam ſacro fonte abluti: ſed eoſdem tamen, ſi in ſchiſmate baptizati fuerint, cenſet eſſe in Eccleſiâ ad quam redeunt iterum baptizandos, quia baptiſmum priorem ab illis extra Eccleſiam ſuſceptum pro nullo haberet.Id tamen expreſsè proteſtatur,ſe non ita proprio ſenſui adblandiri, ut ſi qua vigeat in quibuſdam Eccleſijs contraria diſciplina vel conſuetudo, eam convellere velit. Quæ ſanè fuit olim Cypriani & conſentientium Cypriano Præſulum Africanorum proteſtatio. At verò quoſcumque ab hæreticis baptizatos, qui deinde ab hæreticâ pravitate abſcedunt, erroremque priſtinum abjurant, declarat Baſilius eſſe novo baptiſmo initiandos, cunctos quidem communiter, ſed eos maximè qui circa divinæ Trinitatis perſonas erraverunt, quales dicit eſſe Pepuſianos, hoc eſt Montaniſtas. Ejuſmodi namque cenſet tres Perſonas perperam pronunciaſſe, cùm reipſa non in Spiritu ſancto, qui verus eſt Deus, ſed in Montano, quem depravatâ mente paracletum credebant, abluti eſſent. Atque ibidem miratur Dionyſium Pepuſianos Eccleſiæ reconciliatos conſueviſſe ſine novo baptiſmo recipere. Qui locus Baſilij certam fidem facit Dionyſium placitis tandem Stephani Papæ acquieviſſe.

6. Neque verò de Baſilio tantùm,ſed de Athanaſio quoque cauſa ſubeſt admirandi, qui cum Niceno Concilio interfuiſſet, parum veriſimile eſt ejus ignoraſſe decretum, ut excluſo duntaxat Pauliániſtarum Baptiſmo,cæteri ad Eccleſiam redeuntes citra novum baptiſmum reciperentur, Cathari ſcilicet Arianique, quorum occaſione celebrabatur hæc Nicæna Synodus: Catharos autem, id eſt Novatianos,inficiari nemo poteſt fuiſſe non ſolùm Schiſmaticos, ſed pariter Hæreticos, utpote negantes ullam eſſe in Eccleſiâ poteſtatem lapſos quantumvis pœnitentes reconciliandi. Sed ipſum audiamus Athanaſium,in medio tertiæ contra Arianos orationis,ita loquentem, *Ariani in periculum veniunt ne amittant integritatem myſterij, loquor autem de baptiſmate. Si enim in nomine Patris & Filij datur perfectio plenaque initiatio, Patrem autem verum illi non pronunciant, eò quòd negent aliquid ex ipſius ſubſtantia exiſtere, negant quoque verum filium, aliumque ex non entibus ſibi comminiſcentes in baptiſmate proferunt. Qui quæſo igitur non fuerit vanum ac inutile baptiſma, quod ab illis datur, cum illud non niſi ſpecies ſit ac ſimulacrum inane, ipſique ea re nihil ſolida opis afferant ad pietatem? Non enim in Patre & Filio baptiſma tribuunt Ariani, ſed in creatore & creaturâ, in factore & facturâ. Sicut igitur creatura diverſum quiddam eſt à Filio, ita diverſum quiddam à vero baptiſmate eſt, quod ab illis exiſtimatur dari, tametſi nomen Patris & Filij, quia illa in Scripturis vident, ſimulent ſe nominare, ſed qui nomen exprimit & rectam fidem habet. Ideòque Salvator noſter non quovis modo baptizandum præcepit,ſed primùm dicit docete,ac deinde baptizate*



Digitized by Google

*in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, ut ex doctrina recta fides oriretur, & cum fide integra baptiſmatis initiatio perficeretur. Certa etiam aliæ hæreſes, eæque etiam numero non exiguæ, nomine tenus ritum iſtum pronunciant, ſed non rectè ſentientes ut dictum eſt, neque ſanam fidem retinentes, inutilem retinent aquam quam impertiunt; nimirum & religione deſtitutam: adeò ut qui ab illis aſperguntur ſordeſcant potius pravâ religione, quàm redimantur. Ita quoque & ethnici, quamvis Deum in ore habeant, impietatis crimini ſubjiciuntur, eò quòd verum Deum non agnoſcant Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Itidem quoque Manichæi, Phryges, ac diſcipuli Samoſatenſis nomina ipſa pronunciantes nihilominus ſunt hæretici. Itaque deinceps & reliqui qui cum Ario ſentiunt, etiamſi recitent ſcripta, proloquanturque, ipſa nomina fruſtrantur, illudunique illis qui ab ipſis baptiſma ſuſcipiunt: homines nimirum improbiores, quàm ulli hæretici, quos in dies magis magiſque ſuperant, hæreſeſque propemodum omnes juſtas oris ſui effrænitate reddunt.* Hactenus Athanaſius, cujus teſtimonium, quamvis prolixius, inſerendum duxi, ut mens ejus pleniùs cognoſcatur; quâ non ſolùm Arianorum baptiſmum reprobat, licet inſtituta à Chriſto verba proferrent: ſed hoc etiam addit, multas eſſe hæreticorum ſectas alias, quarum baptiſmus ſit prorſus inanis, etiamſi ore tres Trinitatis perſonas exprimant, in quibus recenſet Pauliniſtas, ſeu Samoſatenos, quorum duntaxat baptiſmum reſpuit Synodus Nicæna, ſed aliorum hæreticorum admittit; adeò ut parum videatur Athanaſius cum eo canone convenire.

7. Iſtud autem argumentum, quod tantopere adversùs Arianorum baptiſmum urget Sanctus Eccleſiæ Doctor, minùs habet virium ad infirmandam baptiſmi illorum veritatem, dum ad aquæ elementum adjungatur ſenſibilis illa verborum à Chriſto inſtitutorum prolatio. Enimverò Innocentius Papa primus, epiſt. 22. cap. 5. cauſam inveſtigans, cur Nicæna Synodus Paulianiſtarum baptiſmum reprobet, cum tamen Novatianorum approbet, iſtam ſapienter adducit: *Quia Paulianiſtæ in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti minimè baptizabant, & Novatiani iiſdem tremendis venerandiſque nominibus baptizant.* Et ante Innocentium Siricius Pontifex in epiſt. ad Himerium Tarraconenſem hæc ſcribit: *Cum fieri & Apoſtolus vetet, & canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad Provincias à veneranda memoriæ prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis ſpiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus: quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit.* Nota verba iſta *Novatianis, aliiſque hæreticis.* Obſerva etiam iſta: *totus Oriens Occidenſque cuſtodit.* Hæc enim indicant hæreticos toto Oriente & Occidente nullatenus rebaptizatos.

8. His aliud accedat Auguſtini teſtimonium lib. 3. de Baptiſmo con. Donat. cap. 5. eruditionis plenum: *Quamobrem* (inquit) *ſi Evangelicis verbis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis, aliud opinantis quam Catholica veritas docet, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata. Nam ſub eiſdem verbis id eſt in nom. Pat. & Fil. & Spir. S. non ſolum Marcion aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, ſed ipſi carnales parvuli Eccleſiæ, de quibus dicebat Apoſtolus, non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, ſi poſſent ſinguli diligenter interrogari; tot diverſitates opinionum fortaſſis, quot homines numerarentur.* Idémque lib. 6. cap. 25: *Cæterùm* (ait) *quis neſciat non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica quibus ſymbolum conſtat illic defuerint? Sed faciliùs inveniuntur hæretici, qui omnino non baptizant, quam qui non illis verbis baptizent.* Ita Auguſt. Et quidem ex tam multis hæreticis, qui tam nefaria & portentoſa uſque ad Concil. Nicænum effutiverant, ſolorum Paulianiſtarum baptiſmus rejectus fuit. Ipſorum verò Arianorum baptiſmum, quidquid in oppoſitum dicere videatur Athanaſius, ab Eccleſiâ Catholicâ probari & admitti teſtes ſunt Auguſtinus, Siricius, aliique omni exceptione majores. Et Gallicani Patres in ſecundo Arelat. Conc. ita definiunt can. 17. *Bonoſianos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arianos in Trinitate baptizare manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, chriſmate & manus impoſitione in Eccleſiâ recipi ſufficit.*

9. Nec verò primus fuit Carthaginenſis Agrippinus, qui hæreticorum baptiſmum labefactare ſtuduerit; jam illi præiverat Tertullianus ipſe quoque Afer, viamque illam aperuerat, qui libro de Baptiſmo cap. 15. ſumit argumentum ex illo Apoſtolico effato, unus Deus, una fides, unum baptiſma, & hæc ſubjungit: *Non debeo in illis* (hæreticis) *agnoſcere quod mihi eſt præceptum, quia non idem nobis Deus & illis, nec unus Chriſtus idem nobiſcum, ideoque nec baptiſmus unus, quia non idem: quem cum ritè non habeant, ſine dubio non habent. Nec capit numerari quod non habeatur, ita nec poſſunt accipere qui non habent.*

10. Valeatne Baptiſmus à non baptizato quovis homine, etiam Iudæo vel pagano collatus, ſi hoc intéderit exequi quod facit Eccleſia, dubitatum diu fuit, neque hanc quæſtionem diſſolvere auſus eſt Auguſtinus, ſic loquens contra Parmenianum lib. 2. cap. 13. *Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum & ab his qui nunquam fuerunt Chriſtiani poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum eſt ſine autoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei ſufficit. De iis verò qui ab Eccleſiæ unitate ſeparati ſunt, nulla iam quæſtio eſt quin & habeant & dare poſſint.* Cæterùm quæſtioné temporibus inſequentib. enucleavit elucidavitque Nicolaus Papa primus, in reſponſionibus ad conſulta Bulgarorum cap. 104. valere ſcilicet baptiſmum, ſeriò ab infideli non baptizato collatum. Id refertur cap. à quodam Iudæo diſt. 4. Quod idem, antè Nicolai decretum, declaraverat Concilium Compendienſe art. 9. anno Chriſti 757.

## *CONCILIA ANTIOCHENA CONTRA Paulum Samoſatenum hæreſiarcham.*

1. PRÆCLARE' Ioannes Apoſtolus prædicat, Chriſtum in hoc apparuiſſe ut diſſolvat opera diaboli; & iſte viciſſim ſua ſtudia & machinas in hoc præſertim molitur, ut per emiſſarios ſuos & præcurſores hæreſiarchas Chriſtum Ieſum deprimat, ejuſque divinitatem impugnet. Quocirca jam inde ab Apoſtolorum ætate Ebionem & Cerinthum ſuſcitavit, Chriſto divinitatem abrogantes. Sæculo deinde ſecundo nefariorum iſtorum

Digitized by Google

rum penè intermortuam hæreſim ab inferis reduxit per Theodorum Byſantinum coriarium, quem Victor Papa damnavit. Sed eam tertio excurrente ſæculo Artemon primùm, & hunc inſequutus Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus, quanto potuere ſtudio, propagarunt. Neque verò in his conquievit exitialis adverſarius: Sæculo enim quarto,ut Arianos ſileam,Chriſtum negantes patri æqualem eſſe,coëſſentialem & coæternum, prodijt nova peſtis Photinus Sirmij Epiſcopus, qui exitiale Samoſateni dogma inſtauravit.

2. Obſervat Baronius à vero aberrare Epiphanium, ſcribentem hæreſi 65. Paulum iſtum fuiſſe ſub Imperio Aureliani & Probi Epiſcopum, cùm tamen in primo Concilio Antiocheno, dum ille civitatis illius erat Epiſcopus, interfuerit inter ejus condemnatores Gregorius Neocæſareæ Antiſtes, & Dionyſius Alexandrinus ad idem Concilium epiſtolam ſcripſerit regnante Galieno, ſub quo celebratum id Concilium fuit, & apertè conſtet ex Euſebij hiſtoria Gregorium & Dionyſium imperante ipſo Galieno ex vita exceſſiſſe, pluribus annis antequam Aurelianus aut Probus Imperium inirent. Perduravit tamen hæreſiarcha in ſuo illo Epiſcopatu,per contumaciam, ad uſque Aurelianum, cujus Imperiali autoritate, rogantibus Catholicis Epiſcopis, indebitâ ſibi ſede extruſus eſt.

3. Paulus primùm Sabellio hæreſiarchæ conſentit, ambo enim in divinitate non niſi unicam agnoverunt prædicaverúntque perſonam, cujus tria ſunt nomina, non proprietates perſonales, ſed ſolùm diverſas ejuſdem perfectiones, aut operationes ſignificantia. Hâc verò in re diſſidebant, quatenus Sabellius fatebatur Deum humanam ſibi copulaſſe naturam, At Samoſatenus novo Dogmate perfidiam augebat, negans Chriſtum quidquam divinitatis habuiſſe, quippe quem merum hominem prædicabat, filij tamen Dei nomen quoque ſortitum fuiſſe, per inſignium virtutum magnarumque rerum à ſe geſtarum merita.

4. Iſtius extinguendæ peſtis ſtudio complures Epiſcopi Antiochiam ex condicto ad communem Synodum convenerunt, rem urgente, ut ex Athanaſij libro de Synodis colligitur, Dionyſio Romano Epiſcopo. Inſigniorum ex his quoque Antiſtitum nomina prodit in hiſtoriâ Euſebius, ſcilicet Gregorium, Thaumaturgum cognominatum, & Athenodorum illius fratrem, Helenúmque qui Tarſi regebat Eccleſiam; Nicomam, qui Eccleſiæ præerat Iconij, Hymenæum Jeroſolymæ, & Theothecnum Cæſareæ in Palæſtina, & Firmilianum Cæſareæ in Cappadociâ, & Maximum Boſtrenſis Eccleſia Epiſcopum. Dionyſius Alexandriæ Antiſtes, eò quoque vocatus,ſenectutem & corporis ægritudines cauſatus eſt ne accederet, ſed ſenſum ſuum orthodoxæ pietati conſentaneum per epiſtolam expreſſit. Concilij patres fidei luculentam profeſſionem edidere,de tribus diſtinctis Sanctiſſimæ Trinitatis perſonis, déque verbi æterni incarnatione, ſelectis Scripturarum teſtimonijs roboratam, cui ſe Paulus acquieſcere voce ſcriptóque profeſſus eſt,vafer & ſubdolus Hæreſiarcha. Hac verò effictâ,fraudulentaque palinodiâ priſtinam ſedem, unde dejectus fuerat, patrum miſeratione ac indulgentiâ recuperavit. Hujus indulgentiæ cauſam probabilem refert Baronius ad Zenobiæ favorem & gratiam, quâ erga Paulum afficiebatur: ipſa enim his temporibus cum viro ſuo Odenato Palmyrenorum Rege, Imperium Orientis, quod ſuis armis adverſus Perſas ſtrenuè tuebatur,regebat conceſſione Galieni,qui ſibi provincias Occidentis reſervarat. Zenobia porrò, ut tradit Athanaſius, Iudaicam profitebatur religionem,nec tamen à Sacris Chriſtianis abhorrebat, ſéque Samoſateni Pauli protectricem gerebat: ut tradunt Athanaſius, in epiſt. ad Solitarios, & Phylaſtrius lib. de Hæreſibus cap. 65. qui eamdem ait Pauli fuiſſe diſcipulam, à quo, nimis abjectè de Chriſto ſentiente, edocta fuit Iudaïzare.

5. Paulus qui ſubdolâ tergiverſatione ſtudia patrum eluſerat in priore Concilio, eodem dirempto, poſtquam ſinguli ad propria remearunt, larvam depoſuit ſimulationis, priſtinámque apertè reſumpſit hæreſim. Quamobrem vicinarum provinciarum Epiſcopi alterum Antiochiæ iniere Concilium, vitâ jam functis Gregorio Neocæſarienſi, Dionyſio Alexandrino, & Firmiliano Cæſarienſi. Hâc in poſteriore Synodo Malchion Presbyter Eccleſiæ Antiochenæ Paulum coarguit, ejuſque reſeratis veteratorijs artibus,errores publicâ diſputatione refutavit. Convictus igitur, nec tamen converſus Samoſatenus damnationis à Synodo & depoſitionis ſententiâ percellitur, cúmque obtemperare ac cedere recuſaret, patres ad neceſſitatem adegit Aurelianum, qui tunc Imperium regebat, interpellandi; à quo demum cauſa iſta Epiſcoporum Italiæ Romæque Antiſtiti Dionyſio commiſſa ſit, qui re penitus diſcuſsâ exploratâque, Paulum juſtè depoſitum pronuntiavere. Deturbato itáque Paulo, Domnus ejus in ſedem ſuffectus eſt, Anno Chriſti 272.

6. Quia Samoſatenſis paralogiſmo utens divinitatem Chriſto abrogabat, dicendo ſequi ex adverſariorum ſententiâ Chriſtum hominem eſſe Deo conſubſtantialem, atque ita vel non conſtare anima & corpore, vel Deum ipſum eſſe homini concorporeum: unde graves ſequantur abſurditates, cum divina æternâque natura incompatibiles. Hoc ſenſu Antiochenâ Synodo vetitum eſt aſſerere Chriſtum eſſe Deo ὁμοούσιον & conſubſtantialem, ut refert Athanaſius lib. de Synodis. At verò qui ſequuti ſunt Ariani, ut Nicænum Symbolum labefactarent, quo conſubſtantialis patri Chriſtus prædicatur, decretum Antiochenæ Synodi opponebant. Reſpondet autem Athanaſius patres Antiochenos â Nicenis minimè diſcrepare in re ipſa fidei, quippe qui filium, ratione divinæ perſonæ, crederent unanimes eſſe patri conſubſtantialem, ob unitatem, atque ut ita dicam identitatem divinæ naturæ ac ſubſtantiæ; ſed præcisè ſpectatum ſecundùm,aſſumptam humanitatem non dici conſubſtantialem: quatenus enim Deus, quâ Deus eſt, incorporeus eſt. Idem quandoque inter Sanctos Eccleſiæ patres accidit in voce Hypoſtaſis,quâ Sardicenſe Concil.prohibuit uſurpari circa divinarum perſonarum diſtinctionem, & quidem rectè ſpectatâ ejus vocis apud patres Sardicenſes intellectione de eſſentiâ ipsâ; non enim tres ſunt in Trinitate eſſentiæ, ſed unica tribus communis. Duæ vero Alexandrinæ Synodi, una ſub Oſio, & altera ſub Athanaſio præſide, vocis ejuſdem diverſum ſignificatum uſurpabant circa perſonarum divinarum proprietates ac diſtinctiones mutuas, ejuſque uſum approbarunt, ne defectu vocabulorum divinæ veritates confunderentur, aut explicari non poſſent, quæ gravium diſſenſionum poterat

terat

Digitized by Google

terat eſſe fons & origo. Itaque cum vocabulorum ſignificata ex uſu, aut mente loquentium dependeant, Sardicenſes Patres Hypoſtaſim pro eſſentiâ ſubſtantiâque uſurpabant, quo eorum ſenſu non niſi unica eſt divinæ Trinitatis Hypoſtaſis. Alexandrini verò Patres eam vocem ad perſonarum proprietates referebant, eoque ſenſu veriſſimè aſſerebant tres in divinâ æternâq; Trinitate Hypoſtaſes ac ſubſiſtentias, ut à Latinis uſurpantur. Notatu dignum eſt Dionyſium Alexandrinum, qui primus eruditiſſimis ſcriptis naſcentem Pauli Hæreſim oppugnavit, cùm rogatus accedere ad ſecundam hanc Synodum Antiochenam, ut ei pro dignitate ſedis ſuæ præſideret, eique eximiâ eruditione præluceret, cùm ægritudine detentus ab eâ ſe profectione excuſaret, hæc ſcripſiſſe ad ipſum Hæreſiarcham τὸν λόγον τοῦ πατρὸς δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ πατὴρ, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ εἰρημένον ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, Verbum patris per quod pater omnia condidit, quodque hoomouſion & conſubſtantiale patri vocant Sancti patres. Atque ita longè ante Nicenam Synodum non tantùm Dionyſius, cujus per ſe gravis eſt autoritas, ſed etiam eodem atteſtante Sancti patres Homoouſion patri dixerunt.

## *CONCILIVM ELIBERINVM ſeu Illiberritanum.*

1. GRavis inter eruditos de hujus Concilij loco, tempore, atque autoritate concertatio fuit: Fernandez Mendoza haſce difficultates tantâ doctrinæ luce diſcuſſit elucidavitque, ut in ſuum ſenſum reliquorum eruditorum conſenſum traxerit. Concilij locus, ut idem luculenter demonſtrat, non alius eſt quàm Illiberis, ſeptimo lapide ab urbe Granatenſi diſtans, cujus nunc tantummodò rudera & parietinæ ſuperſunt in colle, qui nunc vulgò Mons Elbiræ dicitur in Bæticâ provinciâ. Plinius lib. 3. cap. 3. Illiberim recenſet inter celeberrima, quæ inter Bætim amnem & Oceanum interiacent, oppida. Locus eſt olim Epiſcopali ſede inſignis. Meminit Romanum Martyrologium idibus Maij, & Hieronymus in Catalogo Script. Eccle. Gregorij Bætici, quem fuiſſe aiunt Illiberis Epiſcopum. De alterâ verò Illiberi ſub Pyrenæis jugis in Narbonenſi provinciâ ſita, quam probat Fernandez non aliam eſſe, quàm quæ nunc Collibre ſeu Colliour dicitur, improbabile eſt fuiſſe hujus Concilij locum; tum quia in iſto Concilio proprius loci ſubſcribit Epiſcopus Flavius Epiſcopus Eliberitanus, tum quia illa Narbonenſis nunquam extitit Epiſcopalis, tum quia qui ſubſcripſere Epiſcopi ſunt ex Hiſpaniâ penitiori, nulli verò ex ſubalpinis versùs Galliam locis. Quis verò credat celeberrimum totius Hiſpaniæ Concilium totum conſtans ex Hiſpanicis Præſulibus, fuiſſe convocatum ad extremos regionis fines in oppido quod nunquam fuit Epiſcopale? His alijſque rationibus adducuntur eruditiſſimi ſcriptores Baronius & Fernandez Mendoſa. Everſâ demum Epiſcopali Illiberi, populus & clerus cum Epiſcopali prærogativâ Granatam tranſmigrarunt duabus diſtantem leucis.

2. De tempore Concilij hujus magna eſt controverſia. Sileo illorum opinionem qui poſt Conſtantini magni converſionem habitum exiſtimant, ut pote minus probabilem: duæ ſolùm ſuperſunt probabiliores exploranda, eorum ſcilicet qui cum Baronio referunt ad tempora Conſtantij Chlori & Maximiani Herculij. Licet enim ſub Chloro Conſtantini patre longè mitiſſimo & erga Chriſtianos bene affecto, qui Gallijs Hiſpanijs & Britanniæ imperabat nulla perſecutio Chriſtianos regionum iſtarũ divexaverit: iſtis tamen ex immani perſecutione reſpirantibus providendum erat in futurum, quando non ſolùm per cæteras omnes Imperij partes atrox ſæviebat perſecutio; ſed etiam Conſtantij Chlori liberi, & Maxentius Herculio natus falſos colebãt Deos & periculum pertimeſcebatur ne Herculius qui invitus Imperium depoſuerat vellet illud reſumere. Vnde nihil mirum foret ſi illis etiã temporibus Chriſtiani Hiſpanias incolentes, inter innumeros ſibiq; infenſos idolorũ cultores, de religione providere ſatagebant, ſive in præſenti, ſive ad futurorum temporum præcautionem. Enimuero inter ſubſcriptos Epiſcopos Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Valerius Cæſaraugustanus haud multo ante in perſecutione capti atque in exilium relegati ſub Daciano Hiſpaniarum crudeliſſimo præſide fuerant, à quo Diaconus Vincentius fuit crudeliſſimis tormentis cum multis aliis ad necem excruciatus. Sed poſtquam Conſtantius Chlorus Occidentem regendum cum Cæſaris nomine recepit, excitatam procellam ſedavit & quotquot in cuſtodia & exiliis detinebantur Chriſtiani, poſtliminij beneficium cum libertate receperunt. Ita cenſet Baronius.

3. Mendozæ tamen opinio eſt, Concilium iſtud ante excitatam à Diocletiano & Maximiano Impp. Eccleſiæ perſecutionem celebratum fuiſſe; cujus rationes ſunt iſtæ: non quidem plenè convincentes, ſed tamen admodum veriſimiles. Scribit Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium fuiſſe inchoatam perſecutionem Diocletiano octavùm & Maximiano ſeptimùm Conſulibus; quando (ut tradit Euſebius lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 2.) feſtum imminebat Dominicæ paſſionis, qui conſulatus in annum incidit trecenteſimum tertium juxta univerſaliùs receptam ſupputationem. Nec verò potuit, niſi aliquot interjectis menſibus ob locorum diſtantiam, executioni mandari impium edictum, quod fuerat Nicomedienſi in civitate, in qua ſimul tunc verſabantur duo Imperatores, publicatum. Inſiſtit vero Mendoza fuiſſe Oſium, qui ſubſcripſit huic Synodo, jam exilio damnatum ob Chriſti fidem, ut liquet ex epiſtola ad Conſtantium Auguſtum apud Athanaſium, in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, in qua ſic ſcribit Athanaſius ex ipſomet Oſio. *Ego confeſſionem unus explevi cũ moveretur perſecutio ab avo tuo Maximiano. Quod ſi tu quoque perſecutionem moves etiam nunc ad quidvis potius ſuſtinendum paratus ſum.* At confitenti non potuit mitior infligi pœna, quàm exilij aut deportationis. Addit Nicephorus fuiſſe illum quoque ſtigmatibus inuſtum eamque ob cauſam à Conſtantino exoſculatum amantiſſimè ac impensè dilectum. De Valerio quoque Epiſcopo, qui huic Synodo interfuit & ſubſcripſit, addit Mendoza, fuiſſe exilio relegatum atque in eodem exilio interijſſe probat traditione, & breviariis Hiſpanicarum Eccleſiarum, annalibuſque Aragoniæ & Valentiæ. Præterea Innocentius Papa primus, in epiſt. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum,

pum, hanc profert cauſam ſeverioris antiquæ diſciplinæ temporibus poſterioribus mitigatæ, ut poſthac communio lapſis pœnitentibus indulgeretur, quæ fuerat olim abſolutè denegata: quia nimirum prioris diſtrictionis tempore, perſecutionibus crebris affligebantur Eccleſiæ, ideoque duriore diſciplinâ opus erat quæ fideles contineret ne ſuccumberent. Quâ ceſſante cauſa, redditaque Eccleſijs pace, mitiùs agendum fuit: quia deſierat ſuccumbendi adeò violenter urgens periculum. Durioris autem illius diſciplinæ frænum ac retinaculum non niſi ad canones Illiberritanos referri poteſt, ut ipſe refert Baronius. Fatendum igitur fuiſſe initum iſtud Conciliū, quod lapſis quantumvis pœnitentibus, communionē indulgeri etiam in exitu vitæ prohibet, non niſi perſecutionis urgentis aut certè inſtantis tempore fuiſſe convocatum. Similis apparet in epiſtolis paſſim Cypriani Eccleſiaſtica diſtrictio, Decij atque Valeriani tunc temporis perſecutione. Videri poteſt Cypriani ad Cornelium epiſt. 8. itemque Concilium Ancyranum can. 6. Denique ipſi canones Illiberini in quibus decernitur de flaminibus ethnicorum, de coronis Sacerdotum, de Chriſtianis ſive libellaticis ſive thurificatis, ſive ſacrificatis, de literis confeſſorum non admittendis, quas in gratiam lapſorum ut reconciliarentur in Eccleſia, de carceribus, de inſulis exilij, déque ergaſtulis ſcribebant ad Epiſcopos Sancti Confeſſores, veniam pro illis rogantes. Item de domeſticis laribus, & de his quos occidi contingeret dum templa gentilium aut altaria everterent, aut ſimulacra effringunt, aliáque ejuſmodi per multa Synodi decreta abunde convincunt fuiſſe procuſam nondum Eccleſiæ placida tranquillitate ſub Conſtantio Chloro fruebantur ſed potius ſub Diocletiani infeſtatione vel atrociter ſæviente vel metum ſaltem & trepidationem ingerente.

4. De autoritate autem iſtorum Canonum, quam aliqui elevare ſtudent diverſo prætextu, quia nimirum apud priſcos Canonum collectores nulla fit Eliberritani Concilij mentio, Fernandum Diaconum, Dionyſium Abbatem cognomento exiguum, Iſidorum, Creſconium. Reſpondetur tamen alios pleroſque antiquos & graves meminiſſe, Borcardum Vormatienſem Epiſcopum, Jvonem Carnotenſem, Joannem Gallenſem, Anſelmum, Gratianum, à quibus in ſuis canonum collationibus fit frequens Illiberritanorum canonum mentio. Agobardus quoque Lugdunenſis Epiſcopus, qui ſub Carolo magno & Ludovico Pio claruit, in ſuo de imaginibus tractatu, nititur autoritate Illiberritani canonis 36. Sed habemus prætereà firmiorem (ut ita loquar) propheticum ſermonem, ſacroſancta pleraque Concilia, & Sanctorum Romæ Pontificum decreta, his collectoribus antiquiora. In primis œcumenicum Sardicenſe Concilium, per quod Eccleſia de Arianis triumphavit, anno 347. & cui Legatus Apoſtolicus præſedit Oſius, idem qui cum Patribus Illiberritanis conſederat & ſubſcripſerat. Itaque in Sardicenſi can. 11. ſic habetur: *Oſius dixit: Recordemini patres noſtros in tempore præterito decreviſſe, ut ſi quis laïcus in aliqua urbe tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur. Si hoc ergo de laïcis ſtatutum eſt, non oportet Epiſcopum, ſi non habet maximam neceſſitatem, vel negotium difficilius, ab Eccleſia ſua diutius abeſſe & ſibi commiſſum populum contriſtare. Omnes Epiſcopi dixerunt hanc quoque ſententiam eſſe convenientiſſimam.* Certè nullibi Statutum fuiſſe conſtat de laicis niſi in Concilij Eliberritani can. 21. hiſce verbis: *Si quis in civitate poſitus tres Dominicas ad Eccleſiam non acceſſerit tanto tempore abſtineat ut correptus eſſe videatur.*

5. Habemus prætereà celeberrimum Concilium Arelatenſe primum, quod jure meritò ab Auguſtino vocatur plenarium & univerſale, anni 314. ſub Sylveſtro Pontifice, antiquius Nicæno & Sardicenſi. At huic Arelatenſi multorum canonum materiam ſuppeditavit iſtud, quod ſaltem annis duodecim præceſſerat; Illiberritanus enim canon 4. de Agitatoribus: & can. 4. de Theatricis: & canon 6. de his qui in infirmitate credere volunt: & canon 7. de his qui magiſtratus gentium gerunt: & canon 9. de literis Confeſſorum: & canon 11. de matrimonijs infidelium: & canon 23. de apoſtatis; qui omnes ſimiliter renovati leguntur in Arelatenſi primo. Item Vormatienſe Concilium ſub Hadriano Papa ſecundo habitum, an. 688. can. 39. iiſdem ipſis verbis repetit canonem Illiberritanum 5. prætereà Concilium Moguntinum ſub Rabano Mauro Archiepiſcopo canones aliquos Illiberritanos iiſdem quoque verbis renovat. Inſuper Concilium Sueſſionenſe, apud Sanctum Medardum in actis ſextæ actionis, quæ extant ad finem canonis ultimi, ad definiendam gravem ſubortam cauſam inter Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum & quoſdam alios, profert canon. 75. Illiberitanum & adjungit Illiberritano Concilio præfuiſſe Apoſtolicæ ſedis Legatos. Innocentius inſuper Papa primus huic eidem Illiberritanæ Synodo autoritatem conciliat, ut monet Baronius, quando in epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum hæc ait cap. 2. *De veteri obſervatione duriori quam tamen juſtam reddebant eorum temporum perſecutiones:* Quibus verbis nihil aliud ſignificari poteſt quam Illiberritani canones, qui tempore perſecutionis ſanciti, ſoli privant communione in articulo mortis aliquos lapſos: non enim laudare aut juſtos pronunciare auderet tantus Pontifex Novatiani ſchiſmatica dogmata. Inſuper Adrianus primus Pontifex in ea decretorum collectione, quam ad ſui defenſionem ex Græcis & Latinis Concilijs varijs concinnavit, duos inſerit canones Illiberritanos ſcilicet can. 52. *Si qui inventi fuerint libros famoſos legere, vel cantare, excommunicentur.* Et can. 75. *Si quis Epiſcopum vel Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit nec in fine dandam ei eſſe communionem.*

6. An verò in his aliiſque canonibus Illiberritanis privatio communionis in fine vitæ, ſit intelligenda de ſolius Euchariſtiæ privatione, an verò ſignificet etiam reconciliationis ſeu abſolutionis excluſionem, diſputatio inter doctos ventilatur: vox enim communio utriuſque ſignificationis eſt capax. Bellarminus qui exiſtimat iſtud Illiberritanum Concilium fuiſſe non orthodoxorum ſed Novatianorum, ideoque ut damnabile rejiciendum, non dubitat eſſe intelligendum de abſolutionis interdictione, cum ipſorum hæreſis eſſet Eccleſiam nec debere nec poſſe abſolutionem lapſis in quædam graviora crimina, quantumcunque pœnitentibus impertiri. Alij verò non eouſque proceſſerunt, ut cenſuerint horum canonum autores fuiſſe Novatianos, nec iſtam ab Eccleſia eſſe amovendam poteſtatem, qui erat Novatianorum & Cataphrygum

Digitized by Google

phrygum error, ſed tamen conducibilius judicaſſe ſi certis quibuſdam occurrentijs illam exercere recuſaret, juxta Apoſtoli effatum 1. Corin. 6. *Omnia mihi licent ſed non omnia expediunt.* Ita ſentiunt Albaſpinæus & Jacobus Sirmondus: atque ita ſenſerat Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium annotationibus, ſed poſtmodum mutavit ſententiam, nec niſi de privatione Euchariſtiæ cenſuit intelligendos canones iſtos, in ſuis ad Syneſium obſervationibus: quod idem cenſuerat Cardinalis Baronius & Fernandez Mendoza, illos ad ſolius Euchariſtiæ recuſationem reſtringentes. Hoc certè obſervādum, Eliberritanas iſtas ſanctiones, etiam reſtrictas ad ſolius Euchariſtici viatici privationem, ſeveritatem præ ſe ferre, qualem alij Canones Eccleſiaſtici non judicarunt ullo caſu erga pœnitentes adhibendam in extremis vitæ. Refert enim Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 3. quòd pœnitentis reconciliationem comitari indivulſe ſolebat dominicæ carnis communio. His accedunt conformia ſacrorum Conciliorum placita. Nicæna enim Synodus cui idem ipſe præſedit Oſius Cordubenſis, qui ſuâ ſubſcriptione Eliberritanam confirmaverat, non permittit can. 13. pœnitentes inſtante mortis diſcrimine divino iſto privari viatico. Idémque paulò ante Nicænum fuerat à Concilio Ancyrano ſtatutum, can. 6. fuitque poſterioribus Eccleſiæ regulis confirmatum Agathenſis Concilij canon 11. & ab Innocentio Pontifice hujus nominis primo, epiſt. ad Exuperium Toloſanum, his verbis: *Et hoc quæſitum eſt, quid obſervari oportet de his qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti* (en qualem tranſactæ vitæ nequitiam) *in extremo vitæ ſuæ fine pœnitentiam ſimul & communionis reconciliationem expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordiâ inclinatior eſt. Nam conſuetudo tenuit prior ut concederetur pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cū illis tēporibus perſecutiones crebræ eſſent, ut communionis cōceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſijs reddidit, jam terrore depulſo, communionem dari abeuntibus placuit; & propter Domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis: & ne Novatiani hæretici negantes veniam, aſperitatem & duritiam ſequi videamur.* Sed & operæpretium fuerit Celeſtino Pontifici auſcultare ſic dicenti, epiſt. 2. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis & Narbonenſis cap. 2. *Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſiderijs annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fratres, fateor tantæ impietatis poſſe aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt quàm morienti mortem addere, ejuſque animam ſuâ crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? Cum Deus ad abſolvendum paratiſſimus, invitans ad pœnitentiam, ſic promittat: peccator, inquiens, quacunque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, ſed tantùm ut convertatur & vivat. Perdidiſſet latro præmium in cruce ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum unius hora pœnitentia non juviſſet*, &c.

7. Ne igitur diram immanitatem, quam Eccleſia in hæreticis Novatianis & Montaniſtis ſemper execrata eſt, in iſtud Concilium refundamus, illa communionis in ipſo exitu ſtatuta privatio nullatenus reconciliationis, ſeu abſolutionis, ſed Euchariſtiæ Sacramentum adimere cenſenda eſt. Ecquis non abhorreat, & deteſtetur pœnitenti veniam in ipſo vitæ exitu, atque imminentis jam irrevocabilis judicij limine, ſuppliciter & lacrymoſè roganti, reconciliationis opem in tanto diſcrimine ſubtrahere? Quis non perhorreſcat illius crudelitatem qui prohiberet ne quiſquam manum auxiliarem illi porrigeret, qui ſua culpa in gurgitem prolapſus, & jam fluctibus immergendus ſupplices manus tenderet, ut diſcrimini eriperetur; præſertim ſi facillimè, & abſque liberatoris periculo eripi poſſet? An verò major pro vita temporali adhibenda charitas eſt, quàm pro redempta Chriſti ſanguine anima, quæ pœnitens & lugens in extremo vitæ confinio æternæque ſalutis imminenti diſcrimine, pientiſſimæ matris Eccleſiæ opem præſidiumque, jamjam in præſentium & frementium dæmonum caſura fauces, efflagitat, & miſerabiliter implorat?

8. Damnabile iſtud immanitatis genus condemnat antiquæ pietatis, & eruditionis ſpecimen Cyprianus epiſt. 2. ad Antonianum. *Miror* (ait) *quoſdam* (de Novatianis loquitur) *ſic obſtinatos eſſe, ut dandam lapſis pœnitentiā non putent, aut pœnitentibus veniam exiſtiment denegandam.* Sed & præſtat ejuſdem alteram, ſimulque Africanorum Antiſtitum epiſtolam 14. ad Cornelium Romæ Epiſcopum, fuſiùs hæc eadem prædicantem, proferre: *Statuerunt jampridem, frater chariſſime, participato nobiſcum conſilio invicem, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario & lapſi fuiſſent, ac ſe ſacrificijs illicitis polluiſſent, agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas, & divina clementia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo decedentes ſine communione, aut pace Domini dimitterentur.* Et poſt pauca interſerta: *Quod ſi de collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille ratione in die judicij Domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiei ſuæ.* At de his ſatis, nunc pro noſtro inſtituto diſcutiendi ſunt Illiberritani Canones obſervatu digniores.

9. Canon III. *Item flamines qui non immolaverint, ſed munus tantùm dederint, eò quod ſe à funeſtis abſtinuerint ſacrificijs, placuit in fine præſtari eis communionem, factâ tamen legitimâ pœnitentiâ.*

Flamines iſtos Binius alijque nonnulli de Chriſtianis Sacerdotibus exponunt: ſed hoc nomen profanum eſt, nec niſi ethnicorum Sacerdotibus applicabile. Meliùs mihi videtur exponere Mendoza de Idolorum ſacrificiis, qui abdicato prophano Sacerdotio fidem cum Baptiſmo ſuſceperant: ſed urgente perſecutione ſuperveniente, illius declinandæ cauſa Magiſtratibus munera dederant, ut libellos immunitatis ab eis reciperent, ne ad exercenda ſacrificia cogerentur. Apud veteres tria lapſorum genera celebrantur. 1. Sacrificatorum

ficatorum qui ſe idolorum ſacrificijs contaminarant. 2. Thurificatorum qui thura idolis incenderant. 3. Libellatorum qui libellos à Magiſtratibus acceperant. Iſtud namque nomen non ab oblatis ſed ab acceptis libellis derivatur, ut perſuadent ipſa verba quæ libellaticis martyr Cyprianus attribuit, epiſt. 52. ad Antonianum: *Cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſe acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio.* Sed præſtat locum proferre integrum qui plenius uſum libellorum edocet. *Quæ inclementia eſt & quàm acerba duritia, libellaticos cum his qui ſacrificaverunt jungere? quando is cui libellus acceptus eſt dicat: ego prius legeram & Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra à ſervo Dei adorari debere. Et idcircò ne facerem quod non licebat, cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio; ad magiſtratum veni vel alio eunte mandavi, Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me hoc præmium ne quod non licet faciam.* Certè huc uſque nullum apparet ſcelus. Dum enim nihil contra fidem Chriſtianam dicatur aut fiat, licitum eſt oblatâ pecuniâ ſe ab injuſta vexatione redimere. Et quidem S. Petrus Epiſcopus Alexandrinus, qui graſſante in Oriente Maximini perſecutione, ſuam ſanctiſſimè rexit Eccleſiam, & ſapientiſſimos canones edidit, quibus mederi poſſet graviſſimis vulneribus quæ eadem inflixerat perſecutio: quique ſub eadem glorioſi martyrij adeptus eſt coronam, præclare docet invictis rationibus & exemplis licere perſecutionem pecunia & muneribus redimere, can. 2. ſic dicens: *His enim qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt. Damnum enim & jacturam pecuniarum ſuſtinuerũt, ne ipſi animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent: quod alij propter lucrum non fecerunt, cum Dominus dicat: Quid prodeſt homini ſi univerſum mundũ lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? vel quam commutationem dabit homo pro anima ſua? & rurſum: non poteſtis Deo ſervire ſimul & mammonæ. In his enim apparuerunt Deo ſervire exoſis, abdicatis, conculcatiſque pecunijs: & id compleverunt quod ſcriptum eſt: Pretium redemptionis animæ hominis propriæ divitiæ. Nam in Actis Apoſtolorum legimus, eos qui pro Paulo & Sila Theſſalonicæ tradebantur, datis multis pecunijs fuiſſe dimiſſos. Poſtquam enim ipſos propter nomen Chriſti multum oneraſſent, & multitudinem magiſtratuſque perturbaſſent, ab Iaſone, inquit, & reliquis ſatiſdatione acceptâ eos dimiſerunt: fratres autem protinus Paulum & Silam miſerunt Berœam.* Hactenus Petrus Alexandrinus. Sanè libellos impetrare nefas fuiſſet, ſi in his declaratum eſſet eos qui impetraſſent fidem Chriſti abjuraſſe, vel Gentilium religionem fuiſſe profeſſos, vel ſecretò coram Magiſtratu idolo thus adhibuiſſe. Tametſi enim ea falſa eſſet declaratio, ſcelus tamen admitteretur in hujuſmodi libelli petitione aut prolatione, dicente & condẽnante Domino: *Qui me abnegaverit coram hominibus abnegabo eum coram Patre meo.* Eſt autem veriſimile tale aliquid expreſſum fuiſſe in libellis quos obtinuerant libellatici, quos Cyprianus & Clerus Romanus inter Cypriani epiſtolas damnant, & ad pœnitentiam adigunt: alioqui enim non impunè Magiſtratibus fuiſſet illa eorum facilitas, edictorum Imperialium eluſoria.

10. Alterum erat libellorum genus idque procuIdubio nefarium, quo pravi ſegneſque Chriſtiani, ut ſe bonorum proſcriptioni, aut corporeis ſupplicijs eriperent, ſcriptis ſchedulis apud judices proteſtabantur ſe Chriſtianam religionem ejurare, aut Gentilium profiteri; quantumvis non mente ſed fictè ac diſſimulanter agerent. Iſtiuſmodi libellorum Plinius Secundus meminit lib. 10. ep. 97. ad Trajanum Auguſtum *Propoſitus eſt* (inquit) *libellus ſine auctore multorum nomina continens, qui negarent eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, quum præſente me Deos appellarent & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure & vino ſupplicarent, prætereaque maledicerent Chriſto.*

11. Canon V. *Si quis verò maleficio interficiat alterum, & quo ſine idololatriæ ſcelus perficere non potuit, nec in fine impartiendam eſſe communionem.*

Hoc maximè augetur maleficorum flagitium, quòd malignorum dæmonum invocatione ſeu tacitâ ſeu expreſſâ, quorum operâ ſuas ad præſtigias utuntur, perficiatur. His aſtipulatur Tertullianus dum lib. de idololatria ſic loquitur: *Animadvertimus etiam inter artes profeſſiones quaſdam obnoxias idololatriæ. De aſtronomis ne loquendum quidem eſt. Non allego quòd idola honoret, quorum nomina cœlo inſcripſit, quibus omnem Dei poteſtatem addixit: quòd propterea non putant homines Deum requirendum, præſumentes numina immutabili ſtellarum arbitrio agi. Vnum propono eſſe illos Angelos Dei deſertores, fœminarum amatores, proditores etiam hujus curioſitatis: proptereaque damnatos à Deo, cui etiam ignorantes teſtimonium reddunt. Expelluntur Mathematici ſicut Angeli eorum. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut cœlum Angelis eorum: eadem pœna exilij & diſcipulis & Magiſtris.* His ſuffragatur Auguſtinus, lib. 8. de Civit. Dei cap. 10. *Omnia* (inquit) *miracula Magorum doctrinis fiunt & operibus dæmonũ.* Idémque, lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. *Omnes hujuſmodi artes vel nugatoriæ ſunt vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quâdam peſtiferâ ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacto infidelis & doloſæ amicitiæ conſtituta.* Magicæ artes ac præſtigiæ puniuntur juſtâ legum ſeveritate, ſub tit. Cod. de maleſ. & mathemat. Multóque antea lege 12. tabularum ſancitum erat: *Qui fruges excantaſſit, qui malum carmen incantaſſit, pœnas dato: neve alienam ſegetem pellexerit incantando, ne incantanto, ne agrum defrugando.* Cujus legis meminere Seneca lib. 3. natur. quæſt. cap. 7. Plinius lib. 28. natur. hiſt. cap. 2. Apuleius in Apologia. Tiberium Cæſarem ſeveras contra Magos ſanciviſſe leges teſtantur Dio lib. 57. Plinius lib. 30. cap. 1. & Tacitus lib. Annal. 2. memorat edita de Mathematicis, & Magis Italiâ pellendis Senatuſconſulta.

12. Can XXV. *Omnis qui attulerit literas confeſſorias ſublato nomine confeſſoris, eò quòd ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, communicatoriæ danda ſunt ei literæ.*

Quo tempore ſæviebant adverſus Eccleſiam gentilium perſecutiones, tantus deferebatur honos illis qui ob fidei confeſſionem cruciatus ſuſtinuerant, & adhuc vinculis & exilio mactabantur ideóque indiſcriminatim Confeſſorum ac Martyrum nominibus deſignabantur, ut literis ſuis pacem ijs qui lapſi fuiſſent indulgerent, etſi pœnitentiæ

d by Google

tentiæ canonicæ nondum tempora explevissent. Hujus tamen occaſione privilegij duo non exigua naſcebantur mala. Primum quia ſine ullo gravitatis delictorum diſcrimine neque perſpectis rogantium lapſorum animi diſpoſitionibus, aut utrùm congruam necne exhibuiſſent Eccleſiæ ſatisfactionem, & convenientia pœnitentiæ indicia, Martyres conveniebantur qui lapſorum precibus intenti per nimiam facilitatem ſupplicib. annuebant: ſicque fiebat ut delictis non ſatis purgatis pœnitentiæ ceſſarent, vitia non emendarentur, fervor animarum tepeſceret, Eccleſiæque diſciplina ſoluta labefieret. Alterum præterea non minus exitioſum naſcebatur damnum. Quia plerique lapſi tantam de his literis fiduciam concipiebant, atque ex fiducia tantam audaciam, ut Epiſcoporum autoritatem deſpectui haberent, & injuriam fieri ſibi prætenderent, ſi Epiſcopus indiſcretam confeſſoris conceſſionem vellet ad convenientem modum temperare ac reducere. Inde orta famoſa illa rebellio eſt Fortunati & Feliciſſimi ducum factionis contra Cyprianum, hoc prætextu excitatæ, quòd literas quas à confeſſoribus lapſi reportabant, non ſtatim exequeretur, ſed nonnihil differendo conceſſionem moderaretur, donec cœptâ pœnitētiâ meliorē ad frugem maturuiſſet. Cujus factionis & perduellionis ipſe meminit Cypr. ep. 55. ad Cornelium Papam, ad quem factioſi Romam navigantes ſuas deferebant querelas. Et tamen quicunque iſtas querimonias intentabant ignorare non debebant, literas quas à confeſſoribus obtinuerant non eſſe prorſus ullius juriſdictionis vel autoritatis, ſed ſolùm deprecatorias. Quam rem inſinuat iſte Illiberritanus Canon, dicens: ſub hac nominis Confeſſoris aut Martyris gloria ſimplices concuti, ſive decipi: nec enim ex ſe quidquam operari, ſed exigi præterea ut ab Epiſcopo poſteriores communicatoriæ literæ obtineantur. Canonem iſtum poſt paucos annos inſtauravit Concilium Arelatenſe primum, can. 9. his verbis: *De his qui Confeſſorum literas afferunt, placuit ut ſublatis illis literis alias accipiant communicatorias.* Hæ porrò à ſolis Epiſcopis impetrabantur. Frequenter legimus in Cyprianicis epiſtolis de confeſſorum literis expoſtulationes, eò quòd nullo delectu remiſſionem darent, quâ regulæ Eccleſiæ infringebatur. Ipſeque Romanus Clerus Cypriano reſcribens huic incommodo remedium & modum ſuadet adhiberi.

13. Can. XXVI. *Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbato die jejunij ſuperpoſitionem celebremus.*

Decernitur hic Sabbatorum per annum jejunium in Hiſpanicis Eccleſijs: cur autem vocetur hoc loco jejunium ſuperpoſitionis, ratio eſt, quia ſuccedebat & ſuperaddebatur feriarum ſextarum jejunijs, in memoriam Dominicæ paſſionis inſtitutis: quale per omnes totius orbis Eccleſias religioſe ſervabatur. De jejunijs autem Sabbatorum non erat ubique tanta conſenſio. Enim verò toto Oriente Sabbatis nullatenus jejunabatur, niſi à ſolis hæreticis, qui Simonis & Manichæorum deliria ſectabantur: idque in odium ſervabatur Dei Judæorum, quem ſectarij malum eſſe Deum hallucinabantur, malorúmque omnium fontem; & auctorem mundi corporei & viſibilis, quem illi abhorrebant, conditorem. Qui cum ſeptimo die ab operibus ſuis requieviſſet, ideóque diem illum ſuo cultui addixiſſet hac de cauſa in illius creatoris execrationem, diem illum jejunio tranſigebant. Ex adverſo autem orthodoxorum Orientalium Eccleſiæ in execrationem delirantium hujuſmodi hæreticorum, jejunia illorum Sabbatina ſic averſabantur, ut nefas eſſe ducerent Sabbatis etiam quadrageſimalibus jejunare. Quamobrem Canon qui inter Apoſtolicos numeratur 66. jejunari prohibet Sabbatis, ſolo excepto Paſchæ pervigilio: pœnam jejunantibus clericis imponens depoſitionis, laïcis vero excommunicationis. At verò Canō Apoſt. 69. ſecluſis Sabbatis, jejuniū per quadrageſimam indicit, per annum verò ferijs quartâ & ſextâ. Ignatius quoque Martyr Apoſtolorum illuſtris diſcipulus, epiſt. ad Philippenſes, poſtquam diſtrictè commendavit quadrageſimæ, nec non toto anni decurſu quartæ & ſextæ feriarum jejunium, adjungit, eos qui Sabbatis jejunant, vno duntaxat excepto, eſſe Chriſticidas. Petrus Alexandrinus Epiſcopus & Martyr, can. 15. jejunium quartæ feriæ idcirco præceptum dicit, quia die illo conſilium initum fuit capiendi & occidendi Jeſum: Sextæ porro jejunium, quia die illo cruci affixus fuit. In Occidentalibus autem Eccleſijs, quod attinet ad Sabbata, diverſæ conſuetudines paſſim pro lege erant. Romæ Sabbatis jejunabatur, ſed non Mediolani; in Africa Sabbatis alicubi jejunabatur, alicubi minimè, prout conſuetudo prævaluerat, ut refert Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum. Atque ex canone iſto Illiberritano liquet in multis Hiſpaniarum plagis indicta fuiſſe Sabbatorum jejunia. Plura de veterum jejunijs ſuperius require, inter diſſertationes quas ad ſæculum ſecundum congeſſi. Locus Ambroſij lib. de Elia & jejunio cap. 10. *Quadrageſimâ totis, præter Sabbatum & Dominicum, diebus jejunatur.* Intelligendus, quantùm Sabbata ſpectat, de ſolo ritu Mediolanenſis Eccleſiæ, quam regebat Ambroſius; quem cum Auguſtinus hac de re Mediolani conſuluiſſet, iſtud ab eo reſponſum habuit, relatum in Auguſtiniana illa ad Caſulanum epiſt. 86. Quid poſſum hic dicere ampliùs, quàm quod ipſe facio? *Quando hic ſum non ieiuno Sabbato, quando Romæ ſum ieiuno Sabbato: & ad quancumque Eccleſiam deveneritis eius morem ſervate ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.*

14. Can. XXVIII. *Epiſcopum placuit ab eo qui non communicat munus accipere non debere.*

Munera impiorum Deo diſplicent nec ab his recipere dignatur niſi, poſt ſinceram converſionem. Ideóque Scriptum eſt, *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus: ad Cain autem & ad munera ejus non reſpexit.* Et in Deuteronomio lege promulgatum voluit. *Non Offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui.* His aſtipulatur Salomon Prov. 21. *Hoſtiæ impiorum abominabiles quia offeruntur ex ſcelere.* Suffragatur etiam filius Sirach, Eccleſiaſtici 34. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Attendant iſtis animarum directores, circa eos qui pro fœnore, rapinis, infirmorum oppreſſionibus, retentis mercenariorum mercedibus ac ſtipendijs, & mercium emptarum preciis fraudibúſque, & violentiis aliis, cumulatè ſatisfactum à ſe putant novorum ſacellorum erectione, aut magnifico alicuius templi ornatu, appoſitis etiam ad jactabundam

I 3 oſtenta

oſtentationem ſuis ſtemmatibus & inſignibus armis: nec reſtituere miſeris quibus injuſta intulere damna conantur. Scribit Athanaſius Epiſt. ad ſolitar. Euſebium Conſtantij Imperatoris Legatum miſſum ad Liberium Romanum Pontificem pretioſa donaria templo Apoſtoli Petri conſecraſſe: id verò iniquo ferentem animo Liberium cuſtodem templi graviter increpaſſe, quod ea recepiſſet ipſa donaria, eadémque protinus de templo ejeciſſe. Teſtis eſt Tertullianus, lib. de preſcriptionibus, Eccleſiam Marcioni poſtquàm manifeſtata ejus hæreſis fuit, multa remiſiſſe ſeſtertia quæ ante notam ejus hæreſim ſponte contulerat. Miram rem perhibet Nazianzenus, invectiva 1. in Julianum, in Gallo & Juliano, qui cum ædem Sacram Martyribus erigere cogitaſſent, partem illam quam Gallus ſumpſerat extruendam feliciter proceſſiſſe, at partem fratris ejus Juliani, qui poſtea impius fidei deſertor evaſit, quantumcúmque illo certatim urgente, nullatenus promoveri potuiſſe, cum terra nec ſarculis ad fundamenta cederet, & ſuper extructa reiiceret: Deo non aliter erga ambos fratres iſtos affecto quam fuerat olim erga fratres Caïnum & Abelem. Scriptum enim eſt Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Præpotentiſſimus Comes Bonifacius, qui fuerat Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo arctiſſimo amicitiæ vinculo conjunctus, cum quemdam qui ad Eccleſiam confugerat per vim abſtraxiſſet, abſciſſus ab eodem Epiſcopo Auguſtino à fidelium communione fuit, & quæ Eccleſiæ offerebat magnifica dona recipi prohibita: ut ex ipſius Auguſtini ad eum epiſtola 187. conſtat, quæ refertur à Gratiano 17. qu.4. c. miror. Clemens Papa lib. 3. conſtitu. Apoſtolicarum c.8. & lib.4. c.6. 7. 8. 9. tantâ aſſeveratione dicit eſſe excommunicatorum Deíque inimicorum dona & oblationes à clero reſpuendas, ut præſtet perire atque emori, quam per hoc ab impiis profectum ſubſidium penuriam inopum ſublevare. Sanctus quoque Athanaſius, epiſt. ad Patrophilum, collaudat Euſebij Vercellenſis Epiſcopi admirabilem conſtantiam, qui fame in carcere interire maluit, quàm cibis veſci ab Arianis ſuppeditatis. Huic demum canoni Illiberino poſteriora Concilia conformantur ut Carthaginenſe quartum, can.93. & 94. *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in Sacrario neque in Gazophylacio recipiantur. Eorumque qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.* Concilium Lateranum generale ſub Alexandro Papa tertio can. 25. uſurariorum manifeſtorum intra Eccleſiam recipi vetat oblationes.

15. Can. XXIX. *Energumenum qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum ut ſuâ manu ad altare miniſtret.*

Energumeni Græca vox energiam, id eſt, operationem maligni ſpiritus exprimit, in illo quem corporaliter poſſidet. Connotat autem vim cacodæmonis activam tum exteriùs adhibitam per motus viſibiles, tum etiam interiùs per motionem facultatum imaginativæ ac phantaſticæ, quarum organa tenebrio Spiritus tum movet, tum ligata tenet ad libitum. Quod idem dicendum de utroque appetitu ſenſibili quoad motiones ſive concupiſcentiæ ſive iracundiæ. Diſponit enim de cunctis corporis à ſe poſſeſſi partibus, de ſpiritibus quoque & humoribus: non utique ſemper ad ſuum omnem libitum, ſed quantum Deus ejus malignitati permiſerit. Canon iſte duabus rebus privat energumenos; primùm enim non permittit eorum nomen ad altare cum oblationibus recitari. Secundò nec ullum ab his miniſterium intra Eccleſiam exerceri. De iiſdem ſtatuitur Apoſtolorum can. 78. *Si quis dæmonem habet clericus non efficitor: ſed nec cum fidelibus preces fundito. Mundatus verò recipitor & ſi fuerit dignus efficitor.* Sc. clericus. An vero ſit ad Euchariſtiæ communionem admittendus, diverſis placitis Eccleſiæ diſciplina vacillavit. Dionyſius in Hierarchia Eccleſiaſtica, cap. de communione, docet energumenos & catechumenos & primos pœnitentium ordines arceri à divinis, & foras ejici ante myſticam oblationem: atque ita nec offerre nec communicare. Soli namque offerebant qui communionis Sacræ futuri erant participes. Concilium Carthaginenſe quartum hoc unum energumenis tribuit miniſterium, ut Sacrarum ædium pavimenta verrant, canone 91.

16. At verò Timotheus Alexandrinus in reſponſis canonicis, reſponſo 3. ſtatuit fidelem energumenum ſi non blaſphemet debere Sanctorum myſteriorum fieri participem: non ſingulis quidem diebus, ſed ſtatis temporibus. Concilium inſuper Arauſicanum primum can. 14. Sacram eis permittit altaris communionem, dummodo ſe clericis morigeros exhibeant: rationem hanc adjungens, quia virtute Sacramenti opus ipſis eſt quâ muniantur contra dæmonum aggreſſiones. Apud Caſſianum collat.7. cap. 29. & 30. Germanus interrogat ſintne Sacrâ communione gratificandi energumeni: *Quos* (inquit) *non ſolùm deſpici ab hominibus vel horreri, ſed etiam à communione Dominica in noſtris provinciis videmus perpetuò abſtinere?* Cui reſpondet Serenus Abbas. *Communionem Sacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam vidimus eis interdictam. Quin imo ſi poſſibile eſſet eis etiam quotidie impertiri eam debere cenſebant. Nec enim ſecundum Evangelij ſententiam, quam huic ſenſui copulatis, Nolite ſanctum dare canibus, ad dæmonis eſcam Sacroſancta communio & non potius ad tutelam corporis animæque pervenire credenda eſt, quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius inſidet Spiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut exurens fugat incendio. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aſpeximus.* Huc uſque Caſſianus. Egregium ſanè opus quod inter Proſperi opera circumfertur, de prædictionibus, lib.4. cap.6. refert de puella nomine Araba, cum in balneo Veneris ſimulacrum impudicè reſpexiſſet, eique ſeipſam conſimilaſſet, fuiſſe ſtatim à Diabolo correptâ: qui meatus gutturis ejus occupans, effecit ne ſeptuaginta diebus cibum aut potum ullum trajiceret, quamvis illa toto illo tempore nec famem nec ſitim ſenſerit, totóque corpore vegeta & robuſta perſtiterit. Deductam demum ad altare in quo reliquiæ ſitæ erant ſancti martyris Stephani, eodem præſente qui hanc tradit hiſtoriam, particulam exiguam corporis Domini tinctam à Sacerdote percepiſſe, quam ſemihorâ mandens trajicere non valuit, ſubjectâ ejus ori manu Sacerdotis, ne Sanctum projiceret: ſed ſuadente Diacono calicem ſalutarem fuiſſe à Sacerdote gutturi puellæ applicatum, ſtatimque recedente Diabolo, illam

Sacramen

Digitized by Google

Sacramentum Dominici corporis transglutiviſſe; fuiſséque deinceps à poteſtate nequiſſimi Spiritus liberam. Quotieſcumque ſimilia eveniunt diſpiciendum eſt, non modo quænam ſit animi diſpoſitio in energumeno, ſed etiam quantam Deus laxaverit poteſtatem in energumenum, quatenus poteſt experimento & ipſius patientis relatione dignoſci. Quandiu autem prudentia dictat periculum imminere vel ſcandali vel irreverentiæ Divini Sacramenti, adhærendum eſt tum temporis antiqui, tum præſentis Eccleſiæ ductui, prohibentis communionem Euchariſticam etiam in extremis, quandiu pertimeſcitur aut vomitus aut exſcreatus divini Sacramenti, & olim ſejungentis energumenos à reliquo fidelium cœtu & aſſiſtentia myſticæ oblationis. Adeò ut Ancyranæ Synodi Canon 17. eos qui ſe nefandis contra naturam libidinibus contaminaverant, ad majorem confuſionem, relegarit εἰς τὺς χειμαζομένους quos de energumenis à Dæmonibus vehementius agitatis exponunt eruditiores, juxta veteres Dioniſij Abbatis & Iſidori interpretationes. Denique de antiquo ritu recitandi intra Eccleſiam nomina offerentium, conſulito diſſertationem de diphtychis Eccleſiaſticis, quæ ſuperiùs cum reliquis inſerta eſt in ſecundo Eccleſiæ ſæculo.

17. Can. XXXIV. *Cereos per diem placuit in cœmeterijs non incendi. Inquietandi enim non ſunt Sanctorum ſpiritus. Qui hæc non obſervaverint arceantur ab Eccleſiæ communione.*

Obſerva non prohiberi cereos intra Eccleſiam incendi, in quibus neque tempore Concilij Illiberritani neque ſubſequutis temporibus corpora fidelium ſepeliri permittebantur: ſed ſolis in cœmeterijs. Quia Canon iſte non ceræmonias Divini cultus, ſed necromanticæ impietatis aut divinationis dæmoniacæ præſtigias interdicit: quibus utebantur multi qui ex Schola Simonis Magi, diſcipulorumque ipſius, Baſilidis, Menandri, Saturnini vipereorum geniminum prodierunt: unde etiam emerſit intra Hiſpaniam Diabolica Priſcillianiſtarum propago, incantamentis & divinationibus addicta. Ejuſmodi ſacrilegis inſidebat curioſa mortuorum evocatio per tenebriones dæmones, quorum invocatione ſuadebant mortuos evocari, atque ab his quaſi ab oraculis abditiſſima ſecreta & ventura facta poſſe addiſci. Sacræ Regum Hiſtoriæ referunt infeliciſſimum Regem Saül pridie mortis ſuæ, atque funeſti illius cum Philiſtæis conflictus, (quo duobus filijs interemptis, deletóque interneciõe Iſraëlitico exercitu, ipſe quoque miſeram vitam ſuam miſeriore interitu concluſit,) cum ſe à Deo deſtitutum ſentiret, extremáque omnia ſibi ſuiſque imminere, per Pythoniſſam, quæ erat in Endor, cum paululum à caſtris ſuis nocte intempeſtâ ſe ſubduxiſſet, animam prophetæ Samuelis petijſſe evocari: ut ejus reſponſis quid ſibi ſortis impéderet addiſcere poſſet. De Appione Scribit Plinius lib. hiſtor. natur. 30. cap. 2. Manes Homeri ab inferis evocaſſe, ut quæ eſſet ejus patria, & alia inania, & abſque ulla fruge curioſa perdiſceret, nec tamen profiteri auſum quid ſibi ille reſpondiſſet. De Appollonio Thyanæo ſcribit Philoſtratus, cum veniſſet ad Achillis ſepulcrum ejus evocaſſe Manes, ut ſibi Herois illius imaginem qualis in vivis fuiſſet commonſtrarent. Narrat Tertullianus lib. de anima cap. 57. ex Heraclidis, Nymphodori & Herodoti hiſtorijs Naſamonas ſolitos oracula captare pernoctando ad parentum ſuorum ſepulchra. Idemque ex Nicandro affirmat Celtas apud virorum fortium buſta eorundem ſpiritus de occultis rebus conſulere. Ibidemque aſſerit imagines mortuorum iſtis inquiſitoribus occurſantes, nullatenus eſſe defunctorum animas, ſed inania ſpectra quæ ipſi cacodæmones oculis conſultorum illudentes effingunt. Hiſque idem addit Tertullianus non ipſam Samuelis animam oculis Saül objectam fuiſſe ſed ejus ementitam effigiem. Neque reipſa fuiſſe in ſerpentes converſas Magorum Pharaonis virgas ſed ita viſum faſcinatis arte dæmoniacâ circunſtantium oculis. Sancti denique, quos Canon iſte dicit non eſſe inquietandos, ipſimet intellig. fideles debent, quos Scripturæ Sacræ Sanctorum nomine ſignificare plerumque ſolent: & frequentiſſimè Paulus Apoſtolus in ſuis epiſtolis. Viſum porro eſt Illiberritanis Patribus Verbum inquietandi hic uſurpare; quia Samuelis effigies ſimilibus præſtigijs evocata, eodem uſa eſt verbo. *Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer?* Sanctis enim ab hac mortali vita ſubductis, *à modo dicit Spiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.* Corpora quidem horum in ſepulcris & animæ in ipſo Dei ſinu.

18. Jam verò luminarium & lampadum uſum antiquiſſimum in Eccleſia fuiſſe, veterum Patrum teſtimonijs conſtat. Gregor. Nazianzen. orat. 40. in ſanctum Baptiſma, Cyrillus Hieroſolymitanus in Procatecheſi, & in Catecheſi Myſtag. 1. Auguſtinus in Pſal. 15. Venantius Fortunatus lib. 4. carminum, docent catechumenos ad baptiſmum accedẽtes cereos accenſos deferre ſolitos, fuiſſe pariter conſuetudinẽ Chriſtianorum in funeribus, & exequijs fideliũ faces accenſas ac cereos adhibendi, ad æternæ lucis ſignificationem quæ piorum ex hac vita demigrantium animis affulget in cœlis, priſcorum Patrum relationibus compertum eſt. Pontius Diaconus, qui ſancti Martyris Cypriani ſepulturæ interfuit, refert ſacrum ejus corpus à fidelibus cereos deferentibus, magnâ elatum fuiſſe triumphi celebritate. Scribit Hieronymus in epitaphio Paulæ, ad ejus funus ingentem fuiſſe Clericorum, & Monachorum ardentes cereos in manibus habentium, concurſum: Gregorius pariter Nyſſenus in vita Macrinæ ſororis commemorat frequentiam Clericorum, & populi ad ejus funus accenſos cereos geſtantium, τὰς ἐκ τῦ κηρῦ λαμπάδας ἔχοντες πάντες. Theodoritus lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 36. fidem facit, in tranſlatione reliquiarum S. Joannis Chryſoſtomi plurima accenſa luminaria à Prælata fuiſſe. Vigilantius hæreticus exprobrat apud Hieronymum, his verbis conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ. *Videmus moles cereorum ſole fulgente accendi.* Idemque Hieronymus epiſt. ad Riparium. *Ergo accenſi ante tumulos martyrum cerei idololatriæ inſignia ſunt?* Adde quæ Vigilantio idem Sanctus Doctor objectat, de communi Eccleſię ritu cereos accendendi tum ad Martyrum memorias, tum ad ſolemnem Evangelij ad Altare lectionem, *Et abſque Martyrum reliquijs, per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium accenduntur luminaria jam ſole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Paulinus Sancto Felici cultum fidelium veneratione adhibitum graphicè deſcribit his Verſibus.

*Aurea*

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis,*
*Clara coronantur denſis altaria Lychnis,*
*Limina ceratis adolentur odora papyris:*
*Nocte dieque micant: ſic nox ſplendore diei*
*Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore*
*Plus micat, innumeris lucens gemmata lucernis.*

Concilium Bracarenſe ſecundum anni Chriſti 563. can. 7. tertiam rerum Eccleſiæ portionem aſſignat luminaribus ipſius Eccleſiæ. Idémque de tertia illa proventuum parte ſtatuitur Concilij Bracarenſis tertij can. 2. deinde can. 5. edicit ne ulla fiat ab Epiſcopis Baſilicæ aut cujuſvis Oratorij conſecratio vel dedicatio, niſi receptâ donationis chartulâ quæ ſufficiat ad luminarium proviſionem, & Clericorum qui ibi miniſtraturi ſunt ſuſtentationem. Utrumque Concilium habitum eſt Joanne tertio Pontifice. Sed his antiquius Concilium Carthaginenſe quartum can. 6. decernit. *Acolythus cum ordinatur ab Epiſcopo doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſia lumina mancipari.*

19. Canon XXXV. *Placuit prohiberi ne fœminæ in cœmeterijs pervigilent, eò quòd ſæpè ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.*

Permulta ſunt ſanctiſſimè inſtituta, quorum tamen abolitio neceſſaria fuit ad auferendos pravorum hominum prætextus, occaſionem inde captantium delinquendi. Agapas fieri per omnes Eccleſias Apoſtoli Sancti approbaverant, quas tamen temporum progreſſu, quia in his Chriſtiani ſe inordinatè gerebant, plerique Sancti Epiſcopi abrogandas, atque ab Eccleſijs eliminandas cenſuerunt: & reipſa ſacris Sanctionibus eliminarunt, ut ſuprà in noſtra de agapis diſſertatione commonſtravimus. Idem contigit in nocturnis Chriſtianorum conventibus, & pervigilijs ad communem orationem deſtinatis. De his teſtatur Plinius epiſt. ad Trajanum. *Quod ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere.* Tertullianus lib. ad uxorem cap. 4. captivitatem deſcribens mulieris fidelis, quæ viro nupſerit infideli, ſic ait: *Quis* (infidelis maritus) *nocturnis convocationibus ſi ita oportuerit à latere ſuo abſcedere conjugem ſuam libenter feret?* Baſilius Magnus epiſt. 63. ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis mentionem injicit populi conſurgentis nocturnis horis, & in Eccleſiam ad orandum & pſallendum convenietis: & ejuſmodi Antelucanum Conventum non ſolùm in Aſia, ſed etiam in Ægypto, in utraque Lybia, in Palæſtina, in Phœnicia, in Syria, in Arabia, & in Provincijs quas Euphrates alluit frequentari teſtatur. Lubet ejuſdem ad ſuos Cæſaræenſes ſermonis initium referre, quod argumentum ſit indefeſſi in optimo paſtore laboris, & admirabilis in ſubdito grege devotionis. Sic ergo Baſilius ſuum ad Pſal. 114. ſermonem auſpicatur: *Iam inde abuſque media nocte, quum hoc dicatum martyribus templum ſubieritis, ipſorum martyrum Deum hymnidicis laudibus placabilem vobis reddentes ac propitium, interim tamen non deſiſtitis ad hanc uſque meridiei horam noſtrum operiri ad vos adventum. Quare vobis parata merces eſt, quod honorem erga martyres atque cultum divinum ſomno prætuleritis & requiei. Quòd ſi nobis item opus fuerit verbis, ut cauſam afferamus moræ iſtius nectenda excuſationem, noſtraque abſentia diuturnioris, hanc unam fuiſſe dicemus: quòd pro diſpenſatione nobis concredita Eccleſiam alteram huic nihilo diſparem ſedulò curavimus, non mediocri à vobis disjunctam ſpacio. In hoc obeundo munere partem impendimus hujuſce diei.* Sidonius Apollinaris lib. 5. epiſt. 17. ſcribit, ſe Lugduni anniverſariæ ſancti Juſti feſtivitati cum innumera utriúſque ſexus multitudine interfuiſſe, vigiliáſque communes cum antelucanis proceſſionibus celebraſſe in illius Sancti venerationem. Concilium Matiſconenſe ſecundum anni Chr. 585. can. 1. præcipiens cunctis fidelibus Dominicæ diei celebrationem, hæc addit, *Noctem quoque ipſam quæ nos inſperatæ luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubijs, nec dormiamus in ea quemadmodum dormitant qui nomine tenus Chriſtiani eſſe noſcuntur, ſed oremus & vigilemus operibus ſacris.*

20. Sæculo demum decimo tertio nocturnæ in Eccleſijs vigiliæ non modo obſoleverunt, ſed etiam prohibitæ ſunt. Concilium namque Copriniacenſe, à Petro Burdegalenſi Archiepiſcopo cum ſuffraganeis celebratum anno 1260. ſtatuit Can. 1. *Cum ex vigilijs quæ in Eccleſijs fiunt frequenter multa turpia inſequantur, & frequentiſſimè vulnera inferantur, propter quæ eædem Eccleſiæ reconciliatione, quæ per ſolos Epiſcopos habet fieri, indigere noſcuntur, ſtatuimus & præcipimus firmiter ne de cætero in prædictis Eccleſijs vel cœmeterijs vigiliæ fiant.* Concilium inſuper ad Pontem Audomari à Guilielmo Rotomagenſium Archiepiſcopo cum ſuffraganeis habitum anno 1279. ita ſancit Can. 10. *Firmiter inhibemus ne vigiliæ & choreæ in cœmeterijs & locis Sacris fiant, præcipientes quod transgreſſores puniantur.* Concilium Antiſiodorenſe jam inde à ſexto ſæculo anno Chr. 578. can. 3. *vetat compenſos in domibus proprijs & vigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere.* Hoc tamen addens: *Sed quicunque votum habuerit in Eccleſia vigilet.* Qui Canon ſatis obſcurus & perplexus eſt. Deinde Can. 5. ibid. ſancitur: *Omnino & inter ſupradictas conditiones, pervigilias, quas in honore domni Martini obſervant, omnimodis prohibete.* Hæ prohibitiones non abſolutæ videntur, ſed ut loquitur canon *inter ſupradictas conditiones.* Quænam verò illæ fuerint non ſatis liquet. Qui huic particulari præſedit Synodo Annacharius, Epiſcopus Antiſiodorenſis Eccleſiæ, legitur ſubſcriptus in Concilio Matiſconenſi ſecundo, quod poſt octo annos ab hoc Antiſiodorenſi habitum eſt, cujus canonem 1. de celebrandis dierum Dominicorum pervigilijs paulò ante retulimus.

21. Referunt Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 2. Romanarum antiquitatum, & Cicero libro 2. de legibus nocturna ſacra propter diſſolutionem, quibus obnoxia erant lege Romuli fuiſſe ſuppreſſa & interdicta: quæ tamen cum poſtmodùm fuiſſent licentioſiùs introducta, ſequutum fuiſſe Poſthumio Albino & Martio Philippo Coſſ. Senatuſconſultum, quo ſacræ hujuſmodi excubiæ diſtrictè vetabantur. Verumtamen Romani invaſor Imperij Maxentius, eaſdem nefarias illas in honorem falſorum numinum vigilias Romæ reſtituit. Sed Maxentio è vivis ſublato Conſtantinus, nefaria eadem nocturnáque ſacra ſuo edicto eliminavit, quod eſt in Theodoſiano Codice l. 5. tit. de Paganis, & Sacrificijs & Templis eorum.

22. Canon XXXVI. *Placuit picturas eſſe in Eccleſia non debere: ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur.*

Quamvis receptiſſima ſit apud omnes fideles traditio, Deum depingi poſſe humanâ figurâ, non quidem ad ejus repræſentandam ſubſtantiam aut naturam: id enim ad Audeanorum, ſeu Anthropomorphytarum hæreſim pertineret, Deo humana membra, & corporeas delineationes affingentium, ſed ad humanæ memoriæ ſubſidium, repræſentando ſenſibus non qualis ipſe eſt, ſed in quibus formis, & quâ ſpecie ſeſe hominum oculis ut ſacræ Paginæ referunt dignatus eſt exhibere, & cum illis colloqui. Primis tamen ſæculis Eccleſia non judicavit hac uti Dei corporea repræſentatione, ne idolorum cultores Chriſtianis regererent, ipſos quoque in eundem errorem impingere quem in alijs vituperabant, ſimulacra humanaſque effigies pro numine adorandi, & ſtatuas colendi atque picturas: tametſi longè diſpar hac in re quoque foret noſtra, & illorum conditio; illi quippe falſa in ſimulacris numina, nos verò unicum verumque Deum, imaginum adminiculo adjuti, veneramur. Spectandum eſt autem hujus Concilij tempus, quum Eccleſia regnantibus Diocletiano & Maximiano ſub impiorum tyrannide gemebat. Iſtam Chriſtianorum illis ſæculis viventium diſcretionem moderâtionémque probra illa, & convicia teſtantur ab ethnicis objecta apud Minutium Felicem in Octavio: *Cur enim occultare, & abſcondere quidquid illi colunt magnopere nituntur, cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint? cur nullas aras habent, templa nulla? nulla nota ſimulacra? nunquam palam loqui? nunquam liberè congregari? niſi illud quod colunt & interprimunt aut puniendum eſt, aut pudendum.*

23. Verùm ubi Eccleſia ſub Chriſtianis Imperatoribus liberum caput altius extulit, depreſſâque idololatriâ lux majoris libertatis & fiduciæ ſacræ Religioni affulſit, tum cœperunt fideles imagines in templis erigere, eiſque venerationem ad earumdem exemplaria reſilientem ac redundantem impartiri. Nonnulli tamen imaginum uſum approbantes, tum ad Eccleſiarum decorem & ornatum, tum ad memoriæ fidelium adminiculum, & devotionis incitamentum, tum etiam ad rudium, & illiteratorum inſtructionem, non perinde approbarunt cultum aliquem ipſis imaginibus adhiberi. Res quippe his initijs nondum ſatis diſcuſſæ erant, neque in religioſo cultu, ac veneratione omnibus innotuerat diſtinctio, quæ eſt inter latriam & duliam; neque inter has ſatis perſpectum fuerat intercedens diſcrimen inter duliam abſolutam & relativam, quarum prior ipſis Sanctis hominibus, aut Angelis immediatè exhibetur, poſterior autem rebus ad eos pertinentibus, aut repreſentantibus, qnales ſunt libri, veſtes, imagines: ſicut neque inter latriam relativam, & per accidens quæ venerandæ cruci redemptoris, & latriam abſolutam, & propriam ac per ſe quæ Chriſti perſonæ, aut humanitati deferenda eſt, non tamen ejus ſalutiferæ cruci, aut præſepi, aut faſcijs, aut imaginibus ejuſdem applicatur. Eo verò ſolùm Minucius Felix in Octavio gentilibus reſpondens, objicientibus crucis adorationem, ſic ait: *Nos crucem neque adoramus* (nimirum cultu abſoluto, ſed tantummodò relativo) *neque optamus.* Eâdem intelligentiâ concipi debent Auguſtini verba, quaſi per vituperationem prolata. tract. de moribus Eccleſiaſticis c. 34. *Novi multos eſſe ſepulcrorum & imaginum adoratores:* hoc unum intendens, ſepulcra, vel imagines ſecundùm propriam materiam lapideam, metallicam, aut colores, abſolutè, àc per ſe nullam mereri adorationem. At diſtinctiùs idem loquitur Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. ubi diſtinguit inter res ipſas ſacras ſecundum ſe, ac earum ſigna quæ ſacra vocat eo reſpectu, quia res de ſe abſolutè ſacras repræſentant ac ſignificant, quales ſunt Angeli Dei, aut Prophetæ, vice Dei quem ſignificant apparentes; aut loquentes; aut figuræ vel imagines ſenſibiles, per quas ſe hominibus, qui non niſi per ſenſus quidquam intelligunt, ſe manifeſtant. Hæc verò ſigna ibidem vocat ſacra, & pronunciat eſſe veneranda: *Sed quia* (inquit) *hac hominibus nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt.* Ibidémque inter ſigna, quæ religioſum merentur honorem, æneum ſerpentem recenſet, prout eſt Chriſti figura. Diſtinctiùs quoque idem Sanctus Doctor lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. ait Iudæos fuiſſe ſervos ſub ſignis legalibus conſtitutos, quia honorabant quidem utilia ſigna, eorumque non noverant ſignificationem; eos verò qui & venerantur utilia ſigna, & eorum intelligunt ſignificata, ut ſunt in Eccleſia fideles, dicit non tam honorare ſignum, quàm rem ipſam ſignificatam, quam Judæi colentes ignorabant; ideoq; præ veteribus Judæis liberos eſſe. Ego quoque probabile judico, Gallorum illorum errorem, qui temporibus Caroli Magni, Ludovici Pij, Caroli Calvi, ſacras quidem imagines intra Eccleſias admittebant, & approbabant; ſed eaſdem adorari, aut quacumque religioſa veneratione coli negabant eſſe licitum, ſolùm exceptâ ſalutiferâ cruce, non tunc exordia habuiſſe: ſed altiori traditione ad eos dimanaſſe, jam inde ſub prima Franciæ Regum progenie. Sereno namque Maſſilienſium Epiſcopo, imagines ab Eccleſia ſua removente, ſi populus earum venerationi aſſueviſſet, tantam non fuiſſet paſſus indignitatem: cum ipſe populus Conſtantinopolitanus, jampridem cultui ſacrarum imaginum addictus & aſſuetus, quando æneam Salvatoris imaginem Leo Iſauricus iconomachus Imperator, de templo deturbari juſſit, tantam adverſus ipſum, & præſentem, & armis, militibuſque ſuccinctum, moviſſe legatur ſeditionem, populo eidem qui infirmior erat exitialem. Serenum porrò his verbis arguit, & admonet Gregor. Magnus, lib. 7. epiſt. 109. *Ad nos pervenit, quod fraternitas veſtra adoratores quoſdam imaginum reſpiciens, eaſdem Eccleſiæ imagines confregit, atque projecit; & zelum quidem vos, ne quid manufactum adorari poſſit, laudavimus habuiſſe; ſed frangere eaſdem imagines debuiſſe non judicavimus. Idcircò enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut illi qui literas neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & literarum neſcij haberent unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in adoratione picturæ minimè peccaret.* Idem Sanctus Papa, ejuſdem libri epiſt. 53. ad Secundinum, hæc ſcribit: *Scio quidem quod imaginem Salvatoris noſtri non petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filij Dei in ejus amore incaleſcas, cujus te imaginem videre conſideras. Et nos quidem non quaſi ante divinitatem, ante*



Digitized by Google

*illam proſternimur; ſed eum adoramus quem per imaginem aut natum aut paſſum, ſed in throno ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet. Ideoque direximus tibi ſextarias duas, imaginem Salvatoris & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, Beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli continentes, per ſupra dictum filium noſtrum.*

24. Alij non inconcinnè rationem iſtam Canonis proferunt, ne in parietibus depictæ imagines ludibrio gentilium exponerentur. Signa enim, & ſtatuæ, & tabulæ mobiles, facilè poterant à Chriſtianis aliò transferri & occultari, dum perſecutio imminebat, atque ludibrijs ethnicorum eripi; non verò parietibus adhærentes picturæ. Inſuper facilè contingebat, ut vel fœdarentur, vel decruſtatis parietibus indecorè mutilarentur. Simili de cauſa in Codice Iuſtinianæo lib. 1. tit. 8. lex promulgatur Theodoſij & Valentiniani Impp. prohibens humani Salvatoris ſignum in ſilice inſculpi, aut depingi, ne videlicet conſpuatur, aut conculcetur ab ijs, qui ſacrum in locum conveniunt. Quod idem ſancivit Quiniſexta Synodus, can. 73. cum hac ratione *ὡς ἂν μὴ τῇ τῶν βαδιζόντων καταπατήσει τὸ τῆς νίκης ἡμῶν τρόπαιον ἐξυβρίζοιτο*, ne incedentium proculcatione quod nobis victoriæ trophæum eſt injuriâ afficiatur.

25. Canon LX. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Evangelijs non eſt ſcriptum, nec invenitur ab Apoſtolis unquam factum, placuit eum in numerum non recipi Martyrum.*

Ratio eſt quia hujuſmodi aggreſſio non modò nihil pariebat utilitatis, ſed inſuper gravium damnorum cauſa erat; quatenus nonnulli temerè ac inconſultò ad hujuſmodi actus proſilientes, nihil aliud promovebant, quàm majus & obſtinatius Chriſtianæ religionis odium; & gentilium Principes ac Magiſtratus ad atrociorem adversùs Chriſticolas perſecutionem. Exemplo ſit Audas Epiſcopus, qui, ut prodit Theodoritus, lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 38. dum Eccleſia in Perſide pace tranquilla potiebatur, horrendæ ſub Rege Iſdigerde perſecutionis cauſam dedit, eò quòd nullâ adigente neceſſitate Templum ultrò incendiſſet gentilium. Refert quoque Auguſtinus in breviculo, Menſurium Carthaginis Epiſcopum, ſæviente Diocletianæâ perſecutione, decretum ediſiſſe, ne Martyrum honore afficerentur illi, qui nec citati nec interrogati, Magiſtratibus occurrebant, declarantes, ſe ſacros aſſervare libros, nunquam à ſe tradendos.

26. Canon LXV. *Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſciat eam maritus ſuus mœchari, & eam non ſtatim projecerit, ne in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent videantur Magiſteria ſcelerum procedere.*

Invicem aſtipulantur jura Civilia & Eccleſiaſtica in hoc, ne liceat marito uxorem quam ſcit adulteram retinere: nec impunè ferat ſi retinuerit. Id perſpicuè decernunt l. 2. & l. conſtante, & l. mariti lenocinium, ff. de adulter. & l. 2. & l. ſine metu, Cod. eod. tit. prodit etiam Vlpianus l. 2. §. unde, ff. eod. Claudium Gorgonium, virum clariſſimum, lenocinij crimine ſine accuſatore damnatum à Severo, quod in adulterio deprehenſam uxorem retinuerit. Prolixius eſſet, Canones aliaque Eccleſiaſtica quæ penè innumera ſunt jura referre: ſed ex multis iſta ſelecta ſufficient. Concilium Nannetenſe can. 12. *Si cujus uxor* (inquit) *adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat uxorem ſi ipſe voluerit propter fornicationem. Illa verò ſeptem annis publicè pœniteat. Vir verò ejus illâ vivente nullatenus aliam recipiat. Quod ſi voluerit adulteram reconciliari, licentiam habeat: ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat: & exactâ pœnitentiâ poſt ſeptem annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulterabit.* Concilium Terraconenſe primum can. 9. ita ſciſcit: *Si quis Lectorum adulteræ mulieri voluerit miſceri, vel adhærere conſortio, aut relinquat adulteram, aut à Clero habeatur extraneus. Similis ſententia oſtiariorum ſcholam manebit.* Item in decretalibus de adulter. cap. 3. *Si vir ſciverit uxorem deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, ſed permanet in fornicatione ſua, & vivit cum illa, vir reus erit, & ejus peccati particeps. Quod ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam & voluerit ad virum reverti, debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, ſed non ſæpè.* Porrò Hieronymi & Chryſoſtomi, aliorúmque Patrum teſtimonia, refert Gratianus ſub cauſa 32. quæſt. 1.

27. Canon LXXI. *Stupratoribus puerorum, nec in fine dandam eſſe communionem.*

Notabilis eſt Conſtantini Magni lex, cum vir Cod. ad leg. Iul. de adulter. *Cum vir nubit in fœmina viros paritura, quid cupiatur ubi ſexus perdidit locum? Vbi ſcelus eſt quod non proficit ſcire, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quæritur nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames qui ſunt vel qui futuri ſunt rei.* His accedat Valentiniani, Theodoſij & Arcadij lex ſexta in Cod. Theodoſiano titul. 7. lib. 9. *Omnes quibus flagitij uſus eſt virile corpus muliebriter conſtitutum alieni ſexus damnare patientiâ, ſpectante populo flammis vindicibus expiabunt.* Sodomæ & finitimarum Vrbium incolas hoc flagitio contaminatos, ultricibus è Cœlo flammis conflagraſſe ſacri Libri produnt.

28. Canon LXXV. *Si quis autem Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetiverit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem.*

*CONCILIUM*

## *CONCILIVM SINVESSANVM Anni 303.*

1. HABITUM fuiſſe contendit Baronius anno Chriſti 303. Imperijque Diocletiani vigeſimo; ejus quæ ſuperſunt acta vetuſtatis venerandæ ſunt, ſed pleriſque mendis ſcatentia. Pontificale Damaſo attributum de Marcellino Papa hæc perhibet. *Quo tempore fuit perſecutio magna, itaut intra triginta dies decem & ſeptem millia promiſcui ſexus hominum per diverſas Provincias martyrio coronarentur. De qua re & ipſe Marcellinus ad ſacrificium ductus eſt, ut thurificaret, quod & fecit. Et poſt paucos dies pœnitentiâ ductus ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti cum Claudio & Cyrino & Antonino capite truncatus eſt, & martyrio coronatus.* Auguſtinus de veritate lapſus Marcellini Pontificis ambiguè loquitur, veritus ne ſit Donatiſtarum commentum. Ait enim tract. de unico Baptiſmo contra Petilianum, cap. 16. *Lapſum Marcellini Donatiſtæ quidam Catholicis objecerunt, ſed crimen commiſſum eſſe hactenus non probaverunt.* Cauſæ Donati contra Cæcilianum, in qua ambo de Carthaginenſi Epiſcopatu, quem uterque ſibi aſſerebat, contendebant; commiſſum fuerat judicium per Conſtantini Auguſti decretum Melchiadi Romano Pontifici, alijſque quibuſdam Epiſcopis, à quibus adjudicatus eſt Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopatus. At Donatus iſtud judicium quo ſuccubuit ut infirmaret, aſſeveravit incompetentem judicem eſſe Melchiadem, quem accuſabat unus ex Marcellini Sacerdotibus extitiſſe, eumdémque idolis unà cum Marcellino thurificaſſe: cum tamen crimen iſtud Melchiadis thurificantis minimè probare valuiſſet. Verumtamen iſtud Melchiadis judicium, Concilio Arelatenſi paulò poſt convocato, confirmatum eſt. Auguſtinus quidem objectum ſibi eo capite Marcellini & Melchiadis crimen non aliter negat, quàm quatenus illud ſibi erat ignotum, atque ſibi à Petiliano & alijs Donati ſectarijs objectum, nullatenus probabatur; & quia quiſquis alteri crimen intentat nec tamen probat pro calumniatore habendus eſt. *Quid jam opus eſt* (inquit) *ut Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumnijs inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus & Sylveſter traditionis Codicum divinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur, ſed nunquid ideò etiam convincuntur? aut convicti aliquâ documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrilegos fuiſſe dicit, ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus ſit ſuam?* Certè ex meris negativis nihil concluditur, neque ex eo quòd Marcellini culpam Auguſtinus ignoravit, inferre quis poteſt eſſe fabuloſam, non magis quam inferat quiſquam nullum fuiſſe Sardicenſe Concilium, ex eo quod idem Auguſtinus illud minimè agnoverit. Lubens equidem cum Auguſtino admiſerim Melchiadis thurificationem fuiſſe commentitiam, quia ſoli Donatiſtæ in eum peſſimè affecti erant, à quo juſtè condemnati fuerant, ipſorúmque admodum intererat ejus reſcindi judicium: ſed adverſus Marcellinum nullum conceperant odium, ut ei calumniam inferrent: ſed tamen ejus lapſum ideò commemorati ſunt ut inde occaſionem captarent adverſus Melchiadem ſibi inviſum, & calumniarentur, fuiſſe ejuſdem lapſus reum & ſocium; hac ſumptâ inde conjecturâ, quia erat tempore illo Marcellini individuus Sacerdos; quæ utique conjectura abſque alijs argumentis prorſus erat inſufficiens. De Marcellini autem delicto multa urgent argumenta: Et ut Emmanuelis Scheleſtratis Belgæ verba adducam, Chriſtianus Lupus lapſum Marcellini Mercibus Iſidori Mercatoris immeritò adſcripſit, Donatiſtæ enim tribus aut quatuor ſæculis hunc Iſidorum præcedentes, jam lapſum Marcellini ut indubitatum habebant: & ideò illum ut lapſorum Principem proponebant, ne ejus Clericorum lapſus ab ipſis confictus detegeretur. Deinde Pontificale Damaſi, qui ſæculo quarto floruit, ex mercibus Iſidori confectum eſſe non potuit. Et ponamus hoc Pontificale non eſſe Damaſi, ſed alterius: certè Anaſtaſius Bibliothecarius ſæculo nono, vitam Marcellini ex alijs antiquioribus monimentis operi ſuo inſeruit.

2. Stant quoque Sinueſſani Concilij acta, quibus veneranda ipſa antiquitas majeſtate ſuâ ab invitis etiam venerationem aſciſcit, ut loquitur Binius, in notis ad hoc Sinueſſanum Cōcilium. Luitprandus Ticinenſis, ſæculo nono, hujus prolapſionis Marcellini; Nicolaus pariter Papa primus, in epiſt. ad Michaëlem Imperatorem meminere. Cui etiam fidem aſtruunt Romanum Martyrologium & Breviarium. Demum locuples hujus rei teſtimonium præfert Marcellini Papæ vita, ex antiquiſſimo Codice, Juliani Imperatoris tempore, ut fertur exarato, quem eruditi Patres Henſcenius & Papembrochius nuperrimè publici juris fecerunt. Cardinalis Baronius, cui primùm ſuſpecta hæc Hiſtoria viſa fuerat, re demùm accuratiùs ad amuſſim examinatâ in appendice ad Tomum 10. ſuam priorem ſententiam retractavit.

3. Poſtquam Marcellini factum innotuit Romano Clero, (ad quem ut ex Cypriani epiſtolis addiſcimus, deficiente Romano Epiſcopo, pertinebat univerſæ Eccleſiæ ſollicitudo) formido animi graviſſima inceſſit, ne deplorandus Pontificis caſus, qualis nunquam obtigerat, Eccleſiæ quoque ruinam ſecum traheret, & diverſis in diverſas ſententias abeuntibus, ſchiſmata inveherentur: judicatum fuit neceſſe prorſus eſſe Concilium, quàm fieri poſſet ampliſſimum, diverſis ex partibus & Provincijs convocari in ſecretiſſimum aliquem locum, eâ fide & prudentiâ, ut conatus iſte perſecutores Eccleſiæ lateret. Miſſis itaque in diverſa nuncijs, & literis, locus aſſignatus conventui fuit crypta Sinueſſæ: Non enim coactum fuiſſe à Marcellino Concilium inde liquet, quia culpam ſuam coram Patribus qui convenerant primùm negavit, neque ante confiteri eſt auſus, quàm multorum teſtium productione, & præſentiâ ineluctabili convictus fuerit. Tunc demum, profuſis lacrymis in humum abjectus, caſum ſuum confeſſus eſt, neque dignum ſe eſſe qui in ordine Sacerdotali verſaretur, ſeque Chriſtianámque rempublicam Patrum Concilio commiſit.



Digitized by Google

commiſit. Certè ipſa Chriſti Eccleſiæ fabrica, poſtquam tanta quâ fulciebatur columna convulſa fuerat, in ruinæ diſcrimen adducta erat. Reſponſum fuit à patribus. Ore tuo condemnaberis, quia prima ſedes non judicatur à quoquam. Digreſſus inde Marcellinus Diocletiano occurrit, pœnitentiam lapſus ſui voce & lacrymis ſignificans, fidemque à ſe proditam conſtanter profitens, qui Imperatoris juſſu gladio peremptus ſuo ſanguine culpam priorem diluit & abſterſit. Hujus lapſus non fuit error animi contra fidei veritatem, ſed prava fictio contra debitam fidei profeſſionem, & ex puſillanimitate conſenſus in externos idololatriæ actus, qualis olim fuerat Petri, ex animi ſegnitie in paſſione Chriſti negatio.

4. Erat Sinueſſa Campaniæ oppidum, quod Plinius lib.3. cap.5. dicit extremum novi Latij, non procul à Liri fluvio, prius Synope dictum, de qua Livius Hiſtoricus lib.3. cap.5. *In ſaltu Veſtino Falernum contingente, agrum Synope dicitur Græca Vrbs fuiſſe.* Ejuſdémque meminit Strabo lib.5. Idem nunc oppidum Seſſa dicitur, titulum habens ducatus, in Neapolitano Regno.

5. Quod verò Concilio iſto dictum eſt, primam ſedem à nemine judicari, ea ratione nititur; quia Summus Pontifex, cum ſit totius Eccleſiæ Princeps, neminem habet in terris ſuperiorem: ſed omnes Eccleſiæ filij ejus juriſdictioni, in omnibus ad æternam ſalutem pertinentibus, ſubjiciuntur. Illud effatum eodem ex Concilio repetit Nicolaus primus Pontifex epiſt. ad Michaëlem Imperatorem. His conſonat Romanum Concilium ſub Sylveſtro ducentorum octoginta Epiſcoporum, can. ult. hoc definiens. *Neque ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo judicabitur prima ſedes.* Hujus decreti meminit pariter loco citato idem Nicolaus. Atque in Synodo Romana ſub Sixto tertio legimus dictum. *Non licet in Pontificem ſententiam dicere.* Cum Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus, in Synodo Epheſina ſecunda, Leonem primum judicare & damnare auſus fuiſſet, ita id factum exhorruit Eccleſia Catholica, ut ſubſequens œcumenica Synodus Chalcedonenſis Dioſcorum damnarit, & exautoraverit; dicens: nihil tale à quoquam fuiſſe attentatum. Electo ad ſupremam ſedem per legitima ſuffragia Symmacho, ſchiſmatici Laurentium Pſeudopapam, anno 498. oppoſuerunt. Quamobrem convocatum eſt Romanum Concilium, in quo Ennodij Ticinenſis opera laudata eſt, egregiè perorantis contra Schiſmaticos pro cauſa Symmachi, & concluſum. *Quod aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari, ſed Romanæ ſedis Præſulem ſuo reſervavit ſolo arbitrio.* Oecumenica Synodus octava, actione VII. ſub Adriano ſecundo, approbat decretum iſtud Concilij ſub eodem Zacharia Romæ celebrati. *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo verò quemquam judicaſſe non legimus.* Quod ſanè de legitimo judicio intelligendum eſt: facta enim illegitimè auctoritate carent, nullaque eorum habenda ratio eſt.

6. Acta iſta Sinueſſana qualia nunc habemus non ſunt judicialia, ſed hiſtoricè ab aliquo ſcriptore contexta, cum meminerint libræ Occiduæ, quæ numerum duorum & ſeptuaginta electorum teſtium deſignat, ad differentiam Orientalis libræ quæ octoginta quatuor numerum explebat. Mos enim veteribus frequens erat numeros deſignandi nominibus ponderum, ut quum ſolidam hæreditatem nomine libræ, & hæreditatis partes nominibus unciarum exprimebant. Conſtat vero ex l.2. tit. de ponderationibus, Cod. Theodoſ. appellationis ac diſcriminis Conſtantinum Magnum autorem fuiſſe utriuſque libræ. Præterea judiciaria Concilij acta nunquam tempus iſtud notaſſent. *Diocletianus cum eſſet in bello Perſarum.* Iſtud enim falſum & ſuppoſititium eſt: conſtat enim Diocletianum hoc ipſo anno qui erat Imperij ſui vigeſimus, Imperium depoſuiſſe; & quod hunc auget errorem, ante biennium de Perſis fuſis, profligatiſque, Romæ triumphaſſe. Aut igitur ſic corrigendum *Diocletianus cum eſſet reverſus è bello Perſarum*, aut ingenuè fatendum (quod multis alijs Concilijs accidit) appendicem non veram aut germanam, ſed ab aliquo aſſutam fuiſſe.

## CONCILIVM CIRTENSE
### *ejuſque ex Auguſtino fragmentum, Anno Chriſti 303.*

1. EODEM anno eodémque Romano Pontifice Marcellino convenit Synodus Cirtæ in Numidia, Secundo Tigiſitano Epiſcopo tunc Numidarum Antiſtitum Primati autore. Epiſcopi qui obtemperantes Imperatorum Diocletiani & Maximiani Herculij edicto, divinos Codices, aliaſve res ſacras ethnicis Magiſtratibus tradiderant, aut idolis thura incenderant, eo fine convenere, ut in locum defuncti Cirtenſis Epiſcopi alium ſufficiendum eligerent. Celebrata Synodus hæc eſt in ædibus privatis Vrbani Cariſi, quia Baſilicæ nondum erant Chriſtianis reſtitutæ. De ſacrorum Codicum traditione interrogante Secundo Tigiſitano, reliqui præſentes traditionis crimen confeſſi ſunt, ſuumque Primatem interrogantem ejuſdem delicti redarguerunt. Quâ de re ipſe literis ad Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum totius Africæ Primatem purgare ſe, & excuſare fruſtra conatus eſt. Porrò Epiſcopum Cirtenſem (quæ ferè præcipua conveniendi cauſa fuit) ordinarunt Paulum quemdam, qui hoc eodem anno à Magiſtratibus poſtulatus, Scripturas ſacras, & Eccleſiæ ſupellectilem tradiderat. Stupendum omnino eſt, tantam & uſque adeo effuſam temporis illius Epiſcoporum, & Cleri ſegnitiem fuiſſe, divinique cultus & diſciplinæ ſacræ neglectum. Sylvanus quoque hujus Subdiaconus, ejuſdem perfidiæ reus fuit, neque in illo cœtu quiſquam repertus eſt ab illo ſcelere immunis. Quin etiam unus ex illis Epiſcopis, nomine Purpurius, adeò perditæ vitæ fuit, tantæque in ſuis flagitijs profitendis impudentiæ, qualem mox videbimus, ut vix alia par apud nequiores Paganos poſſit inveniri.



Digitized by Google

2. Ex iſtis traditoribus impij Donatiſtæ prodierunt, quorum cauſâ Eccleſiæ Africanæ tot cladibus conflictatæ ſunt. Hujus mentio Synodi legitur apud Optatum, lib.1. contra Parmenianum, & apud Auguſtinum lib.3. contra Creſconium cap.26. & 27. his verbis: *De veſtris autem majoribus extat Secundi Tigiſitani Concilium, cum pauciſſimis quibuſdam factum apud Cirtam, poſt perſecutionem Codicum tradendorum: ut illic in locum defuncti ordinaretur Epiſcopus. Ibi quæ geſta ſint accipe. Nam quæ neceſſaria ſunt ipſa ſcribere curavi.* Deinde proſequitur ut infrà.

3. Diocletiano octies & Maximiano ſepties Conſulibus, quarto nonas Martij, Cirtæ cum Secundus Epiſcopus Tigiſitanus primæ Cathedræ conſediſſet, in domo Urbani Donati: idem dixit. Probemus nos primò & ſic poterimus hîc ordinare Epiſcopum. Secundus Donato Maſculitano dixit: dicitur te tradidiſſe. Donatus reſpondit: Scis quantum me quæſivit Florus ut thurificarem, & non me tradidit Deus in manus ejus, frater: ſed quia Deus mihi dimiſit. Ergo & tu ſerva me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi ſumus de martyribus? quia non tradiderunt ideò & coronati ſint: Donatus dixit: mitte me ad Deum ibi reddam rationem. Secundus dixit Accede unâ parte. Secundus Marino ab Aquis Tibilitanis dixit: dicitur & te tradidiſſe. Marinus reſpondit: dedi Pollo chartulas, nam codices mei ſervati ſunt. Secundus dixit, Tranſi unâ parte. Secundus Donato Calamenſi dixit: dicitur te tradidiſſe. Donatus reſpondit; dedi codices medicinales. Secundus dixit tranſi unâ parte: & alio loco. Secundus Victori à Ruſſicade dixit, dicitur te tradidiſſe quatuor Evangelia. Victor reſpondit, Valentinianus curator fuit, ipſe me coëgit ut mitterem illa in ignem, ſciebam illa deletitia fuiſſe. Hoc dictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit Tranſi ex una parte. Et alio loco. Secundus Purpurio de Limata dixit, dicitur te necaſſe filios ſororis tuæ, duos Milei. Purpurius reſpondit. Putas me terreri à te ſicut alteri, tu quid egiſti, qui tentus es à curatore & ordine ut ſcripturas dares? quomodo te liberaſti ab ipſis, niſi quia dediſti aut juſſiſti dari quodcumque? nam non te dimittebant paſſim. Nam ego occîdi, & occîdo eos qui contra me faciunt: ideò noli me provocare ut plus dicam, ſcis me de nemine tractare. Secundus minor patruo ſuo Secundo dixit. Audis quæ dicat in te, paratus eſt recedere & ſchiſma facere, non tantùm ipſe, ſed & omnes quos arguis: quos ſcio quia dimittere te habent & dare in te ſententiam, & remanebis ſolus hæreticus. Ideò quid ad te pertinet? quid quis egit Deo habet reddere rationem. Secundus Felici à Rotaria Centurioni & Victori à Garbe dixit, Quid vobis videtur? Reſponderunt habent Deum cui reddant rationem. Secundus dixit vos ſcitis & Deus, ſedete. Et reſponderunt omnes, Deo gratias. Hos tu traditores (pergit Auguſtinus) qui cum alijs apud Carthaginem in Cæcilianum & ſocios ejus dixerunt ſententias, inter quos & Sylvanus Cirtenſis fuit, de cujus traditione geſta mox inſeram, præclarâ videlicet ratione defendis, &c.

4. Præſules non priùs Cirtâ diſceſſere, quàm id peregerint propter quod eò convenerant. Creaverunt quippe & ordinarunt Paulum Cirtæ Antiſtitem, qui eodem ipſo anno à Magiſtratibus interpellatus, unà cum Diacono Sylvano Codices ſacros, cimelia & ſupellectilem Eccleſiaſticam tradidit. Sed eodem Paulo paucis pòſt annis vitâ functo in ejus ſubrogatus eſt locum Sylvanus ejuſdem ſacrilegæ traditionis ſocius & reus, ut ex Proconſularibus actis demonſtrat Auguſtinus, lib.3. contra Creſconium cap.27. & 28. & epiſt.165. ad Generoſum.

## *DVO QVÆDAM CARTHAGINENſIA Donatiſtarum Conciliabula annorum 306. & 307.*

1. PRIMUM horum Marcelli Pontificatus tempore, anno Chriſti 306. Carthagine celebratum eſt ab Epiſcopis Donatiſtis circiter ſeptuaginta, adverſus Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum, qui Menſurio legitimis ſuffragijs ad illius Eccleſiæ regimen ſuffectus fuerat. At Schiſmaticorum Donatiſtarum factio, ut ſibi ſoli Eccleſiam illam totius Africæ primariam aſſereret, Cæcilianum calumnioſè accuſabat traditionis divinorum librorum, & prohibitionis ne victus fidelibus carcere detentis, furente Diocletiani perſecutione, erogaretur. Cauſabantur inſuper invalidè fuiſſe conſecratum Epiſcopum à Felice Aptungitano Antiſtite, quem incuſabant ſacros Codices gentilibus tradidiſſe. Iniquam factionem perurgebat Lucilla mulier Hiſpana, opibus præpotens, Cæciliano infenſa & vindictæ appetens, juſtæque reprehenſionis ſibi olim ab illo factæ impatiens, memor ſe ab eo reprehenſam, dum eſſet Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, hac de cauſa; quia mortui cujuſdam os, quem Martyrem credebat, non ſolùm ſuper ſe deferre conſueverat, ſed etiam palam in Eccleſia exoſculari, quo momento erat ſacram Euchariſtiam acceptura; etiamſi non fuiſſet ab Eccleſia in Sanctorum album adſcriptus. His accedebat illorum infenſiſſimum odium, à quibus receptam depoſitámque à Menſurio Carthaginenſi Epiſcopo ſacram ſupellectilem, ne in ethnicorum manus deveniret, Cæcilianus repoſcebat; illi verò ſacrilegè ſibi uſurpabant. Illud ergo malignantium Concilium Cæcilianum pronunciat ſacrorum Librorum traditorem, communionis fidelium exortem, Epiſcopalis ſedis invaſorem, illoque deturbato Majorinum in Carthaginenſem ſedem obtrudit, ordinatum à Donato factionis ſacrilegæ Principe, dictoque à Caſis nigris, Epiſcopo, à quo primum denominati Donatiſtæ. Quamquam ut ſunt inſtabilia ſectariorum ingenia, & in novitates proclivia, poſtquam alter quidam Donatus invaſor factus eſt Carthaginenſis Eccleſiæ, ab iſto recentiore dici maluerunt Donatiſtæ.

2. Secundum à Donatiſtis initum Carthaginenſe Concilium, temporibus quoque Pontificatus Marcelli Romanam regentis Eccleſiam, congregatum fertur anno Chriſti 308. in quo poſt acres dierum ſeptuaginta quinque diſputationes, pertinax Donatiſtarum furor dilucidum admiſit intervallum, ducentis enim & ſeptua-

ginta ipſorum Epiſcopis placuit, ut qui fuerant eorum factionis traditores, etiamſi novi baptiſmi ſuſceptione reconciliari recuſarent, ad communionem reciperentur. Atque ita hujus vigore decreti ut teſtatur Auguſtinus, epiſt.48. ad Vincentium, Donatus unà cum omnibus ſuæ factionis ſectarijs Deuterio Macrinenſis Eccleſiæ Pſeudoepiſcopo, univerſiſque per Mauritanias ejuſdem ſchiſmatis Epiſcopis, deinceps uſque ad Macarianam perſecutionem, per annos quadraginta communicarunt. Cum verò illa per Macarium ſuſcitata perſecutio aſſignetur à Baronio anno Chriſti 348. Demendo de hoc numero annos octo, ut conſtet numerus ille Auguſtinianus annorum quadraginta, referendum eſt iſtud Concilium ad annum Chriſti 308. quo Marcellus Pontifex univerſæ Eccleſiæ clavum regebat. Iſto quidem decreto numerus Donatiſtarum multum accrevit; Secundus enim Tigiſitanus Epiſcopus, (de quo jam à nobis in Cirtenſi Conciliabulo facta eſt mentio) Numidarum Primas, cum eſſet ipſe de numero eorum qui ſacra volumina ethnicis Magiſtratibus tradiderant comburenda, omneſque illius aſſeclæ, tum Numidæ, tum Mauri, tum cæterarum plagarum Africæ, quos ex actibus Proconſularibus conſtabat fuiſſe damnabilis traditionis reos, Donatiſtarum partes augebant & promovebant. Sed inde tamen facta eſt eorum cauſa longè deterior; ſibi enim adimebant diſceſſionis à Cæciliano prætextum, in falſo traditionis, quod illi ejuſque ordinatori Felici Aptungitano Epiſcopo impingebant, crimine fundatum; ſolaque remanebat evidens omnique major exceptione ſchiſmatis quod invexerant cauſa, odium implacabile Cæciliani, & pertinax ambitio. Proinde illos tandem hujuſce decreti admodum puduit, quo ſperaverant pacem inter ſeſe mutuam ſtabilire, diſſidiaque quibus invicem diſſidebant acriterque diſceptabant, componere; immutatiſque animorum ſententijs quatenus fieri poterat ſuppreſſerunt, ut procaciùs gloriari poſſent ſe ſolos mundos, alios autem immundos & contaminatos eſſe, atque hanc diſceſſionis ſuæ cauſam prætexere.

# ECCLESIÆ QVARTI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. ABDICATIO Diocletiani & Maximiani nonnihil perſecutionem imminuit, eam tamen non extinxit quandiu ſuperſtitere Galerius Armentarius, & Romæ Maxentius Maximiani Herculij filius, in Oriente verò Maximinus & Licinius. Moderatiſſimus Princeps Conſtantius amoris affectu erga Chriſtianos propenſus Gallijs & Britannijs contentus, Italiâ Hiſpaniáque, & Africâ ſponte ceſſit Maximiano Galerio Armentario. Hic verò auctâ ditione ſuâ geminos creavit Cæſares, Severum Occiduis Provincijs, & Maximinum ſororis filium Orientalibus regionibus præficiendo. Conſtantius Chlorus non ultra biennium Auguſti dignitate potitus eſt. Ad eum extremâ ægritudine Eboraci in magna Britannia decumbentem, filius Conſtantinus, quem ex Helena ſuſceperat, dilapſus è cuſtodia quâ eum Galerius detinebat, publicis etiam quacumque proficiſcebatur necatis jumentis, ut perſequentium celeritatem evaderet, fauſto ſucceſſu confugit; in cujus complexu lætitiâ effuſus pater paulo pòſt animam emiſit, anno Chriſti trecenteſimo ſexto.

2. Quamvis Italia ceſſione Conſtantij ditioni Galerij acceſſiſſet, hanc tamen cum Africa, ſimulque Imperatoris nomen, prætorianorum militum, & amicorum factione uſurpavit Maxentius, Maximiano herculio natus. Adverſus quem Galerius Severum Cæſarem cum exercitu miſit: qui tamen deſtitutus à ſuis, Ravennam fugere compulſus eſt. Galerius ipſe Romam contendit novo ſuccinctus exercitu, ſed à militibus quoque deſertus in Illyricum ſe recepit, ibique Licinium Cæſarem creavit. Interea Herculius Imperium quo ſe invitus abdicaverat reſumere affectavit, & ſcriptis literis Diocletianum ut idem faceret adhortatus eſt; ſed ejus ambitionem & inconſtantiam ſprevit Diocletianus, reſpondens ſe quietem & voluptatem, quâ in conſerendis & colendis Salonæ hortis fruebatur, longè Imperij Romani gloriæ anteferre, ideoque in propoſito ſe perſiſtere, privatæ quietæque quam elegerat vitæ. Herculius primùm, quaſi honorarius pacis inter filium Maxentium & Severum conciliandæ arbiter, datâ huic juriſjurandi fide Ravennâ eundem eduxit, eductumque perfidioſè Maxentianis tradidit occidendum: ac deinde illos ut ſe duce militent adverſus Maxentium ſollicitat. Sed perfidus ſenex ab illis deſpectus, ſuæque vitæ metuens ad Conſtantinum in Galliam recurrit, eique Fauſtam filiam nuptum dat cum Imperij dotali titulo. His demum celebratis nuptijs, mentem ſuam de Conſtantino genero diſperdendo, filiæ ſuæ aperit. Illa patris perfidiam exhorreſcens, virum ſeorſum admonet, ut ſibi ab inſidijs ſoceri caveat. Herculius rem ſuſpicatus, aut etiam à filia quoque admonitus, ut ſi ſalvus eſſe velit fugâ ſe quamprimùm proripiat, clam aufugit: ſed miſſi à Conſtantino celeres percuſſores, illum Maſſiliæ interceptum interfecere: quo exemplo confirmatum illud eſt, perfida conſilia eſſe tandem autoribus exitialia.

3. Ipſe Conſtantinus dum in Gallijs expeditionem contra Maxentium parat, divino Crucis in cœlo rutilãtis oſtento, & victoriam ſub tali auſpicio pollicentis admonitu, verbis etiam Rheticij Heduenſis Epiſcopi confirmatus, & inſtitutus, Chriſtianam amplectitur religionem, & progrediens, arces, & præſidia in Alpibus ſibi objecta expugnat, tres Maxentij exercitus collatis ſignis fundit. Quartâ demum acie, ad ipſos Romæ muros, quanquam copijs ac militum numero longe inferior, cæſos Maxentianos vertit in fugam, in qua Maxentius ipſe, dum Tiberim trajicit, ligneo ponte ſub equitum multitudine fatiſcente, amni demerſus perijt.

4. Galerius ſub ijſdem temporibus in Urbe Sardica Illyrici & Daciæ Metropoli, correptus immani morbo, inter acerrimos ignis interni cruciatus, vermium corroſiones, & dira viſcerum tormina, ſceleratiſſimam animam expiravit, multis occiſis medicis, qui fœtorem intolerabilem ex ejus corpore exhalantem ferre non potuerant. Duo adhuc tyranni ſupererant Licinius & Maximinus. Iſte poſtquam innumeros Chriſtianos atrociter excruciatos neci dedit, ſtolido tandem conſilio Licinium bello adoritur, nihil tale opinantem, ejuſque in fines hoſtiliter irrumpit: ſed commiſſo prælio victus à Licinio,

fugatuſque

fugatuſque fuit. Et ſubinde Tarſi in Cilicia diriſſimo conflictatus morbo, ultricem Dei manum agnovit, & quod moribundus fecerat Galerius, edicta quoque pro Chriſtianorum libertate promulgavit, qualia etiam Galerius morbi proximus ediderat. Licinius victor liberos Maximini omnes trucidat, ne quis ex impia & odioſa progenie ſupereſſet, devictique Provincias omnes invadit.

5. Sic igitur factum eſt, ut univerſæ Romanorum Imperij Provinciæ duobus Principibus parerent, Oriens Licinio idolorum cultori, & Occidens Conſtantino Chriſtiano: quos inter ambos fœdera junguntur. Licinius à Conſtantino invitatus Mediolanum accedit, eaque in urbe nuptiæ Licinij & Conſtantiæ Conſtantini ſororis ingenti lætitiâ & apparatu celebrantur. Ad has ambo Imperatores Diocletianum invitarant, at ille excuſationem prætexuit ſenectutis. Hæc evenerunt anno 313. Biennio pôſt in Dalmatia in hortis Salonianis moritur Diocletianus, viſo tyrannorum Eccleſiæ hoſtium teterrimo exitu, Chriſtianorum autem,quos omni crudelitatum genere conatus fuerat exterminare, triumpho, pace & libertate quam Licinius proprio edicto ſtabiliverat.

6. Nec tamen pax illa diuturna fuit. Enimverò poſt biennium ab illo amborum Principum fœdere, Licinius intermiſſam Chriſtianorum vexationem inſtauravit: qua de cauſa Conſtantinus in illum arma movet. Primus armorum concurſus fuit ad Cibalim Pannoniæ oppidum: deinde in campo Mardienſi; quibus duobus prælijs cæſi fugatique ſunt Liciniani. Tertius conflictus ad Hadrianopolim in Thracia, quartus prope Byzantium factus, quintus denique ad Chalcedonem. His prælijs terrâ marique victor extitit Conſtantinus, in cujus manus ipſe Licinius cecidit. Sed Conſtantia inter fratrem & conjugem pacem conciliavit, quâ Licinius ſuis omnibus Provincijs ſpoliatus, Theſſalonicam cum annuo decenti ſtipendio fuit relegatus. Sed Licinius fœdifragus, & irrequietus, rebus novis etiam tunc ſtudens, mortem ſibi acceſſivit, juſſúque Conſtantini extinctus fuit anno Chriſti 325.

7. Bellorum itaq; radicibus accìſis,innumeris perfunctum Conſtãtinum bellorum periculis,ſumma domi calamitas excepit. Criſpus Cæſaris dignitate decoratus, liberorum illius primogenitus fuit,natus ex priore uxore Minervina, præſtantiſſimus juvenis, ſub avia Helena jam inde à teneris in Chriſti religione educatus,literis à Lactantio Firmiano excultus, partáque de Alemannis victoriâ illuſtris. Hunc perditiſſimo amore deperijt noverca ejus Fauſta Auguſta & ad ſtuprum ſollicitavit: ſed repulſam à caſtiſſimo juvene paſſa amorem in odium vertit: quo inſtigata, ſimulque ejus interitu viam ad Imperium, quam ille major natu præcludebat,filijs proprijs munire intendens, non dubitavit Criſpum attentati in ſe adulterij apud patrem accuſare; qualia pleraque referunt exempla ſacræ profanæque hiſtoriæ; uxoris Putipharis contra Ioſephum;Stenobœæ uxoris Prœti contra Bellorophontem; Phædræ novercæ adverſus privignum Hippolytum. Conſtantinus malè credulus juvenem innocentiſſimum indictâ cauſâ clam neci addixit. Sed paulò pôſt, compertâ uxoris fraude & calumniâ, balneo ardenti concluſam necari juſſit. Delirat planè Zoſimus gentilis hiſtoricus, & Conſtantino propter ejus Chriſtianiſmum perpetuò infenſiſſimus, dum ſcribit ipſum propter interfectionem Criſpi & Fauſtæ diris agitatum, cum nulla eſſet penes veterem Romanam religionem ſpecies expiationis, quâ tam deteſtabilia ſcelera elui poſſent: tum demum ad Chriſtianos recurriſſe, perſuaſum ab Hiſpano quodam nullum eſſe flagitij genus quod per Chriſtiana ſacra expiari facilè non poſſet. Quis verò ignoret Chriſti fidem ſuſcepiſſe multis annis ante hunc infauſtum eventum? Refert Euſebius, ocularis horum temporum teſtis, eum antequàm bellum Maxentio inferret, Chriſtianæ ſe religioni addixiſſe, oſtenſâ ſibi in cœlo fulgente cruce, per quam victor futurus erat. Idque ſignum cœleſte non ipſi ſoli conſpectum, ſed univerſis etiam copijs quæ ductorem illum ſequebantur; eumque multoties rem, apud eos qui non viderant, aſſeveraſſe. Taceo Labarum crucem nomenque Chriſti referens auro gemmiſque coruſcans, quod ejus ab initio præibat exercitum. Taceo veteres inſcriptiones, & numiſmata ſtatim ab ipſa de Maxentio victoria procuſa, in quibus victor ille cum Labaro repræſentatur, aliaque, quibus id confirmatur, omni exceptione majora monumenta.

8. Profligatis univerſo Romano orbe tyrannis, Eccleſia ſub Chriſtiano & pijſſimo Principe ſummâ pace & felicitate potita fuiſſet, niſi diſcordijs inteſtinis & mutuis odijs, diſciſſa per eos ipſos fuiſſet, qui de nomine Chriſtiano gloriabantur: adeò ut cum Propheta lamentari Eccleſia poſſet. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Duorum hoc tempore turbinum procellis illa cœpit concuti, ſchiſmatibus ſcilicet Donatiſtarum & Meletianorum. Originem Donatiſtarum paulò ante perhibuimus in noſtris ad eorumdem Concilia obſervationibus. In iſtis maximè verificatum fuit quod de hæreticis

ſcribit

Digitized by Google

ſcribit ad Titum Apoſtolus. *Subverſos eſſe, & delinquere, cum ſint proprio judicio condemnati.* Conſtat enim ex ipſorum & Concilijs Cirtenſi, & duobus Carthaginenſibus, eos ipſos qui hanc peſtem ſuſcitarunt, fuiſſe in perſecutione traditores ſacrorum voluminum; qui tamen ut odioſum, ſibique inviſum, Epiſcopatu deturbarent Cæcilianum, fingebant in eo & ejus conſecratore Felice Aptungitano, hoc idem traditionis crimen: cum tamen vera & unica hujus reprobationis cauſa eſſet ipſorum ambitio, & odium, & invidia; quia Cæcilianus ab ijs ſacra vaſa repetebat, quæ præceſſor Menſurius penes præcipuos hujus factionis autores depoſuerat, qui eadem ſibi per ſacrilegium retinebant. Hi ſuæ ſectæ ſigniferum Majorinum ordinarunt Carthaginenſem Epiſcopum, adverſus legitimè promotum Cæcilianum. Iſti ergo poſtquam atrociter per omnem ferè Africam tumultuati ſunt, Conſtantinum interpellant, qui Melchiadi Romano Pontifici, tribuſque Gallicanis Epiſcopis, Materno Agrippinenſi; Rheticio Auguſtodunenſi, & Marino Arelatenſi, aliiſque quibuſdam Epiſcopis, cauſæ judicium commiſit. Romæ igitur auditis partium accuſationibus, & defenſionibus, Donatiſtæ ſubmoventur ut calumniatores, Cæcilianíque electio confirmatur. Huic judicio refragantur Donatiſtæ, ipſúmque Romanum Pontificem novis calumnijs dilacerant: cui falſo imponunt, nec probare ullatenus valent, crimen thurificationis ad idola. Hinc ingentes turbas tota Africa cient. Ælianus Africæ Proconſul Donatiſtas compeſcere & quietos eſſe jubet: Illi ab ejus juſſionibus ad Conſtantinum provocant; Cujus mandato Arelate in ampliſſimo Concilio ex omnibus propemodum Europæ Provincijs convocato, cauſa eadem reviſitur, eâque hinc inde diſceptatâ, ſecundùm Cæcilianum dicta ſententia fuit. At pertinaciſſimè obſtinati Donatiſtæ ad Imperatorem denuò provocant, à quo primum Romam citati novæ damnationis ſententiam acceperunt, additâ exilij pœnâ, quam poſtmodum Conſtantinus nimia facilitate remiſit.

9. Alterum Meletianorum ſchiſma Meletium autorem habuit, Lycopolis in Ægypto Epiſcopum, qui ob diverſa crimina fuit à Petro Alexandrino Epiſcopo ſede motus, poſtquam convictus fuit idolis ſacrificaſſe ſub Maximini perſecutione. Perculſus hac juſtâ condemnatione Meletius à Petri communione ſe ſubduxit, ſuúmque pro viribus ſchiſma propagavit. Cui ſe Arius adjunxit, cujus prenſaverat Epiſcopatum, ambitione præceps invidiáque tabeſcens, & futurus orbis terræ teterrima peſtis. Ipſe verò Petrus doctrinâ, charitate, vigilantiâ, omníque pietate inſignis, poſtquam Eccleſias Ægypti difficillimis perſecutionum temporibus ſanctiſſimè rexit, pro fide Chriſtiana capite cæſus eſt. Iſta verò Maximini perſecutio innumeros martyres tranſmiſit in cœlum, inter quos recenſentur Cæſareæ Palæſtinæ Pamphilus, eruditione cum vitæ ſanctitate conjunctâ mirificè illuſtris: & Procopius. Nicomediæ, Lucianus Antiochenus, Græcâ ſacrorum librorum editione ac emendatione, ad Hebraicos fontes collatâ, celeberrimus. In Phrygia urbs, quæ tota Chriſtiana erat, idolis ſacrificare renuens circumfuſo Maximini exercitu, cum civibus omnibus incenſa eſt. Sileo Catharinæ Virginis nobile martyrium; Potamienæ quoque ancillæ viri ethnici certamen, quale ex ore Sancti Abbatis Antonij acceptum Palladius, in hiſtoria Lauſiaca cap. 1. deſcribit. Hæc ad ſtuprum à ſuo hero ac Domino expetita, ſed in virginitatis propoſito conſtantiſſima, ab eodem delata & tradita eſt in manus Præfecti, qui edicta Principis ſummâ crudelitate ſolebat exequi. Hic fruſtra virginis tentato verbis propoſito, ahenum parari mandat pice oleoque refertum, ignemque ſupponi. At illa imperterrita enixè rogavit, ne ſe totam ſimul immergi, ſed paulatim in bullientem liquorem, demitti mandaret; ut diuturniorem cruciatum amore Chriſti perferret. Id verò à crudeliſſimo judice obtinuit, ſuſpenſáque ſenſim demiſſa eſt per unius horæ ſpacium. Defecitque vita ejus quando pix ardens ejus collo circumfuſa eſt. Eâdem in civitate, eadémque graſſante perſecutione, gladio ſimul perempti ſunt, præter admirabilem Petrum, alij quatuor Epiſcopi, Phileas, Heſychius, Pachomius, & Theodorus: cumque his uno die ſexcenti ſexaginta alij martyres mortem ſubierunt.

10. Martyrum quoque ſub Licinio perſequente innumerabilis extitit multitudo. In quibus inſignes ſunt quadraginta martyres, nocte hybernâ in lacum frigidiſſimum immerſi, & frigore in Armenia necati: in qua etiam Blaſius Sebaſtæ Antiſtes varijs & diris cruciatibus affectus, & demum gladio decollatus eſt. Prætereà apud Adrianopolim in Thracia Ammon Diaconus, cum quadraginta virginibus Monialibus, quarum curam & inſtitutionem gerebat, ignium & gladiorum diris tormentis mortem glorioſam oppetiverunt.

11. Sed ut Arium infelicem, cujus paulò antè ſtrictim mentio facta, reſumamus. Ille cum eſſet Presbyter Alexandrinus, atque ut

ait Theodoritus, ſacrarum Literarum interpretationi præpoſitus; cum Epiſcopatum Alexandrinæ Eccleſiæ ambiviſſet, ſibique Prælatum doleret Alexandrum; ſubjectionis impatiens illum deprimere, ſanctamque illius doctrinam ſubvertere pro viribus & ingenio nitebatur. Eo perverſo conatu novam de Chriſto invexit hæreſim ejus impugnantem divinitatem, & ſubſtantiæ cum æterno patre unitatem, ejuſque negantem æternitatem. Hujus hæreſis virus omni ſtudio & induſtriâ quaquaverſum effudit, & propagavit: cujus patronos ſibi aſcivit Epiſcopos non paucos, præſertim verò duos Euſebios admodum celebres, Cæſarienſem in Palæſtina & Nicomedienſem in Bithinia. Huic ſe peſti omni ut par erat diligentiâ opponit meritiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Præſul Alexander; à quo Arius communione fidelium ejicitur. Sed impius iſte permultos in dies nanciſcitur dogmatis ſui propugnatores, adeò ut incendium iſtud brevi Provincias Orientis pervaſerit. Mirum ſanè eſt Conſtantinum, tot adeoque animoſis diſſidijs, tot accuſationibus mutuis inter Epiſcopos, tot nequitijs & calumnijs in dies ab Antiſtibus & Sacerdotibus ſuſcitatis, tum ex parte Arianorum, tum ex parte Donatiſtarum, in religione Chriſtiana quam ſuſceperat non nutaſſe, non vacillaſſe, non ſcandalum paſſum fuiſſe. Omne verò ſtudium adhibuit religioſiſſimus Princeps ad conciliandam in Eccleſia concordiam, nec tamen valuit incendium iſtud extinguere, ob perditam nequitiam, hypocriſim, & dolos aulicorum Epiſcoporum, à quibus obſidebatur & perpetuò circumveniebatur. In his tamen unus inventus eſt ſinceræ fidei Cordubenſis Epiſcopus, cujus in Dioclet ianæa perſecutione confeſſio carceribus & plagis probata fuerat: hujus integritatem & prudentiam perſpectam habens Conſtantinus, illum in Orientem miſit, quâ decuit poteſtate tum Eccleſiaſticâ, tum civili præmunitum, etiam Concilia ubicumque viſum eſſet convocandi, atque in his præſidendi: ſed in Ægypto præcipuè illiuſque Metropoli Alexandria, ex qua præſens, cui medendum erat, damnum emerſerat. Hac igitur in civitate copioſam Synodum congregavit quam Athanaſius Apolog. 2. vocat generalem: quia ex multis Orientis Epiſcopis, præſertim ex Ægypti Diœceſi coacta fuit. Poterat iſtud malum ſi non extingui at aliqua ex parte coërceri, ſi duo Euſebij ſeſe in gratiam primùm Conſtantini, deinde filij ejus Conſtantij, penitus non inſinuaſſent.

12. Viſum eſt tandem Conſtantino ſummum & ultimum huic morbo petendum eſſe remedium ex œcumenica Synodo, cujus decreta, ex omnium Eccleſiarum conſenſione dimanantia, nulla temeritas rejicere aut convellere auſit. Hæc igitur indicta celebratáque Nicææ in Bithinia Synodus fuit. Cui Conſtantinus ipſe, non ut judex ſed ut pacis promotor & conciliator, interfuit; cujus præſentia & majeſtas omnem quæ ſuboriri poſſet inſolentiam, & proterviam, intra officij limites cohiberet. Huic præſedere Apoſtolici Legati à Sylveſtro electi, Oſius Epiſcopus, Vituſque & Vincentius Presbyteri. Arius ibi damnatus eſt, aſſertuſque filius Dei conſubſtantialis & coæternus Patri: dirempta etiam de Paſchalis feſti die vetus controverſia, & ſancitum nec ante decimam quartam menſis Martij lunam, nec niſi Dominico die celebrandum id feſtum eſſe. Arij fautores Epiſcopi exautorationis ſuæ exilijque metu, ſubdolè conſenſum ad Nicænam fidem ſimularunt, ut alio poſthac temporè audentiùs impugnarent. Celebratum iſtud Concilium trecentorum & ſeptemdecim Epiſcoporum fuit anno Chriſti 325. Imperij Conſtantini anno 20. Paulino & Juliano Conſulibus.

13. Religioſus Imperator ſollicitus de Chriſtianis non tantùm ſibi ſubditis, ſed etiam de illis qui alieno parebant Imperio, audiens Saporem Perſarum Regem Chriſtianos qui erant in Perſide vexare, humaniſſimis literis ad eum ſcriptis mitigare illum ſtuduit, Chriſtiana verò religio latiùs in Indiam & Iberiam propagata eſt. Frumentius Tyrius in Indiam Chriſti fidem intulit: Indeque reverſus Athanaſium convenit Alexandriæ verſantem, cui exponit quanto Evangelicæ legis ſtudio populus iſte ferveret, ſi Doctores idonei eò mitterentur. Frumentium verò ad Indos remiſit Athanaſius eorum linguæ peritum, ipſiſque aſſuetum & familiarem, quem conſecravit gentis Epiſcopum. Ijſdem temporibus Chriſtiana quædam captiva, ſanctitate & miraculoſis morborum curationibus in ea regione celebris, Iberis populis hujus regionis accolis ſuaſit religionem Chriſti capeſſere: habitant verò Iberi inter duo maria Euxinum atque Hircanum ſeu Caſpium. Mulier hæc Chriſtianorum inſtitutorum perita Regem Reginámque illius plagæ, ſolâ invocatione Chriſti, à periculoſis morbis, quibus medici nullum potuerant adhibere remedium, curaverat. Tantam verò apud eos gratiam inijt, ut templa Chriſto ædificare perſuaſerit, legationem etiam ad magnum Conſtantinum mittere, rogantes ut Epiſcopos & Sacerdotes mitteret, quorum ductu baptiſmum & Chriſtianam religionem ſuſciperent.

Digitized by Google

ciperent. Conſtantinus legatos benigniſſimè exceptos & magnificis muneribus donatos cum delecto à ſe Epiſcopo & Clericis ad Regem dimiſit.

14. Ariani verò Epiſcopi nullatenus deſiſtunt dolis & calumnijs orthodoxos Epiſcopos inſectari : ſed illorum acriùs exarſit furor adverſus præcipua fidei columina, ſcilicet Athanaſium Alexandrinum, qui Alexandro ſucceſſerat, Paulum Conſtantinopolitanum, Euſtathium Antiochenum, primarum ſedium ſanctiſſimos & digniſſimos Antiſtites, & Hilarium Pictavorum, Euſebium Vercellenſium, alioſque vitæ ſanctimoniâ doctrinæque ſplendore ſpectabiles. Athanaſius quem ſolummodo adhuc Diaconum Alexander Alexandrinus Præſul in Concilium Nicænum introduxerat, tantâ animi vi Arium diſputando repreſſit, ut ingentem à Catholicis gloriam, & ab hæreticis invidiam, & odium implacabile ſibi deinceps accerſiverit. Idémque poſt quinque à Concilio menſes, erepto ex hac vita divino Alexandro, in ejus ſedem promotus, adduci nunquam potuit ut Arium fineret Alexandriæ conſiſtere. Quamobrem ab Arianis, per nequiſſimas calumnias in Tyrio conciliabulo, cui Euſebius Cæſarienſis præſidebat, damnatus eſt anno 335. & à Conſtantino Treviros relegatus, ibidem biennio & quatuor menſibus degit in exilio.

15. Sub his temporibus è vivis excedit Conſtantinus anno Chriſti 337. exactis in Imperio uno & triginta annis, depoſito ſuo teſtamento in manus Presbyteri cujuſdam Ariani ſibi enixè commendati à ſorore Conſtantia pariter Ariana, Licinij tyranni vidua. Mortuus autem eſt Conſtantinus in ſuburbana Nicomediæ villa ætatis anno circiter ſexageſimotertio. Corpus ejus Conſtantinopolim delatum multò exequiarum apparatu ſepultum in veſtibulo fuit, quod erat ante Apoſtolorum Baſilicam. Presbyter ejus teſtamenti depoſitarius occultum illud habuit, prout morituro Conſtantino jurejurando pollicitus fuerat, donec adventanti Conſtantio qui inter ſuperſtites Conſtantini filios natu ſecundus erat, illud remiſiſſet. Sic verò partitum inter liberos reliquit Imperium. Conſtantino majori natu pars omnis illa ceſſit quæ eſt ultra Alpes, Gallia, Hiſpania, Britannia, & quidquid erat terrarum ultra Rhenum fluvium. Conſtantio natu ſecundo quidquid regionum protendebatur à freto Propontidis adusque Orientis fines cum Ægypto. Conſtanti minimo natu, Roma cum Italia, ſimulque Sicilia, Africanæ Provinciæ, atque Illyricum obtigere.

16. Conſtantinus magni Conſtantini filius natu major, erga Athanaſium & partem Catholicam optimè affectus, poſt patris obitum Athanaſium ex Gallia & Treviris Alexandriam poſtliminio reverti fecit, non auſo Conſtantio in oppoſitum obniti. Inter hæc Conſtantinus in fratrem Conſtantem bellum movit, factâque in illius terras irruptione, interfectus eſt ad Aquileiam anno 340. Tum verò in ejus ſine liberis defuncti Provincias Conſtans invaſit. Euſebiani, odio in Athanaſium reſtitutum recrudeſcente, novas adverſus illum turbas excitant, novam tamen metuentes Conſtantis potentiam, cujus ditio Romam & Italiam complectebatur, Iulium Romanum Epiſcopum demereri ſtudent, & quia cauſa iſta cognitionem ſupremæ Sedis requirebat, ejuſdem quoque judicium ſe expetere ſimulant, certi moras nectere, & prout vel in ſe pronum, vel à ſua cauſa alienum ejus animum deprehenderent, vel expetitum vadimonium ſubire vel deſerere, prout temporum ſucceſſu ſibi noverint expedire. Iulius interea cauſæ judicium ad ſuam cognitionem evocatum proſequitur, & partes ambas ad ſuum citat tribunal. Athanaſius, cæterique Epiſcopi Tyrio conciliabulo damnati, & ſedibus pulſi, citationi obtemperare minimè differunt : Euſebiani è contra dilationibus & ludificatorijs prætextibus, ut ſolent malæ fidei litigatores, cauſam remorantur. Athanaſius, cum alijs exulibus Epiſcopis, Romæ annum integrum treſque inſuper menſes litis judicium præſtolatur. Iulius, poſt iterata erga Euſebianos judicialium citationum edicta, his nullatenus comparentibus judicium exequitur peremptorium, & cauſa quàm accuratiſſimè diſcuſſa ſecundùm exules Epiſcopos ſententiam dicit ; eoſque in priſtinas unde fuerant ejecti ſedes reſtituit, anno 341. Quo eodem anno Euſebiani, ſumpto prætextu dedicationis Baſilicæ Antiochenæ, quam magnus Conſtantinus multis expenſis conſtruxerat, Antiochiam magno numero conveniunt : & ibi novo inito conciliabulo, Athanaſium, qui ex decreto Julij Alexandriam civibus lætitiâ exultantibus reverterat, denuò condemnant, & repetitâ ſede iterum extrudunt ; & ne ſpes aliqua poſtliminij ſeu reſtitutionis ſupereſſet, in ejus ſedem provehunt Gregorium Cappadocem militaribus Conſtantij copijs ſuccinctum, à quibus quaſi in urbe per vim

expugnatâ horrenda civium Alexandrinorum cædes perpetrata eſt , cum luctuoſis domuum invaſionibus, opum direptionibus & ſacrilegis virginum raptationibus. Athanaſius ad cædem conquiſitus, clam dilapſus Romam iterum proficiſcitur , quò etiam Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, alijque Antiſtites ab Arianis pulſi, ut in ſacrum aſylum ſe recepere , Aſclepas Gazæ , Marcellus Ancyræ, alijque.

17. Verùm quia Euſebiani ſuarum autoritate Synodorum nitebantur, quæ tamen prorſus fraudulentæ ſuſpectæque erant, utpote ab Arij ſectarijs habitæ , adverſus eos qui Nicænam fidem ab illis impugnatam profitebantur, inſtitit Conſtans, annuente per metum Conſtantio, ut univerſale Concilium Sardicæ indiceretur, quæ civitas eſt confinis Illyrico & Thraciæ in ipſa ditione Conſtantij, ut Euſebianis omnis tergiverſandi prætextus ſubmoveretur : ad quam tamen liberior & facilior cunctis Epiſcopis Orientis & Occidentis, ubi Conſtans dominabatur, eſſet acceſſus. Celebrata igitur eſt, non Sardibus in Lydia , ſed Sardicæ in Myſia, Synodus generalis, anno 347. Ab hac ſe Ariani, cum eſſent numero longè orthodoxis impares, ſe ſubdolè ſubduxere, & Philippis in vicinia conventiculum fecere , cui nomen quoque Concilij Sardicenſis indidere, in quo conſubſtantialis uſurpari vocabulum prohibuere. Attamen vera Sardicenſis Synodus, reviſis exactè Arianorum conventiculorum actis, illiſque penitus reſciſſis, ſententiam pro Athanaſio alijſque injuſtè damnatis dixit ; Gregorium Alexandrinæ invaſorem Eccleſiæ damnavit , Urſacium etiam à Singiduno, Valentem à Murſa , Narciſſum ab Hierapoli, Stephanum ab Antiochia, Acacium à Cæſaræa, Menophantum ab Epheſo, Georgium à Laodicæa , alioſque gradu ſuo exegit : quamvis Socrates & Sozomenus ſcripſerint, huic interfuiſſe Concilio Paulum Conſtantinopolis Præſulem ; ſed fides potiùs adhibenda Theodorito ſcribenti , Paulum cum eſſet Sardicam profecturus, fuiſſe ab orthodoxis Conſtantinopolitanis prohibitum, ſcientibus paratas adverſus eum ab Arianis in itinere inſidias.

18. Cæterùm haud multò pòſt , Ariani Paulum apud Conſtantium tum ſeditionis, tum aliorum criminum falſo criminati , hoc obtinuerunt ab iniquo & hæretico Principe, indictâ cauſâ & inauditâ parte, ut Cucuſum minoris Armeniæ oppidulum relegaretur ; quæ fuit quarta & ultima ſanctiſſimi Epiſcopi relegatio. Scribit enim Athanaſius ad ſolitar. vit. agen. primum ejus exilium fuiſſe in regionem Ponti. Secundo fuiſſe catenis vinctum in Singram Meſopotamiæ deportatum : Tertio Emeſam amandatum , ut tot agitationibus & incommodis rerumque omnium penuriâ conficeretur : Quarto Cucuſum ſub aëre frigidiſſimo, inter deſerta montis Tauri, rerum omnium indigum , & omni penuriâ laborantem locum ; quò ut pervenit in tetrum carcerem conjectum fuiſſe , & omni cibo & potu deſtitutum , die ſexto aperto carcere , inventum adhuc ſpirantem, juſſu Philippi præfecti fuiſſe laqueo ſtrangulatum.

19. Parum valuiſſet apud Conſtantium hæreticum Sardicenſis œcumenicæ Synodi decretum pro Athanaſio , niſi Catholicus Princeps Conſtans ejus urſiſſet executionem , interminatus ſi tam juſta poſtulatio rejiceretur , ſe aperto bello id executurum. Itaque Conſtantius pro Athanaſio ſcribit, ut ad priſtinam ſedem reducatur ; ſed illa non fuit diuturna tranquillitas : Magnentius enim tyrannus, ſumptâ Imperiali apud Auguſtodunum purpurâ, Conſtantem per Gaiſonem ducem apud oppidum Helenam Pyrenæo proximum interfecit, anno 350. Tanto ergo protectore deſtitutus Athanaſius fugere iterum, omniáque latibula quærere cogitur, Conſtantio vires omnes intendente in illius exitium , nováque in dies Conciliabula cogente in diverſis terrarum partibus , ad ejus condemnationem: Quotquot verò ſceleratis decretis renitebantur carceribus, exilijs, & verberibus plectente. Hinc prodiere Pſeudoſynodi Sirmienſis, Seleucienſis, Mediolanenſis, Ariminenſis, in quibus ereptâ Catholicis omni libertate, impietas Ariana prævaluit. Mortuo demum Conſtantio, cui Julianus ſucceſſit , priſtinam Eccleſiam Athanaſius tantiſper recuperavit : ſed rurſum Juliano perſequente ſolum vertere cogitur : Mortuoque apoſtatâ Juliano Alexandriam repetit, ſub pijſſimo Principe Joviano , cujus rogatu divinus Athanaſius regulam fidei conſcriptam ad ipſum tranſmiſit. Denique ſub Imperio Valentis Ariani , qui eumdem jam cœperat exagitare , intra Alexandriam diem clauſit extremum, innumerorum pro fide laborum & ærumnarum mercedem in cœlo percepturus ab agonotheta Ieſu Chriſto, cujus divinitatem invictâ conſtantiâ in terris propugnaverat.

20. Euſtathius Antiochenus, alterum fidei orthodoxæ propugnaculum , vir inſignis eruditionis , qui eloquenti oratione Nicænam Synodum aperuerat, & nomine univerſi Concilij Conſtantino magno gratias egerat , rabiem Arianorum pariter in ſe fuit expertus. Viſum eſt Euſebianis hunc acrem fidei defenſorem è medio tollere. Euſebius

Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, poſt deturbatum ex illa eximium Paulum, invaſor, vir aulicus & Conſtantij gratiâ fretus, ſpecie ſacra Palæſtinæ loca inviſendi, unà cum Theognide Nicææ Epiſcopo Arianæ factioni addictiſſimo, fraudulenter obtentis à Conſtantio quales voluerat honorificis literis, & copioſo itineris commeatu, viæ ſe dedidit cum ſuperbo & ambitioſo comitatu, fuitque quacunque proficiſcebatur juxta Imperiale mandatum honoribus ampliſſimis exceptus. Hunc Antiochiâ pertranſeuntem Euſtathius amiciſſimè & honorificè excepit, inde Ieroſolymam faſtuoſus Prælatus contendit, quo in itinere ſceleratum conſilium diſperdendi Euſtathij Theognidi Nicæno, Euſebio Cæſarienſi, Patrophilo Scythopolitano, Aëtio Lyddæ, Theodoto Laodicææ, alijſque qui ſe comitabantur Antiſtibus Arianis, aperuit: qui omnes Euſebium Conſtantinopolis Epiſcopum redeuntem Antiochiam ſpecie honoris deduxerunt. Ibi meretriculæ precio conductæ perſuaſerunt, ut linguæ ſuæ operam voluntati Epiſcoporum accommodaret. Apud iſtos ergo ad fraudulentam Synodum Antiochiæ congregatos, petulans fœmina in medium introducta expoſtulat, ſe infantem quem ulnis geſtabat Euſtathij congreſſu concepiſſe, qui tamen pollicitam & concubitus mercedem & infantis educationis pretium, tametſi ſæpiſſimè rogatus, exolvere recuſabat. Euſtathius tam infami calumniâ impetitus poſtulavit, ut ſi quem ejus rei conſcium teſtem haberet proferret accuſatrix. Illa negante ullum ſe habere teſtem, eò quòd illam conventionem Euſtathius ſuæ famæ conſulens, clam & ſemotis arbitris ſecum iniiſſet, juramentum iniquiſſimi judices infami proſtibulo detulerunt adverſus Antiſtitem tertiæ inter primarias Eccleſiæ, virtutum omnium ſplendore venerabilem: quantumvis divina clament oracula, non niſi duorum aut trium, omni exceptione majorum, aſſeveratione fidem eſſe ullis accuſationibus adhibendam; & Paulus ad Timotheum Epiſcopum ſcribat: accuſationem adverſus Presbyterum ne recipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Attamen flagitioſi Epiſcopi, ſpretis divinis humaniſque legibus, accuſationem adverſus talem tantumque virum unius ſcorti aſſeveratione ratam eſſe voluere, atque ita Euſtathium meritis eximium & ſenem omni commendatione majorem Epiſcopatu abdicarunt. Non defuere tamen Epiſcopi perverſæ machinationis inſcij, qui hanc nequitiam indignè tulerunt, & refragati ſunt: ſed doli hujus opifices Conſtantio ſollicitè perſuaſerunt & veram eſſe accuſationem, & Euſtathium abundè convictum, ejuſque exilium impetrarunt; quo Traianopolim deportatus diem ibi clauſit extremum, anno 340. At verò meretrix, gravi poſtea ægritudine correpta, nec tantùm vitæ ſuæ metuens, ſed magis conſcientiâ urgente de animæ propriæ ſalute ſollicita, totam illam Epiſcoporum machinationem propalavit; ſeque mercede ab Euſebio conductam altè confeſſa eſt: nec tamen omnino falſum quo ſe aſtrinxerat jusjurandum fuiſſe, quandoquidem verus infantis Pater Euſtathij nomine, fuerat quidam faber ærarius. Divus Hieronymus eleganter in Apologia 2. contra Rufinum machinationes Euſebianorum adverſus Athanaſium & Euſtathium his exprimit verbis. *Euſtathius Antiochenus Epiſcopus filios dum neſcit invenit. Sic Athanaſius Alexandrinæ urbis Pontifex tertiam Arſenij amputavit manum; duas enim qui mortuus prius fingebatur vivens poſtea habere monſtratus eſt.* Hanc in Athanaſium impoſturam alter Euſebius, nimirum Cæſarienſis, in altero ſcilicet apud Tyrum conciliabulo machinatus erat.

21. Quid memorem Oſij, quid Liberij Pontificis perſecutiones? quid utriuſque lapſus deplorandos? quàm eſt odioſa Conſtantij inhumanitas! Oſium inſignem meritis, quem tantopere pater Conſtantinus veneratus fuit, ejuſq; operâ & ſanctiſſimis conſiliis, pleniſque ſapientiâ in arduis & præcipui momenti rebus fuerat uſus; illum, inquam, tempore Diocletianeæ perſecutionis, acceptis plagis & vibicibus pro fidei profeſſione ſpectabilem; illum qui Legatus Apoſtolicus duobus œcumenicis Conciliis Nicæno & Sardicenſi præſederat, pluribuſque aliis nationalibus Synodis; illum qui tot illuſtres Legationes ſub magno Conſtantino magnâ laude obiverat; illum jam ætate nonagenarium, corpore animóque jam per ætatem longævam infirmatum, fuiſſe à Conſtantio carceribus maceratum, verberibus indigniſſimè cæſum, quibus tandem afflictum ſenem ad nefariam confeſſionem in Arianico Sirmienſi Concilio adegit, anno 351. Quo in eodem Concilio Liberius Romanus Pontifex, poſt biennij pro Catholica fide toleratum exilium, affectu immodico recuperandæ priſtinæ ſedis, ad quam æmulus eius Felix fuerat à Conſtantio intruſus, Athanaſij condemnationi ſubſcripſit. Eadem Conſtantij impietas ſanctiſſimos Pontifices Hilarium Pictavienſem, Euſebiũ Vercellenſem, Dionyſium Mediolanenſem, alioſque multavit exiliis. Eiuſdem præterea Conſtantij tyrannide, ſimulque Pſeudoepiſcoporum Urſacij & Valentis pravis artibus, Arimini celebratum Concilium fuit anno 359. quod Fauſtis ini-



Digitized by Google

tiis auſpicatum, infauſto tandem exitu diremptum eſt in Occidente. Quo eodem anno in Oriente ab Arianis celebratum pariter fuit Seleucienſe, in quo ſolus Hilarius pro fide orthodoxa, propter quam exulabat, ſtrenuè dimicavit.

22. Ut vero à rebus Eccleſiaſticis ad res Imperij digrediamur. Occiſo Conſtante ut jam dixeram à Gaiſone Magnentij tyranni duce, atroci prælio dimicatum eſt apud Murſam Pannoniæ urbem, inter duos exercitus oppoſitos Conſtantij & Magnentij, quo victa primo impetu fuit Conſtantij acies: ſed eadem reſumptis animis exultantes Magnentij copias immani ſtrage affecit, atque in fugam compulit, anno 351. Magnentius verò poſt ſuorum cædem deſperatis rebus ſuis in Galliam confugit, ſed à cunctis derelictum ſe videns, Lugduni propria manu ſibi mortem conſcivit. Decentius quoque, cui frater Magnentius Cæſaris nomen dignitatemque contulerat, ſeipſum apud Senonas interemit.

23. Conſtantius, obtentâ de Magnentio victoriâ, patruelem ſuum Gallum Cæſarem creavit, cui Orientis regimen commiſit. Sed dum ſummâ poteſtate per vim & libidinem Gallus abutitur, juſſu Conſtantij in Illyrico perimitur. Julianus minor Galli frater vix neci ereptus eſt precibus Euſebiæ uxoris Conſtantij, & Athenas ad literarum ſtudia dimiſſus, in quibus Gregorium Nazianzenum condiſcipulum habuit. Hinc ex ſtudiis rediens Cæſaris dignitate à Conſtantio honeſtatus eſt, & Galliis præfectus celebres de Germanis, Francis & Alemannis Galliarum fines incurſantibus, victorias reportavit.

24. Interea Perſæ limitaneas Imperij Provincias in Oriente armis infeſtabant. Niſibim Imperij propugnaculum, ante paucos annos arctâ obſidione cinxerant: ſed urbis obſeſſæ Epiſcopus Iacobus eidem, fuſis ad Deum precibus, opem tulit: obtinuit enim à Deo culicum agmen, Perſas eorúmque jumenta uſque adeò moleſtans, ut compulſi fuerint obſidione ſolutâ recedere. Sed poſtquam Sanctum Antiſtitem Deus in cœlum evocavit, Perſæ majore ſumptâ fiduciâ obſidionem iterarunt, dum Julianus circa Rhenum fines propagatâ Imperij, ſuiſque victoriis inſolens, purpurâ & aliis inſignibus Imperij aſſumptis, in Conſtantium rebellat. Conſtantius anxius & animi incertus, quemnam ex tam diſſitis hoſtibus adoriatur, febri ſuperveniente moritur. Tum Iulianus, nemine iam prohibente proclamatur Imperator Lutetiæ Pariſiorum anno 361. Exinde Conſtantij amicos, quà exilio, quà opum expoliatione damnat: nováque impietate ſuum auſpicatur Imperium. Chriſtianam enim religionem palam ejurat, idolorum fana reſerat, ſolos Paganos gratiâ & favore proſequitur, Chriſtianos dignitatibus & officiis arcet, & quibuſcunque dolis & occultis artibus ſugillat, atque inſectatur, eiſque omnibus literarum ſtudiis interdicit, ut debiliores & deſpectiores efficiat. Quinetiam in perfidiæ ſocietatem Iudæos adjungit, quos ad inſtaurandum Ieroſolymitanum Templum excitavit: ſed impios conatus Deus miraculo prohibuit, erumpentibus de inchoatis fundamentis ignibus, ſimulque apparentibus in Iudæorum amictu crucibus, quas nulla potuit lotio abluere. Nec his contentus, libris etiam editis Chriſtianam religionem procaciter impugnavit.

25. Excurrente anno Chriſti 362. Liberio Summo Pontifice, dum Iulianus à cacodæmonibus circumventus, ad Perſicum bellum, quod ſibi fauſtum fore ominabatur, ſe accingit, Antiochiæ ad Orontem amnem ſitæ conſtitit aliquandiu, quamplurimis ſacrificiis Apollini Daphnæo litans. Hærebat huic civitati amœniſſimum ſuburbium nomine Daphne, lauris aliiſque virentibus conſitum, fontibuſque irriguum, quod profana antiquitas Apollini dedicarat; in quo diabolus oracula fundebat: quæ tamen obmutuerant, ex quo Chriſtiani eum in locum ſacras reliquias intulerant Babylæ Antiocheni Epiſcopi & Martyris, qui ſub Deciana perſecutione glorioſam mortem oppetierat. Tametſi verò (ut Sanctus obſervat Chryſoſtomus) innumera hominum & jumentorum jacerent oſſa & cadavera, ſola Babylæ ſanctitas potuerat dæmoni os obſtruere ac mutum reddere. Iuſſit ergo impius deſertor Iulianus inde ſacra Martyris pignora aſportari, cui paruere Chriſtiani adhibitis ſacris cantibus, cereiſque & funalibus accenſis, ſolemnique pompa in urbis Eccleſiam reportarunt. Sed novo oſtento Deus & Martyris ſui ejectionem, & Iuliani ultus & impietatem. Hoc enim indignante frementéque tyranno, eadémque in urbe verſante, poſt amotum venerandi Martyris loculum inſequenti nocte Daphnæi Apollinis fanum conflagravit, eoque igni totum falſi numinis ſimulacrum in cineres verſum fuit. Iulianus excandeſcens diram exercuit quæſtionem in ipſum profani templi Sacerdotem, & ædit, ac famulos, ut incendij calumniam in Chriſtianos rejicerent: Sacerdos verò tormentis dilaniatus, nihil aliud quàm quod verum erat, prodere, ignem cœlitus immiſſum culmini templi primùm incubuiſſe nocte intempeſtâ, indeque ad ædis inferiora pervaſiſſe; illæſaque reliquâ fabricâ

ſolum

ſolum tectum, & inferiùs collocatum idolum ignibus abſumptum. Hæc non tantùm â Chriſtianis ejus ſæculi ſcriptoribus, Gregorio Nazianzeno, Socrate, Rufino, Sozomeno, Theodorito, Chryſoſtomo, qui tunc Antiochiæ juvenili ætate verſabatur, fuitque rei geſtæ oculatus teſtis; ſed etiam à profanis ethniciſque ſcriptoribus, Libanio, Ammiano Marcellino, ipſoque Iuliano Auguſto, in ſuo quem Miſopogonem inſcripſit libro, referuntur.

26. Ipſe verò nefarius apoſtata, & impius transfuga, dum exercitum apparat, cæſis, quod vel dictu horrendum eſt, humanis victimis, & diſſectis ad magicam tartareamque haruſpicinam fœminarum prægnantium & capillis ſuſpenſarum uteris, in Perſas movit; trajectóque Euphrate naves omnes, quæ commeatui copiis ſuppeditando, noviſque delectibus ad Romanum exercitum tranſvehendis neceſſariæ omnino erant, ſtolido conſilio combuſſit, quaſi ſuis animum additurus fugæ deſperatione: quo factum eſt ut traductus per hoſtium ſterilia & arida deſerta Romanorum exercitus, fame, ſiti, laſſitudine, rerumque omnium penuriâ in ultimum ſit diſcrimen & deſperationem redactus; jamq; occurſantibus Perſis, per quos internecione deletus ac cæſus fuiſſet, autor omnis mali Julianus telo incerto transfixus eſt, morienſque exceptum cavâ manu cruorem incœlum jecit, cum hac blaſphemâ voce. Viciſti Galilea.

27. Cladi ſuperſtites milites Joviniano Imperium deferunt, qui atteſtatus eſt initio ſe Chriſtianum eſſe, nec delatum ſibi ſuſcepturum Imperium niſi datâ ab offerentibus fide, ſe quoque velle Chriſtianos eſſe; quibus in idem conſentientibus, accepti ſque hoſtium benignitate victualibus, & ad remeandum navibus, pacem cum illis ferit, ſi non decoram attamen neceſſariam. Imminutæ exhauſtæque Romanorum copiæ ad propria revertuntur. Jovinianum omnibus virtutum ornamentis excultum Principem Deus terris tantùm oſtendit, nec ultra eſſe ſivit. Etenim anno ipſo quo relatus eſt Imperator, editâ ut religioſum Principem decebat lege, quâ Eccleſiis frumenti largitionem, olim à magno Conſtantino aſſignatam, poſteaque à Iuliano ſuppreſſam, reſtitui edixit. Dumque Conſtantinopolim proficiſcitur morte in finibus Bithiniæ & Galatiæ Præventus terrenum regnum cœleſti commutavit. Cauſam morti ejus dedere prunæ in ejus conclavi hyberni frigoris temperandi cauſa ſuccenſæ (id enim contigit Februario menſe ut ſcribunt Socrates & Eutropius) quarum vapore ſpirituum meatibus occluſis nocte inventus eſt ſuffocatus.

28. Extincto Joviniano Valentinianus militaribus ſuffragiis anno 363. ſuffectus eſt. Hic ſubinde Valentem fratrem accivit, cum quo Imperium ita partitus eſt, ut ſibi Occidens remaneret. Orientem verò Valens regeret. Commune in primis edictum ambo pro Catholica ſeu Nicæna fide promulgarunt. Valentinianus exactis in Imperio duodecim annis dum adverſus Quados expeditionem parat, qui excurſionibus in Galliam graſſati fuerant, legatis eorum veniam rogantibus irâ vehementiùs excandeſcens ſubitâ correptus apoplexiâ paulò poſt extinguitur, binos ſuperſtites relinquens filios, Gratianum quem vivens fecerat Auguſtum, & Valentinianum juniorem quem ſexto pòſt die factio militaris ad idem faſtigium dignitatis evexit. Gratianum Valentinianus ex priore matrimonio ſuſceperat, Valentinianum ex ſecundis cum Juſtina nuptiis.

29. Valens in Oriente, peremptis Procopio & Marcello tyrannis, à quibus fuerat affectatum Imperium, bellum continuum cum Gothis geſſit impari ſucceſſu. Tertio namque anno ex quo Imperium eſt exorſus, hortatu Arianæ conjugis in eamdem quam priùs damnarat hæreſim traductus eſt: ſuſceptóque adverſus Gothos bello, qui trajecto Iſtro terras Imperij populabantur, baptiſmum expetiit ab Eudoxio Conſtantinopolis Pſeudo-epiſcopo Ariano, qui ab eo nefarium jusjurandum exegit ſe in Ariano dogmate perſtiturum, & eos qui contrarium ſentirent pro viribus inſectaturum. Idque reipſa præſtitit. Quæ cauſa fuit Gregorio Nazianzeno & Baſilio ex pacifica ſolitudine diſcedendi, ut apertiùs Eccleſiæ laboranti ſuppetias ferrent. Monachis autem præcipuè infenſum ſe Valens exhibuit, miſitque in eorum deſerta & cellulas ſatellites ſuos, qui fuſtibus omnique violentiâ abductos cogebant impio edicto Nicænam fidem ejurare, & abjectis monaſticis veſtibus in militiam conſcribi. Orthodoxos Epiſcopos crudeliter eſt inſectatus. Meletium Antiochenum, Euſebium Samoſatenſem, & Baſilij magni fratrem Gregorium Nyſſenum procul à propriis Eccleſiis relegavit. Idem in ipſum Baſilium molitus, ſed divinis miraculis prohibitus fuit: ſimulque in Athanaſium, ſed Alexandrinorum ſeditionem metuens à cœptis deſtitit. Catholici ab Arianis oppreſſi, octoginta venerabilium Sacerdotum & Diaconorum ſupplicem legationem ad Valentem miſerunt, at ille Cyclope immanior à ſe dimiſſos & navi impoſitos in medio mari, per Modeſtum præfectum, incendio ſimul & fluctibus abſumpſit.

30. Poſtquam Athanaſius Lecto decum-

bens

bens in cœlum abijt, Lucium Arianum Valens ei ſubrogavit, miſſo ſimul exercitu, qui Catholicorum cædibus diriſque ſuppliciis, Virginum ſacrarum raptationibus, direptionibus ædium, omnique ſacrilegarum impietatum genere, plures dies graſſatus eſt. Iſta contigere anno 371. quo Athanaſius obijt poſtquam Alexandrinæ præfuit Eccleſiæ annis 46. inter perpetes ab Arianis anguſtias & inſectationes.

31. Mamia Saracenorum Regina, cui bellum Valens indixerat, fuſis Valentis copiis, inſignem de Romanis Victoriam reportavit, Neque pacem iniri ullatenus paſſa eſt niſi hac conditione, ut genti ſuæ Moïſes ſanctiſſimus anachoreta præficeretur Epiſcopus; qui Alexandriam adductus ut conſecraretur, à Lucio nullatenus ſuſtinuit ſacrilegas ſibi manus imponi; eòque res evaſit, ut conquiſiti Orthodoxi Epiſcopi Moïſen Epiſcopali ordinatione conſecrarint.

32. Gothos in belli ſocietatem Valens aſcivit; ſed Hiſpanorum incurſione ſedibus ſuis pulſi, ſupplicem legationem ad Valentem deſtinarunt, rogantes ut ſibi ſedes quas incolerent ad Iſtri ripas concederet, quas ſuis armis adverſus finitimos barbaros tutarentur; pollicentes ſe fore Imperij poteſtati ſubditos clientes. Quâ fide datâ receptâque, ſuaſit Valenti Conſtantinopolis Præſul Arianus Eudoxius, non aliter fœdus ſtabile fore, niſi gens illa eamdem cum Imperatore religionem eadémque ſacra ſuſciperet. Quocirca uſi ſunt operâ Ulphilæ Gothorum Epiſcopi à ſe corrupti, qui eos pridem Orthodoxos ad Arianam impietatem, utpote rudes & barbaros, haud ægrè traduxit, connitentibus miſſis à Valente legatis. Antea verò Gothos illibatam tenuiſſe Catholicam fidem diſertè affirmant Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 52. & Theodoritus lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. ult. hallucinatur ergo Sozomenus dum ſcribit lib. 6. cap 37. Ulphilam primum Gothos ab idolorum cultu ad Chriſtianam profeſſionem convertiſſe.

34. Sic igitur Gothi inito cum Valente fœdere illud idem brevi infregerunt. Per eoſdem enim quos ſibi fidiſſimos & addictiſſimos fore Valens confidebat divina ultio parabat eidem exitium, à quo tantopere fuerat adverſus Eccleſiam ſævitum. Enimvero quo eodem tempore Deus illuſtrem victoriam Gratiano religioſiſſimo Romanorum apud Occaſum Imperatori, de Alemannis rebellantibus indulſit, alteri Romanorum Orientalium perfido Imperatori graviſſimam intulit cladem ac perniciem à perduelli Gothorum gente, qui à ſedibus ſibi præſcriptis exilientes quum in ditionem Valentis prædabundi erupiſſent, hunc compulere ut obviam cum exercitu adverſus eos graſſantes occurreret: ſed magnâ ſtrage cæſi à Gothis Romani in fugam vertuntur ad Hadrianopolim Thraciæ, ipſeque Valens ſagitta confixus, quum præ vulneris dolore ulteriùs fugere non poſſet, ſe in tugurium abdidit, in quo vivus unà cum tugurio, à ſuperveniente hoſte injecto igne, miſer conflagravit.

34. Cladem adeò funeſtam Valens evitaſſet ſi mens non læva fuiſſet, ſed eam ſibi accerſivit, tum ſuis quæ præceſſerant criminibus, tum præſenti temeritate. Gratianus enim Auguſtùs ejus ex fratre nepos, celeriter debellatis felici ad Rhenum congreſſu Alemannis, cum victricibus copiis magnis itineribus ad Valentem contendebat, ut conjunctis viribus Gothi profligarentur: ſed æmulatione gloriæ invidiæque, ut ſoli ſibi victoriæ quam præſumebat laus aſcriberetur, iſtam celerrimè prævenit Valens copiarum junctionem, ut ſolus cum barbaris confligeret. Feliciſſimè autem Gratianus Alemannicum bellum cõfecerat; primáque acie quadraginta barbarorum millia cæſa interfectaque fuerant, eorúmque caſtra direpta. Sola ſupererant Alemannorum quinque millia quæ ſtragem fugâ evaſerant, ſed victore ſuperveniente Gratiani exercitu, abjectis armis ſui deditionem fecere, ut Ammianus Marcellinus commemorat.

35. Mortuo ſine liberis Valente hujus ſucceſſio ad Gratianum devoluta eſt, atque ita duo Imperia in unum coaluere; ſed novis ſupervenientibus bellis iterum diviſa ſunt. Gothi enim victoriâ recenti inſoleſcentes, Thraciam populabantur, oppida occupantes & quocunque excurrebant terrorem vaſtitatémque latè circumferebant. In Occidente verò tyrannus Maximus in Britanniis à corruptis auro legionibus Imperator proclamatus, Galliam quoque occupavit, novique ſedem Imperij Treviris fixit. Gratianus Theodoſium Hiſpanum in communionem aſſumpſit Imperij, anno 379. Maximus tyrannus per Andragathium ducem Gratianum Lugduni interceptum interimit, anno 383. ſimulque Italiam improviſus invadit, diffugiente cum matre Juſtina Arianæ ſectæ addicta fratre Gratiani Valentiniano. Sed accurrens Theodoſius anno 388. Maximum apud Aquileiam acie ſuperatum occîdit, cujus filius nomine Victor ab Argobaſte Comite pariter occiſus eſt. Andragathius verò rebus ſuis deſperatis ſe in mare præcipitem dedit. Theodoſius Valentinianum profugum in Imperium reſtituit, abductumque ab hæreſi Ariana,

cum

Digitized by Google

cum Ambroſio, quem urgente & inſtigante matre vexaverat, reconciliavit,

36. Novus etiam adverſus Valentinianum tyrannus inſurrexit Eugenius, Arbogaſti Comitis potentiâ fretus: ab hoc Valentinianus interceptus Viennæ in Gallia perimitur anno 392. Theodoſius Eugenij copias acie vicit, captúmque tyrannum ultimo ſupplicio addixit. Arbogaſtus interfector Valentiniani mortem ſibi conſcivit. Theodoſius, pacato illuſtribus victoriis Imperio, Mediolani diem obijt extremum anno 395. Princeps armis, juſtitiâ, religioneque inclytus. Hic ademptas Arianis Eccleſias Catholicis addixit: idemque adverſus quaſcumque hæreſes ſanctionem edidit, ſolamque obtinere juſſit Catholicam fidem, quam Romæ Damaſus Pontifex tenebat. Sub ejus Imperio celebrata eſt œcumenica Synodus, quæ damnato Macedonij dogmate, Spiritus ſancti divinitatem unam eamdemque cum Patre Filioque aſſeruit, anno 381. Damaſo Summo Pontifice. Concilium iſtud quidem laudem meruit in decernenda fidei veritate: ſimulq; vituperium, quia prævalente in illo Timothei Alexandrini factione, immenſi virum meriti Gregorium Epiſcopatu regiæ Urbis dejecit: & quia defuncto in ea Synodo Meletio Antiocheno, cum fuiſſet antea Synodi Alexandrinæ, cui magnus præſederat Athanaſius, decreto ſapientiſſimè conſtitutum, ut qui ex duobus digniſſimis Antiochenæ Eccleſiæ Pontificibus Meletio & Paulino prior moreretur non alium haberet ſucceſſorem quàm alterum è duobus relictum ſuperſtitem: idque Damaſus Romanus Hierarcha, ut ſic finiretur ſchiſma, perurgeret, Gregoriuſque Nazianzenus, quem mox iſta Synodus depoſuit, & Patres ad hoc impensè hortaretur; æmulatione tamen Damaſi & Latinorum concitata Græca Synodus, maluit continuari ſchiſma, quàm Paulinum Meletio ſubrogari. Itaque ut Synodica Orientalium ad Damaſum cæteroſque Antiſtites Romæ congregatos epiſtola fidem facit, Synodus Conſtantinopolitana defuncto Meletio Antiocheno Præſule Flavianum eligi ac ſuffici ejus in ſedem voluit, ut Paulinus excluderetur. Synodicas haſce literas Theodoritus refert lib. 5. cap. 9.

37. Theodoſij Auguſti, quæ ſola dignoſcitur, labes fuit in iracundiam propenſio: ejuſmodi tamen ut non niſi rebus indigniſſimis commoveretur, ſeque citò placari ſineret. Antiocheni per ſeditionem ſtatuas Flacillæ Auguſtæ, omnium virtutum meritis ornatiſſimæ, dejecerant, publicéque totâ civitate raptaverant, quâ offenſus indignitate conjunx Theodoſius acerbam de urbe vindictam ſumere parabat, civeſque in ingentem redacti conſternationem extrema omnia formidabant. Tum verò Flavianus Epiſcopus, ſuſceptâ pro dejecto, factique pœnitente populo legatione, Theodoſium Conſtantinopoli intra regias ædes convenit, dejectus ipſe vimque lacrymarum profundens, & lamentabili oratione veniam exorans à Principe pro univerſa, cujus erat paſtor civitate, impetravit. Minus tamen felicem ſortita fuit exitum Theſſalonicenſium ſeditio, interfecto à furente plebe Illyrici Præfecto. Pro admiſſo facinore Ambroſius Epiſcopus veniam à Theodoſio petierat & obtinuerat: qui tamen promiſſis non ſtetit. Aulici namque aſſentatores identidem admonebant, minimâ Principis indulgentiâ populos efferatiores reddi, magiſque inſoleſcere; futurumque ut per impunitatem vita Magiſtratuum & Præfectorum in perpetuo diſcrimine verſetur; & ad hoc adjiciebant, ſi pridem fuiſſet prout decuerat animadverſum in ſcelus Antiochenæ plebis, nunquam Theſſalonicenſes auſuros fuiſſe ſimile facinus patrare, quod ſi & iſti impunè ferant, deinceps populos cuncta auſuros, paſſimque in rebelliones erupturos. Quibus perſuaſus Theodoſius Præfecto militum dedit in mandatis, ut in populum ad Circum prætextu ſpectaculorum invitatum, armatos furenteſque milites ad promiſcuam populi cædem immitteret. Neque hic ſtrages illa ſtetit, ſed inde cruentus miles per vicos plateaſque ſe effundens atque etiam intra privatas publicaſque ædes irrumpens, ſine ullo delectu quoſcumque obvios trucidavit, noxios innocenteſque indiſcriminatim, cives ſimul & advenas. Hac ſtrage ſeptem hominum millia trium horarum ſpacio cæſa ſunt. At verò Ambroſius, acceptâ infelicis populi clade, adventanti ad Eccleſiam Theodoſio occurrit, & ingreſſu Eccleſiæ prohibuit, ſejunxitque à fidelium communione: donec publicâ pœnitentiâ ſcelus expiaſſet. Morem geſſit Imperator, tranſactiſque in lacrymoſa pœnitentia octo menſibus, vix tandem obtinuit, cum dies adveniſſet Dominici Natalis, ut ſibi liceret Eccleſiam ingredi: intra quam admiſſus, non ſtans neque genibus flexis, ſed pronus & in humum abjectus veniam à Deo vim lacrymarum effundens precabatur, quibus ſacrum pavimentum perfundebat.

38. Sæculo iſto fœdiſſima ſecta intra Hiſpaniam exorta eſt, cujus autor Priſcillianus fuit, permiſtis unà veterum Gnoſticorum propudioſis impudicitiis & Manichæorum deliriis. Hæc primùm damnata fuit à Concilio Cæſarauguſtano in Hiſpania, deinde à Burdegalenſi in Gallia, à cujus decreto, quum

ipſe Priſcillianus jam tunc ordinatus Epiſcopus Abilenſis ad tyrannum Maximum, Treviris tunc in Gallia degentem, provocaſſet, hujus tandem judicio capitis damnatus eſt.

39. Iſtud ſæculum feracem edidit celeberrimorum Scriptorum proventum, non minùs vitæ ſanctimoniâ quàm eximiâ doctrinâ ſpectabilium, quorum lucubrationes in ſequentibus quoque ſæculis Eccleſiam mirificè illuſtrarunt, atque deinceps illuſtraturæ ſunt. His præcipuè accenſendi ſunt Athanaſius Alexandrinus Præſul, Euſtathius Antiochenus, Hilarius Pictavienſis. Eximiam quoque laudem meruiſſet Euſebius Cæſarienſis in Palæſtina, ſi præſtantis eruditionis laudem, quæ in omnibus ejus libris præfulget, Ariana perfidia non maculaſſet. Iſtis ſucceſſere Baſilius Cæſarienſis in Cappadocia, ejuſque ſocius individuus Gregorius Nazianzenus: Baſilijque magni frater Gregorius Nyſſenus, præcipuè magnitudinis, & ſplendoris ſtellæ in cœlo Eccleſiæ intermicantes, ſive eloquentiæ majeſtatem, ſiue doctrinæ profunditatem, ſive morum ſanctitatem ſpectes, ſcripſit quoque eruditas hoc ſæculo Catecheſes Cyrillus Hieroſolymitanus Antiſtes. His eſt connumerandus Ambroſius Mediolanenſium Antiſtes, qui ſub hujus ſæculi finem admirandis virtutum exemplis & doctrinâ præfulſit.

## *CONCILIVM ANCYRANVM*
### *Anni Chriſti* 314.

1. Coacta eſt Synodus Ancyrana, ſimulatque morte Maximini dira in Oriente adverſus Chriſtianos extincta eſt perſecutio, quâ ſæviente ſacri Eccleſiarum Præſules, qui vel latebras quærere cogebantur, vel deprehenſi à Magiſtratibus in carceres trudebantur, & cruciatibus atque ultimo ſupplicio addicebantur, non poterant Ancyram, Metropolim Galaciæ, in qua conſtitutum erat ſupremum Officialium ethnicorum tribunal convenire, aut ibi verſari, aut indidem recedere indemnes. Incidit iſta Synodus in primum Sylveſtri Romani Epiſcopatus annum, qui fuit à Chriſto 314. Urgebat enim lapſorum innumerorum cauſa, celeremque exigebat per Synodum definitionem. His adde Baſilium Amaſeæ in Ponto Epiſcopum, qui non tantùm huic Ancyrano verum etiam poſteriori Neocæſarienſi Concilio interfuit, & ſubſcripſit, fuiſſe martyrio coronatum, anno 316. ſub Lycinij perſecutione, ut ex Euſebio liquet. Præceſſit vero Synodus iſta menſibus aliquot Arelatenſem, eodem habitam anno: ſed poſt Calendas Auguſti ut fidem facit Conſtantini tractoria ad Ælaſium Africæ Vicarium epiſtola, quæ Arelatenſi Concilio præfixa eſt. Nec enim tam citò poterant ex inſula Britanniæ, ex Italia & Africa, remotis ab Arelato Provinciis Epiſcopi, ex circumvicinia, in urbem Ancyram in medio fermè Aſiæ minoris ſitam, accedere.

2. Canone I. Decernitur Presbyteros qui falſis numinibus immolaverunt, ſed poſtmodum altero certamine fideique apud infideles profeſſione, non ſpecie tenus aut per colluſionem, ſed ſincerè atque ex animo culpam admiſſam repararunt, excludi quidem à myſtica altaris oblatione, aliiſque Sacerdotalibus officiis, neque ipſis licere prædicare ad populum verbum Dei, poſſe tamen priſtinæ ſedis honorem retinere. Similiter tradit Cyprianus lib. de lapſis: *Tanto candore conſpicuos miniſtros ſuos Eccleſia eſſe decernit, ut licet ſecundo certamine elatum priore victoriâ hoſtem ſuperaſſent, ac proinde ſe negationis ſuæ labe emaculaſſent, non tamen idoneos amplius exiſtimaverit qui ſacris functionibus miniſtrarent.* Petrus Alexandrinus in ſuis de pœnitentia Canonibus, can. 8. Eos qui primo certamine ſuccubuere ſed in confeſſione deinde fidei in cuſtodiam conjecti ſe conſtantes in tormentis exhibuerunt, ad ſacramenta corporis & ſanguinis jubet admitti.

2. Canone II. Statuitur de Diaconis qui, poſtquam idolis ſacrificarunt, novum iniere fidei certamen, ceſſare debere omni ſacro miniſterio πεπαῦσθαι δὲ πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας quæ verba parum accuratè vertit Gentianus Hervetus. *Omni Sacerdotali miniſterio ceſſare.* Neque enim ceſſare aliquis dici poteſt ab actu quem nunquam exercuit nec potuit exercere. Sed quemadmodum can. 1. lapſum Presbyterum negat exercere munia Sacerdotalia poſſe, pari ratione canon iſte 2. prohibet Diacono aliquando lapſo ſacra exercere Diaconatus miniſteria. Quæ verò ſequuntur verba τοῦ τὸ ἢ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν non erant ſic à Dionyſio & Iſidoro transferenda. *Et panem aut calicem offerendi.* Sunt enim duæ res in ſacris longè diſtinctæ ἀναφέρειν circumferre aut perferre quod erat pars officij Diaconorum & προσφέρειν, id eſt offerre. Primis enim Eccleſiæ ſæculis Diaconis licebat ſacrum Chriſti corpus & vivificum ſanguinem circumferre, populoque communicare. At verò offerendi poteſtas, quod idem eſt ac ſacrificium ſeu myſtica oblatio, nunquam penes Diaconos, ſed ſolùm penes Sacerdotes fuit. Huc pertinet canon 18. magni Nicæni Concilij, Diaconis vetans à communionem corporis Domini Sacerdotibus impartiri. Quæ particularis prohibitio ſatis arguit fas eſſe Diaconis ſacra communione cæteros, qui non ſunt Presbyteri, reficere. Rationem ſui decreti canon ipſe hanc perhibet, quæ pariter confirmat id quod paulò antè aſſerui de Græcæ vocis προσφέρειν Eccleſiaſtico ſignificato, pro myſtica oblatione ac Sacrificio ὅτι οὐ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. *Neque canon neque conſuetudo tradit, ut qui offerendi poteſtate carent* (ſcilicet Diaconi) *eis qui offerunt* (puta Sacerdotibus) *Chriſti corpus tradant.* Et abſolutè ait S. Clemens Papa & Martyr lib. 8. conſtit. Apoſt. cap. 28. Διάκονος οὐ προσφέρει *Diaconus non offert.* Et cap. 46. οὔτε γὰρ τῷ διακόνῳ προσφέρειν θυσίαν θεμιτόν. *Non enim Diacono fas eſt offerre ſacrificium.*

4. Quòd verò in hoc ſecundo canone declaratur non licere Diacono aliquando lapſo κηρύσσειν, notandum quoque eſt hanc vocem iſto loco eſſe aliter intelligendam, quàm vulgò uſu pari ſolet. Iſtud enim vocabulum indifferens eſt ex ſe, ad ſignificandum verbi prædicationem, quæ fit ab oratoribus,

Digitized by Google

toribus, & proclamationem ſeu denunciationem quæ fit à præconibus, qui etiam Græcè *κήρυκες* dicuntur. Imò verò hæc ſecunda ſignificatio propria eſt ac germana, prior autem alia, metaphorica minuſque propria eſt. At verò præcedens ac primus canon qui Sacerdoti ſemel lapſo prædicationem interdicit verbi Dei, ſolo utitur vocabulo *ὁμιλεῖν*. Proclamabant verò ad populum ſæpenumero Diaconi, inter divina Officia denunciantes aliquid, aut jubentes; quales erant admonitiones de nominatim excommunicatis, aut de impedimentis futuri matrimonij, ſi quis ſciret, enunciandis. Solebant inſuper, antequam divina myſteria inchoarentur, pœnitentes, & catechumenos altâ voce admonere ut Eccleſiâ egrederentur. Item ut ſe fideles inclinarent & ad benedictionem præpararent, aut ut communicaturi ſe ad ſacram Euchariſtiam præpararent, hæc altè pronunciando *Sancta Sanctis*, ut refert in ſuis Catecheſibus Cyrillus Jeroſolymitanus. Solebant præthereà nomina fidelium ex diptychis altâ voce legere: Itemq; dimittere populum perſoluto ſacro: Aliaſque facere in Eccleſia proclamationes, quæ commemorantur à Clemente lib.8. Conſt. Apoſt. cap.5. & ſeqq. uſque ad 16. Ibidemque Diaconorum præconia ſeu proclamationes vocat *προσφωνήσεις*: ipſeque illas prononcians Diaconus dicitur ibi *κηρύττων* in fine cap.5. itemque *προσφωνεῖν* cap.6.

5. Can. X. *Quicunque Diaconi ordinati in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, oportere ſe uxores ducere cum non poſſint ſic manere, ij ſi uxorem poſtea duxerint, ſint in miniſterio, eò quòd hoc illis ſit ab Epiſcopo conceſſum. Si qui autem hoc ſilentio prætherito, & in ordinatione ut ita manerent ſuſcepti ſunt, poſtea autem in matrimonium venerint, ij à Diaconatu ceſſent.*

Iſtud quidem fuit Ancyranorum Patrum judicium. Sed tamen non eſt tanti momenti unius alicujus Diaconi ordinatio, ut ejus gratiâ, nullâque urgente neceſſitate, liceat uni aut alteri Epiſcopo ſacras ab Apoſtolis traditas, totaque Eccleſiâ Catholicâ receptas leges tam leviter infringere: ex quo univerſam demum Clericalem diſciplinam corruere neceſſe ſit. Et quidem ſummum ac præcipuum Epiſcopi munus in eo ſtat, ut quàm diligentiſſimè legum Eccleſiaſticarum obſervationi ſtudeat, & invigilet, juxta Ezechielem cap.3. & 33. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël.* Quod ipſum ſonat & exprimit ipſum Epiſcopi nomen. Unde graviter delinqueret qui ſic affectum, & proteſtantem Clericum Diaconatu conſecraret, nec non ipſe Clericus huic conſentiens ordinationi. Quiſquis enim libertatis & rationis compos ſacrum ordinem ſuſcipit, eo ipſo ſe communibus illius ordinis obligationibus & legibus aſtringit. Quanto verò nexu Sacer ordo continentiæ inviolabili aſtringat, tractationem reſervo ad Nicænæ primæ Synodi can. 3. Prorſus autem contrarium huic Ancyrano Canoni decernit Concilium Aurelianenſe tertium, ſub Vigilio Summo Pontifice can.7. ſanciens: ut qui invitus aut reclamans fuerit ordinatus ſi poſtea matrimonium inire velit à miniſterio penitus abjiciatur: liceat tamen illi communicare. Sed qui eum ordinavit Epiſcopus à Miſſis abſtineat; & integri anni pœnitentiam adimpleat.

6. Canon XIII. In contextu Græco qualem nunc habemus corruptus & inutilis eſt; ſed utrâque Latinâ verſione, tum Dionyſij, tum Iſidori ſic ſuppletur.

*Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare. Sed nec Presbyteris civitatis, ſine præcepto vel literis Epiſcopi, in unaquaque Parochia aliquid imperare: nec ſine auctoritate literarum ejus, in unaquaque Parochia aliquid agere.*

Huc ſpectat Antiocheni poſt Nicænum Concilij canon 10. ſolam Chorepiſcopis permittens Exorciſtarum, Lectorum, & Subdiaconorum ordinationem: prohibens verò Sacerdotum & Diaconorum: *Etiamſi* (inquit) *Epiſcoporum ordinationem Chorepiſcopi acceperint.* Iſte porrò Antiochenus canon 10. duo circa Chorepiſcopos edocet. Primum illos non in civitatibus; ſed in vicis & minoribus oppidis conſtitui, *τοὺς ἐν ταῖς χώραις ἢ ταῖς κώμαις καλουμένους χωρεπισκόπους*. Secundò poſſe contingere ut Epiſcopali quoque charactere præfulgeant ipſi Chorepiſcopi. Quæ obſervatio egregiè conciliat Canonem Antiochenum cum epiſtola decretali Papæ Damaſi (ſi tamen conficta & ſuppoſititia, quod multi cenſent eruditi, non ſit) quæ negat Chorepiſcopos ullam habere ordinandi poteſtatem, eò quòd nihil ampliùs ſint quàm Presbyteri, nec ullatenus Epiſcopi. Loquitur namque Damaſus de poteſtate Chorepiſcopi præciſè qua talis eſt; non tamen inficiatur fieri poſſe ut Epiſcopus aliquis curam ac ſollicitudinem ſubeat Chorepiſcopi; vel ut Chorepiſcopus in Epiſcopum conſecretur. Sic enim reperimus in quibuſdam priſcis Concilijs, Epiſcopos à proprijs ſedibus dimotos permitti, ut alicubi Chorepiſcoporum fungantur officio. Cujus exemplũ ſuppeditat Nicænæ Synodi can.8. Simile quoque videmus in titularibus Epiſcopis, qui aſſignati Eccleſijs in remotis infidelium partibus conſtitutis, habent quidem ordinem Epiſcopalem, ſed omni juriſdictionis exercitio carent, præter eam quæ ipſis ab alijs Epiſcopis pro ſuo libito in proprijs finibus ac Diœceſibus indulgetur. Præclarè verò Damaſus in illa de Chorepiſcopis epiſtola, confert Epiſcopos qui ſtudio quietis & ocij ſuum Chorepiſcopis officium committebant, cum nefarijs illis meretricibus quæ ut liberius fœdæ libidini indulgeant, ſobolis ſuæ curam penes conductas precio nutrices abjiciunt. Quod idem proh nefas! aptari poteſt inertibus Prælatis, quibus, ut cum Seneca loquar epiſt.1. tota fere vita elabitur, aut aliud agendo, aut nihil agendo, aut malè agendo. Illa tamen conſtitutio non obſtitit quin poſt Damaſum permulti extiterint Chorepiſcopi, quorum mentio in Conciliorum inſequentium ſubſcriptionibus paſſim occurrit.

7. Canon XV. *Si qua de rebus Eccleſiæ, quum Epiſcopus non eſt, Presbyteri vendiderint, placuit reſciſſo contractu ad jus Eccleſiaſticum revocari. In judicio autem Epiſcopi erit ſi conſtitutum precium debeat recipi necne: pro-*

*pter quod ſæpè contingit diſtractarum rerum reditus ampliorem ſummam quàm pro dato pretio reddidiſſe.*

Secundum hunc Ancyranum Canonem alienatio Eccleſiaſticæ rei à Clero facta ſine Epiſcopo rata non eſt. Et viciſſim Concilij quarti Carthaginenſis can.32. Alienatio Eccleſiaſticæ rei ab Epiſcopo facta ſine Cleri conſenſu irrita declaratur. Vt igitur hujuſmodi alienatio ſubſiſtat concurrere neceſſe eſt utriuſque conſenſum, Epiſcopi & Cleri. Vide inferiùs ſuo loco Carthaginenſem illum Canonem, & quæ ibi annotavi de ſolemnitatibus ad eam alienationem requiſitis.

8. Canon XVI. alibi XVII. inſcribitur περὶ τῶν ἀλογευσαμένων ἢ ἀλογευομένων. Qui irrationale ſcelus commiſere, vel committunt. Veroſimilior expoſitio eſt eorum, qui de nefando hominis cum bruto congreſſu interpretantur, cujus reos & cum his leproſos (quâ voce λεπρώσαντας καὶ λεπροὺς vereſimilius eſt indicari ac perſtringi Sodomitas, aliaque infandæ libidinis monſtra:) ideoque ad longiorem & aſperiorem adigit pœnitentiam. Eos igitur qui hunc reatum ante annos ætatis viginti commiſerunt, ad proſtratos ſpacio quindecim annorum amandat: quibus exactis inter ſupplicantes communicantes ad finem uſque ſacræ Liturgiæ, ſed non participes divinæ Euchariſtiæ, jubentur quinquennio conſiſtere. Quicunque autem conjugio ligati & ultra viginti annos provecti crimen admiſerint, eorum proſtratio ad annos viginti continuos prorogatur: poſteaque quinquennio ſupplicant ſine Euchariſtiæ perceptione. Eos denique qui uxorati ſunt, & annum ætatis quinquageſimum tranſgreſſi peccaverunt, privat communione præterquam in exitu vitæ. Quicunque autem cum brutis congreſſi ſunt amandat Synodus ad χειμαζομένους, hiemantes εἰς τοὺς χειμαζομένους inter hiemantes, ſeu tempeſtate jactatos: quâ voce aliqui eos ſignificari volunt, qui ſub Dio & aëre aperto pœnitentiam agunt. Huc pertinere videtur illud Tertulliani tract. de Pudicitia. *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora & in ſexus ultra jus naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus: quia non ſunt delicta ſed monſtra.* Alij plerique antiqui non alios intelligunt χειμαζομένους quàm dæmoniacos. Dionyſij verſio ſic ait: *Inter eos orare qui ſpiritu periclitantur immundo.* At verò energumenis locus erat intra Eccleſiæ limina. Iſidoriana quoque tranſlatio ſic effert: *placuit inter eos orare qui tempeſtate jactantur, qui à nobis energumeni appellantur.* Martinus etiam Bracarenſis, origine Græcus, etſi Bracaræ in Hiſpania Epiſcopus, in ſua Canonum collectione, quam ſcripſit anno 570. iſtos χειμαζομένους vertit dæmonioſos. Si autem de coïtu contra naturam ſit intelligendus cum quibuſdam iſte locus, eòdem ſpectat Synodi Illiberritanæ canon 71.

*Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem.*

***

## NEOCESAREENSE CONCILIUM
### *Anni Chriſti* 314.

1. POST Ancyranum eodem anno celebratum fuit Neocæſareenſe Concilium eodem præſidente Vitali Antiocheno qui Ancyrano præfuerat. In primo quidem pœnitentiæ delictorum conſtituuntur. In hoc autem irregularitates definiuntur ab Eccleſiaſticis ordinibus arcentes. Eſt Neoceſarea Cappadociæ urbs quam Lycus flumen interfluit.

2. Canon VIII. Decernit eſſe ſacris Ordinibus inhabilem & irregularem cujus fuerit uxor adultera. Citatur in Decreto cap. ſi cujus uxorem, diſt. 34. *Si cujus uxorem adulterium commiſiſſe cum eſſet laicus evidenter fuerit comprobatum, hic ad officium Eccleſiaſticum admitti non poteſt. Quòd ſi in Clericatu jam eo conſtituto adulteravit, dato repudio eam dimittere debet. Si verò retinere ejus conſortium velit, non poteſt ſuſcepto miniſterio perfrui.* Quæritur an qui eam virginem duxit uxorem quæ fuerat alteri deſponſata ſed non cognita cenſeatur bigamus? Negativè reſpondet Pelagius Papa cap. Valentino diſt. 34. & Innocentius Papa III. cap. debitam de bigamis.

3. Canon IX. Irregularem dicit reſpectu Sacerdotij. Et Can. X. reſpectu etiam Diaconatus eum qui fuerit aliquando fornicatus, ut ſi poſt tale delictum contingat ordinari, ſit ſuſpenſus ab illius quem indebitè ſuſcepit ordinis exercitio. Id jam eſt abolitum, ſed tamen inde colligito quantam illis temporibus vitæ anteactæ innocentiam Eccleſia ad ordinum ſuſceptionem exigebat ſacrúmque Miniſterium. Similiter Nicænus canon 2. viam illi ad ſacros Ordines præcludit qui peccatum animale, vel ſemel commiſerit. Quod idem ante ſtatuerat Eliberritanus canon 30. hijs verbis: *Subdiaconos eos ordinari non debere qui in adoleſcentia ſua fuerint mœchati.*

4. Canon XI. *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur quamvis ſit probabilis vitæ: ſed obſervet uſque ad præfinitum tempus. Dominus enim noſter Ieſus-Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt, & tunc prædicavit.*

Citatur in Decreto diſt. 78. cap. Presbyter: fuit olim ubique recepta Eccleſiæ diſciplina ne annis triginta juniores Sacerdotio promoverentur: tum apud Græcos, ut hic docet Neocæſarienſis canon: tum apud Latinos, ut conſtituitur Agathenſis Concilij can. 17. *Presbyterum verò vel Epiſcopum ante triginta annos, id eſt, antequam ad perfecti viri ætatem perveniat: & Diaconum ante vigintiquinque, nullus Metropolitanorum ordinare præſumat: ne per ætatem (quod aliquoties evenit) aliquo errore culpentur.* Eædem quoque ætates præfiguntur reſpectivè in Sacerdotibus & Diaconis ordinandis in quarta Synodo Toletana can. 19. Vide in Decreto diſt. 77. c. Epiſcopus, & c. in Veteri. Poſterior Eccleſiæ diſciplina laxior evaſit. Sic enim ſancivit Tridentini Concilij ſeſſ. 23. c. 12. *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum: ad Diaconatus ante vigeſimum tertium: ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur.*

5. Canon

Digitized by Google

5. Canon XII. Illum à Sacerdotio excludit, qui ægrotans fuerit illuminatus, id eſt baptizatus eò quòd per acediam, & ſalutis animæ ſuæ neglectum in id temporis baptiſmum diſtulerit. Eos qui lecto per ægritudinem decumbentes lavacro regenerationis abluti ſunt, S. Cyprianus per ludibrium clinicos vocat, qui verò ſani peripateticos epiſt. 76. ad Magnum. Neque verò hanc irregularitatem Neocæſarienſis Synodus prima introduxit: longè enim anteà Romanus Epiſcopus Cornelius, circa an. Chriſti 255. in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola, quam refert Euſebius lib. hiſt. Eccl. cap. 35. disertè aſſerit, Novatianum non potuiſſe conſecrari Epiſcopum quia non licet baptizatos in lecto aſſumere in Clerum.

6. Can. XV. ita decernit: *Diaconi ſeptem eſſe debent ex Canone, etiamſi magna ſit civitas, ejus autem fidem facit liber Actorum.*

Habetur in Decreto, c. Diaconi ſeptem diſt. 93. Idque adeò verum eſt, ut ne Romæ quidem numerus hic excederetur. Cornelius enim Pontifex numerum Cleri Romæ conſiſtentis recenſens, in eadem ad Fabium epiſtola ſic enumerat: Epiſcopum unum, Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.

## *CONCILIUM ARELATENSE*
### *Anno Chriſti* 314.

1. MEnſurius Carthaginis Epiſcopus à tyranno Maxentio Romam evocatus, ſenioribus quibuſdam vaſa Eccleſiæ ſacra diſceſſurus commendaverat. Inter hæc moritur Menſurius, atque in hujus ſedem legitimis ſuffragiis promovetur Cæcilianus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus, qui ſtatim pro ſuo officio vaſa Eccleſiæ à depoſitariis repoſcit. At iſti, qui ſacrilego auſu ſibi ea retinebant, à Cæciliani communione ſe meritò diſcedere proteſtantur, triplici ad hunc finem excogitatâ calumniâ. Primò ſacrorum voluminum traditionis in manus infidelium Magiſtratuum, quam Cæciliano affigebant. Secundò paris traditionis, cujus ſine ulla probatione ordinatorem Cæciliani Felicem Aptungitanum Epiſcopum inſimulabant. Tertiò ſubtractionis alimoniarum, quas fideles fratribus confeſſoribus vinculis detentis communi pietate deſtinarant. Accuſatorum nequitiam fovebat & accendebat Lucilla, Cæciliano pridem infenſa ex impatientia juſtæ reprehenſionis, quâ eam Diaconus Cæcilianus in Eccleſia perſtrinxerat, cum eſſet illa opibus & animi præſumptione ſuperba. Falſas verò accuſationes autores ſchiſmatis Cæciliano intentabant, ipſi tamen veris criminibus obnoxij. Ex tribus enim Donatiſtarum conciliabulis, Cirtenſi & duobus Carthaginenſibus, quæ ad finem præcedentis ſæculi attexui perſpicuè conſtat, accuſatores iſtos fuiſſe, ſub noviſſima perſecutione, tum librorum Sacrorum, tum ſacræ ſupellectilis perfidos traditores.

2. Donatiſtæ (ſic dicti à Donato à caſis nigris præcipuo ſchiſmatis autore, qui adverſus Cæcilianum ordinarat Majorinum Pſeudoepiſcopum Carthaginis) interceſſorem adhibent Annulinum Africæ Proconſulem, ut quandoquidem inter Epiſcopos Africæ controverſia ventilabatur, ideoque ſuſpecti dici poſſent in cauſa Cæciliani, ab Imperatore Conſtantino Epiſcopos, quos ei viſum fuerit, Gallicanos obtineat, quorum judicio lis illa terminaretur. Conſtantinus tres deſignat qui judicium ferant, Rheticium Auguſtodunenſem, Maternum Agrippinenſem, & Marinum Arelatenſem. Sed antequàm lis apud eos conteſtaretur aliter diſponit, judiciumque remittit Melchiadi Romano Pontifici, qui ſibi quindecim accerſeret Italiæ Epiſcopos, adjunctis inſuper tribus nominatis Gallicanis. Itaque Romam accedunt Cæcilianus poſtulatus à Donatiſtis reus, cum decem Epiſcopis Africanis ſui defenſoribus, ſimulque decem Epiſcopi Donatiſtæ illius accuſatores. Agitatur cauſa in ædibus Lateranis, quas Imperatrix Fauſta poſſidebat hæreditarias. Examinatis ad amuſſim cauſæ inſtrumentis jus omne adjudicatur Cæciliano, anno Chriſti 314. Quinetiam ut firmiore nexu pax inter diſſidentes conciliaretur, admittuntur ſimul in communionem Epiſcopi, quos Majorinus in ſchiſmate ordinarat, Lexque generalis profertur: ut ubicumque duarum partium ordinati fuerunt Epiſcopi, is qui prior manuum impoſitionem acceperit exerceat Epiſcopatum: alteri verò quo meliore modo fieri poſſet provideatur, dummodò à ſchiſmate diſcedatur. Quod prudens Melchiadis judicium eximiè collaudatur ab Auguſtino epiſt. 162.

3. At pervicaces Donatiſtæ ab hac ſententia provocarunt ad Conſtantinum, qui retentis apud ſe Cæciliano & Donato, ne per utriuſque reditum incendium iſtud Africanas Eccleſias devaſtaret, non potuit tamen Donati ejuſque ſequacium pertinaciam ullâ ratione flectere. Quocirca novum illis indulſit plenioris atque ampliſſimi examinis gratiâ Concilium Arelate cogendum. Præſtat hîc narrantis Auguſt. verba ſubtexere epiſt. 166. *Scitote quòd primi majores veſtri cauſam Cæciliani ad Imperatorem Conſtantinum detulerunt. Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam atque definiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in urbe Roma præſidente Melchiade illius Epiſcopo cum multis collegis ſuis: qui cum Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum qui ſchiſma Carthagine fecerat ſententiâ percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, & de judicio in quo victi fuerant murmuraverunt. Quomodo verò poteſt malus litigator laudare judices quibus judicantibus victus eſt? Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios judices Epiſcopos dedit apud Arelatem Galliæ civitatem: & ab ipſis veſtri ad illum Imperatorem appellarunt, donec ipſe cauſam cognoſceret, & innocentem Cæcilianum, & ipſos calumnioſos pronunciaret. Nulla hic à Melchiadis & collegarum ejus Epiſcoporum judicio appellatio: ſed tantùm querimoniæ & murmurationes tanquam eorum qui per gratiam malè judicaſſent: ideoque ſuſpectum id eſſe judicium, & cauſam retractandam apud alios minimè ſuſpectos.* Hoc loco caſtigatiùs pro rei veritate loquitur Auguſtinus, negans ullam fuiſſe ab Eccleſiæ judicio interjectam appellationem, quantumvis obloquatur Optatus, qui quamlibet adverſus quodcumque

judicium reclamationem appellationis nomine ſignificari credidit. Aliud quippe eſt appellare ab inferiori & ſubalterno tribunali ad tribunal ſuperius: aliud verò judicij reviſionem poſtulare ac recognitionem, tanquam à malè informatis, ſeu de rei veritate minùs inſtructis, aut ſuſpectis judicibus editi.

4. Idemque Auguſtinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 92. *Si autem* (inquit) *quod verum eſſe petentibus tum majoribus veſtris judicium Epiſcopale dederat Conſtantinus, & apud Romam & apud Arelatem, quorum primum apud eum accuſatis & ab altero apud eum appellatis.* Negat Auguſtinus appellatum à Summo Pontificis judicio: conceditque appellatum ab Epiſcoporum Concilio minimè œcumenico. His adde nullum eſſe in facto temerè litigantium (quales erant ſchiſmatici Donatiſtæ) fundamentum. Etiamſi verò Conſtantinus pervicacibus acquieverit in hac re, ideò ſe ita geſſit ut omnem eis præriperet occaſionem & prætextum conquerendi ac tergiverſandi: utque iteratis condemnationibus juſtè ſuccumbentes, vel tandem à ſua perverſitate reſilirent, vel eoſdem ipſorum malitia, palam cunctis innoteſcens, omnibus magis faceret odioſos. Ipſemet Conſtantinus eorum admirans veſanam protervìam exclamavit. *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Et idem rurſus: *Meum judicium poſtulant qui ipſe judicium Chriſti expecto. Dico enim ut ſe veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet.* Hæc refert Optatus, ipſiuſque Conſtantini epiſtola nihil aliud fuit quam judicij Epiſcoporum affirmatio. Verùm nullâ Decreti Imperatorij ratione habitâ, ſchiſmatici turbas miſcere non deſtiterunt. Deinde ſub Conſtantio Ariano pacem cum Arianis, indicto communi adverſus Orthodoxos bello, ſanxerunt. Juliani deinde Apoſtatæ præſidium ſibi poſtulavere, qui reſtitutâ ubique terrarum idololatriâ, nihil magis habebat in votis quàm ut Chriſtiani nominis profeſſores ſe invicem mutuis odiis conficerent.

5. Quæ in Donatiſtarum cauſa, mandante Conſtantino Auguſto & approbante Papâ Sylveſtro apud Arelatem Synodus anno 314. convenit, multis nominibus celebritatem habet: quippe in qua Conſtantinus per ſe interfuit & innumeri propemodum Epiſcopi ex univerſa Gallia, Hiſpania, Britannia, & Hibernia; Italia, Sicilia & Africa eò confluxerunt. Interfuere pariter Summi Pōtificis Legati Claudianus & Vitus Presbyteri, Eugenius & Cyriacus Diaconi. Aſſerit Ado Viennenſis in Chronico, ſexcentos in iſtud Concilium Patres acceſſiſſe. Meminere paſſim hujus Synodi Optatus Milevitanus Epiſcopus, & Auguſtinus; qui ambo egregios libros adverſus ſcripta Parmeniani exararunt. Parmenianus iſte ſublato è vivis Donato Carthaginis Pſeudoepiſcopo, à Donatiſtis fuit ſubrogatus: qui mox ut cathedram illam nactus eſt, libros edidit in ſuæ ſectæ patrocinium, mendaciis confertos. Quorum tamen partem Ticonius, tametſi Donatiſta, cujus eſt frequens apud Auguſtinum mentio, contrariis ſcriptis impugnavit. Concilium Arelatenſe Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 9. & epiſt. 162. vocat plenarium & univerſale, atque univerſæ Eccleſiæ Concilium.

6. Can. I. *Primo loco de obſervatione Paſchæ Dominici, ut uno die & uno tempore per orbem omnem à nobis celebretur, & juxta conſuetudinem literas ad omnes tu dirigas.*

Alloquitur Sylveſtrum Papam. Inſcriptio enim Concilij ſic habet: *Domino Sanctiſſimo Fratri Sylveſtro Marinus, vel cœtus Epiſcoporum qui adunati ſunt in oppido Arelatenſi:* His concinit Carthaginenſis quinti Concilij Canon 7. *Ut dies Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Neminem latet gravis illa Eccleſiarum jam inde à primo ſæculo diſſenſio circa diem celebrationis Paſchalis. Haud paucæ enim Orientis Eccleſiæ Paſcha eodem quo Judæi die celebrabant, ex Moſaica lege, die decima quarta lunæ menſis Martij, Hebraico menſi Niſan reſpondenti. Cujus tuendi ritus gratiâ S. Polycarpus Eccleſiæ Smyrnenſium Epiſcopus Romam advenit, Pontifice Aniceto. Romana verò Eccleſia cui major pars orbis ſe conformabat Paſchale feſtum non niſi Dominico die, qui proximè decimam quartam Martij lunam ſequitur; celebrabat. Quem uſum conſtituit deinde Romanus Pontifex Victor per omnes Eccleſias ſervari, adjectâ excommunicationis adverſus contravenientes pœnâ. Cui demum decreto complures Aſianæ Eccleſiæ obtemperantes, deſierunt Judaïco ritu quem olim ſectatæ fuerant uti. Multæ tamen quæ in Meſopotamia Syria & Cilicia erant Eccleſiæ à priſtina cum Judæis conſuetudine non receſſerunt: ſed poſtea Nicæni Concilij decretis paruerunt. Quoniam verò Ægyptij Aſtronomiæ peritiâ præcellebant, curam prænunciandi quotannis Dominicæ Paſchalis diem, Nicæna Synodus Alexandrino Præſuli demandavit: ut diem illum accuratè ab Aſtronomis exploratum Romano Pontifici indicaret, cujus erat officium eumdem poſtea diem, miſſis per omnes Eccleſias formatis literis, indicare: ut tradit S. Leo Papa Magnus in epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum. In cunctis deinde Eccleſiis ſolemne erat per Diaconum inter Miſſarum ſolemnia futurum Paſchæ diem ipſo Epiphaniæ die ad populum proclamari: ut docemur Concilij Aurelianenſis quarti can. 1. & Bracarenſis ſecundi can. 9. qui legitur inſertus de conſecrat. diſt. 3. cap. placuit. Plura ſuperiùs require ad ſæculum II. Diſſert. De formatis.

7. Can. II. *De his qui in quibuſdam locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeverent.* Eodem ſpectat hujuſce Concilij canon 21. *De Presbyteris aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua, in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit ut eis locis miniſtrent quibus præfixi ſunt. Quod ſi relictis locis ſuis ad alium ſe locum transferre voluerint, deponantur.*

Ambobus hiſce Canonibus tria præſcribuntur Eccleſiaſticæ diſciplinæ capita. Primum, ut quicunque ordine quovis Eccleſiaſtico initiantur certæ pariter Eccleſiæ alligentur, cui per ſuſceptorum ordinum miniſterium deſerviant. Secundum, ut eis non ſit liberum ab Eccleſiæ miniſterio

cui

cui ab ipſa ordinatione addicti ſunt diſcedere, aut aliò ſuum pro libito transferre miniſterium. Tertium ut pœnam ſuſpenſionis ab executione ordinum incurrant, qui ab præfixa ſibi ſtatione diſcedere, aut alibi ordines ſuſceptos exercere citra veniam proprij Antiſtitis præſumpſerint. His aſtipulatur Nicænus canon 15. quo cavetur ne Epiſcopi Presbyteri & Diaconi ab Eccleſijs, ad quas fuerunt ordinati in aliarum Eccleſiarum miniſterium tranſeant. Et citatur in c. non oportet Epiſcopum 7. q. 1. Suffragatur pariter canon 6. Chalcedonenſis Concilij prohibens quemquam abſolutè ordinari, ſed in ipſa ſui ordinatione jubens deſtinari certæ cui famuletur Eccleſiæ, & profertur à Gratiano c. neminem abſolutè diſt. 7. Eódem collimant Canones Apoſtolorum 15. & 16. quibus etiam pœna excommunicationis infligitur Epiſcopo alienum Clericum detinenti invito, ad quem Clericus pertinet, Epiſcopo. Regulam iſtam aliqua ex parte inſtaurare connixum eſt Tridentinum Concilium, ſeſſ. 23. cap. 16 Nemo (inquit) ordinetur quin certæ Eccleſiæ aſcribatur. Nec admittantur alieni Clerici ad divina Officia celebranda, ſine commendatitijs proprij ordinarij Epiſcopi.

8. Canon V. *De theatricis, & ipſos placuit quandiu agunt à communione ſeparari.*

Eadem infligitur pœna ſuperiori can. 4. agitatoribus Circenſibus. Concilium Illiberritanum cap. 62. ita decernit. *Si auriga aut pantomimi credere voluerint, placuit ut prius ſuis artibus renuncient, & ut tunc demum ſuſcipiantur: itaut ulterius ad eas non revertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia.* Idemque Concilium can. 67. *Prohibendum ne qua fidelis aut catechumena, aut comicos aut viros ſcenicos habeat: quæcumque hoc fecerit à communione arceatur.* Videndus Tertullianus lib. de ſpectaculis, & Salvianus lib. 5. de Providentia Dei. Iſtiuſmodi perſonæ in jure ſunt infames l. 2. ff. de his qui not. infam. Trajanum Plinius in panegyrico laudibus effert hoc ipſo, quòd pantomimos omnes Romà exegerat. Innocentius III. c. cum decorem, de vita & hon. Cler. ludos theatrales in Eccleſijs, aut per Clericos exhiberi vetat.

9. Canon VII. *De præſidibus qui fideles ad præſidatum proſiliunt, placuit ut cum promoti fuerint literas accipiant Eccleſiaſticas communicatorias: ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint; ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur, & cum cœperint contra diſciplinam agere, tum demum à communione excludantur. Similiter & de his qui rempublicam agere volunt.*

Optimè proviſum: ne miſſi ad Provincias Magiſtratus, immunitatem à juriſdictione Epiſcopi, ejus loci ad quem à Principe mittuntur, prætenderent: utpote ad ſolum loci ex quo profecti ſunt Epiſcopum pertinentes; animumque habentes diſcedendi poſt Magiſtratus ſibi delegati geſtionem, eoque prætextu conceſſa ſibi abuterentur poteſtate, ſeque licentioſiùs gererent. Hoc verò decretum Conſtantinus, qui Concilio interfuit, ſuà præſentià confirmavit. Ambroſius certè non in advenam officialem, ſed quod plus eſt in advenam Imperatorem Theodoſium ſeniorem, tunc fortè Mediolani degentem, Epiſcopalem exercuit poteſtatem, quando ipſum introitu Eccleſiæ prohibuit, & ad publicam adegit pœnitentiam. His adjunge conſtans eſſe juris axioma, ibi cauſam eſſe ventilandam, ubi delictum eſt admiſſum, l. 1. C. ubi de crim. agi opor. & l. ult. ff. de accuſatio. & c. ibi ſemper 3. q. 6. & c. ult. de foro compet. & c. 1. de raptorib. Prærequirit autem hic Arelatenſis canon ut delegatus Præſes, antequam ad delegatam ſibi præfecturam migret; literas ab Epiſcopo loci, unde abſceſſurus eſt, formatas recipiat, ſecundum regulam Eccleſiaſticam prioribus illis ſæculis apud fideles vigentem.

9. Canon VIII. *De Afris quòd propriâ lege ſuâ utuntur, ut rebaptizent: placuit ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent ſymbolum: & ſi perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus tantum ei imponatur ut accipiat Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Hoc anno, & conſulatu, nondum Ariana hæreſis innotuerat, cum qua mox Donatiſtæ ſocietatem junxere. Certè anno primo Sylveſtri Pontificis hoc Arelatenſe Concilium celebratum conſtat; Voluſiano & Anniano Conſulibus. Arius verò Sylveſtri ejuſdem anno tertio cœpit Alexandriæ hæreſim ſuam ſpargere. Eodemque anno Alexandrinus Antiſtes Alexander, ut naſcentem hæreſim comprimeret, in Synodo centum ferè Epiſcoporum Arium damnavit. Itaque corrigendus Gratianus, qui hunc allegans Canonem octavum pro Afris, ſupponit Arianos; de conſecra. diſt. 4. c. de Arianis. Tunc enim necdum Ariana hæreſis emerſerat; ſed eò uſque furente odio adverſus Catholicam partem perciti erant Donatiſtæ, ut quoſcunque ſeductos ad ſuas partes traxerant, nullâ ratione habitâ baptiſmi quem apud Orthodoxos ſuſceperant, ſed illum potiùs execrantes, denuò baptizarent: majori temeritate dogma vetus inſtaurantes, quod ſub Epiſcopis Carthaginenſibus Agrippino & Cypriano, duobus Conciliis Africanis ſtabilitum, Stephanus Pontifex in Romano Concilio autoritate Apoſtolicæ traditionis, proſcripſerat.

10. Canon IX. *De his qui Confeſſorum literas afferunt; placuit, ut ſublatis eis literis accipiant communicatorias.*

Iſtarum communicatoriarum conceſſio muneris erat Epiſcopalis. Canone iſto aboletur libellorum uſus à Martyribus & Confeſſoribus proficiſcentium, quorum intuitu & precibus, canonicæ pœnitentiæ tempora minuere ſolebant Epiſcopi: atq; lapſi ante præfinitum tempus reconciliabantur. Ejuſmodi libellorum ullam haberi rationem vetuerat, Illiberritanus canon 25. Illorum pariter meminere, nec ſine querimoniis, quòd per illos ſacræ diſciplinæ vigor enervaretur, Tertullianus lib. ad Martyres, & Cyprianus epiſt. 10. 11. 12. 14. 15. Illa pœnitentiæ canonicæ, ad Martyrum preces concedi olim ſolita mitigatio, indulgentiis hodiernis præludebat: ut ad Cyprianum Scoliaſtes Pamelius adnotat.

11. Canon

Digitized by Google

11. Canon XI. *De puellis fidelibus quæ gentilibus junguntur, placuit ut aliquanto tempore à communione ſeparentur.*

Cultus diſparitas prioribus Eccleſiæ ſæculis non fuit habita pro impedimento matrimonium dirimente, multùm enim obſtitiſſet Chriſtianæ fidei propagationi, magnamque confuſionem & diſſidia in familias invexiſſet. Quapropter hanc diſpoſitionem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ regimini & prudentiæ reliquit. A primordiis igitur Eccleſiæ prævaluit hæc Apoſtolica ſanctio 1.Cor.7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat eam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi; in pace autem vocavit nos Deus.* Poſtquam verò Chriſtiana religio ſub Conſtantino caput extulit, viſum eſt Patribus hujus Synodi non quidem hujuſmodi prohibere matrimonia; ſed aliquam illis pœnam quaſi remoram injicere, quâ ſenſim poſterioribus ſæculis via muniretur ad hanc prohibitionem quæ deinceps hujuſmodi connubia redderet irrita.

12. Canon XIII. *De his qui ſacras Scripturas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum; placuit nobis ut quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine Cleri amoveatur. Nam ſi ijdem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & de his quos ordinaverint ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio. Et quoniam multi ſunt qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemptos putant ſe ad accuſationem admitti debere, omnino non admittantur: niſi ut ſupra diximus actis publicis docuerint.*

Tria providè Patres Canone iſto decernunt, ut Donatiſtarum malignitati prætextus ſubducant Eccleſiæ perturbandæ. Primum ut ſufficienter convicti traditores, quales permulti erant inter Donatiſtas, ab ordine cleri & miniſteriis Eccleſiæ arceantur. Et quia illorum perdita nequitia veris convictionibus deſtituta, falſos teſtes pretio conducebat, ejuſmodi corruptioni obviam itur, dum adiguntur ad probandum per acta dumtaxat publica traditiones, cæteraque ab illis objecta delicta. Perfacilis autem erat hujuſmodi probatio ſi crimina vera eſſent, quæ accuſabant. Etenim lapſus illi omnes à Magiſtratibus ethnicis fuerant in acta publica redacti, idololatriæ, thurificationes, fratrum delationes, ſanctorum librorum aut Eccleſiaſticæ ſupellectilis traditiones. Ad illa quippe acta, redditâ demum ſub Chriſtiano Imperatore Eccleſiæ pace, facilis erat unicuique recurſus. Tertiò ac poſtremò ſi quis objecti criminis innocens, manuum impoſitionem ab Epiſcopo ſuſcepiſſet, qui fortaſſe lapſus fuiſſet, ne hujus delicto prægravaretur: ſed ejuſmodi rata eſſet ordinatio. Et utique ordinatoris delicto non impeditur neque tollitur indelebilis characteris poteſtas. Talis verò erat cauſæ Cæciliani ſtatus, ab Epiſcopo Felice conſecrati, quem adverſarij cauſabantur traditionis reum.

13. Canon XIV. *De his qui falſo accuſant fratres ſuos; placuit eos uſque ad exitum non communicare.*

Cæcilianum falſo accuſabant Donatiſtæ ſubtractarum eleemoſynarum, quas pia fidelium cura victui confeſſorum, qui in vinculis erant, deſtinaverat. Et inſuper eumdem traditionis poſtulabant ſæviente perſecutione, quorum nihil tamen juridicè probare valuerant: niſi fortè per corruptos & ſuſpectos teſtes, nullatenus per acta aut inſtrumenta publica. Poteſt iſte canon ſic intelligi, ut ad finem vitæ differatur tandemque concedatur communio, ſed in pari delicto ſeverior eſt Illiberritani Concilij canon 75. *Si quis Epiſcopum Presbyterum, vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem.*

## *NICÆNÆ PRIMÆ OECVMENICÆ Synodi hiſtoria.*

1. NUNC agendum de prima œcumenica Synodo Nicæna, cui cauſam dedit hæreſis Ariana. Arius Presbyter Alexandrinus ſacrarum Literarum interpretationi præpoſitus, ambitione tumens; quum ſublato è vivis Achillâ Epiſcopo Alexandrino, ferre non poſſet ſibi hunc Epiſcopatum quem ambiverat non fuiſſe delatum, ſibique prælatum virum hac ſublimi ſede digniſſimum, virtutum meritis & ſanctarum Literarum peritiâ præeminentem, invidiæ ſtimulis agitatus, adoritur quocumque modo ſanæ Apoſtolicæque illius doctrinæ obſiſtere. Prædicante igitur Alexandro Dei filium ejuſdem eſſe cum progenitore naturæ, poteſtate atque æternitate parem, ipſe ex adverſo filium aſſeverabat eſſe diverſæ à Patre inferiorisque naturæ, atque à patre in tempore ex nihilo creatum. Alexander illum, privatis primum admonitionibus & benignis officiis, conatus ad veritatis cognitionem reducere, obſtinatiùs tamen inſiſtentem, falſæque doctrinæ virus ad animarum perniciem latiùs ſpargentem, fidelium communione ſubmovit. Arius ad Euſebium Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum confugit, quem ſuæ ſocium & fautorem hæreſis nactus eſt, cum aliis eadem lue infectis Epiſcopis, Paulino Tyri, Patrophilo Scythopolis, Athanaſio Anazarbi, Theodoto Laodiceæ, Gregorio Beryti, Aëtio Lyddæ, quæ aliter dicta Dioſpolis. Nec multò poſt, ſcriptis ad Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum literis, ipſum in ſuas partes allexit, virum aulicis artibus inſtructiſſimum, cujus permagna erat apud Conſtantinum Auguſtum gratia & autoritas. Plures etiam Clericos, deoque ſacras Virgines, atque ex plebe plurimos, univerſamque Meletianorum ſchiſmaticorum factionem ſui dogmatis contagione pervertit. Fuitque brevi completum in Ario Apoſtolicum hoc oraculum. *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.*

2. Serpente latiùs malo, Arianiſque inſolentiùs in

in dies tumultuantibus, Alexander Alexandrinus Antiſtes innumeras ad Epiſcopos literas conſcripſit, atque in his laudatiſſimam quæ ſupereſt ad ſibi cognominem Alexandrum, Conſtantinopolis Epiſcopum: Sylveſter Romanæ univerſæque Eccleſiæ Pontifex hujus ingraveſcentis perniciei admonitus, Oſium ſapientiſſimum & religioſiſſimum Cordubæ in Hiſpania Bætica Epiſcopum, cum ampliſſima poteſtate, delegavit ad Conſtantinum tunc Nicomediæ ubi Epiſcopatum gerebat Euſebius degente: nec non ad Eccleſias Orientis & Ægypti ad extinguendum quatenus fieri poſſet iſtud incendium. Ipſe autem Conſtantinus nullas Oſio legationis literas expedivit, nullum ei mandatum, nullum commonitorium quod reſciri poſſit ſcripto tradidit, nulla illum poteſtate divali præmunivit, ſed tantummodo literas illi ad Alexandrum & Arium privatim ſcriptas, quales conflaverat Euſebius Nicomedienſis, tradidit perferendas. Quin etiam in his duabus epiſtolis ne quidem Oſij nomen exprimitur neque ulla fit ejuſdem mentio, niſi tanquam nuncij, perinde ac ſi ſimplex tabellarij munus obiret. Cum igitur nullam per literas delegationem Oſio Conſtantinus impoſuerit, nullus eſt dubitandi locus aliunde legationis munere ac poteſtate inſtructum roboratúmque fuiſſe. Undenam verò niſi à Summo qui tunc erat Pontifice Sylveſtro? Et quânam ratione potuiſſet alienus, neque majorum ſedium Epiſcopus in remotiſſimas Provincias atque adeò in ſecundam dignitate toto terrarum orbe Eccleſiam Alexandrinam ſe ingerere, ibique Synodum Epiſcoporum uſque adeò celebrem cogere, ut eam Athanaſius Apolo.2. vocet generalem? non aliâ ſanè ratione quàm quia præſente Apoſtolicæ ſedis Legato, Epiſcopi Provinciarum quæcunque parebant Alexandrino Patriarchæ in id Concilium convenerunt.

3. In hiſce Conſtantini ad Alexandrum & Arium literis, malus Euſebij Nicomedienſis animus ſe perſpicuè prodit, quem Imperator ſingulari amore proſequebatur, & cujus conſilium in rebus religionis exquirebat. In primis prima & præcipua culpa in Alexandrum refunditur: deinde tam acris diſceptationis cauſam levis eſſe momenti aſſerit, nec prorſus ad res fidei aut animarum ſalutem pertinere. Euſebius autem Cæſarienſis pariter Arianis addictiſſimus, haſce Conſtantini literas ideò ſuæ de vita Conſtantini hiſtoriæ interſeruit, ut omnem turbarum cauſam in Alexandrum unum rejiceret, Arijque dogma ab omni cenſura vindicaret.

4. Digreſſus à Conſtantino Oſius Alexandriam conceſſit. Ibique diſſidentes animos ad pacem & concordiam traducere pro viribus laboravit, & ſtuduit. Concilium eadem in urbe indixit ab Athanaſio apolo.2. & Socrate lib.3.cap.5. memoratum: qui referunt diſcuſſam in illo fuiſſe Arianorum & Meletianorum cauſam, damnatum etiam impij Sabellij dogma, divinarum Trinitatis ſanctiſſimæ perſonarum diſtinctiones inficiantis. Addit Athanaſius fuiſſe ibi quoque Colluthum condemnatum Presbyterum Alexandrinum eò quòd cum Presbyter tantummodo eſſet Eccleſiæ Alexandrinæ, pleroſque Clericos ordinare præſumpſiſſet: ideoque & illum & quotquot manus impoſitionem ab illo acceperant fuiſſe ab Oſio in ordinem redactos. Addit Socrates in eadem Alexandrina Synodo fuiſſe conſtitutum, ne voces deficerent per quas fidei veritas exprimeretur, ut in ſanctiſſima Trinitate unica prædicaretur οὐσία tres verò ad diſtinguendas perſonarum proprietates dicerentur ὑποστάσεις.

5. Cum verò Ariani deſpectâ Concilij Alexandrini autoritate ſe inſolentiùs efferrent, perverſumque dogma propagarent, viſum eſt controverſiam eſſe œcumenica & inſigniori Synodo dirimendam: hanc itaque Conſtantinus, aſſentiente Sylveſtro Papâ, Nicææ in Bithinia Aſiæ Provincia indixit. Ipſeque Imperator religionis ſpecimen egregium dedit, miſsis in omnes partes curſoribus & literis, quibus Epiſcopos ad Synodum ut convenirent incitavit: eorumque pro Dei cultu, fidei integritate, totiuſque Eccleſiæ pace atque dignitate, quam maximè potuit zelum ſtudiumque ſuccendit. Vecturas itinerum, omneſque victus impenſas, tam ipſis quàm illos comitantibus & familiaribus largè providit. Nicæam itaque ex diverſis orbis terrarum plagis trecenti decem & octo Epiſcopi convenere. Paulino & Juliano Conſulibus, anno Chr.325. auſpicatum eſt in Nicæa Metropoli Bithiniæ, ut tradit Concilium Chalcedonenſe actio.2. tenuitque uſque in diem VIII. Kalendarum Septembris à die inchoationis, qui fuit XIII. Calendas Julij, ut conſentiunt Synodus Chalcedonenſis & vetuſtiſſima Creſconiana collectio. Ex quibus corrigendi, tum qui Synodum in alium Conſulatum rejiciunt, tum qui plures ei annos attribuunt.

6. Synodo præſederunt Oſius Cordubenſis Epiſcopus, qui primus ei ſubſcripſit, quemque Dalmatius, ſive Gelaſius, Cyzicenus Epiſcopus refert in hujus Concilij hiſtoria, Sylveſtri Romani Epiſcopi ſediſſe Legatum, & cum hoc duo alij Apoſtolici Legati Victor & Vincentius Romanæ Eccleſiæ Presbyteri. Hi treſſupra ipſos omnes præcipuarum Eccleſiarum Antiſtites ac Patriarchas conſederunt, & ſubſcripſerunt. Interfuerunt Alexander Alexandriæ Ægypti Epiſcopus, Euſtathius Antiochiæ, & Macarius Jeroſolymæ Epiſcopi, Alexander Conſtantinopolis, alijque Præſules, quorum præcellens ſanctitas Eccleſiæ faſtis conſignatur & colitur: Paphnutius Thebarum Ægypti, Potamon Heracleæ Ægyptiorum, Spiridion Thremituntis Cypri, (his duobus Potamoni & Spiridioni olim propter Chriſtianæ fidei profeſſionem, in perſecutione Maximini, alter oculus fuerat effoſſus, & poples ſucciſus) Paulus etiam Cæſareæ Euphrateſiæ, qui ſub Licinio candentium laminarum cruciatum ſuſtinuerat; Jacobus Niſibis in Meſopotamia, qui mortuos (ut narrat Theodoritus) ad vitam revocaverat, quique Niſibim obſidentes Perſarum copias ſemel & iterum, fuſis ad Deum precibus, immiſſo culicum agmine fugavit: Aroſtanas etiam in Armenia ſuperiori Epiſcopus, Gregorij Armenij diſcipulus, & in Epiſcopatu ſucceſſor. Utrùm verò Nicolaus celeberrimus Myræ Antiſtes in Lycia, Concilio interfuerit, non eſt adeò exploratum. Interfuiſſe affirmant ejus acta, quæ Methodius conſcripſit. Cæcilianus pariter Carthaginenſis Epiſcopus tantoperè ab impiis Donatiſtis exagitatus, inter Nicænos Antiſtites conſedit, ut teſtantur Athanaſius orat.1. contra Arianos, Gelaſius Cyzicenus, & Concilium Carthaginenſe ſextum.

7. Verumtamen quod ſcriptum eſt in libro Iob hic pariter accidit. *Cum veniſſent filij Dei ut aſſiſterent coram Domino adfuit inter eos etiam Satan.*

**Interfuere namque cum ſanctiſſimis illis Præſulibus Ariani Epiſcopi,uterque Euſebius Cæſarienſis & Nicomedienſis,Paulinus Tyri,Theognis dictus** aliis Thegonius Nicææ, Menophantes Epheſi, Patrophilus Scythopolis, Narciſſus Neroniadis, Theonas Marmaricæ,Theodorus Laodicææ, Athanaſius Anazarbi,Greg.Berythi,Aëtius Lyddæ, Maris Chalcedonis, Secundus Ptolemaïdis, Paulus Laradenis. Hi primùm calumnioſis accuſationibus,& famoſis oblatis libellis, orthodoxos Antiſtites inſectati ſunt apud Imperatorem:qui tamen porrectos ſibi libellos legere noluit,ſed omnes involucro concluſos & ſigillatos palam cõcremavit; profeſſus Epiſcopos à ſolo Deo judicandos:ſe autẽ Epiſcoporum judicio in illis quæ ad Eccleſiam & proprios mores ſpectant ſubeſſe. Occultanda præterea eſſe Sacerdotum delicta ne inde aliqui anſam arriperent ſcandali aut deſpicientiæ ſacri miniſterij: ut ſcribunt Rufinus lib.1.c.2. Sozomen lib.1. cap.16. Theodoritus lib.1.cap.11. Gregorius Papa lib.4.epiſt.75. ad Mauricium Auguſtum.& Carol. Magnus in Capitularibus lib.6 cap.351.

8. Conſtitutum in primis fuit pro inconcuſſo fundamento, à Nicænis Patribus nihil contra fidẽ ab antiquo traditam, & hactenus in Eccleſia receptam,innovandum eſſe: ut ibid. ſcribit Sozomen. Lecta deinde ſunt Arij ſcripta & damnabilis Euſebij Nicomedienſis epiſtola. Ipſimet præſentes interrogati & auditi;quos alioſque pervicaces Arianos Athanaſius, etiamnum juvenis & Diaconus, quem Alexander ſecum in ſin. adduxerat ſtrenue diſputando refellit. Qua ex cauſa odium Arianorum implacabile in ſe concitavit. Laudem etiam in his diſputationibus adeptus eſt inſignem Marcellus Ancyræ Epiſcopus. Vide Athanaſium orat. contra Arianos. Gregor.Nazianz.orat. in laudem Athanaſij. Socratem lib.1. cap.8. qui adverſarios cum quibus Athanaſius eſt in Concilio congreſſus nominat, Arium hæreſiarcham,Euſebium Nicomedienſem, Theognim Nicænum, & Marim Chalcedonenſem. Horum dogmata execrati Nicæni Patres,unanimes definierunt filium eſſe patri coëſſentialem, & conſubſtantialem,atque coæternum, ante omnia tempora genitum. Damnaverunt iſtud Arianorum effatum, *fuiſſe aliquando tempus quando filius non erat, & quando qui ejus vocatur pater erat quidem ab æterno Deus, ſed nondum pater.* At in oppoſitum ſancta & œcumenica Synodus, edito fidei ſymbolo, profeſſa eſt, filium eſſe genitum ante omnia ſæcula,Deum verum de Deo vero, Patrique ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον conſubſtantialẽ & coæternum.

9. Conſtantinus dum in Concilio diſputabatur attente auſcultabat,rumores ſubnaſcentes conſopiebat, ſuum modeſtè ſenſum inſinuabat, ſingulos amicè alloquebatur, ut refert Euſebius Cæſarienſis lib.3. vitæ Conſtantini c.13. Denique formulæ fidei ſubſcripſerunt tum orthodoxi, tum etiam Ariani, formidantes ſimul gratiæ Principis ſediumque Epiſcopalium amiſſionem. Euſebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ, ſpiritu ducti ſuperbiæ ne convicti poſt tantum à ſe exhibitum ardorem atque inconſtantes judicarentur, cedere & ſubſcribere per aliquod tempus detrectarunt. Itaque ſuis ob pertinacem hæreſim dejecti ſunt ſedibus: in quibus eorum loco ſuffecti ſunt Nicomediæ Amphion, & Nicææ Chreſtus. Quo eodem tempore Conſtãtinus duas ſcripſit epiſtolas, unam quidem ad Nicomedienſes, alteram ad Theodotũ, in quibus ſceleratos mores Euſebij Nicomedienſis & Theognis graphicè deſcribit:ut mirari ſatis nemo queat Imperatoris facilitatem, qui paulò poſt ſe totum ejuſdem Euſebij conſiliis addixit,ejuſque perſpicuis & palam manifeſtis calumniis ſe credulum exhibuit, ad perſequendos ſanctiſſimos Epiſcopos ſanctæ œcumenicæque Synodi columina, præcipuè verò magnum Athanaſium cujus fuerat in ipſa Synodo virtutem admiratus. Cùm ex adverſo projectam Euſebij nequitiam, perfidiam, & veteratorias artes tam ſæpè fuiſſet expertus.Et qui quantumvis Epiſcopus, Licinij non modo ethnici idolorumque cultoris, verumetiam immanis Eccleſiæ perſecutoris,& injuſtiſſimum bellum,violata juriſjurandi à ſe præſtiti fide,cõtra Chriſtianiſſimum Principem, ſanctæque Eccleſiæ inſtauratorem, moventis partes omni ſtudio & adulatione foverat,exiſtimans id magis ex re fortunîſque ſuis eſſe, omni abdicato religionis ſenſu & probitatis reſpectu.Nihil ſanè ad religionis ſtudium in Conſtantino addi vel deſiderari poſſe videbatur. Statim enim dirempto ſolutóque Concilio innumeras literas,quarum adhuc multæ ſuperſunt ad complures Eccleſias & Provinciarum præſides, pro ſtabilienda Nicæna fide,& abrogando Arianiſmo tranſmiſit. Sed res feliciter cœptas, Euſebij Nicomedienſis, in ſupremam Conſtantini gratiam denuò recepti, fraudulenta conſilia mox, ut videbimus, peſſumdederunt, ac in deteriora verterunt. Euſebius & Theognis ut priſtinas ſedes reſumerent inviti decreto Nicæno ſubſcripſerunt,atque interveniente pro eis Conſtantino ad Concilij Patres,ſuas recuperarunt Eccleſias, ut commemorat Socrates lib.1. cap.5.& 10. qui tamen ambo Nicænam fidem pro viribus poſthæc impugnarunt, illiuſque aſſertores enixè perſequi nunquam deſtiterunt. Ipſe Arius malorum omnium fons, poſtquam Synodali decreto fidelium communione avulſus fuit, & à Conſtantino pulſus exilio, ab eodem mox ob ſimulatam reſipiſcentiam & palinodiam,poſtliminio reductus eſt; hac tamen lege,ne Alexandriam ingredi auderet: Cujus rei fidem facit Hieronym. Dialog.adver.Luciferianos. Cumque cæteri Ariani ficto animo ſubſcripſiſſent,ſoli duo Epiſcopi nunquam adduci potuerunt & ſubſcriberent,Theonas Marmoricæ in Libya, & ſecundus Ptolemaïdis in Pentapoli, atque ideò ſuis Eccleſijs ejecti, ut ipſa declarat Synodica Nicænorum Patrum ad Alexandrinam Eccleſiam epiſtola.Meletius verò Ægyptij ſchiſmatis autor, quem quia idolis ſub Maximini tyrannide ſacrificaverat, ſanctiſſimus Petrus Alexandrinus Patriarcha Lycopolitano Epiſcopatu detruſerat, quique ſchiſmatis de ſuo nomine dicti occaſione, innumeras turbas adverſus Petrum & hujus ſucceſſores Achillam & Alexandrũm concitarat, iterum exautoratus in Nicæna Synodo fuit: nec tamen conquievit, nec ejus ſchiſma, quod Ariani ſollicitè fovebant,extinctum eſt. Obiter verò iſtud advertendum, hiſtoriam de Meletio qualẽ refert Epiphanius hære.68.nullam apud doctos fidem reperire: utpote falſis ab eodem relationibus acceptam, & directè adverſantem his, quæ de eodem ſcribit oculatus & præſens teſtis Athanaſius, qui Meletium omniaque illius facinora exactè norat, apol. 2. & Socrates lib.1.c.5.

DE

Digitized by Google

## DE ORDINE ET CONSESSV *Patrum tum in Nicæna Synodo, tum in alijs inſequentibus œcumenicis.*

1. IN primis ſciendum, delegatos ab Epiſcopis abſentibus eodem olim ordine ſediſſe quo ipſi delegantes Epiſcopi præſentes conſediſſent. Idcircò in multorum veterum Conciliorum actis & ſubſcriptionũ ſerie, plerumq; Presbyteri & Diaconi altiùs compluribus Epiſcopis ſubſcribunt.

2. Ex eiſdem ſubſcriptionibus & actis pariter liquet, Legatos Apoſtolicæ ſedis, quippe qui vices Summi Pontificis gerunt ſediſſe & ſubſcripſiſſe ſupra quoſcumque Patriarchas; fuiſſeque Conciliorum præſides. Inductione hoc patet in Nicæna quã pertractamus Synodo; in qua Legati præſederunt Sylveſtri Papæ, Oſius Epiſcopus Victor & Vincentius Presbyteri. Hos ſequebantur Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, Macarius Ieroſolymorum Epiſcopi.

3. Paucis à Nicæna annis præfuerunt Synodo Sardicenſi nomine Sylveſtri, Oſius Epiſcopus Vincentius Capuanus, Calepodius Neapolitanus. Deinde ſequitur Athanaſius Alexandriæ.

4. In Conſtantinopolitana prima nulli Apoſtolici Legati interfuere: quia tunc temporis Damaſus Papa aliam Romæ Præſulum Occidentis Synodum celebrabat. Orientales autem fuiſſe animis conſentientes cum Occidentalibus & Damaſo; probant mutuæ literæ Damaſi ad Concilium Conſtantinopolitanum, & hujus viciſſim ad Damaſum apud Theodoritum lib. 5. cap. 9. & 10.

5. Epheſinæ Synodo præfuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus ut Legatus Cæleſtini Romani Hierarchæ. Quem tamen Cyrillum proprio nomine præſidere non ſuſtinuiſſent, extra propriæ Patriarchiæ fines, in alia Diœceſi, quam ſibi Conſtãtinopolitanus Epiſcopus jam vendicabat, ut ſecundus ab Epiſcopo Romano Patriarcha. In hujus ergo Synodi actis paſſim legitur: Cyrillo Alexand. præſidente & locum tenente ſanctiſſimi & religioſiſſimi Archiepiſcopi Romanæ Eccleſiæ Cæleſtini. Mox ſubſignant Juvenalis Jeroſolymæ Epiſcopus, Memnon Epheſi, Flavianus Vicarius & Locumtenens Rufi Epiſcopi Theſſalonicæ, Thedotus Ancyræ in Galatia, Firminus Cæſareæ in Cappadocia prima Epiſcopus.

6. In Chalcedonenſi act. 3. Paſchaſius & Lucentius Epiſcopi & Bonifacius Presbyter; Legati ſanctiſſimi Deoque amantiſſimi Archiepiſcopi veteris Romæ. Dein Anatolius ſanctiſſimus Archiepiſcopus novæ Romæ, Dioſcorus Archiepiſcopus Alexandriæ, Maximus Antiochiæ, Juvenalis Jeroſolymæ, Quintillus Heracleæ Macedoniæ, locum tenens Anaſtaſij Epiſcopi Theſſalonicæ, Thalaſſus Cæſareæ Cappadociæ, Stephanus Epheſi, Lucianus Byſæ, locũ tenens Cyriaci Epiſcopi Heracleæ Thraciæ, Euſebius Ancyræ Galatiæ Epiſcopus. Hæc ita ſingillatim recenſeo ut dignoſcantur præcipuæ Orientis Metropoles.

7. In quinta Synodo quæ eſt ſecunda Conſtantinopolitana præfuit Eutychius Patriarcha Conſtantinopolis novæ Romæ, approbante Vigilio Romæ veteris Pontifice: ad quem ſic ſcribit Eutychius: *Petimus præſidente veſtra beatitudine de tribus Capitulis quæri & conferri.* Quam epiſtolam continent iſtius Synodi acta. Et Zonaras in Juſtiniano ſcribit Synodi Principem fuiſſe Vigilium Romæ veteris Epiſcopum. Qui etiam, ut Photius ſcribit lib. de ſeptem Synodis, iſtius acta & decreta Concilij confirmavit. Porrò in ejus actis & ſubſcriptionibus, hæc notatur Epiſcoporum ſeries: Conſidentibus in Secretario venerabilibus Eutychio ſanctiſ. Patriarcha Regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ, Apollinario ſanctiſſ. Archiepiſcopo Alexandriæ, Domno ſanctiſſ. Patriarcha Theopoleos, id eſt Antiochiæ, Stephano Epiſcopo Rhaphiæ, & Georgio Epiſcopo Tiberiadis, & Damiano Epiſcopo Sozuſæ vicem agentibus Euſtachij ſanctiſſimi Epiſcopi Jeroſolymitani, Benigno Epiſcopo Heracleæ Thraciæ, vices agente Heliæ Theſſalonicenſis Epiſcopi, Theodoro Epiſcopo Cæſareæ primæ Cappadociæ, Andræa Epiſcopo Epheſi, &c.

8. In ſexta Synodo Conſtantinopolitana tertia actio. 1. ſub Conſtantino Auguſto (cui nomen erat Pogonato,) In Secretario Sacri Palatij quod cognominatur Trullus, conveniente ſanctâ & univerſali Synodo, id eſt Theodoro & Georgio venerabilis Presbyteris, & Ioanne venerabili Diacono vicem agentibus ſanctiſſ. & beatiſſ. Archiepiſcopi Romæ veteris Agathonis, & Ioanne ſanctiſ. Archiepiſcopo magnæ Continop. Romæ novæ, & Petro Presbytero & Monacho Locumtenente ſedis Alexandriæ (Græcè τοποτηρίτε ἀλεξανδρείας) & Macario Archiepiſcopo Theopolis, & Georgio Presbytero & Monacho & Apocriſiario Theodori venerabilis Vicarij τοποτηρῆτε) ſedis Ieroſolymorum, & Theodoro Epiſcopo Epheſi, &c.

9. In ſeptima Synodo, quæ eſt Nicæna ſecunda, act. 1. Præſidentibus Petro Archipresbytero Romanæ Eccleſiæ SS. Petri & Pauli, & altero Petro Presbytero & Monacho Abbate S. Sabæ Romæ Vicarij ſanctiſſ. Archiepiſc. veteris Romæ Adriani. Sequitur Taraſius Archiepiſc. Conſtantinopolit. novæ Romæ, Ioannes & Thomas Presbyteri Monachi, & Vicarij ſedium Orientis Patriarchalium Alexand. Theopolis & Ieroſol. Agapetus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Ioannes Epheſi Epiſcopus.

10. Octava Synodus quæ eſt quarta Conſtantinopolitana præmittit act. 1. Donatum & Stephanum Epiſcopos, & Macarinum Diaconum, Legatos Adriani Papæ II. ſubditque Ignatium Archiepiſc. Conſtantinop. novæ Romæ. Deinde Vicarios τοποτηρήτας ſedium Patriarchalium Orientis.

11. Obiter in prædictis obſerva, nomen Archiepiſcopi pluribus ſæculis non fuiſſe attributum Metropolitanis unius Provinciæ, ut nunc eſt uſui; ſed illis duntaxat quibus multi ſubjecti erant Metropolitani, ſcilicet Patriarchis, & Primatibus, ſeu Exarchis. Decreſcente demum apud Græcos religione cum poteſtate, eorumdemque tamen (quod mirum ſit) creſcente ſuperbiâ, cœptum eſt novum in Oriente genus Archiepiſcoporum nomine tenus, qui licet nullis præcellent Epiſcopis, ex ſolo Imperatoris reſcripto; eoque venali, hoc inane nomen adipiſcebantur; medijque erant inter Metropolitas, & Epiſcopos inferiores. Hinc effectum, ut in Leonis Imperatoris διατυπώσει ſubjectæ Conſtantinopolitano Patriarchæ, recenſeantur Metropoles una & octoginta. Deinde Archiepiſcopatus prædicti generis novem & triginta: & legatur aliquoties apud Neotericos Græcos: Ex Archiepiſcopatu Metropolis civitas facta eſt.

12. Obſerva pariter in Occidentalibus Conciliis, ſalvo jure Legatorum Apoſtolicorum, qui nemine

N 2 mine

ne contradicente ſupra quoſcunque præſederunt: aliter factum de procuratoribus quorumcumque Epiſcoporum: qui utique procuratores inferiore ſedebant loco, quam quem ipſe qui mandaverat tenuiſſet, quoties fiebat ut miſſus procurator aut Vicarius dignitate Epiſcopali non præfulgeret. Quinimò ſeparatis ab ordine Epiſcopali ſedibus & ſubſcriptionibus diſtinguebantur. E diverſo in Orientalium Synodis, miſſi ab Epiſcopis abſentibus procuratores eodem ſolerent conſedere loco, quem mittens ipſe tenuiſſet.

13. Euſebius Cæſarienſis qui Nicæna in Synodo conſedit lib. 3. vitæ Conſtantini, eum qui primam ſedem occupabat à dextro latere, orationem habuiſſe refert gratiarum actionis ad Conſtantinum. Theodoritus autem lib. 1. cap. 7. ſcribit, eum qui nomine Concilij orationem gratiarum actionis pronunciavit, fuiſſe Euſtathium Antiochenum; cujus nomen per invidiam ſuppreſſit Cæſarienſis, orthodoxis infenſus. Cæterùm cum Antiochenus eſſet ordine ac dignitate inferior Alexandrino, ex illa prima ſeſſione ad dextrum latus infert Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de Conciliis cap. 13. fuiſſe in Nicæno Concilio tres ſedium ordines, ac exhedras. Primum in capite aulæ, ibique ſediſſe Conſtantinum medium inter Oſium & Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum. Secundamque exhedram fuiſſe à dextera parte, in qua primus ſedit Euſtathius. In tertia denique exhedra ad ſiniſtram primo conſediſſe ordine Macarium Ieroſolymorum Epiſcopum.

14. Certè Oſium, Vitum ſeu Victorem, & Vincentium ſimul præſediſſe, perſpicuum ac exploratum eſt, tum ex teſtificatione Athanaſij, epiſt. ad Solitar. ubi etiam refert Oſium fuiſſe Synodi Principem, & Nicænæ fidei ſymbolum compoſuiſſe; tum etiam ex ipſius Synodi ſubſcriptionibus, tum ex Gelaſio Cyziceno, qui acta hujuſce Concilij edidit, juxta vetus Dalmatij Epiſcopi Cyziceni exemplar; tum etiam ex Photio lib. de ſeptem Synodis, qui etiam in ſua Bibliotheca mentionem interjicit illius Gelaſij operis. Scribit ergo Gelaſius lib. 2. cap. 5. adducto, etiam ex vita Conſtantini, teſtimonio Euſebij hoc idem aſſerentis, Oſium præſediſſe Legatum Sylveſtri Romæ veteris Epiſcopi, tametſi locus iſte Euſebij, qualem nunc legimus, nihil meminerit de Oſij Apoſtolica Legatione. Verum longè major habenda fides Græcis exemplaribus, quæ ante mille & ducentos annos extabant, temporibus Dalmatij Gelaſijque, quàm illis quæ poſterioribus ſæculis ſchiſmatici Græci, Romanæ Eccleſiæ perpetui hoſtes & æmuli, nobis ſuppeditarunt: corruptis ſcilicet aut ſuppreſſis ipſorum malignitate locis, ad eminentiam Eccleſiæ Romanæ pertinentibus. Verum enimvero ipſe Oſius Hiſpanus Epiſcopus, præſentibus Patriarchis, in aliena eaque Orientali regione præſidere, neque præſumpſiſſet neque permiſſus fuiſſet, niſi eodem titulo cohoneſtatus Apoſtolici Legati, quâ ſolâ dignitate, nemine contradicente, Victor & Vincentius tantum Presbyteri, Patriarchas eadem in Synodo anteceſſerunt.

15. Cardinalis Baronius aliter Nicænorum Patrum conſeſſum diſponit, cujus potior in hac parte mihi videtur ſententia: utpote inſequentium Conciliorum ordini & uſui conformior. Cenſet ergo Conſtantinum ſeorſum ſediſſe humili ac demiſſo ſedili aureo ut in ipſius vitæ lib. 3. cap. 10. ſcribit Euſebius: addens non ante ſediſſe quàm rogatum à patribus, neque fuiſſe ſolito ſatellitio ſtipatum, ſed primariis aliquibus aulæ regiæ proceribus. Baronius porro duos tantum fuiſſe conſeſſus autumat Concilij Patrum: dextrorſum unum, ſiniſtrorſum alterum. Atque in iſto Legatos Romani Pontificis conſediſſe primùm, ſub his verò aſſediſſe Alexandrinum Patriarcham. At verò in dextero conſeſſu ſediſſe primo loco Patriarcham Antiochenum, & ſub eo Macarium Jeroſolymitanum, alioſque deinceps hinc inde Epiſcopos. Cum enim exploratum eſſe debeat inſequentes œcumenicas Synodos ſe ad Nicenæ hujus exemplum conformaſſe; legitur act. 1. Chalcedonenſis Concilij Senatum in medio ante cancellos Secretarij conſediſſe. A ſiniſtris vero Legatos ſanctiſsimi veteris Romæ Epiſcopi Leonis, poſt hos deinde Anatolium Conſtantinopolis novæ Romæ Archiepiſcopum, & Maximum Antiochiæ. A dextro autem latere Dioſcorum Alexandriæ & Juvenalem Jeroſolymorum Epiſcopum. Itaque prima exhedræ dexteræ ſedes reſervabatur ſecundo Patriarchæ qualis erat Antiochenus in Synodo Nicæna: & in Chalcedonenſi Alexandrinus; quia jam tunc Conſtantinopolitanus Epiſcopus cœperat primæ ſedis poſt Romanum Epiſcopum honorem ſibi vindicare.

16. Ad hæc in ſexta Synodo actio 1. refertur ſediſſe ſeorſum Conſtantinum, dictum Pogonatum, Auguſtum, cum Patriciis & Conſulibus. A læva autem parte Legatos Apoſtolicæ ſedis, deinde Vicarium ac apocriſiarium Epiſcopi Jeroſolymæ alioſque deinceps Præſules. A dextera verò parte Conſtantinopolis Epiſcopum, deinde Theopolis, quæ eſt Antiochia, tertioque loco Vicarium Epiſcopi Alexandrini. Cur autem Epiſcopus Jeroſolymitanus inferior Alexandrino & Antiocheno, immediatè tamen Legatis Apoſtolicis aſſederit, ideò factum quia cum multi eſſent Apoſtolici Legati, quos non erat æquum ab invicem disjungi Jeroſolymitanus ex conſequenti multos ante ſe habebat ſeſſores: Antiochenus ex alia parte unicum ſupra ſe patiebatur ſeſſorem Conſtantinopolitanum, ideoque Antiochenus Epiſcopus honoratiorem præ Jeroſolymitano ſeſſionem occupare hac in Synodo cenſebatur hac ratione; quia ex ſuo latere ab uno duntaxat præcedebatur. Solidis verò rationibus Baronius probat ad annum 325, n. 52. & ad an. 213. n. 6. in ſacris & Eccleſiaſticis rebus præcelluiſſe olim ſiniſtram dexteræ, tum in Oriente tum in Occidente. Quæ res ſi comperta Petro Damiano Cardinali fuiſſet, dum in tractatu de picturis Apoſtolorum Petri & Pauli diſceptabat, quorſum Petrus ad ſiniſtram Paulus verò ad dexteràm pingi aut ſculpi ſoleret, nequaquam ſe fatigaſſet in conquirendis Pauli ſupra Petrum prærogativis.

## *VICARIORVM ROMANI PONtificis differentiæ.*

1. ROMANI Pontificis Vicariorum multiplex diſcrimen fuit. Quidam enim dicebantur Legati à latere, quidam cognitores, ſeu commiſſarij, dicti à Concilio Sardicenſi can. 3. & 5. ἐκδικοι cognitores, habentes mandatum ſeu commiſsionem à Papa ut cauſas in Provinciis

vinciis aut Diœceſibus exortas inquirerent, vel judicarent, vel reviſerent; maximè in judiciis appellationum ad ſupremam Sedem. Alij dicebantur Apocriſiarij ſeu reſponſales, quorum hodie locum & munus implent nuncij Apoſtolici. Mittebantur quippe ad Imperatores ut res Eccleſiæ apud eos procurarent, aut jura Romanæ Eccleſiæ tuerentur. Frequens eſt eorum mentio in epiſtolis Gregorij Papæ. Quinetiam alij quoque Epiſcopi ſuos ubicunque opus erat apocriſiarios habebant. Anatolius enim, quem Dioſcorus Alexandrinus promovit ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſedem Patriarchalem, fuerat pridem ejuſdem Dioſcori in regia civitate apocriſiarius. Et Georgius Presbyter ſubſcriptus in ſexta Synodo legitur, cum titulo apocriſiarij ſedis Ieroſolymorum. Neque verò ad ſolum Principem, ſed ad diverſos etiam Epiſcopos: præſertim ad Patriarchas & Exarchas Eccleſiaſticos & ad Metropolitanos, ut fidem facit Juſtinianus Novella 6. cap.2. circa fin. & cap.3. Idemque Novella 123.cap.25. Quo etiam loco decernit non poſſe illos validam inire conventionem ultra Epiſcopi vel Eccleſiæ delegantis mandatum. Scribit S.Gregor.Papa lib.14. Moralium cap.29. ſe apocriſiarij munere functum olim Conſtantinopolitano apud Tiberium Auguſtum, jubente Pelagio prædeceſſore. Poſt Legatos à latere, poſt cognitores, poſt apocriſiarios, quartum & nobiliſſimum Vicariorum Apoſtolicorum genus conſtituebant Primates.

2. Primatibus tanquam Vicariis ſupremæ Sedis conferebatur à Summo Pontifice poteſtas & juriſdictio ſupra plures Metropolitanos, & his ſubjectos Epiſcopos. Ita S.Leo Papa epiſt.84. Anaſtaſium Theſſalonices Epiſcopum Vicarium ſuum creat in multis Europæ Provinciis ad Orientem vergentibus, quas ſingillatim recenſet Nicolaüs primus epiſt.2. ad Michaëlem Imperatorem. Addit S.Leo Papa ibid. prædeceſſores Anaſtaſij, fuiſſe ſimiliter prædeceſſorum Romanorum Epiſcoporum Vicarios. Huc referunt nonnulli cauſam canonis 10. Concilij Sardicenſis, prohibentis extraneis Clericis diutinam Theſſalonicæ moram: & hanc addunt rationem, quia propter Primatis Theſſalonicenſis reſidentiam eò confluere ſolebant complures ex vicinis Provinciis Clerici, qui litibus nonnunquam ſuperfluis & temerariis implicitι, vel ſupervacaneâ negotiorum apud auditorium Primatis geſtione, vel capti civitatis ſplendore ac amœnitate diutiùs à propriis Eccleſijs aberant.

3. In veteribus Conciliis antequam Juſtiniano Auguſto poſtulante, Vigilius Papa Vicariam Theſſalonicæ ablatam tranſtuliſſet Acridum Bulgariæ urbem, quæ Juſtiniano patria natalis fuit, quamque ille de ſe Juſtinianam primam dici voluit, ſubſcribit Theſſalonicenſis Epiſcopus inter primos poſt Patriarchas, Epiſcopos; ut ſuperiori capite commonſtratum fuit. Videnda ad hoc Juſtiniani Novella 131. cap.3. Cæleſtinus inſuper Pontifex in cauſa hæreſis Neſtorianæ, Cyrillum Alexandriæ Epiſcopum ſibi creat Vicarium, ad hoc ut Conſtantinopolis Eccleſiam regat, quam infelix Neſtorius quaſi lupus devaſtabat. Superſunt hac de re Cæleſtini Papæ literæ ad Cyrillum & Cyrilli ad Clerum & plebem Conſtantinopolis tomo 4. operum Cyrilli.

4. Deinde Hormiſdas epiſt. ad Saluſtium Hiſpalis Epiſcopum conſtituit ipſum Apoſtolicum per omnem Bæticam & Luſitaniam Vicarium ſuum. Idemque Remigio Rhemenſi Epiſcopo eamdem confert poteſtatem per univerſam Clodovæi ditionem, quem vocat ibi Ludovicum Francorum Regem. Literas ſileo Pontificum Zoſimi, Symmachi, Vigilij, Gregorij magni, quibus promovent Arelatenſes ad quos ſcribunt Epiſcopos, ad Vicariatum Apoſtolicum ſuper plures Galliæ Provincias. Complures alias Primatias prætermitto, quas diverſis temporibus Romani Pontifices, tum in Galliis, tum in Hiſpaniis, tum in Germania, tum in Anglia conſtituere.

5. Canonici juris profeſſores Legatorum Pontificiorum tres ſpecies diſtingunt cum gloſſa c.1. & c. excommunicatis de officio Legat. in 6. ut ſint alij dicti à Latere, alij Legati nati, alij miſſi ſive Nuncij Apoſtolici. Natos vocant canoniſtæ Primates, quales ſunt, aut olim fuere, certarum civitatum Epiſcopi, quibus eorumve ſucceſſoribus id contulit poteſtatis Summus Pontifex in plurium Provinciarum Epiſcopos, qualia ſuppeditant exempla Rhemenſes, Arelatenſes, Hiſpalenſes, Theſſalonicenſes, alijque paulò antè commemorati Epiſcopi, amplitudine juriſdictionis in plures finitimas Provincias ab Epiſcopo Romano decorati & cohoneſtati. De miſſis Legatis ſufficiens quoque à nobis facta mentio, ſub nomine Apocriſiariorum. Legatorum autem à Latere, nunc eſt primaria ſplendidiorque dignitas, quoniam his temporibus non ſolet illa committi niſi Cardinalibus, qui nunc ſoli dicuntur nati conſiliarij Romani Pontificis, cum ſoli ejus Senatum & ſacratiſſimum conſilium ex officio conſtituant, ideoque nunc ſoli ex ejus latere cenſeantur ad illuſtriora miniſteria delegari; ſive ut Conciliis præſint, eaque indicendi poteſtatem habeant; ſive ut res maximi momenti cum ſupremis Principibus & populis tractent & definiant. Verbum illud, à Latere, legitur in Sardicenſi Concilio can.7. ſed non cum uſque adeo illuſtri ſignificatione, qualem comprehendit Eminentiſſimorum Cardinalium Legatio. Sanctus quoque Papa Leo hac eadem expreſſione utitur epiſt.14. ad Fauſtum, dicens: *Cum enim propter cauſam fidei, quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem qui defenſioni veritatis aſſiſterent.*

## *DE LOCO SYNODI NICÆNÆ aliarumque nonnullarum inſequentium.*

1. VEterum Orientis Conciliorum quædam convenerunt in ædibus Imperialibus: atque in primis iſtud Nicænum in Aula Palatij Conſtantini, ut fidem facit Euſebius lib.3. vitæ Conſtantini cap.12. Sexta pariter Synodus, ſub Conſtantini Pogonati Imperio, in ea regiæ parte quæ Trullus dicebatur. Quo eodem loco Synodus Quiniſexta coacta legitur, ſub Juſtiniano ſecundo. In Occidente quoque Conſtantini magni ſollicitudine cauſa Cæciliani Carthaginenſis & Donatiſtarum, Concilio Romano, præſide Melchiade Pontifice, dijudicata fuit intra Imperiales ædes, quæ tunc Fauſtæ conjugis Conſtantini dicebantur, conſtructas in monte Cælio à Plautio quodam Laterano, quem Nero ut in ejus opes invaderet ſuppoſito perduellionis crimine gladio ne-

cari juſſerat. Cujus eſt etiam apud Hieronymum mentio epiſt. 30. ad Oceanum *Tota* (inquit) *urbe inſpectante Romanâ ante diem Paſcha in Baſilica quæ quondam Laterani qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret Fabiola in ordine pœnitentium.* In his enim ædibus ſplendidiſſimum poſtea templum Conſtantinus Chriſto Salvatori ædificavit, in quo illuſtriſſima inter matronas Romanas Fabiola publicâ pœnitentiâ perfuncta eſt, & intra quod multi Romani Pontifices diverſa memoranda Concilia, dicta communi nomine Laterana, deinceps celebrarunt.

2. Cæteræ per Orientem Synodi intra Sacras Baſilicas coactæ fuerunt. Conſtantinopolitana quidem, quæ numeratur inter œcumenicas ſecunda convenit intra Oratorium Sanctorum martyrum Pantaleonis & Marini: qui ſacer locus ex tunc ὁμόνοια ideſt Concordia nominatus eſt, propterea quod centum & quinquaginta Epiſcopi in eamdem fidei ſententiam adverſus Macedonij Hæreſim unanimes convenerunt; ut teſtatum reliquit Joannes Damaſcenus in tertio de Sacris imaginibus tractatu. Epheſina quidem intra Dei genitricis Virginis Mariæ templum, ut ejus acta teſtantur, celebrata eſt. Chalcedonenſis intra Eccleſiam Sanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ in ipſo Sanctuario. Nicæna altera in templo ante ambonem. Octava Synodus in æde Sophiæ intra catechumenorum ſtationem, ut earum acta probant. Hæ quoque duæ poſtremæ ſcripto aſſerunt, Sacros Evangeliorum codices fuiſſe in medio & honoratiore Patrum conſeſſu collocatos. In octava Synodo additæ ſunt vivificæ Crucis reliquiæ προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων, καὶ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων. Propoſitis venerabilibus lignis & Sacro-ſanctis Evangeliis.

## *SYMBOLUM NICÆNI Concilij.*

Iſtud referunt Athanaſius tract. de fide ad Jovianum Auguſtum, Rufinus, Socrates, Theodoritus prout hic ſubjicio. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum*, ideſt, ex ſubſtantia Patris, *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum. Conſubſtantialem Patri. Per quem omnia facta ſunt in cœlo & in terra. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus. Paſſus eſt & reſurrexit tertia die. Et aſcendit in cœlos. Et iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum.* Eos autem qui dicunt: erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat: & quia ex iis quæ non ſunt factus eſt: aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe: vel creatum: vel mutabilem, vel convertibilem filium Dei, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

***

## AD NICÆNOS CANONES primum & ſecundum.

1. Can. I. *Si quis à medicis propter languorem deſectus eſt, aut à barbaris abſciſſus, hic in clero permaneat. Si quis autem ſeipſum ſanus abſcidit, hunc etiam in clero conſtitutum abſtinere convenit. Et deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quia de his qui hanc rem affectant, audentque ſemetipſos abſcindere dictum ſit. Sic eos quos aut barbari aut Domini caſtraverunt, ſi inveniuntur aliàs digni, tales ad clerum ſuſcipit regula.*

2. Refertur quoque in Decreto c. ſi quis à medicis diſt. 55. Iſti canoni occaſionem fortaſſis Leontius Presbyter dedit, qui ut ſcribunt Athanaſius Apolog. de fuga ſua in fin. Socrates lib. 2. cap. 21. Theodoritus lib. 2. cap. 24. poſtulatus inhoneſtæ aut ſuſpectæ cum Euſtolia invencula conſuetudinis, juſſuſque ab Antiocheno Præſule Euſtathio ut diſiſteret cum ea converſari: cum iſte obſequi detrectaret, ſibi virilia ad amovendam mali ſuſpicionem reſecuit. Perinde ac ſi homini liceret ſe quomodolibet nullâque urgente morbi ui mutilare. Et quaſi verò amputatâ illâ parte ſimul excideretur quidquid fœda libido poteſt vel cogitare vel ſenſu vel affectu vel opere exequi. Leontium igitur duplici cauſa & jure, tum illicitæ reſecationis tum prohibitæ conſuetudinis depoſuit Euſtathius. At Leontius per novum ſcelus ſe Arianis adjunxit, quorum factione ipſam etiam ſedem Anthiochenam invaſit. Refert quoque Euſebius lib. 6. hiſt. Eccl. Origenem, cum fœminas aliquot Theologicis diſciplinis & ſacris literis erudiret, velletque aut malum ipſum aut mali ſuſpicionem antevertere, ſeſe adhibitis quibuſdam medicamentis feciſſe eunuchum, verba iſta Evangelij aliter quàm par erat intelligendo. *Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Quapropter Demetrius Alexandriæ Antiſtes Sacram ordinationem petenti recuſavit. At Origenes in Palæſtinam commigrans, cum conſuetis Epiſcopi ſui Demetrij teſtimonialibus literis, ſacros ordines ipſumque ſacerdotium ſumpſit ab Epiſcopis Cæſarienſi & Jeroſolymitano: unde graves exortæ Demetrij cum illis Epiſcopis querelæ. Quam pariter hiſtoriam narrat Epiphanius hære. 58. & Hieronymus de ſcript. Eccl. in Alexandro. Itaque genus iſtud irregularitatis etiam longè ante Nicænam Synodum ſumpſit exordium. Prætereaque ſtabilitur Apoſtolorum canonibus 21. & 22. Spontaneam hujuſmodi mutilationem vetuerunt pariter Romanorum leges civiles. Edicto Adriani Cæſaris, cujus eſt mentio in l. 4. §. 2. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & veneſ. pœna capitalis intentatur & medico qui ſine juſta neceſſitate caſtraverit, & ei qui ſe caſtrandum obtulerit. Morte ſimiliter multari jubent lex Conſtantini & lex Leonis hujuſce criminis reos l. 1. & l. 2. C. de eunuchis. Huc ſpectat Juſtiniani Novella 142. de iis qui eunuchos faciunt.

3. Can. II. Quoniam plura aut per neceſſitatem, aut aliàs urgentibus hominibus adverſus Eccleſiaſticam facta ſunt regulam; ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, & inſtru-

cti brevi tempore ; mox ad lavacrum ſpirituale perducerent, ſimulque ut baptizati ſunt ad Epiſcopatum vel ad Presbyterium promoverent : optimè placuit nihil tale de reliquo fieri. Nam & tempore opus eſt ei qui catechizatur, & poſt baptiſmum probatione quàm plurimâ. Manifeſta enim eſt Apoſtolica ſcriptura quæ dicit. *Non neophytum ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat, & in laqueum Diaboli.* Si verò proceſſu temporis aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur hujuſmodi, & à duobus aut tribus teſtibus arguatur, à clero talis abſtineat. Si quis autem præter hæc fecerit, quaſi contra magnum Concilium ſe efferens, ipſe de clericatus honore periclitabitur.

4. Hoc idem ſtatuit Laodicænus Canon. 3. Concilium præterea Sardicenſe can. 10. Græco, Latino autem 13. cavet ne quis ad ſuperioris ordinis gradum promoveatur, niſi antea prioris ordinis miniſterium congruo tempore in Eccleſia exercuerit : ut poſsint ejus fides, probitas, moderatio & conſtantia ſufficienter dignoſci. Providit etiam Laodicænus Canon 3. ne recens illuminati ad Sacerdotium promoveantur. Alexander Severus Auguſtus, referente Ammiano Marcellino, neminem ad magiſtratus & præfecturas promovebat niſi poſt factam diſquiſitionem, judicióque populi approbatum : atque in eo ſe profitebatur Chriſtianorum diſciplinam imitari, qui neminem, niſi accuratè prius exploratum ad Eccleſiaſtica miniſteria ſolebant admittere. Rem miram narrat Joannes Moſchus in Prato ſpirituali cap. 149. Cum fuiſſet Abbas Ammos provectus ad Patriarchatum Jeroſolymitanum, atque ad eum venerationis cauſa omnes ex eremo Abbates conveniſſent, ſe quoque cum ſuo Abbate affuiſſe. Ammos verò ut pro ſe, ad tam formidabile onus adhibitum, preces Deo funderent enixè patres rogavit. Potiſsimum verò metuere ſe onus ordinationi annexum, ex quo ſcriptum invenit, beatiſsimum Leonem, qui tantâ virtutum laude Romanam rexit Eccleſiam, poſtquam totis quadraginta diebus ad ſepulcrum Apoſtoli Petri vigiliis & orationibus inſtans ſuorum delictorum veniam imploravit, apparens in fine Petrus ei dixit : oravi pro te dimiſſaque tibi reliqua omnia in quibus peccaſti confirmo : adhuc tamen apud Chriſtum judicem hoc unum de præteritis requiretur, ſi quid in manus impoſitione deliqueris. Nec ſine gravi cauſa Timotheum admonet Apoſtolus Paulus 1. Timo. 5. *Manus citò nemini impoſueris.*

5. Dubitatur quidnam rei ſit illud delictum animæ, ſeu potiùs animale ψυχικὸν ἁμάρτημα in hoc Nicæno can. 2. à clero excludens eum qui duobus vel tribus teſtibus convictus fuerit illius reus ? Iſtud exponit Theodorus Balſamon de quácunque culpa quâ Dei gratia extinguatur in delinquente. Alij peccatum quodcunque intelligunt cujus expiationi leges Eccleſiæ publicam injugebant pœnitentiam. Eaque peccata ab antiquis vocitantur per antonomaſiam mortalia ſeu capitalia, quamvis non deſint alia minora quidem, & tamen mortalia quibus non infligebatur pœnitentia niſi privata. Eoque ſenſu intelligendum eſt quod ſcribit Iſidorus lib. 2. de divinis officiis. *Conſuetudinem Eccleſiæ hanc eſſe ut ſordidati peccato mortali ad ordines non promoveantur : & ſi quis poſt ordinationem mortale peccatum commiſerit prohibeatur à ſacri ordinis exercitio.* Præterea Concilium Valentinum in Gallia ſub Damaſo Papa can. 4. inhibet ab Epiſcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu, eos qui ſe mortali crimine fatentur irretitos: Concilium pariter Agathenſe can. 52. decernit clericum qui ſe capitali crimine aſtrinxerit deponi & in monaſterium detrudi. Concilium denique Toletanum quartum c. 52. ſancit eos qui publicam agentes pœnitentiam, mortale delictum publicè confeſſi ſunt, non poſſe clericos ordinari. Et paſſim ſacri canones vetant publicâ pœnitentiâ perfunctos ordinari ; ut inferiùs commonſtrabimus opportuno loco. Secunda hæc ſententia non levi nititur probabilitate. Prior verò nullatenus eſt veroſimilis : Secundum quam vel unicus actus odij, invidiæ, aut libidinoſi conſenſus ; ab ordinibus in æternum excluderet, atque ordinatus illorum prohiberetur exercitio ; unde uberrima naſceretur ſcrupulorum & anxietatum animi ſeges, ob ambiguitatem ſive judicij, ſive memoriæ, circa hujuſmodi culpas. Innumeris prætereà viris egregiè meritis & Eccleſiæ valde utilibus aditus ad Eccleſiæ miniſteria intercluderetur ; vixque unus & alter reperiri poſſet ad clerum idoneus, atque meſſis abundans deperiret operariorum paucitate.

6. Tertia denique omniumque probabiliſſima explicatio eſt de completa per actum externum luxuria poſt baptiſmi ſuſceptionem. Eſt enim conformis canonibus 9. & 10. Concilij Neocæſarienſis de quibus ſuperius actum : & canoni Eliberritano 50. ſic ſtatuenti, *Subdiaconos eos ordinari non debere qui in adoleſcentia fuerant mœchati : eò quòd poſtmodum per ſubreptionem ad altiorem gradum promovebantur. Si autem aliqui ſunt in præterito ordinati amoveantur:* Notandum verò eundem Oſium qui Nicæno præfuit Concilio priùs in Illiberritano conſediſſe.

## AD TERTIVM NICÆNVM Canonem.

1. Canon III. *Interdixit per omnia magna Nicæna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas quæ omnem ſuſpicionem effugiunt,*

Eadem ſancita poſtmodo fuere Concilij Carthaginenſis tertij can. 17. de ſolis enim permittit matribus, aviis, materteris, amitis, ſororibus, & filiabus fratrum aut ſororum, & illis quæ ex familiæ neceſsitate Domeſticâ etiam antequam clericus initiaretur jam in iiſdem ædibus habitabant aut famulabantur ; vel ſi filij ejus qui ordinatus eſt uxores acceperint : aut ſervis Domeſticis non habentibus in domo quas uxores accipiant, aliunde ducere neceſsitas fuerit. Illi porro ſervi de quibus loquitur Carthaginenſis canon, erant familiæ in perpetuum addicti & libertatis exortes, diverſique à famulis hodiernis, qui ſui juris ſunt. His tamen minimè contentus Auguſtinus legem ſibi ſeveriorem præſcripſerat : non enim conſenſit intra ſuas ædes converſari cum germana ſorore, quæ vidua erat religioſiſsima ; neque cum patrui & fratris ſuis filiabus virginibus hac ratione : quia tametſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus nulla ſuſpicio naſceretur, poterat tamen naſci de fœminis illis

illis famulantibus, aut de externis ad eas accedentibus ac inviſentibus. Hæc refert in ipſius vita Poſsidius. Canon iſte Nicænus legitur & in Decreto c. interdicit per omnia 1. diſt. 32. Omnia fere priſca Concilia legem continentiæ ſacris clericis præfigunt, uſuque matrimonij antè initi abſtinere jubent. Indubitatum eſt Nicænâ Synodo antiquiores fuiſſe in Oriente Ancyranam, & in Occidente Illiberritanam. Ancyrana diſpenſat ab iſta continentiæ lege ſolos Diaconos, qui antequam ordinarentur fuerant expreſsè proteſtati nec poſſe nec velle ab uxore abſtinere: Sed ut eo loco admonui poſterior Eccleſiæ diſpoſitio illam exceptionem abrogavit. Illiberritanus autem canon 33. hæc ſciſcit. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus, & non generare filios: quicunque verò fecerit ab honore clericatus exterminetur.* Concilium deinde Arelatenſe ſecundum can. 2. ſtatuit: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo conjugij conſtitutum, niſi primum fuerit promiſſa converſio.* Concilium Carthaginenſe ſecundum can. 2. Aſſerit hanc legem ab Apoſtolis Dimanaſſe, dum ait: *Placuit & condecet Sacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, necnon & Levitas, vel qui ſacramentis Divinis inſerviunt continentes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare. Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & qui ſacramenta contrectant pudicitiæ cuſtodes, etiam ſe ab uxoribus contineant.*

2. Iſtud idem renovatur in Concilio Carthaginenſi quinto can. 3. & in Arelatenſi ſecundo can. 2. proximè relato. Et can. 3. *Si quis de clericis à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter aviam, & matrem, & neptem, ſororem, filiam, vel converſam ſecum uxorem habere præſumpſerit à communione alienus habeatur. Par quoque mulierem ſi ſe non ſeparaverit pœna percellat.* Nec verò ſine periculo permittit ille canon converſam ſecum mulierem habere: ideoque poſteriore Eccleſiæ regulâ proviſum aliter fuit; ut ſcilicet uxor à viro ſejuncta in aliquo monaſterio profiteatur. Illa verò cum uxore converſa cohabitatio, quam permittit præfatus canon, reſtringitur ad illam canone expreſſam converſionem promiſſam. Quo eodem intelligendus eſt ſenſu canon ille ſextus Apoſtolis attributus, quo Græci Schiſmatici abutuntur: & cujus obtentu veriti non ſunt in Synodo Quiniſexta Romanam Eccleſiam condemnare. Vult autem canon ille ſextus Apoſtolis adſcriptus ut Epiſcopi, Sacerdotes, & Diaconi, curam uxorum habeant, nec eas ſpecie religionis abjiciant: Sane quemadmodum ijdem curam gerere tenentur matris, aviæ, ſororum, ſine ullo cubilis conſortio. Peſſimum verò ſortita eſt exitum illa Sacerdotis cohabitatio, quem privata epiſtola Baſilius coarguit, qui cum uxore à communione tecti tranſierat in ſocietatem tori, cujus uxorem mandat includi monaſterio.

3. Agathenſe Concilium cœlibatum, quem vocant, & continentiam clericorum aſtruit can. 23. Itemque Turonenſe ſecundum can. 20. decernens, *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua presbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, aut Subdiaconus cum ſubdiaconiſſa* (ſic vulgo nominabantur horum clericorum uxores, quemadmodum uxores Ducum, Marchionum, & Comitum, dici conſueverunt Duciſſæ, Marchioniſſæ, Comitiſſæ) *annum integrum excommunicatus habeatur, & depoſitus ab omni officio clericali inter laicos ſe obſecrare cognoſcat.* Alij ſunt innumeri his conformes veterum Conciliorum canones, quos omitto: cum hi quos adduxi abunde ſufficiant.

4. Siricius Papa epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 7. eandem renovat in ſacro clero diſciplinam. Quemadmodum, & Innocentius Papa epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum cap. 9. Leo magnus epiſt. 82. ad Anaſtaſium cap. 3. & 4. dicens: *Ad perfectæ continentiæ puritatem exhibendam, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut & qui habent ſint tanquam non habentes, & qui non habent uxores permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus eſt à capite, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, vel in ſecundo, tertiove, obſervandum eſt!* Gregorius item magnus lib. 4. Dialog. c. 11. de Urſicino Sacerdote ſic refert: *Hic ex tempore ordinationis ſuæ, presbyteram ſuam ut ſororem diligens ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere nunquam ſinebat.* Et ſubinde commemorat quod cum venerabilis hic ſenex, quadrageſimo ſuæ ordinationis anno ultimâ ægritudine decumbens, vix extremos ſpiritus traheret; ejuſque presbytera, incerta ſi expiraſſet, aurem naribus ejus admoviſſet; ille recollectis viribus in has erupit voces: Diſcede mulier adhuc igniculus eſt, amove paleam. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum non modo hanc diſciplinam ſuo teſtimonio roborat, ſed etiam ratione ex Apoſtolo 1. Cor. 7. deductâ, dicens: *Si laicus, & quicumque fidelis orare non poteſt niſi careat officio conjugali, Sacerdoti cui ſemper pro populo offerenda ſunt, ſemper orandum eſt: igitur ſemper matrimonio carendum.* Eamdem rationem ab Apoſtolo deſumptam, monente conjugatos ut ad tempus abſtineant ad vacandum orationi, urget Concilium Turonenſe primum can. 1. ut ad perpetuam continentiam ſacros clericos aſtringat. His conformia quoque docet Ambroſius lib. 1. offic. c. ult.

5 Oppoſita Græcorum conſuetudo gliſcere quinto ſæculo cœpit, haud multò ante Synodum Quiniſextam. Enimuero Hieronymus, diu in Oriente verſatus, ita ſcribit adver. Vigilantium: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ? Quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint mariti eſſe deſiſtunt?* Aſtipulatur ex Græcis partibus Chalcedonenſis Synodus œcumenica can. 14. *Cum in quibuſdam provinciis conceſſum ſit lectoribus & cantoribus uxores ducere.* Non igitur ſuperiorum ordinum clericis. Origenes homil. 23. in Numer. *Illius* (inquit) *ſolius eſt offerre Deo ſacrificium qui ſe indeſinenti & perpetuæ devoverit caſtitati.* Euſebius lib. 1. demonſtr. Evang. c. 9. *Verum tamen* (ait) *eos qui ſacrati ſunt, atque in Dei cultu & miniſterio occupati, continere ſe deinceps ab uxoris commercio decet.* Πλὼ ἀλλὰ τοὺς ἱερωμένους ϗ περὶ τὴν τοῦ θεοῦ θεραπείαν ἀσχολουμένους ἀνέχειν λοιπὸν σφᾶς αὐτοὺς προσήκει τῆς γαμικῆς ὁμιλίας, ὅσοι δὲ τῆς τοιαύτης μὴ ἠξίωνται ἱερουργίας τούτοις ὁ θεῖος λόγος καθυφιέμενον οὐχὶ διαρρήδην ἅπασιν κηρύττων ὅτι δὴ τίμιος ὁ γάμος ϗ ἡ κοίτη ἀμίαντος. *Cæterùm ſacratis viris & circa Dei cultum vacantibus abſtinere de reliquo & continere ſe convenit nuptiali conſuetudine. Quicunque verò ad ſacrum hoc officium non aſcenderunt, his divinus ſermo ſolis indulget, omnibus palam denuncians honorabile conjugium & cubile immaculatum.*

6. Chryſoſtomus, homil. de patientia Job, hæc

Digitized by Google

hæc prædicat. *Sic dicit Apoſtolus unius uxoris virum; non ea ratione ut id nunc ab Eccleſia obſervetur: oportet enim prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe.* Baſilius magnus epiſt. 198. ad Paregorium, hunc Presbyterum ſeptuagenarium qui mulierem intra ſuas ædes ad miniſterium habebat, graviter objurgat, eumque affirmat Nicæni decreti tranſgreſſorem, quamvis ſiniſtram omnem ſuſpicionem amovere conaretur, tum ratione provectæ ſenectutis ſuæ, tum etiam præteritæ hactenus continentiæ ſuæ. Baſilius verò nullâ excuſationum habitâ ratione diſtrictè jubet ut illam domo ejiciat, & in Monaſterium tradat, eumque interim ordine ſuſpendit, & niſi pareat anathemati ſubjicit. Etſi verò vox Græca *γυνὴ* indifferenter nunc mulierem nunc uxorem ſignificet, juſſio tamen non tantum ejiciendi foras, ſed etiam in Monaſterium tradendi, non ſolutam aliquam mulierem, ſed propriam uxorem arguit. Sanè cautio iſta Baſilij tutior & melior eſt, quàm quod permittit Concilium Carthaginenſe V. can. 3. & Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 39. uxorem intra ædes retinere. Majori ſanè providentiâ utitur poſt Baſilium canon 48. ſextæ Synodi, jubens ut poſt ordinationem Epiſcopi uxor ejus in Monaſterio collocetur.

7. Epiphanius, ad finem operis contra hæreſes; his pariter ſuffragatur, dicens: *Sanctum Sacerdotium ex Virginibus utplurimum aut ex ſolitariis, aut ſi hi ad miniſterium non ſuffecerint ex his conſtituitur qui propriis ab uxoribus ſe continent: Et ſi quis ab initio continens fuerit aut viduus habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi.* Idemque hære. 59. quæ eſt Catharorum, ait: *Sed & liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſia non aſcripſit, ſed eum qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum aut Hypodiaconum, aut Epiſcopum, aut Presbyterum, maximè ubi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, quibuſdam in locis filios gignere Presbyteros, Diaconos, aut Hypodiaconos: at non eſt juxta Canones, ſed hominum mentem quæ per tempus elanguit.* Ex his poſtremis Epiphanij verbis colligitur, eo jam tempore alicubi ſuboriri cepiſſe eam quam neoterici Græci conſuetudinem ſervant, ne liceat ſacris miniſtris novas quidem inire nuptias, poſſint tamen matrimonium ante ordinationem contractum exercere ſolis ab hac libertate exceptis Epiſcopis. Quæ licentia, ſuccedentibus ſæculis, & ſuperveniente ferali ſchiſmate, priſtinam demum diſciplinam toto Oriente eliminavit.

8. Quod verò refert Socrates lib. 1. cap. 8. & ex illo Sozomenus lib. 1. cap. 22. intendiſſe Nicænum Concilium legem ferre ut ſacri Clerici uxoriis abſtinerent amplexibus: ſed huic propoſito uſque adeò validis rationibus interceſſiſſe confeſſorem Paphnutium, ut Synodum in ſuam ſententiam traxerit, ne id lege ſtatueretur: ſed ut hujuſcemodi continentia ſingulorum libertati arbitrioque relinqueretur; Græcorum Patrum teſtimonia ſuperiùs adducta, & teſtificatio Hieronymi de communi Eccleſiarum Orientis uſu, ſatis ſuperque convincunt narrationem illam eſſe confictam & fabuloſam: ut mirum ſit eruditum virum Ferdinandum Mendozam ad can. Illiberritanum 33. illius fabulæ patrocinium ſuſcepiſſe.

## CANONIS NICENI IV. elucidatio.

1. Can. IV. *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui in Provincia ſunt Epiſcopis ordinari. Si autem ſit hoc difficile vel propter urgentem neceſſitatem vel viæ longitudinem, tres omnino eumdem in locum congregatos abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri. Eorum autem quæ fiunt confirmationem in unaquaque Provincia à Metropolitano fieri.*

Refertur in c. Epiſcopum ab omnibus, diſt. 64. Eadem repetuntur de novo promovendo Epiſcopo per Epiſcoporum Provinciæ ſuffragia, & cum Metropolitani conſenſu in Concilio Antiocheno can. 19. & in Nicæno ſecundo can. 3. Nullatenus hic audiendus Theodorus Balſamon Pſeudopatriarcha Antiochenus ſcribens in hunc Nicænum can. 4. Epiſcopos olim quidem ab univerſa plebe electos: quia tamen in hiſce popularibus comitijs multa jactabantur indecorè in eos quorum proponebatur electio, fuiſſe Canone iſto conſuetudinem illam abrogatam, ſtatutumque ut ſoli Epiſcopi eligerent. Sed errat Balſamon, cum nullum hic appareat abrogationis veſtigium: atque conſtet poſt Nicænum Concilium, peræquè ut priùs admiſſa in Epiſcopis eligendis populorum ſuffragia: ſic tamen ut moderationi & regimini ſubeſſent Epiſcoporum. Quemadmodum in Athenienſium olim republica [illegible] popularibus ſuffragiis præerant, ut docet Julius Pollux, lib. 8. Et utique Athanaſius, qui Diaconus in hac apud Nicæam Synodo interfuerat, evectus poſtmodum fuit ad Patriarchalem Alexandriæ ſedem univerſæ plebis ſuffragiis, ut refert Gregorius Nazianzenus orat. in ejus laudem. Cæleſtinus præterea Romæ Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Narbonenſis Provinciæ c. 5. *Nullus* (ait) *invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus requiratur.* Paria ſcribit Leo magnus epiſt. 89. & ſecundum Arelatenſe Concilium ſtatuit can. 54. ut tres ab Epiſcopis nominentur de quibus Clerici, & cives, poteſtatem habeant unum eligendi. Confirmatur Concilij Cabilonenſis can. 10. & Carthaginenſis quarti can. 1. Præterea Synæſius epiſt. 76. Refert Antonium fuiſſe ab univerſo Olbiatarum populo Epiſcopum creatum. Synodus autem Nicæna id unum ſancivit ut novi Epiſcopi electionis & conſecrationis cura præfecturaque ſit penes Metropolitem: cæterique Epiſcopi ad ejus qui fuerit electus ordinationem conveniant, & iſta fiat ordinatio ut minimum à tribus. Pro certo Græculus ille Balſamon minimè legerat Nicænorum Patrum Synodicam epiſtolam ad Eccleſias Ægypti, Libyæ & Pentapolis, quæ integra habetur apud Socratem, Theodoritum, & Gelaſium Cyzicenum, quæ diſertè exigit plebis ipſius in novi Epiſcopi creatione conſenſum, ſic decernens. *Quod ſi quis fortè eorum qui Eccleſiæ funguntur muneribus diem ſuum obierit, tum unus ex illis qui nuper in Eccleſiam aſciti ſunt modo idoneus videatur, & populus illum eligat, καὶ ὁ λαὸς αἱρεῖτο, Epiſcopuſque Alexan-*

*dria, & ſuffragetur & conſentiat, in locum demortui ſuccedat.* His accedat luculentum Cypriani teſtimonium, epiſt.68. ad Hiſpanos: *Videmus de divina auctoritate deſcendere ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque publico judicio ac teſtimonio confirmetur; ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcipit, dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam ejus & indue Eleazarum filium ejus & Aaron appoſitus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui Sacerdotem, id eſt inſtruit & oſtendit ordinationes Sacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere: ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata.* Deinde rem confirmat Cyprianus exemplis Apoſtolorum, deferentium ad ſuffragia turbæ centum viginti hominum ejus electionem, qui futurus erat Judæ mortui ſucceſſor; quod idem oſtendit ab Apoſtolis obſervatum præſente plebe, deque ejus conſenſu in electionibus Diaconorum ſeptem, atque in miſſionibus ſacrorum Sacerdotum. Ac demum his verbis Cyprianus rem concludit. *Propter quod diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque & fere univerſas Provincias tenetur: ut ad ordinationes ritè celebrandas; ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejus Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.* Hactenus Cyprianus.

2. Porrò in novi Epiſcopi conſecratione tres ſecundum Canones intervenire debent Epiſcopi. Nam præter hunc Nicænum, Anacletus epiſt.2. citata in Decreto cap.fin. diſt.66. & Anicetus, qui ambo primo ſæculo Eccleſiam rexerunt, non modo iſtud de tribus Epiſcopis ordinatoribus præſcribunt: ſed etiam Apoſtolos hæc tradidiſſe confirmant. Quinetiam à tribus Apoſtolis Petro, Joanne & Jacobo majore fuiſſe Jacobum minorem, qui frater Domini dictus eſt, ordinatum Jeroſolymorum Epiſcopum: ut hoc facto traderetur in poſterum ordinationum Epiſcopalium ritus & forma. Adſcriptus quoque Apoſtolis can.1. præſcribit Epiſcopum à duobus vel tribus Epiſcopis eſſe conſecrandum. Innocentius I. epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum, prohibet quemquam Antiſtitem ordinari niſi à tribus Epiſcopis. Synæſius item epiſt.67. ad Theophilum Alexandrinum, perhibet Siderium contra Eccleſiæ leges renunciatum Epiſcopum Palæbiſcæ; idque temerè factum notat, quatenus nec ipſe Alexandriæ Antiſtes his conſenſerat, neque à tribus Epiſcopis peracta fuerat conſecratio. Denique in Concilio Regienſi reprobatur Armentarij ordinatio, qui fuerat renunciatus Ebreduni Epiſcopus: tum eo nomine quia tres Epiſcopi non conſecrarant, tum quia Metropolitani conſenſus defuerat: quæ tamen utraque ſimul exigit quartus iſte Nicænus canon. Quinimo Concilium Arelatenſe primum can.21. decernit, ut qui Epiſcopum conſecrat ſeptem alios ſecum aſſumat Epiſcopos: ubi vero compleri numerus ille non poterit, ne minus quàm tres Epiſcopi interſint.

3. Illuſtris eſt quæſtio ſitne de neceſſitate Sacramenti, an verò de ſola præcepti neceſſitate, ut tres hîc interveniant Epiſcopi? Tres ventilantur in hac re Theologorum ſententiæ. Aliqui contendunt id eſſe de Sacramenti neceſſitate; ut ſi vel unus de numero deſit nihil agatur. Opinantur alij eſſe id quidem de Sacramenti neceſſitate, non quidem abſolutè, ſed hac reſtrictione; ſi non fuerit ab Eccleſiæ ſuprema poteſtate diſpenſatum ut ſecus fiat. Quo etiam modo plerique docent eſſe de Sacramenti confirmationis neceſſitate ut ab Epiſcopo adminiſtretur: Si tamen acceſſerit vel Romani Papæ, vel Concilij generalis diſpenſatio, poſſe ſimplicem Sacerdotem illius eſſe miniſtrum. Tertia demum ſententia eſt poſſe etiam citra diſpenſationem validè conferri, ac ſuſcipi Epiſcopalem conſecrationem & characterem, etiamſi illicitè ab unico Epiſcopo. Præcitatus quidem Anicetus Papa (ſi tamen verè ſit) declarat hujuſmodi ordinationem viribus carere, atque irritam omnino eſſe. Illius tamen Canonis gloſſa id exponit de executione officij, hoc eſt ut non liceat Sacerdoti illa exequi quæ ſunt muneris Epiſcopalis, donec diſpenſatum cum illo fuerit.

4. Tertia iſta potior ac verior eſt ſententia: firmioribus namque nititur argumentis. Primùm enim Innocentius Papa epiſt.22. ad Bonifacium diſſenſionem componit Eccleſiæ Antiochenæ, quam duo primùm regebant Epiſcopi, mandatque illos qui fuerant ab Evagrio ordinati cum ſuis recipi in ordinum gradibus & honoribus. Et tamen certò conſtabat Evagrium contra Eccleſiæ normam fuiſſe à ſolo Paulino Epiſcopo conſecratum Epiſcopum, ut fidem facit Theodoritus lib.5.hiſt. Eccl.c.23. Synæſius perhibet de Siderio ſuperiùs memorato, fuiſſe à ſolo Epiſcopo Cyrenenſi Philone conſecratum Epiſcopum, neque id tamen obſtitiſſe quominùs magnus Athanaſius abſque nova conſecratione cum eo diſpenſaverit, & ad regimen admoverit Eccleſiæ. Ad hæc Synodus Regienſis cum præfato Armentario diſpenſavit, ut baptizatos ſeu neophytos confirmaret, & Clericis ab eodem ordinatis permiſit, dummodo alioquin idonei & inculpatæ vitæ judicentur, in ordinum ſuorum miniſterio retineri. Inſuper Apoſtolorum can.1. approbat Epiſcopum à duobus Epiſcopis conſecrari.

5. Simon Apoſtolus apud Clementem Papam lib.8.conſtitut. Apoſt.c.27. ordinationem Epiſcopi valere ſancit à duobus tantum factam Epiſcopis. Et hoc addit, poſſe occurrente neceſſitate ab unico Epiſcopo conſecrari Epiſcopum. Dionyſius item in hierar.Eccl.deſcribens Epiſcopi augurandi ritum, meminit unius duntaxat conſecrantis Epiſcopi. Idque amplius inde confirmatur, quod vix ac ne vix quidem fieri plerumque poterat, ut Apoſtoli terrarum orbem ad evangelizandum peragrantes, novaſque in Provinciis ad quas accedebant fundantes Eccleſias, copiam ſemper haberent Epiſcoporum, quos vel paſſim novis Eccleſijs præficerent, aut quorum operâ nouos ordinarent. Teſtatur Henriquez ſummæ ſuæ tom.1. lib.10.c.24. Pontificem Gregorium XIII. diſpenſaſſe cum recèns conſtituto à ſe Patriarcha Æthiopiæ ex Societate Jesu, ut ſolus ſine Aſsiſtentibus Epiſcopis poſſet novos Epiſcopos conſecrare, ubicumque operæpretium foret. Quærenti Auguſtino Angliæ Primati, quot eſſent Epiſcopi neceſſarij ad novum conſecrandum, reſcribit Gregorius Magnus Pontifex reſp.8. ad Auguſtini interrogata, verbis quidem obſcuris, quorum tamen hic eſt genuinus ſenſus.

Digitized by Google

ſenſus. Cum ſit ſolus in Anglia Epiſcopus Auguſtinus, expectandos eſſe de vicina Gallia Epiſcopos qui novos Antiſtites ordinaturo Auguſtino aſsiſtant. Et poſtmodum advocandos eſſe noviter ordinatos in Anglia Epiſcopos ad novam aliorum Præſulum conſecrationem.

## AD CANONEM NICÆNUM V.

1. Can. V. *De his qui communione privantur, ſeu ex Clero ſeu ex laico ordine ab Epiſcopis, per unamquamque Provinciam ſententia regularis obtineat: ut hi qui rejiciuntur ab alijs non recipiantur. Requiratur autem ne puſillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio videantur à congregatione ſecluſi. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur; beneplacuit annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis Provinciæ congregatis, diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones. Et ſic qui ſuo peccaverint evidenter Epiſcopo excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, uſquequo Epiſcopo vel in communi placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam. Concilia verò celebrentur unum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ ut omni diſſenſione ſublatâ munus offeratur Deo puriſſimum, ſecundum verò circa tempus Autumni.*

Arius communione fidelium ab Alexandro proprio Epiſcopo ſegregatus, & in communionem ab utroque Euſebio, aliiſque quibuſdam Epiſcopis admiſſus, præcipua hujus Canonis cauſa fuit. Citatur in Decreto 11. q. 2. cap. ſervetur iſta ſententia. Renovatur & in Concilio Sardicæno can. 13. Eodem ſpectat Antiocheni Concilij can. 20. Ante Nicænum Concilium fuerat hoc idem ſancitum in Illiberritano can. 53. deinde confirmatum à Romanis Pontificibus, Siricio epiſt. ad Epiſcopos Africanos cap. 7. *ut abjectum Clericum alia Eccleſia non admittat*. Et ab Innocentio epiſt. 2. cap. 7. huc pertinet Apoſtolorum canon 32. & Concilij Arelatenſis primi can. 16. & Arauſicani primi can. 11. his ſanctus ſuffragatur Auguſtinus epiſt. 215. ad Quintianum. Concinit & Antiochena Synodus can. 6. Idemque decernitur cap. cum & plantare de privileg. & cap. nulli de ſent. excom. Solum itaque ſupereſt excommunicato remedium, vel abſolutionis vel recurſus ad ſuperius tribunal per appellationem: quæ tamen minimè ſuſpendit excommunicationem, ſed ad ſuperiorem devolvit judicem, juxta cap. ad hæc quoniam, de appellat. Sanè ubi excommunicationis ſententia eſſet apertè invalida, ut ſi nulla præceſſiſſet præmonitio, nullatenus ligaret, nec opus eſſet appellatione, cap. ſtatuimus de ſent. excom. in 6. & c. 1. de ſent. & re judic. Excommunicatio enim peccatum prærequirit cum contumacia conjunctum, alioquin irrita eſt, & inanis.

2. Præcipit hic idem Nicænus canon, ut ſingulis annis bis convocentur ad Synodum omnes in ſingulis Provinciis Epiſcopi, primùm quidem appetente quadrageſimæ tempore, deinde autumno: atque ut Synodus examinet prolatas à ſingulis per parochias Epiſcopis ſententias, quæ ibi prout videbitur vel confirmabuntur, vel corrigentur, vel revocabuntur. Eandem iterat conſtitutionem Synodus Antiochena can. 20. Deinde Chalcedonenſis œcumenica can. 19. & Leo Papa 1. epiſt. 82. cap. 7. quæ ſimul omnia compilavit Gratianus diſt. 18. Inſuper Apoſtolorum can. 37. jubet quotannis Synodos Epiſcoporum Provinciæ cujuſlibet convocari tum hebdomade quartâ Pentecoſtes, tum die duodecimâ menſis Hyperberetæi, qui noſtro fere Octobri reſpondet: ibique appellationum cauſas terminari, ſingulorumque Præſulum prolatas in ſuis parochiis ſententias & acta explorari.

3. Hoc ipſum Romanus quoque Pontifex ſingulis annis ſervabat, duaſque Synodos cogebat Epiſcoporum; primam quidem ex provincia cui præeſt ille titulo Metropolitani provincialem. Secundam nationalem menſe Octobri Italiæ Siciliæque Epiſcoporum, quibus ipſe præficitur ſpeciali jure Primatus. Hujus notitiam rei ſuppeditat Leonis 1. Epiſtola 61. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 4. his verbis: *Vt quia ſaluberrimè à ſanctis patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex ipſis ad diem tertium Calendas Octobris Romam fraterno Concilio ſociandi occurrant.* Nonnunquam etiam, ſed rarius cogebat Romanus Epiſcopus, ut Occidentis Patriarcha, Concilium non modo Italiæ & Siciliæ, ſed etiam Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Africæ, Illyrici: quale ſuperius vidimus Arelatenſe in cauſa Donatiſtarum. Denique ad Papam Romanum ut ſupremum univerſi dominici gregis Paſtorem Concilij œcumenici indicendi poteſtas ſpectat.

## AD NICÆNOS CANONES VI. & VII.

1. Canon VI. *Antiqui mores ſerventur in Ægypto, Libya, & Pentapoli; ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis provinciis ſua privilegia Eccleſiis ſerventur. Illud autem eſt omnino manifeſtum quòd ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definit non oportere Epiſcopum eſſe. Quod ſi quidem communi electioni omnium, quæ rationi conſentanea & ex regula Eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam quâ delectantur contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.*

Hujus canonis ſupplendum eſt initium quod hic deeſt, tum ex vetuſtiſſimo Codice canonum, quo utebatur temporibus Julij Papæ Romana Eccleſia, tum etiam ex œcumenicæ Synodi Chalcedonenſis actione 16. tum præterea ex perantiquo codice Canonum & Conſtitutionum Romanæ Eccleſiæ, quem vir eruditus Queſnelius ad fidem trium vetuſtiſſimorum manuſcriptorum in lucem emiſit, tum etiam ex conſti

conſtitutione Valentiniani Auguſti adverſus Hilarium Arelatenſem edita, in qua hæc verba continentur, *Cum igitur ſedis Apoſtolicæ Primatum, ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis SACRÆ ETIAM SYNODI firmarit autoritas.* Canon Nicænus prout legitur in prima collectione Romana, quam agnoverunt Alanus Copus & Severinus Binius, ſic orditur. *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, Cui conformior eſt idem canon Græcus, qualis lectus & approbatus fuit in Concilio Chalcedonenſi ἡ ἐκκλησία ῥώμης παντότε ἔχε τὰ πρωτεῖα. Eccleſia Romana ſemper habuit principatum. *Antiqui mores ſerventur in Ægypto. &c.* quo lecto canone univerſa Synodus ead. actio. 16. Succlamavit, *Videmus omnes ante omnia Primatum & præcipuum honorem ſecundum canones Dei amantiſſimo Archiepiſco veteris Romæ conſervari.* Queſnelianus vero codex, *Eccleſia* (inquit) *Romana ſemper habeat Primatum*, quaſi decretoriè, cum tamen alij citati codices cum Chalcedonenſi loquantur enuntiativè, *ſemper habuit.* Rufinus canonem iſtum verbis ambiguis, atque adeo intelligentiâ & constructione vacuis, non tam vertit quam pervertit. Quid enim intelligitur his Rufini verbis, *Et apud Alexandriam, & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti vel hic ſuburbicarum Eccleſiarū ſolicitudinem gerat?* Neque vulgaris contextus Græcus, neque exemplaria Gelaſij, aut ea quæ ad patres Concilij Carthaginenſis Concilij tranſmiſſa leguntur, quidquam de ſuburbicarijs Eccleſijs, quas Rufinus intruſit in canonem, referunt; & fruſtra viri docti quid ſint apud Rufinum ſuburbicariæ Eccleſiæ decertant: non enim provincias dicit ſed Eccleſias ſuburbicarias, perinde ac ſi de prædijs ac oratorijs intra paucos ab urbis mœnibus lapides ſitis ſermo illi eſſet. Longè verò alia quæſtio eſt de ſuburbanis ſeu ſuburbicarijs provinciis, quæ ſanè latius patent: non adeo latè tamen ut jus Patriarchicum Romani Epiſcopi adæquare queant, quod Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, & magnam Africæ partem complectebatur. At verò ſuburbicariæ provinciæ, ad quas protendebatur Vicarij Vrbis Romæ juriſdictio & poteſtas, juxta diviſionem à Conſtantino ſtatutam decem recenſebantur, Campania, Tuſcia ſimul cum Vmbria, Piceni pars dicta ſuburbicaria, Sicilia, Apulia ſimul cum Calabria, Brutij ſimul cum Lucania, Samnium, Sardinia, Corſica, Valeria, ut à Notitia imperij recenſentur. Valentinianus ſenior Vrſinum, autorem ſchiſmatis adverſus Damaſum, in Gallias primùm relegaverat: ſed poſt aliquot annos mitigatus libertatem eidem indulſit quocumque vellet loco conſiſtendi, ſolis exceptis urbicariis Provinciis ad quas omnis ei prohibebatur acceſſus, ne urbis vicinitate abuteretur ad novas Romæ turbas & ſeditiones concitandas; ut ex Valentiniani duobus reſcriptis conſtat, ad Ampelium urbis Præfectum, & ad Maximinum Romæ Vicarium; quæ ſuis Annalibus eruditiſſimus Baronius inſeruit ad an. 372. Certè ſi ut Rufinum interpretantur aliqui, ſuburbicariæ Eccleſiæ omnem ſignificabant Occidentis ditionem, Valentinianus hoc gemino reſcripto ſeveriùs cum Urſino egiſſet, quem hac ratione tota Europa exulare juſſiſſet. Quid autem Rufino in mentem venit, dum ſolus hoc eodem canone ſic loquitur? *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetuſta conſuetudo ſervetur, ut vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat?* quiſnam poteſt affigi ſenſus duplicatæ illi disjunctivæ voci, *vel?* quænam verò conſtructio his demonſtrativis vel *ille*, vel *hic*, nihil enim præceſſit ad quod referantur? Cur ſolus ſiluit Libyam & Pentapolim? cur ſolus meminit ſuburbicarum Eccleſiarum, & quidnam per eas vult ſignificari? Quorſum igitur in his perquirendis, quæ ſunt velut ægri ſomnia, viri eruditiſſimi longas pertexunt diſputationes? per me quidem licet, ſi per hæc πάρεργα inveſtigare ſtudent antiqui Romanorum Imperij, quam Rufinus ipſe ignorabat, notitiam: ſed hæc nihil ad Rufinum. Sed ſi Rufini mentem fruſtra perquirere ſatagunt, audiant potius teſtimonium Summi Pontificis Anaſtaſij primi epiſt. 3. *Rufinum ſcito ita haberi à noſtris partibus alienum, ut quid agat, aut ubi ſit, neſcire cupiamus. Ipſe denique viderit ubi poſſit abſolvi.* Audiant pariter Hieronymum apolog. 1. in Ruffinum: *Ego ſcripta tua relegens, quanquam interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me legere putem; tamen non doleo, nec me pœnitet tarditatis: id enim in legendo patior quod tu pateris in ſcribendo.* Ibidemque Græcæ ſimul & Latinæ linguæ imperitiam objectat. Argumento ſit, ne extra canones Nicænos digrediamur, quod idem ignorans quidnam rei ſit Chorepiſcopus, can. 8. *Epiſcopi locum vacantem* inſulſe interpretatur. Porrò iſtius Nicæni canonis, verba hæc ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστι. Quandoquidem & Epiſcopo Romæ hoc eſt conſuetum; ſic intelligenda ſunt, ut idcirco præfata illa in Ægyptum Libyam & Pentapolim poteſtas Alexandrino Epiſcopo competat; quia illud ei jus tribuere ſolet Romanus Epiſcopus.

2. *Similiter & in Antiochia, & in alijs Provincijs ſua privilegia Eccleſijs ſerventur.* Antiochenus Epiſcopus celebrabatur Orientis Patriarcha ab Helleſponto ad amnem Tigrim & ultra. Tempore namque Nicæni Concilij Provinciæ Aſiana & Pontica cum ſuis Metropolibus, Aſianæ quidem Epheſo, Ponticæ autem Cæſaræa Cappadocum Antiocheno Epiſcopo ſubdebantur: à quo poſtea Græcorum fraude poſt Chalcedonenſem Synodum disjunctæ fuerunt, ad novum conſtituendum Conſtantinopolis Patriarchatum. In partitione quoque civili Antiochiæ civitas erat Metropolis & ſedes Præfecti Orientis, ſicque eam vocat Zoſimus hiſtoricus lib. 2. & Chryſoſtomus civis ipſe Antiochenſis homil. 3. ad pop. Antioch. & Hieronymus adver. erro. Ioan. Ieroſol. Atque hæc eſt apud veteres prima Orientis acceptio. Secunda verò acceptio cum commemoratis regionibus Thraciam pariter cum Myſia (quæ poſtmodum Bulgaria dicta) prætereaque Ægyptum, Libyam & Pentapolim complectebatur. Atque hæc eſt illa Imperij pars quæ Conſtantio ex magni Conſtantini teſtamento primùm obtigit. Deindeque Arcadio Theodoſij ſenioris filio juxta factam à patre partitionem: atque Orientis dicebatur Imperium. hanc tamen Imperij Orientalis partitionem non adæquabat ſuis finibus diſtributio Provinciarum Præfecti Orientis prætorio, qualem conſtituerat Conſtantinus: aliquot enim Orientalis Imperij Provinciæ ad alterius Præfecti juriſdictionem pertinebant, quas refert Zoſimus lib. 2. ſiquidem Macedonia, Theſſalia, Græcia, Creta, & circumjacentes inſulæ, Lemnos, Samothracia, Epirus, Illyricum,

Digitized by Google

lyricum, etiamſi Orientali obtemperarent Imperio, nihilominus ad alium quàm Orientis Præfectum pertinebant. Is erat Præfectus Illyrici. Reliqui duo Præfecti qui quaternorum à Conſtantino conſtitutum numerum complebant ad Occidentis imperium attinebant, erantque Præfectus Italiæ, & Præfectus Galliæ. Singulis Præfectis diverſæ ſuberant Vicariæ, quas qui regebant Vicarij appellabantur, à quibus ad ipſos Præfectos provocabatur. Subditæ Vicariis regiones vocabantur communi nomine Diœceſes, quarum etiam ſingulæ plures Provincias complectebantur. Cujuſmodi ſub Orientis Præfecto erant Aſiana, Pontica, & Diœceſis Orientis, quæ Provincias multiplices Syriæ, Phœniciamque, atque Meſopotamiam ſuo ambitu concludebat, cujus Vicarius peculiari nomine Comes Orientis dicebatur. Quæ Orientis quidem ſignificatio præ duabus aliis paulò antè commemoratis Imperij & Præfecturæ Orientalis, multò erat arctior & contractior: quippe quæ unius duntaxat erat Vicariæ ſub Orientis Præfecto, qui quinque Vicariis præficiebatur, ac Diœceſibus; ſcilicet Ægypti, Aſianæ, Ponticæ, Thraciæ, & ſpecialis Orientis: ut docet liber Notitiæ Imperij, quem eruditiſſimis commentariis illuſtravit Pancirolus; & colligitur ex l.2. & 3. C. de militari veſte lib.12. & ex l.1. C. ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat. Ægypti Diœceſis Vicarius peculiari nomine Præfectus Auguſtalis vocabatur.

3. Similiter præfecto prætorij urbis Romæ ſubdebantur Dioceſes Illyrici Occidentalis, Item Africæ, Prætereáque Italiæ, quæ in duas diſtributa partes geminas quoque vicarias comprehendebat; unam quidem quæ ſeptem provincias complectebatur, Venetiam ſimul cum Iſtria, Æmiliam, Liguriam, Flaminiam ſimul cum Piceno, dicto annonario, Alpes Cottias, Rhetiam primam & Rhetiam ſecundam. Qui præſidebat ſeptem his Provincijs Vicarius, dicebatur non urbis ſed Italiæ vicarius, qui Mediolani ſedem fixam habebat. Reliqua Italiæ pars decem ſuperiùs nominatis provincijs conſtabat, quas etiam Notitia imperij dinumerat, quæ ſuburbicariæ dicebantur, Campania, Tuſcia ſimul cum Vmbria, Picenum ſuburbicarium dictum, ad diſcrimen Piceni annonarij, Sicilia, Apulia ſimul cum Calabria, Brutij ſimul cum Lucania, Samnium, Sardinia, Corſica, Valeria. Qui has ſub Præfecto prætorio provincias adminiſtrabat non Italiæ ſed urbis Romæ vicarius ſalutabatur. Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius, ſcriptis ad Probum Præfectum prætorio Italiæ literis, mandantes ut edictum ſuum de irritandis privilegijs per obreptionem impetratis, in provinciis illi ſubjectis obſervet, Italiam ab Vrbicariis ſejungunt, & quatuor illi ſubjectas vicarias ſic exprimunt, *Sinceritas tua idipſum per omnem Italiam, tum etiam per Vrbicarias, Africanaſque regiones, ac per omne Illyricum, prælatâ hujus oraculi autoritate firmabit.* Illyrici præfectura in duas Diœceſes ſecabatur Macedoniam & Daciam; quibus duo præficiebantur Vicarij. Præfecto prætorio Galliarum tres obtemperabant Vicarij, unus in ipſa Gallia, alter in Hiſpania, tertius in Britannia. Hæc ante nos accuratè delibavit Joannes Marinus Oratorij Domini Jeſu Sacerdos conſummatiſſimæ eruditionis.

4. Hoc eodem Nicæno canone norma præſcribitur Eccleſiaſtica, ut in electionibus & deliberationibus pars ea prævaleat, quæ plurium ſuffragijs nititur; eique recentiores canones conformantur. Licet enim nonnulli canones præferant majorem & ſaniorem ſuffragatorum partem: ſanior illa pars non intelligitur comparativè ad ſingulorum merita: quæ ſanè exploratio fomes eſſet mutuarum contumeliarum, & odiorum incitamentum, ſed ad canonica impedimenta. Vt ſi major pars incrementum ex illis ſumeret, quos canones à ſuffragijs excludunt, aut ſi hunc vellet promovere cui manifeſtè canones refragantur. Idque admonet ac docet receptiſſima gloſſa in c. ea noſcitur in ver. majoris & ſanioris, de his quæ fiunt à præl. ſi. conſen. capit. Præclaréque ſancitur c. indemnitatis §. ut autem de elect. in 6. decernimus ut non zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, ſed tantùm numeri ad numerum fiat collatio.

## AD NICÆNOS CANONES VII. VIII. IX. X. & XI.

1. Can. VII. *Quoniam obtinuit conſuetudo & antiqua traditio, ut qui eſt in Ælia Epiſcopus honoretur, habeat honoris conſequentiam Metropoli propriâ dignitate ſervatâ.*

Ælia vocatur Jeroſolymorum civitas, quia illam ob perduellionis crimen à ſe primùm everſam mox inſtauravit & inſtauratam de ſuo nomine Æliam dici voluit Ælius Adrianus Auguſtus. Etiamſi verò civitas illa fuerit Domini Salvatoris prædicatione, miraculis, morte, reſurrectione decorata; prætereáque Spiritus ſancti in diſcipulos illapſu commendata: in eáque primum Apoſtoli fidem Chriſti prædicarint, primámque ibidem fundarint Eccleſiam; prætereáque primus Jacobus Apoſtolus ſedem ibi fixerit Epiſcopalem, quam proprio martyrio conſecravit & illuſtravit. Illa nihilominus Eccleſia, uſque adeo inſignibus nominibus & titulis inclyta, Metropoli Cæſaraæ Palæſtinæ ſubjecta, ſuffraganeáque fuit: tantúmque abeſt ut verum ſit quod ſcripſit incautiùs in canonem Nicænum Theodorus Balſamon, fuiſſe in hac œcumenica Synodo Patriarchali dignitate auctam, ut ex adverſo illius erga Cæſaræenſem Metropolitanum ſubjectionem Patres Nicæni hoc ipſo canone confirmarint. Adeo ut ab Jeroſolymitani Epiſcopis judicijs ad Cæſaræenſem appellationes devolverentur. Cujus rei certam fidem faciunt Hieronymus epiſt. 65. & Leo magnus epiſt.62. quæ eſt ad Maximum Antiochenum. Suprema verò jura & honores Præſulis Jeroſolymitani, in ſolis majoribus Synodis effulgebant. Hinc factum ut in Antiochena Synodo adverſus Paulum Samoſatenum, ad quam ex diverſis provincijs Epiſcopi convenerant, inter eos quos recenſet Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 28. Hymenæus Jeroſolymæ Epiſcopus primus numeretur, & ſecundus ab eo Theotecnus Cæſaraæ Palæſtinæ. In Chalcedonenſi etiam Synodo œcumenica, juxta Epiſcopum Alexandrinum conſediſſe legitur Jeroſolymorum Epiſcopus, ſupra omnes Metropolitas. Quinetiam in iſto Nicæno Concilio Macarius Jeroſolimitanus ſuperior Euſebio Cæſarienſi conſedit. At verò in Synodis



Digitized by Google

Provincialibus Palæſtinæ Metropolites Cæſaræenſis,ut ſuæ Provinciæ caput,præſidere ſupra Jeroſolymitanum ſolitus fuit;ut duæ ejuſdem Provinciæ Synodi exploratum reddunt: Etenim præſedit in Concilio Cæſaræa Palæſtinæ contra Quartadecumanos coacto Theophilus Cæſaræenſis,cui proximus aſſedit Narciſſus Jeroſolymitanus; ut docet Euſebius lib.5. hiſt. Eccl. cap.15. Simile deinde contigit in Synodo Dioſpolitana ejuſdem Provinciæ, in qua Cæſaræenſi ceſſit Ioannes Ieroſolymitanus. Concilium Chalcedonenſe illam demum Eccleſiam in Patriarchalem erexit, eique deciſam Palæſtinæ partem,cum aliquot Epiſcopis ſubdidit, reclamante licet Pontifice Leone primo. Vide quæ de hoc Patriarchatu infra commemorabo, ad can.5. Concilij Laterani IV.

2. Can. VIII. *De his qui ſe Catharos, id eſt puros, quandoque nominant, ad Catholicam autem & Apoſtolicam Eccleſiam accedunt, ſanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut impoſitis eis manibus ſic in Clero maneant. Ante omnia autem hoc in ſcriptis ipſos profiteri convenit, quòd adhærebunt & ſequentur Catholicæ Eccleſiæ decreta. Id eſt cum digamis communicabunt, & cum ijs qui in perſecutione lapſi ſunt, in quibus & tempus conſtitutum eſt, & opportunitas præfinita ut ipſi ſequantur Eccleſiæ decreta. Vbi ergo omnes ſive in vicis ſive in urbibus, ipſi ſoli inveniuntur ordinati, qui inveniuntur in Clero, in eodem erunt ordine. Si autem Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo vel Presbytero exiſtente accedunt aliqui, clarum eſt quòd Eccleſiæ quidem Epiſcopus dignitatem habebit. Qui autem apud eos eſt,qui Cathari dicuntur, qui nominatur Epiſcopus, Presbyteri honorem habebit: niſi utique Epiſcopo placeat ipſi nominis illius honorem impertiri. Si autem hoc illi non placeat, vel Presbyteri vel Chorepiſcopi locum excogitabit, ut eſſe omnino in Clero videatur: ne in civitate duo ſint Epiſcopi.*

3. Pacis componendæ fratrumque diſperſorum colligendorum ſtudio, de veterum Canonum ſeveritate canon iſte remittit, eoſque qui ſe Catharos dicunt (hi ſunt Novatiani) ad Eccleſiæ unitatem revertentes, in priſtinum reſtituit Epiſcopatus, vel Sacerdotis,vel Clericalis ordinis gradum: dum tamen eidem Eccleſiæ alius non fuerit proviſus Epiſcopus orthodoxus. Quo eventu eum qui ex Novatiani ſchiſmate eamdem ſedem occupaverat contentum eſſe jubet Sacerdotis aut Chorepiſcopi gradu. *Ne* (inquit) *in una civitate duo ſint Epiſcopi.* Hunc deſignat Canonem Auguſtinus epiſt.110. ſic dicens: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Nicæno Concilio prohibitum eſſe neſciebam, nec ille ſciebat.* Cæteroqui hæc ipſa Nicæna Synodus canon.10. lapſos ita excludit à Clero, ut ſi quis aliquando lapſus Clero aſcriptus fuerit,vel ordinatus, jubeat eumdem quamprimùm lapſus ejus innotuerit deponi. Et antea Synodus Illiberritana can.51. quemcumque ex quavis hæreſi converſum ita excludit à clero, ut eos etiam qui fuerant ante hæreſim ordinati, deponi præcipiat. Cornelius Papa & martyr in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola, quam refert Euſebius lib.6. hiſt. Eccl. cap. 35. ait, ſe vixdum idque in gratiam univerſi populi pro eo ſupplicantis, admiſiſſe ad laïcam communionem unum de tribus Epiſcopis graviter facti ſui pœnitentem, qui Novato manum ad Epiſcopalem conſecrationem impoſuerant. Et refert Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum, ab eodem Papa Cornelio Epiſcopum olim Schiſmaticum, ſed jam pœnitentem Trophimum, fuiſſe tandem ad laïcam communionem indulgenter admiſſum: ſed tam effuſæ benignitatis cauſam fuiſſe recolligendorum fratrum neceſſitatem, quorum plurimi ductore Trophimo ad Eccleſiæ unitatem ſe recipiebant. Idemque Cyprianus epiſt.64. & 68. contendit non eſſe recipiendos prolapſos quantumvis pœnitentes ad priſtinum ordinis gradum. Teſtatur Auguſtinus epiſt.162. ad Epiſcopos Donat. & in breviculo collat. Melchiadem Romanum Papam Donatiſtis Epiſcopis qui à ſchiſmate diſcederent, conditionem obtuliſſe, ac decreviſſe,ut ipſis Epiſcopale miniſterium indulgeretur. Et in quibuſcumque locis duo eſſent contrariarium partium Epiſcopi, confirmaretur is qui prior fuiſſet ordinatus: alteri verò plebs alia regenda provideretur: idque Melchiadis decretum collaudat Auguſtinus, qui idem lib.2. contra Creſconium cap.11. & epiſt.5. refert Africanum Concilium eadem ratione & neceſſitate adductum pro reductione lapſorum, & Eccleſiaſtica pace, reſtituiſſe Donatiſtas Epiſcopos ad priſtinum dignitatis gradum. Idque valde probat: additque ſub finem epiſt. quintæ, reſtitutionem quandoque factam priſtinorum Epiſcopatuum in gratiam Arianorum ad Eccleſiam revertentium: hoc tamen adjungens, citra gravem & urgentem Eccleſiæ utilitatem aut neceſſitatem, inſiſtendum conſtanter eſſe Canonicæ diſciplinæ,interdicenti Clericis quibuſcumque lapſis reverſionem ad priſtinum gradum. Similiter ſcribunt Socrates lib.3.cap.7.8. & 9. & Theodoritus lib.3.cap.4. & 5. Athanaſium, quum Alexandriam per Juliani edictum reverti ſſet, Synodum convocaſſe, quæ decrevit ut Ariani Epiſcopi hæreſim ejurantes priſtinas ſedes unde exciderant recuperarent. Cæterùm ut ait Bonifacius Papa VIII. regula juris 78. *In argumentum trahi nequeunt quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.* Denique Apoſtolis aſcriptus canon 29. ſic ait: *Ne Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus juſtè depoſitus miniſterium priſtinum reſumat.* Et can.61. *Ne convictus de crimine ad Clerum promoveatur.* Et can.62. *Vt lapſi Clerici deponantur, & ſi pœnitentiâ ducuntur ne recipiantur, niſi ut laici.*

4. Canon IX. *Si qui citra examinationem promoti ſunt Presbyteri, vel examinati ſua peccata confeſſi ſunt,eiſque confeſſis præter Canonem moti homines manus impoſuerunt, eos Canon non admittit. Quod eſt enim à reprehenſione alienum defendit Eccleſia.*

Canon iſte docet præmittendum ordinationibus examen. Vide ſuperius dicta ad Nicænum can.2.

Canon X. *Quicumque ex eis qui lapſi ſunt vel per ignorantiam, vel ſcientibus ijs qui promoverunt,*

Digitized by Google

*moverunt, ordinati ſunt, hoc Eccleſiaſtico canoni non præjudicat, iÿ enim cogniti deponuntur.*

Canon. XI. *De iÿs qui ſine neceſſitate, vel ſine facultatum ſuarum ablatione, vel ſine ullo periculo, vel aliquo hujuſmodi tranſgreſſi ſunt, quod ſub Liciniÿ tyrannide factum eſt, Synodo viſum eſt, etſi humanitate indigni ſunt, clementiâ tamen & bonitate in eos uti. Quicumque ergo germanè & verè pœnitentiâ ducuntur tres annos inter auditores exigent ut fideles: & ſeptem annis proſternentur ſupplices: duobus autem annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes.*

Require ſuperius ad ſæculum ſecundum Diſſertationem de publicis priſcorum fidelium pœnitentiis.

## AD NICÆNOS CANONES XII. XIII. XIV. XV. & XVI. elucidationes.

1. Can. 12. *Quicumque vocati per gratiam primum ſuum ardorem oſtenderunt, & cingula depoſuerunt, poſtea autem ut canes ad vomitum ſuum reverſi ſunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, & beneficiÿs militiam aſſequerentur: hi decem annis proſternantur ſupplices etiam poſt trienniÿ auditionis tempus. In his autem omnibus examinare convenit conſilium & ſpeciem pœnitentiæ. Quicumque enim & metu & lacrymis & tolerantiâ & bonis operibus converſionem & opere & habitu oſtendunt, hi impleto auditionis tempore quod præfinitum eſt meritò orationum communionem habebunt, adeò quòd liceat etiam Epiſcopo humaniùs aliquid de iÿs ſtatuere. Quicumque autem non adeò graviter tulerunt, nec multum ſuâ referre exiſtimarunt, ſatiſque eſſe putarunt in Eccleſias ingredi, tempus ad converſionem omnino impleant.*

TAntum abeſt ut Eccleſia poſt extinctam idolatriam, tyrannorúmque infidelium dominationem, fidelibus neque in claſſe pœnitentium, neque in ſacro Clero, neque in Monaſtico habitu conſtitutis militiam prohibuerit: quin potiùs ante paucos annos Arelatenſe Concilium primum can. 3. excommunicatione milites percellit, qui arma, ſive in pace (ut referunt vulgata exemplaria) ſive in bello (ut quædam habent vetera manuſcripta) arma projicient, utpote deſertores, & militaris Sacramenti fœdifragos. Iſte verò Nicænus Canon editus eſt in eos, qui ut ſe inchoatæ pœnitentiæ moleſtiis eriperent militarem profeſſionem, quam pœnitentiæ cauſa abdicarant, reſumpſerunt; aut etiam (quod deterius eſt) pretio & largitionibus militaria Officia & Præfecturas emerunt. Nicænam iſtam ſanctionem inſtaurarunt Siricius epiſt. ad Taraconenſem Epiſcopum & Innocentius epiſt. ad Epiſcopum Rotomagenſem, & Leo Magnus epiſt. ad Ruſticum can. 10. & 12. Antiqua fuit Manichæorum hæreſis qui bellum qualecumque foret indiſcriminatim damnabant, quaſi divino jure prohibitum: ideoque Abrahamum, Moyſem, Joſue, Davidemque averſabantur quaſi reos impietatis; ut refert Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum cap. 74. & ſeqq.

2. Can. XIII. *De his qui ad vitæ exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua ſervabitur: ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & maximè neceſſario viatico minimè privetur. Quod ſi deſperatus & conſequutus communionem, oblationiſque particeps factus iterum convaleſcit, ſit inter eos qui communionem orationis tantummodò conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito & poſcenti ſibi Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus poſtquam probaverit ex oblatione dare debebit.*

Obſerva hoc in Canone ſacramenti Corporis & Sanguinis Domini quatuor denominationes. Vocatur enim primo τελευταῖον καὶ ἀναγκαιότατον ἐφόδιον ultimum maximeque neceſſarium Viaticum. Deinde κοινωνία communio. Poſtmodum εὐχαριστία Euchariſtia. Poſtremò ſecundum vetuſtiſſimas quaſdem editiones Græcas, quæ hunc ita terminant Canonem, μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς quibus Dionyſius Abbas inhærens ita vertit *ex oblatione dare debebit.* vocatur iſtud Sacramentum προσφορὰ oblatio. Verſio quoque hujus Canonis cum aliis Nicænis ab Attico Conſtantinopolis Epiſcopo ad Patres Carthaginenſes Latinè tranſmiſſa ſic effert in ipſo fine: *Epiſcopus probabiliter oblationem ei contradat.* Nemini etiam peccatori pœnitenti denegandam in extremis vitæ communionem ſacri Viatici tradit Innocentius I. epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum cap. 2. & Concilium primum Valentinum anni 374. can. 3. allegato iſto Nicæno Canone decernit, quemcumque peccatorem necdum expleto pœnitentiæ tempore ſi mortis urget diſcrimen reconciliari: ſic tamen ut ſi poſtmodo convaleſcat pœnitentiæ canonica tempora proſequatur. Similiter Syneſius ad Theophilum Alexandrinum ſcribit ſe Presbyteris ſuis mandaſſe Lamponiani à communione dejecti abſolutionem ac reconciliationem, ſi de vita in ægritudine periclitetur, eâ tamen lege, ut ſi convaleſcere contingat, quod ſupereſt temporis ad pœnitentiam præſtituti emetiatur ac expleat.

Can. XIV. *De catechumenis qui lapſi ſunt ſancto & magno Concilio placuit, ut tribus annis ſint inter audientes tantummodo: poſt hæc autem cum catechumenis orent.*

Can. XV. *Propter multum tumultum & ſeditiones quæ fiunt, omnino viſum eſt, ut conſuetudo, quæ præter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur: ut à civitate in civitatem nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus tranſeat. Si quis autem poſt ſancta & magnæ Synodi definitionem tale quippiam aggreſſus fuerit, vel ſe rei ejuſmodi dederit, quod factum fuerit omnino infirmabitur, & Eccleſiæ reſtituetur*

*tur cui Epiſcopus, vel Presbyter vel Diaconus ordinatus fuerit.*

Eadem decernunt Canones Apoſtolis attributi 14. & 15. Conciliumque Sardicenſe can. 1. & 2. eò procedit ut ad laicam communionem Epiſcopos, qui à minoris civitatis Epiſcopatu ad ampliorem & opulentiorem ſedem commigraverint, ableget. Id autem vitio vertit ambitionis aut avaræ cupiditatis, cum nemo reperiatur qui ab ampliore Epiſcopatu ad pauperiorem vel dejectiorem tranſire viſus ſit. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceanum docet hanc Apoſtoli ad Timotheum, & ad Titum præceptionem, ut ſit Epiſcopus unius uxoris vir hunc quoque ſenſum complecti; ut uxor intelligatur Eccleſia cui Epiſcopus ſemel præficitur: ut quemadmodum ſemel ducta uxor relinqui non poteſt ut altera ducatur: neque Epiſcopus ab Eccleſia cui ſemel fuit deſponſatus diſcedere fas ſibi eſſe ducat, ut alteram quæcumque illa ſit ſibi adipiſcatur. *Et hoc* (inquit) *in Nicæna Synodo à Patribus eſſe decretum, ne de alia ad aliam Eccleſiam transferatur Epiſcopus, ne virginis pauperculæ ſocietate contemptâ ditioris adulteræ quærat amplexus.* Laudem ſibi aucupatur Euſebius Cæſarienſis lib. 3. vitæ Conſtantini cap. ult. dum tres refert epiſtolas laudum ſuarum teſtes, à Conſtantino conſcriptas hac occaſione, quòd oblatum ſibi Antiochenum recuſaſſet Epiſcopatum, hac ratione quia Cæſarienſi Eccleſiæ ſpiritualis conjugij nexu inſolubili eſſet alligatus. At contrarium prorſus exemplum iiſdem temporibus præbebat alter Euſebius, qui relictâ Berythenſi cujus erat Epiſcopus Eccleſiâ, in Nicomedienſem involavit: quam etiam poſt aliquot annos deſeruit, ut thronum conſcenderet Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Denique prædictas quoque ſedium Epiſcopalium tranſlationes vetat quintus Chalcedonenſis Synodi canon. Leo quoque Pontifex epiſt. 12. aliàs 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem cap. 8. jubet Antiſtitem ſic tranſlatum utrâque depelli Eccleſiâ, & quam reliquit & quam adipiſci voluit. Canon inſuper proximè ſubſequens ad idem pertinet argumentum.

4. Can. XVI. *Quicumque temerè & inconſideratè, nec Dei timorem præ oculis habentes, nec Eccleſiaſticum Canonem tenentes, Presbyteri vel Diaconi, vel quicunque omnino in Canone recenſentur, ab Eccleſijs ſeceſſerint, ij in aliena Eccleſia nullo modo recipi debent: ſed omnino cogendi ſunt in ſuas ipſorum parochias redire: vel ſi perſeverarent, eos omninò à communione ſeparatos eſſe oportet. Sin autem etiam auſus fuerit quiſpiam eum qui ad alium pertinet ſubripere, & in Eccleſia ordinare non conſentiente proprio Epiſcopo à quo receſſit qui in Canone cenſetur, irrita ſit ordinatio.*

Nulla ſanctio extat tam ſæpè Canonibus tum antiquis tum novis repetita ac iſta, ne quis alienum Clericum inſcio vel invito proprio Antiſtite ſuſcipiat vel ordinet. Vide ſuperius Apoſtolorum canones 14. & 15. & Antiocheni ſub Julio Papa Concilij can. 3. & Chalcedonenſis can. 20. quo etiam communionis fidelium ſimul exortes fiunt & Clericus commigrans, & Epiſcopus ſuſcipiens. Eodem ſpectat Sardicenſis can. 15. aliàs 19. Concilium Taurinenſe anni 397. can. 7. hæc omnia colligit. *Nec illud prætermittendum quod Synodi ſententia definitum fuit, ut Clericum alterius ſecundum ſtatuta canonum nemo ſuſcipiat, neque ſua Eccleſiæ licet in alio gradu audeat ordinare, neque abjectum in communionem recipiat.* Huc pertinet Concilij Carthaginenſis quarti canon 27. Atque ut alios innumeros canones prætermittam noviſſimum generale Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. & ſeſſ. 23. cap. 8.

## AD RELIQVOS NICÆNOS Canones elucidationes.

1. Can. XVII. *Quoniam multi qui in Canone recenſentur plura habendi ſtudium, & turpe lucrum perſequentes, divinæ Scripturæ obliti ſunt, quæ dicit, Argentum ſuum non dedit ad uſuram: & fœnerantes centeſimas exigunt; æquum cenſet ſancta & magna Synodus, ut ſi quis inventus fuerit poſt ſtatutum uſuras ex mutuo ſumere, vel eam rem aliter perſequi, vel ſeſquialteras exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis lucri gratiâ, è Clero deponatur, & ſit alienus à Canone.*

QUIA Romanæ leges uſuras exigi & permittebant, & creditoribus adjudicabant, priores Eccleſiæ Canones ut offenſionem civilis poteſtatis evitarent dum uſuras prohibent, Clericorum tantummodo mentionem habent: ſic tamen ut divinam legem obtendentes cujus eſt generalis uſurarum interdictio, laïcis pariter inſinuaretur non poſſe citra delictum uſuras ab ipſis exerceri. Cujuſmodi ſunt Apoſtolorum can. 44. Arelatenſis primi Concilij can. 12. Laodicæni canon 5. Carthaginenſis tertij can. 16. ſic ſtatuens. *Vt nullus Clericorum amplius recipiat quam cuidam accommodaverit, ſi pecuniam accipiat, ſpeciem eamdem quantam dederit accipiat: ut quidquam aliud, quantum dederit accipiat.* Concilium Illiberritanum his antiquius can. 20. providit ut non modo Clericis, ſed etiam laïcis interdicantur uſuræ. Et Clement. unica, §. ſanè de uſur. aſſerit hæreticum eſſe; quicunque dixerit uſuras exigere non eſſe peccatum. Meminit ſpecialiter Nicænus canon iſte uſuræ centeſimæ; ſic dictæ quia centeſimo quoque menſe ſortem exæquabat; ſingulas libras ad ſingulos menſes computando eaque centeſimæ ſortis adæquatio menſe quarto anni ſubſequentis noni complebatur. Meminit pariter uſuræ ἡμιολίας, id eſt ſeſquialteræ, per quam fœnerator debitorem ſibi obſtringebat ad reddendam mutuatam ſortem & præterea ſortis ejuſdem dimidium, ut pro uno mutuò accepto nummo nummum, & nummi dimidium redderet & pro duobus nummis tres exſolveret, pro decem mutuatis quindecim retribueret: continet enim proportionem arithmeticam certi numeri cum incremento, & additione dimidij ejuſdem numeri. Utriuſque fœnoris condemnationem continet præterea, qui in Nicæna Synodo conſedit, Conſtantini Auguſti lex ſub tit. ultimo lib. 2. Cod. Theodoſ. Eſt enim inconcuſſa Chriſti lex Luc. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

Digitized by Google

*rantes.* Dilucidè porrò uſuram definit Concilium Agathenſe can. 8. *Uſura eſt ubi amplius requiritur quàm datur, verbi gratiâ, ſi dederis ſolidos decem & amplius quæſieris.* Hoc ipſum delictum ſimul reprobat & quid ſit explicat Dei ſermo, ſic dicens Ezechielis 18. v. 8. *Si ad uſuram non commodaverit & amplius non acceperit.* Quæ verba exponens Hieronymus ad eum locum, ſic ait: *Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia: quod prævidens Scriptura divina omni rei auſert ſuperabundantiam, ut plus non recipias quàm dediſti. Solent in agris frumenti & milij, vini & olei, cæterarúmque ſpecierum uſuræ exigi, ſive ut appellat ſermo divinus, ſuperabundantiæ: verbi gratiâ ut hyemis tempore demus decem modios & in æſtate recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam.* Auguſtinus ſimiliter in Pſal. 36. conc. 3. præclarè ſic admonet. *Si fœneraveris homini, id eſt mutuam pecuniam tuam dederis à quo aliquid plus quàm dediſti expectes accipere, non pecuniam ſolum ſed aliquid pluſquam dediſti, ſive illud triticum, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi pluſquam dediſti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus.* Notum eſt illud Pſal. 14. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram & munera ſuper innocentem non accepit.* Eſt aliud fœnoris genus antiquis dictum antichreſis, per quod creditor fundi alteriuſve rei frugiferæ ſibi pignori datæ fructus ſine ulla compenſatione aut rei mutuatæ diminutione ſibi in lucrum vindicat. Quod utique lucrum adeò ipſis infidelibus viſum eſt improbum ut ſcribat Ulpianus creditorem qui pignore utitur furti crimine obligari, l. ſi pignore, ff. de furtis. Nec omittendum Leonis magni Papæ teſtimonium adverſus quoſcumque fœneratores, Clericos ſimul & laïcos, epiſt. 1. alias 3. ad Epiſcopos Campaniæ & Piceni: *Nec hoc quoque* (inquit) *prætereundum duximus quoſdã lucri turpis, cupiditate captos uſurariam exercere pecuniam, & fœnore velle diteſcere. Quod nos non dicam in eos qui ſunt in Clericali officio conſtituti, ſed & in laïcos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acriùs in ijs qui fuerint confutati decernimus, ut omnis peccandi opportunitas adimatur.*

2. Canon. XVIII. *Pervenit ad ſanctam Synodum, quòd in nonnullis locis & civitatibus Diaconi dant Presbyteris Euchariſtiam, quod nec Canon nec conſuetudo tradidit, ut qui offerendi poteſtatem non habent his qui offerunt dent corpus Chriſti. Iam verò illud etiam cognitum eſt, quod jam quidam ex Diaconis etiam ante Epiſcopos Euchariſtiam attingunt. Hæc ergo omnia auferantur: & Diaconi intra ſuas menſuras permaneant, ſcientes quod ſunt quidem Epiſcopi miniſtri, Presbyteris autem minores. Accipiant verò ſuo ordine Euchariſtiam poſt Presbyteros eis præbente Epiſcopo vel Presbytero. Sed nec in medio quidem Presbyterorum liceat Diaconis ſedere. Id fit enim præter Ordinem & Canonem. Sed ſi quis non vult obedire poſt has conſtitutiones, à Diaconatu deſiſtat.*

Similiter Laodicænus canon 20. cavet ne Diaconus coram Presbytero ſedeat niſi jubente ipſo Presbytero. Eſt verò obſervatu digna ratio quam ipſe profert Decreti ſui Nicænus Canon, quâ Calviniſtarum hæreſis ſacrificium incruentum adorta profligetur. ὅτι ὁ κάνων ὅτι ἡ συνήθεια παρέδωκέ τους ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ. *Neque lex neque conſuetudo tradit, ut qui offerendi poteſtatem non habent, his qui offerunt dent corpus Chriſti.* Uſus obtinet apud Eccleſiaſticos ſcriptores ut προσφέρειν, & munus offerre Deo & ſacrificare ſignificet. Quâ etiam ſignificatione catechiſmus à Calvino editus, quem Calviniſtæ omnes adeò pro fidei regula haberi volunt, ut nemo apud eos in miniſterium admittatur niſi juratus ſe quæcunque complectitur propugnaturum & concionaturum. Qui catechiſmus ſic ait, in Dominica 52. Non eſt inſtituta Dominica Cœna ad offerendum Deo Patri corpus Ieſus-Chriſti.

3. Verùm expreſſior in actis Concilij hujus apud Gelaſium Cizycenum habetur declaratio, quam multis commentitiis gloſſematis eludere & obſcurare nititur Calvinus, lib. 4. Inſtitutionum cap. 14. ſeſſ. 36. ſed inepta ejus gloſſemata ipſa deſtruuntur ac evertuntur perſpicuis hujuſce Nicæni teſtimonij verbis, ita conceptis. *Iterum etiam hac in menſa divina ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem: ſed attollentes mentem fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa illum Dei agnum tollentem peccata mundi incruentè à Sacerdotibus immolatum: & pretioſum ipſius Corpus & Sanguinem verè nos ſumentes credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola: propter hæc enim neque multum accipimus ſed parum, ut ſciamus non ad ſatietatem, ſed ad ſanctificationem ſumi.* Hactenus Nicæna verba quibus definitur expreſsè ſitum eſſe in illa ipſa menſa immaculatum qui à Sacerdote offertur agnum. At è contra Dominicâ Calvinianorum 53. disertè negatur in illa menſa corpus contineri Chriſti, neque extra cœlum exiſtere, tantoque interſtitio à propoſitis in menſa ſignis diſtare, quantùm intervalli cœlum inter & terram intercedit. Sacrificium Euchariſticum ſuo vaticinio firmat Propheta Malachias dum cap. 1. Deum hæc loquentem inducit: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum.* Quam Malachiæ prædictionem, ſatis alioqui per ſe manifeſtam, Sancti veteres Eccleſiæ Doctores de ſacrificio corporis Dominici unanimes interpretantur. Ex quibus (ut cæteros omittam) Juſtinus martyr in Dialogo cum Triphone Judæo, ſic ait: *De noſtris gentium quæ in omni loco offeruntur ſacrificijs, hoc eſt pane Euchariſtico & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tunc loquutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus vos autem profanare.*

4. Illa porrò Nicænorum Patrum locutio, incruentè immolatum, Græcè ἀθύτως θυόμενον, affinis ac ſynonyma eſt cum hac altera expreſſione ἀναιμάκτου θυσίας incruenti ſacrificij, quæ frequens eſt antiquis Patribus Græcis, Clementi Papæ & Martyri lib. 6. Conſtitutionum cap. 2. Euſebio lib. 1. demonſ. Evangel. cap. 10. Gregorio Nazianzeno invect. 1. & 2. adu. Julia. Anaſtaſio Sinaïtæ epiſt. ad Phrudegardam, Cyrillo Alexandrino in Concilio Alexandrino. Itemque

ad anathemat. 11. Synodo Quiniſextæ can 32. & Synodo Nicænæ ſecundæ act. 6. Atque hoc diſcrimine myſtica differt oblatio in omni loco offerenda, quam Malachias prænunciavit, ab illa cruenta, quæ ſemel Jeroſolymis in cruce confecta, immolataque fuit.

5. Ex canone iſto 18. addiſce ad poteſtatem quoque Diaconorum olim pertinuiſſe, non modo vivificum calicem aliis quibuſcunque propinare qui Sacerdotes non eſſent, ſaltem ubi non aderat Sacerdos; verumetiam Sacroſanctum ac myſticum panem porrigere. Atque ejus rei pariter meminit Juſtinus Apol. 2. in fine, ſolenne Diaconis fuiſſe ſacratiſſimam Euchariſtiam ad abſentes deferre. Sacri verò Calicis miniſterium fuiſſe Diaconis conceſſum docent Cyprianus tract. de lapſis & colloquium Sixti Papæ cum Laurentio apud Ambroſium.

6. Can. XIX. *De Pauliniſtis qui deinde ad Eccleſiam confugerunt ſtatutum eſt; ut ij omnino rebaptizentur. Si qui verò tempore præterito in Clericorum numero erant, ſi quidem à culpa & reprehenſione alieni viſi ſint, rebaptizati ordinentur à Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si verò examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem de Diaconiſſis, & de omnibus omnino qui inter Clericos annumerantur eadem forma ſervabitur. Diaconiſſarum autem meminimus quæ in habitu quidem cenſentur: quoniam nec ullam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter laicos connumerentur ipſæ.*

Quæ fuerit Pauliniſtarum hæreſis, & unde orta, & cur rebaptizandi ipſi eſſent ad Eccleſiam redeuntes docet Auguſtinus lib. de hæreſibus, ad Quod vult Deum hæreſi 44. *Pauliani à Paulo Samoſateno dicti, Chriſtum non ſemper fuiſſe dicunt: ſed ejus initium ex quo de Maria natus eſt aſſeverant. Nec eum aliquid amplius quàm hominem putant. Iſta hæreſis aliquando cujuſdam Artemonis fuit. Sed cum defeciſſet, inſtaurata eſt à Paulo: & poſtea ſic à Photino confirmata, ut Photiniani quàm Pauliani celebrius nuncupentur. Iſtos ſanè Paulianos baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica Nicæno Concilio conſtitutum eſt. Unde credendum eſt eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici cum de Catholica fide diſcederent abſtulerunt, eamque cuſtodiunt.*

7. Superiùs vidimus damnatas à Stephano Pontifice Synodos Africanas, à quibus hæreticorum baptiſmus ut inanis reprobatus fuerat. Debuit igitur in Paulianis ineſſe ſpecialis cauſa cur eorum baptiſmum Nicæni Patres rejecerint, ut admonet Auguſtinus. Atque hæc ipſa fuiſſe videtur: quia cum Paulo Samoſateno divinitatem Chriſto abrogantes, & inſuper cum Sabellianis omnem adimentes perſonarum divinarum proprietatem ac diſtinctionem, unicamque ſtatuentes in Deo perſonam perinde atque eſſentiam, talia ex conſequenti verba adhibebant, ab omni perſonarum expreſſione aliena, ſine qua baptiſmus non ſubſiſtit. Diſertis etiam verbis ait Innocentius I. Papa epiſt. 22. cap. 5. *Paulianiſta in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti minimè baptizabant.* Quæ cauſa eſt cur aſſerat Hieronymus contra Luciferianos, Concilium Nicænum admiſiſſe omnium hæreticorum baptiſmum, ſolo Paulianiſtarum excepto. Præterea Arelatenſe ſecundum Concilium ſic decernit can. 16. *Photinianos ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere.*

8. Can. XX. *Quoniam ſunt quidam qui in die Dominico genuflectant, & ipſis diebus Pentecoſtes: ut omnia ſimiliter in omni Parochia ſerventur, viſum eſt ſanctæ Synodo ut ſtantes Deo orationes effundant.*

Hanc viguiſſe praxim longè ante Synodum Nicænam, ut fideles diebus per annum Dominicis, & continuis quinquaginta Paſchalibus diebus, adusque feſtum Pentecoſtes ſtantes orarent, teſtis eſt locuples Tertullianus, de Corona militis cap. 3. & Juſtinus Martyr, ſive quiſquis eſt autor Græcus quæſtionum ad Orthodoxos. Publici tamen pœnitentes illis etiam ſolemnibus diebus genibus flexis orabant. De his enim ſancivit Concilium Carthaginenſe quartum can. 28. Porro Nicænus iſte canon 20. citatur cap. quoniam ſunt, de conſecra. diſt. 3.

## *DE DIVINARUM PERSONARUM à Nicæno ſymbolo aſſerta conſubſtantialitate.*

1. Admiratu ſimul & obſervatu dignum eſt quod ſcribit divinus Athanaſius, lib. de Synod. Arimin. & Seleucien. venerandos illos Patres à quibus in Antiochena Synodo Pauli Samoſateni hæreſis profligata eſt, uſum prohibuiſſe vocis ὁμοουσίου filij, ſeu conſubſtantialis atque coëſſentialis reſpectu Patris à quo progignitur, cum tamen ſancta magnaque Synodus Nicæna hanc eamdem vocem tanti æſtimaverit, ut eam voluerit eſſe fidei teſſeram in Eccleſia, quâ impietas Ariana diſcriminatur & ſecernitur à vera & orthodoxa, quam fideles omnes ſequi tenentur, doctrina & traditione. Non tamen diſcrepat mens Synodi Nicænæ ab ea quæ fuit veteris illius Antiochenæ: cum enim ſoleant improborum animi rebus etiam optimis abuti ad ſuam aliorumque perniciem, Pauli Samoſateni ſequaces, qui Chriſtum merum duntaxat hominem prædicabant, in orthodoxos invehebantur hoc argumento, quod gravis infligeretur divinæ ſubſtantiæ injuria, ſi Chriſto nihil niſi humanum habenti, & à divinitate remotiſſimo, increata illa & divina adjudicaretur ſubſtantia. Præterea idem hæreſiarcha diſcrimen omne perſonarum à divinitate removebat, quam unicâ perſonâ conſtare aſſeverabat cum altero hæreſiarcha Sabellio; qui Valeriano imperium regente ſuum ſparſerat virus, ut prodit Epiphanius hære. 65. quo eodem veneno imbutus eſt Samoſatenus, ideoque verbum æternum Patri eſſe ὁμοούσιον, & conſubſtantialem hoc ſenſu prædicabat, quatenus unam eamdemque atq; indiſtinctam perſonam cum Patre aſſerebat: ſed eo ſenſu Eccleſia tunc temporis vocē homouſij proſcripſit, quia veriſſimè docebat Patrem & Filium reipſa,

reipſa diſtinctas eſſe perſonas. Verumtamen quia divinarum Perſonarum, ac ſuppoſitorum diſtinctio nullatenus obſiſtit unitati ſeu identitati naturæ ac eſſentiæ, ut ita dicam, Divinæ, Eccleſia apud Nicæam congregata ad refellendam Arianam hæreſim, delirantem Verbum eſſe longè inferioris à Patre dignitatis, ab eoque in tempore creatum, vocem homoüſij reſtituit & inſtauravit, adverſus Arium divinitatem & æternitatem Verbi evertentem: quò id vocabulum pro teſſera eſſet ac militari ſigno, quo inſurgens hæreſis ab Eccleſiæ caſtris eliminaretur & arceretur. Quapropter Athanaſius voculæ iſtius vim his magnificat verbis lib. de Synodis: ταύτην μόνην τὴν λέξιν ὡς διελέγχουσαν αὐτῶν τὴν αἵρεσιν δεδίασιν· ἣν οἱ πατέρες ὥσπερ ἐπιτείχισμα κατὰ πάσης ἀσεβοῦς ἐπινοίας αὐτῶν ταύτην ἔγραψαν. Solam hanc dictionem ut quæ ipſorum convincit hæreſim adverſarij reformidant: quam quidem Patres pro munimento & arce contra omnia illorum impia commenta ſcriptam objecerunt.

2. Nicæni quidem Patres, etiamſi neque de divinitate, neque de æternitate, neque de conſubſtantialitate ſancti Spiritus ambigerent; de ſolo tamen Filio apertum tulere judicium: ſua nimirũ Decreta reſtringentes ad labefactandam hæreſim ab Ario excitatam, qui nihil de ſancto Spiritu expreſſerat, ſed de ſolo Filio dogmatizabat; ne illa de quibus nulla erat mota quæſtio decernentes, novas excitarent controverſias: præſertim cum tam multi pullularent hominum perverſorũ animi, qui erant Synodum vituperaturi ut novorum diſſidiorum fontem & cauſam. Verumtamen Synodus Alexandrina cui ipſe præſedit Athanaſius anno 362. à Juliano Cæſare in priſtinam ſedem revocatus, Liberio exiſtente Romano Pontifice, difficultates omnes expedivit, definiendo tres eſſe reipſa diſtinctas hypoſtaſes in una eademque divinitate: & inſuper Apollinaris hæreſim profligavit, animam rationalem Chriſto abrogantis, ut vicem ejus Verbi perſona ſuppleret in ſolo humano corpore. De qua Synodo Socrates lib. 3. c. 4. & 5. fidem facit Spiritus ſancti divinitatem fuiſſe ſtabilitam, eumq; in conſubſtantiali fuiſſe Trinitate comprehenſum, Filium quoque hominem integrè aſſumpſiſſe; nec ſolum corpus induiſſe, ſed ſimul animam rationalem, atque ita hæreſim Apollinaris evertiſſe. Prodijt deinde Macedonius apertè negans Spiritus ſancti divinitatẽ eumque in ordinem redigens creaturarum. Contra hunc hæreſiarcham Theodoſius ſenior Synodum coëgit Conſtantinopoli centum quinquaginta Epiſcoporum Pontifice Damaſo. Ariana porro hæreſis in duas diſſecta erat factiones rigidiorum Arianorum, qui Anomœi dici voluerunt, ea de cauſa quia diſſimilem Patri Filium prædicabãt, id enim ſonat vox ἀνόμοιος, horum Princeps erat Eunomius. Altera factio non ita rigida ſed mitior quamvis negaret Filium eſſe ὁμοούσιον Patri, addita tamen huic voci literula ι. fatebatur eumdem eſſe paternæ ſubſtantiæ ſimilem ac ὁμοιούσιον. Horum ſignifer erat Baſilius Ancyranus.

3. Verumtamen magnum opus magnuſque videtur eſſe labor in enodanda divina unitate & ſimplicitate, non dico cum tribus perſonis quæ ut orthodoxa Theologia docet non re ipſa ſed ratione tantùm ab divina eſſentia diſtinguntur; re tamen ipſa nequaquam ab divina eſſentia differunt. Quam rem aptiſſima grani comparatione Græcus ſimul & Catholicus autor dilucidè explicat in orthodoxi cum Anomœo Dialogo, in quo interrogat Anomœus. *Aliud ne eſt una, id eſt ſubſtantia & aliud hypoſtaſis? Reſpondet orthodoxus: Aliud & aliud dixi, non ut res alia & alia: ſed quod aliud ſignificat hypoſtaſim, aliud ſubſtantiam. Quemadmodum granum frumenti dicitur & eſt ſemen, & fructus, non ut res ſit alia. Verum aliud ſignificat ſemen, & aliud fructus, quoniam ſemen futuræ agricolationis eſt ſemen: fructus autem præteritæ agricolationis eſt fructus.* Apud hunc auctorem ſignificatione differre nihil aliud eſt quam λόγῳ ſeu ratione differre. Ratione itaque diſtinguntur proprietates perſonarum à ſubſtantia, ſed nullatenus re diſcriminantur; tametſi diverſa de utroque prædicantur quod ſubinde Maximus eodem in loco demonſtrat. Dialogi iſti Athanaſio communiter aſcribuntur & habentur in editionis operum ipſius tom. 2. Verumtamen à recentioribus Græcis ſub nomine Maximi martyris citantur & circumferuntur. Hanc eamdem doctrinam profert inter Latinos S. Thomas 1. p. q. 27. art. 2.

4. Cæterùm pars quæſtionis altera quæ reſtat enodanda, profundioribus difficultatibus videtur eſſe implexa & involuta, non enim initur comparatio perſonarum ad divinam ſubſtantiam, ſed earumdem perſonarum inter ſe mutuò; quas certum eſt non jam per intellectum, ſed actu & reipſa abinvicem diſtingui: & tamen omnes una ſunt eademque res, quæ eſt ipſa Trinitas. Quînam ergo ſimplex erit Deus qui ex tribus conſtat re invicem diſtinctis? Communis Sanctorum Patrum reſponſio eſt Gregorij Nazianzeni in libello de divinitate ad Evagrium Monachum, Gregorij Nyſſeni in ſuo ad Ablavium libro qui inſcribitur cur non ſint tres Dij, Baſilij lib. 1. contra Eunomium, Cyrilli Alexandrini in Dialog. 7. aſſerentium Perſonarum diſtinctas proprietates quæ numerum ternarium conſtituunt, nequaquam obſiſtere divinæ eſſentiæ (quæ indiviſim in tribus numero diſtinctis perſonis tota exiſtit) unitati ac ſimplicitati: quatenus illa eſſentia ſimpliciſſima tota eſt in Patre, eadémque tota in Filio, totaque ac ſine ullo diſcrimine in Spiritu ſancto. Spectatur itaque numerus ac pluralitas in perſonis ac hypoſtaſibus divinis, ſed eſſentia impartibilis, ut ita dicam, ſeu ſubſtantia diviſionis incapax eadem eſt in tribus atque in ſingulis ſuppoſitis, quæ Trinitatem conſtituunt. Similia prorſus docent & aſtruunt Latini Patres Hilarius, Auguſtinus, Fulgentius. His conſonant divinæ Scripturæ, Ioan. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* Et 1. Ioan. 5. *Et hi tres unum ſunt.* Concilium œcumenicum Lateranenſe Innocent. III. Pontifice c. 2. eamdem fidei veritatem confirmat, *Quòd una quædam res eſt incomprehenſibilis quidem & ineſtimabilis, quæ veraciter eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet earum.* Evertitur autem fundamentum Arianorum conſubſtantialem Patri Filium negantium & oppugnantium, quatenus hallucinabantur non potuiſſe Patrem ſuam Filio communicare ſubſtantiam, niſi vel per diviſionem partis ſuipſius ut fit in corporum generatione; aut per effuſionem totius ſuæ ſubſtantiæ extra ſeipſum: cum tamen fide conſtet Filium & Spiritum ſanctum, nec eſſe alium à Patre Deum, ſed unum eumdemq; cum Patre: neque eſſe extra Patrem, per circuminſeſſionẽ quæ Græcè περιχώρησις dicitur, ſecundum quam ipſe Ieſus ait Ioan. 14. v. 11. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt?*

*verba quæ ego vobis loquor à meipſo non loquor, Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Et in ipſo Evangelij exordio. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Præclarè in hæc verba ſic meditatur Ambroſius, lib.1. de fide Trinitatis cap.5. *His quatuor aut quinque verbis omnes hæreſes excluſit piſcator noſter. Quod enim erat in principio non includitur tempore. Ergo Arius conticeſcat, qui Filium Patri coæternum negat. Quod autem erat apud Deum non commixtione confunditur, ſed manentis Dei apud Patrem ſolidâ perfectione diſtinguitur, ut Sabellius & Photinus obmuteſcant, qui nullam in perſonis divinis diſtinctionem agnoſcebant. Si verò Deus erat Verbum ſempiternæ divinitatis, in Patre & Filio inſeparabilis unitas & conſubſtantialitas eſt, ut erubeſcant Eudoxius & Eunomius.* Atque ita delirabat Arius, aſſeverando non aliâ ratione concipi mente poſſe Filium Patri conſubſtantialem, niſi vel communicando ei partem ſubſtantiæ paternæ, aut fingendo Patrem ſe totum extra ſeipſum effudiſſe. Quæ utraque ſuppoſitio falſa omnino eſt; non enim partem ſubſtantiæ quæ indiviſibilis eſt Pater Filio contulit, neque conferendo ſubſtantiam ſuam à ſe abalienavit, ſed communem inter ſe & Filium in ſinu proprio genitum reddidit, neque quidquam de ſua primitiva divinitate amiſit.

5. Sed & altera ſupereſt non minus intricata, & perplexa quæſtio elucidanda. Ex dogmate namque Arij, peruersè docentis Filium à Patre creatum, non ab æterno, ſed in temporum progreſſu, plerique Sancti Doctores hanc ex mente hæreſiarchæ colligunt abſurditatem, non fuiſſe Patrem ab æterno, ſed tantum ex tempore ſapientem, quo nihil abſurdius aut magis impium dici quidquam poteſt. Cum enim veriſſimè dicat Apoſtolus 1. Cor.2. *Filium Dei ſapientiam & virtutem*, conſectaneum eſſe replicant Sancti Patres, non fuiſſe Deum ab æterno ſapientem, ante ſuppoſitam illam unigeniti creationem: ſed tantùm à momento illo quo excogitat Arius Filium fuiſſe à Patre creatum. Sic enim argumentantur Athanaſius orat.1. contra Arianos. Baſilius lib.4. contra Eunomium. Gregorius Nyſſenus lib.7. adverſus Eunomium. Gregorius Nazianzenus orat. 35. Cyrillus Alexandrinus lib.4. & 14. Theſauri & lib.1. commentariórum in Ioan.cap.3. Ambroſius lib. de Symbolo cap.11. & lib.2. in Hexaëmeron cap.3. Verumtamen Auguſtinus ex hujuſmodi argumentatione non pauca abſurda ſequi docet, quatenus ſupponere videtur Patrem eſſe ſapientem ſapientiâ Filij, non verò Filium ſuam à Patre nanciſci ſapientiam, quemadmodum & alias perfectiones quæ ab eſſentia non diſtinguntur, quam certum eſt à Patre communicari duabus reliquis perſonis; alioquin ordine inverſo non Filius à Patre, ſed Pater à Filio ſapientiam virtutem & divinitatem reciperet. Hæc ſubtiliter & induſtriè admonet Auguſtinus lib.6. & 7. & 15. de Trinit. cap.7. & in lib.1. retractationum cap.26. Verumtamen non eſt caduca cæterorum, quos nominavimus, Patrum adverſus Arium inſtantia, ſi debitam adhibeas diſtinctionem, qualem inſinuat præclarè S. Thomas 1.p.q.37.art.2. ut non in formali ſenſu, ſed in cauſali & illativo, ut ita dicam ſenſu Sancti Patres intelligantur. Quamvis enim Filius, quà Filius eſt, non ſit illa ſapientia quâ Pater eſt ſapiens, neceſſariò tamen cum illa conjungitur ab eaque oritur. Sapientia quippe quæ in Patre eſt non eſt habitus, aut facultas, aut potentia, qualis eſt in rebus creatis; ſed eſt purus ac ſimplex actus. Porro actus omnis ſapiendi, intelligendique verbum, neceſſariò complectitur omnis intellectionis terminum inevitabilem: ſine quo ſapiendi aut intelligendi actus ne quidem animo concipi poteſt. Terminus autem eſt ipſum verbum Græcè denominatum λόγος; ut advertit Cyrillus lib.4. in Ioan.cap.48. ἄλογος γὰρ οὐκ ἔστι ποτὲ νοῦς. Nunquam enim mens erit ſine verbo, quod & in lib.5. theſauri uberiùs explicat. Et Sanctus Thomas, loco paulò ante allegato, res ait communiter denominari non ſolùm à ſuis formis, ſicut album ab albedine, homo ab humanitate: ſed etiam à termino ut cum arbor dicitur florida à floribus quos produxit, quamvis non ſint arboris forma ſed effectus ac terminus. Atque ita optimè contra Arium, patrem non fuiſſe actu ſapientem nec eſſe potuiſſe ſine verbo ac unigenito Filio.

## *DE NVMERO CANONVM Nicænorum Diatriba.*

1. CIRCA Nicænorum Canonum numerum inter multos controvertitur. Concilium Carthaginenſe VI. ſub Romanis Epiſcopis celebratum Zoſimo, Bonifacio & Cæleſtino, magna in hac re ambiguitate fluctuavit. Inſiſtebat Zoſimus apud Concilium ut decerneret de admittendis appellationib. ab Epiſcoporum Africanorum judicijs ad Apoſtolicam ſedem, juxta Nicænorum Canonum præſcriptum. Huic poſtulationi haud ſtatim acquievere Carthaginenſes, miſerúntque ad Atticum Conſtantinopolis, & ad Cyrillum Alexandriæ Epiſcopos; ut ſibi copiam facerent omnium Nicæni Concilij conſtitutionũ. At iſti ad Africanos tranſmiſerunt vulgata illa viginti Nicæna capita, in quibus ne verbum quidem ullum, de appellationibus ad Romanam ſedem. Rufini quoque hiſtoria duos & viginti Canones exhibet, nec tamen conſtitutiones auget, ſed duos Canones duntaxat nihil addendo partitur. Præterea Theodoritus lib.1. hiſt.Eccl. cap.8. in fine, atteſtatur fuiſſe Canones à Nicæna Synodo non plures viginti. Relatione quoque conſtat memorati Concilij Carthaginenſis VI. Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum, qui ipſe inter trecentos decem & octo Nicænos Præſules conſederat, non plures viginti canones ex Nicæa Carthaginem retuliſſe. Dixere namque Carthaginenſes Patres Aurelio, Carthaginenſi Concilio præſidenti: *Exemplaria fidei, & ſtatuta Nicænæ Synodi, quæ ad noſtrum Concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ ſanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Epiſcopum allata ſunt.* Poſt quæ notarius citavit ex Cæciliani Codice confeſſionem fidei Nicææ editam. *Statuta quoque Nicæni Concilij in viginti capitulis ſimiliter recitata ſunt.* Quis autem fidem non habeat tam multis, tam perſpicuis, tam antiquis, tamque inſignis autoritatis teſtimoniis? Gelaſius quoque Cizicenus Nicænos ſolummodo viginti canones commemorat.

2. Ex oppoſito tamen veteres Sancti Patres, haud pauca hujus Concilij decreta referunt, nullatenus hiſce viginti comprehenſa. Conticeſco mutuas ſub nomine Athanaſij & Marci Romæ Pontificis

Pontificis Latinè ſcriptas epiſtolas, in quibus Athanaſius rogat Marcum, ut ad ſe tranſmittat octoginta Nicænos Canones, quales Alexandriam ex magna illa Synodo tranſportarat: ſed Ariani omnia diligenter conquiſita Nicæna exemplaria flammis concremarant; ut nulla in Ægypto, Libya & Pentapoli jam reliqua eſſent. Reſpondet Marcus Athanaſio, ſe canones illos octoginta pridem, ſed ab Nicæna poſtea Synodo in ſeptuaginta redactos, ad ipſum tranſmittere. Hæ verò geminæ epiſtolæ fictitiæ ſunt nulliuſque apud eruditos autoritatis.

3. Julius Romanus Pontifex ad Orientales epiſtolam ſcripſit, quam refert Athanaſius Apol. 2. meminit autem decreti Synodi Nicenæ; de prioris Synodi actis in poſteriore Synodo examinandis: inde probare intendens legitimè ſuſceptam ab Apoſtolica ſede cauſam Athanaſij; poſt Concilij Tyrij judicium in Romano Concilio reviſendum & retractandum; atque ſe juxta veterem conſuetudinem proceſſiſſe. *Cujus* (inquit) *renovata memoria & ſcripto prodita in magna Synodo.* Leo Papa I. epiſt. 24. ad Theodoſium juniorem Auguſtum poſtulat ab eo retractatorium Concilium in cauſa Flaviani ab Epheſino Latrocinio appellantis; hanc roborat petitionem, Decretum prætendens Nicæni Concilij: *Quàm autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſariò expoſtuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur, quæ à totius mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta.* Zoſimus, Innocentius & Cæleſtinus Summi Pontifices petunt ab Africanis Carthagine ſextum Concilium celebrantibus; ut obſervetur ab eiſdem canon Nicænus circa appellationes ad Romanam ſedem interjectas ab Epiſcoporum judicijs; nihil tamen horum habetur in vulgatis illis viginti canonibus.

4. Gelaſius Cyzicenus lib. 2. cap. 30. ſtatutum à Nicænis Patribus editum refert, novem continens capita 1. De Chriſtianorum vita ſanctè & religiosè inſtituenda. 2. Laudabilem eſſe propriarum manuum laborem, & aſpernandos eſſe qui eum aſpernantur. 3. De ordine & hierarchia Eccleſiaſtica, & quanta Clerici ſanctitate præfulgere debeant. 4. Non debere laïcos in ſuggeſtum aſcendere. 5. De gratia quæ per baptiſmum comparatur. 6. De menſa Euchariſtica, in qua Chriſtus adeſt, & verè ac reipſa immolatur incruentè. 7. Reſurrectionem Chriſti pignus eſſe reſurrectionis quam expectamus in perennem vitam. 8. Unicam eſſe Eccleſiam & fidem, extra quam nulla ſalus. 9. De providentia Dei, quæ per gratiam Sanctos diſponit ad æternæ gloriæ conſecutionem: his præmiſſis novem Nicænæ Synodi inſtitutionibus Gelaſius vulgares viginti canones ſingillatim recenſet.

5. Ambroſius præterea, in epiſt. ad Vercellenſem Eccleſiam, hæc ait: *Patres in Concilio Nicano tractatus addiderunt, neque Clericum quemquam eſſe debere qui ſecunda conjugia ſortitus eſt.* Innocentius quoque Papa I. epiſt. 23. ad Synodum Toloſanam, quam reſtituit Jacobus Sirmundus, refert ex regulis Nicænis de ordinationibus: *Ne quiſpiam qui poſt baptiſmum militaverit, ad ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui cauſas poſt baptiſmum acceptum egerint,* &c. Hieronymus etiam, præfat. in librum Judith, fidem facit; librum Judith à Nicæna Synodo fuiſſe inter Canonicas ſcripturas connumeratum. Neminem præterea latet illud Nicæni Concilij decretum, de non celebrando Paſchali feſto niſi die Dominica occurrente primùm poſt decimamquartam menſis Martij lunam: Id enim teſtatum reliquit Concilium Antiochenum can. 1. ipſeque, qui Nicæno interfuit, Conſtantius Auguſtus in ſua epiſtola, quam refert integram in ejus vitæ lib. 3. Euſebius Cæſarienſis, & qui eodem in Concilio quaſi Sydus effulſit Athanaſius, libro de Conciliis Arimin. & Seleuc. denique hoc idem Epiphanius hære. 69. At nihil prædictorum reperitur ſive in Canonibus ſive in actis Synodi Nicænæ.

6. Hic adde in epiſtola Julij Papæ recenſeri Decretum Nicænum iſtud. *Non debere præter ſententiam Romani Epiſcopi Concilia celebrari.* Et iſtud alterum de appellationibus ad Romani Epiſcopi tribunal admittendis. *Iſtud inſuper tertium; ut comprovinciales quidquam ſtatuant adverſus ullum Provinciæ Epiſcopum inconſulto Romano Epiſcopo.* Inſuper Ægypti Epiſcoporum epiſtola ad Felicem Papam II. ſic enunciat. *Scimus in magna Nicæna Synodo trecentorum decem & octo Epiſcoporum, ab omnibus concorditer eſſe roboratum: Non debere abſque Romani Epiſcopi ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari: licet hæc & complura alia neceſſaria Synodi capitula fuerint ab hæreticis, quotidie nos infeſtantibus, exuſta, nobiſque prærepta.* Hujus tamen epiſtolæ fides nutat, eamque Baronius alijque viri pariter eruditi arguunt falſitatis, & ſuppoſititiam dicunt.

7. In collectionibus Conciliorum inſeri ſolet poſt Chalcedonenſem Synodum Attici Epiſcopi relatio, modum ac rationem perhibens conſcribendarum literarum, quæ canonicæ formatæque nominantur, per Græcarum literarum uſum: quarum aliæ numerales, aliæ propriorum nominum initiales ſint, juxta Nicænæ præſcriptum: de quibus tamen nullum legitur inter Nicænos canones aut acta Decretum. Illud verò quod retulimus de Julij Romani Epiſcopi epiſtola circa Nicænum Decretum, de appellationibus ad Apoſtolicam ſedem, confirmatur teſtimonio quoque Thodoriti lib. 2. hiſt. Eccl. c. 4. referentis; Athanaſium Arianorum judiciis calumnioſis oppreſſum recurriſſe ad Pontificis Julij præſidium, ipſoſque Arianos miſſis ad Julium epiſtolis provocationis iſtius apud Iulium cauſam nonnihil proſequutos. Athanaſius verò ſequutus (ut Theodoritus loquitur) Canonem Eccleſiæ τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ. Romam advenit, ipſeque Julius adverſariis diem ad cauſam dicendam dixit, ſed quænam illa Eccleſiæ lex? Non videtur Sardicenſis, ſed Nicæna ſanctio: cum hæc appellatio Sardicenſem Synodum præceſſerit ut liquet ex Theodoriti ſequenti cap. 5.

8. Canones quidem Arabici falſo adſcribuntur à quibuſdam Nicænæ Synodo, & Franciſcus Turrianus primus, deinde Abraham Echellenſis nonnullos eorum adnotant, qui pro ſupplemento videri poſſint nonnullarum ſanctionum, quas graves, & vetuſti quidam auctores Nicænæ Synodo attribuunt. Attamen ſi alicui harum parti pro ſupplemento eſſe, aut videri queant; reſtat adhuc tamen major pars quam nullatenus attingunt Canones illi Arabici. Quinetiam canones Arabici nonnullis ex vicenis illis indubitatis canonibus adverſantur. Exemplo ſit canon Arabicus 36. quo ſubjicitur Epiſcopus Æthiopicus Alexandrino, cui tamen Nicæni Patres juriſdictionem omnem intra Ægypti Libyæ & Pentapolis fines limitant. Qui



ſequitur

ſequitur canon Arabicus 37. electionem Archiepiſcopi Salaminæ quæ Cypri inſulæ Metropolis Antiocheno Patriarchæ adjudicat. Quod tamen jus tempore Nicænæ Synodi nequaquam Antiocheno Epiſcopo competebat, idque probatur eò quòd in Synodo Epheſina œcumenica mota quæſtio fuit inter Antiochenum Epiſcopum & Conſtantienſem Cypri Metropolitam. Contendebat Antiochenus ſibi jus ordinationum in Conſtantienſem competere. At Conſtantienſis & reliqui Cyprij Epiſcopi petitionem Antiocheni aſſeverabant contrariam eſſe conſtitutioni Patrum in Nicæa congregatorum à quibus ſancitum fuit can. 6. *Vt privilegia ſua ſerventur Eccleſijs*. At verò Epheſinum Concilium ex mente Nicæni Concilij petitionem ſubmovit Antiocheni; atque in hæc verba prorupit: *Memor ſit Sancta Synodus Canonis Sanctorum Patrum in Nicæa congregatorum, qui conſervat unicuique Eccleſiæ priſcam dignitatem*. Quod utique nullatenus judicaſſet Synodus Epheſina, ſi tunc canon ille Arabicus 37. inter Nicænos extitiſſet qui diſertè adjudicat Antiocheno illam ordinationem ac electionem Cyprij Metropolitæ.

9. Deinde quæro quonam glutino cohærere cum germanis Nicææ Canonibus queat iſte Arabicus numero 38. in editione Echellenſis qui numeratur 33. in editione Turriani. *Transferatur Patriarchatus Epheſi ad urbem Regiam, ut honor ſit regno & Sacerdotio ſimul, & honoretur Epiſcopus ejus nempe Epheſi, nec parvipendatur propter tranſlationem Patriarchatus ejus, honoreturque nomine Primatis, ſcilicet Catholici. Neque etiam ſubjiciatur Epiſcopus Ierſolymorum alijs Epiſcopis, ſed honoretur & in veneratione habeatur, quia præeſt ſanctæ Civitati eſtque in poteſtate ejus Crux Chriſti & locus illius reſurrectionis. Honoretur quoque Dominus ſedis Seleuciæ*, &c. Novitatem ſapit frequens illa Patriarchatus & Patriarcharum denominatio quæ non niſi poſt Synodum Chalcedonenſem in uſu fuit. Tantum autem abeſt ut ab Nicæna Synodo fuerit decorata Conſtantinopolis Eccleſia dignitate Patriarchali, idque (ſi ſuperis placet) per tranſlationem Patriarchatus Epheſinæ Eccleſiæ, quæ ne per ſomnium quidem illo potita eſt unquam gradu. Quis autem ferat attribui Nicæno Concilio omnem à quocumque Epiſcopo Jeroſolymitanæ Eccleſiæ immunitatem ſubjectionis, cum diſertis verbis germanus Canon Nicænus ſalvum & integrum eſſe jubeat jus Metropolitani (qui Cæſarienſis eſt Epiſcopus) erga Æliæ ſeu Jeroſolymorum Eccleſiam? de Conſtantinopolitano vero Patriarchatu id minimè tentatum eſt, niſi poſt multos à tempore Nicæni Concilij annos, & quando id attentatum fuit neminem latet quanto ſtudio obſtiterit Pontifex Leo, verè magnus, commonſtrans conatum illum Nicænis decretis & ſanctionibus adverſari. Seleucienſis porro Primatis dignitas non emerſit niſi poſt aliquot à Nicæno Concilio ſæcula.

10. In actis Concilij Nicæni, quæ Gelaſius Cyzicenus in lucem emiſit, non omnia comprehenduntur aut eluceſcunt quæ plerique Patres de Nicænis conſtitutionibus perhibent. Dalmatius quidem Cyzicenæ Eccleſiæ Metropolites, quanto potuerat ſtudio acta iſta collegerat, quæ cum aliquando in manus Gelaſij incidiſſent, ab eo lecta explorataque fuerunt; ut ipſemet in operis hujus præliminio refert: ſed poſt aliquod tempus cum jam volumen Dalmatij præſens non haberet, quæcumque potuit memoriter retinere ne prorſus deperirent ſcriptis exaravit. Verùm cum ex ipſius memoria permulta illo codice comprehenſa, quem idem Mare magnum ac vaſtum denominat, excidiſſent, evitare non potuit multarum rerum quarum non ampliùs recordabatur, omiſſionem. Teſtis eſt Athanaſius epiſt. de Synodis Arim. & Seleuc. Acta Nicæni Concilij fuiſſe accuratè deſcripta. Denique ſcribit Iſidorus Mercator in ſuæ collectionis præfatione: *Nobis quidam è conſortio fratrum noſtrorum Orientalium teſtati ſunt ſe vidiſſe Concilium Nicænum, potiorem quatuor Evangeliorum magnitudinem continens, habens in ſe ſeſſiones Epiſcoporum & introductiones, judiciaque querimoniarum, atque definitiones & conſtitutiones, necnon & ſubſcriptiones eorum.*

## DE EPACTIS ET ENNEADECAEteridibus ad rationem diei Paſchalis ineundam Diſſertatio.

1. Vt anni ſpacium converſione Solis, ſic menſis intervallum Lunæ circuitu deſcribitur: ſicut enim Sol unius anni decurſu totum Zodiacum ac duodecim ſigna peragrat, ita Luna menſibus duodecies iteratis univerſum quoque Zodiacum emetitur. Menſis porro Lunaris diebus conſtat viginti novem, horiſque duodecim cum ſuperadditis aliquot minutis. Lunares iſti menſes duodecies iterati annum Lunarem componunt, qui diebus conſtat trecentis quinquaginta quatuor. Sol verò eumdem conficiendo Zodiaci circuitum annum complet ſolarem, qui eſt dierum trecentorum ſexaginta quinque & horarum ferè ſex, demptis aliquot minutis: quorum defectus cum non fuiſſet computatus in Solaris anni decurſu, excreverat tandem à Nicæni Concilij primi tempore, uſque ad annum correcti Calendarij ſub Gregor. XIII. Pontifice, qui exſtitit anno 1582. ad decem dies, quos ipſe Gregorius demi juſſit. Eoq; pacto Solſtitium æſtivum & Solſtitium brumale, quæ jam tunc malè collocabantur in fine Junij & Decembris reduxit ad eorumdem menſium diem 21. Æquinoctiorum autem verni quidem ad diem Martij 21. Autumnalis verò ad diem pariter 21. Septembris. Quia vero ſex horæ quater ductæ diem conſtituunt naturalem, idcirco ſingulis quadrienniis dies exurgit biſſextilis, ſeu intercalaris, qui additur poſt Februarij diem 24. & tunc ille menſis fit dierum 29. cum toto triennio præcedenti dies 28. non exceſſerit. Eoque occurſu, die quidem Februarij 24. dicitur ſexto Calendas Martij, atque die inſequenti qui eſt 25. dicitur bis ſexto Calendas Martij: unde deductum nomen diei & anni biſſextilis. Literaque Dominicalis quæ aſſumpta fuerat menſe Januario mutatur in literam præcedentem.

2. Porrò ut certus aſſignetur annus quo Sol & Luna ſuum ſimul in Zodiaco curſum inchoant, habenda ratio notitiaque eſt tum Epactæ tum Cycli decemnovennalis qui dicitur vulgò numerus aureus. Epacta nihil aliud eſt quam numerus dierum quibus annus Solaris annum Lunarem excedit, eâ ratione quam paulò ante memoravi, undecim dierum, cum ſuperadditis horis & minutis ſupra Lunarem annum. Cyclus porro decemnovennalis

nalis quem Græci Enneadecaeteridem vocant, eſt computatio decem & novem annorum excurrentium ab eo anno quo Sol & Luna ſimul eodemq; die curſum Zodiaci auſpicati ſunt ſub ſigno arietis : ſingulis quippe recurrentibus annorum novemdecim ſpaciis duo hæc ſydera unum eumdemque ſimul annum inchoant,at cæteris intermediis octodecim annis , Luna cum brevior ſit ejus annus Soli præcurrit. Itaque finito illo primo cycli decemnovennalis anno quo duo hæc aſtra ſuum ſimul inchoavere curſum,dies ſuperſunt undecim, quibus Solaris annus Lunarem excedit.

3. Anno inſequenti alij dies undecim ſuperaddendi qui cum totidem præcedentis anni diebus duos & viginti ſimul dies efficiunt.

Tertiò deinde anno dies alios undecim adjungendo conſtituentur dies triginta tres ex quibus deducendo triginta dies quibus conſtat circiter menſis Lunaris, fit additamentum menſis Lunaris intercalaris.

Quartò poſtmodum anno computantur ad undecim dies epactæ Lunaris tres illi, qui ſuperfuere dies ſupra intercalarem ſeu emboliſmalem menſem, & ita exurgunt dies quatuordecim quibus adjungendo dies undecim, anno qui ſequitur quinto, reſultabunt dies vigintiquinque. Sextoq; anno dies pariter undecim addendo fient dies triginta ſex : unde conſtabit alia emboliſmalis ſeu intercalaris Luna,& præterea dies ſex quibus adjunges ſeptimo ſequenti anno alios undecim, fientque ſimul epactæ dies ſeptemdecim.

4. Pari ſerie atque ordine anno octavo epacta erit dierum viginti octo ; annoque nono addendo ad dies viginti octo,alios undecim reſultabit menſis intercalaris & ſuperſtabunt novem epactæ dies: ad iſtos verò novem epactæ dies decimo qui ſequitur anno ſi jungas alios undecim , epacta erit dierum viginti , & his viginti , alios adjungens undecim , reſultabit anno undecimo menſis emboliſmalis & unus inſuper epactæ dies.Atque hac ſerie ſequentes annos proſequendo invenies demum anno decimonono Lunam emboliſmalem dierum vigintinovem. Solus enim Lunaris menſis quo circumſcribitur cyclus decemnovennalis diebus vigintinovem definitur , nec alia ſupereſt dierum epacta. Itaque anno qui ſequitur vigeſimo Sol & Luna ſimul ad idem revertentur punctum, ab eoque novum annum auſpicabuntur.

5. Judæis ſolemne erat celebrare Paſcha Lunæ decimaquarta die menſis Niſan, quo etiam menſe annũ ſuum inchoabant,qui noſtro partim Martio partim Aprili reſpondet.Utebantur verò anno Lunari, qui ut vidimus noſtro Solari non adæquatur. Itaque illi plerumque ſuum Paſcha celebrabant ante vernum æquinoctium , & non rarò bis intra eundem Solarem annum : nulla enim erat penes eos epactarum ſubductio : neque alium norant niſi quatuor annorum cyclum , quo tranſacto Lunarem menſem intercalabant, ſed aliorum qui ſupererant dierum nulla erat apud eos ratio. Hodierni tamen Judæi Lunari quoque utuntur anno, ſimulque cyclo decemnovennali , cujus primus autor apud Græcos Meton Aſtrologus proditur. Antiquiorum autem ſæculorum Athenienſes, & reliqui ferè Græci, annis Lunaribus utebantur : quos tamen ad Solares utcumque accommodabant mediis quibuſdam intercalationibus, & octo annorum cyclis,quos octaëteridas vocabant. Arabes porro & Turcæ Lunarem menſem obſervant, ſed nullo Solarium annorum reſpectu , ideoquē ſine ullo emboliſmo aut intercalatione. Quo fit ut ſinguli eorum menſes progreſſu annorum per omnes anni Solaris tempeſtates excurrant, idemque apud eos menſis nunc in hyberno Solſtitio nunc in æſtivali occurrat : menſiſque ab ipſis vocatus Romadam qui eſt totus Mahumetanorum jejunio dicatus , & id quod immediatè ſequitur triduum dictum Baïram , quo ſuum Paſcha celebrant, nunc hyeme, nunc verè, nunc æſtate , nunc autumno contingat , pro Solarium annorum diverſitate , ut ſcriptis prodiderunt multi qui diu mores & ritus in ipſorum locis obſervaverunt. Epocham verò dinumerationis ſuorum temporum ſumunt Turcæ alijque Mahometani ab Hegira,ſeu fuga Mahometis , quæ incidit in annum Chriſti 622. menſe Julio. Denique teſtis eſt omni exceptione major Ambroſius,epiſt.ad Epiſcopos Æmiliæ, Nicænos Patres uſum enneadecaeterïdis approbaſſe ad explorandum Paſchalis feſti diem. Ejus enim verba hæc ſunt : *Vnde majores noſtri in tractatu Concilij Niceni eum diem ènneadecaëteride, ſi quis diligenter intendat,ſtatuendum putarunt.* Eamdemque poſteà rem Dionyſius exiguus de Nicæna Synodo teſtificatus eſt.

## *CONCILIUM ROMANUM SUB Sylveſtro examinatur ſimulque Conſtantini baptiſmus.*

1. Post Romanum Concilium Melchiade Pontifice in Laterano celebratum , quo novemdecim Epiſcopi ſimul convenerunt in cauſa Cæciliani Carthaginenſis , eiqué adverſantium Donatiſtarum ; duo alia memorantur Romana ſub Sylveſtro , quorum unum dicitur Secundum,& perhibetur Nicænam Synodum præceſſiſſe ; alterum recenſetur numero tertium & perhibetur Nicæna Synodo poſterius. Primum quidem illud ſub Melchiade extra omnem dubij aleam conſtituitur , ejuſque mentio legitur apud Euſebium, Optatum, Auguſtinum, duo verò inſequentia ſub Sylveſtro multas præ ſe ferunt inanitatis & ſuppoſitionis adulterinæ notas, nec altiore quàm Iſidori Mercatoris autoritate nituntur , qui circa Chriſti annum 619. ſuas propalabat merces. Ab hoc enim cæteri deſumpſere, quotquot hujuſcemodi mercimonia expoſuerunt, ſcilicet Hadrianus Papa primus anno 785. edito ad Ingilramnum Mediomatricis Eccleſiæ Præſulem , Luitprandus Ticinenſis , qui Sylveſtri vitam poſt ſæculi noni medium procudit , Nicolaus Papa primus epiſt.8. ad Michaëlem,Concilium Moguntinum anni 888. can.12. & quotquot veſtigiis Mercatoris inſtiterunt collectores canonum , Burcardus Epiſcopus Vormatienſis , Ivo Carnotenſis , Gratianus. At Dionyſius Abbas, qui Romæ Codicem canonum Juſtiniano Imperante concinnavit, Concilia iſta Romana quamvis Græcis permultis aliiſque Orientalibus numeroſiora , quorum Canones accuratè collegit,prorſus conticuit, utpote ſuo tempore ipſaque etiam in civitate Romana in qua ſcribebat planè incognita. Hincmarus Remenſis Canonem III. ubi ſtatuitur, majorem à minori accuſari non poſſe,arguit falſitatis, & evidenter adverſari ſacris veteribus Canonibus ipſique juri commonſtrat,

Digitized by Google

monſtrat, epiſt.7. Labbæus notat ad vigeſimum qui ultimus eſt hujus Concilij canonem,eſſe adulterinum. Marca etiam Pariſienſis Metropolita, Chriſtianus Lupus, & Emmanuel Scheleſtrates, confictum eſſe iſtud Concilium aſſeverant: in eodem fit mentio Diaconorum & Sacerdotum Cardinalium, illi ſæculo & ſuccedentibus longè ſæculis planè inaudita. Baptiſmi quoque Conſtantino Auguſto à Sylveſtro Pontifice collati, & mirificæ curationis à lepra,cui medendæ nefarium ex infantium ſanguine balneum medici præſcripſerant.

2. Quò autem lectori quæ in utramque partem de hoc Baptiſmo veteres Scriptores prodidere, velut in tranſcurſu proponamus, refertur hiſtoria baptiſmi Romæ à Conſtantino ſuſcepti, ejuſque curationis ac emundationis à lepra, in poſteriore Synodo Nicæna, necnon in vetuſtis Sylveſtri Papæ actis, quæ olim approbavit Gelaſius Papa in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum Romano; ut habetur in cap.Romana Eccleſia diſt.15. his alludit Gregorius Turonenſis, narrans Clodovæum Francorum Regem ad ſacrum Lavacrum properaſſe quaſi alterum Conſtantinum, ut mundaretur à lepra. Venantius Fortunatus eadem Sylveſtri acta commemorat in vita Sancti Marcelli. Ex Græcis etiam ſcriptoribus Theophanes, & Simeon Metaphraſtes, in vita S.Sylveſtri, Conſtantinum perhibent ab ipſo baptizatum. Quam in ſententiam magis propendet Baronius contradicentibus ei Cardinalibus Cuſano, Æneâ Sylvio, qui poſtea Pius Papa II. & Perronio.

3. Baptizatum autem Nicomediæ ſub finem vitæ Conſtantinum fuiſſe graviſſima ſuadent teſtimonia: hoc enim diſertè affirmant Euſeb.lib.4. vitæ Conſtantini cap.62. addens collatum fuiſſe baptiſmum ab Euſebio Nicomedienſi.Etiamſi verò ſcriptor iſte ſit Arianus,cum tamen de re omnium quæ ſuo tempore contigerant notiſſima,univerſoq; terrarum orbi comperta teſtimonium publicum conſcribat, ſi jam antea fuiſſet Romæ à Sylveſtro cum inſigni ſolemnitate, tantique miraculi acceſſione baptizatus Imperator,non modo fuiſſet præfractæ impudentiæ ſed projectæ omnino dementiæ contrariam & publicam teſtificationem ſcriptis mandare, apud homines qui ſub Conſtantino vixerant! Sit licet Euſebius ſuſpectus & malæ parti addictus autor: nullatenus tamen ſuſpectum eſſe poteſt in re uſque adeò publica ſuæque ætatis teſtimonium. Eidem ſubſcribit Ambroſius in Orat. ad Theodoſij obitum. Cujus hæc ſunt ipſa verba: *Cui* (Conſtantino) *licet baptiſmi gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hereditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* His tertius teſtis Hieronymus apertè concinit, dicens in Chronico: *Conſtantinus extremo vitæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi baptizatus in Arianum ſchiſma declinat, à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum rapina, & totius orbis eſt ſequuta diſcordia.* Verba porro iſta: *in Arianum ſchiſma declinat*, ſecundum exteriorem ſpeciem dumtaxat & apparentes effectus intelligenda ſunt: conſentit enim Baronius Conſtantinum Euſebio Ariano, aliiſque factionis Euſebianæ fraudulentis & calumnioſis Epiſcopis nimis addictum & credulum, ingentibus cladibus Eccleſiam afflixiſſe.Id teſtantur Conciliabula Tyrium, Jeroſolymitanum, & Conſtantinopolitanum ab eodem indicta; exilioque damnati Athanaſius Alexandrinus,Euſtathius Antiochenus, Paulus Conſtantinopolitanus, aliique Præſules orthodoxæ religionis columina: atque ex oppoſito mandatum recipiendi Arium facem totius incendij intra urbem Alexandrinam, neglecto ſanctæ Nicenæ Synodi decreto, quod Arium etiam poſt ſimulatam palinodiam fictamq; pœnitentiã Alexandriæ acceſſu prohibuerat. Quẽ eundem Conſtantinus, Trevirenſi exilio relegato jam procul à propria Eccleſia magno Athanaſio, voluit Arium hæreſiarcham triumphali pompâ, & ſatellitio imperiali ſtipatum, ab Euſebio Nicomedienſi intra Conſtãtinopolitanam Baſilicam communicaturum deduci, gementibus & collacrymantibus unà cum ſuo ſanctiſſimo Epiſcopo Alexandro univerſo Clero populoque Orthodoxo. Urget etiam pro Conſtantini baptiſmo apud Nicomediam teſtificatio Catholicorum Antiſtitum, qui conſederant regnante Conſtantino in Concilio Ariminenſi, in epiſtola ipſorum ad Conſtantium ſcripta,quam referunt Athanaſius lib.de Synodo Arimin. & Socrates & Sozomenus & Theodoritus, & in fragmentis Hilarius. Prætereà diſertè ſcribunt Socrates lib.1. cap.39. Theodoritus lib.1.cap.12. Sozomenus lib.2. Quibus adſtipulatur qui fuerat Romæ Senator Romanæque urbis Præfectus Caſſiodorus, lib.3. hiſt. tripar. Conſtantinum morti appropinquantem fuiſſe apud Nicomediam ab Euſebio Nicomedienſi,qui gratiâ immodicè apud eum prævaluerat, baptizatum: cum pridem conſtituiſſet ad fluenta Jordanis baptiſmo initiari. Teſtificatur hoc idem Gelaſius Cyzicenus lib.3. qui apud nos intercidit ſed ejus hoc teſtimonium adducit Photius in Bibliotheca. His conformia ſcribit Chronicon Alexandrinum. Sed ut reſumamus epiſtolam Ariminenſium Patrum, ea refert Conſtantinum accepto baptiſmo ex hac vita in æterna præmia commigraſſe.

4. Cæterùm Baronius ſolo unius typographi errore fretus eodem loco pro Conſtantino vult Conſtantem legi, contra quàm habent reliquæ omnes editiones & exemplaria univerſa. Providè namque obſervat & admonet Ioannes Morinus, Oratorij Jeſu Sacerdos undequaque doctiſſimus, in ſua Conſtantiniana hiſtoria, legi in omnibus quæ extitère Athanaſij editionibus Græcis & Latinis, eo loco nomen Conſtantini,non verò Conſtantis reperiri, præterquam in ſola columna Latina ſolius editionis Commelini: in Latina inquam tranſlatione: ſiquidem in columna quæ Græcum refert contextum ejuſdem Commelini editionis expreſsè habetur Κωνςαντῖνος. Cæterùm editiones Pariſienſes cæteræque omnes à Commeliana explicitè habent apud Athanaſium loco præfato nomen Conſtantini,in Græco autem contextu ipſe etiam editor Commelinus quemadmodum cunctæ aliæ editiones exprimunt nomen Κωνςαντῖνος. Sed ipſa inſuper omnia tum,Hilarij tum Socratis, tum Sozomeni, tum Theodoriti, tum Caſſiodori quæ eandem Ariminenſium Patrum epiſtolam referunt nihil habent tam Latinè quã Græcè niſi Conſtantinum. Quænam itaque æquitas ferre queat ut unius typographi oſcitantia, & mendum quod fuerat corrigendum,ſubruat evertatque omnia undecunque conformia inter ſe illibataque exemplaria?

5. Canon Sylveſtrini Concilij primi, numero tertius habenas laxat omnibus Clericis ad univerſa flagitia, non utique quã juſtè religioſéque prohibet

hibet litem criminis coram laïcis judicibus adverſus Clericos intentari : ſed quà abſolute removet omnes ſive accuſatores, qui poſſent Clericū quemlibet ſceleris, etiam apud Eccleſiaſticum judicem convincere. Excluduntur enim quicunque laïci ab accuſatione & teſtimonio in cauſa criminis cujuſcunque Clerici. Sicut & quorumlibet Clericorum adverſus quoſcunque altioris gradus Clericos. Nec id ſufficit ; ſed ut poſſit Præſul convinci judicio, requiruntur 72. teſtimonia non ſuſpecta , non laïcorum, non Clericorum inferiorum ſed Epiſcoporum. Similiter adverſus Sacerdotem teſtimonia non minus 44. Sacerdotum; & ſimiliter Diaconus non habebitur convictus niſi per teſtes 36. eoſque ad minimum Diaconos. Quiſquis vellet ſcelera omnia impunè totâ Eccleſiâ graſſari poſſetne commodiorē ad hunc perniciosum finē excogitare conſtitutionē.

6. Epilogus hujus Concilij affirmat non ſolùm Arium, ſed & Photinum in eo damnatos. Id tamen veritati repugnat, nondum enim Photini hæreſis innotuerat, quæ longè poſt hæc primò à Concilio Sirmienſi damnata eſt. Idem Epilogus commemorat Presbyteros & Diaconos Cardinales. Id tamen nomen, cum illo eminenti dignitatis gradu, nondum obtinuerant regionarij urbis Romæ Sacerdotes & Diaconi, qui reipſa Eccleſiarum quibus alligati erant, quotidiano miniſterio fungebantur: quique Epiſcopos obſervabant ut ſibi ſuperiores. Caput deinde 1. enarrat cōveniſſe in iſtud Concilium 384. Epiſcopos, curâ & impenſis Conſtantini, fuiſſeque celebratum intra thermas Domitianas , quæ poſtea Trajanæ nominatæ ſunt : refert autem Epiſcopos conſediſſe, & à tergo eorum Sacerdotes ſtetiſſe. Quæ tamen res non videtur poſſe Romanæ diſciplinæ ac regulæ accommodari ; de qua Hieronym. fidem facit epiſt. 85. ad Evagrium his verbis: *Cæterum etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent & ſtant Diaconi : licet paulatim increbreſcentibus vitijs inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim.* Concilium præterea Carthaginenſe IV. can. 34. *Statuit ut Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur.*

7. Mirandi etiā cauſa ſubeſt in iſto Cōcilio, quod Romæ initum fuiſſe teſtatur ejus epilogus, cum jam Decretū fuiſſet congregari anno ſeq. Nicææ in Bithynia, ejuſdē Sylveſtri Papæ juſſu 318. Epiſcoporū Concilium adverſus Arianos , nihil tamen in hoc Romano Decretum ſit de Ariano dogmate ; quāvis Conſtantinus interfuerit & ſubſcripſerit. Eſt etiam major admirandi cauſa inter ejus ſubſcriptores Helenam Conſtantini matrem recenſeri. Quod eſt contra Eccleſiæ receptum uſum : non enim alibi reperitur fœminas Conciliis interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe. Denique negotium faceſſit Conſulatus ibidem notatus, his verbis, veterum editionum, & noviſſimæ Labbæanæ, quæ omnium exactiſſima eſt: *Donno Conſtantino Auguſto tertiò, & Priſco Conſule :* Illud ſanè Donno pro Domino barbariē ſapit lōgè poſteriorū ſæculorum. Præterea ſi Conſtantinus Auguſtus eo anno Conſulatū inijt, non potuit is ejus Conſulatus eſſe numero tertius, ſed ſeptimus : Quandoquidem ſex præceſſerāt illius Cōſulatus. Sextus enim Conſtantini Auguſti Cōſulatus faſtis adſcriptus occurrit an. Chriſti 320. quo ſibi collegam filium aſciverat Conſtantinum juniorem Cæſarem. Hunc verò Cæſarem, ſi velis eodem anno fuiſſe Conſulem, quo Romanum iſtud Concilium perhibetur celebratum, malè vocatur Auguſtus in fine Concilij, cum Cæſar dicendus fuiſſet. Si autem pro collega Priſco velis Criſpum Cæſarem ingerere, iſtud tibi regeretur, non modo hunc debuiſſe Cæſarem appellari , ſed etiam primum ordine poni; utpote natu majorē & Cæſaris dignitate multis annis anteriorē juniore Conſtantino fratre, ex ſecundis nuptiis progenito.

8. De ſecundo ſub Sylveſtro Romano Concilio ad approbandū Apoſtolicæ ſedis autoritate Nicænū Concilium, nequaquam ambigendum eſt jus ac poteſtatem eſſe Apoſtolicæ ſedis roborandi quæcunq; Concilia, etiam plenaria & generalia. Sed interciderunt hujuſce approbationis acta, eorumque loco Iſidoriana collectio duo Romana ſub Sylveſtro Cōmentitia Concilia, mutuaſque Nicænorum Patrum & Sylveſtri Pontificis epiſtolas ſuppoſuit, utraſque mendis ſcatentes ; eamq; præſertim, quæ Sylveſtro aſcribitur, mendoſiſſimā, ut ſcribit Baronius; addens ob Conſulatus perperam poſitos commentitiam reputari. Haſce ex officina Mercatoris Hiſpani merces ignoras olim fuiſſe Romanæ Eccleſiæ vel inde conſtat , quia nec duo illa Romana ſub Sylveſtro Concilia, nec illorum Canones, qui ſi cōficti non eſſent, vel præcipuum inter Romanos locum habere debuerant , ullatenus reperiuntur in Canonum Romanæ Eccleſiæ Codicibus venerandæ antiquitatis, ſive Juſtelli , ſive Queſnelli : neque in collectione Dionyſij Abbatis ; qui cum eſſet Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ibiq; ſuum opus conſcriberet, haſce præcipui momenti partes, ſi legitimæ fuiſſent, non prætermiſiſſet. Reipſa tamen fuiſſe ab Eccleſia Romana confirmatam Synodum Nicænam, requirētibus ipſis Patribus Nicænis, firmiora iſtis commentitiis ſcripturis teſtimonia confirmant & aſtruunt. In primis præfatio , quam ipſa olim Romana Eccleſia in ſuo Codice Nicænis Canonibus præmiſit , his verbis : *Beatiſſimo Sylveſtro in urbe Roma Apoſtolicæ ſedis Antiſtite, Conſtātino Auguſto & Licinio Cæſare, Conſulatu Paulini & Iuliani virorū clariſſimorum: anno ab Alexando 1036. menſe Iunio, 13. Calend. Iulij: propter inſurgentes hæreſes fides Catholica expoſita eſt apud Nicæam Bithiniæ: quam ſancta & reverentiſſima Romana complectitur & veneratur Eccleſia : quippe quam trecenti decem & octo Patres , mediantibus Victore atque Vincentio religioſiſſimis Romanæ ſedis Presbyteris, inſpirante Deo, pro deſtruendo Arij veneno protulerunt. Nā & nonnullæ regulæ ſubnexæ ſunt, quæ memorata ſuſcipiens confirmavit Eccleſia. Sciendum eſt ſanè omnibus Catholicis, quoniā S. Eccleſia Romana nullis Synodicis decretis prælata eſt; ſed Evāgelicâ voce Dñi Ieſu Chriſti Salvatoris noſtri primatum obtinuit, ubi dixit B. Apoſtolo Petro : Tu es Petrus & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meam*, &c. Felix etiam Papa III. epiſt. 4. hæc atteſtatur : *Domino ad B. Petrum Apoſt. dicente : Tu es Petrus, &c. eam vocem ſequentes trecenti decem & octo Patres apud Nicæam congregati, confirmationē rerum atque autoritatē Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Ipſa quoq; Eccleſiæ vetuſtiſſima & Apoſtolica traditio ſatis ſuperq; indicat, ſacroſ. Nicenæ Synodi decreta firmitatem & robur ab Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ accepiſſe, de qua Socrates lib. 2. cap. 13. ſic prodit. *Canon Eccleſiaſticus vetat ne decreta abſque ſententia Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi ſanciantur.*

## GESTA AB ARIANIS SVPERSTITE *magno Conſtantino, & de Cæſarienſi, Tyrio, & Ieroſolymitano Conciliabulis.*

1. FIdei Symbolum in Nicæna Synodo procuſum inviti Ariani Epiſcopi ſpecie tenus ac diſſimulanter ſuſcepere, formidine adducti amiſſionis ſuarum Eccleſiarum , & omnium fortunarum, & exilij. Pauci ex eis per aliquod tempus ſubſcribere

Q

Digitized by Google

bere renuerunt,ideóque ſedibus ſuis brevi tempore depulſi,aliis in eorumvices ſubrogatis,ut Euſebius Nicomedienſis,& Theogonius ſive Theognis Nicænus: ſed mox ad Conſtantini Clementiã recurrentes, ejus intervẽtu priſtinas recuperavere ſedes, poſtquã ficto animo ſubſcripſerũt. Duoq; dumtaxat Ariani Epiſcopi Theonas Marmaricæ & Secundus Ptolemaidis nunquam ad ſubſcriptionem illam aut animi fictionem conſenſerunt,priſtiniſq; ſedibus & fidelium cõmunione irreparabiliter exciderunt, ut prodit Synodica Nicænorum Patrum ad univerſas Eccleſias epiſtola.Quintò poſt ſacroſanctam Synodum menſe ad cœleſtem tranſlatus eſt vitã Alexandriæ Antiſtes Alexander,qui primus adverſus Arianos claſſicum inſonuerat, vexillumque erexerat. Ejuſq; in locum ſubſtitutus eſt non quidẽ Theonas, ut deceptus ſcribit Epiphanius, ſed Athanaſius; obſiſtentibus licet atque frementibus Arianis, qui Theonã fortaſſis experiverant,ut hac ratione ſedem ex qua fuerat extruſus cumulatiùs compenſarent.

2. Conſtantini quidem edicto cautum erat ut decretis Nicænis ab omnibus obtemperaretur,propoſitis in refractarios exilij pœnis bonorúmque amiſſionis: utque Arij ſcripta non ſolùm hæretica; ſed etiam liber ille obſcœnus,quẽ Thaliæ titulo inſcripſerat, ignibus traderentur;ut inſuper Porphyriani vocarentur omnes hæreſis Arianæ ſequaces, odioſo Sophiſtæ nomine, qui nefariis libris Chriſtianam religionem proſciderat. Dum vixit Conſtantinus, Ariani Nicænã fidem aperto Marte nequaquam oppugnare auſi,multò plus Eccleſiã divexarunt,quàm ſi eamdẽ aperto bello fuiſſent adorti. Sic enim ſuos Epiſcopatus,ſuoſque gradus & ordines retinuerunt ut commiſſos ſibi populos ſeducerent. Eaque calliditate in dominicum ovile majore licentiã graſſati ſunt,gregales ſuos peſtilenteſque Doctores promoverunt,fideles autẽ per calumnias cæteraſque malas artes ſubmoverunt;cõventus Synodales ad fidei oppugnationem frequentes habuerunt:atque in Conſtantini gratiam, & aulicam poteſtatẽ adeò intimè ſe inſinuavere,ut Orthodoxi Epiſcopi non tantùm inde procul ſubmoti, ſed etiam innumeris fuerint curialium vexationibus obnoxij; ipſeque deluſus Imperator calumniis ab Arianis excogitatis fidem habuerit, impiaque Pſeudoſynodorum decreta ab Euſebianis procuſa imperiali ſuã autoritate firmaverit. Officiales verò Euſebianis addictos & Orthodoxis infenſos Epiſcoporum Synodis in quibus Ariani prævalebant præfecerit. Ita factum eſt, ingruente ab Arianis perſecutione, & ipſis addictiſſimi Principis cœco ſtudio & violentiã, ut hæreſis latiùs in dies manaverit & quaſi contagione innumerorum hominum mentes brevi pervaſerit.

3. At verò in Athanaſiũ præcipuum & acerrimũ Nicænæ pietatis defenſorẽ atrociùs Arianorum furor exarſit. Fax Arianorum præcipua erat Nicomedienſis Euſebius,qui ut Athanaſium deturbaret,illũ cum Conſtantino cujus gratiã & facilitate abutebatur committere, atque in contentionem trahere ſategit.Hoc igitur animo perſuaſit Ario, ut pœnitentiam ac reſipiſcentiam à priſtina hæreſi coram Principe ſubdolè ſimularet,& quaſi palinodiam diceret,demumq; præſidium ejus ſupplex imploraret. Ratus Conſtantinus præclaram affulgere componendorum omnium diſſidiorum,ſtabiliſq; ineundæ pacis occaſionem, ſolúmque Athanaſium cum ſua factione per dãnabile pertinaxque odium his optatiſsimis ſucceſsibus obſiſtere,literas comminatorias ad Athanaſium miſit,niſi Arium in ſuam reciperet Eccleſiam. At ille intelligens quã exitioſa peſtis futurus eſſet Arius apud ſuos,& quãtam ſtragẽ lupus ille inſidiator, ovinã pelle indutus eſſet editurus ſi eum contingeret admitti, tantam ſimul prudentiã & conſtantiam adhibuit, ut Imperator ab eo propoſito deſtiterit. Videndus ipſe Athanaſius in ſua Apolog.2. & Rufinus & Theodoritus & Sozomenus qui ea pariter referunt quæ proximè ſequuntur.

4. Euſebius Nicomedienſis omnis doli & ſcelerum fabricator,adverſus Athanaſium novas inceſſanter accuſationes apud Conſtantinũ ſtruit:inter quas inſignes fuerẽ,de occiſo per eum Arſenio Epiſcopo,atque ad flagitij cumulum de amputata ejus manu ad uſum nefandæ ac dæmoniacæ artis Magicæ. Altera de fracto per auſum ſacrilegum calice, de ſacro altari everſo,aliiſque impietatibus ab eo patratis in odium Iſchyræ Sacerdotis, quo tempore divinum ſacrificium offerebat. Sed utraque accuſatio hic proſequenda.

5. Arſenius ipſo Athanaſio teſte Apol.2.Epiſcopus erat Hypſeles in prima Thebaïde,iſque de Meletij ſchiſmate. Hic pretio corruptus fuerat, ut dũ intentaretur in Athanaſium homicidij in perſona Arſenij perpetrati, & diabolicarum præſtigiarum crimen,ipſe ad fovendam intentatam querelam in loco ſibi aſſignato deliteſceret.Hinc factum ut Arſenio nullibi locorum comparente, Euſebiani duplicis hujus criminis ementiti Athanaſium coram Imperatore poſtulaverint: eidemque amputatam, ſaleque conditam hominis manum, quam Arſenij eſſe dicebant, oſtentaverint, depoſcentes à Conſtantino,tam immane ſcelus obſtupeſcente, condignum pro rei atrocitate ſupplicium. His reſcitis Athanaſ.clam miſit inveſtigatum per loca diverſa, ſi fortè reperiri poſſet Arſenius, aut aliqua de ipſo fama percipi.Miſſus ad hanc perquiſitionẽ Diaconus locum addiſcit latebrarum Arſenij:cujus cuſtodes cõperto Diaconi adventu Arſenium navigio celeriter impoſitũ,per amnem Nilum in partes alias devehi curant.Tum huius cuſtodiæ præfectus Primus ſcriptis quamcitiſsimè literis Ioannem admonet iſtius conſcium calumniæ,promotoremq;ut ab iſta deſiſtat accuſatione. Jam enim viventis Arſenij latebras innotuiſſe per cõfeſſionem à Diacono exceptam quatuor ejus loci,quos nominat,Monachorum:ſeque Primum unà cum Elia fuiſſe ad Auguſtale præfectum operã Diaconi perductum corã quo rei evidentiã coacti dolum omnem & calumniam adverſus Athanaſiũ conflatam juridicè confeſſi ſint. Paphnutius quoque Monachus his Primi literis ſubſcripſit,remque ita eſſe confirmavit. Nec longè pòſt Tyri deprehenſus ab aliis Arſenius fuit, quorum etiam fuit apud acta publica teſtificatio excepta. Ipſe quidem Arſenius cum Primo ejus cuſtode deprehenſus,præfractè ſe eum eſſe negavit,ſed mox adductus in conſpectum Pauli Epiſcopi Tyri qui ipſum de facie jampridem noverat, ſe Arſenium eſſe confeſſus eſt,omnemque impoſturarum molitionem aperuit.Neque id ſatis,ſed ipſemet Arſenius & Joannes calumniarum adverſus Athanaſium ſtructarum conſcius,ſcriptis ad Athanaſiũ literis ejurato per eas Meletiano ſchiſmate flagitioſaque factione,veniam ab eo poſtularunt,& ſub ipſo inviolabilem deinceps communionem. Quæ omnia ſingillatim refert Athanaſius Apolog.2. & epiſtola Synodica Concilij Alexandrini: Sed non multò pòſt iteratã perfidiã Joannes ille à promiſſis deſcivit, ſeque denuo Meletianis & Euſebianis omnis flagitij miniſtrum adjunxit. Arſenium verò probabile eſt in officio perſtitiſſe, cum

Digitized by Google

eum ejus legatur ad Concilium Sardicenſe ſubſcriptio. Quis non judicaſſet his probationibus tam multiplicibus tam perſpicuis omnique exceptione majoribus, iſtoque tam inopinato rerum ſucceſſu indelebilem confuſionem æternumque ſilentium adverſariis Athanaſij indictum iri? eiſque Conſtantinum tamquã notoriis & nequiſſimis impoſtoribus fidem omnem deinceps abrogaturum? Illi tamen veriti non ſunt eaſdem veteratorias accuſationes identidem renovare, aliaſque novas fabricare ut virum ſanctiſſimum & innocentiſſimum ultimo exitio diſperderent.

6. Altera de Iſchyra in Athanaſium ab Euſebianis machinata eſt impoſtura. Erat Iſchyras vir laicus, vici cujuſdam exilis in Mareotide incola, quæ regio eſt Ægypti, ſic denominata à Mareotide lacu quo alluitur. Vir iſte affectavit tametſi merus laicus Sacerdotio conſecrari à Collutho flagitioſo & ambitioſo Sacerdote, qui ſe fingens Epiſcopum auſus fuerat ordinationes inanes & imaginarias conficere, inſciis aut etiã invitis propriis eorum quibus ſacrilegas manus imponebat Epiſcopis. Verumtamen in Concilio Alexand. an. 324. quod fuerat ab Oſio convocatum, Colluthus declaratus fuit nihil aliud eſſe quàm Sacerdos; & irritæ dictæ ſunt quaſcunq; attentaverat ordinationes: ipſeque Iſchyras ibidem nominatim in vulgus laïcorũ redactus fuit: quippe qui non aliunde initiatus fuerat quam à Collutho tantũ Presbytero. Sed pervicax Iſchyras nihilo ſecius in obſcuro viculo ſuo ſe pro Sacerdote gerebat. Qua de re admonitus eſt Athanaſius à vicini oppidi Presbytero, cujus curæ viculus ille ſubjiciebatur, in quo Iſchyras ſe pro Sacerdote gerebat. Eum ergo qui admonuerat Sacerdotem unà cum Macario Alexandrinæ Eccleſiæ Presbytero miſit citatum Iſchyram, ut ſe coram ſiſteret de accuſatione falſi uſurpati Sacerdotij, reſponſurus. Miſſi ambo Sacerdotes Iſchyrã per ægritudinẽ decũbentem comperiunt: nec aliud prorſus agunt quã quòd verbis ſignificant Iſchyræ parentibus, ut ipſum ex parte Athanaſij admoneãt, ne poſthac Sacerdotalibus officiis ſe ingerat. Qui porro Iſchyræ illic communicabant vix hominum ſeptem numerum eorumque agreſtium & ruſticanorum complebant: nec verò eidem Iſchyræ proprij parentes poſt Concilij ab Oſio celebrati decretum ullatenus adhæſerant. Nulla verò Eccleſia nullumque ſacellum in eo pago ſtructum erat; ſed Iſchyras inane & ſacrilegum exercebat miniſteriũ in profano, privatoque conclavi, ad infantem & orphanum quemdam pertinente, cujus nomen erat Iſion. Convaleſcens demum Iſchyras, atque à propriis parentibus, qui Athanaſio communicabant, monitus ut à miniſterio deſiſteret: ille incorrigibilis perſiſtens, id unũ providit ut ſe hoſtibus Athanaſij adjungeret, quò, illorum fretus poteſtate, ſe illius legitimæ poteſtati ſibiq; debitis pœnis præriperet. Igitur ſe Meletianis adjunxit ſchiſmaticis, quorum interventu Euſebianorum ſibi patrociniũ aſſeruit. Horum ſuaſione litem accuſationis in Athanaſium intendit, quam Nicomedienſis apud Conſtantinum proſecutus, inſtaurari poſtmodũ curavit in Tyria Pſeudoſynodo, ſacri calicis ab Athanaſio effracti, everſique altaris atque in humum projecti divini Sacramenti, ſacri voluminis diſcerpti, deſtructæ uſque ad fundamẽtum Eccleſiæ. Hæc enim omnia mentiebantur: fuiſſe in pago illo Eccleſiam, in ea ſacrificaſſe Presbyterum Iſchyram. Quo verò tempore ipſum ægritudo in lecto detinebat adventaſſe Athanaſium, qui tamen procul inde tunc aberat, ingentique ſcandalo illa omnia ſacrilegia perpetraſſe, per ſummam nequitiam ab ipſis qui judices futuri erant conficta, ut Athanaſium innocentem opprimerent.

7. Ad iſta itaque, aliaque calumnioſa crimina dijudicanda, hortante Nicomedienſi Conſtantinus conventũ Epiſcoporũ Cæſaræ Palæſtinæ indicit; eorum ſcilicet quos Nicomedienſis deſignaverat; quibus præſidem cõſtituit alterum Euſebium Cæſaræenſẽ Epiſcopum. Miſſus fuit quem Euſebiani optarunt Dionyſ. Comes, militari manu ſuccinctus ad compeſcendas ſimultates & ſilentium ubi opus eſſet indicẽdum. Citatur ad cauſam dicendã Athanaſius, qui primum odientium ſe judicium declinavit, nec tantùm ut ſuſpectorum, ſed etiam ut incõpetentium. Nec enim illorum ſuberat juriſdictioni, utpote altioris præ illis omnibus ſedis Eccleſiæq; Pontifex. Quam rem contumaciæ ſuperbiæque attribuentes adverſarij, Conſtantinũ in eum graviùs exaſperant, à quo literæ increpatoriæ in ipſum ſcriptæ mandant ne Synodi cognitionem declinet: quã Cæſareã Tyrum eodem tempore transferri jubet. Poſtquam Euſebiani relictã Cæſaræã Tyrum commigravere, eòdem adventavit Athanaſius ſecum adducens quadraginta ſeptem Ægyptiæ Diœceſis Epiſcopos, quos inter eminebat Potamon & Paphnutius, confeſſionis gloriã illuſtres. Euſebiani verò Antiſtites ſexaginta cõvenerant ut Scribit Socrat. lib. 1. c. 20. quibus omnibus Euſebius Cæſarienſis præſidebat. Jubent Euſebiani Athanaſiũ ſtare reum ad Synodi interrogata reſponſurum. Tum verò Potamon Heracleæ in Ægypto Epiſcopus, ut refert Epiphan. hære. 68. converſus ad Cæſaræenſem, hæc illi lacrymans exprobravit. Tu Euſebi ſedens ſtare in conſpectu tuo Athanaſium jubes? quis tantam non perhorreſcat indignitatem? Anne meminiſti furente gentilium perſecutione te mecum in carcerem fuiſſe detruſum? Illic orbatus oculo fui, ut in hac facie vides, quia malui quidvis perpeti quã fidem Chriſto promiſſam prodere: tu verò dimiſſus es integer & illæſus, quia gentilis Magiſtratus acquieſcens voluntati libertatem tuam, & indemnitatem proditione redemiſti Chriſtianæ religionis.

8. Proteſtatus primum Athanaſius de judicum incompetentia fuit, ſed ipſius à Synodo declinatione rejectã producti ſunt accuſatores ex Meletiana factione, manum exhibentes, quam mentiebantur occiſo per Athanaſium Arſenio exciſam, & ad Magicas præſtigias reſervatam. Præcipuus accuſator erat idem ipſe Ioannes, qui veniam à ſe fabricatæ nequitiæ calumniæque ab ipſo Athanaſio petierat & obtinuerat. Sed cum Euſebiani poſt ſceleris à ſe deſignati confeſſionem, ſuas denuò in partes pellexerant. Ipſe verò Arſenius Deo ſic providente ad Athanaſium nocte præcedente clam diverterat: eumque diſpoſuit Athanaſius ut à longè ſequens & quantum fieri poſſet demiſſo opertoq; vultu ſe ad fores loci in quo Synodus habebatur properaret. Interrogatus itaque de hoc ſcelere Athanaſius, rogavit hominem ſuæ juſtificationi pernecеſſarium ad fores aſtantem introduci. Introducitur Arſenius ambobus brachiis ſub pallio quo erat amictus occultatis, ſtetitque à tergo Athanaſij: qui rogavit Epiſcopos num quis eorum Arſenium probe noverit? Reſpondentibus ſe noviſſe, palam producit qui latuerat Arſenium. Amotã igitur utràque ex lateribus pallij laciniã, en inquit dexteram Arſenij manum, en pariter ejus ſiniſtram. Aut igitur

hunc inſiſtite tres habuiſſe manus, aut rationē ab illis exigite,qui exciſam alterius hominis procul-dubio ab eis interempti manum in hoc judicium produxerunt, undenam illam habuerint, nec tantum crimen indiſcuſſum relinquatur. Introducta eſt etiam fœmina procaciſſimæ impudentiæ, ut Athanaſium ſtupri ſibi ab eodem per vim illati poſtularet. Interrogatur Athanaſius quid habeat reſponſi ad illam mulieris criminationem? Ille conſultò tantiſper ſilet,ſed non Timotheus Athanaſij Presbyter qui ultrò ſe proripiens. Egone (inquit) ô mulier tuas ſum ingreſſus ædes? egone tibi vim intuli? Cui illa intento in eum brachio: Tu ipſe es ſceleſtiſſime, qui per charitatem hoſpitio in meas ædes exceptus, virginitatem quam Deo ſacraveram abſtuliſti. Et invitam omnibuſque viribus reſiſtentem violaſti. Præcipit Concilium fœminam dimitti, obſtante Athanaſio nequaquam dimittendam ſed inquirendum in præſentem, & cognoſcendum quiſnam has fraudes & crimina confinxerit. Horum fidem facit Theodoritus lib.1.cap.30.

9. Athanaſius ex illo malignantium conventu auxiliante Dionyſio Comite digreſſus, ad Imperatorem qui tunc Conſtantinopoli verſabatur confugit, vixque in ejus colloquium admiſſus, fraudes adverſantium ſibi, & quidquid in illo conventu geſtum erat enunciat:ejuſque opem ac præſidium adverſus calumniantes reipſa convictos implorat. Qui verò Tyri conſederant Euſebiani ex ſuo cœtu Epiſcopos in Mareotidem delegant Theognim, Theodorum, Marim, Macedonium, Urſacium, & Valentem de fracto calice inquiſituros. Hi rejectis quaſi ſuſpectis probis omnibus qui rem ipſam viderant, & pro veritate teſtimonium dicere parati erant, ſolos à ſe corruptos, & pollicitationibus aut minis aut pretio emendicatos & ſubornatos in teſtimonium admiſere.Cumque Tyrum remeaſſent,Conciliabulum iſtud Athanaſium ut flagitiorum convictum, tam per fugam ſuique ſubtractionem à judicio, quàm per juridicam inquiſitionem,teſteſque juratos, damnat,ſuoque depellit Epiſcopatu; prohibet quoque Alexandriæ acceſſu;ne per illum ſeditiones & tumultus ea in urbe concitentur. Literas etiam rerum à ſe geſtarum plenas falſitatum ad Conſtantinum præſcribunt, & ad diverſas Eccleſias quibus omnem prohibent cum Athanaſio communionem.

10. Peractâ Tyri peſtilente Synodo Euſebiani mandato Conſtantini Jeroſolymâ conveniunt ad Baſilicæ dedicationē quam magnificis ſūptibus extruxerat.Dumq; illi Jeroſolymæ conſiſtunt in qua civitate,damnato ad crucem Jeſu-Chriſto,Barrabbas fuerat abſolutus,poſt damnatum à ſe Athanaſium ijdem Pſeudoepiſcopi Arium, novam confeſſionem in qua omnis ſupprimebatur conſubſtantialis Filij mentio profitentem,publicâ gratulatione amplectuntur, & in communionem recipiunt eundemque Synodalibus literis Imperatori commēdant obnixe rogantes ut illum ſinat Alexandriā regredi. Sub his Athanaſius,innumeris ſuperatis per aulicos obſtaculis qui ipſum Principis acceſſu arcebant,Imperatorem quamvis invitum cōvenit, eique adverſariorum perſpicuam nequitiam manifeſtaſque fraudes propalavit. His compertis Conſtantinus Antiſtites qui Tyri conſederant indidemque Jeroſolymam conceſſerant, Conſtantinopolim ad ſe accerſivit, judicij contra Athanaſium ſui rationem reddituros. Cæteris Epiſcopis ob ſceleris conſcientiam detrectantibus moraſque nectentibus, ſex tantummodò regiam in urbem adventarunt,ſuæ in aula poteſtati ſuarumque fraudum confiſi præſtigiis: uterque ſcilicet Euſebius Nicomedienſis & Cæſarienſis, Theognis, Patrophilus, Urſacius, & Valens, qui judicij Synodalis ut examen declinarent, veteribus omiſſis calumniis, novas alias in Athanaſium commenti ſunt, per quas denuò Conſtantinum in Athanaſium concitarunt, hunc comminatum fuiſſe aſſeverantes prohibiturum ſe annonæ ex Ægypto tranſvectionem ad regiam civitatem, atque teſtes partim à ſeipſis partim à Dionyſio corruptos producere quinque Ægyptios Epiſcopos, ex illorum numero qui Athanaſium comitati in Tyri Pſeudoſynodo defenderant. Conſtantinus hac de re Athanaſio graviter ſuccenſens, Treviris illum exulare jubet. Non tamen permiſit Euſebianis quod enixè poſtulabant, alium ejus loco ſufficere Antiſtitem. Hoc tamen obtinuere ut Alexandriam unde Athanaſius ejiciebatur regrederetur execrabilis Arius. Verùm ſtatim atque in illa civitate verſari cœpit hæreſiarcha,omnia tumultu & violentiis replevit, ideoque Alexandriâ eum Conſtantinus revocavit.

11. Treviros profectus Athanaſius à Maximino civitatis illius Epiſcopo atque ab ejus plebe & Clero, tanquam Dei Angelus,atque uti verè erat invictiſſimus fidei confeſſor & aſſertor, exceptus eſt. Interim Euſebiani tantoperè apud Conſtantinum prevaluerunt ut ipſe Arium reſipiſcentiam ſimulantem benigniſſimis literis ad ſe acciverit, in ipſa regia civitate fidelium communione potiturum, & mox accedentem hereſiarcham ſingulari gratiâ lætitiáque complexus ſit. Tunc Alexander digniſſimus Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ, poſtquam fruſtra Imperatorem admonuit rogavit & obteſtatus eſt, jejuniis lacrymis & orationibus intentus, noctem integram Deo ſupplicans in Eccleſia excubavit. Poſtridie Arius cum ampliſſimo nobilium aulicorum & Imperialium ſatellitum comitatu, agmen ducente Nicomedienſi Euſebio ad templum ſpecie triumphi progreditur. Sed medio in itinere urgente alvi neceſſitate cogitur de via in publicum ſeceſſum divertere, in quo divinâ exceptus ultione medius inſtar proditoris Judæ crepuit, diruptiſque viſcerum compagibus fœdiſſimam animam cum inteſtinis effudit. Ipſeque Conſtantinus divinam in nefarium hominem vindictam agnoſcens, revocare Athanaſium Treviris exulantem animo propoſuit,nec tamen re præſtitit, accedente ſubinde morbo: & ad calida balnea remedij cauſa profectus, morte occubuit in Nicomediæ ſuburbano,anno Imperij ſecundum Euſebij ſupputationem trigeſimo primo, ſuæ verò ætatis circiter ſexageſimo tertio qui erat Chriſti trecenteſimus trigeſimus ſeptimus.

## *GESTA AB ARIANIS POST OBItum Conſtantini.*

1. Conſtantino ex vivis ablato,qui prior natus ſuperſtes erat Conſtantinus junior dictus, Nicænæ fidei cultor ex Galliis in quibus regnabat Athanaſium cum honorificis literis Alexandriam remiſit; non auſo Conſtantio qui erat natu

natu ſecundus, cui parebat Ægyptus, quamquam iſte Arianam apertè profitebatur impietatem, obſiſtere metu fraterni belli, infeſtantibus etiam ditionis ſuæ fines Perſarum armis. Quicunque etiam alij Orthodoxi Epiſcopi à Tyri Conciliabulo propriis abdicati fuerant Eccleſijs reſtituti ſunt communi Catholicorum Principum operâ, Conſtantini junioris & Conſtantis, qui erat trium fratrum natu minimus: Eaque occaſione Ariani ſeditiones & tumultus paſſim in ditionibus Conſtantij excitarunt, priſtinas calumnias toties refutatas renovarunt, novaſque commenti ſunt de homicidiis in Athanaſij reditu ab ejus gregalibus perpetratis, de frumento ab eo ſubrepto, quod Conſtantinus pater viduis Ægypti & Lybiæ in earum alimoniam diſtribui conſtituerat, & de infracto Synodi Tyri decreto, quo fuerat Athanaſius Epiſcopatu abdicatus, quem tamen temerario auſu reſumpſerat. Quia verò Ariani odio Athanaſij ad tres fratres Auguſtos, ad Julium quoque Romæ Pontificem, ſimulque ad omnes propemomodum Eccleſias literas mittebant hiſce calumniis refertas, neceſſarium judicarunt intemeratæ fidei Epiſcopi Alexandriæ Synodum convenire, in qua illæ omnes accuſationes juſto examine diſcuterentur. Quod ubi fideliſſimè & accuratiſſimè præſtitum fuit, prolixam quæ ſupereſt Synodicam epiſtolam ad univerſas Eccleſias direxerunt: in qua calumnias in cauſa Iſchyræ & Arſenij, aliaſque ſuperadditas accuſationes invictiſſimis profligant argumentis, earumque infamiam omnem in accuſantium capita refundunt ad ſummam Euſebianorum infamiam. Incidit Alexandrina hæc Synodus in annum Chriſti 339.

2. Euſebiani tamen ut ſe de communione primæ ſedis jactare poſſent, ſimulque metuentes ne ſibi ipſis contraria foret, niſi eam officio ſimul & ſuis ordinariis fraudibus prævenirent, tres ad Julium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum miſerè Legatos, Macarium Presbyterum, Martyrium, & Heſychium Diaconos, quorum potiſſima petitio fuit, ut Tyri decreta damnatio Athanaſij rata haberetur: atque ita prætextu careret Athanaſius non ab aliis quàm ab incompetentibus ſeque inferioribus Epiſcopis fuiſſe damnatum, geminique Imperatores qui Tyrium decretum aſpernabantur, minus adverſarentur, dum judicium expectaretur primæ atque Apoſtolicæ ſedis. Miſit quoque ſuos Athanaſius ad Julium Legatos qui Euſebianos refellerent, ſimulque ſuæ defenſionis epiſtolam, quam eamdem veriſimile eſt fuiſſe quam Synodus Alexandrina cuderat, & quam ipſe idem integram inſeruit in ſuæ ſecundæ apologiæ exordio: qui & idem in eadem ſecunda ſui apologia, refert Julij Papæ ad Euſebianos literas in quibus teſtatur auditis utriuſque partis Legatorum aſſertionibus ſuperiores longè apparuiſſe Athanaſij Legatos, ab illiſque planè convictos Euſebianorum Legatos: ideoque proximi & imminentis quod metuebant judicij declinandi cauſâ, Concilium generale indici poſtulaſſe. His addit Carponam, qui erat Euſebianis addictus, fuiſſe jamdudum hæreſis Arianæ convictum, ſimiliter & Piſtum, à Nicæna Synodo & ab Epiſcopo Alexandro judicatum Arianum, & ordine repulſum, quem ei malè Secundus pariter Arianus contulerat. Legati Euſebianorum prorſus confuſi neque pudorem quo ſuffuſi erant prorſus valentes ſuſtinere, ſtatim atque ipſorum petitioni Julius Concilium generale indulſit, Româ furtim nocte intempeſtâ digreſſi Orientem repetierunt: relictis tamen Romæ per ſummam imprudentiam Tyrij Conciliabuli & Mareoticæ Legationis actis. Quæ quidem inadvertentia viſa eſt Euſebianis intolerabilis, qui optaſſent acta tam deformia tam ſibi ipſis cõtraria, tamq; perſpicuam prodentia injuſtitiam perpetuâ oblivione oblitterari ac deleri. Eorumdem verò actorum exemplar calumnias adverſariorum ſecundum inconteſtabiles juris formas manifeſtè convincens, Julius ad Athanaſium (qui hoc ipſum in ſua Apologia 2. conteſtatur) tranſmiſit.

3. Ariani qui declinandæ condemnationis à Julio futuræ cauſâ, cum ſibi eſſent tot flagitiorum conſcij, deferri cauſam ad generale Concilium ab ipſo Julio indicendum petiverant, citati demum ut huic Concilio ſe ſiſterent, venire tamen detrectarunt: quamvis alij Epiſcopi, qui querelas etiam adverſus Arianos habebant, Romam conveniſſent ex Oriente: ex quibus Athanaſius annum integrum & ſex menſes Romæ præſtolatus eſt adverſariorum adventum. At illi tergiverſantes ſe Perſici belli futili prætextu excuſavere, ſuæ deploratæ cauſæ diffiſi. Judicium quippe Julij & liberi incorruptique Concilij admodum formidabant, in quo (ut loquitur Athanaſ. epiſt. ad Solita. vit. agen.) nec Comes aulæ corruptus, partique deteriori addictus affuturus eſſet, nec ſatellites pro foribus excubarent, neque ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent; quibus rationibus & non aliis Sanctos oppreſſerunt Epiſcopos, qui nec audiebantur, neque impunè loqui permittebantur. hactenus Athanaſius. Sed cum die condicto Euſebiani Romæ intereſſe deberent, Antiochiæ conſederunt; ibique illegitimum inivere Concilium, cui Conſtantius Imperator Arianus interfuit, in quo quidquid ipſis collibitum fuit conſtituerunt; indictaque cauſa Athanaſium cum aliis ſibi inviſis Epiſcopis iterum propriis Eccleſijs deturbarunt, anno Chriſti 341. In locum Athanaſij Euſebius ille jam Conſtantinopolis Epiſcopus, qui paulò antè Nicomedienſem rexerat Eccleſiam primas in Antiochena iſta Synodo tenens, curaverat ſubrogari Euſebium Emiſſenum inter Arianos celebrem. Sed iſto recuſante ob indefeſſum ſtudium quo Alexandrini erga Athanaſium afficiebantur, ſublectus illius loco eſt Gregorius Cappadox, homo truculentior feris, eo conſilio ut armis & omni violentiæ genere in populum Athanaſij ſtudioſiſſimum graſſaretur. Quod ille inſigniter præſtitit. Armatorum quippe copiis ſuccinctus, ea omnia patrari juſſit aut permiſit quæcunque ab inſolentibus victoribus expugnati cives pati poſſunt. Immaniſſimam quæ tunc accidit Eccleſiæ Alexandrinæ cladem graphicè deſcribit Athanaſius in ſua ad Orthodoxos epiſtola. Quo tempore Gregorius Alexandrinam invaſit Eccleſiam, Athanaſius à Julio Romanoque Concilio in communionem receptus ac reſtitutus Alexandriam navigio reverterat: ſed ſubito invaſoris Gregorij turbine involutus; & ad necem conquiſitus, vix hoſtiles manus evaſit: atque in fuga annos ferè ſex exegit. Donec à Sardicenſis Concilij decreto Gregorius Cappadox de gradu ejectus, & Athanaſius in priſtinam provectus eſt ſedem anno Chriſti 347. hoc interea temporum intervallo triennium Romæ commoratus eſt: quò etiam confugêre ut ad commune azylum plerique alij Epiſcopi ſedibus ſuis ab Arianis expulſi. Quod reliquum temporis effluxit Athanaſius



Digitized by Google

naſius Mediolani exegit, à Conſtante orthodoxo Imperatore accitus, qui ea in urbe ſedem ſui fixerat Imperij.

4. Paulum quoque Ariana rabies inſectata eſt, digniſſimum Conſtantinopolis Epiſcopum; Alexandri olim à nobis commemorati ſucceſſorem. Conſtantius inſtigante Nicomedienſi Euſebio moleſtè tulit Regiæ civitatis Eccleſiam ab Epiſcopo Catholicæ profeſſionis gubernari. Poſtquam igitur ab Euſebianis Epiſcopis qui ad ſe convenerant illum Epiſcopatu dimoveri curavit, Nicomedienſem Euſebium Conſtantinopolis Epiſcopum renunciavit anno Chriſti 340. Eodemque Paulum in Pontum deportari juſſit. Poſt biennium autem mortuo tot facinorum autore ac ſuaſore Euſebio, Paulus in priſtinam ſedem regreditur novis ſe perſecutionibus oppignorans, ne probrum apud Deú incurreret vacantis jam Eccleſiæ ſuæ derelictæ. Arianis itaque adverſus illum tumultuantibus, Conſtantius Antiochiâ digreſſus Conſtantinopolim redit, Paulumque aſperiore plectit exilio, ferroque vinctum deportari jubet in Singeram Meſopotamiæ vicum, ut refert Athanaſius epiſt. ad Solitar. Inde eum Emeſam relegari mandat. Denique ut exoſum ſibi religionis causâ hominem crudeliùs mactaret, ad Cucuſum oppidum ſub frigidiſſimo cœlo, & in aſperrimo ſterilique ſolo, in deſertis montis Caucaſi ad fines Armeniæ ſitum, quarto exilio deportari fecit; quo loco in tetro & ſqualenti carcere incluſus, fame, frigore, omniumque rerum inopiâ ſemimortuus, recluſo carcere parumque adhuc reſpirans laqueo ab Arianis, ſtrangulatus eſt, ut ibidem refert Athanaſius.

5. Eadem Arianorum ſub Conſtantio perſecutio Euſtathium perculit Antiochiæ Præſulem, Nicenæ fidei defenſorem, qui Nicænam Synodum egregiâ oratione aperuerat, libriſque editis quos Hieronymus recenſet Eccleſiam illuſtrarat. Hujus perſecutionem jam ab Euſebio tunc Conſtantinopolis Epiſcopo ſatis ſuperque proſequutus ſum in hiſtorica hujus ſæculi Synopſi. Tantùm hoc addo non parum hallucinari veteres aliquot ſcriptores qui Euſtathij damnationem ad tempora referunt Conſtantini. Cæterùm Theodoritus lib. 1. cap. 20. Euſtathij dejectionem factam ab Euſebio refert, poſtquam Epiſcopatum adeptus eſt Conſtantinopolitanum Euſebius, deturbato inde Paulo. Neminem autem latet exilium Pauli non niſi poſt exceſſum Conſtantini contigiſſe: nihilque dilucidius eſt hoc Athanaſij teſtimonio epiſt. ad Solitar. vit. agen. *Fuit quidem Euſtathius Antiochiæ Epiſcopus vir confeſſione clarus, religione pius, quem magno ſtudio pro veritate ſtantem, & Arianam hæreſim odio proſequentem averſantemque, homines Arianæ opinionis, ita apud Conſtantium accuſarunt fictâ calumniâ, quaſi in matrem Principis contumelioſus fuiſſet: nec mora in exilium ejicitur, & cum eo ingens turba Presbyterorum & Diaconorum.* His accedit Hieronymus ſic loquens de eodem in Catal. *Euſtathius ſub Conſtantio Principe pulſus eſt in exilium.*

6. Sub Conſtantio pariter obtigit illa Stephani Antiocheni Epiſcopi flagitioſa machinatio, quâ duos incontaminatæ vitæ Epiſcopos Synodi Sardicenſis Legatos, Vincentium & Ephratam, publicâ infamiâ inurere molitus fuerat per meretricem Antiochenam. Cum enim Legati ad Antiochiæ quoddam hoſpitium divertiſſent; atque in eorum inſciorum & dormientium conclave noctu introducta aliunde fuiſſet, perverſa illa machinatio inſidias contrario ſucceſſu eluſit; Epiſcopi enim inopinato ingreſſu territi exclamarunt; meretrix ejuſque introductor fugam repente capeſſiverunt. Forte Antiochiæ tunc degebat Conſtantius Auguſtus, ad quem ſuum miſerat Legatum Salianum Comitem & Magiſtrum militum Conſtans, alter Auguſtus. Comes iſte ſuſceptâ duorum Epiſcoporum querelâ & causâ exploratâ Stephanum judicio poſtulavit. Et quia ſuſpecti erant Arianæ partis Epiſcopi, innumerarum calumniarum toties adverſus Orthodoxos Antiſtites convicti, enixè à Conſtantio petijt & obtinuit ut hoc judicium Magiſtratibus Imperialibus totum committeretur: juridicâ inquiſitione factâ Stephanus convictus eſt hujus impoſturæ autor. Ipſeque Salianus non ante litem hanc proſequi deſtitit, quàm Conſtantio ad hoc perſuaſo ad amovendum de ſecta publicum ſcandalum, ejuſque culpam in ſolius rei caput refundendam, acciti fuerint vicinis ex locis Epiſcopi, à quibus fuit Stephanus ſuo abdicatus Epiſcopatu; cujus loco Leontium pariter Arianum ſuffecerunt. Hæc ab Athanaſio referuntur epiſt. ad Solitar. Et fuſiùs à Theodorito lib. 2. cap. 7.

7. Regnantibus Catholicis Principibus Conſtantino juniore, & Conſtante Occidentales Imperij Romani Eccleſiæ ab Arianorum infeſtatione tutæ tranquillâ pace fruebantur, & quaſi Halcyonios dies feliciter peragebant dum Orientis Eccleſiæ ſub Conſtantij tyrannide gemebant, eaſque Ariana impietas angebat, vaſtabat ac depopulabatur. Sed poſtquam arcano Dei judicio Principes illi Orthodoxæ fidei columina ex hac vita diſceſſerunt, in eorumque ditionem ſucceſſit hæreticus Conſtantius, tunc demum Ariana hæreſis quaſi immanis procella disjectis violenter aggeribus diruptiſque obicibus longè latéque ſe effundens Gallias, Hiſpanias, Italiam & Britanniam inundavit: Eccleſiaſque harum Provinciarum detruſis Catholicæ fidei aſſertoribus Epiſcopis & Presbyteris, Ariani quà vi, quà dolis invaſerunt. Ex his Saturninus Arelatenſem Eccleſiam cujus erat permagna in multas Gallicanas Provincias autoritas occupavit. Ab hoc Biterris Volcarum oppido coactum eſt Concilium anno 356. ex quo Hilarius Pictavorum Epiſcopus eo quòd ſtrenuè Arianis reſiſteret miſſus fuit in exilium in Orientem. Ibi dum commoratur exul, initum eſt apud Orientales Seleucienſe Concilium anno 359. quo eodem in Occidente habebatur Concilium Ariminenſe. Hilarius intra Seleucienſe admiſſus mirabili conſtantiâ & ingenij vi adverſus Arianos pro Nicæna fide diſputavit. Quinetiam eoſdem à Synodo revertentes ad conſpectum uſque Conſtantij intrepidè proſequutus eſt, ut coram Principe cauſam fidei ſuſtineret. Verumtamen illius acumen pertimeſcentes Ariani Conſtantio perſuaſerunt, ut eum ad priſtinam Eccleſiam poſtliminio liberum remitteret. Atque ita victor & ab exilio redux Hilarius, Gallicanas Eccleſias quas impius Saturninus cum ſuis aſſeclis vaſtaverat novâ luce lætitiâque perfudit; dejectoſque Catholicorum animos erexit. Et ſicut memorat Severus Sulpicius frequentes Synodos, ad reparandas editas ab Ariana factione ruinas, paſſim excitavit. In his Synodus eminet Pariſienſis, per quam lapſorum multitudo in Eccleſiæ caſtra remeavit. Ipſe verò cladium autor Saturninus excommunicatione inflictâ, ſedem quam indigniſſimè occuparat amiſit Epiſcopalem. Patres autem Synodalem ad Eccleſias Orientis epiſtolam

Digitized by Google

epiſtolam conſcripſere, rerum feliciter geſtarum ſeriem exprimentem, quæ inter Synodica Hilarij fragmenta ſupereſt.

8. Antequam huic capiti finis imponatur, plurimum juverit veterum Græcorum, qui poſt Athanaſium hiſtoriam litis extorrium Epiſcoporum, & qui ipſos ſuis Eccleſijs expulerant Arianorum, coram Iulio Romano Hierarcha ſcriptis ediderũt, teſtimonia hîc attexere: ut eluceſcat quàm fuerint circa Romani Epiſcopi dignitatem ac poteſtatem alieni ipſorum quoque Arianorum animi & ſenſus ab hodiernis hæreticis & Græculis Schiſmaticis. Socrates judicium hoc ſupremum, quo plurimarum Synodorum decreta erant reſcindenda aut confirmanda, ipſis etiam poſtulantibus aut conſentientibus Arianis, fundatum refert in ipſo Romanæ Sedis principatu. Theodoritus verò niti ſcribit Sacro Eccleſiæ canone ac legibus. Sozomenus demum attribuit Romanæ atque Apoſtolicæ cathedræ majeſtati, cujus juridicæ poteſtati cæteræ omnes univerſo orbe diſperſæ Eccleſiæ ſubiiciuntur. Socratis verba hæc ipſa ſunt lib. 2. cap. 11. ὁ δὲ ἰέλιος ἅτε προνομίαν τῆς ἐν ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτούς. Julius verò quippe cujus Eccleſia Romana præfecturam habet, literis confidentiâ & autoritate plenis ipſos munivit, ſcilicet Athanaſium cæteroſque abdicatos Epiſcopos.

9. Theodoritus lib. 2. cap. 4. ſic ait, οἱ δὲ περὶ εὐσέβιον τὰς κατ' ἀθανασίου κατηγορίας συνθέντες ἔπεμψαν, ὁ δὲ (ἰέλιος) τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ καὶ αὐτοὺς καταλαβεῖν τὴν ῥώμην ἐκέλευσε, καὶ τὸν θεῖον ἀθανάσιον εἰς δίκην ἐκάλεσε. Euſebiani ad Julium accuſationes ſcriptas miſerunt: Julius autem Eccleſiæ legem ſequutus, accuſatores Romam venire juſſit divinumque Athanaſium in jus vocavit.

10. His accedat Sozomenus ita teſtificans lib. 2. cap. 8. ἐπειδὰν πάντας ὁμονοοῦντας ηὗρε περὶ τὸ δόγμα τῆς ἐν νικαίᾳ συνόδου, ὡς ὁμόφρονας αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν προσήκατο, οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε, καὶ τοῖς ἀνὰ τὴν ἕω ἐπισκόποις ἀντέγραψε, μεμψάμενος ὡς οὐκ ὀρθῶς βουλευσαμένοις περὶ τοὺς ἄνδρας: ὀλίγους δὲ ἐκ πάντων εἰς ῥητὴν ἡμέραν παρεῖναι ἐκέλευσε διαλέξοντας δικαίαν: ἐπ' αὐτοῖς ἐπενεγκεῖν τὴν ψῆφον, ἢ τοῦ λοιποῦ μὴ ἀνέξεσθαι ἠπείλησεν, εἰ μὴ παύσοιντο νεωτερίζοντες. Ubi omnes unâ mente complecti ea quæ in Nicæna Synodo decreta erant animadvertit, utpote ejuſdem ſecum fidei, eos in communionem admiſit, & uicuique ſuam ſedem reſtituit, eo quòd ad ipſum propter Apoſtolicæ Cathedræ majeſtatem omnium Eccleſiarum cura pertineret. Tum ad Orientis Epiſcopis ſcripſit expoſtulans quod duriùs Orthodoxos Epiſcopos accepiſſent. Mandavitque ut pauci ex omnibus ſtato die Romæ adeſſent probaturi ſe ſuper illis juſtam tuliſſe ſententiam. Alioqui de cætero non impunè laturos interminatus eſt niſi ab his inique geſtis abſtinerent.

11. Iudicio itaque Iulij Romani ab ipſis Arianis expetito, tanquam ejus cujus eſſet ſupremum in univerſas Eccleſias tribunal, reſciſſa ſunt iniqua Synodorum Orientalium decreta injuſtéque dejectis adjudicatæ ſunt Eccleſiæ priſtinæ Athanaſio Alexãdrina, Paulo Conſtantinopolitana, Aſclepæ Gazenſis, Marcello Ancyrana, Lucio Hadrianopolitana. Hac eadem ſupremâ autoritate uſum fuiſſe apud Græcos Agapetum ſanctiſſimum Romæ Pontificem etiam, abſque ullius Synodi convocatione compertum exploratúmque eſt, quando idem miſſus à Theodato Italiæ Rege ad Iuſtinianum Auguſtum Legatus Antimum Conſtantinopolis Epiſcopum, Eutychianæ ſectæ Principem, communione fidelium ſimulque Patriarchali ſede expulit, ejuſque loco Mennam Catholicum ſuffecit, perperam reluctante atque furente Theodorâ Auguſtâ anno Chr. 536.

## *CONCILIVM GANGRENSE tempore Sylveſtri Pontificis habitum incertum quoto Chriſti anno.*

1. CONvenit Gangris urbe Provinciæ Paphlagoniæ minoris Aſiæ, Sylveſtro exiſtente Romano Epiſcopo, & Imperatore Conſtantino, quo tempore Oſius Sylveſtri Legatus ſuâ fungebatur in Oriente legatione. Quoto autem celebratum ſit anno nihil comperti habemus. Collectum verò fuit ad hæreſes Euſtathianorum reprimendas de Manichæorum colluvie natas. Multa illi præcipiebant quæ ex ſui natura flagitioſa erant, ut fœminas ab invitis maritis & ſervos ab ipſorum dominis pariter invitis, diſcedere perſuaderent; primitias ac decimas Eccleſijs exſoluendas ſibi vindicarent, conventus Eccleſiarum fugere jubebant, & privatos in Eccleſiarum deſpectum uſurpare, aliáque ſimilia. Rurſum multa prohibebant licita, dicentes eſſe criminoſa & Eccleſiam hæc permittentem criminabantur: cujuſmodi erat licitorum ciborum uſus à quibus perinde ac de ſe malis abhorrebant, nuptias & quoſcunque connubiales actus execrabantur, aliáque quorum abſtinentia ſolius eſt perfectioris conſilij ad pœnitentiam & carnis macerationem. Vnde liquido conſtat quanti ſit momenti vel recta vel ſiniſtra intentio ad bona vel mala diſcernenda, ut ſacro docemur Evangelio, *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Ibi enim Chriſtus per oculum intentionem, per corpus autem actionem ipſam deſignat. Quod idem præterea occaſione ſectæ Manichæorum, cujus ſurculus erat iſta Euſtathianorum factio, docet Auguſtinus lib. 2. de morib. Manichæorum cap. 13. *Quòd non veſcimini carnibus & vinum non bibitis mirandum & laudandum putatis: quod quæro à vobis quo fine faciatis? finis enim quò referuntur ea quæ facimus eſt is propter quẽ facimus quidquid facimus, ſi non ſolùm inculpabilis ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta noſtra laude aliquâ digna ſunt. Sin ille jure meritoque culpatur quem ſpectamus & intuemur cum in aliquo verſamur officio, id quoque officium nemo improbandum vituperandumque dubitaverit. De Catilina memoriæ proditum eſt quòd frigus, ſitim, famem ferre poterat. Erant hæc illi ſpurco & ſacrilego etiam cum Apoſtolis noſtris communia: unde ergo diſcernitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris niſi fine illo quem diverſiſſimum ab Apoſtolis ſequebatur? Namque ille iſta tolerabat ut immoderatiſſimas & vaſtiſſimas expleret cupiditates; illi econtra ut eas premerent, & dominanti rationi ſervire cogerent.* Symmacchus Papa in Romano Concilio Gangrenſes canones aſſerit Apoſtolicâ autoritate Sancitos. Quia ſcilicet

Oſius

Digitized by Google

Oſius Cordubenſis Epiſcopus à quo prodiere, Apoſtolicâ Legatione fungebatur, Ab his canonibus numero viginti totidem adverſus violatores decernuntur anathemata.

2. Canon I. Anathema enunciat in vituperatores matrimonij & quoſcunque excludentes à regno Dei eos qui nexu matrimonij conjuncti vivunt. Hos præviderat & in anteceſſum damnaverat Apoſtolus. 1. Timo. 4. *Attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.*

3. Canon II. In condemnatores eorum qui carnem præter ſanguinem, & idolothytum & ſuffocatum, cum pietate & fide comedunt. Hinc perſpicuum fit eo tempore fideles religioſe abſtinuiſſe à ſanguine & ſuffocato, juxta decretum Apoſtolicum Act. 15. Ex epiſtola Eccleſiarum Gallicanarum Lugdunenſis & Viennenſis ad Eccleſias Aſiæ, refert Euſebius lib. 5. hiſt. Eccle. cap. 1. Sanctam martyrem Biblydem, ſub immani Marci Aurelij Antonini perſecutione, ſic alloquutam fuiſſe gentilem Præſidem & plebem circunſtantem. Quomodo poſſemus nos Chriſtiani in animum inducere ut infantes, quemadmodum calumniamini, devoremus, qui nefas eſſe ducimus ſanguine veſci vel brutorum? Tertullianus Apologet. cap. 9. eamdem calumniam eodem refellit argumento. Sed & his longè poſterius Concilium Quiniſextum anni 707. can. 67. eamdem ſanguinis & ſuffocatorum prohibitionem inſtaurat. Quæ cum fuerit ab Apoſtolis exorta, non ut divini, ſed ut humani ac Eccleſiaſtici juris, ut ſe Judæis alioqui ſcandalum paſſuris, & à converſione ad Chriſti fidem abſterrendis fideles accommodarent, potuit ſenſim legis hujus obligatio antiquari, ex quo ipſius cauſa finiſque deſiverunt. Præterea ut ſuperiùs obſervavi ad tertium Apoſtolorum Concilium, & ex actis liquet Apoſtolorum cap. 5. & ex 1. Cor. 8. præceptionem iſtam de ſanguine, ſoffocatis animantibus, & idolothytis, non fuiſſe univerſis Chriſtianis impoſitam ſed ſolis indictam Syris & Cilicibus, apud quos plures quàm alibi Judæi, utpote Jeroſolymæ viciniores verſabantur.

III. Can. in eos qui ſervos à miniſteriis debitis aut à propriis dominis abducebant ac avocabant, cum ex oppoſito Apoſtoli jubeant ſervos eſſe dominis ſuis ſubditos & obſequentes Tit. 9. & 1. Petri 2.

IV. Canon in contendentes non eſſe capaces communicandi Sacerdotum ſacrificiis eos eaſve qui conjugati aliquando fuiſſent.

V. In quoſcumque abſtrahentes ab Eccleſijs & publicis ſynaxibus.

VI. In facientes privatos & laïcos conventus, ad eas exercitationes quæ non niſi in Eccleſijs peragi debent.

VII. In uſurpantes ſibi aut privatis conventibus fructus & oblationes Eccleſijs debitas.

VIII. In quoſcunque ſibi propriâ ſponte vindicantes deſtinatas pauperibus diſtributiones.

IX. In illos qui virginitatem aut continentiam eo animo profitentur ut nuptias reprobent.

X. In virgines & continentes etiam ſtudio & pietate in Deum, ſi conjugatis inſultent.

XI. In quoſlibet deſpectui habentes Agapas.

XII. In veſtium novas formas invehentes, eoſque damnantes qui communibus utuntur.

XIII. In fœminas prætextu religionis viriles habitus aſſumentes.

XIV. In uxores quæ obtentu religionis à maritis abſcedunt.

XV. In eos qui proprios liberos à ſe abjiciunt, nec pietate informant propter odium matrimonij.

XVI. Ex adverſo in liberos qui pari prætextu à parentibus abſcedunt, nec eis ſubjici aut obtemperare volunt.

6. XVII. In fœminas quæ prætextu divini cultus crines attondent quos ipſis datos in ſubjectionis indicium admonet Apoſtolus 1. Cor. 11. Nihil hic agitur de vera, ſed de Euſtathiana religione, quæ res ſecundum ſe indifferentes aut etiam bonas, intentione ut ſupra exploravimus perverſa, depravabat; quemadmodum ſi quis ſalubres dapes immixtione venæni redderet, lethiferas. Euſtathiani matrimoniorum horrore quæ ubicumque poterant vel contrahi prohibebant vel contracta diſſolvebant, ſexuumque quos diverſos Deus ad matrimonij finem condiderat, omnem differentiam, nonniſi ad ſtupra & adulteria, deſtruere ac abolere nitebantur. Quocirca fœminas virilibus indumentis veſtiri, & perinde ut viros tonderi decernebant. Hiſque perverſis inſtitutis id conſequebantur, ut pro matrimoniorum, quæ Deus inſtituit legitimis cõjunctionibus, omnia promiſcuis concubitibus & libidinibus fœdarentur, omniſque pudor ſexuumque diſcrimen procul eliminarentur: ut in hujus Synodi proloquio commonent Gangrenſes Patres. Nihil igitur Canon hic obſiſtit virginum Deo ſacratarum detonſioni, olim in Ægypti & Syriæ Monaſteriis fieri ſolitæ, ut prodit Hieronymus epiſt. 48. ad Sabinianum Diaconum, jam verò in omnes ferè parthenones pervaſit illa capillorum reſecatio.

7. XVIII. In jejunantes Dominicis diebus.

XIX. In diſſolventes jejunia quæ præcipit Eccleſia, certis quibuſdam temporibus à fidelibus ſervari ſolita, excepta corporis neceſſitate χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης. Adeò pervicax & effrenis erat hæreticorum iſtorum inſolentia, ut indictos ab Eccleſia jejuniorum dies execrarentur, diebus verò à jejunio prohibitis (ut ſunt Dominici dies) jejunari juberent.

XX. Anathema illis infligit qui fidelium concurſum ad Martyrum memorias vituperant, & ſacra quæ in ijs locis fiunt averſantur, quam irreligioſitatem noſtrates hæretici inſtaurant.

## *SYNODVS ANTIOCHENA*
### *Anni* 341.

1. QUo tempore Romæ apud Julium cauſa tractabatur Athanaſij, aliorúmque Epiſcoporum à ſuis Eccleſijs extorrium, Ariani ut judicium Romani Epiſcopi eluderent, & ſpecioſo prætextu indictum ſibi à Julio vadimonium declinarent, ab Imperatore Conſtantio Arianæ impietatis fautore juſſionem impetrarunt conveniendi Antiochiam, ad encænia Baſilicæ quam à patre Conſtantino magnificis impenſis inchoatam ipſe demum perfecerat. Id factum eſt ſecundum Conſulares faſtos, ut atteſtantur Athanaſius lib. de Synodis; & Socrates lib. 2. c. 5. Marcellino & Probino Conſulibus, qui annus in annum Chriſti

Digitized by Google

Chriſti 341. occurrit Ibi præter celebrem illam dedicationem mandati à Conſtantio Epiſcopi (qui ipſe præſens his omnibus actis interfuit) Synodum hanc habuere partim orthodoxi partim Ariani ſimul permixti, numero juxta Athanaſium 90. aut ut ſcribit Hilar. 97. aut ſecundum Sozomen. 99. Intra hunc numer 37. erant Ariani Epiſcopi, quibus Conſtantius Auguſtus qui Synodo iſti ſemper adfuit omnia deferebat, à quibus ſolis damnatus eſt Athanaſius ut prodit Jul. Pontif. in ſua ad Arianos epiſt. ſic loquens: *Qui igitur ſunt qui contra canones agunt? noſne qui cum tantis rerum documentis virum recipimus; an qui ſolùm ad triginta ſex ſuffragia eorũ qui Antiochiæ fuerunt, externum hominem Epiſcopum ſalutaverunt, eumq; militari manu Alexandriam deduxerunt?* De Gregorio Cappadoce loquitur, quẽ Ariani hac in Synodo contra electionum regulas invitis Clericis populoque Alexandriæ, in locum Athanaſij per vim armatam intruſerunt. Ibidem quoque Ariani inſtabiles, quatuor fidei formulas conſcripſere, ſententiis quidẽ Catholicas hoc uno excepto quod Conſubſtantialis vocem devitarunt. Catholici verò non aliud fidei ſymbolum quàm Apoſtolicum & Nicænum profitebantur. Simul tamen omnes Orthodoxi & Ariani can. 25. qui circumferuntur communi conſeſſu ediderunt. Quos omnes ſacroſancta Eccleſia comprobavit, ſolis contradicentibus quibuſdam, quamvis pijs & eruditis, ultimorum ſæculorum Doctoribus, qui quartum, duodecimum & decimum quintum canonem ut fœtus Arianæ perfidiæ averſantur: quorum tamen ſententiam egregiè refellit Emanuel Scheleſtrates in ſua Antiquitate illuſtrata p. 2. diſſert. 2. cap. 5. his quæ ſequuntur argumentis.

2. In primis quia hæc Synodus Antiochena paſſim Nicænæ honorificè meminit & multis ejus canonibus aſtruendis ſuam quoque autoritatem impertit, vocatque *Sanctum & magnum Conciliũ apud Nicæam congregatum*, can. 1. quo Paſchalis celebritatis tempus ſecundum Nicænum præſcriptum indicitur. Canon Nicænus, 16. de non ſuſcipiendis alterius Eccleſiæ Clericis renovatur can. 3. Antiocheno. Canon Nicænus 4. de Metropolitani in Provincia autoritate per Antiochenos can. 9. & 0. Nicænus can. 8. de Chorepiſcopis per Antiochenum 10. Nicænus 5. de Conciliis bis in anno celebrandis per Antiochen. 20. Secundò quia Chalcedonenſis Synodus Antiochenæ autoritatẽ conciliavit ejuſque canones ſervari præcepit. Enimvero actio. 4. Aëtius Archidiaconus ex Codice legit canon. 5. Antiochenum de Clericis & Monachis adverſus Epiſcopum ſchiſmaticos conventus facientibus reprimendis. Quo lecto refertur in Actis: *Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt hæc eſt juſta regula Patrum.* Poſtmodum Aëtius idẽ mandante Concilio legit ex Codice inſcripto θείων ϗ ἱερῶν κανόνων divinorum & ſacrorum Canonum, canonẽ octogeſimum tertium, qui eſt quartus Antiochenus, iiſdem ipſis verbis. Et act. 11. Leontius Magneſiæ Epiſcopus ex eodem Codice canonem legit nonageſimum ſextum qui eſt Antiochen. 17. & ſubinde can. 95. qui eſt Antiochenus 16. Quæ utique indicant canones Antiochenos fuiſſe ab univerſa Eccleſia in autoritatẽ receptos, primùm per Græcam divinorum & ſacrorum Canonum collectionem; deinde per generale Calcedonenſe Concilium. Et apud Latinos Dionyſius exiguus Antiochenos canones Latinitate donavit. Ut his & reliquis ſuæ collectionis canonibus Eccleſia pro regulis uteretur. Tertiò quia proximè ſequentibus ſæculis Eccleſia canónes iſtos 25. venerata fuit, eorúmque ſequuta eſt autoritatem & præſcripta. Etenim poſt Chalcedonenſem Synodum cujus vel ſola autoritas ſufficeret, uſi ſunt can. 4. Antiocheno Epiſcopi Piſidiæ ut fidem facit Scheleſtrates. Gelaſius Romanus Pontifex in Concilio 70. Epiſcoporum indicem texens librorum apocryphorũ nihil meminit canonum Antiochenorum. Imoverò perantiquus Romanæ Eccleſiæ Codex, unde illa regulas diſciplinæ Eccleſiaſticæ haurire ſolebat, cujus mentio frequens occurrit in veterum Romanorum Pontificum epiſtolis; cujus etiam meminit in ſuâ collectionis præfatione Dionyſius exiguus, ejus confuſionem cauſam eſſe dicens ſuæ novæ collectionis. Ille inquam vetuſtus Codex, ſimulq; Dionyſiana collectio omnes canones Antiochenos complectuntur; quemadmodum & Iſidoriana collectio. Martinus quoque Braccarenſis in ſuo Capitulari Græcorum canonum, quod anno 572. concinnavit, ſimiliter etiam Creſconius Africanus Epiſcopus in ſuo canonum Breviario, Antiochenos canones inſeruerunt. Præterea Pontifex Adrianus I. Codicem canonum Romæ uſitatorum Carolo Magno obtulit, ad uſum Gallicanarum Eccleſiarum, anno 785. in quo Antiocheni canon. 25. continentur. Ipſeque Carolus in ſuo Aquiſgranenſi Capitulari, ad Cleri reformationem eoſdem canones Antiochenos anno 789. promulgavit obſervandos. His adjunge Leonem Papam IV. in Concilio Romano 67. Epiſcoporum ſic loquentem in depoſitione ibi facta Anaſtaſij Presbyteri: *Quid aliud arbitrari aut proferre valemus, niſi ut Sancti Patres qui in Antiocheno Concilio reſidentes tertio capitulo promulgarunt, & inviolabiliter ſtatuerunt?* Idemque Pontifex reſcribens ad Epiſcopos Britanniæ, inter Canones per quos regendæ ſunt Eccleſiæ recenſet Antiochenos cap. de libellis diſt. 20. Omitto quoſcunque alios approbatos Canonum compilatores Martinum, Burchardum, Anſelmum, Ivonem Carnotenſem, Gratianum, qui ſuis paſſim collectionibus canones Antiochenſes inſeruerunt. Adeout Antonius Auguſtinus lib. 1. de emendatione Gratiani Dialog. 11. affirmet his verbis: *Receptos eſſe conſtat canones Antiochenos & in corpore Canonum poſitos ante Concilium Chalcedonenſe, ut in ejus Concilij actione 12. Græcis, & 11. Latinis apparet, & ex alijs multorum teſtimoniis conſtat, præſertim Paſchalis II. in Concilio Romano:* Id Concilium non aliud eſſe reor à Lateranenſi ſecundo ſub eodem Pontifice Paſchali II. cui ipſe præſedit; in quo cum aliis Canonibus allegatur Antiocheni Concilij can. 24.

3. Quod verò Julius Papa in cauſa Athanaſij & Innocentius I. in lite Chryſoſtomi damnant ut injuſtum canonem Antiochenum, quo utrumque Sanctum depoſitum & extorrem adverſatiorum implacabilis furor conabatur opprimere, hoc de nullo ex viginti quinque Canonibus qui ſuperſunt intelligi debere contendit vir doctiſſimus Scheleſtrates; quandoquidem omnes ab Eccleſia in autoritatem recepti ſunt, jam abuſque Synodo Chalcedonenſi: & Codices canonum, quibus olim Romana utebatur Eccleſia, ſive eum dicas quem edidit in lucem Juſtellus, ſive quem publicavit Queſnellus noſter, utrumque ſanè venerandæ antiquitatis, quemadmodum etiam antiquiſſimæ collectiones Dionyſ. Abbatis & Iſidori Mercatoris; omnes illos Canones ut Eccleſiæ probatos & regiminis Eccleſiaſtici regulas proferunt. Et qui maximè omnium ſuſpectus videri poſſet

R quartus

quartus canon Antiochenus, lectus & approbatus fuit actione quarta in Concilio Chalcedonenſi,& planè juſtus ſacroque regimini conformis eſt quemadmodum duodecimus, qui tamen vellicari cœpti tantùm hoc ultimo ſæculo, ut obſervat Schelestrates,ab ſcriptoribus quidem ingenij, meriti & peritiæ profundiſſimæ Baronio Perronioque Cardinalibus, Antonio Auguſtino & Marca Epiſcopis, aliiſque clariſſimis viris. Quiſnam verò tandem eſt ille canon Antiochenus, à Julio & Innocentio Summis Pontificibus rejectus? Ille utique quem ſeorſim à Catholicis Epiſcopis Ariani, paulò pòſt diremptâ Synodum,conſentiente Conſtantio Principe procuderunt: quo tempore Gregorium Alexandriæ Antiſtitem ſacrilegâ manuum impoſitione crearunt. Canon autem tunc ab eis conflatus refertur à Palladio quidem Helenopolitano Epiſcopo,Chryſoſtomi diſcipulo,cujus vitam conſcripſit. *Si quis Epiſcopus aut Presbiter ſive juſtè ſive injuſtè depoſitus ex ſeipſo abſque Synodo in Eccleſiam redierit hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omnino expellatur.* Refertur pariter eodem ſenſu à Georgio Patriarcha Alexandrino in ejuſdem vita. *Sive Epiſcopus ſive Presbyter juſtè aut injuſtè depoſitus, ſi privatâ autoritate citra decretum Synodi invaſerit Eccleſiam, talem deinceps noluimus locum obtinere ſui expurgandi, ſed expellatur & demum in exilium relegetur.* Res quidem eſſet deterrimi *exempli gravemque introducens confuſionem & anarchiam; ſi quis à legitimo judice exautoratus poſſet privatâ autoritate ſe ſtabilire. Poſt Chriſti condemnationem nullum potuit ſuſpectius, nullum flagitioſius, nullum calumnioſius judicium quam quo fuit oppreſſus Athanaſius in Tyrio Conciliabulo, ab Epiſcopis tum ob immane odium ſuſpectis, tum incompetentibus, nec ullam in eum poteſtatem legitimam aut juriſdictionem habentibus quâ ſolus in ipſum, utpote ſecundæ ſedis Patriarcham pollere poterat Romanus Epiſcopus totius Eccleſiæ caput: & tamen Athanaſius, ut ait Synodica Alexandrinorum Ægyptiorumque Antiſtitum epiſtola ad an.Chriſti 339. *ad religioſiſſimum Imperatorem aſcenderat deprecans iniquitatem hominis, & adverſariorum calumnias, ut legitima Epiſcoporum Synodus indiceretur.* Prætereaque ad Summum Pontificem Julium recurſum habuit. Eademque propemodum in Chryſoſtomo contigere, cujus cauſam Romanus Pontifex Innocentius in ſuum ſuſcepit patrociniũ.

4. Can.I. Nicænum inſtauratur decretum de Paſchali ſolemnitate celebranda die Dominico: quã rem uberius tractavi in ipſa Nicæna Synodo.

Can II. Ita ſancit: *Omnes qui in Eccleſiam ingrediuntur & ſacras Scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participationem propter aliquam inſolentiam averſantur, eos ab Eccleſia ejici oportet, donec poſtquam confeſſi fuerint, fructuſque pœnitentia oſtenderint, & imploraverint, veniam aſſequi poſſint. Non licere autem communicare cum excommunicatis, neque in domibus convenientes orare pro ijs qui in Eccleſia non communicant. Neque in alia recipi qui in alia non communicant. Si quem autem ex Epiſcopis vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quemvis ex Canone, excommunicatis communicare apparuerit, eum quoque eſſe excommunicatum, ut qui canonem Eccleſiæ confundat.* Vide huc ſpectantem Nicænum canonem 5.

Quod ſpectat priorem hujuſce Canonis partem, de ſuſcipienda ab omnibus qui ſacro interſunt,nec Canone prohibentur, Euchariſtia,id conforme quidem eſt Apoſtolorum can.8. eos excommunicanti qui convenientes in Eccleſiam minimè communicant: itemque can.10. Apoſtolis pariter attributo. Quos omnes canones quiſquis exactiùs expenderit, non aliud concludet, quàm fuiſſe præceptam ijs duntaxat Euchariſtiæ communionem qui altari ſubminiſtrant Clericis:atque à fidelium ſocietate disjungi *τὰς ἀποστρεφομένους τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν.* Ut hic loquitur Antiochenus canon; hoc eſt averſantes participationem Euchariſtiæ per aliquam perverſitatem: quales ſunt hæretici,aut ſchiſmatici,aut peccatores obſtinati. Pontifex Anacletus (ſi qua ſit habenda fides epiſtolis illis quas pridem Dionyſio Abbati Romano, cæteriſque veteribus incognitas, & ab Iſidoro Mercatore primũ editas Hincmarus Remenſis prorſus rejicit,Baronius verò pro mangonizatis & interpolatis ab iſto Mercatore mercimoniis haberi vult,omneſq; ferè docti ſuppoſititias arguunt) Anacletus inquam ep.1.n.2. poſtquam admonuit ſacrificanti ſolemniter Epiſcopo plures adſtare debere Sacerdotes,Diaconos, Subdiaconos, alioſque ſacris veſtibus amictos adminiſtros,ſubjungit conſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe, atque hanc eſſe Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, ut peracta conſecratione univerſi cõmunicent.Illi nimirum quos dicit qui ſacris veſtibus inſigniti,ſolemni ſacrificio adminiſtrãt,c.Epiſc.de conſecr.diſt.2 Edidere pridem Colonienſis EccleſiæCanonici librũ egregium,quẽ inſcribunt Antididagma ad Hermannum Coloniæ Agrippinæ apoſtatam Archiepiſcopum, Luteranæ ſectæ aſſeclam,in quo conſtanter negant,fuiſſe ullo unquam tempore laïcis in Eccleſiam convenientibus quotidianam communionem injunctam. Dionyſius etiam Petavius undecunque doctiſſimus,ad Epiphanianam fidei expoſitionem ſcribit,eſſe falſiſſimam & ſtolidam illam Caſauboni aliorumque opinionem,fideles publicæ pœnitentiæ legibus nõ aſtrictos, quando ſacris collectis intererant, fuiſſe obligatione obſtrictos Euchariſtiam percipiendi. Antiquiſſima Fabiani Romani Epiſcopi vita, qui Decio Cæſare perſequente martyrium ſubijt, Decretum ab eo refert emanaſſe,ut tribus tantùm anni temporibus laïci fideles aliunde non prohibiti ad ſacram communionẽ teneantur obſtricti.Et refertur c.etſi non frequentius de conſecr.diſt.2.Quã eamdem ſanctionem renovat Concil. Agathenſe can.18. Præterea directè obſtant priſci canones, providentes ut diebus Dominicis & feſtis diſtribuantur in Eccleſijs eulogiæ, ijs qui Sacramento Dominici corporis non communicarunt. Conſulito infra ſuper his Laodicænum can.14. atque illa quæ fuſius ibi adnotavimus.Præterea fuiſſet iſtiuſmodi præcepti executio prorſus impoſſibilis feſtis aut Dominicis diebus, quibus univerſi fideles ſacro intereſſe tenentur: maximè ubi de ipſo Calice communicabatur: non etiam potuiſſet ſufficere unius diei tempus ad omnium communionem, neque ulla Sacerdotum quantumvis numeroſa multitudo ad excipiendas ſingulorũ confeſſiones comparantium ſe ad dignè communicandum. Ideoque videmus non unicum diem ſed quindecim aſſignari ab Eccleſia ad Paſchalem communionem.

5. Altera ſecundi hujus Canonis pars illos à fi-

delium

delium ſocietate disjungit, qui cum excommunicatis participant. Cui conſonat Apoſtolor. can. 10. necnon Carthaginenſis Concilij ſecundi can. 7. ut Epiſcopus aut Clericus qui excommunicatum alterius Epiſcopi ſuſceperit habeatur excommunicatus. Inſuper quarti Carthaginenſis Concilij can. 73. ſic edicit: *Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, ſive Clericus, ſive laicus, excommunicetur.* Denique poſteriorum temporum mitior ac indulgentior diſciplina pœnam iſtam ex æquitate lenivit. Primùm ut non æqualis ſed minor incurratur excommunicatio ab hominibus cum excommunicato participantibus, quæ nec ab Eccleſiæ ſuffragiis, neque à conſortio fidelium, nec à conferendis alteri cuipiam Sacramentis excludit, ſed à ſola Sacramenti receptione cap. cum excommunicato 11. q. 3. & c. nuper de ſent. excom. Plura circa hæc requirito inferius ad can. 3. Lateranenſis ſub Innocent. II. Concilij. Secunda deinde ſucceſſit ex Conſtantienſi Concilio mitigatio ut excommunicationi etiam minori locus ſit nullus, niſi excommunicatus quo cum aliquis participat fuerit publicè atque nominatim denunciatus.

6. Can. III. *Si quis Presbyter vel Diaconus, vel omnino quilibet de Clero deſertâ ſuâ Eccleſiâ in aliam abierit, & in ea diutius commoretur, ne amplius miniſtret; maximè ſi ſuus Epiſcopus vocet. Quod ſi in hac ἀταξίᾳ, ſeu perverſitate perſiſtat, deponatur. Si verò præter culpam iſtam depoſitum Clericum alius Epiſcopus ſuſceperit, ille quoque à Synodo communi redarguatur, tanquam Eccleſiaſtica jura diſſolvens.*

Habetur in Decreto cap. ſi quis Presbyter vel Diaconus 7. q. 1. & confirmatur Apoſtolorum canonib. 15. & 16. & Arelat. Concilij I. can. 21. & Nicænis canonib. 15. & 16. Vide ſuperiùs adnotata ad Nicænum c. 15. Prætereaque Chalcedonenſem can. 20. & Aquiſgranenſem can. 71. huc etiam refer Nicænum can. 5. & Antiochenum 2.

7. Can. IV. *Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de ſacro Miniſterio contingere, ſive Epiſcopus juxta præcedentem conſuetudinem, ſive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem aut locum habere ſatisfactionis: ſed & communicantes ei omnes de Eccleſia abjici oportet, & maximè ſi poſtquam didicerint adverſum memoratos prolatam ſententiam fuiſſe, eiſdem communicare tentaverint.*

Hanc pœnam meretur Clericus quicunque Superioris cenſuram adverſum ſe latam per contumaciam violaverit, cum liceret ei vel Prælato ſupplicare, aut appellationé ad ſuperius tribunal interjicere. Poteſt tamen pia mater Eccleſia pœnitentem adhuc in integrum reſtituere, atque ab hujus Canonis ſeveritate diſpenſare, ſi humiliter ſuum reatum agnoſcat. Habetur apud Gratianum c. ſi quis Epiſcopus 11. q. 3. Vide paulò infra can. 6. hujuſce Concilij.

8. Canon V. *Si quis Presbyter vel Diaconus contempto ſuo Epiſcopo ſeipſum ab Eccleſia ſegregaverit, & privatim apud ſe collectis populis altare erigere auſus fuerit; & nihilominus, Epiſcopo ſe exhortante, & ſemel & iterum revocante inobediens extiterit, hunc modis omnibus deponendum, nec aliquando conſequi curationem aut proprium honorem recipere ſperet. Quod ſi etiam perſeveraverit conturbans & concitans Eccleſiam, per eam quæ foris eſt poteſtatem hunc tanquam ſeditioſum corripi oportet.*

Lectus eſt ad verbum Canon iſte atque approbatus in Concilio Chalcedonenſi actio. 4. Canon iſte primus occurrit eorum qui recurſum decernunt ab Eccleſia fieri ad poteſtatem & vim ſæcularem adverſus contumaces, quos nequeunt Eccleſiaſticæ pœnæ in officio continere. Et antiquior altera Synodus Antiochena hujuſmodi olim præſtitit exemplum, recurrendo ad ethnicum Imperatorem Aurelianum, ejuſque brachium ac poteſtatem implorando adverſus pervicacem Paulum Samoſatenum hæreſiarcham Antiochenſis Eccleſiæ Antiſtitem.

9. Can. VI. *Si quis à proprio Epiſcopo fuit excommunicatus ne prius ab alijs ſuſcipiatur quàm fuerit à proprio Epiſcopo ſuſceptus, vel factâ Synodo accedens ſe defenderit, & perſuaſâ Synodo aliam ſententiam retulerit. Idem autem Decretum adverſus laicos, & Presbyteros, & Diaconos, & eos qui ſunt in Cleri catalogo obſervetur.*

Habetur apud Gratianum cap. ſi quis à proprio Epiſcopo 11. q. 3. hoc idem ſanciverat Nicænus can. 5. cui conformis eſt Sardicenſis can. 13. Nunc verò loco Synodi provocatio fit ad Metropolitanam, aliamve ſuperiorem ſedem, cap. per tuas literas §. nos igitur de ſent. excom. & cap. venerabilibus, §. 1. eod. in 6.

10. Can. VII. *Nullus externus ſine pacificis ſuſcipiatur.*

De pacificis ſeu formatis, ſeu commendatitiis literis vide Diſſertationem in ſæculo ſecundo.

Can. IX. *Epiſcopos qui ſunt in unaquaque Provincia ſcire oportet, Epiſcopum qui præeſt Metropoli etiam curam ſuſcipere totius Provinciæ: eo quod in Metropolim concurrunt omnes undequaque qui habent negotia; unde viſum eſt eum quoque honore præcedere. Reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine illo, ut vult qui ab initio obtinuit Patrum Canon. Niſi hæc ſola quæ ad uniuſcujuſque Parœciam conferunt, & adminiſtrare pro unicuique conveniente reverentia, & totius regionis curam gerere quæ ſuæ urbi ſubeſt: ut etiam ordinent Presbyteros & Diaconos & ſingula cum judicio tractent. Et nihil ultra facere aggrediantur ſine Metropolis Epiſcopo; neque ipſe ſine reliquorum ſententia.*

Habetur c. per ſingulas Provincias 9. q. 3. Privilegia iſta Metropolitanorum ſanciverant Nicæni Patres c. 4. 5. 6. 7. Parœcia verò tunc dicebatur quæ nunc Diœceſis dici ſolet: cum olim Diœceſis nomen tam in Eccleſiaſtico, quàm civili uſu, complures ſimul Provincias complectèretur.



Digitized by Google

Obiter hic admonendus lector, erroneam eſſe hujus canonis editam à Gentiano Herveto tranſlationem, ubi *μηδὲν ἢ* vertit nihil vel, cum ſignificet nihil niſi, ut meliùs verterunt Dionyſius & Mercator. Huic canoni ſuffragatur Apoſtol. c. 35.

11. Nonus iſte canon tres commemorat Eccleſiaſticæ præfecturæ gradus. 1°. *ἐπαρχίαν* ſub Metropolite Præſule. 2°. *παροικίαν* parœciam ſub comprovinciali ſeu ſuffraganeo Epiſcopo: ſicut etiam in canone 17. Ancyrano legimus, Epiſcopum qui non ſuſcipitur à propria parœcia non debere alterius Epiſcopi parœciam invadere. 3°. *χώραν* locum ſeu minus territorium, unde Chorepiſcopi dicti locorum particularium intra parœciam præfecti, quorum etiam interjecta mentio can. 10. hujus in qua verſamur Synodi. Verumtamen iſtos omnes gradus longè antecellebat *διοικήσεως* Diœceſis plures habens ſub ſua præfectura provincias qualis erat ſingulorum Patriarcharum ditio: cujus vocis ac dignitatis uſurpatio tum ſæpè in Chalcedonenſi Concilio, tum etiam alibi mentio eſt. Voces porro parochus & parochia nullam habent apud priſcos autores Eccleſiaſticam ſignificationem, ſed ejus officium connotant, cui cura incumbebat ſuppeditandi hoſpitibus publicis res neceſſarias, horum origo eſt verbum *παρέχειν*. At verop arœciæ etymon eſt *οἰκία*.

12. Canon X. *Qui in vicis & in pagis Chorepiſcopi dicuntur, etiamſi Epiſcopi ordinationem manuumve impoſitionem acceperint, & ut Epiſcopi conſecrati fuerint, viſum eſt ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent, earumque curâ & ſolicitudine gerendâ contenti ſint. Conſtituant autem Lectores Hypodiaconos & Exorciſtas; & eorum promotionem ſibi ſufficere exiſtiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo cui ſubijciuntur ipſe & regio. Si quis autem ea quæ definita ſunt tranſgredi audeat, ipſe quoque deponatur ab eo honore quem habet. Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis cui ſubijcitur.*

De Chorepiſcopis requirito ſuperiùs obſervata ad canonem Ancyranum 13. Et ex iſto Antiocheno hæc addiſce. 1°. Chorepiſcopum non eſſe ordinis nomen ſicut eſt nomen Epiſcopi, ſed tantùm dependentis ab Epiſcopi arbitrio præfecturæ Eccleſiaſticæ ad certum locum præfinitæ ac limitatæ. 2°. Chorepiſcoporum alios inſigniri ordine & charactere Epiſcopali, alios eo carere. 3°. Nemini eorum qui conſecrationem Epiſcopalem ſuſcepere licere clericos ordinare, niſi quatenus id ei Epiſcopus loci conceſſerit. 4°. Sex apud Græcos præſenti canone ordines exprimi, tres minores Lectorum, Hypodiaconorum, Exorciſtarum. Et tres majores Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum.

13. Can. XI. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus aliúſve quilibet ex canone citra ſententiam & literas Epiſcoporum provinciæ & maximè Metropolitanorum ad Imperatorem proficiſci aggreſſus fuerit, is abdicetur & abijciatur non ſolùm à communione ſed etiam à dignitate cujus eſt particeps: ut qui religioſiſſimi Imperatoris auribus moleſtiam afferre audeat præter legem Eccleſiæ. Si autem neceſſarius uſus hoc exigat, ut ad Imperatorem ſe conferat, id agat cum deliberatione & conſenſu Metropolitani provinciæ, & eorum qui ſunt in ea, eorumque literis munitus iter invadat.* Videto inferius de hac ipſa re Sardicenſes canones 8. 9. 10. 11. 12.

14. Can. XII. *Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus Presbyter vel Diaconus, aut etiam ſi aliquis Epiſcopus à Synodo fuerit exautoratus, & auſus fuerit Imperatoris auribus moleſtiam exhibere, cum oporteat ad majorem Synodum converti, & jus quod habere ſe putat ad plures Epiſcopos referre, eorumque examinationem & judicium ſuſcipere: qui itaque his contemptis Imperatori moleſtus fuerit, is nullâ veniâ dignus, neque defendendi ſui locum habeat, nec reſtitutionis futuræ ſpem expectet.*

Canone iſto tribus gravibus malis obviatur. Primùm ne perſonæ Eccleſiaſticæ ſæcularibus curiis aut potentium obſequiis ſe addicant, & aulæ gratiam aucupentur. *Exeat aula qui volet eſſe pius.* Secundò ne per hujuſmodi perſonas Eccleſia cum aula committatur, & ſerantur inter utramque poteſtatem diſſenſiones aut rixæ, ſi contingat alteram alteri diſconvenire. Præclarè itaque ſcribit ad Marcianum Auguſtum Leo magnus Romanus Pontifex: *Non ſola aſſertione verborum ſed ipſis jam operum affectibus demonſtraſtis ad defenſionem Catholicæ fidei divinum in vobis vigere præſidium. Quo utique non ſolùm Eccleſiæ ſtatus ſed etiam veſtri robur munitur imperij: ut meritò ejus expectetis protectionem cujus colitis veritatem.* Tertiò demum ut Eccleſia Dei ſemotis humanis affectibus, & perſonarum reſpectu, ſibi debitâ potiatur libertate tuendæ ſacræ diſciplinæ, quæ alioqui privatorum artibus & ſtudijs facilè collaberetur.

15. Can. XIII. *Nullum Epiſcopum audere debere ex alia provincia ad aliam tranſitum facere, & ordinare aliquos in Eccleſiis aut provehere ad Sacrum miniſterium: nec alios illuc ſecum attrahat Epiſcopos, niſi fortè per literas rogatus abierit, non ſolùm à Metropolitano, ſed & ab his qui cum eo ſunt omnibus provinciæ Epiſcopis. Quod ſi nullo invitante inordinatè ſuperveniat, & aliquos vel ordinare præſumpſerit, vel quoſlibet actus illi Eccleſiæ competentes quæ ad ſe minimè pertinent uſurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia quæ geſſerit; ipſe verò hujus indiſciplinati auſus & irrationabilis cœpti dignas cauſas expendat, tanquam depoſitus à Synodo ſancta & propter hujuſmodi præſumptionem jam prædamnatus.*

Profertur in decreto c. nullum Epiſcopum audere 9. qu. 2. Nihil in canonibus hac prohibitione frequentius. Id ſtatuit Apoſtolorum canon 34. Hervetianæ editionis, ſeu 36. Dionyſianæ. Quin & hæc ipſa Antiochena Synodus hoc iterum edicit

Digitized by Google

edicit can.22. Item Conſtantinopolitana prima can.2. & Arauſicana prima can.8. Atque (ut alia intermedia ſileam Concilia) Tridentinum ſeſſ.6. c.5. de refor. ſed & Nicænum primum hoc idem vetuerat can.17.

16. XIV. Canon judicium de Epiſcopis criminum reis pertinere decrevit ad Synodum Provinciæ. Sed ſi adeò diviſa ſunt Epiſcoporum ſuffragia ut judicium certum ferri nequeat, decernit ut à Metropolitano advocentur ad hoc judicium de viciniore Provincia Epiſcopi. Deinde Antiochenus canon 19. ubi judicum ſuffragia non conſentiunt decernit prævalere plurium ſententias.

XX. Canon conſtituit ut bis ſingulis annis conveniant Synodi Provinciales ſub Metropolitano: quam eamdem rem plerique veteres Canones edixere. Require ſuperius obſervata ad Nicænæ Synodi can.5.

Can. XXI. *Epiſcopo non licet pro ſe alterum ſibi ſucceſſorem conſtituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe hujuſmodi conſtitutum eſt. Servetur autem jus Eccleſiaſticum id continens, oportere non aliter fieri, niſi cum Synodo & judicio Epiſcoporum qui poſt obitum quieſcentis poteſtatem habent eum qui dignus extiterit promovendi:*

Refertur à Gratiano 8. quæſt. 1. cap. Epiſcopo non licere pro ſe. Alia huc pertinentia require in eadem quæſt.1. aduſque can.olim.

18. Can.XXIV. *Quæcunque res Eccleſiæ ſunt ſub omni ſollicitudine & conſcientia bona, & fide quæ in Deum eſt, qui cuncta conſiderat judicatque, ſerventur: quæ etiam diſpenſanda ſunt judicio, & poteſtate Epiſcopi cui commiſſus eſt populus & animæ quæ in Eccleſia congregantur. Manifeſta verò ſunt quæ pertinere videntur ad Eccleſiam cum notitia Presbyterorum & Diaconorum qui circa ipſum ſunt, itaut agnoſcant nec ignorent quæ ſunt Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat. Vt ſi contingeret Epiſcopum migrare de ſæculo, certis exiſtentibus rebus quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec quæ propria probantur Epiſcopi ſub occaſione rerum pervadentur Eccleſiæ. Iuſtum namque & acceptum eſt coram Deo & hominibus ut ſua Epiſcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Eccleſiæ ſunt eidem conſerventur Eccleſiæ: ut nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ; neque in cauſas incidant qui ad eum pertinent, & ipſe poſt obitum maledictionibus ingravetur.*

Iſta bonorum Eccleſiæ à bonis Epiſcopi diſtinctio uſque adeò viguit prioribus Eccleſiæ ſæculis, ut ſanctiſſimorum Epiſcoporum Gregorij Nazianzeni, tunc temporis cum teſtamentum conderet, Conſtantinopolis ut ibidem ſcribitur Epiſcopi, & Cæſarij Arelatenſis, & Remigij Remenſis Epiſcoporum teſtamenta ſuperſint, in quibus de facultatibus aliunde quàm ex Eccleſia quæſitis plenâ libertate diſponunt. Canon iſte Antiochenus refertur in cap.quæcunque reſ.9.q.1. Concilium generale Lateranenſe ſub Alexandro III. irrita eſſe decernit Clericorum teſtamenta circa bona quæ illis ex Eccleſia obvenerunt can.15. Quod jus prætereà confirmatur cap. cum in officiis, c. quia nos, c.relatum eſt auribus, de teſtamen. Iſtis ſubinde Canonibus, qui Clericorum ſucceſſionem Eccleſijs deferebant, poſtremum acceſſit jus ſpolij relicta hujuſmodi bona cameræ addicens Apoſtolicæ. Iſtius ſpolij nulla mentio eſt in toto corpore Canonici juris, ſed ejus meminit Guido Papæ deciſ.110. Idque receptum jus eſt in Italia & Hiſpania, ſed non in Gallia, Belgio, & Germania. Plura vide inferius huc pertinentia in can.48. Agathenſi & quæ inibi obſervavimus.

19. Can. XXV. & ultimus Antioch. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes qui indigent cum ſumma reverentia & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam in ſuis quàm in fratrum qui ab eo ſuſcipiuntur neceſſarijs uſibus profuturis, itaut in nulla qualibet occaſione fraudentur, juxta Apoſtolum ſanctum dicentem; habentes victum & tegmentum his contenti ſimus. Quod ſi contentus iſtis minimè fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos; & commoda Eccleſiæ agrorumque fructus, ſine Presbyterorum & Diaconorum conſcientia pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis, aut propinquis, aut fratribus filiyſque committat, ut per hujuſmodi perſonas cæteri Clerici lædi videantur, Synodo Provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliàs accuſetur Epiſcopus aut Presbyteri qui cum ipſo ſunt, quòd ea quæ pertinent ad Eccleſiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Eccleſiaſtica facultate ſibimet uſurpent, ita ut affligantur quidem ex hoc pauperes, criminationi autem & blaſphemiis tam ſermo prædicationis, quàm hi qui diſpenſant taliter exponantur, & hos oportet corrigi, ſanctâ Synodo id quod condecet examinante.*

Colligito inde primariam olim fructuum & oblationum Eccleſiæ curam ad Epiſcopum pertinuiſſe, necnon horum diſtributionem, tum Clericis, ut Cyprianus loquitur, ſportulantibus, tum egenis, tum hoſpitibus, tum Eccleſiæ Sartis tectis diſpenſandam. Quod idem ſancitur Apoſtolorum canone 40. qui citatur c. præcipimus 12.q.1. Declaratur pariter in c.7. Gangrenſis Concilij. Paſchalis Papa II. ſic in ſuis Decretis monet: *Canone Apoſtolorum ſtatutum eſt, ut omnium rerum Eccleſiaſticarum curam Epiſcopus habeat, & eas veluti Deo contemplante diſpenſet.* Singulis autem menſibus oblationes Eccleſiæ in ſportulis olim inter Clericos diſtribuebantur, ſaltem in Eccleſijs Africanis, ideoque vocat eas Cyprianus epiſt.34. diviſiones menſuarias, id eſt menſtruas.

20. Triennio poſt celebratam, de qua egimus, Synodum Antiochenã in encæniis, cujus Canones communi, ut probatum eſt, orthodoxorum ſimul & Arianorum conſenſu editos diſcuſſimus, convenere eòdem denuò Ariani Epiſcopi, in quo Antiocheno conventu editas in priſtina Synodo formulas

mulas fidei rejecerunt, & quintam procuderunt quatuor illis præcedentibus prolixiorem, quâ multas Arij de Chriſto blaſphemias execrantur; ſed omnimodam cum Patre æqualitatem & conſubſtantialitatem confiteri refugiunt: Deum tamen de Deo patre natum ante omnia ſæcula profitentes, neque duos Deos ſed unum cum patre Deum, patre tamen inferiorem atque minorem, patrique ſubjectum, ab eoque creatum, ſed non perinde ut reliquæ creaturæ quas pater per filium condidit. Quintam iſtam formulam à ſe procuſam ad Occidentis Epiſcopos tranſmiſerunt, à quibus rejecta merito eſt. Narrat fuſius hæc Socrates lib. 2. cap. 19. Sozomenus lib. 3. cap. 5. ipſéque Athanaſius lib. de Synodis, hæc dicens. *Rurſum cum iſtorum* (ſcilicet quatuor formularum fidei) *pœniteret, poſt triennium in conſeſſum veniunt.* Pſeudoſynodus hæc Antiochena anno 344. peracta fuit. Hilarius Pictavorum Epiſcopus elegantem & pereruditum librum de Synodis conſcripſit, quem ſequenti ſæculo Hieronymus dum in Gallia verſabatur à ſe propria manu exſcriptum teſtatur, in quo ſelectam ex quatuor formulis fidei in priore Antiochena Synodo procuſis, ſecundam Catholico ſenſu exponit: in qua nihil aliud videtur deſiderari poſſe præter Conſubſtantialis vocem tantopere Arianis exoſam & inviſam.

## *SYNODVS OECVMENICA Sardicenſis anni à Chriſto 347.*

1. COnſtans, qui poſtquam in Conſtantini fratris natu majoris demortui ditiones & provincias ſucceſſerat, totius Occidentis ſolus regebat imperium cum eſſet Nicænæ fidei ſtudioſiſſimus cultor, quam frater Conſtantius Orientis tenens imperium omni conatu convellere ac profligare nitebatur, adhibitis tum precibus tum belli indicendi interminationibus, hoc ab illo tandem obtinuit, ut de amborum conſenſu œcumenica Synodus Sardicæ cogeretur ad eum effectum commodiſſimæ, quippe quæ confinis eſſet civitas ac intermedia provinciis Orientis & Occidentis inter Illyricum Mœſiam & Thraciam conſtituta. Eamdem Theodorus Balzamon ſuo ſæculo Triaditzen vocitari ſcribit.

2. Anno igitur Chr. 347. Sub Julio Romano Epiſcopo, Rufino & Euſebio Conſulibus, ut Socrates lib. 2. cap. 15. & Sozomenus lib. 3. cap. 11. tradunt, in cauſa tantopere ventilata in Arianorum Pſeudoſynodis, & in Romanis tribus ſub Julio Papa Concilijs, nec non in Alexandrino Catholico atque legitimo convocata eſt hæc Sardicenſis Synodus. Oſius Cordubæ in Hiſpania Epiſcopus huic præſedit tanquam patronus & director, à quo proponebantur ſingula in Concilio decernenda, quique primus omnium ſubſcripſit: deinde Protogenes Sardicæ Epiſcopus, tum quos Athanaſius ad ſolitarios dicit Julij Romæ Epiſcopi Legatos, Archidamus & Philoxenus Presbyteri. Huic interfuere pluſquam trecenti Orthodoxi Epiſcopi ut Athanaſius qui ipſe in hac Synodo conſedit teſtatur, in apologiæ ſuæ ſecundæ exordio. Idemque paulo inferiùs ſubſcripſiſſe refert trecentos quadraginta quatuor. Socrates verò aſſerit interfuiſſe Occidentalium Catholicorum numerum trecentorum ſeptuaginta ſex lib. 2. cap. 16. Præter quos Sardicam convenere Orientales ex Arij & Euſebianorum colluvie ſeptuaginta ſex Epiſcopi qui cauſæ ſuæ diſſiſi ex urbe Sardica Philippopolim Thraciæ conceſſerunt, pſeudoſynodum ibidem habituri, ſub præſide Stephano Epiſcopo Antiocheno.

3. Agitatum eſt in primis de Athanaſio ab Euſebianis damnato & abdicato judicium, citatique illius accuſatores & damnatores, ut accuſationum & condemnationum ſuarum cauſas rationéſque proferrent & proſequerentur. At illi, qui perfidiarum ſuarum conſcij ſeſe jam ſubduxerant, ſpreto vadimonio in priſtina malitia fuere contumaces. Reviſa ſunt Sardicæ acta & proceſſus Tyrij Conciliabuli, Romanique Concilij, & quæcumque Legati Euſebianorum eadem in cauſa apud Julium Romæ adverſus Athanaſium produxerant: cunctíſque accuratiſſimè circumſpectis, pro Athanaſio dicta ſententia eſt. Simile retulere abſolutionis judicium Marcellus Acyræ, Aſclepas Gazæ, aliíque ab Arianis abdicati Antiſtites, & conſtitutum ut ad proprias Eccleſias remearent, expulſis ab Alexandria Gregorio, Ancyrâ Baſilio, & Gazâ Quintiano harum Eccleſiarum invaſoribus. Quin etiam aliquot Arianos Præſules ex his qui Philippipolim ſeceſſerant, juridicè citatos & coram adeſſe detrectantes, examinatis eorum actis damnarunt, & ſedibus Eccleſiarum dejecerunt, Stephanum Antiochiâ, Menophantem Epheſo, Acacium Euſebij ſucceſſorem Cæſaræâ Palæſtinæ, Gregorium Laodicæâ, Theodorum heracleâ, Narciſſum Neroniade, Vrſacium Syngidone, Valentem Murſo in Pannonia. De his omnibus Sardicenſes patres literas ad Julium Pontificem, ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos & ad Ægypti Eccleſias conſcripſere, aliáſque inſuper ad univerſas Eccleſias. Nullum verò fidei Symbolum ediderunt, exiſtimantes Nicænum ſufficere: longè ab Arianorum inſtabilitate novas ſubinde fidei formulas fingentium atque refingentium, diſcrepantes. Quod etiam decreto ſuo confirmavere Sardicenſes: id enim prodit Athanaſius ſcribens ad Antiochenos *Sancta* (inquit) *Synodus quæ Sardicæ convenit, decreto ſuo ſancivit ne quid ulterius de fide ſcriberetur, & ſeſe contentos eſſe Nicænâ fide declararunt, ut cui nihil deeſſet, & in qua integra & ſolida pietas contineretur. Neque edendam eſſe aliam profeſſionem fidei, ne illa quæ Nicææ ſcripta eſt ſuos numeros non habere videretur, neve illis quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant.*

4. Can. Sacerdicenſis I. *Oſius urbis Corduba Epiſcopus dixit: Non tam mala conſuetudo, quàm corruptiſſima rerum corruptela eſt ex ipſis fundamentis penitus extirpanda, ne cui Epiſcopo liceat à parva civitate in aliam migrare. Ejus enim cauſæ prætextus eſt manifeſtus propter quem talia tentantur. Nullus enim Epiſcopus adhuc inveniri potuit qui à majori civitate in minorem transferri ſtuduerit. Vnde conſtat eos habendi plura cupiditate ſuccendi, & magis arrogantiæ ſervire, ut videantur majorem habere poteſtatem: placétne hoc omnibus ut hujuſmodi improbitas acerbiùs vindicetur? Exiſtimo enim eos ne laicam quidem habere debere communionem.*

*munionem. Omnes Epiſcopi dixerunt : placet omnibus.*

Conſulito quæ ſuperius adnotavi ad Nicænum can. 5. quo pœna tranſilientium ab uno ad alterum Epiſcopatum ſtatuitur, ut compellantur priſtinam quam deſeruerant Eccleſiam reſumere. At Sardicenſis canon vult eos utraque carere, & inſuper omni etiam laicâ communione arceri. Non deſunt tamen in oppoſitum priſca exempla : ſed canonum non autem infractionis conſuetudine regi debet Eccleſia, niſi contrarium ſuadeat gravis aut neceſſitas aut utilitas illius, omni poſthabito ad ſingulos homines affectu atque reſpectu. Certum eſt non niſi divino ſpiritu impulſum ( quod etiam ſuadebat maxima univerſæ Eccleſiæ neceſſitas ) Principem Apoſtolorum Petrum Antiochiâ exceſſiſſe, ſuamque ſedem Romæ fixiſſe, quæ caput Imperij erat, & ubi Chriſtus nondum fuerat annunciatus. Gregorius Nazianzenus, poſt adminiſtratam Saſimorum & Nazianzenam Eccleſiam, conſenſit electioni ſuæ ad Conſtantinopolitanam, Meletius priuſquam Antiochenam capeſſeret Eccleſiam, alteram jam rexerat ſcilicet Sebaſtenam in Armenia, ut teſtantur Hieronymus in Chronico, vetereſque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ autores, Rufinus, Socrates, Theodoritus, Sozomenus. Similiter Euſtathius laudatiſſimus Antiochenæ Eccleſiæ Præſul, Eccleſiam prius Berœæ in Syria rexerat, ut fidem facit in Catalogo ſcriptorum Hieronymus. Alia multa hujuſmodi congerit exempla Socrates lib. 7. cap. 37. Sed utrum illa omnia licitè peracta fuerint viderit idem ipſe qui retulit. Quin etiam addit Canon 2. Sardicenſis ut ſi quis Epiſcopus fraudulenter alterum ambiverit Epiſcopatum, ne quidem in exitu vitæ laicâ communione dignus habeatur.

5. Canon III. *Oſius Epiſcopus dixit hoc quoque neceſſariò eſt adjiciendum ut nullus Epiſcoporum ex ſua provincia in aliam provinciam, in qua ſunt Epiſcopi, tranſeat niſi utique à ſuis fratribus vocetur, ne videamur dilectionis fores claudere. Hoc autem etiam ſimiliter providendum eſt, ut ſi in aliqua provincia Epiſcoporum quiſpiam adverſus fratrem ſuum & coëpiſcopum negotium habet, neuter eorum ex alia provincia Epiſcopos cognitores evocet. Si quis autem Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus viſus fuerit & exiſtimet ſe non malam ſed bonam cauſam habere, ut etiam rurſus judicium revocetur, ſi veſtræ dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ab iis qui judicaverunt ſcribatur Iulio Romanorum Epiſcopo, & per propinquos provinciæ Epiſcopos ſi opus ſit judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat. Si autem probari non poteſt cauſam eſſe talem, ut ea rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia.*

Primâ hujus canonis parte ſapienter proviſum eſt, ne inter Epiſcopos alij alijs offendiculo ſint, dum alij aliorum provincias parœciaſque per ambitionem & mutuam æmulationem peragrant, ſuique oſtentatione & faſtu diœceſanos aliis ſubditos in ſui cultum & admirationem proprijque Epiſcopi deſpectum excitant. Quòd utique vitium Euſebianis Epiſcopis de Imperatoris gratia ſuperbientibus & adverſum Orthodoxos Antiſtites inſultantibus erat frequentiſſimum. Huic conſonat canoni hujuſce Synodi canon XI.

6. Altera canonis pars non minore ſapientiâ providet ut Epiſcoporum ad Apoſtolicam ſedem appellationes admittantur : id enim dirimendis Epiſcoporum litibus peropportunum eſt, ut recurſus interjiciatur ad ſupremum Eccleſiæ tribunal, à quo demum cauſæ ita definiantur ut nulla ſuperſit provocatio. Nemo Marcionis hiſtoriam neſcit, ab excommunicatione ſibi à proprio patre Ponti Epiſcopo inflicta ad Pium Papam recurrentis, ut tradit Epiphanius hære. 42. Fortunatus pariter & Felix à Cypriano Carthaginenſi depoſiti ad Cornelium Pontificem provocarunt, ut colligitur ex Cypriani epiſt. 55. ad eundem Cornelium. Baſilides quoque in Hiſpania gradu motus ad Stephanum ſummum Pontificem provocavit, eodem Cypriano teſte epiſt. 68. Athanaſius alijque Epiſcopi, ab Arianorum Conciliabulis abdicati, ad Julium Epiſcopum Romanum appellantes ſuis ſedibus priſtinis ejus judicio reſtituti ſunt. Idque judicium præceſſit Synodum Sardicenſem, ut initio ſecundæ apologiæ ſuæ perſpicuum facit idem Athanaſius. Exinde poſt Sardicenſe decretum Joannes Chryſoſtomus à Concilio depoſitus, cui præerat Theophilus Alexandrinus, ad Innocentium Papam provocavit, ut ex duabus ejus epiſtolis ab ipſo ad eundem ſcriptis liquet. Flavianus, à Dioſcoro Alexandrino in pſeudo Synodo Epheſina Epiſcopatu dimotus, Leonem Romanum Epiſcopum imploravit ut ſcribit Liberatus in breviario cap. 12. Ad eundem ſimili remedio recurrit Theodoretus Epiſcopali ſede ejectus, ut fidem facit ejuſdem ad Leonem epiſtola. Gregorius primus lib. 2. epiſt. 6. Sacrâ ſuſpendit communione Joannem Epiſcopum primæ Juſtinianæ, eò quòd Thebanum Epiſcopum poſt ejus ad Apoſtolicum tribunal provocationem judicare auſus fuiſſet. Summus Pontifex Leo Magnus ita de iſtiuſmodi appellationibus ſuũ perhibet teſtimoniũ epiſt. 89. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis : *Nitimur conſilio maturiore corrigere, & veſtrarum Eccleſiarum ſtatum communicato vobiſcum labore componere; non nova inſtituentes, ſed vetera renovantes : ut in ſtatu conſuetudine quæ nobis à noſtris patribus eſt tradita perduremus, & Deo noſtro per boni operis miniſterium, remotis perturbationum ſcandalis, placeamus. Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam ſedem pro ſui reverentia à veſtræ etiam provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum aut retractata aut confirmata fuiſſe judicia.*

7. Can. IV. *Gaudentius Epiſcopus dixit: ſi videtur neceſſe eſſe adjici huic ſententiæ quam ſincerâ dilectione plenam protuliſti, ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum qui ſunt in vicinia, & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere, non prius in Cathedram alius ſubſtituatur quàm Romanus Epiſcopus cauſâ cognitâ ſententiam tulerit.*

Prudens

Digitized by Google

Prudens neceſſariáque admonitio propter violatum jus ab Arianis, qui depoſito à ſeipſis Athanaſio & ad Julium Papam appellanti, Gregorium Cappadocem ſuffecere. Legitimus enim interjectæ appellationis effectus eſt ſuſpenſio judicij anterioris, & devolutio ad judicium ſuperioris tribunalis. l. unica ff. nihil novari appellat. interpo. & c. ad hæc & c. propoſuit de appellat.

8. Can. V. *Oſius Epiſcopus dixit, & hoc placuit ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & omnes judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint: Si appellaverit qui dejectus videtur, & confugerit ad beatiſſimum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, & voluerit ſe audiri: ſi juſtum putaverit ut renovetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur Epiſcopus Romanus qui in finitima & propinqua altera provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſuâ moverit Epiſcopum Romanum ut de latere ſuo Presbyteros mittat, erit in poteſtate ipſius quid velit, & quid æſtimet. Si decreverit mittendos eſſe qui cum Epiſcopis præſentes judicent, ut habeant etiam autoritatem illius perſonæ à qua deſtinati ſunt, erit in ejus arbitrio. Si verò crediderit ſufficere ut Epiſcopi comprovinciales negotio terminum imponat, faciet quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.* Canon iſte qui in editione Græca notatur quintus, in editionibus Dionyſiana & Iſidoriana collocatur ſeptimus.

Can. VI. *Licentia verò danda non eſt ordinandi Epiſcopum aut in vico aliquo aut in civitate modica cui ſufficit unus Presbyter: quia non eſt neceſſe ibi Epiſcopum fieri ne vileſcat nomen Epiſcopi & autoritas.*

Hoc idem ſtatuitur in Concilio Laodicæno can. 57. quem inferiùs require. Eódem ſpectat apud Gratianum diſtinctio 80. per totam.

9. Can. VII. Editionis Græcæ, qui eſt VIII. Dionyſianæ & Iſidorianæ. *Oſius Epiſcopus dixit: importunitates & nimia frequentia & injuſtæ petitiones fecerunt nos non tantam habere gratiam vel fiduciam, dum quidam Epiſcopi non ceſſant ad Comitatum ire & maxime Afri, qui ſicut cognovimus ſanctiſſimi fratris & coepiſcopi noſtri Grati ſalutaria conſilia ſpernunt, atque contemnunt; ut non ſolùm ad Comitatum multas & diverſas Eccleſiæ non profuturas cauſas perferant, neque ut fieri ſolet & oportet, ut pauperibus, aut viduis, aut pupillis ſubveniatur, ſed ut dignitates & adminiſtrationes ſæculares quibuſdam poſtulent. Hæc itaque pravitas olim non ſolùm murmurationes ſed & ſcandala excitat. Honeſtum eſt autem ut Epiſcopi interceſſionem his præſtent qui iniquâ vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus expoliatur; ſi tamen iſta nomina juſtam habeant cauſam aut petitionem. Si ergo vobis fratres chariſſimi placet, decernite ne Epiſcopi ad Comitatum accedant, niſi fortè hi qui religioſi Imperatoris literis invitati vel evocati fuerint. Sed quoniam ſæpe contingit ut ad miſericordiam Eccleſiæ confugiant qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel in inſulis damnantur, aut certè quamcumque ſententiam accipiunt: ſubveniendum eſt his, & ſine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite ſi vobis placet. Vniverſi dixerunt placet & conſtituatur.*

Inſequentes canones eódem ſpectant. Sanciunt enim ne quis Epiſcopus eat in Comitatum ſeu Principis aulam, niſi ab ipſo Principe accerſitus: cujus literas hæc Synodus exhiberi vult aut Metropolitano aut Synodo provinciali, à quibus etiam tenetur Epiſcopus literas commendatitias referre. Quod ſi Romæ verſetur Imperator, ne quis Epiſcopus extraneus ei ſupplices libellos offerat niſi prius lectos & approbatos ab Antiſtite Romano. Cum Epiſcopis has leges transgredientibus omnis interdicitur communicatio. Sancivit ut Epiſcopi civitatum, quæ in canali ſunt, accedentes in aulam Epiſcopos admoneant, ut ex ipſo loco Diaconum ſuum ad Principem mittant, ipſe verò extraneus Epiſcopus in ſuam ſe parœciam recipiat. Sed ſi hic refractetur non eſt à cæteris Epiſcopis in communionem recipiendus. Quin potius ſervatâ judiciorum formâ dignitate ſpoliandus. Epiſcopi porro qui in canali dicuntur conſtituti, illi ſunt qui ſedes habent in curſu publico, viâ nimirum quâ publici equi per ſtationes ad iter agendum poſiti erant ut docet l. 15. Cod. Theod. de cauſa publica. Mirificè Chryſoſtomus homil. 57. in Gene. invehitur in Prælatos cupiditatibus ſæcularibus addictos, ſuique paſtoralis officij negligentes: ubi obſervans quantâ ſolicitudine, quantâ laborum die noctéque aſſiduitate, quantis propriis corporis incommodis Jacob gregem ſoceri ſui Labani curaverit, Gene. 31. commonſtrat quàm deploranda & divinæ ultionis aſperitate vindicanda ſit, Prælatorum circa ſibi commiſſum à Deo gregem non pecudum, ſed animarum Chriſti ſanguine redemptarum incuria, & neglectus, pro quarum ſalute ille ineffabili charitate mortem crucis oppetiit.

10. Can. X. Græcæ editionis ſed Dionyſianæ & Iſidorianæ XIII. *Oſius Epiſcopus dixit: hoc quoque neceſſarium exiſtimo ut cum omni cura & diligentia examinetur; ut ſi quis ex foro ſive dives ſive ſcholaſticus Epiſcopus fieri dignus habeatur, non prius conſtituatur quàm Lectoris & Diaconi & Presbyteri miniſterium peregerit in unoquoque gradu ut ſi dignus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit aſcendere. Habebit autem uniuſcujuſque ordinis gradus non minimi, ſcilicet temporis, longitudinem, per quod & fides & morum integritas & conſtantia & moderatio poſſit cognoſci, & ipſe divino Sacerdotio Dignus exiſtimatus maximum honorem aſſequatur. Neque enim convenit, neque ſcientia & bona converſatio*

Digitized by Google

*converſatio hoc recipit, ut temerè & leviter ad id accedatur, ut Epiſcopus vel Presbyter, vel Diaconus promptè ac facilè conſtituatur. Sic enim meritò neophytus exiſtimetur. Quandoquidem & Beatiſſimus Apoſtolus qui fuit etiam Doctor gentium prohibuiſſe videtur, ne celeres fiant ordinationes. Longiſſimi enim temporis probatio & converſationem, & cujuſque mores non improbabiliter exprimere poterit. Omnes dixerunt ipſis placere, & omninò non oportere ea ſubvertere.*

Notatu dignus canon circa ordinationum interſtitia. Concilium Carthaginenſe tertium anni 397. canonibus 4. & 5. vetat ante viginti quinque annos Diaconum ordinari, Virgineſque conſecrari. Hoc ipſum confirmat anno Chriſti 506. Concilium Agathenſe canon. 16. quod deinde canon 17. præfigit annum 30. ordinationi Sacerdotum atque Epiſcoporum. Et legitur in Decreto diſtinct. 77. cap. Epiſcopus benedictionem. Arelatenſe quartum anni 524. canon. 1. Diaconi ordinationem fieri ante completum annum ætatis vigeſimum quintum: Sacerdotij verò ante trigeſimum pariter completum prohibet. Poſtmodum Toletanum ſecundum can. 1. indulget ut poſſit Subdiaconatum ſuſcipere anno vigeſimo, ſed Diaconatum non ante vigeſimum quintum planè exactum. Id coactum Concilium fuit anno 531. his ſuccedens Vormatienſe anno 868. can. 69. annos præſcribit viginti quinque Diaconorum ordinationi. Clemens Papa V. Clem. ultimâ de ætat. & qualit. aſsignat annum decimum octavum ad Subdiaconatum, Diaconorum conſecrationi vigeſimum, Sacerdotio vigeſimum quintum. Noviſsimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 12. ita Sancit: *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur.* Si plura quis expetat perlegat Gratiani diſtinctiones 28. & 77. Jure antiquo poterat quis jam uſque ab ipſa infantia in Clericum initiari, atque Clericali militiæ adſcribi; ut conſtat ex epiſtol. 1. cap. 3. Zoſimi Papæ ad Eſychium, & ex cap. in ſingulis diſtinct. 77. & ex ex Concilio Toletano ſecundo canon. 1. & cap. de ijs diſtinct. 28. Infantia verò non computatur ultra ſeptennium exactum, l. ſi infanti Cod. de jure deliber. Ex quo infert gloſſ. in d. cap. de ijs poſſe infantem ſeptennem tonſurari, & ad ſimplex beneficium promoveri. Quo jure hactenus uſa eſt Gallia, exceptis canonicatibus. Sed Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de refor. cap. 6. vetat conferri ullum beneficium qualecumque ſit aut ſuſcipi ante decimum quartum annum.

11. Canon editionis Græcæ XIII. Dionyſianæ autem & Iſidorianæ XVI. *Oſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque omnibus placeat ut ſi Diaconus, vel Presbyter, vel etiam ex Eccleſiaſticis aliquis ſit excommunicatus, & ad alium Epiſcopum qui eum novit confugerit, ſcientem eum à proprio Epiſcopo communione motum, non oportere Epiſcopo & fratri ſuo injuriam facientem ei communionem præbere. Sin autem hoc facere auſus fuerit, ſciat cum convenerint Epiſcopi ſeipſum cauſam eſſe dicturum. Omnes Epiſcopi dixerunt: hoc judicium & pacem uſque cuſtodiet, & omnium concordiam tuebitur.* Vide ſuperius Canon. V. Nicænæ Synodi cum Scholijs noſtris.

12. Canon XI. Græcæ editionis ſed Dionyſianæ atque Iſidorianæ XIV. *Oſius Epiſcopus dixit: Et hoc quoque ſtatuere debetis ut Epiſcopus ſi ex alia civitate convenerit ad aliam civitatem, vel ex Provincia ſua ad aliam Provinciam, & ambitioni magis quam devotioni ſerviens, voluerit in aliena civitate multo tempore reſidere: Fortè enim evenit Epiſcopum loci non eſſe tam inſtructum neque tam doctum: is vero qui advenit incipiat contemnere eum & frequenter facere ſermonem, ut dehoneſtet & infirmet illius perſonam; ita ut ex hac occaſione non dubitet relinquere aſſignatam ſibi Eccleſiam, & tranſeat ad alienam. Definite ergo tempus, quia & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutius reſideat in alieno perniciosum. Hoc ne fiat providendum eſt. Memini autem ſuperiore Concilio fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi laïcus in ea in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id eſt tres ſeptimanas non celebraſſet conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa laïcos conſtituta ſunt, multò magis Epiſcopum nec decet nec licet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas, quæ detineat, ut amplius à ſupra ſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua. Vniverſi dixerunt placere ſibi.*

Concilium illud canone iſto commemoratum eſt Illiberritanum, cui idem ipſe qui loquitur Oſius interfuit. Hoc enim de laïcis conſtituit Illiberritanus canon 21. Mens ergo Patrum Sardicenſium eſt, ne citra urgentem neceſsitatem Epiſcopus extra Parœciam ſuam tres integras ſeptimanas exigat. Laïcos etiam qui datâ operâ tribus Dominicis à Parochiali Eccleſia abſiſtunt Concilium Ravennenſe cui Ioannes Papa VIII. præſedit privat communione.

13. Canon in Græco XV. in aliis editionibus XIX. *Oſius Epiſcopus dixit: Hoc quoque omnes definiamus ut ſi quis Epiſcopus ex alia parœcia velit alienum miniſtrum ſine conſenſu proprij Epiſcopi ordinare, irrita & inanis hujuſmodi ordinatio exiſtimetur. Si qui autem hoc ſibi ipſis permiſerint, à fratribus & Coëpiſcopis admoneri & corrigi debent. Omnes dixerunt: Hoc quoque decretum ſtet firmum & immobile.*

Vide ſimilem canonem Nicænum 17. & Antiochenum 13. & 22. atque inibi à nobis obſervatos ſimiles alios Canones.

14. Canon in Græco XVI. alibi XX. *Aëtius Epiſcopus dixit: Non ignoratis qualis quantaque ſit Theſſalonicenſium Metropolis. Sæpe itaque ad eam ex Provincijs Presbyteri & Diaconi accedunt, & brevis temporis morâ non contenti permanent, & omne tempus illic agentes tranſigunt, aut vix tandem poſt plurimum tempus in ſuas Eccleſias reverti coguntur. De ijs ergo definiendum eſt. Oſius Epiſcopus dixit: Ea decreta quæ de Epiſcopis conſtituta ſunt ſerventur etiam in hujuſmodi perſonis.*

Qui in iſto Canone loquitur, ut ex ſubſcriptione liquet hujus Synodi erat Theſſalonicenſis Epiſcopus: ideoque de propria Eccleſia proviſum eſſe voluit. Theſſalonica porro celeberrima eſt Macedoniæ Metropolis nobiliſſimumque fuit Orientis emporium. Ad hanc verò plerique Clerici confluebant, non tantùm loci amœnitate & ſplendore civitatis illecti, ſed etiam ad cauſas & lites Eccleſiaſticas proſequendas ad hujus Metropolitæ tribunal, cujus erat ampliſsima juriſdictio in univerſas Macedoniæ, Daciæ, Myſiæque Eccleſias, eamque Illyrici partem quæ ad Orientis Imperium pertinebat, ut fidem facit Theodoritus lib.5. hiſt. Eccleſ. cap.17. At verò alterius Illyrici partis, quæ ditione comprehendebatur Occidentalis Imperij, quod tempore hujuſce Concilij à Conſtante regebatur caput & Metropolis erat Sardica civitas, in qua peractum fuit iſtud quod exponimus Concilium. Quod quidem tametſi fuerit generale, quia tamen nihil novi circa fidem definivit, ſed Nicænam definitionem quæ præceſſerat ſtabilivit & confirmavit: idcirco Zoſimus Pontifex Romanus, ut ex Carthaginenſi VI. Concilio liquet, Sardicenſes canones Nicæno Concilio adſcribit, & vetuſtiſsimus Codex canonum quo utebatur Romana Eccleſia ſub unico Nicæni Concilij titulo, ut ex editione Queſneliana perſpicuum fit, Nicænos & Sardicenſes omnes unà canones comprehendit. Prætereaque Gregorius Magnus lib.2. epiſt.10. Iſidorus lib.8. etymolo. cap.16. Beda lib. de temporib. cap.65. alijque nonnulli in enumeratione Conciliorum generalium Sardicenſe tanquam Nicæni appendicem ſilentio prætereunt.

## *CONCILIABVLVM SARDICENSE, ſeu potius Philippenſe Arianorum anni ejuſdem cum legitimo præcedente.*

1. EXPERIMENTO nimis frequenti compertum eſt veriſsimè ab Hieronymo, in vita Malchi monachi, aſſeri: Eccleſiam Chriſti poſtquam ad Chriſtianos Principes devenit, potentiâ quidem & opibus ſplendidiorem, ſed virtutibus minorem evaſiſſe. Otium enim & proſperitas ſuperbiam atque hæreſes invexerunt, à quibus reliquæ animorum peſtes, omniſque generis vitia propagata ſunt. Profligatis à Conſtantino magno tyrannis Chriſtianorum perſecutoribus Maximiano, Maxentio, Licinio, Maximino, pleroſque Eccleſiæ Antiſtites aulica inceſſit ambitio, adulatio, luxus, invidia, ſuperbia; inde diſſidia, hæreſes, calumniæ, & mutuæ inſectationes odiaque infenſiſſima, adjuvante & promovente Conſtantio Ariano Principe ab hæreticis Epiſcopis dementato. Igitur poſtquam Catholici Principis Conſtantis generoſo conatu Conſtantius Arianus conſenſit in Sardicenſe Concilium ad dirimendas de religione controverſias, Sardicæ indicta eſt œcumenica Synodus. Epiſcopi orthodoxi toto ferè ex Occidente ad commune bonum, pacemque componendam ſtabilem ac diuturnam, confluxere. Ariani quoque rogati Sardicam advenere numero ſeptuaginta tres animis obſtinatis, tantùm ne viderentur tantopere deſideratam communem concordiam averſari. Revertentes tamen ſe numero cæteris impares, neque ſperantes ullum à Conſtantio ejuſve Comitibus præſidium, qui orthodoxis inſultare diriſque eos comminationibus percellere ſolebant, aſtuto conſilio ſeſe à Catholicis ſubduxerunt. Et quamvis illos ad ſe Catholici miſſis Legatis invitarent, obnixeque detrectantes, ad Synodum ab ambobus Imperatoribus indictam juridicè demum citarent, illi Sardicâ diſcedentes Philippos Thraciæ urbem conceſſerunt, atque ita ſeorſim utrique Synodum ſuam habuere. Sardicenſes Synodum auſpicantur à diſcuſſione cauſæ tantoperè agitatæ Athanaſij Alexandrini, Marcelli Ancyrani, & Aſclepæ Gazenſis, aliorúmque quos Euſebiani calumnijs depoſitionibus & exiliis fuerant inſectati, omnibuſque ad amuſsim exploratis pronunciant innocentes & injuſtè ſedibus ſuis ejectos, acta reſcindunt Arianorum Epiſcoporum eorumque non paucos ſedibus & dignitatibus exautorant & in ordinem redigunt Gregorium Alexandriâ, Stephanum Antiochiâ, Baſilium Ancyrâ, Quintianum Gazâ, Urſacium Singidone, Valentem Murſo depellunt. Legatos cum literis ad Imperatores mittunt rogantes ut ipſorum ſtudio, & ſollicitudine ſacri Concilij decreta executioni mandentur. Synodicas epiſtolas ad Julium Papam, ad Alexandrinam Eccleſiam, ad omnes Eccleſias ad univerſos Epiſcopos quarum permultæ referuntur ab Athanaſio in Apologiis & ad Solitarios, & ab Hilario in fragmentis.

2. Ex adverſa parte Ariani Philippos, ſeceſſerunt præſidente illorum conventui Stephano Antiocheno. Sciendum duas eſſe Philipporum civitates, unam quidem Macedoniæ prædicatione Pauli Apoſtoli, ejuſdemque Epiſtolâ ad Philippenſes inſignem. Alteram in Thracia, cujus eſt apud Plinium mentio lib.4. cap.11. In iſta verò Thraciæ habita eſt Pſeudoſynodus, ut Socrates alijque veteres Scriptores tradidere. Iſta hæreticorum cohors omnes tranſiliens religionis & modeſtiæ fines, adverſus Julium Romæ Pontificem, Oſium Cordubenſem, Maximinum Trevirenſem alioſque Præſules Orthodoxos, eo nomine quod Athanaſio alijſque Epiſcopis Tyriâ Synodo damnatis communicarent eiſque patrocinarentur anathematis ſententiam dixit: novam fidei formulam haud contenta multiplicibus à ſe in Concilio Antiocheno fabricatis, procudit quam Sardicenſem denominavit: in qua condemnatis (ut in Chriſtum religioſior videretur) quibuſdam

Digitized by Google

huſdam Arij blaſphemiis à conſubſtantialitate conſultò abſtinuit. Præterea ut tradit Sozomenus lib. 3. cap. 10. encyclicas literas ad univerſas Eccleſias & Antiſtites direxit ne Julio alijſve à ſe damnatis communicarent. Præterea ut Donatiſtas quantumvis religione à ſe diverſos demereretur, eorúmque acceſſione & ſocietate ſuas partes augeret, ad Donatum ſcripſit Carthaginis Pſeudoepiſcopum literas ſocietatis. Grato autem legitimo Carthaginis Epiſcopo, qui in ſacra Sardicenſi legitimaque conſederat, infenſiſſimam Synodicam epiſtolam fraudulentis refertam mendaciis conſcripſit quæ in fragmentis Hilarij legitur: quo factum eſt ut Donatiſtæ, in hæreticorum iſtorum ſocietatem adjuncti, falſam iſtam & hæreticam Synodum ſub nomine Sardicenſis totâ Africâ permulgaverint, veramque & Catholicam Sardicenſem omni arte ſuppreſſerint. Ideoque Auguſtinus non aliud Sardicenſe Concilium agnoverit quam Arianorum lib. 3. contra Creſconium cap. 34. & epiſt. 163. inſcripta ad Eleuſium & alios fratres.

3. Hilarius lib. de Synodis adverſus Arianos iſtos refellit homœouſion de filio Dei prædicantes, ſed homouſion ideo rejicientes quia vox iſta in ſacris Scripturis minimè legitur. At ille replicat neque homœouſion in eis legi, quod tamen ſæpè uſurpant, parumque referre de vocibus dum rerum veritas teneatur quam Scripturæ ipſæ confirmant. Additque eoſdem eamdem reprobare vocem eo prætextu, quia in priſcis Antiochenis contra Paulum Samoſatenum Concilijs vox homouſij fuerit repudiata; ſed ſapienter reſpondet hujus rejectionis cauſam fuiſſe, quia hic hæreſiarcha dogmatizabat unicam eſſe totius Trinitatis perſonam; eamque hæreſim quam poſtmodum Sabellius propugnavit Paulum Samoſatenum docuiſſe nomine abuſum homouſij. Nunc verò ab Eccleſia iſtam Catholico ſenſu approbari vocem ad diſtinguendam inter diſtinctas Perſonas unam indiviſam eamdemque naturam ac ſubſtantiam.

## *CONCILIUM CARTHAGINENSE primum ſub Iulio Romanæ Eccleſiæ Pontifice. Anni* 348.

1. SOLUTO Sardicenſi Concilio, Gratus Carthaginenſis Epiſcopus & Africæ Primas, cujus fit mentio in canone Sardicenſi 7. aliàs 8. quique ibidem ſubſcriptus cum triginta quinque alijs Africanis Epiſcopis legitur. Inde ijſdem comitatus Epiſcopis rediens, Conſtantem Auguſtum (cujus imperio parebat Africa) convenit, auxilium rogans contra tumultuantes aſſiduè Donatiſtas. Ille ut eos reprimeret geminos Legatos Paulum & Macarium plenâ inſtructos poteſtate; copiis numeroſis præmunitos in Africam miſit, ut paſſim referunt Optatus & Auguſtinus. Unde ipſi Donatiſtæ cædibus & perturbationibus, omnia miſcentes coërciti ſunt: eorúmque Præſules uſurpatis ſedibus dejecti, exilio compulſi ſunt ſolum vertere: & cum his præcipuè Donatus Carthaginenſis Eccleſiæ invaſor. Horum omnium exilio, & quam Donatiſtæ vocabant perſecutione Macarianâ factum eſt, ut Africanæ Eccleſiæ multos annos tranquillâ felicitate fruerentur: donec mortuis Conſtante & Conſtantio, qui eis ſucceſſit Julianus Apoſtata, in Eccleſiæ perniciem intentus, omnes Donatiſtas poſtliminiò revocavit. Quando autem illis perturbatoribus depulſis Africa in fide unanimi & profundâ pace conquieſceret, Gratus Carthaginenſis iſtud Concilium Carthagine indixit anno Chriſti 348. ut ruinas farciret quas Donati ſchiſma induxerat.

2. Canon. V. *Privatus Epiſcopus Vegeſilitanus dixit: Suggero ſanctitati veſtræ ut ſtatuatis non licere Clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine literis Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere, nec laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet ſine conſenſu Epiſcopi ſui de cujus plebe eſt. Gratus Epiſcopus dixit: hæc obſervantia pacem cuſtodivit: nam memini in Sardicenſi Concilio ſanctiſſimo ſtatutum, ut nemo alterius plebis hominem uſurpet. Sed ſi fortè erit neceſſarius petat à collega & per conſenſum habeat.* Vide ipſos Sardicenſes canones 15. 16. 19. Eamdem præcipiunt diſciplinam Apoſtolorum canones 15. & 16. & maximè 32. *Neminem* (inquit) *peregrinum, ſive Epiſcopum, ſive Presbyterum, ſive Diaconum recipi decernimus ſine commendatitijs literis* ἀνωνυσατικῶν. Theodorus Balſamon ad Apoſtolorum can. 15. ſcribit, opus eſſe volenti Clerico in alieno Epiſcopatu verſari commendatitiis literis: at volenti Clericalia ibidem obire munia, neceſſarias eſſe literas ἀπολυτικὰς dimiſſorias, quales etiam ſumebant aliò proficiſcentes Epiſcopi à ſuo Metropolitano, vel à Synodo Provinciali; ut ſtatutum paulò antè vidimus à Concilio Sardicenſi. Hodie verò ad Clericalia munia in alieno Epiſcopatu obeunda ſufficiunt ſuſcepti ordinis literæ, cum commendatitiis ſeu teſtimonialibus proprij Epiſcopi juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 16. Prohibet verò Synodus Nicæna can. 16. omnem alieni Clerici ordinationem, factamque declarat irritam ubi proprij conſenſus Epiſcopi defuit, qui debuit manifeſtari literarum dimiſſoriarum exhibitione. Quam regulam iterarunt innumera ſubſequuta Concilia.

3. Can. VI. Clericis diſtrictè vetat domorum adminiſtrationem aut procurationem ſuſcipere, cum edicatur 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* Eodem ſpectat Lateranenſis Concilij canon cap. penult. de vita & honeſt. Cler. Maximè verò Chalcedonenſis Synodi can. 3. quem inferius cum additis obſervationibus requirito.

Can. VIII. Interdicit Procuratores, Tutores, negotiorum geſtores in Clerum ordinari, niſi poſtquam redditis ratiociniis liberati fuerint. Habetur in Decreto cap. Magnus Epiſcopus diſtinct. 54.

In ſerie legitimorum Epiſcoporum Carthaginenſium poſt Menſurium eſt Cæcilianus, Cæciliano Rufus ſucceſſit. Rufum Gratus excepit hujuſce Concilij Præſes.

## *MEDIOLANENSIA CONCILIA, primum ex parte Catholicum, ſecundum hæreticum Arianorum.*

1. DUæ Mediolani celebratæ ſunt Synodi circa Nicænam fidem. Prima quidem planè Orthodoxa, imperij Occidentalis (cujus pars erat Mediolanum cum Italia) habenas moderante Conſtante Auguſto. Iſtudque coactum fuit Concilium ſtatim poſt Sardicenſe eodem ipſo anno 347. ut fuſiùs contra Baronium probat Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium notis, & in ſua de Photino diſſertatione. Huic Synodo Mediolanenſi Legati Julij Romani Pontificis interfuere. Ab hoc jam inchoato quatuor Ariani Epiſcopi diſceſſerunt irati, prævidentes in eo reprobatum iri Arianiſmum, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, & Martyrius. Eadem in Synodo Valens Epiſcopus Murſi & Urſacius Singidonis quæ duæ civitates intra ditionem Conſtantis Auguſti comprehendebantur ambabus Eccleſijs deturbati jam à Sardicenſi Concilio, & eaſdem recuperare adnitentes, ſuique Principis inire gratiam ſtudentes, ſupplices pœnitentiæ libellos Mediolanenſibus Patribus obtulerunt, quibus ejuratâ hæreſi Arianâ Nicænam profitebantur fidem; ſuaſque adverſus Athanaſium calumnias ſimul fatebantur & condemnabant. Eademque in Synodo Photinus Syrmij Epiſcopus in Pannonia, qui ob inſtauratam Pauli Samoſatenſis impietatem, Chriſtum nihil aliud quam merum hominem extitiſſe, fuerat paulò antè in Sardicenſi Concilio damnatus, ut Epiphanius teſtatur hære. 71. iteratâ damnationis ſententiam ſubijt à Patribus apud Mediolanum congregatis. Hæc omnia comprobantur tum Oſij ad Conſtantium literis apud Athanaſium epiſt. ad Solitar. tum epiſtola Synodi Ariminenſis apud eundem lib. de Synodis Arimin. & Seleucienſi; & apud Theodoritum lib. 2. cap. 15. & teſtimonio Hilarij ſic dicentis in fragmentis: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus*, &c. Itemque ſupereſt epiſtola Liberij Papæ ad Conſtantium ſcripta, antequam in exilium ipſe mitteretur anno 355. in Hilarij fragmentis, & in calce operum Luciferi, per quem ad Conſtantium hanc miſerat epiſtolam: in qua eidem reſpondet ſollicitanti ut Athanaſij depoſitioni ſubſcriberet. Interque alia ſic ait. *Quæ eſt pax clementiſſime Imperator, cum ſint ex partibus ipſis quatuor Epiſcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius qui ante annos octo cum apud Mediolanum Arij ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exierunt?* Jam ſi demas octo qui præceſſerant annos, in annum aſcendes 347. quo celebrata eſt hæc Synodus Mediolanenſis, unde quatuor illi Ariani Epiſcopi ſe ſubduxerunt: in qua Legati Romani Presbyteri conſederunt, & in qua Valens & Urſacius libellos pœnitentiæ protulerunt. Quæ commemorantur ſimul in epiſtola Catholicorum Epiſcoporum Synodi Ariminenſis ad Conſtantium, quæ Græcè extat apud Athanaſium, Socratem, Theodoritum, Latinè verò apud Hilarium, ſed conciſior & multis mutila quæ Græco exemplari continentur, Latinâque verſione Epiphanij Scholaſtici, in Tripartita hiſtoria lib. 5. cap. 21. his verbis: *Quapropter Vrſacius & Valens quoniam participes & concordes Ariani dogmatis erant à noſtra ſunt communione ſegregati. Quam ut ſuſciperent cognoſcentes delicta, quibus peccaverunt, pœnitentiam & veniam impetrare poſcebant: & reſcripta eorum hæc ita ſe habere teſtantur, per quæ criminum veniam conſequuti ſunt. Erat enim tempus quo hæc geſta noſcuntur, quando Mediolani Synodus celebrata eſt præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris* (Legatos vocat Hilarius.) *Cognoſcentes verò ſimul etiam poſt mortem dignum memoriâ Conſtantinum cum omni integritate & examinatione conſcriptam expoſuiſſe fidem: qui cum ab hac luce baptiſmate percepto deceſſerit & ad præmia debita pacis acceſſerit incongruum eſſe judicamus poſt illum aliquid novitatis admittere.* Quòd verò Conſtantino præſente habitum Mediolanenſe Concilium apud Hilarium legitur, temporum ratio id credere de ſeniore neque de juniore permittit, quos jam mors abſtulerat, ſed id nomen pro Conſtante obrepſit, Principe tum vivente Nicænæque fidei aſſertore.

2. Perperam verò (ut loquitur Petavius) Vrſacij & Valentis iſta reconciliatio in Annalibus confertur in annum Chriſti trecenteſimum quinquageſimum, poſt mortem Conſtantis. Etenim certiſſimum eſt Conſtante ſuperſtite ambos illos reſipuiſſe ac libellos dediſſe, quod Athanaſius ipſe dubium eſſe non patitur, in epiſtola ad ſolitarios; ubi iſtos ait poſt Conſtantis obitum ab Arianis abductos eſſe ut ad vomitum redirent, & ab Athanaſij pariter atque Eccleſiæ Catholicæ communione deſciſcerent, cauſantes metu ſe Conſtantis & ingratiis ad ſimulandum hanc pœnitentiam eſſe compulſos. Hoc verò falsò illos allegaſſe dicit Athanaſius, quòd neque tunc ullus palatinus aut notarius miſſus ſit ad eos qui illos cogeret, ſed nec Imperator quidem adeſſet: verùm ſponte ipſi Romam advolaſſent, & in medio Eccleſiæ cœtu pœnitentiæ palàm libellos protuliſſent. Hæc Athanaſius, ex quibus perſpicuum eſt Conſtante adhuc vivo Valentem & Urſacium Julio pariter & Athanaſio ſupplicaſſe, quod anno trecenteſimo quadrageſimo nono contigit, biennio poſt Mediolanenſem orthodoxam Synodum quæ, ut ſupra commonſtratum eſt, ante annos octo quàm Liberius ad Conſtantium epiſtolam daret indicta ponitur ab eodem Liberio. Unde hoc etiam ſequitur Photini damnationem in Mediolanenſi Catholicorum Concilio anni trecenteſimi quadrageſimi ſeptimi factam eſſe. Athanaſio quoque de ſpontanea Valentis & Urſacij liberâque pœnitentiâ ſuccinit Oſius, teſtis alter omni exceptione major, in ſua ad Conſtantium epiſtola, quam ibidem refert Athanaſius, hæc exprimente: *Cur igitur nunc audis obtrectatores Athanaſij? aut cur toleras Valentis & Vrſacij criminationes pœnitentiâ & ſcripto profitentium ſe calumniam feciſſe? Confeſſi enim ſunt ſuam ſycophantiam non vi adacti ut ipſi cauſantur, cum nulli ibi milites incumberent, & tuus frater neſciret. Nihil enim tale ſub ipſo agebatur qualia nunc fiunt. Sed illi ultro Romam venerunt, & coram Epiſcopo & Presbyteris ibi præſentibus confeſſionem ſuam ſcripto ediderunt, cum prius pacatas literas & amicas ad Athanaſium dediſſent.* Videntur porro Athanaſius & cum eo Oſius contradicere Hilario, qui ſive Conſtantinum ſive Conſtantem præſentem fuiſſe Mediolanenſi Synodo dicit, quo tempore Urſacius & Valens pœnitentiam & veniam

Digitized by Google

niam ab eadem Synodo poſtularunt, cum tamen præſentem fuiſſe conſtanter negent Athanaſius & Oſius. Verumtamen hunc Hilarij locum fuiſſe depravatum conſtans eſt eruditorum judicium. Quòd etiam locus ille Hilarij ſignificet Valentem & Urſacium veniam à Concilio Mediolanenſi meruiſſe, aliter intelligendum quàm verbis videtur exprimi: non enim illos Synodus communioni reſtituit, ſed ambos ad Julium remiſit ut quod Julio Romanoque Concilio viſum foret de illis decerneretur.

3. Anno poſtmodum Chriſti trecenteſimo quinquageſimo religioſiſſimus Conſtans Imperator, Sanctæ Eccleſiæ adverſus oppugnantes Arianos & Donatiſtas defenſor egregius, & vindex interfectus eſt ad Pyrenæos in caſtro cui Helenæ nomen à Gaiſone Magnentij tyranni duce nullis ſuperſtitibus liberis. Dici non poteſt quàm grave vulnus Eccleſiæ Dei tanti Principis interitus inflixerit. Arianorum namque audacia, eo quod hactenus coërcebatur aggere everſo, deinceps immani ferociâ toto terrarum orbe graſſata eſt. Tunc demum vænales illæ animæ Urſacius & Valens è re ſua eſſe cenſuerunt temporibus religionem accommodare, & ad fortunæ varietates quaſi ad ventorum mutationes æternæ ſalutis vela vel expandere vel contrahere Uterque igitur ut Conſtantij gratiam iniret fidem Eccleſiæ datam fregit, ſeque iterum Arianis fœdiſſimo relapſu adjunxit. Magnentius ſublato Conſtante in Conſtantium arma perduellia convertit. Omnibus utriuſque partis viribus confligitur ad Murſiam Pannoniæ urbem. Primo impetu concuſſæ Conſtantij copiæ pedem retulerunt: ſed reſumptis fortiter viribus in Magnentianos ſtrenuè irruperunt, & acie victos internecione profligarunt. Biennio pòſt deſperatis rebus ſuis Magnentius mortem ſibi apud Lugdunum conſcivit. Dum ſe Conſtantius ad prælium adverſus tyrannum comparabat, Gallum patrui ſui Conſtantij magni Conſtantini fratris filium natu majorem creavit ſucceſſorem, dum Antiochiæ verſabatur. Quo tempore Gallus ut cacodæmonis oracula reddentis apud Daphnem ſuburbanum Antiochiæ lucum præſtigias eluderet, ſacra Babylæ martyris oſſa, olim Antiochiæ Antiſtitis ſub Decio Imperatore martyrio affecti, eumdem in lucum, lauris conſitum & fontibus irriguum, quem ethnicorum ſuperſtitio Apollini dicarat, ſolemnibus hymnis & inſigni pompâ, Chriſtianorumque concurſu tranſtulit; eaque tranſlatione factâ dæmon obmutuit & oracula deſierunt. At perfidus Julianus Galli frater minor natu, poſtquam Conſtantio in Imperium ſucceſſit, ſacras Babylæ reliquias inidem transferri juſſit & Apollinis fanum aramque inſtauravit. Sed excuſſo repente fulmine ara ſacrilega disjecta eſt fanumque conflagravit; ut inter alios veteres ſcriptores enarrat Ioannes Chryſoſtomus civis ipſe Antiochenus in libro contra gentes.

4. Ut verò paululum intermiſſum hiſtoriæ Conſtantij Auguſti filum retexamus: dum hujus & Magnentij exercitus acie decernebant, Conſtantius intra Eccleſiam Murſiæ non longè à conflictu exitum ipſius anxiè præſtolabatur, unà cum Epiſcopo loci Valente. Hic occultè diſpoſuerat ut ſibi prælij exitus quàm citiſſimè aliquo indicio ſignificaretur magnâ propoſitâ mercede antequàm Conſtantius id reſcire poſſet. Primus itaque Valens victoriam Conſtantio congratulabůdus nunciavit, & ſiſcitanti undenam id ſciret, aſſeveravit id ſibi ab Angelo revelatum inter ſupplices ad Deum preces: eoque factum ut credulus Imperator, victoriam Valentis orationibus & ſanctitati referens acceptam, acriorem pro Ariana impietate adverſus Orthodoxos perſecutionem exorſus ſit. Nam & per Occidentis regiones hactenus Arianæ perfidiæ ferè inacceſſas longà latéque propagare ſtuduit, uſus maximè opera Urſacij, & Valentis; Fortunatiani Aquileienſis, & Saturnini Arelatenſis Pſeudoepiſcoporum. Cum autem jam ab omni metu liber, & fratris Conſtantis & Magnentij tyranni, urgeret Athanaſij damnationem, & huic ſubſcribere impotenter vellet Liberium Romanum Epiſcopum Julij ſucceſſorem, petijt Liberius cauſam iſtam in plena atque intra Italiæ fines Synodo convocata pertractari.

5. Conſtantius itaque confidens ſe tyrannicâ vexatione ſuáque abſolutâ poteſtate, ſuæque ſectæ gregalium dolis haud dubiè compotem deſiderij fore, ſecundum Mediolanenſe Concilium indixit quod eſt auſpicatum anno trecenteſimo quinquageſimo quinto. Speraverat Liberius in Occidentali Concilio prævalituram Catholicam partem; Et utique Catholici longè numero prævalebant; Res tamen in contrarium vertit ob Conſtantij potentiam, neſcio dicam, an animi impotentiam; qui omnem adhibuit vim ut quæ animo propoſuerat omnium conſenſu comprobarentur; vota Orthodoxorum nihili pendens, ſeque illis excandeſcentem & infenſiſſimum exhibens. Adfuerunt Pontificij Legati Lucifer Calaritanus in Sardania Epiſcopus, Pancratius Presbyter & Hilarius Diaconus. Hi poſtularunt in primis ad ſtabiliendam fidei animorúmque optatiſſimam unitatem & concordiam, ut ab omnibus ſubſcriberetur Nicænæ fidei profeſſioni: quod unum poterat omnia diſſidia componere. Cœpit ſine mora ſubſcribere Dionyſius Mediolanenſium Epiſcopus, ſed ei Valens calamum & chartam per vim extorſit. Ex adverſo inſtant Ariani hanc unam eſſe ineundæ concordiæ rationem & viam, ſi omnes Athanaſij, cujus causâ Synodus præſens fuerat indicta, quemque tot præcedentia Concilia jamdudum proſcripſerant, condemnationi ſubſcribant: neque hac in cauſa de communi fide decerni, ſed de privati hominis delictis. Eoque demum facto cætera ad concordiam prona fore. Dionyſius Arianorum fraudulentis pollicitationibus deluſus ſpondentium de cætero univerſæ Eccleſiæ pacem & unanimitatem cui parandæ unius hominis ſæpius judicati & damnati victima debebatur, cæteroqui nullam ſperandam eſſe communem Eccleſiæ pacem, condemnationi Athanaſij prout Orientales Synodi judicarant ſubſcripſit. Sed cum ſeorſim fortiter coarguit Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, & ad facti hujus pœnitentiam adduxit. Hæc itaque inter innumeras utrinque concertationes, & rixas protracta finitaque ſectio fuit.

6. Poſtridie interpellatus Euſebius profitetur, haud ægrè ſe iturum communis pacis ſtudio in Dionyſij ſententiam circa ipſum Athanaſium, tam multis Synodicis decretis jam exautoratum, dum provideatur ne ſibi ſeniori Antiſtiti junior Dionyſius præferatur. Ideoque illius obliteretur ſubſcriptio, ut cum eidem viſum fuerit iterum ſubſcribat, poſtquam ætate & Epiſcopatu provectior ſuum ut par eſt nomen appoſuerit. Non multùm in oppoſitum contendit Dionyſius. Ariani verò conſen

conſenſione Euſebij omnium laudatiſſimi geſtientes de cujus nutu & exemplo cæteri pendebant partium Occiduarum Præſules, Dionyſij nomen ita eraſerunt nulla ut litera ſupereſſet. Tum verò Euſebius ſimul & Dionyſius apertè proteſtantur ſe damnationi ſanctiſſimi & innocentiſſimi Epiſcopi nunquam conſenſuros, qui non niſi propter juſtitiam & fidei veritatem inſectationes patiebatur. Hæc refert Ambroſius ſerm. 69. Cæteri Orthodoxi reſumptis animis pro Athanaſio ſtant, Valenti & Urſacio perturbationum Eccleſiæ funeſtis facibus propriam objectant, quam voce & ſcriptis ediderant confeſſionem, ſe per calumniam falſiſſima crimina contra Athanaſium confinxiſſe.

7. Tum confuſi eoque acrius excandeſcentes Ariani, ut ſcribit Athanaſius epiſt. ad Solitarios, Apoſtolicos Legatos conſtantiſſimè perditis ſuis conatibus obſiſtentes indigniſſimè habent. Ex quibus Hilarium Diaconum flagellis indigniſſimè lacerant: deinde reliquos duos Apoſtolicos Legatos Luciferum Epiſcopum & Panctatium Presbyterum, ſimulque Epiſcopos Euſebium Vercellenſem, Dionyſium Mediolanenſem, Paulinum Trevirenſem, alioſque non paucos ſuis ablegant Eccleſijs, qui in diverſas orbis terræ plagas raptati deportatique ſunt edicto Conſtantij: qui & ipſum Romanum Epiſcopum Liberium ſede ſuâ ejectum hujuſce Conciliabuli decreto in Thraciam relegavit. Ejuſque in Cathedram Ariani Felicem intruſere Romanæ Diaconum Eccleſiæ, qui tametſi mente Orthodoxus, ambitu tamen primæ ſedis cum Arianis ſocietatem inivit, Athanaſijque damnationem ſcripto ſuo roboravit. At clerus populuſque Romanus perfidi hujus invaſionem averſatus eſt. Tres verò Ariani Epiſcopi cum Pontificem ordinaverunt ut perhibent Athanaſius epiſt. ad Solitarios, Hieronymus de ſcript. Eccleſ. in Acacio, Rufinus & Theodoritus lib. 2. cap. 14.

8. Conſtantius miſſo cum exercitu Cyriano Comite Gregorium perditiſſimum, ex hujus Pſeudoſynodi Mediolanenſis decreto, in Alexandrina ſede ſtabilivit. Luctuoſiſſima tunc edita eſt Catholicorum ſtrages, ſine ullo profeſſionum & ſexuum diſcrimine: In Clericos, in Monachos, in ſacras Virgines, cædibus, raptationibus, flagellis, ædium bonorúmque direptionibus exquiſitis cruciatibus rabies Ariana deſævijt: quamplurimi diros inter cruciatus trucidatis, concitatis etiam per Arianos Paganis & Judæis adverſus populum fidelem qui omnia paſſus eſt quæ in internecino bello ab immanibus & ſæviſſimis hoſtibus infligi poſſunt. Eaque calamitas per univerſam Ægyptum Cyrenem, Libyamque pervagata eſt. Tot inter atrocitates clam evaſit ad necem conquiſitus Athanaſius, multoſque annos delituit. In hiſce latebris epiſtolam contexuit ad Solitariam vitam agentes, diverſaſque apologias quæ ſuperſunt.

9. Oſius etiam Cordubenſis toto orbe celeberrimus, jamque ætate centenarius ut ſcribit Athanaſius fruſtra blanditijs terroribuſque ad damnandum Athanaſium tentatus, Sirmium tandem Pannoniæ oppidum deportatus eſt. Ibique uſque ad Sirmienſe Concilium exilio detentus. Lucifer verò Calaritanus ſcripſit in exilio ad Conſtantium plures pro Eccleſia Catholica libros, quibus nihil fortius, nihil conſtantius, nihil aculeatius, legi poteſt, intrepidus quidem fidei athleta niſi inflexile illius ingenium ad ea quoque obduruiſſet quibus ex æquo & bono cedendum erat: inde namque exortum Luciferianorum ſchiſma.

## *SIRMIENSIA DVO CONCILIA Catholicorum unum, Arianorum alterum Ancyrana Pſeudoſynodus.*

1. QUOD ſuperiùs de duabus Mediolanenſibus Synodis prima Catholica, ſecunda Ariana diximus, hoc idem de duabus pariter Sirmienſibus affirmat Dionyſius Petavius, ſcriptor undequaque doctiſſimus; etiamſi præcedentibus ſæculis unica eaque hæretica innotuerit. At Catholicam præceſſiſſe aſtruit ille teſtimonio fretus Hilarij, cujus ex fragmentis hanc producit laciniam: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis Provinciis congregantur Sacerdotes.* Cum ergo probatum ſit ubi actum eſt de Mediolanenſibus Concilijs, fuiſſe primum celebratum an. 347. ſi biennium ad hunc numerum adjungas, iſtud alterum Sirmij Concilium ab Epiſcopis Orthodoxis celebratum in annum incidet 349. ſuperſtite Conſtante. Subjicit enim ibidem Hilarius: *Verum inter hæc Sirmium convenitur: Photinus hæreticus olim comprehenſus reus pronunciatus* (ſcilicet in Synodis Sardicenſi & Mediolanenſi prima) *& à communione jampridem unitatis abſciſſus, ne tunc quidem per factionem populi potuit amoveri.* Hinc multiplici ratione convincitur iſtud Sirmienſe Concilium aliud omnino eſſe ab illo Sirmienſi Arianorum. Primum quia iſtud de quo loquitur hòc loco Hilarius contigit anno 349. ſub Conſtante Principe Orthodoxo: at illud alterum Arianorum ſeu Semiarianorum, in quo Baſilius Ancyranus præcipuas partes egit, ut minimū biennio poſt contigit, anno nimirùm Chriſti 351. aut etiam ut Baronius aſſerit, anno 357. utcumque ſe res habeat celebratum eſt Conſtantio rerum potiente. Secundò, quia Photinus in primo Sirmienſi damnatus non potuit Hilario teſte à ſua Eccleſia divelli, ob factam pro eo populi ſeditionem: in poſteriori verò idem omnino Conſtantij potentia dejectus eſt, ut Sozomenus refert lib. 4. in fine cap. 6. Tertiò, quia Concilium Sirmienſe primum, de quo Hilarius hoc loco, ſoli Occidentales habuere, ſuumque decretum ad Orientales tranſmiſere; ut ex eodem Hilario perſpicuum eſt dicente: *Decretum de Photino ab Occidentalibus ad Orientales relatum eſt mente callidos, ingenio ſubtiles, malitiâ pertinaces, occaſionem revolvendi ejus quod Athanaſij abſolutione eſt diſſolutum judicij quæſierunt. Et reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem velut inſtitutionum talium Magiſtri addiderunt; ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem, & veritatis judicio conſepultam in publicam recordationem novitas cauſa excitaret; & ſubrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret.* Ita Hilarius. Obſervandum hic eſt exprobrandi cauſa mentionem Marcelli ab Orientalibus factam, quia Marcellus Ancyranus fuerat Photini magiſter: hic enim ab adoleſcentia Marcello hæſerat, fueratque ſub illo Ancyranæ Eccleſiæ Diaconus. Quartò, quia Valens & Urſacius occaſione iſtius Sirmienſis Ca-

tholicorum

Digitized by Google

tholicorum Synodi cum Catholicis & Athanaſio pacem & concordiam expetierunt: cujus antea in Mediolanenſi Concilio jecerant primordia & fundamenta, ut ex eodem Hilario liquet, hæc eorum verba in fragmentis referente: *Sicut per priorem libellum noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus & nunc & ſemper anathematizaſſe hac manu noſtrâ quâ ſcripſimus profitemur.* Deinde ſubjungit Hilarius: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* Scilicet in Mediolanenſi Concilio cui Romani Legati præfuerunt.

2. Atqui tranſacto illo biennio initum eſt Sirmij regnante adhuc Conſtante Concilium (juxta allegata ex his Hilarij fragmentis loca) in quo & Photinus iterùm damnationis ſententiam accepit, & Valens cum Urſacio ultimo oblato libello ſuâ cum Eccleſia, & Athanaſio pacem complevere. Id verò non in alia quam planè Orthodoxa Synodo Sirmienſi fieri potuit ac debuit. Denique locus hic integer ex Hilarij fragmentis memoriæ mandandus eſt. *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum qui ante biennium ex Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus ex plurimis Provincijs congregantur Sacerdotes, hoc magis ſolliciti atque anxij turbari iterum miſcerique omnia quod jam pridem plurimi rei Epiſcopi, vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arianæ ab Eccleſia fuerant ejecti. Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communione per veniam admitti rogant.* Cæterùm licet hiſce locis ex Hilario deſumptis ſufficienter videatur probatum primum illud Sirmienſe ſub Conſtante Concilium non tamen inde convincitur id quod Petavius pariter intendit, hujus occaſione Concilij Valentem & Urſacium cum Catholicis & Athanaſio pacem & concordiam iniviſſe. Nuſquam enim legitur illos ad hoc primum Sirmienſe Concilium acceſſiſſe. Libellus enim amborum eſt ad Julium Romanum Pontificem, qui ambos Eccleſiaſticæ communionis conſortes fecit. Atque Hilarius paulò poſt ultima à nobis ejuſdem verba: *Julius ex conſilio veniam quam orabat impertit, ut cum lucro Catholicæ Eccleſiæ vires quoque detraheret Arianis.* Id verò Conciliũ ſupponit accitorũ diverſis ex locis Epiſcoporum à Julio ipſo conventum ad uſque adeò celebrem actum ſolemniùs peragendũ, atque ad deliberandum circa res Eccleſiæ tunc tẽporis urgentes.

Altera Sirmienſis Synodus contigit poſt biennium ab illa prima: eo nimirum anno poſt Conſulatum Sergij & Nigriani, quo nulli Conſulatum geſſerunt ob bellicos tumultus. Hoc teſtantur Socrates lib.3.cap.19. Græcæ editionis & Sozomenus lib.4.cap.6. is eſt annus Chriſti 351. Petavius autem, in ſuis ad Epiphanium animadverſionibus, rationes omnes convellit quibus motus Baronius hanc Synodum in annum rejicit 357. Convenere Sirmium plerique Orientales Ariani, qui quum videri Catholici, atque religioſi erga Chriſtum affectarent, Photinum ejus Epiſcopum civitatis, præcedentis Sirmienſis decreto ab Occidentalibus Epiſcopis damnatum, ne ſoli Occidentales viderentur Chriſti gloriæ ſtudioſi, iterum damnarunt. Cumque illo priore decreto non potuiſſet, ejus reſiſtente plebe, hæreticus Epiſcopus ejici, iſto demum anno in vim hujuſce recentioris decreti, Conſtantio vim militum ſuppeditante; compulſus fuit Photinus Epiſcopatu cedere. Hoc in Concilio novam edidere fidei formulam Orientales, quâ profitebantur Chriſtum patri ſecundum ſubſtantiam ſimilem, quatenus Dei filius eſt, ſed conſubſtantialem ſilebant; ab ea voce quaſi ſcopulo declinãtes. Huic formulæ (quæ ſanè nihil niſi Orthodoxum exprimebat, ſimulque Athanaſij damnationi ſubſcripſit infeliciter Liberius Papa qui Sirmij tunc pro Catholica fide exulabat) illecebris & deſiderio ſuccumbens primæ recuperandæ ſedis, quam æmulus Felix à Conſtantio intruſus occupabat: atque ita factus eſt deſiderij compos, per Sirmienſe decretum reſtitutus, quòd etiam Felicem deturbavit conſentiente Conſtantio. Hanc Liberij ſubſcriptionem commemorat Athanaſius, epiſt. ad Solitarios; & Hilarius lib. contra Conſtantium, quem his compellat verbis: *Vertiſti deinde uſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum: & , ô te miſerum, qui neſcio utrum majore impietate relegaveris quàm remiſeris.* Et Sozomenus lib.4.cap.14. ea res Catholicis ingenti offendiculo fuit. Romam Liberius regreditur, cum Arianis apertè communicans. Ex adverſo Felix hactenus ſchiſmaticus & in ſpeciem, quamvis non ex animo, Arianus, cœpit deinceps omnem abrumpere cum hæreticis ſocietatem. Liberius hac prævaricatione cœpit eſſe Romano Clero multiſque de plebe inviſus ac odioſus, quorum voluntates erga Felicem priſtinam perfidiam retractantem cœperunt inclinare. Mortuo demum Felice reſipiſcens Liberius, atque ab Arianorum conſuetudine reſiliens, admiſſus demum fuit à Clero Romæ conſiſtente in legitimum Pontificem. Ejus itaque Pontificatus intermiſſus eſt Felicis nomine ſecundi Pontificatu legitimo, ex quo à ſocietate Arianorum diſcedens de præcipitio ſurrexit, in quod recenti lapſu ſe Liberius conjecerat; eoque reſpectu Felicem ut Pontificem Romani colere cœperunt, abdicato propter recentem perfidiam Liberio: qui tandem ſublato per mortem æmulo ad officium palàm redijt, factâ ab Arianis diſceſſione. Ipſe verò Felix uſque adeò felicem mortem ab Arianis oppetijt, ut martyris inde titulum ac meritum reportarit. Romanorum verò prudentia innotuit, dum unum & alterum reſipiſcentem admiſit per vices, quamvis præteritæ prævaricationis labe infamem; ut ſcilicet exitiale ſchiſma prævenirent ac anteverterent, haud dubiè futurum ſi tertium quempiam quantumvis digniorem elegiſſent, ſibique præfeciſſent Epiſcopum.

3. Veruntamen ut eſt leve atque inſtabile hæreſis ingenium, & ut Apoſtolus ad Titum ſcribit. *Delinquit hæreticus cum ſit proprio judicio condemnatus.* Iidem Sardicenſes alteram ſubinde formulam priore, quam paulò ante ediderant derelictâ, recuderunt: cui hanc præfixit inſcriptionem Hilarius, ſub initium libri de Synodis. *Exemplar blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcripta.* Atque hæc profeſſio, quam miſerandus Oſius prævaricator eſſe ratam voluit, eſt priore illâ multò deterior, quâ vox ſubſtantiæ quæ in priore exprimebatur expuncta fuit, dictuſque fuit Patri ſimilis Filius abſque alio additamento, atque ita tam *homouſion* Catholicorum, quàm *homœouſion* mitiorum Arianorum excludebantur ab hac poſteriore formula, ſolaque reſtabat deteriorum Arianorum, qui plus reliquis Arianis Chriſto injurioſi erant, non ſolùm ſubſtantiæ paternæ in filio identitatem ac æqualitatem, ſed unam præ-

terea

terea ſecundum ſubſtantiam ſimilitudinem negantium. Hujuſce verò Oſianæ profeſſionis tamùm poſtmodo ſuppuduit Arianos,ut eam ſupprimi voluerint interpoſitâ Conſtantij(ſicut infra videbimus)auctoritate.Quis verò ſtupendum iſtum Oſij lapſum non deploret?O deplorandum Sirmij Cōciliabulum & planè funeſtum,quod duas illas Eccleſiæ columnas Liberium & Oſium ſubruit ſoloque adæquavit ! Oſius tamen ut Athanaſij condemnationi conſentiret adduci nullo modo potuit. Quis humanæ infirmitatis & inconſtantiæ vicem non lugeat,non obſtupeſcat , non contremiſcat ? Quis hæreticorum artes & nequitiam , atque illorum crudelitate plagas centenario,tamque ſublimis meriti ſeni , ut in iſtam apoſtaſiam compelleretur,illatas non execretur ? Magnum illum & hactenus ſanctiſſimum Epiſcopum , invictæ conſtantiæ ſpecimen,qui præclaræ confeſſionis, atque ſub Diocletianea perſecutione paſſionis vibices & cicatrices corpore ſuo gerebat ? Oſium illum quo tot annos defenſore ac duce Orthodoxa fides adverſus atrociſſimos Arianorū inſultus ſteterat invicta & inconcuſſa; illum verè (ſic enim audiebat)Synodorum Patrem ; qui poteſtate Apoſtolici Legati duabus œcumenicis Synodis præſederat,Nicænæ in Oriente, Sardicenſi in Occidente;qui cum tanto gloriæ ſplendore interfuerat,præcipuaſque partes egerat in Conc.Eliberitano,Arelat. Neocæſ.Alexandrino , & Gangrenſi;qui ſolis inſtar Orientis & Occidentis regiones mirificæ doctrinæ,ſanctitatis & prudentiæ ſplendoribus colluſtraverat , qui fuerat magni Conſtantini in capeſſenda Chriſtiana religione catechiſtes,& quem ille vicиſſim , per venerationem & obſervantiam, patris appellatione honorabat;qui ſymbolum Nicænæ fidei contexuerat; illum inquam Oſium,tot victorijs, tot trophæis , tantâ meritorum gloriâ inſignem , venerabilem , admirandum,in tam provecta & venerabili ſenectute,flagellis tandem & cruciatibus ( ut ſcribunt Socrates & Sozomenus ) adegit Ariana perfidia ad hæreſim,quam tot annos glorioſè profligaverat profitendam ! Refert tamen Athanaſius epiſt. ad Solitar.ipſum in Hiſpaniam reducem, ſub exitum vitæ,ſuam damnaſſe cum Urſacio , Valente , cæteriſque Sirmienſibus communionem , nefariamque conſenſionem.

4. Dirempto Sirmienſi Conciliabulo , coram multis Epiſcopis nondum digreſſis,& octo Senatorij ordinis viris,à Conſtantio delegatis deſcendiſſe in certamen produnt Epiphanius , Socrates, & Sozomenus,Photinum cum Baſilio Ancyrano (quem in ſedem Marcelli Ancyrani à ſe abdicati ſuffecerant Ariani,) in eaque concertatione victū Photinum tum demum Epiſcopatu Sirmienſi depulſum:Victorem autem Baſilium indidem Ancyram profectum cum pluribus Epiſcopis ad Encænia celebranda Baſilicæ quam erat dedicaturus. Quò cum adveniſſent,habito Antiſtitum conventu deliberatum eſt de ſupprimenda illa Sirmienſi profeſſione ſecunda,utpote filio Dei nimium injurioſa,cui Oſius infelix ſubſcripſerat : deque retinenda,& quoad fieri poſſet propaganda priore illa Sirmienſi,cui Liberius Papa conſenſerat. Qui huic formulæ adhæſerunt Semiariani dicti ſunt , quorum principes erant Georgius Laodicænus,& ipſe Baſilius Ancyranus. Peractâ hac Synodo Ancyranâ,legati inde ad Conſtantium Principem profecti ſunt Baſilius ipſe,Euſtathius Sebaſtenus, Eleuſius Cyzicenus,& Leontius Presbyter , petentes ab Imperatore ultimæ Sirmienſis formulæ abolitionem. Quibus tunc ille conſenſit , verumtamen verè inconſtans Conſtantius deteriorem formulam Chriſtoque contumelioſiorem ſuadente Acacio prævalere mox jubebit,& ipſum Baſilium Ancyranum cæteroſque Semiarianos ſedibus ſuis dejiciet.

## *CONCILIUM ARIMINENSE* *Anni* 359.

1. Miratur Athanaſius Conſtantij cæterorúmque Arianorum veſaniam , tam multas Synodos indicentium , atque inceſſanter per omnes mundi plagas diſcurſantium hoc ſolo fine;ut inquiratur & ſtatuatur quidnam ſit de Chriſto ab ipſis Chriſtianis tenendum & credendum. Quaſi verò(inquit lib.de Synodis)neque ipſi, neque patres eorum Chriſti fide notitiáque imbuti fuerint, & innumerabilis Sanctorum qui præceſſere multitudo,Martyrum, Confeſſorum , Virginum , & Eccleſiæ Doctorum,qui tam multa de Chriſto Dei filio fideque Chriſtiana conſcripſerunt,Chriſtum neſcierint. Adeo ut per trecentos & amplius à Chriſto annos,Chriſti cognitio necdum illuxiſſe cœperit.Nemo enim habere quærit niſi hoc unum quod nondum habet, atque cum tam crebris repetitiſque Synodis nondum eorum animis ſit ſatisfactum,& tot tamque diverſas fidei formulas in ſuis illis Synodis procuderint ſeſe invicem deſtruentes,oſtendunt ſe tanto molimine,tantis diſcurſationibus,tantoque apparatu iteratis perquiſitionibus,nondum ſe hoc aſſequi potuiſſe; quidnam de Chriſto ab ipſis Chriſtianis fide ad æternam ſalutem neceſſariâ tenendum ſit. Quæ ſanè res omnium impiorum gentilium atque Judæorū ludibrio,& quotidianis ſubſannationibus Chriſti Eccleſiam religionemque indigniſſimè exponit. Synodus quidem Nicæna quæ iſtos omnes conventus præceſſit,non perquiſivit novam aliquam de filio Dei cognitionem ; ſed novam inſurgentem adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus hæreſim opponendo unanimem totius Eccleſiæ de Chriſto perſuaſionem & certiſſimam fidem,ſectam novam damnavit & anathemate perculit , ſoloque propoſito ſemel ſymbolo fidei hactenus de Chriſto traditæ, iſtos novarum Synodorum auctores arguit ſatis ſuperque hæreticos eſſe pertinaces.

2. De Conſtantio veriſſimè teſtatur ethnicus hiſtoricus Ammianus Marcellinus : *Chriſtianam religionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens , in qua ſcrutanda perplexiùs quàm componenda excitavit diſſidia plurima, quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborum : ut catervis Antiſtitum jumentis publicis ultrò citroque diſcurrentibus,per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum traducere conatur arbitrium ,rei vehiculariæ ſucciderit nervos.*

3. Uno eodemque anno Chriſti 359. qui eſt Liberij Papæ octavus, & Conſtantij Cæſaris vigeſimus nonus, Conſulibus Euſebio & Hypatio, Conſtantius duas toto orbe Synodos indixit:unâ Seleuciæ in Oriente, alteram Arimini in Occidente. Utriuſque contexuit fidelem hiſtoriam

Athanaſius

Digitized by Google

Athanaſius lib. de Synodis Ariminenſi & Seleucienſi. Convenere Arimini quæ eſt Italiæ Urbs in Provincia Æmiliæ quadringenti circiter Epiſcopi, in quibus numerabantur ſecundum Athanaſium quinquaginta, ſecundum autem Severum Sulpicium octoginta Ariani, in quibus erant Valens, Urſacius, Demophilus Mediolanenſis Eccleſiæ invaſor pulſo in exilium Dionyſio. Huic interfuit Synodo Vincentius Capuæ Epiſcopus Apoſtolicus Legatus, qui eodem dudum fuerat munere in ſancta & œcumenica Nicæna perfunctus. In primis inſtitere Ariani, ut illa Sirmij edicta ſecunda formula fidei prævaleret; quâ Patri ſimilis Filius aſſerebatur, nullâ interjectâ ſubſtantiæ multóque minùs conſubſtantialitatis mentione. Catholici non aliud quàm Nicænæ fidei ſymbolum admittendum eſſe contendebant. Et poſt varias demum concertationes Ariani ſe ab Orthodoxis ſejunxerunt. Tum Orthodoxi Antiſtites Valentem, Urſacium, Auxentium, Demophilum declaratos hæreticos à fidelium ſocietate reſecarunt.

4. Quia verò dirimi ac diſſolvi Synodum Conſtantius vetuerat, antequam ipſe receptis Synodicis literis & de Synodi actis plenè inſtructus, ſuum ſcripto placitum Patribus ſignificaſſet. Pars utraque per delegatos à ſe Synodicas ad ipſum tranſmiſit; ſed Arianorum Legati Valens & Urſacius citatiore curſu primi ad Conſtantiũ in Orientem agentem delati, præoccupato illius animo ſic illum à Catholicis alienarunt, ut ſupervenientibus Catholicis Legatis ſui acceſſum non permiſerit. Scripſit tamen ad Synodum ſe negotiorum fluctibus obrutum non potuiſſe Legatos in ſuum conſpectum admittere. Verumtamen Patribus mandavit ut ſe Andrinopoli præſtolarentur, donec ipſe ab expeditione cui ſe accingebat regrederetur. Sic ille conſultò egit ut Orthodoxi, quorum major pars exiſtimans gratiam Imperatoris inire ſi ejus ærarij ſumptus præſtaret, maluerat ſuis aut Eccleſiarum expenſis Arimini vivere, quàm oblato ſibi ab eo commeatu, tantâ dilati temporis prolixitate deterriti, cum Arianis citius convenirent; aut ſaltem Legati orthodoxi, & tædio diuturnitatis & expenſarum expavefacti, demererentur Arianorum Legatos; initoque cum illis conſenſu circa res fidei, Principis acceſſum ſimul & benevolentiam aucuparentur. Idque ita ſucceſſit lugubri prorſus exitu. Legati enim Catholicæ partis eò tandem adducti ſunt, ut Sirmienſi formulæ ſibi oblatæ ſubſcripſerint. Eaque Legatorum prævaricatio non paucos ad Arianas partes traduxit, cæteris ſpem animumque dejecit, univerſos gravi mœrore afflixit. Ad Taurum quoque Comitem, quem Concilio cum armatorum manu præfecerat, reſcripſit Conſtantius; ut quacumque ratione univerſos ad unum conſenſum adigeret, nec antè quàm id factum eſſet Synodum ſolvi aut quemquam inde ſineret egredi.

5. Reverſi ad Synodum prævaricatores Legati ab Epiſcopis Catholicis excommunicati ſunt. Iſte tamen fidei ardor non diu perduravit. Diverſi enim in dies quà animorum dejectione, quà precibus & pollicitationibus, quà minis, quà vi, quà dolis & artibus, quà longioris moræ tædio, quà quietis & Eccleſiarum reviſendarum deſiderio, ad Arianos accedebant. Qui cum alio loco ſuos hactenus conventus habuiſſent, ad primariam Ariminenſem Baſilicam ſeſe quaſi victores tranſtulerunt, & de reliquis adhuc perſtantibus deponendis, & exilio mulctandis deliberationem inierunt. Quibuſdam igitur ad eorum partes deficientibus, aliis adhuc perſtantibus, Valens quaſi benevolus arbiter, eorum qui ſupererant futuras & proximas quaſi miſeratus calamitates, perinde ac ſi novam rationem adinveniſſet quæ timoratas etiam conſcientias in tuto collocaret, propoſuit ſe effecturum; ut relictâ illâ quâ moleſtabantur Sirmienſi profeſſione; id unum per commiſerationem & ſummam Principis indulgentiam profiterentur, filium Dei non eſſe creaturam ut ſunt cætera creata. Simulque celerem ejus propoſitionis unà cum Tauro rem urgente, reliquorum ſubſcriptionem obtinuit: qui erant ſive tædio ſive formidine victi re minus penſiculatè inſpectâ, ſolumque conſiderantium, in duas duntaxat propoſitiones Catholicas conſenſum ſe præbere: quòd verbum non ſit aliqua creatura; & quòd omnibus creaturis dignitate præcellat; occaſionemque gloriandi dederunt Arianæ factioni, traxiſſe ſe in plenaria Synodo ſuos omnes adverſarios ad profitendum propriis ſcriptis filium Dei eſſe intra ordinem creaturarum: idque commune cum his habere quidem ut ſimul inter res creatas collocetur; quibus omnibus ſupereminet longè ſublimiori ſed tamen creatâ propriâ excellentiâ.

6. Tametſi autem iſti ſubſcribentes re melius perſpectâ gravi ſint pudore ſuffuſi, neque ulla ſit hæreſis ſine animi conſenſu; nullatenus tamen ſunt à gravi culpa excuſabiles: quatenus rem immenſi momenti præcipitanter & inconſideratè peregerunt. Eoque ſenſu, ſcribit Hieronymus, occaſione generalis Concilij Ariminenſis, totum orbem terrarum miratum fuiſſe ſe eſſe Arianum. Illudque Liberius Papa & poſt eum Damaſus reprobavere. Errant verò Rufinus & Socrates lib. 2. cap. 29. qui tempora confundentes Liberij exilium & Felicis in locum illius ſubrogationem poſt Ariminenſem Synodum referunt: quæ tamen ante plures annos in Mediolanenſi Conciliabulo contigerant. Digniſſima porro ſunt obſervatu ea quæ ad Illyricos Epiſcopos ſcripſit occaſione Ariminenſis conventus Romanorum nonaginta partim Italorum partim Gallicorum Epiſcoporum Concilium, præſide Damaſo Papa, & refertur Synodica illa epiſtola apud Theodoritum lib. 2. cap. 17. *Sed in ipſo principio ab his ipſis qui Arimini novare ac retractare compellebantur eatenus res correcta eſt, ut confiterentur ſibi alia diſputatione ſubreptum, quod non intelligerent Patrum ſententiæ apud Nicæam conſtitutæ hoc eſſe contrarium. Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando conſtat neque Romanum Epiſcopum cujus ante omnia expectanda erat ſententia, neque Vincentium qui tot annorum Epiſcopatum integrè geſſerat, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum. Maximè cum iſti ipſi, ſicut diximus, qui per fraudem deflexiſſe viſi ſunt, meliore conſilio hac ſibi diſplicere teſtati ſint. Hæc Romana Synodus.*

***

## SYNODVS SELEVCIENSIS *Anni 359. & Conſtantinopolitana anni 360.*

1. EOdem anno 359. altera in Iſauriæ civitate Seleucia coacta Synodus fuit, Orientalium Epiſcoporum centum quinquaginta ſecundum Theodoritum, aut centum ſexaginta ſecundum Athanaſium, erantque Ariani ferè omnes. Hilarius Pictavorum Epiſcopus qui antè à Synodo Biterrenſi,quam Saturninus Arelatenſium Epiſcopus convocarat injuſtè depoſitus, propterea quòd conſtanter Arianis obſiſteret, ideoque in Phrygiam relegatus, nihilominus à Præfecto imperiali quarto ſui exilij anno accerſitus, datâ revectionis copiâ ut ſcribit Severus Sulpicius, ad iſtam Synodum profectus eſt. Interfuere quoque orthodoxi Epiſcopi Ægypti qui cum Hilario Nicænam fidem ſtrenuè propugnarunt. Interim Semiariani cum Arianis abſolutis, quorum princeps erat Acacius Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, continuis diſputationibus & vociferationibus acerrimè inter ſe mutuò digladiati ſunt; adeò ut Leonas Comes quem Conſtantius Synodo præfecerat,fruſtra enixus eos in concordiam aut ſaltem in aliquam moderationem reducere, dixerit: ſe ab Imperatore quidem miſſum ut Concilio modeſtorum hominum intereſſet. Verùm, ſubjunxit, cum implacabiliter ſimul omnes inconditis clamoribus obſtrepatis, nec ullus rationi aut moderationi ſit inter vos locus, in veſtras revertimini Eccleſias, ibique veſtras nugas agite. Tunc Acaciana factio Semiarianorum factioni, quorum ſolam fidei profeſſionem à Baſilio Ancyrano ſibi oblatã Conſtantius approbaverat, numero longè impar de Concilio abſceſſit, perſiſtente intra Synodum Semiarianâ factione; quæ poſtridie Acacianos qui digreſſi erant citavit ut reos de criminibus reſponſuros. At illis poſt iteratas citationes comparere detrectantibus, Synodus Acacium ipſum, Georgium etiam Alexandriæ Epiſcopum, Uranium Tyri, Theodorum Chæretaporum urbis Phrygiæ, Theodoſium Philadelphiæ quæ eſt in Lydia, Evagrium Mitylenes inſulæ,Leontium Tripolis in Lydia, & Eudoxium qui primum Germaniciæ Epiſcopus deinde Antiochiæ Syriæ abdicavit, ſimulque Patrophilum Scythopolis; alios etiam pleroſque communione excluſit. Sed hi condemnati ad Conſtantium convolant,& decem Legatos Seleucienſis Synodi antevertunt, ejuſque animum præoccupant, qui viſus ſæpè fuit in Acacium propenſior. Mens eorum qui Seleuciæ perſtiterunt fuit, ut refert Athanaſius, inſiſtendum eſſe formulæ in Antiochena Synodo pro encæniis editæ: ſic tamen ut affirmaretur filij cum patre ſimilitudo, exploſis nihilo ſecius duabus vocibus, homouſij & homœouſij, tanquam novis, & damnatâ voce Anomæi,hoc eſt diſſimilis.Formula iſta Seleucienſis quam refert Athanaſ. lib. de Synodis ſic exorditur: *Non refugimus authenticam in encæniis Antiochiæ editam fidem*

2. Ex ſententia ergo Acacianorum indixit Conſtantius novum Conſtantinopoli Concilium Epiſcoporum quinquaginta, ex vicinis Provinciis accitorum;à quibus conflata eſt nova fidei formula; quæ inter alia habet ita referente Athanaſio: *Nomen autem ſubſtantiæ ſimplicius à patribus editum, ignotum populis, ſcandalum affert; & quod in ſacris literis non continetur, placuit de medio tolli,& omnino nullam ejus mentionem fieri debere; quia ſacræ Literæ nuſquam ſubſtantiæ Patris & Filij meminere. Imò nec hypoſtaſis ſive ſubſiſtentia de Patre & Filio & Spiritu ſancto nominari debet. Similem autem Patrem Filiumque loquuntur & docent ſacræ Scripturæ. Omnes porrò hæreſes, ſive olim damnatæ, ſive recens ortæ contrariæ huic promulgatæ Scripturæ anathema ſint.* At præclarè ingenioſéque Conſtantio exprobrat Hilar.lib.contra Conſtantium: *Vtitur etiam nunc ut in cæteris artis ſuæ conſuetudine, ut per recti ſpeciem prava confirmet, & per rationis nomen inſana conſtituat. Nolo inquit verba quæ ſcripta non ſunt dici. Hoc tandem rogo quis Epiſcopus jubeat? & quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius ſi rectè dici putas: nolo adverſus nova venena novas medicamentorum compoſitiones; nolo adverſus novos hoſtes nova bella; nolo adverſus novas inſidias conſilia recentia.* Et ſubinde. *Novitates vocum ſed profanas devitari jubet Apoſtolus: tu cur pias excludis?*

3. Hic verò ſe prodit Conſtantij ſtupenda inconſtantia & effectus iræ Dei, comminantis per Iſaiam adverſus reprobos ſpiritum vertiginis, quæ eſt inſtabilitas judicij mentiſque contradictio ex cœcitate orta,quâ impij circunferũtur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Cum enim Conſtantius Antiochenam formulam mox Ancyranâ Synodo confirmatam prævalere juſſiſſet; quâ filius Deo genitori ſecundùm ſubſtantiam ſimilis prædicabatur: & in hac cauſa Semiariani in iſto Seleucienſi Concilio,perſpectâ Conſtantij voluntate abſolutos Arianos diſſimilitudinis aſſertores,ideoque dictos Anomæos,hoc eſt diſſimiles,facilè ſupplantaſſent nunc ſibi diſſimilis Cõſtantius ab Acacio circumventus contrariam priori à ſe probatæ formulã iſtam jubet à cunctis admitti & ſubſcribi, appoſitis depoſitionis & exilij pœnis, quas incurrit & ſubire cogitur & ipſe Baſilius, cujus ſolam formulam prævalere paulò antè Conſtantius edixerat. Ejus itaque juſſione Conſtantinopolim ad Synodum cõvenere quinquaginta Ariani Præſules, qui Principis novam mentem pro fidei oraculo ſequentes,formulã ab Acacio editam comprobarunt, quæ inter Arianas nona recenſetur ab Athanaſio, Hilario,& Socrate:cum tamen Orthodoxi unicam Nicænam profeſſionẽ complexi ſint. Hac itaq; Synodo ab Acacianis viciſſim depoſiti omnique communione excluſi ſunt Baſil.Ancyræ, Maced. Conſtantinop.Eleuſ.Cyzici,Euſtath.Sebaſtæ,alijq; Semiariani Epiſcopi;Aëtius quoq; ex Syria Presbyter nonnullorum criminum inſimulatus,novorumque dogmatũ artifex de gradu Sacerdotij dejectus eſt, tametſi Acacianus ac Arianus abſolutus eſſet. Iſtâ quoque Conſtantinopolitana Pſeudoſynodo depoſitus eſt Cyrillus Jeroſolymitanus Epiſcopus, cujus in ſedem Herennius Arianus promotus fuit.

4. Hilarius Pictavienſis ſoluto Seleuciano Conciliabulo Arianos Conſtantinopolim uſque proſequutus, ut in ipſa Imperat. regia trophæũ Chriſti victor magnanimus erigeret,tres libellos ſupplices Principi obtulit ut ſibi per eum liceret de fide cum Arianis ipſo præſente diſputare:Scriptos etiam adverſus hæreſim Arianam libros offerre Conſtantio non formidavit: unum è duobus futurum ſperans ut vel Cõſtantius vel alij ſectarij falſitatẽ & fraudes tandem aliquando dignoſcerent Arianiſmi;aut ipſemet ab iratis multa pro ſacroſãcta fide pateretur,aut martyrij palmã lucraretur.Sed neutrius voti cõpos effectus eſt. Cum enim ejus invictã dicẽdi vim

vim & ingenij acumen pertimeſcerent adverſarij ne Orientem ubi prævalebat Arianiſmus Hilarius commoveret ulteriùs, Conſtantio perſuaſerunt, ut ipſum ſuam in Eccleſiam Pictavienſem remitteret, ut ſcribunt Hieronymus & Severus Sulpicius. Nec ſatis admirari quis poſſit virum Orthodoxum & Epiſcopum tantopere Arianos oppugnantem fuiſſe pacificè à Conſtantio priſtinæ Eccleſiæ reſtitutum,quo eodem tempore tam multos Arianos Epiſcopos exulare compellebat propriis dejectos Eccleſijs.

5. Macedonius Semiarianus poſtquam depoſitus Conſtantinopolitanâ ſede in hac Synodo ab Acacianis fuit, novam invexit adverſus Spiritum ſanctum hæreſim, cui divinitatem omnem impiè abrogabat. Quamvis enim Filium Patri ſecundum ſubſtantiam ſimilem prædicaret, Spiritum tamen ſanctum & ſubſtantiâ diſſimilem, longeque Patre Filioque inferiorem,quinimò utriuſque ſervum & ſubditum ſacrilego dogmate aſſeverabat. Quam hæreſim ejus ſodales Baſilius Ancyranus,Eleuſius Cyzicenus & Eunomius propugnaverunt & propagaverunt. Ariani verò poſtquam depulſo Macedonio,Eudoxium Antiochiæ Epiſcopum in ſede Conſtantinopolitana collocarunt,in Eudoxij quoque vacuam ſedem Meletium promoverunt. Et Meletio pòſt ob Nicænam fidem,quam apertè profiteri poſt hanc promotionem cœperat, exauctorato, Euzoium ſuffecerunt. Quod utrumque factum eſt in ultima Antiochena Pſeudoſynodo. Contigere iſta an.360. Sequenti vero 361. Conſtantius Imperator è vivis exceſſit, ab Euzoio paucis ante mortem diebus baptizatus Antiochiæ. Ut teſtis eſt Athanaſius lib. de Synodis.

## *SYNODVS LAODICÆNA ANNI incerti ſub Damaſo Pontifice.*

1. NEmo ante Annalium conditorem in dubium revocaverat num iſtud Concilium fuiſſet Nicæno poſterius. Veteres omnes ſcriptores & canonũ collectores Laodicænam Synodum poſt Antiochenam collocant in encæniis.In primis id conſtat ex antiquiſſimo Codice canonum quo Romana utebatur Eccleſia priuſquam Dionyſius Abbas ſuam compilaſſet collectionem ; ſive exiſtimes antiquiſſimum illum Codicem eum eſſe quem Juſtellus,ſive eum ipſum quem poſtea Queſnellus edidit in lucem. Conſtat præterea ex accuratiore Dionyſij editione ſubſequuta, necnon ex Iſidoriana & aliis omnibus poſterioribus aduſque Severinum Binium, qui ſibi legem impoſuerat ne latum quidem unguem à quacumque Baronij opinione diſcedendi. Conſtat & ex Synodo Quiniſexta, in qua texitur iſte Conciliorum ordo. *Confirmamus & cæteros ſanctorum Canones & Synodos : id eſt Nicænam, Ancyranam, Neocæſarienſem , Gangrenſem, Antiochenam,Laodicenſem,Conſtantinopolit. Epheſinam primam,* &c. Leo quoque Papa quartus ſcribens ad Epiſcopos Britanniæ Laodicenam mediam inſerit inter præfatam Antiochenam in encæniis, & œcumenicam Conſtantinopolitanam ſub Damaſo. Nec verò jure veteris tantummodo poſſeſſionis & ſæculorum ab antiquo traditiones ſtabilitur hic ordo, ſed ratione pariter inconcuſſa. Etenim Laodicænus can.7. meminit Photinianorum hæreticorum.At Photini hæreſis non niſi poſt Nicænum Concilium exorta eſt,unde infertur neceſſario Laodicænum Concilium Nicæno eſſe poſterius. Reſpondet nobilis Annaliſta in tranſlatione Iſidori nullam eſſe Photinianorũ mentionem;ſed ſufficit eſſe in exemplaribus Græcis : Sufficit quoque eſſe in Dionyſiana verſione quæ & antiquior & fidelior eſt omnium , atque adeò ipſius Baronij teſtimonio quàm Iſidori,quem ipſe idem Baronius alibi deſpectui habet, vocatque falſarum mercium venditorem. Et ne divagemur extra Iſidorianas tranſlationes. Quemadmodũ,contra Græci exemplaris fidem, Iſidorus Photinianos ſubticuit quos Dionyſ.non omiſit,ita pariter in Iſidoriana can.19. Nicæni verſione injecta legitur mentio Cataphrygum,quæ nec in Græco archetypo,nec in Dionyſij tranſlatione prorſus viſitur ; ſed tantùm Pauliniſtarum,& quidem juremerito : Hieronymus namque ſcribens adverſus Luciferianos diſertè exprimit Nicænum Concilium omnium hæreticorum recepiſſe baptiſmum præterquam Pauliniſtarum.

2. Ratio autẽ cur Baronius,ſcriptor utiq; magni ingenij profundęque eruditionis,tanto ſtudio contendit Laodicænam Synodum antiquiorẽ eſſe Nicæna hæc eſt : quia Hieronymus in librum Judith ſic præfatur. *Hunc librum Nicæna Synodus in numero ſacrarum Scripturarum legitur computaſſe.* Unde vult Baronius pro certo inferre Canonem ſacrorũ Librorum fuiſſe à Nicæna Synodo editum quod tamen ex illo Hieronymi teſtimonio minimè deduci poteſt, atque ita vacillat iſta illius ratiocinatio : neceſſe eſt ut illa Laodicæna Synodus Nicænam præceſſerit, quia niſi præceſſiſſet non ſiluiſſet Laodicæna in ſuo ſacrorum librorum Canone librum Judith quem jam ante inſeruerat Nicæna in ſuo de ſacris Scripturis canone. Sed illatio iſta ex falſis aut certè incertis derivata principiis nullâ nititur veritate. Quia vox illa quâ ibi utitur Hieronymus ſcilicet *legitur* de aliquo loquitur ſcriptore cui fortaſſe Hieronymus vel nullam vel levem adhibebat fidem : & quidem parum fidei habuiſſe conſtat inde,quia ipſe Hieronymus librum Judith pluſquam ſemel excludit à Canone divinarum Scripturarum.Hoc igitur argumento Baronius concludere potuiſſet ſcripta Hieronymi antiquiora eſſe Nicæna Synodo quandoquidem Hieronymus ipſe non uno in loco declarat non eſſe locum libro Judith inter divinos & canonicos libros,ſcripſit ergo Hieron. antequam Nicæn. Conciliũ conveniſſet.Eademq; ratione probaret Athanaſium & Gregor. Nazianz. ſuos quos habemus ſcripſiſſe libros priuſquam idem haberetur Concilium, cum certum ſit ſanctos hoſce Doctores à librorum divinorum ſerie eundem librum Judith excluſiſſe. Enimverò Hieronymus in ſuo prologo galeato diſertè negat librum Judith eſſe hagiographum,aſſeritque apocryphum eſſe perinde ac librũ quem commemorat Paſtoris. Idemque librum Judith expungit à ſerie divinorum librorum in c.1. Aggæi. Hoc idem repetit epiſt. 11. ad Furiam. Adde quartum ſimile Hieronymi de eodem libro teſtimonium,quo non ſolùm ſuam aperit mentem ſed eam inſuper univerſæ attribuit Eccleſiæ, ſic enim effatur epiſt.115. *Judith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia ſed eos inter canonicas ſcripturas non recipit.* Similiter Athanaſius in Synopſi quam ſcripſit poſt multos à dirempto Nicæn.Concil. annos,cui juvenis & tantum Diaconus interfuerat,libros Judith,Tobiæ,Sapiẽtiæ & Eccleſiaſt.declarat minimè divinos aut canonicos eſſe,additque hac ex cauſa minimè à fidelibus legi ſolere. Ignorabat videlicet tantus Doctor Nicæni

Concilij decretum ſolemne cui ipſemet interfuerat. Gregorius verò Nazianz. qui tempore Nicenæ Synodi necdum erat natus, in ſuo de ſacris Scripturis carmine non recenſet in illarum ſerie Judith, Tobiam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, neque Machabæorum libros, imò neque Joannis Apocalypſim. Quin etiam ſuo divinorum librorum Catalogo ita ſubjungit *εἰ δὲ τούτων ἐκ τῆς ἐν γνησίαις.* Si quis profertur alius liber ab his recenſitis, non eſt germanus. Rufinus pariter Concilio prædicto longè poſterior in ſymbolum Apoſtolorum, librum Judith cum aliis quibuſdam ſacris libris non accenſet; quia illis ab Eccleſia non fuerant adſcripti. Non igitur Nicæna Synodus, ſed poſteriora Eccleſiæ Sanctæ decreta libro Judith divinam adjudicarunt autoritatem, potuit fortaſſis aliquis ex Nicænis Patribus inter conſultandum aut diſputandum ex eodem libro teſtimonium aliquod quaſi divinum protuliſſe in cœtu patrum, aut contendiſſe ut liber ille ſacro Canoni adjungeretur. Verum Catholici Theologi conſentiunt multa in ſacris Conciliis proferri ac affirmari quæ tamen non ſunt conciliariter (ut ipſi loquuntur) intelligenda eò quòd non intendat Concilium hæc Eccleſiæ præſcribere aut proponere tanquam completè à ſe determinata ſeu definita.

3. In primis occurrit præfatiuncula quæ Synodum teſtatur convocatam Laodicææ Phrygiæ Pacatianæ ex diverſis Aſiæ Provinciis. Errarunt igitur qui habitam dixere in cognomine civitate Laodicæa Syriæ ex futili conjectura, & tradidere huic interfuiſſe Theodorum Laodicææ Epiſcopũ, illum qui ad Nicænam legitur ſubſcripſiſſe tertius inter Epiſcopos Cœleſyriæ. Porro iſta Phrygiæ Pacatianæ Laodicæa, quæ iſto egregio Concilio decoratur, una eſt ex ſeptem præcipuis urbibus Aſiæ quæ ab Apoſtolo Ioanne in Apocalyſi commendantur. Ad hanc quoque Paulus ſingularem ſcripſit epiſtolam ut idem teſtatur Apoſtolus Coloſ. 4.

4. Laodicænus Canon I. communione illos ad aliquod tempus ſuſpendit qui ſecundas nuptias inierint eiſque preces & jejunia præſcribit antequam ex venia *κατὰ συγγνώμην* illis communio indulgeatur, his planè ſimilia conſtituerat Synodus Neocæſarienſis can. 3. ad quem reſpiciunt hæc noſtri canonis verba *κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα* ſecundum Eccleſiaſticum canonem. Et Baſilius in ſuis ad Amphilochium canonibus idem decernit. Quinimò trigamos ad Euchariſticam communionem vix admittit poſt quinquennium exactæ pœnitentiæ. Adeò diſtrictè primitiva Eccleſia vitæ puritatem corporiſque ſimul & animi munditiem exigebat in acceſſuris ad incontaminata & ſacratiſſima Domini myſteria.

5. Can. II. *Eos qui in diverſis delictis peccant, & in oratione confeſſioneque & pœnitentia fortiter perſeverant & ſe à malis perfectè convertunt, tempore pœnitentiæ eis proportione datâ propter Dei miſerationes & bonitatem communio concedatur.* Canone iſto Novatianorum impietas perſtringitur, ſimulq; hæreticorum hujus noſtri temporis novatorum. Meminit enim converſionis, confeſſionis, & peccatorum deteſtationis, quas res ut ſuperfluas Lutheri Calvinique aſſeclæ faſtidiunt docentes ſufficere mutationis vitæ morumque correctionis nudum propoſitum. Cætera his adjuncta divinæ clementiæ injurioſa eſſe, utpote diffidentiæ meritorum Chriſti propriæque in ſuis meritis fiduciæ ſtabilitæ indicia. Hæc noſtri canonis verba *κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος* proportione delicti: nos inſtruunt pro modo menſuraque delictorum Deo ſatisfactionem deberi, neque quidquam frequentius legentibus ſacra veteris Eccleſiæ Concilia & Patres occurrit quam Canones diverſas præſcribentes pœnitentium ſatisfactiones, & earumdem vel breviora, vel prolixiora tempora proportione habitâ delictorum. Ex Conciliis quæ multa citari poſſent ſufficiat Concilium Ancyranum & Nicænum can. 11. 12. 13. 14. Ex ſanctis Patribus ſufficiat indicaſſe Cyprianum in multis epiſtolis & ſerm. de lapſis, Baſilium in duabus ad Amphilochium epiſtolis & Petrum Alexandrinum in canonibus pœnitentium. Ambroſius epiſt. ad Virginem lapſam *Grandi plaga* (ait) *alta & prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem.* De injunctis verò à Sacerdote ſatisfactionibus ſic injungit Gregorius Magnus lib. 3. in 1. Reg. cap. 7. *Afflictio pœnitentia ad delenda peccata idonea eſt cum Sacerdotis judicio fuerit imperata, cum ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* Poſtremo Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. jubet injungi à Sacerdotibus ſatisfactiones pro qualitate criminum.

6. Can. III. *Non oportere eos qui recens ſunt illuminati in ordinem Sacerdotalem promoveri.* Paria decernit Nicænus can. 2.

Can. IV. *Non oportere ſacros Clericos fœnerari, & uſuras & quæ dicuntur, ſeſquialteras accipere.* Vide huic conformem Nicænum can. 37. cum cæteris ibidem allegatis. Seſcupla quæ Græcè *ἡμιόλια* uſuræ genus erat in qua creditor, & rem mutuatam ſeu æquivalentem prætereaque dimidij acceſſionem recipiebat, ut qui duo dederat tria reciperet, qui viginti triginta. His adde can. non licet fœner. diſt. 46.

7. Can. VII. *Eos qui ex hæreſibus hoc eſt Novatianis Photinianis aut Teſſerecaditis convertuntur ſive catechumenos, ſive qui apud illos fideles dicuntur, non admitti priuſquam omnem hæreſim anathematizaverint, & præcipuè eam quâ detinebantur. Et tunc deinceps eos qui apud illos fideles dicebantur fidei ſymbola diſcentes, & ſacro chriſmate inunctos, ſic ſancto myſterio communicare.* Vide paulò ſuperius noſtra in iſtud Concilium præliminaria in quibus probamus iſtud Concilium Nicæno eſſe poſterius atque adverſus quoſdam adverſantes querelam intentamus de termino moto. Illi tamen adverſarij adhuc excipiunt haud eſſe credibile quòd Laodicæni Patres baptiſmum Photinianorum approbarint, cum reprobatum legatur à Concilio Arelatenſi ſecundo can. 16. his verbis: *Photinianos ſive Pauliniſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere.* At percontari lubet undenam adverſarij colligant per hunc can. 7. approbari Photinianorum baptiſmum cum de baptiſmo ne verbum quidem dicat, ſed de hæreſi quacumque abjuranda, de inſtructione circa res fidei, & de chriſmatione quam veriſimilius exiſtimo intelligendâ hoc loco de Sacramentali manuum impoſitione quam dicimus confirmationem. Cum verò canon de quibuſcumque hæreſibus ſtatuat; & ſpeciatim aliquas denominet, quæcumque hic ſtatuuntur, non cunctis indiſcriminatim applicanda ſunt, ſed diverſimodè inter ſingulos ſapienti diſcretione diſtribuenda: non enim omnes iſti converſi ab hæreſi erant baptizandi, ſed illi qui Photini peſte recens ortâ erant infecti. Itaque magna

Photinia

Photinianorum pars jamdudum fuerat intra orthodoxam Eccleſiam baptizata, pauciſſimi eam à parentibus ſuſceperant, utpote noviter exortam. Qui ergo ſemel lavacro regenerationis aliquando abluti, poſtmodum hac lue contacti afflatique fuerant, hi nullatenus baptizandi erant, ſed eò adducendi ut hæreſim ejurarent. Præterea permulti tum Catholici tum hæretici ſive urgente vitæ diſcrimine, ſive etiam ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes diebus à loci Sacerdotibus baptizabantur abſente Epiſcopo, qui utique non poterat in omnibus Eccleſijs baptiſmalibus præſens adeſſe: & his extra baptiſmum chriſmatio ab Epiſcopo alijs temporibus erat adhibenda. Pleriſque etiam hæreticis promiſcuè quemadmodum & orthodoxis inceſſerat voluntas quæ illis temporibus frequens erat differendi baptiſmum aduſque vitæ exitum, atque iſtis ſive Catholicis ab initio ſive hæreticis conferendus erat baptiſmus quo nunquam fuerant initiati. Solis verò Pauliniſtis & Photinianis religione conformibus & Sabellianis divinarum perſonarum abnegantibus veritatem, etiamſi ſacrilegum in hæreſi baptiſmum ſine debita Trinitatis expreſſione ſuſcepiſſent, neceſſe erat converſis luſtralibus baptiſmi aquis ſecundum Eccleſiæ ritum perfundi: ut fuerat ante paucos annos generali Nicæno decreto definitum.

8. Can.X. *Non oportere eos qui ſunt Eccleſiæ indifferenter ſuos filios filiaſque cum hæreticis nuptiarum fœdere conjungere.* Hujus ſanctionis multiplex eſt ratio. Primùm hæreticæ pravitatis odium. Secundò periculum perverſionis alterius ab altero. Hæc allegatur ratio circa matrimonia cum gentilibus Deuteron.7. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum ne ſequatur me, & ut magis ſerviat dijs alienis.* Tertia ſumitur ratio ex profanatione Chriſtiani conjugij quod unum eſt ex Eccleſiæ Sacramentis. Huic ſimilem canonem 14. edidit œcumenica Synodus Chalcedonenſis. Vox tamen ἀδιαφόρως indifferenter, quam habet canon iſte Laodicenus, innuere videtur poſſe aliquando nuptias cum hæreticis permitti ubi gravis ſubeſt ac rationabilis cauſa. Eamdem ſanctionem iterat quoque canon Laodicenus 31. & Agathenſis Concilij can.67. A Gratiano inſertus cap. non oportet cum omnib. & cap. cave 28. q.1.

Can.XII. *Vt Epiſcopi judicio Metropolitanorum & eorum Epiſcoporum qui circumcirca ſunt provehantur ad Eccleſiaſticam poteſtatem diu examinati, & in ratione fidei, & in rectæ converſationis exemplo.* Habetur cap.Epiſcopi diſt.24.

9. Can.XIII. *Non eſt permittendum turbis electiones eorum facere qui ſunt ad Sacerdotium provehendi.* Habetur in Decreto cap.non eſt permittendum diſt.63. de Epiſcoporum electione vide ſuperius Nicænum can.4. cum ibi adnotatis. Populi quidem ſuffragia olim ad Epiſcoporum electionem admiſſa fuere, ſecus tamen ad minorum Sacerdotum & inferiorum miniſtrorum promotionem. Sanè populi teſtimonium circa vitam & mores cujuſque ordinandi requiri ſolebat juxta Apoſtolum, 1.Timoth.3. *Oportet illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.* Quinetiam populus ipſe nonnunquam aliquem benemeritum ad inferiores ſacros ordines poſtulabat & impetrabat. Teſtatur namque Paulinus epiſt.45. ſe Barcinone aliquando fuiſſe ab Epiſcopo Lampio initiatum Clero & ſacratum ad illius populi poſtulationem. Auguſtinus etiam refert epiſt.225. Pinianum fuiſſe ab Hipponenſi plebe inſtanter poſtulatum ut ad Clerum promoveretur. Inſuper Act. Apoſt.1. non ſoli Apoſtoli ſed etiam tota Eccleſia Matthiā elegit & Joſeph Barſabam, ut eorum unus aſſumeretur in Apoſtolatum. Item Act.6. credentium multitudo convocata ſeptem Diaconos elegit. Cæterùm ad illud Act.cap.1. Chryſoſtomus aſſerit Petrum quidem potuiſſe per ſeipſum novum loco Judæ Apoſtolum eligere, ſed maluiſſe per prudentiam & modeſtiam univerſæ Eccleſiæ gratificari. Poſtulationes autem quæ à populis ad Epiſcopos dirigebantur nihil fuiſſe quam ſupplicationes neque jus ullum aut obligationem induxiſſe perſpicuum eſt.

Can.XIV. *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ in alias Parœcias tranſmittantur.* Canonis ratio hæc eſt quia cum diebus Paſchalibus fideles omnes Euchariſtiam ſumerent, non alio ſymbolo ſanctæ ſocietatis opus illis erat. Per Euchariſtiam quippe *unus panis & unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane; & de uno calice participamus.* 1.Cor.10. Vide in ſecundi ſæculi diſſertationibus illam quæ tractat de Eulogiis.

10. Can.XV. *Non oportere præter Canonicos cantores qui ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt aliquos alios canere in Eccleſia,* Græcè πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων. Hic obſerva vocem ambonis. Quidnam verò eſſet ambon ſatis ſuperque docui ad ſæculum 2. in diſſertatione de antiquo ſitu & partibus Eccleſiarum. Hîc etiam vocem Canonicorum fuiſſe olim quoque cantoribus Eccleſiaſticis attributam. De cantoribus ſeu pſaltis conſulito infra can.10. Carthaginenſis Concilij quarti. Iſte itaque Laodicænus canon vocem Canonicorum in Eccleſijs affectam Clericis cantoribus, obſerva eſſe vetuſtioris uſus quàm opinentur illi qui ejus originem ad Canonicos regulares referunt, eò quòd canon regulam apud Græcos ſignificet. At Laodicæni Concilij temporibus nondum inſtitutio emerſerat Canonicorum dictorum regularium, hoc ſenſu, quòd ad religioſam & aſceticam profeſſionem regulæ addicti erant, quæ illos à Clero ut vocant ſæculari ſecerneret. Enimvero ante iſtiuſmodi inſtitutionem regularem votis aſtrictam Canonici denominabantur à canone, quatenus pro matricula ſeu catalogo uſurpatur in Eccleſia ut tertij quartique ſæculi teſtimoniis pleriſque huc adducendis compertum fiet, in quibus Clerici de ſportulis & oblationibus Eccleſiarum participātes, Clerici de canone aut canonici, ut eos Laodicæni Patres appellant vocabantur. Nicænæ Synodi can.16. ſic effatur πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι. Sacerdotes aut Diaconi aut generaliter, aut generatim quicumque in canone recenſentur. Et inſequens can.17. πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι plerique in Canone recenſiti τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν διώκοντες avaritiam & turpe lucrum conſectantes. Præterea Synodus Antioch.can.2. εἰ δὲ φανείη τις τῶν ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων ἢ διακόνων ἢ τις τοῦ κανόνος τοῖς ἀκοινωνήτοις κοινωνῶν. Si quis deprehenſus fuerit Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius qui de canone ſit cum excommunicatis communicans. Canon pariter Antiochenus 6. ὁ αὐτὸς δὲ ὅρος ἐπὶ λαϊκῶν καὶ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων καὶ πάντων τῶν ἐν κανόνι. Idem ſit Decretum circa laïcos & Sacerdotes & Diaconos & omnes qui de canone ſunt. Ejuſdemque

Synodi can. 11. εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἢ ὅλως τοῦ κανόνος. Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus aut generatim aliquis de canone. Chalcedonenſe Concilium damnans ſimoniacam in Clero promotionem can. 2. εἴ τις ἐπίσκοπος προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον ἢ ἔκδικον ἢ παραμονάριον ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος. Si quis Epiſcopus promoveat per pecunias aut œconomum, aut defenſorem, vel manſionarium, vel omnino aliquem qui ſit in canone. Canonis ſimiliter vox ſub ſignificatione catalogi ac indicis uſurpari ab antiquo ſolet, de tabula librorum divinæ Scripturæ qui ideò dicuntur canonici aut in canone comprehenſi. Illa quoque ſacræ Liturgiæ pars, in qua Sanctorum conſcripta nomina pronunciantur à Sacerdote, quorum opem ac præſidium Sancta Dei Eccleſia ante & poſt myſticam conſecrationem invocat, ex priſca conſuetudine Canon dici ſolet: voxque ipſa canonis ortum inde habere videtur, vel quia in Miſſæ canone nomen addebatur ejus quē Eccleſia vindicabat, ut loquitur Optatus lib. 1. contra Parmenianum; hoc eſt Sanctorum indici aſcribebat: vel quia Sanctus vita functus cujus publicè colendi & invocandi nova per Eccleſiam dabatur poteſtas, Canoni, hoc eſt Sanctorum albo ac ſyllabo inſcribebatur. Cæterùm ut ad canonem ſeu tabulam Clericorum nominibus inſcriptam regrediar, illam deſignat Cyprianus epiſt. 35. monens fuiſſe à ſe Numidicum inſcriptum Presbyterorum numero Carthaginenſis Eccleſiæ ut ſedeat deinceps in Clero. Meminere inſuper canones Apoſtolorum 17. & 51. ſub nomine καταλόγου ἱερατικοῦ Catalogi ſacri. Et Baſilius Magnus in epiſtola canonica ad Chorepiſcopos ſub nomine ἀναγραφῆς inſcriptionis. Præterea Concilium Agathenſe can. 2. ſub vocabulo matriculæ. Sidonius quoque Apollinaris lib. 6. epiſt. 8. ſub nomine albi: *Nomen* (inquit) *lectorum albus nuper excepit*. Porrò ex albo Clericorum delebantur Clerici contumaces, excommunicati, depoſiti, aut ſceleris convicti, ut liquet ex citato canone Agathenſi & ex Auguſtini epiſt. 137. de Bonifacio Sacerdote criminis poſtulato. Clerici quoque ad ordines expetiti & rogati non inſerebantur canoni, ſeu albo miniſtrorum ejus Eccleſiæ in qua ordinabantur, niſi ſe inſeri conſentirent: ita ut libertas eis relinqueretur aliò commigrandi ut conſtat ex Paulini epiſtolis 6. & 45. hæc inſignia teſtimonia ad probationem canonis Eccleſiarum, & canonicorum Clericorum alicujus Eccleſiæ miniſterio & obſequio addictorum ſufficiant.

11. Can. XIX. *Oportere ſeorſum primùm, poſt Epiſcoporum ſermones, catechumenorum orationem peragi: & poſtquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem: his etiam accedentibus ad manum Sacerdotis & cum deceſſerint, fidelium preces ſic ter fieri: unam quidem ſcilicet primam ſilentio: ſecundam autem & tertiam per pronunciationem impleri: Deinde ſic pacem dari. Et poſtquam Presbyteri pacem Epiſcopo dederint, tunc laicos etiam pacem dare (Dionyſius exiguus ſic exponit: Et poſtquam Epiſcopus Presbyteris oſculum pacis dederit, tunc laici ſibi tribuunt) & ſic ſanctam oblationem perfici. Et ſolis licere ſacratis ad altare accedere & communicare.*

Obſerva catechumenorum olim duplex in Eccleſia genus, auditorum ſcilicet & competentium. Primi quidem verbum Dei intra Eccleſiam audiebant, & Chriſtiani fieri deſiderabant, ſed ad baptiſmum ſuſcipiendum necdum nomen dederant. Secundi verò nomen ſuum in hoc dederant, ideoque ad baptiſmum ſollicitè inſtituebantur per aliquot dierum ante Paſcha vel Pentecoſtem hebdomades, & preces intra Eccleſiam ſuper his à Sacerdotibus fundebantur. De his loquitur Auguſtinus lib. de cura pro mortuis: *Paſcha* (inquit) *appropinquabat dedit nomen inter competentes*. Supereſt etiam ejuſdem ſermo de tempore 116. ad competentes. Eoſdem Leo Papa epiſt. 4. & Ordo Romanus vocant electos. Obſerva prætetea illam ſolitam poſtea dari pacem fuiſſe antiquitus per oſcula exhibitam, ut perhibent Juſtinus martyr apolog. 2. *Finitis* (ait) *orationibus nos invicem oſculo ſalutamus*, φιλήματι ἀσπαζόμεθα. Et Dionyſius Eccleſ. hier. cap. 14. Cyrillus Jeroſol. catech. myſtag. 5. Chryſoſtomus homil. 30. in 2. Corinth. Auguſtinus ſerm. 83. de diverſis, ſic dicens: *Poſt orationem Dominicam quam accepiſtis & didiciſtis dicitur pax vobiſcum; & oſculantur ſe invicem Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia fiat in conſcientia: id eſt ſicut labia fratris tui ad labia tua accedunt, ſic cor tuum à corde illius non recedat*. Huc pertinet illud Apoſtoli ſæpius repetitum: *Salutate invicem in oſculo ſancto*. Rom. 6. v. 16. 2. Cor. 13. v. 12. Theſſal. 5. v. 26. Nec verò id fiebat inter diverſos ſexus cum certum ſit fœminas intra Eccleſiam fuiſſe loco, & ſpacio à viris ſejunctas. Pacem dabant Sacerdotes primùm Epiſcopo, deinde ipſi inter ſeſe invicem ac demum laici laicis viciſſim ut hic ſtatuitur.

12. Can. XX. *Quod non oportet Diaconum ante Presbyterum ſedere: ſed ſedere cum juſſu Presbyteri. Similiter autem etiam haberi honorem Diaconis à miniſtris, & omnibus Clericis oportet.*

Synodus quoque Nicæna can. 18. prohibet ſedere Diaconos inter Presbyteros. Vide huc pertinentem can. 34. Concilij Carthaginenſis quarti, & quæ ibi obſervavi.

Can. XXI. *Non oportet Subdiaconos locum habere in Diaconico & Dominica vaſa contingere.*

Habetur cap. non oportet diſt. 23. Idemque decernitur can. 66. Concilij Agathenſis. *Quoniam non oportet non ſacratos miniſtros* (olim autem Subdiaconi non erāt neque cenſebantur ſacrati) *licentiam habere in ſecretarium quod Græci vocant* διακονικὸν *ingredi & contingere vaſa Dominica*. His tamen vaſis ſacris non contingendis obſtare videtur in primis Concilij quarti Carthaginenſis canon 5. ſtatuens ut qui Subdiaconus ordinatur calicem vacuum patenamque vacuam ſumat de manibus Epiſcopi. Deinde Concilium Bracharenſe allegatum in Decreto cap. non liceat diſt. 23. interdicit inferioribus Clericis vaſa ſacra perferre niſi Subdiaconis. Sed diſtinguendum cum Theodoro Balſamone; Subdiaconis quidem inhiberi ſacrorum vaſorum contrectationem dum divina continent Sacramenta, nō verò ſi his vacua ſint. Quinimo

Digitized by Google

imo horum vacuorum contrectationem ad ipſorum munus & officium pertinere.

13. Can. XXII. & XXIII. Ὑπηρέτην, hoc eſt adminiſtrum Clericum ſcilicet Subdiaconum eoque inferiores Clericos negant poſſe orarium geſtare. Vox iſta Orarium, Græcis pariter & Latinis uſitata, ſtolam quam nunc appellamus ſignificat. Hujus crebra mentio eſt in Liturgia Chryſoſtomi, in qua hoc indumenti genus nunc ὠράριον nunc ἐπιτραχήλιον dicitur, quod ſonat collo circumaptatum: τράχηλος quippe collum ſignificat. Et quartū Toletanum Concilium allegatum in Decreto diſt. 15. cap. orarium, ſic decernit: *unum orarium oportet Levitam* (is eſt Diaconus) *de ſiniſtro humero geſtare, propter quod orat. Dextram autem partem oportet habere liberam ut expeditius ad miniſterium Sacerdotale deſerviat.* Græci Latinique hanc ſibi vocem aſciſcunt, pro diverſis quas ei tribuunt etymologiis. Græci quidem ab ὁρᾷν quod eſt inſpicere. Quoniam apud ipſos Sacer chorus ſigno à Diacono per orarij elevationem dato eoque inſpecto & obſervato cantum exorditur, aut ſe loco movet ad proceſſionem vel ad communionem. Latini verò idem nomen ab oratione deducunt. Aliquando etiam orarium ſignificat linteamen quo fideles etiam laïci ſacratiſſimam Euchariſtiam involutam priſcis ſæculis privatim geſtabant aut penes ſe aſſervabant, quod Dominicale pariter dicebatur. Scribitque Ambroſius in obitum Satyri fratris ſui, eum cum adhuc eſſet catechumenus in graviſſimo naufragij, vitæque diſcrimine conſtitutum, ne vacuus myſterij è vita excederet ab illis qui myſteriis initiati erant petiviſſe Sacramentum, & ipſum ſibi ad collum alligari feciſſe orario involutum, ſeque mox in medios fluctus dediſſe præcipitem. Verùm inſigni miraculo fuiſſe incolumem ad littus delatum. Orarium etiam apud profanos dicebatur vulgare ſudariolum quo ſudores, & à cerebro defluentes humores ab ore ſeu facie deterguntur.

14. Can. XXIV. *Quod non oportet ſacratos à Presbyteris uſque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici ordinis uſque ad miniſtros* (ita vocat Subdiaconos) *ne vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel oſtiarios vel aſcetas (hi ſunt Monachi) in cauponam ingredi.*

Hoc loco nota diverſos inferiorum Clericorum gradus apud antiquiores Græcos. Eamque in rem vide peculiarem noſtram in ſecundo ſæculo diſſertationem. De prohibitione cauponarum ingreſſus, habetur cap. non oportet diſt. 44. & Apoſtolorum can. 53. *Si quis Clericus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur: præterquam ſi in itinere propter neceſſitatem diverterit in publicum hoſpitium.* Et Concilium Carthaginenſe tertium can. 27. *Vt Clerici edendi vel bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Extant innumeri poſteriores de hoc Canones.

15. Can. XXVIII. *Non oportet in Dominicis locis ſeu Eccleſijs eas quæ dicuntur Agapas fieri, & in domo Dei comedere & accubitus ſternere.*

Erat Agapa convivium inter fideles ſolitum olim intra Eccleſiam exhiberi, poſtquam ſacra peracta erant myſteria, jam inde à naſcentis Eccleſiæ primordiis uſitatum: hujus enim mentio eſt 1. Cor. 11. & in epiſt. Judæ *hi ſunt in epulis* (Græcus contextus habet ἐν ταῖς ἀγάπαις in Agapis) *maculæ convivantes ſine timore.* Ritum Agaparum deſcribit Chryſoſt. homil. 27. in princ. ad 1. Cor. 11. *Statis diebus* (inquit) *menſas habebant communes, & peractâ ſynaxi poſt Sacramentorum communionem inibant convivium, divitibus quidem cibos ſuppeditantibus, pauperibus vocatis, & omnibus communiter veſcentibus.* Meminit quoque earum Tertullianus in Apologetico. *Cœna noſtra de nomine ſuo rationem ſui oſtendit. Vocatur enim Agape quod eſt apud Græcos dilectio. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum, ſiquidem inopes refrigerio iſto juvamus.* Synodus Gangrenſis can. 11. anathemate percellit eos qui Agapas ita deſpiciunt ut in eis intervenire nolint. Idque ſtatuit occaſione Euſtathianorum hæreticorum de quibus ad Concilium ſupra egimus. Quia tamen ex adverſo pravi abuſus ſe in Agapas inſinuabant, quales ipſi arguunt Apoſtoli Paulus & Judas, idcirco ſatius duxerunt Laodicæni Patres occaſionem hanc vitiorum abſcindere, quæ per Agapas fovebantur. Atque hujuſmodi intra Eccleſias convictus Ambroſio impenſe diſplicuiſſe refert Auguſtinus lib. 3. confeſſio. cap. 2.

16. Can. XXIX. Celebrari prohibet diem ſabbati Judaïco ritu, præcipit verò Dominici diei celebrationem. Dies enim Dominicus ſucceſſit in locum veteris Sabbati ex Apoſtolica traditione 1. Cor. 16. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat,* &c. vocaturque Dominica dies Apoc. 1. v. 10. in honorem & cultum Dominicæ Reſurrectionis.

Can. XXXIII. *Non oportet cum ſchiſmaticis vel hæreticis orare.* Hæc eadem Synodus conjugia cum hæreticis jungi vetat can. 10. & 31. Eademque can. 23. Eulogias hæreticorum accipere prohibet. Nota eſt hiſtoria Ioannis Apoſtoli refugientis balnei lavacrum in quo Cerinthus hæreticus lavabatur, quam ex Irenæo refert Euſebius lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 28. Paulus quoque hæreticum poſt unam & alteram correptionem devitari jubet ad Tit. 3. Ipſeque Apoſtolus Ioannes epiſt. 2. ait: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, neque Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave communicat operibus ejus malignis.* Et verò ſi in humanis & civilibus illicitum eſt cum hæreticis communicare quantò minus in divinis fas erit, & in ſocietate precum. Vide inferiùs canones 72. & 73. Concilij Carthaginenſis quarti.

17. Can. XXXV. *Quòd non oportet Chriſtianos relictâ Dei Eccleſiâ abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere quod eſt prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare ſit anathema: quia reliquit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & acceſſit ad idololatriam.*

Laodicæni Patres can. 51. ſanctorum Martyrum cultum, feſta & memorias approbantes non poſſunt Sanctorum Dei Angelorum qui eandem cum Martyribus gloriam in cœlo participant, & pari cum Martyribus erga nos charitate ferveant, reprobare venerationem. Sed quemadmodum eo qui immediatè præcedit canone 34. illos anathemate damnant

Digitized by Google

rum προηγιασμένων quæ ibi Balſamon interpretatur oblationem ſacrificij diebus ante actis celebrati : quemadmodum mos eſt apud Latinos magnæ peraſceves die, quo ad altare conſumitur à Sacerdote hoſtia adorabilis pridie conſecrata. Idemque Trullanus hanc ſubjungit rationem quia ſacrificium indicium eſt ſolemnis lætitiæ, ideóque minimè cõveniens mœſtitiæ jeiuniorum & pœnitentiæ. Nonnulli tamen de Eulogiis nõ de Sacrificio canonem iſtum 49. exponi malunt, conjicientes ideo in quadrageſima eulogias panis prohiberi ne per earum commeſtionem rigor ſolvatur jejunij exceptis Sabbatis & Dominicis quibus apud Græcos jejunare nefas erat. Verum eſſe potius de pane Euchariſtico intelligendum canonem tum alia ſuadent argumẽta, tum illud quod ſumitur ex Eccleſiaſtico verbo προσφέρειν quo utitur. Similiter enim Nicænus canon 14. negat Diaconos poteſtatem habere τὸ προσφέρειν ſed ſolos Sacerdotes id poſſe. Similiter Nicænus can. 12. eos qui in pœnitentium ordine verſabantur qui σύστασις, id eſt, conſiſtentia dicebatur, Soláque privabantur Euchariſtiæ communione, dixit κοινωνεῖν ἄνευ προσφορᾶς communicare citra divini altaris oblationem ac ſacrificium. Laodicænus item canon 58. non permittit in privatis ædibus Sacra offerri myſteria ὅτι οὐ δεῖ ἐν τοῖς οἴκοις προσφορὰς γίνεσθαι παρὰ τῶν ἐπισκόπων non oportere in domibus ſacras fieri ab Epiſcopis oblationes : ut alia pleráque Sanctorum patrum veteris Eccleſiæ ſignificationis teſtimonia pro ipſo Sacrificio prætermittam. Refert Socrates lib. 5. cap. 22. & Sozomenus lib. 7. cap. 19. Divina in omnibus Eccleſiis celebrari myſteria Sabbatis, præterquam Romæ & Alexandriæ. Cujus rei cauſa ſaltem quoad ſolam Romanam Eccleſiam hæc veriſimilior erat : quia Romani Sabbatis per annum jejunabant ut perſpicuum fit ex Innocentij Papæ epiſt. ad Decentium Eugubij Epiſcopum cap. 4. & Hieronymi ad Lucinium & Auguſtini epiſt. 86. ad Caſulanum & ejuſdem epiſt. 118. ad Januarium. Itaque Synaxium quæ Latinè collectæ dicebantur quædam inſtitutæ ſolùm erant ad audiendum Dei verbum & fundendas preces, aliæ verò præterea ad Sacratiſſimum & incruentum Sacrificium Deo offerendum. Quod etiam præallegato Socratis loco aſtruitur ubi refert fieri Alexandriæ Synaxes δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς abſque myſteriorum oblatione.

22. Can. L. *Non oportet in quadrageſimæ poſtrema ſeptimana quintâ feriâ jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam injuria afficere: ſed oportet totam quadrageſimam iejunare aridis veſcentes. Græce* ξηροφαγοῦντας. Xerophagiam quæ hic præcipitur deſcribit Tertullianus lib. 1. adver. Pſychicos his verbis : *Xerophagiam obſervamus ſiccantes cibum ab omni carne, & jurulentia, & uvidioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis edamus vel potemus.*

Ejuſmodi etiam Xerophagiam in jejuniis Græci aliqua ex parte obſervant, apud quos vigere à cunctis piſcibus abſtinentiam teſtatur Balſamon, quos Tertullianus ſub nomine omnis carnis comprehendit. Armeni quoque ſchiſmatici & Eutychetis ſectarij non ſolùm ab omni carne animalium terreſtrium & aquatilium, à lacticiniis & ovis, ſed etiam à vino & oleo abſtinent; ut teſtantur plerique qui regiones illas noſtris diebus peragrarunt. Docet præterea Balſamon ad Apoſtolorum can. 69. ſervari quoque à Græcis Xerophagiæ jejunium non in ſola quadrageſima ; ſed omnibus anni quartis & ſextis feriis adeo ut nec cum ægrotantibus diſpenſetur etiam in mortis confinio niſi circa piſces.

23. Can. Quod vero attinet ad Sabbatorum dies, Græci cæteríque Orientales nefas ducunt in illis jejunare ductâ conſuetudine ab ipſis Eccleſiæ primordiis ſive intra ſive extra quadrageſimam occurrant. Canon Apoſtolorum 66. decernit : *Si quis clericus inveniatur ſive dominico die ſive Sabbato jejunans uno ſolo excepto Sabbato* ( eo ſcilicet Sabbato quod eſt feſti Paſchalis pervigilium ) *deponatur : ſi vero laicus, excommunicetur.* Canon item Apoſtolorum 69. præcipit quadrageſimæ omniúmque quartarum & ſextarum feriarum per annum jejunia. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus & germen inclytum, in epiſt. ad Philippenſes, poſt diſtrictè commendatum quadrageſimale jejunium, necnon feriarum quartæ & ſextæ per totum anni decurſum, hoc demum adjungit *eos qui Sabbatis jejunant uno ſolo excepto* ( quod eſt pridie Paſchatis) *eſſe Chriſticidas.* Petrus Alexandrinus can. 15. Jejunium quartæ feriæ ideo præcipi refert quia eo die conſilium initum fuit de capiendo & occidendo Chriſto ; ſextæ autem quia eo die Chriſtus crucem & mortem ſubiit. Cauſa verò cur Orientales jeiunium Sabbati tantopere averſarentur iſta fuit : quia jam inde ab Apoſtolorum tempore hæreſes obortæ erant profitentes hebræorum Deum qui mundum hunc viſibilem condidit legémque Moyſi dedit eſſe malum, omniumque malorum fonté ac principium; atque in ejus odium Sabbatis jejunabant, quos ille dies ſuo cultui deſtinarat. Iſtius hæreſis autor fuit Simon magus, eamque diſcipuli ejus Menander, Baſilides, Saturninus, Cerinthus, Carpocrates pro viribus propagarunt. His ſucceſſit Cerdon, Cerdoni Marcion : quibus ſe Manichæi duorum principiorum prorſus inter ſe contrariorum aſſertores adjunxere. De quibus omnibus videndus Irenæus lib. 1. cap. 20. & ſeqq. & Epiphanius hære. 21. & ſeqq. Refert Auguſtinus epiſt. ad Caſulanum 86. in Eccleſiis Orientalibus non jejunari quidem Sabbatis : in Occidentalibus autem ritus eſſe diverſos, tum inter Eccleſias Africanas tum inter ipſas quoque Italicas: Romæ quippe diſtrictè jejunari, ſed non Mediolani : ſeque cum hac de re Ambroſium conſuluiſſet iſtud ab illo ſapientiſſimum retuliſſe reſponſum : *Quid poſſum hic docere amplius quàm quod ipſe facio ? Quando hic ſum non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum jejuno Sabbato. Et ad quamcumque Eccleſiam veneritis ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis aut facere.* Eadem repetit idem Auguſtinus epiſt. 118. ad Januarium.

24. At in Gallia Concilium Agathenſe can. 8. & Aurelianenſe quartum can. 2. Sabbatis jejunari præcipiunt. Eadémque in Hiſpania ſervari teſtatur Hieronymus ad Lucilium Bæticum. Innocentius primus epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 4. Et hoc addit, cauſam, cur Græci cenſent jejunandum eſſe Sabbato in pervilegio Paſchæ cũ tamen reliquis anni Sabbatis jejunare nefas ducerent, valere nihilominus in reliquis totius annis Sabbatis : memoriam nimirum Dominicæ ſepulturæ ac triduanæ mortis. Quandoquidem profitentur ipſi Græci feſtivum Dominicæ reſurrectionis gaudiũ, nõ ſolũ ipſo die Paſchatis, ſed omnibus etiã

V anni

audentiùs commemorat, ſeipſum nimirum in cella Maris anacoretæ recluſi, ut ejus ardenti deſiderio ſatisfaceret divinam etiam ſine ullo altari ſuper manibus duorum quos adduxerat Diaconorum celebraſſe liturgiam cum neque illa cella ullo eccleſiaſtico ritu fuiſſet dicata. At id exemplum adeo contrarium Sanctis canonibus nullatenus ad imitationem trahi debet.

30. Can. LIX. *Non oportet privatos & plebeios pſalmos in eccleſia cantare, neque libros non canonicos legi, ſed ſolùm ſacra volumina novi teſtamenti vel veteris.*

Deinde Sancta Synodus indice librorum ſacrorum utriuſque teſtamenti ſuis canonibus finem imponit. Solent novatores canonem Laodicænum Tridentino ſacrarum ſcripturarum canoni quaſi adverſantem opponere: cum tamen ambo Concilia neque invicem adverſentur neque repugnent. Laodicænum enim nullatenus erravit dum eos libros in albo canonicorum recenſuit de quibus Epiſcopi ejus Concilij certi erant, cæteroſque omiſit non quidem negans eſſe canonicos ſed nolens rem adhuc dubiam & nondum Eccleſiæ manifeſte revelatam definire. At verò de iiſdem quos canon iſte Laodicænus prudenter ſiluit, utpote re nondum plenè compertâ Spiritui divino placuit ſuæ Eccleſiæ paulò poſt Synodum Laodicænam revelare, undecim ſæculis ante Concilium Tridentinum, quod cum ſit œcumenicum & à ſummis Pontificibus approbatùm longe potiore autoritate prævalet ſupra Laodicænum quod erat unius provinciæ, nec uſquá legitur ab ullo ſummo Pontifice expreſſe approbatum. Quamvis autem Laodicænũ ob ſapientiſſimos quos edidit canones multũ mereatur venerationis, nemo tamen ſapiens inficias ierit Concilium Carthaginenſe quod dicitur tertium anni 397. autoritate prævalere, utpote Nationale: cui præſedit Aurelius omnium Africanarum Eccleſiarum Primas, ſubſcripſit verò inter alios omni præconio major & inter primaria totius Eccleſiæ Sydera connumerandus Auguſtinus. Iſtud vero Concilium omnes & ſingulos canonicos recenſet, quos eoſdem poſt tam multa ſæcula iterum recenſuit Tridentinum. Præter Carthaginenſem Catalogum can. 47. comprehenſum, ſummi illorum temporum Pontifices ſanctitate & ſapientiâ conſpicui, pares omnino Sacrorum librorum canones texuerunt in quibus libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duo Machabæorum connumerantur. Innocentius primus epiſt. ad Exuperium. Gelaſius primus in decreto de libris Sacris in Concilio Romano Epiſcoporum ſeptuaginta. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. Iſidorus lib. 6. etymologiarum cap. 1. Caſiodorus lib. 1. Divinarum lectionum. Et vero Laodicænus canon ſubricet Apocalypſim quam Calviniani inter Sacros libros recipiunt. Ex oppoſito iidem librum Baruch rejiciunt, quem Laodicænus canon recenſet, ejuſque divinam aſtruit autoritatem. Hæreticis id proprium eſt ac ſingulare ut illis quæ circa fidem Eccleſia divino movente ſpiritu pronunciavit auſint præfracte refragari: cum ex adverſo Eccleſia Chriſti dum res adhuc in incerto ſunt & necdum Spiritus Dei certiſſimâ illuſtratione dignatus eſt ei manifeſtare, ſuum modeſtè ſuſpendat judicium, donec Deo viſum fuerit eam pleniori luce colluſtrare quâ depellatur ambiguitas intra quam ſe modeſtè continuit. Licuit olim graviſſimis & Sanctiſſimis theologis ex quibuſdam Apocalypſis locis necdum ſatis explicatis eſſe Chiliaſtis, Papiæ Hierapolis Epiſcopo, Irenæo Lugdunenſi, Juſtino, Lactantio, Victorino, Severo Sulpicio, & qui doctus quidem ſed non Sanctus fuit Tertulliano, qui nunc tamen ſenſus hæreſim ſaperet. Licuit pariter olim non modo Judæis ſcriptoribus Philoni & Joſepho, ſed etiam Juſtino Apol. 1. Clementi Alexandrino lib. 2. divin. inſtitut. cap. 15. viris eruditis docere & ſcribere dejectos cœlo fuiſſe malos angelos eo quod in terris cum fœminis congreſſi eſſent, exiſtimantibus filios illos Dei apud Geneſim qui cum filiabus hominum commixti fuerant fuiſſe angelos cœli. Sed poſtquam plenioris lucis acceſſione Eccleſiæ verus illius loci ſenſus illuxit, id non affirmaretur citra piaculum. Hoc idem faciendum judicium de canonicis quibuſdam ſcripturis rebus nondum ſatis perſpicuis & exploratis.

## *SYNODVS ALEXANDRINA ſub Liberio Papa an Chr. CCCLXII.*

1. OCcaſione Arianæ hæreſis multæ apud Alexandriam Synodi convenere, duæ quidem ſub Sylveſtro Papa Romano, aliæque binæ ſub Pontifice Liberio. Primam Alexander Alexandrinus Præſul convocavit centum Epiſcoporum quorum decreto Arius hæreticus fuit declaratus, communione ejectus, & Sacerdotio exauroratus, anno ut optime ex teſtimoniis Lactantij & Oroſij, ut ex actis Baſilij Amaſeni Epiſcopi & martyris colligit Baronius trecenteſimo decimo quinto. Huic idem qui convocarat præſedit Alexander. In ſecunda iidem omnes qui in præcedente interfuerant una cum Alexandro conſederunt Epiſcopi ſed præſidente Apoſtolico Legato Oſio, quem Sylveſter Romanus cum ampla poteſtate tranſmiſerat; & qui per Nicomediam tranſiens literas à Conſtantino ibi tunc agente acceperat, quam ob cauſam Athanaſius Synodum iſtam vocat generalem ob præſentiam Legati Apoſtolici Oſij Cordubenſis Epiſcopi, contigitque anno 319. In hac ut ſcribunt Athanaſius Apol. 2. & Socrates lib. 3. cap. 5. non ſolùm condemnatus eſt Arius, ſed etiam Sabellij dogma omnem divinarum perſonarum diſtinctionem realem amoventis. Colluthus etiam Alexandrinus Presbyter, qui temere ſibi Epiſcopalem arrogabat poteſtatem, jamque permultos clericos conſecrarat, Oſius in ordinem redegit, ſed ſchiſmaticus iſte ſeſe Arianis & Meletianis adjunxit multáſque deinceps tempeſtates excitavit.

2. His ſucceſſit tempore Liberij tertia Synodus Alexandrina reſtituto in priſtinam ſedem Athanaſio. Vltor enim injuriæ ſibi à Conſtantio irrogatæ filius Dei, quem ille ad culmen impietatis hortatore Acacio Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo conſcendens, patri diſſimilem novâ editâ formulâ credi juſſerat, ad tremendum ejus quem deprimi voluerat judicium evocatus Conſtantius



Digitized by Google

vacuum imperij locum morte ſua Juliano reliquit, qui ſumptâ rerum poteſtate omnes ab Arianis relegatos Epiſcopos ipſúmque Athanaſium in priſtinas ſedes revocavit. Tum Liberius qui ad clavum & regimen univerſalis Eccleſiæ ſedebat nihil prius & antiquius habuit quàm ut Eccleſiæ ruinas inſtauraret, Arianoſque ad Eccleſiæ ſinum invitaret, reduceſque paterna charitate complecteretur. Hic in primis magni nominis Epiſcopos Euſebium Vercellenſem Epiſcopum & Luciferum Calaritanum adhuc in Oriente, quò eos Conſtantius relegaverat, commorantes, Legatorum Apoſtolicorum autoritate decoravit, ut in Oriente collapſas Eccleſias ſimulque orthodoxorum dejectos animos erigerent.

3. Interea regreſſus Alexandriam Athanaſius Epiſcopos ad Concilium ibi celebrandum convocavit, ad quod invitatus Lucifer duos vice ſui Diaconos ſubdelegavit, cum interim Antiochiæ hæreret, ut illi Eccleſiæ ſchiſmate divulſæ quod ſuperius retuli provideret. Cumque eſſet ingenio ad rigiditatem ſeveritatémque admodum proclivi, Meletij Epiſcopatum & partes eò quòd Arianis olim conſenſiſſet, minimè approbans, oppoſitis Meletio Euſtathianis Epiſcopum dedit & ſacravit Paulinum. Synodus vero Alexandrina præſidente Athanaſio ſtudés paci & concordiæ communi decrevit ut Ariani Epiſcopi Presbyteri & Diaconi de lapſu reſurgentes reciperentur in Eccleſiam cum priſtinis gradibus. Hoc decretum Lucifero diſplicuit, ut erat inflexi animi, non tamen apertè obniti auſus eſt ei quod Diaconi quos ſubdelegaverat ſubſcriptione ſua communierant & cui cæteri omnes conſenſum præſtiterãt, ut ſcribit Rufinus. Quinetiam cum Vercellarum Epiſcopus Euſebius ſoluto Concilio Alexandrino cui ſtudioſe ſuffragabatur, Antiochiam conceſſiſſet, neque ſatis Luciferi apud eam geſta probaret, iſte iniquo ferens animo ſe ab Euſebij communione ſubduxit. Et quàm primum in Sardiniam reverſus omnium averſatus eſt communionem Epiſcoporum, qui per Arianorum fraudes Ariminenſis Concilij profeſſioni ſubſcripſerant, ſimulque eorum omnium qui eoſdem ſub pœnitentia recepiſſent: tametſi Liberius reſtituendæ pacis deſiderio flagrans, miſſis ad omnes Italiæ Epiſcopos literis quæ ſuperſunt inter Hilarij fragmenta, mandaſſet eſſe recipiendos. Atque ita conflatum eſt Luciferianorum ſchiſma.

4. Multa præterea in hac Alexandrina Synodo conſtituta ſunt ut perhibet Socrates lib. 3. cap. 5. Ibi quippe proſcripta & damnata eſt Macedonij & Eunomij hæreſis adverſus Spiritus Sancti divinitatem. Simúlque alia hæreſis quæ recens emergebat Appollinaris, quæ animam humanam ac rationalem à Chriſto removebat. Innovatum quoque fuit præcedentis alterius Alexandrini Concilij ſub Papa Sylveſtro decretum, cui Oſius Legatione Apoſtolicâ per Orientem fungens præſederat, quo reprobatum fuit Sabellij dogma omne divinarum perſonarum reale diſcrimen tollens. Vt verò diſerte fides Trinitatis explicari poſſit, neve fideles ex verborum penuria viderentur hæreſi Sabellianæ conſentire ſtatutum eodem Oſio præſidente fuerat Synodo præcedenti Alexandrina utendum eſſe nomine οὐσίας ad ſignificandam unam communemque trium naturam perſonarum & ὑποστάσεων ad exprimendas ſingularum perſonarum diſtinctas proprietates. Quæ eadem vocum uſupatio hac alterâ Synodo comprobata eſt, auctore & præſide illius Athanaſio. Sic tamen ut tam Græcis quam Latinis liberum eſſet propriis Linguarum ſuarum idiomatibus uti, ne circa voces certamen exardeſceret, modo nulla eſſet in re diſcrepantia; ut teſtatur & impenſe laudat Gregorius Nazianzenus, orat. in laudem Athanaſij. His tamen adverſari videtur Synodica patrum Sardicenſium epiſtola ad totius orbis Epiſcopos, quam refert ad longum Theodoritus lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 6. in qua continentur hæc verba: *Nuper viperæ duæ ex aſpide Ariana prodierunt Valens & Vrſacius, qui gloriantur & non dubitant ſe dicere Chriſtianos, qui & verbum & ſpiritum crucifixum & vulneratum & mortuum eſſe & reſurrexiſſe: quodque hæreticorum cohors contendit, diverſas eſſe hypoſtaſes patris & filij & Spiritus Sancti pronunciant, & eas ſeparatas eſſe. Nos autem hanc percepimus & didicimus & hanc habemus Catholicam traditionem & fidem atque confeſſionem, unam eſſe Hypoſtaſim quam ipſi hæretici uſiam vocant patris & filij & Spiritus Sancti. Et ſi quærant quæ ſit hypoſtaſis filij profitemur eam eſſe quæ & patris eſſe ſolam in confeſſo eſt. Neque verò unquam patrem ſine filio, neque filium ſine patre fuiſſe, nec eſſe poſſe ſine Spiritu.* Itaque ob diverſas quæ uni eidemque voci attribuebantur ſignificationes, factum eſt ut hypoſtaſis à diverſis iiſque orthodoxis Synodis & approbaretur & reprobaretur: quod idem antea contigerat in vocabulo Conſubſtantialis tantopere ventilato, quod anterior Synodus Antiochena contra Samoſatenum Paulum rejecerat ac prohibuerat. Synodus autem Nicænam poſtea ut cardinem fidei ſuæ prælegerat & complexa fuerat ob diverſa ejuſdem vocis ſignificata.

5. Sane inter Catholicos non autem hæreticos ut addiſcimus ex Hieronymi epiſtola ad Damaſum, de proprietate vocis Hypoſtaſis, gravis agitata eſt concertatio, his Arianiſmum illis Sabellianiſmum invicem exprobrantibus: cum tamen reipſa omnes veram de Trinitate fidem tenerent. Ipſe Hieronymus ſuſpectam ſibi ibidem aſſerit Hypoſtaſis dictionem circa divinas perſonas, eò quòd Hypoſtaſis Latinè ſubſtantiam ſonet: eſſe autem tres in divina trinitate ſubſtantias ſeu eſſentias mens ejus reſpuebat aſſentiri. Ideóque ſupremam ſedem ut oraculum conſulit, cujus tamen ignoratur reſponſio. Hilarius quidem lib. de Synodis admittit dici poſſe tres in una deitate ſubſtantias. Ex adverſo Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9. lib. 7. cap. 4. & Tertullianus lib. contra Praxeam, & Concilium Toletanum ſecundum can. 1. & Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 2. ut taceam Hieronymum loco præfato, unicam in Deo ſubſtantiam aſſerunt, tres verò conſtanter negant. Sed hi ſubſtantiam pro eſſentia intelligunt. At Hilarius non alio ſenſu de tribus aſſerit, quàm eodem ſignificato quo Sanctorum conſenſus patrum tres admittit Hypoſtaſes: tametſi literæ ſoli inhærendo, Hypoſtaſis Græcè nihil aliud ſonet quàm Latinum nomen ſubſtantia, ut ait Hieronymus: utráque enim vox Græcè Latinéque duas complectitur voces ſub & ſtare, ſed mens pronuntiantis potius eſt attendenda quàm origo grammatica, tunc præſertim quum vocabulorum penuriâ laboratur. Et quidem Apoſtolus Hebr. 1. unigenitum patris vocat χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ characterem Hypoſtaſis ejus, nimirum patris, quam hypoſtaſim

Digitized by Google

hypoſtaſim ſancta Eccleſia vertit ſubſtantiam, dicens figuram ſubſtantiæ ejus. Ariſtoteles quidem in Categoriis ſeu prædicamentis vocat οὐσίαν quam Latini philoſophi ſubſtantiam dicunt: eoque ſenſu non ſunt in divinis aſſerendæ tres eſſentiæ ſeu ſubſtantiæ. Athanaſius verò paſſim ſingulis divinis perſonis diſtinctas tribuit hypoſtaſes. Et in tertiò de ſancta Trinitate Dialogo ait, Abrahamum in tribus hypoſtaſibus unicum agnoviſſe Dominum. Baſilius Magnus epiſt.43. ad fratrem ſuum Gregorium Epiſcopum Nyſſenum de differentia uſiæ & hypoſtaſis docet, uſiam in divinis eſſe aliquid tribus commune Perſonis, hypoſtaſim verò eſſe unicuiſſe perſonæ ſingularem & alteri minimè communicabilem. Gregorius etiam Nyſſænus eandem tradit doctrinam Catecheticæ orationis cap.1. Omitto epiſtolam illam Baſilij 43. ad Gregorium fratrem, ab aliis ipſi Gregorio Nyſſæno, & inter ejus opera communicari cum inſcriptione gregorij Nyſſæni ad Petrum fratrem.

6. Nulli ſuperſunt hujus Synodi canones, ejus tamen extat apud Athanaſium Synodica epiſtola, quæ ejus decreta refert, qualia paulò ante commemoravi. Primus ſubſcribit Athanaſius, interfuit Euſebius Vercellenſis Epiſcopus. Pro Lucifero abſente miſſi ab eo Diaconi Herennius & Agapetus interfuerunt, proque abſente Paulino Antiochenſium Epiſcopo Maximus & Calimerus pariter Diaconi, pro Apollinari Laodicenſium Præſule Monachi aliquot ab eo miſſi. Hujuſce Apollinaris hæreſim, de anima humana per verbum non aſſumpta, damnavit hæc ſancta Synodus ſuppreſſo tamen autoris nomine, ſive quia incertus hactenus fuerat aut ignotus illius autor, ſive quia per illos à ſe miſſos ad Synodum monachos hæreſi renunciarat. Quo factum eſt ut poſtea Baſilius Magnus cum Apollinare communicari potuiſſe reſponderit, quem erraſſe ignorabat ut notat Baronius.*

Alteram demum indixit Athanaſius Alexandriæ Synodum, poſtquam piiſſimus Jovinianus in Imperium mortuo impio Juliano promotus, fidei inſtitutionem ab Athanaſio expetivit anno Chiſti 363.

## *SYNODUS OECUMENICA Secunda anno 381. Conſtantinopoli celebrata, ſimulque Romana ſub Damaſo & Aquileienſis.*

1. Conſtantinopolis olim Byſantium dicta, cujus conditor Lacedæmoniorum dux Pauſanias, à Conſtantino magno Romanorum Imperatore mirificè nobilitata & amplificata fuit, à quo ſuum nomen accepit, ſimulque novæ ſecundæque Romæ cognomen: pleraque habens cum illa veteri communia ornamenta, utraque ſolium ac ſedes Imperij conſtituta fuit, utraq; Senatu ampliſſimo decorata, utraque ſeptem collibus conſpicua, quos murorum ſuorum ambitu complectitur. Nulla viſitur toto terrarum Orbe civitas tam capaci & opportuno portu, tam amœnis littoribus, tam commodo & optabili ſitu, interjacens Europæ Aſiæque; interque diverſa maria quæ ad Auſtrum, quæque ad Aquilonem reſpiciunt uſque adeò feliciter collocata, ut undequaque naves ad eam confluant, commoda & opes omnium orbis regionum in hujus ampliſſimæ civitatis ſinum comportantes, adeout nullum ſit facilius nullumque felicius emporium: cum enim diverſa variis ex partibus conjungat maria & freta ſi qua parte ventus & tempeſtas impedit navium acceſſum ex regione Aquilonari, ventus idem ipſe aut alius ventus naves in tutiſſimum portum & ſtationem deferet, ex oppoſita auſtrali plaga venientes. Tribus locis mari alluitur à meridie quidem ſinu Propontidis quod vocant *Mar di Marmora* qui ſinus pars eſt maris Ægæi vulgò *Archipelago* nominati. Ab ortu civitas Boſphoro cohæret freto commodiſſimo, Aſiam ab Europa dirimente. Cui ex parte Aſiæ objecta eſt Chalcedon urbs quæ nunc *Scutari* dicitur. Denique alluitur ex parte Septentrionis ſinu illo qui à Boſphori ſuperiore ſeu borali parte verſus occaſum exporrigitur, qui vulgò denominatur Cornu, & portum conſtituit toto ambitu profundum, ut ſit undequaque capax innumerarum maximarúmque navium. Ulterius verò ad Arcton imminet civitati Pontus-Euxinus, qui nunc mare nigrum, & mare majus appellatur. Ipſa verò Urbs intus quidem vilibus ædificijs & vicis arctis & obliquis, ut nunc quidem viſitur deformatur. Sed foris ob ſitus pulchritudinem jucundiſſimamque, quæ circumfluit terrarum & aquarum varietatem regiæque domus quæ *Serrallio* dicitur, & adjacentium hortorum amœnitatem quæ accedentibus ab Ægæo mari primo ſe aſpectu offert ſpecioſiſſima eſt, & admirabiliter jucunda. Itaut condita videatur ad rerum omnium aliis ex regionibus confluxum, ad latè propagandum terrâ marique dominatum, & ad omnes humani generis delicias comparandas, opeſque remotiſſimarum gentium convehendas.

2. Synodus iſta ſub Romano Pontifice Damaſo, Imperante Theodoſio ſeniore an. Chriſti 381. celebrata eſt tres potiſſimum ob cauſas. Primùm ut Nicæna fides tot jactata procellis atque adeò multis Pſeudoſynodis reprobata diverſis Arianorum turbinibus, in integrum reſtitueretur. Secundò ut Eccleſiæ Conſtantinopolis Præſul orthodoxus eaque ſede dignus præficeretur, quam Ariani Epiſcopi Euſebius è Nicomedia accitus, Macedonius, Eudoxius, & Demophilus alter alteri ſuccedentes miſerrimè labefactaverant. Tertiò ut Macedoniana hæreſis profligaretur. Macedonius qui unà cum Baſilio Ancyrano, Eleuſio Cyziceno, aliiſque quibuſdam formulæ fabricatoribus Semiarianis filium æterno progenitori ſimilem aſſerentibus graves habuerat in Seleucienſi Conciliabulo concertationes cum Acacio Cæſarienſi in Palæſtina Epiſcopo, aliiſque quibuſdam abſolutis Arianis inde dictis Anomœis, quia omnem Filij cum Patre ſimilitudinem reſpuebant, iſte inquam Macedonius cum ſuam apud Conſtantinopolim formulam prævalere vellet, in oppoſitum acriter contendentibus Acacianis à Conſtantio Principe qui Acacianis adhærebat, tanquam ſeditioſus de ſede illa detruſus, atque in exilium ejectus eſt, ſuffecto ei Eudoxio ex Anomœorum ſecta. Sic ergo deſtitutus, atque in ordinem redactus, & extorris Macedonius novam invexit adverſus Spiritum ſanctum hæreſim, affirmando eſſe Patri Filioque diſſimilem, utroque longè inferiorem, & utriuſque ſervum. Primus hanc hæreſim ſcriptis confutavit Athanaſius generoſiſſimus conſubſtantialitatis

cum Patre Filij ſanctique Spiritus aſſertor, geminæque hæreſis expugnator, tum in tribus luculentiſsimis ad Serapionem contra dogma iſtud Macedonianum epiſtolis, tum in tertio de ſanctiſsima Trinitate dialogo, qui totus verſatur in Macedonio refellendo, tum in aliis paſsim tractatibus.

3. Unanimi conſenſu Damaſius & Theodoſius iſtud generale Concilium indixerunt. Nec enim legitimum fuiſſet ſine univerſalis Pontificis conſenſione. Ipſe namque Damaſus de multùm numeroſiore Concilio Ariminenſi, cujus tamen infauſtus & luctuoſus toti Eccleſiæ fuit exitus, ſic ſcribit atteſtante Theodorito lib.2.cap.17.ad Epiſcopos Illyrici: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum quando conſtat neque Romanum Epiſcopum cujus ante omnia expectanda erat ſententia, neque Vincentium qui tot annorum Epiſcopatum integrè geſſerat, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum.* Vincentium idcirco nominat quia in eo Conciliabulo, & antea in Nicæno ſacroſancto Concilio Legati Apoſtolici functus fuerat officio. In Synodo pariter œcumenica Chalcedonenſi actio.1. vocatur in judicium reus Dioſcorus Alexandrinus hoc nomine: *Quia cum nec perſonam judicandi haberet ſubrepſit, & Synodum auſus eſt facere, ſine autoritate Sedis Apoſtolicæ, quod nunquam ritè factum eſt, nec fieri licuit.* Igitur neque in iſto quod præceſſerat Conſtantinopolitano Concilio. Socrates etiam lib.2.cap.17. affirmat id ita canone Eccleſiæ receptum eſſe. Julius etiam Romanus Epiſcopus in epiſt. ad Epiſcopos Orientales quam refert integram Athanaſius apolog.2. aſſerit id fuiſſe ab Apoſtolis traditum, & deinde à Magno Concilio (id eſt Nicæno) declaratum, non poſſe ullam convocari Synodum inconſultò aut invito Romano Epiſcopo. His adſtipulatur Sozomenus lib.3.cap.8.hæc dicens: *Propter Romanæ ſedis dignitatem, omnium rerum Eccleſiaſticarum curam ad Romanum Epiſcopum pertinere.* Et paulò pòſt ait Romanam Eccleſiam eſſe *φροντιςήριον*, id eſt ſcholam Apoſtolorum & Metropolim ab initio factam eſſe pietatis erga quoſvis. Deinde cap.10. refert Sacerdotali lege conſtitutum pro irritis habenda eſſe quæcumque præter ſententiam Romani Epiſcopi geruntur. Quinetiam ipſi Conſtantinopolitani Patres, in Synodica ad Damaſum epiſtola inſerta relataque à Theodorito lib.5. hiſt. Eccl.cap.9.ſic aiunt: *Poſtquam Synodum Romæ Dei nutu congregantes, nos etiam pro fraterna charitate erga nos veſtra, tanquam membra propria per religioſiſſimi Imperatoris literas evocaſtis.* Et ſubinde addunt: Conveneramus apud Conſtantinopolim ad literas à reverentia veſtra ſuperiori anno poſt Concilium Aquileienſe ad religioſiſsimum Imperatorem Theodoſium miſſas.

4. Continuâ nec interruptâ ſerie inita ſunt tria ſub Damaſo Concilia. Primum Aquileienſe, dein Romanum, poſtremo Conſtantinopolitanum. Triaque iſta Concilia pari autoritate edita in unum coaluere generale Concilium conſpirantibus ſcilicet Occidentalibus qui in Aquileienſi & in Romano convenerant, cum Orientalibus qui Conſtantinopoli verſabantur: & quos ſuis literis Damaſus invitarat Romamque acciverat. Aquileienſium comitiorum acta ſuperſunt hiſque præſedit Valerianus Aquileiæ Antiſtes: quæ urbs Metropolis eſt Carnorum ad Timavum amnem ſita, Italiæ quondam adverſus Barbarorum ex Septentrione incurſiones validiſsimum propugnaculum. Ab Hunnis poſtmodum duce Attilâ poſt longam obſidionem ſubverſa. Nunc verò propter cœli intemperiem, & circumjacentes paludes deſerta & inhabitabilis. Valeriano in hac Synodo proximus aſſedit Ambroſius Mediolanenſis. Huic etiam interfuit Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, ſcriptorum librorum eruditione vitæque ſanctimoniâ perilluſtris: necnon Juſtus Lugdunenſium Epiſcopus, alijque tum ex Gallia, tum ex Italia, tum ex Africa Præſules. Synodica etiam Aquileienſium epiſtola ad Epiſcopos Provinciarum Viennenſis, & duarum Narbonenſium meminit Proculi Maſsilienſis, & Conſtantij, qui Legati ab Eccleſijs Gallicanis miſsi ad Aquileienſe Concilium fuerunt. Quinetiam altera ejuſdem Concilij ad Gratianum, Valentinianum & Theodoſium Imperatores epiſtola, dicit ex omnibus Provincijs Occidentalibus advenientes huic Synodo interfuiſſe. In hac impietas Ariana damnatione novâ obtrita eſt, Arianique Epiſcopi Palladius & Secundianus præſentes ab Ambroſio convicti Sacerdotióque abdicati ſunt. In iſta quæupereſt diſputatione confirmatum fuit quod jam dixi coaluiſſe in Concilium unum œcumenicum tres Synodos nationales quamvis locis diſtinctas, ſed conſpirantes mutuò in unum, eumdemque finem. Acta verò ipſa hæc efferunt: *Ambroſius Epiſcopus dixit. Qui ſunt conſortes veſtri? Palladius dixit Orientales Epiſcopi. Ambroſius Epiſcopus dixit: Interim quia ſuperioribus temporibus Concilium ſic factum eſt, ut Orientales in Orientis partibus conſtituti haberent Concilium: quemadmodum & Occidentales in Occidente, nos in Occidentis partibus conſtituti convenimus ad Aquileienſem civitatem juxta Imperatoris præceptum. Denique etiam præfectus Italiæ literas dedit ut ſi vellent convenire, in poteſtate haberent. Sed quia ſcierunt conſuetudinem hujuſmodi ut in Oriente Orientalium eſſet Concilium, & intra Occidentem Occidentalium: ideò putaverunt non eſſe veniendum. Palladius dixit Imperator noſter Gratianus juſſit Orientales venire, negas tu juſſiſſe eum? ipſe Imperator nobis dixit ſe Orientales juſſiſſe venire. Ambroſius dixit: utique juſſit qui non prohibuit huc venire.*

5. Dimiſſo Aquileiæ Concilio, alterum Romæ Damaſus coëgit Epiſcoporum pariter Occidentis quos inter præfati Valerianus & Ambroſius conſederunt. Ad iſtud Orientales quoque Damaſus invitarat, ſed hi poſtquam Conſtantinopoli ſimul convenerunt, ſeſe per Synodicas literas excuſarunt miſsis Romam de ſuo cœtu tribus Epiſcopis Cyriaco, Euſebio, & Priſciano, qui eas detulerunt ut fidem facit eadem epiſtola apud Theodoritum lib.5.cap.9. Iſto Romano Concilio reprobatum eſt Ariminenſe, quod antea Liberius quoque Pontifex damnaverat. Extat apud Theodoritum lib.2. cap.17. Damaſi Valeriani & Epiſcoporum nonaginta Romæ partim ex Italia, partim ex Gallia congregatorum Synodica epiſtola. Synodo quoque iſtâ Romanâ damnata eſt Apollinaris ejuſque diſcipuli Timothei, quæ multis locis gliſcebat hæreſis, animam abrogans rationalem incarnato Filio Dei. Ut quemadmodum Ariani Dei filio divinitatem quandam non niſi imperfectam mutilam & decurtatam attribuebant, itaut Apollinariſtæ eidem humanitatem non niſi imperfectam, ſuique meliori parte diminutam, quippe mente animáque rationali deſtitutam aſsignabãt, cujus vicem, & defectum perſona verbi ſuppleret.

Extat

Digitized by Google

Extat de his Synodi Romanæ ſub Damaſo ad Epiſcopos Orientis epiſtola apud Theodoritum lib.5. cap.10. ſed injecta in ea mentio Petri Alexandrini Epiſcopi tanquam qui huic Romanæ Synodo interfuerit fateri cogit eſſe commentitium additamentum. Itaque Orientales Epiſcopi numero centum quinquaginta ſuam apud Conſtantinopolim Synodum auſpicati, & proſequuti ſunt, cui præſedit primuſque ſubſcripſit Nectarius regiæ urbis Epiſcopus, interfuit Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Jeroſolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Helladius Cæſarienſis Cappadocum, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius Iconienſis. Jam verò diſpiciendi canones ſunt in hac Synodo Conſtantinopolitana editi.

6. Canone I. Inſtauratur & roboratur Nicæna fides de filij Dei æternitate & conſubſtantialitate cum æterno Patre. Damnantur inſuper nefaria Macedonij Eunomijque dogmata Spiritui ſancto divinitatem abrogantia, & blaſphemantia ipſum eſſe à Filio creatum, diverſæque à Filio ſubſtantiæ, & inferiorem dignitate. Jugulantur ibidem Arianorum omnis generis ſectæ Eudoxianorum, Anomæorum, Semiarianorum ſectæ. Prætereaque Sabellianorum divinam Trinitatem abnegantium: nec niſi unicam perſonam agnoſcentium quæ pro ſuarum diverſitate operationum nunc Patris, nunc Filij, nunc Spiritus ſancti nomina ſubeat. Profligantur inſuper hæreſes Marcelli Ancyrani & Photini Sirmienſis Epiſcoporum Chriſtum Dominum nihil eſſe præter merum hominem gratiarum donis & virtutum meritis ſupereminentem. Ad poſtremum Apollinaris Laodicæni hæreſim profligat Incarnato Verbo adimentem animam intellectualem, cujus vices Verbum ipſum ſuppleat.

7. Can.II. *Epiſcopi qui extra Diæceſim ſunt ad Eccleſias quæ extra terminos eorum ſunt ne accedāt, neque confundant & permiſceant Eccleſias ſecundum regulas conſtitutas. Alexandriæ quidem Epiſcopus ea quæ in Ægypto ſunt tantum gubernet. Orientis autem Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant, ſervatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Aſianæ Diæceſis Epiſcopi, & quæ ſunt in Aſia, & ad Aſianam tantummodo Diæceſim pertinent gubernent. Ponti autem Epiſcopi Ponticæ tantum Diæceſis habeant curam. Thraciæ verò ipſius tantummodò Thraciæ.*

Habetur cap. Epiſcopi qui extra. 9.q.2. Idemque ſtatuitur Apoſtolorum can.34. jubente Epiſcopos deponi, qui intra alienos fines ordinarunt, eoſque qui ſic ordinati fuerint: ſub Papa quoque Julio idem fuit Antiocheno can.22. conſtitutum quem allegat Gratianus cap. Epiſcopum non debere 9. quæſt.9. alijſque pleriſque poſterioribus Conciliis & demum à Tridentino ſeſſ.6.cap.5.de reform. denique in Græco ſic deſinit canon iſte 2. *Quæ autem in barbaris ſunt gentibus Dei Eccleſias adminiſtrare oportet ſecundum Patrum quæ ſervata eſt conſuetudinem.*

8. Can. III. *Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat priores honoris partes, poſt Romanum Epiſcopum eo quod Conſtantinopolis ſit nova Roma.*

Editus fuit iſte canon contra quàm Nicæno decreto fuerat conſtitutum. Nova itaque hic autoritas invehitur per Orientalium quorumdam ambitioné quæ freta innixaque Imperatorum Orientalium effræni *ἀπάτῃ*, adverſus Eccleſiæ univerſæ Primatum inſurgere auſa, quem Chriſtus Apoſtolorum Principi Petro ejuſque ſucceſſoribus contulerat, innumeras hæreſes, & feralia ſchiſmata invexit ad æternum animarum, & innumerorum populorum, nunquam ſatis deplorandum exitium. Conatum eundem ambitioſum Græci poſtmodum in Synodo Chalcedonenſi renovarunt: quinimò majori etiam acceſſione adauxerunt per novam attributionem Aſiæ, Ponti, & Thraciæ Provinciarum. Cum tamen hujus ipſius Conſtantinopolitani Concilij can.2. proviſum ſit ne ullus Thraciæ Epiſcopus qualis eſt Conſtantinopoleos ſe ultra fines Thraciæ auſit ingerere. Sed illi Chalcedonenſi decreto Leo Pontifex omnem detraxit autoritatem epiſt.51. ad Anatolium Conſtantinopolis Epiſcopum, & epiſt.52. ad Marcianum Auguſtum, & epiſt.53. ad Pulcheriam Auguſtam, ubi hujus tertij canonis meminit dicens: *Fruſtra quorumdam Epiſcoporum profertur conſenſus, cui tot annorum ſeries negavit effectum.* Deinde Juſtiniani Imperatoris prodijt Novella 130. cæteris Patriarchis quos ab ordine priſco recedere juſſit injurioſa. *Sancimus* (inquiens) *ſecundum ipſorum fines ſanctiſſimum veteris Romæ Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: beatiſſimum verò Archiepiſcopum Conſtantinopolis novæ Romæ ſecundum ordinem obtinere poſt ſanctiſſimum Apoſtolicum thronum veteris Romæ.* Hanc Novellam Græci inſeruerunt lib.5. Baſilicôn cap.3. verùmtamen non iſto gradu ſubſtitit Græca ſuperbia: verè enim enunciat ſanctus Rex & Propheta *ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Succeſſu enim temporum quamvis Græcorum dominatio in dies collabebatur ſuperbiæ nihilominus intolerabilis adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus alas diſploſit, thronumque Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Græcorum hæreſis à Romana & Apoſtolica ſede divulſit, impioque ſchiſmate ſubtraxit, ſed etiam ſupra illam ſeſe evexit ſuoque ſacrilego ſimul, & ridiculo auſa eſt ſubjicere judicio, & brutis fulminibus impetere. Poſt Leonem magnum, Gregorius eodem magni elogio commendabilis legendus eſt lib.6. epiſt.31. ad Eulogium Alexandrinum, & Nicolaum Antiochenum. Nicolaus item primus epiſt. ad Michaëlem Imperatorem quæ incipit *propoſueramus*, & Leo Papa nonus epiſt. ad alterum Michaëlem Imperatorem, quatuor Summi Pontifices morum ſanctitate & ſapientiæ ſplendore, ſupra omne humanum evecti faſtigium. Sed tandem poſt temerarios conatus iſtos Conſtantinopolitanæ ſedi ſecundus ille dignitatis gradus indultus fuit à legitima poteſtate decreto Innocentij tertij, præſidentis generali Lateranenſi Concilio, quod refertur C. antiqua de privileg. Sanè ab antiquo Epiſcopus Biſantij multis annis, nihil amplius extitit quam ſuffraganeus Metropolitani Heracleæ Thraciæ Antiſtitis, quod ipſe ultrò teſtatur ſchiſmaticus Græcus Theodorus Balſamon ſcribens in hanc Synodum.

9. Can. IV. Statutum eſt etiam de Maximo Cynico,

Digitized by Google

Cynico, & ejus petulantia, & inſolentia quæ fuit Conſtantinopoli, ut *ipſe nec Epiſcopus fuerit, nec ſit: nec qui ab eo ordinati fuerunt in ullo quicunque is ſit gradu Cleri: omnibus quæ circa ipſum fuerunt, & quæ ab illo facta ſunt infirmatis.* Maximus iſte patria Alexandrinus profeſſione Philoſophus ex Cynicorum ſecta, vafer homo & ſubdolus ambitionem immenſam pectore conceptam ementitæ ſanctitatis ſpecie obtegebat. Jactitabat ſe ſubinde martyrum filium, ſuamque in Chriſti fide conſtantiam prædicabat, ſeque verbera, bonorum proſcriptionem, atque duriſſimum in Oaſim exilium ſuſtinuiſſe pro aſſerenda Chriſti cum Patre conſubſtantialitate, perſequente Lucio Ariano, quando poſtquam ſubtracto ex hac vitâ admirando Athanaſio promotoque à Catholicis in ſolium Alexandrinæ Eccleſiæ Petro, ipſe Lucius autoritate fretus Valentis Ariani Auguſti Petrum deturbavit, ejuſque invaſit Eccleſiam. Verumtamē poſtquam Valens Auguſtus victus, & à victoribus barbaris in fuga interceptus intra tugurium campeſtre injecto igne concrematus impietatis, & crudelitatis pœnas luere cœpit, facto deſcenſu ex illo temporali, ad æternum ignem: tum demum deturbato Lucio Petrus priſtinam reſumpſit Eccleſiam. Ipſe Maximus ab exilio reverſus Petri gratiam quam ſibi admodum profuturam ſperabat omni obſequio, & arte excoluit; ejuſque literis, & commendatione præmunitus Conſtantinopolim proficiſcitur nihil minus quàm regiæ urbis Epiſcopatum animo proponens, & occultis dolis ambiens. Itaque ſe in familiaritatem Gregorij Nazianzeni inſinuavit, qui Epiſcopus deſignabatur à multis ejus quæ caput erat totius Orientis Eccleſiæ. Hunc quaſi glorioſum confeſſorem, & Arianorum debellatorem multæque literaturæ oſtentatorem gratanter excepit Nazianzenus, & familiari convictu & contubernio dignatus eſt; & quia ſibi multa de illo ad Eccleſiæ fideique gloriam pollicebatur, eum publicè ſuis in concionibus laudibus extulit. Hoc ſucceſſu veterator ſpem ambitioſè conceptam de obtinendo urbis Epiſcopatu firmavit. Hæc refert Hieronymus in Gregorio Nazianzeno lib. de ſcriptor. Eccl. *Scripſit Gregorius laudes Maximi Philoſophi poſt exilium reverſi, quem falſo nomine quidam Heronis ſuperſcripſerunt, quia & eſt alius liber vituperationē ejuſdem Maximi continens, quaſi non licuerit eumdem laudare & vituperare pro tempore.* Ipſe namque Nazianzenus excuſſâ hypocritæ larvâ, ſuoque edoctus damno ejuſdem poſtea vafritiem, ſuperbiam, & temeritatem in carmine de vita ſua graphicè deſcribit. Aderant tum temporis in urbe Regia ſeptem Ægyptij Epiſcopi ad Theodoſium Legati qui navibus onerariis copioſum Ægypti frumentum ad ſubſidium regiæ civitatis, aliarúmque finitimarum convectati fuerant; quos benigniſſimè & perhonorificè exceptos Nazianzenus in Eccleſia mirificis extulit laudibus, quæ inter ejus conciones leguntur. Cum his tamen ſecretum inierat conſilium Petrus antequam Alexandriæ portu ſolverent de Nazianzeno exturbando, & Maximo in ejus locum promovendo. Quæ nefaria conſpiratio hunc eſt ſortita effectum. Decumbente ex morbo Gregorio in ſuburbana quadam domo ſubornatos Ægyptios naucleros, & mercatores cum aliquibus urbis ganeonibus, & corruptis civibus conſpirans turba, nocte in Eccleſiam primariam irrumpit cum ſeptē Epiſcopis, & paucis quibuſdam Clericis, quos Maximus privatis congreſſibus ſuis partibus addixerat, atque adverſus Gregorium concitarat. Collocatur poſtquam detonſus eſt in Epiſcopali ſolio Maximus. Quæ conjuratio poſtquam populo furenti innotuit, autores ejus fugâ ſe proripuerunt, ſeptemque Ægyptij Epiſcopi in Scenici cujuſdam hoſpitium ſe abdentes Maximum furtim ordinant, eique ſacrilegas manus imponunt. Maximus è Conſtantinopoli fugiens Theſſalonicem ſe proripuit ut Theodoſio, qui tum ibi fortè verſabatur, ſuum factum probaret, vel ſaltem conquiſitis mendaciis excuſaret, ejuſque ſibi animum conciliaret; ſed nihil præter vituperia, & aſperam ab eo repulſam retulit: indeque in Ægyptum ſe recepit. Conatus fuerat Maximus olim ſibi alterum Imperatorem Gratianum demereri, eoque animo Mediolanum profectus, eidem laudatum ab Hieronymo inſigne adverſus Arianos volumen obtulerat, nihil tamen de ſuo ambitu quem adhuc animo celabat auſus eſt referre, necdum maturâ occaſione.

10. Obſervatu dignum eſt Gregorij Papæ Magni de Conſtantinopolitani hujus Concilij decretis judicium lib. 6. epiſt. 31. ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum: *Romana* (inquit) *Eccleſia Conſtantinopolitanos canones vel geſta Synodi illius hactenus non habet, neque accepit. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero hæreſes quæ illic memoratæ ſunt ab aliis jam Patribus damnatas reprobat.* Enimverò major Epiſcoporum qui huic Synodo interfuerunt pars de juſtitia, deque Eccleſiarum pace & ſanctiore adminiſtratione parum ſollicita, propriiſque atque humanis affectibus plus æquo indulgens multas perturbationes concitavit, & pleraque præſtitit Epiſcopis indigna & indecora. In primis æmulationes illaudabiles exhibuit adverſus ſupremam ſedem, quæ ut tradit Cyprianus centrum eſt Eccleſiaſticæ unitatis, & vinculum Eccleſiarum concordiæ, dum inconſulto Romano Pontifice ſpretaque Nicæni Concilij ordinatione novam ſecundo loco ſedem conſtituit, præque illa recenti antiquam dignitatem Eccleſiarum ab Apoſtolorum Principe Petro inſtitutarum Alexandrinæ, atque Antiochenæ Nicæno decreto firmatam depreſſit. Pari quoque æmulatione ſchiſma, quod erat opportunè extinguendum in Meletij Antiocheni Præſulis interitu, ſtudioſè propagari voluit, dum contra ſuperiora conventa novum ſubrogavit Epiſcopum Flavianum per invidiam adverſus Paulinum conceptam: quia ſcilicet cum Damaſo conveniebat, neque inuidioſas Orientalium adverſus Occidentales nullatenus factiones approbabat. Meletius Antiochenus Epiſcopus qui Sanctorum faſtis poſt obitum tam à Latinis quàm ab Orientis Eccleſijs aſcribi meruit, & in cujus anniverſaria celebritate Joannes Chryſoſtomus ſermonem habuit, & cujus in exequiis Gregorius Nyſſenus panegyricam orationem pronunciavit, cum tempore hujus Concilij, in quo conſederat, ultimâ fuiſſet ægritudine correptus Epiſcopos ad Eccleſiæ pacem conciliandam impenſe hortatus eſt, neve ullus ſibi mortuo præter Paulinum ſucceſſor eligeretur, ut ſic diſperſa hactenus ſub duobus capitibus Eccleſiæ Antiochenæ membra in unum corpus, & ſub eodem capite coaleſcerent ſicut jam ante communi partium conſenſu conſtitutum proviſumque fuerat, cum primum alter duorum vitâ excederet. Gregorius Nazianzenus, alijque ſancti Epiſcopi in

hoc

Digitized by Google

hoc inſtabant ut ſolus in Eccleſia Antiochena relinqueretur Paulinus Epiſcopus. Sed quæ cauſa illis majorem laudem & benevolentiam conciliare debuerat, reliquorum adverſus ipſos offenſionem odiumque concitavit, conjectantium non ſtudio pacis, ſed colligatione cum Damaſo & Occidentalibus Nazianzenũ eique adhærentes in hanc propendere ſententiam, atque hac de cauſa conſilium inivere de abdicãdo illi Conſtantinopolitano Epiſcopatu, quem hoc ipſum Concilium ante paucos dies unanimi conſenſu ei contulerat, poſt redactũ in ordinem Cynicum illum invaſorem. Populus ipſe meritiſſimi Præſulis electioni fauſtis acclamationibus faverat. Eamdem magno affectu, magniſque laudibus Theodoſius Auguſtus exceperat literaſque gratulatorias ad Synodum direxerat. Heu quanta tyrannide pravis animis affectus inordinati dominantur! Poſthabito pudore omni & Eccleſiæ debita ſollicitudine Deique reſpectu, & Theodoſij veneratione, votiſque populi ad ſalubriora propenſi, meritiſſimum, ſi quis unquam fuerat Antiſtitem cujus doctrina, pioque zelo maxima fuerat civium regiæ urbis pars ab Arianiſmo ad fidem orthodoxam converſa; & cujus eloquentiſſimis concionibus pravi mores omnis generis hominum à vitiis ad meliora traducti fuerant, exturbarunt Concilij Patres, & concurrente ſecum Timothei Alexandrini Epiſcopi factione, qui Petri fratris ſui paulò ante demortui Epiſcopatum ſuſceperat, in locum abdicati indigniſſimè Gregorij ſenẽ quemdam ordinis Senatorij ſcientiæ Eccleſiaſticæ prorſus imperitum eligunt, & uſque adeò in tam provecta ætate ſalutis animæ negligentem, ut necdum de ſuſcipiendo Baptiſmo cogitaret, Nectarium nomine ſine ullo divinæ vocationis indicio; intra triduum necdum ſufficiẽter catechizatum Baptiſmi fonte abluunt, deinde tumultuariè, ac præcipitanter in Clericum attondent, raptimque ordinibus Eccleſiaſticis initiant, neque Monitum Apoſtolicum, *Manus citò nemini impoſueris*, penſi habentes præcipiti feſtinatione Sacerdotio & Epiſcopatũ conſecrant. Gregorius naſcentis tempeſtatis molimina cernens illud Jonæ Prophetæ uſurpavit: *Si propter me tempeſtas iſta orta eſt mittite me in mare.* Seque ſponte communis concordiæ propriæque quietis ſtudio abdicavit, ſuoque animo conſtituit nullis poſthac Synodis unquam intereſſe, eò quòd ſicut ipſe expertus ſcribit, omnia in his per factiones & tumultus agerentur. Annoque inſequenti quamvis Conſtantinopoli verſaretur ad novam in ea Synodum ab Epiſcopis invitatus, & à Theodoſio Imperatore rogatus ſe ab ingreſſu Synodi excuſavit.

11. Can. VI. Prohibet in primis accuſationem adverſus Epiſcopum intentari, qui vel hæreticus, vel alioqui excommunicatus, vel qui in judicio criminis condemnatus ſit, vel aliter infamis niſi ſe accuſator plenè purgaverit, aut infamiæ labem abſterſerit. Quinimo neque adverſus ullum Clericum audiri accuſationem permittit, ſi accuſator ipſe jam delicti reus conſtitutus ſit, niſi poſtquam objecti criminis ſe probaverit inſontem. Quam renovavit ſanctionem Concilium Carthaginenſe, vulgò dictum ſecundum can. 6.

12. Eodem Conſtantinopolitano canone ſexto ſancitur: *Ut in accuſatione Epiſcopi poſſit à Provinciali Synodo Epiſcoporum recurri ad majorem Synodum Diœceſis Epiſcoporum:* Προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν διοικήσεως ἐπισκόπων. Marcellus Papa, & ſub Maxentio tyranno martyr ad Epiſcopos Provinciæ Antiochiæ ſcribit eſſe jam inde ab Apoſtolis conſtitutum, ut accuſatus Epiſcopus non niſi in Synodo autoritate Romani Epiſcopi convocata judicari poſſit. Cæterùm in remotioribus maximè per Orientem regionibus, illa de Epiſcoporum delictis cognitio exercebatur à vicinarum Provinciarum Synodis à Metropolitano coactis, ut ex veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ locis innumeris compertum eſt. Inferiorum Epiſcoporum ditio quæ nunc Diœceſis, olim Parœcia dicebatur, nec permittebatur his Metropolitano ſubjectis Epiſcopis, aliam cogere Synodum niſi ſubditorum ſibi Sacerdotum & Clericorum. Metropolitæ verò Epiſcopi, qui nunc temporis Archiepiſcopi audiunt, ſuæ Provinciæ Epiſcopos ad Synodum convocabant quæ Provinciæ Græcè ἐπαρχίαι dicebantur, ſuffraganei autem Epiſcopi ἐπαρχιῶται, id eſt Provinciales vocabantur, ut docet hic ipſe ſextus canon. His etiam ſuperiores erant Epiſcopi plurium ſimul Provinciarum Eccleſiaſticarum juridici, à quibus indicebantur plurium ſimul Provinciarum Synodi, atque majores iſti Epiſcopi ampliori Provinciarum juriſdictione fungentes à Græcis ἔπαρχοι, Eparchæ nominabantur quorum mentio eſt in Chalcedonenſib. canonibus 9. & 17. à Latinis autem Primates dicebantur. Supra hos ampliori juriſdictione Patriarcharum dignitas præeminebat. Zonaras ad canonem Chalcedonenſem 17. Exarchos commemorat Epiſcopos Græcos, Cæſareæ Cappadocum, & Epheſinum, & Theſſalonicenſem, & Corinthium, quos ideò inſignia dignitatis ſuæ geſtare dicit πολυσταύρια, polyſtavria ſic à crucium multitudine dicta. Quod quidem inſigne non aliud eſt quam quod can. 14. octavæ Synodi ὠμοφόριον, id eſt ſuperhumerale vocatur, à Latinis autem pallium. Argumento eſt, quia Gregorius Pontifex lib. 9. epiſt. 55. ad Epiſcopum Corinthi quem Zonaras inter Exarchos recenſet, pallium tranſmittit Pontificiæ ſublimioris poteſtatis inſigne. Et fidem facit Anaſtaſius in Marco Sylveſtri Papæ ſucceſſore, Oſtienſem Epiſcopum, eò quòd ab ipſo Romanus Epiſcopus conſecretur jus habuiſſe à Marco geſtandi pallij. Hoc ornamento ſcribit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 136. repræſentari ſummi & optimi Paſtoris Iesu Christi, eximiam charitatem quâ humeris ſuis impoſitam ovem quæ aberraverat reducit ad caulam. Eſt enim iſtud inſigne laneum, & humeris deſtinatum geſtamen. His ſuffragatur Clemens Papa ſecundus, qui pallium mittens ad Joannem Salernitanum Archipræſulem, ſic eum cohortatur: *In quo* (pallio) *quia de vellere ovis eſt, intellige teipſum paſtorem: Et quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoſcas & undique circumſpicias ne aliqua erret, & in morſus incidat luporum. Quod ſi aliquando (quod abſit) contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & priſtinæ ſocietati coadunare. Quod verò ante & retro crux Domini habetur, illud Apoſtolicum ſemper docet ante oculos tuæ mentis habere, mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ad pallij Pontificij geſtamen pertinet, pariter iſte octavæ Synodi canon 14. *Sancimus ut deſignati ad ſuperhumeralia geſtanda certis illa temporibus ſtatiſque locis ea geſtent, ne hujuſmodi*

*cultu per faſtum & ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore divini Officij, & quavis Eccleſiaſtica functione deſerant. Eos etiam qui Monachi fuerint, & ad Epiſcopatus honorem ſunt provecti, ut religioſam veſtem ſuam habitumque monaſticum ſervent ſtatuimus. Quod ſi Epiſcopus præter deſignata tempora humerale ὠμόφορον tulerit aut Monaſticam veſtem abjecerit, vel corrigatur vel deponatur.* Quod attinet ad uſum pallij vide tit. in decretalibus de autoritate & uſu pallij ubi cap. 1. ſtatuitur intra quamlibet Provinciæ ſuæ Eccleſiam poſſe Archiepiſcopum uti pallio. Et cap. 3. neminem vocandum Archiepiſcopum tametſi conſecratum niſi à Romano Pontifice ſuſceperit pallium, eoque conferri paſtoralis officij plenitudinem. Deinde ſtatuit cap. 4. Soli Papæ licere pallio ubique uti. Et cap. 6. in qualibet Provinciæ ſuæ Eccleſia poſſe Archiepiſcopum dum Miſſam celebrat, ſolemnibus diebus deferre pallium. Quod attinet ad alteram partem canonis 14. ex octava Synodo deprompti de non abjiciendo Monaſtico habitu ſuperveniente Epiſcopali dignitate, confirmatum pariter fuit Lateranenſis Concilij generalis ſub Innocentio III. can. 16. hiſce verbis: *Ut Epiſcopi olim regulares religionis ſuæ habitum retineant.* Citatur in cap. Clerici officia: de vita & honeſt. Cleric.

13. Can. VII. *Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis ſervantur recipimus, ſecundum hic ſubjectam conſequentiam & conſuetudinem. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos & Novatianos qui dicunt ſeipſos Catharos & Ariſteos (hoc eſt mundos vel ſiniſtros) & Teſſeradecatitas ſive Tetraditas & Apollinariſtas recipimus: dantes quidem libellos & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ſicut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia: & ſignatos ſive unctos primò ſancto chriſmate & frontem & oculos & nares & os & aures. Et eos ſignantes dicimus ſignaculum doni Spiritus Sancti. Atqui Eunomianos qui in unam demerſionem baptizantur & Montaniſtas qui hic dicuntur Phryges, & Sabellianos qui eundem eſſe Patrem & Filium opinantur, utrumque ſimul confundentes, & alia gravia & indigna faciunt: & alias omnes hæreſes quia hic multi ſunt hæretici, & maximè qui ex Galatarum regione veniunt, quicumque ex his rectæ fidei adſcribi volunt, ut Græcos admittimus. Et primò quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo catechumenos, deinde tertiò exorcizamus ſive adjuramus ipſos ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando. Et ſic eos catechizamus ſive initiamus & curamus ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant ſcripturas, & tunc eos baptizamus.*

## SYMBOLUM FIDEI EIUSDEM *Concilij Conſtantinopolitani à ſancta Eccleſia in miſſis decantari ſolitum.*

1. CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deũ de Deo lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; natum non factum homouſion Patri, id eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Tertia die reſurrexit à mortuis, ſecundùm Scripturas. Aſcendit in cœlos ſedet ad dexteram Patris. Inde venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem ex Patre procedentẽ, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum. Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.

Porrò de proceſſione Spiritus ſancti à Patre ſimul & Filio conſule inferius diſſertationem noſtrã quam velut appendicem ſubjecimus Concilio generali Lugd. II. ſub Greg. X. Summo Pontifice.

## CONCIL. CÆSARAUGUSTANUM. *Anni* 381.

2. HAbitum fuit Damaſo Pontifice ad explodendos Priſcillianiſtarum errores ejus meminit Severus Sulpicius lib. 2.

3. Can. III. *Euchariſtiæ gratiam ſi quis probatur acceptam in Eccleſia non ſumpſiſſe anathema ſit.*

Canoni occaſionem dedere Priſcillianiſtæ ſacrilegi. Antea namque liberum fidelibus fuerat vel in Eccleſia Sacramentum abſumere, vel in ædes proprias perferre in privatis oratoriis adorandum. Vide noſtram de ſacra Euchariſtia diſſertationem.

3. Can. V. *Ut hi qui per diſciplinam aut ſententia Epiſcopi ab Eccleſia fuerint ſeparati ab alijs Epiſcopis non ſint recipiendi. Quod ſi ſcientes Epiſcopi fecerint: dictum eſt: qui hoc commiſerint non habeant Communionem.* Vide Nicænum can. 5. ibique notata.

Can. VII. *Ne quis Doctoris ſibi nomen imponat præter has perſonas quibus conceſſum eſt, ſecundum quod ſcriptum eſt.*

Can. VIII. Item lectum eſt, non velandas eſſe Virgines quæ ſe Deo voverent niſi quadraginta annorum probatâ ætate, quàm Sacerdos comprobaverit. Vide ad ſecundum Sæculum diſſertationem noſtram de ſacris Virginibus.

## CONCILIUM CARTHAGINENSE *tertium. Anni* 397.

1. IStud ſuo loco movere fruſtra conatus eſt Baronius, quem ducem ſequutus Severinus Binius in eundem erroris lapidem impegit. Ambo iſti exiſtimantes illud quod ordine præcedit iſtud ipſum de quo agimus, non fuiſſe Carthaginenſe ſecundum: quippe quod falsò credunt tempore fuiſſe poſterius ipſo etiam Carthaginenſi VI. eò quòd ſibi animo finxerunt Genedium Carthaginis Epiſcopum, qui ſecundo dicto Carthaginenſi præfuit, fuiſſe Aurelij eodẽ in Epiſcopatu ſucceſſorem: atque

atque ideò rejiciendum eſſe poſt omnia Carthaginenſia, quæ ſub Aurelio celebrata fuere. Proindeque id quod tertium dicitur cui conſtat præſediſſe Aurelium referendum eſſe ordine ſecundum, potiùs quàm tertium. Verumtamen in eo decipiuntur quòd credunt illum ipſum Genedium ſeu Genethlium qui ſecundò præſedit Carthaginenſi Aurelio ſucceſſiſſe, cum tamen fuerit Aurelij præceſſor. Primum itaque poſt Nicænam Synodum Carthaginenſe Concilium ſub Grato Carthaginis Epiſcopo geſtum eſt, anno 348. Secundum ſub Genethlio anno 390. Tertium iſtud ipſum cui præſedit Aurelius Siricio Romanam regente Eccleſiam anno Chriſtianæ epochæ 397.

2. Can. I. *Placuit ergo in principio propter errorem qui ſæpè ſolet oboriri, ut omnes Africanæ Provinciæ Epiſcopi obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere.*

Convenit huic Carthaginenſis Concilij can. 7. *Placuit ut dies venerabilis Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Iſto functus eſt officio Ambroſius, prænuncians Provincialibus Epiſcopis futuræ Paſchalis ſolemnitatis diem, qui ob Lunæ decimæquartæ concurſum poterat eſſe ambiguus. In illo ergo tractatu de Paſchalis celebritatis ratione quem ad Epiſcopos Æmiliæ dirigit recenſet Nicænæ Synodi Patres, ut deinceps apud Eccleſias certa haberetur ratio ſolemnitatis Paſchalis diei, congregatis peritiſſimis calculandi decem & novem annorum collegiſſe rationem, & quaſi quemdam inſtituiſſe circulum, quem Enneadecaëterida nuncuparunt, qui pro regula foret conſtituendi quotannis feſti Paſchalis. Hujus verò perquiſitionis ſolicitudinem commiſſam fuiſſe Alexandrino Epiſcopo, eò quòd Alexandrina Academia præſtantiſſimos Mathematicos ſuppeditaret. Hanc verò regulam conſectandam eſſe monet Ambroſius ne Domini paſſio die Dominicâ celebretur, & ſi quarta decima Luna in Dominicam inciderit, adjungendam alteram eſſe hebdomadam, cujus die Dominicâ Paſchalis reſurrectionis celebretur ſolemnitas. Leo Papa Magnus cognomine ſcribens ad Marcianum Imperatorem epiſt. 64. teſtatur hanc perquiſitionem à Nicænis Patribus fuiſſe Alexandrinis Epiſcopis relictam cum hoc onere, ut Romanum Pontificem diei præſtituti opportunè admonerent, per quem cæteris Epiſcopis dies ille innoteſceret atque ita fiebat, ut Carthaginenſis Epiſcopus formatis Romani Epiſcopi admonitus, minores Africæ Primates, & hi ſubjectos ſibi Epiſcopos de diei hujus occurſu quotannis inſtruerent. Inſtituta Apoſtolorum, quibus deinde Victor Papa primus Nicænique Patres ab omnibus Eccleſijs obtemperari juſſerunt circa Paſchale feſtum, require apud Clementem lib. 5. conſtitu. Apoſt. cap. 16.

Can. II. *Similiter placuit ut propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebeium ſæpè veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis Concilium convocetur, ad quod omnes Provinciæ quæ primas ſedes habent de Concilijs ſuis ternos Legatos mittant.*

Quinetiam aliis priſcis canonibus frequentiora Provincialia Concilia fieri jubentur, bina ſcilicet ſingulis annis, ut can. 37. Apoſtolis attributo: præterea can. 5. Nicæno: Item can. 20. Antiocheno: & Chalcedonenſi can. 19. & edicta Leonis Papæ primi epiſt. 82. cap. 7. Vide Gratiani diſt. 18.

Can. III. *Item placuit, ut ordinandis Epiſcopis vel Clericis prius ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe aſſerant.*

Habetur c. placuit ut ordin. diſt. 38. his conſonat Celeſtinus Papa I. epiſt. ad Epiſcopos Calabriæ & Apuliæ. *Nulli Sacerdotum* (ait) *liceat ſuos Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obviare.* Habetur c. nulli Sacerdotum diſt. 38. Et Concil. Aurelianenſe IV. an. 541. can. 6. *Parochiani Clerici à Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi vel populi quæ pro ſalute eorum decreta ſunt excuſent poſtmodum ignoraſſe.* Jampridem enim declaraverat Aurelianenſe Concilium tertium an. 538. can. ult. *Canones ſuos nec ignorare quemquam, nec diſſimulare, id eſt, præterire permittitur.* Refert Poſſidius vitæ Auguſtini c. 8. *Sategit Auguſtinus ut Concilijs ſtatueretur Epiſcoporum ab ordinatoribus debere ordinatis vel ordinandis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam deferre.* Cum verò ex hujuſce Concilij canone ultimo ac ſubſcriptione liquido conſtet Auguſtinum in eo conſediſſe, perſpicuum fit ejus rogatu tertium iſtum canonem fuiſſe à Patribus Carthaginenſibus editum.

4. Can. IV. *Item placuit ut ante viginti quinque annos ætatis, nec Diaconi ordinentur, nec Virgines conſecrentur: & ut Lectores populum non ſalutent.*

Habetur in decreto c. placuit ut ante 25. diſt. 7. & cap. placuit 20. q. 1.

Can. VI. *Item placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Dictum eſt enim à Domino accipite & edite: Cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere. Cavendum eſt etiam ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam mortuis non dari advertit.*

Vide inter diſſertationes noſtras eam quæ eſt de priſcis Euchariſtiæ ritibus.

5. Can. IX. *Item placuit ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ſeu Clericorum cum in Eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel civilis cauſa ei fuerit commota; ſi relicto Eccleſiaſtico judicio publicis judicijs purgari voluerit, etiamſi pro illo fuerit prolata ſententia locum ſuum amittat: & hoc in criminali judicio. In civili verò perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique patet autoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio judicat, qui de univerſa Eccleſia male ſentiendo, de judicio ſæculari poſcit auxilium: cum privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri atque ibi terminari præcipiat.* Habetur c. placuit ut quiſquis Epiſcoporum.



Digitized by Google

Can. XI. *A ſpectaculis & omnes laïci prohibentur. Semper enim Chriſtianis omnibus hoc interdictum eſt, ut ubi blaſphemi ſunt non accedant.*

Require ſuperius Laodicænum can. 54. cum ibi adnotatis. Quod verò Laodicænus canon 11. q. 1. Clericis interdixit, iſte Carthaginenſis canon laïcis etiam quibuſcumque interdicit.

6. Can. XV. *Item placuit ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi vel Clerici non ſint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant: quia reſpicere debent ſcriptum eſſe nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.*

Habetur c. placuit ut Epiſcopi 21. q. 3. Vide inferiùs Chalcedonenſem can. 3. Porro artificiolum & agricultura ad quærendum victum non cenſentur indigna Clerico: ut Carthaginenſi Concilio quarto paulò poſt declarabitur.

Can. XVIII. *Vt Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi non ordinentur priuſquam omnes qui ſunt in domo eorum Chriſtianos Catholicos fecerint.*

7. Can. XIX. *Placuit ut Lectores cum ad annos pubertatis venerint cogantur, aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.*

Quidam vetuſti Codices ſecus habent nihil tamen immutato ſenſu. *Vt Lectores uſque ad annos pubertatis legant, deinceps autem niſi uxores cuſtoditâ pudicitiâ acceperint, aut continentiam profeſſi fuerint, legere non ſinantur.* Ergo impuberes etiam Lectores ordinabantur. Quod iſtis quoque Auguſtini verbis confirmatur lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. *Ita cæcati ſunt ut etiam à pueris qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum Chriſtianas literas norunt meritò rideantur.* Et Siricius Papa epiſt. 1. ad Himeriũ Tarraconenſem cap. 9. *Quicumque itaque ſe Eccleſiæ vovit obſequijs à ſua infantia ante pubertatis annos baptiZari, & Lectorum debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ uſque ad trigeſimum* (alij quidam Codices habent vigeſimum) *ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, unâ tantum & eâ quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit uxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit.* Scribit Ennodius Ticinenſis Epiſcopus de prædeceſſore ſuo Epiphanio, fuiſſe ordinatum Lectorem octavo ætatis anno. Ex iſto Carthaginenſi canone, & citato Siricij loco addiſcimus non modo Lectores impuberes fuiſſe in Eccleſijs admiſſos, nec non conjugij vinculo adſtrictos (modò bigami non eſſent) miniſteria Eccleſiaſtica quæ non erant ſacris ordinibus adnexa obiviſſe, accipiendo etiam ob miniſterium Eccleſiæ ſtipendia ut declarat Gregorius Magnus, in reſpon. 2. ad Auguſtinum. Vide in decretalibus tit. de Cler. conjugato. Sunt & alia pleraque apud veteres Scriptores indicia impuberes olim fuiſſe canonicè minoribus ordinibus initiatos. Zoſimus Papa epiſt. 1. ad Heſychium Salonitanum Epiſcopum cap. 3. ſic ait. Hæc autem in ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora, ſi ab infantia Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit inter Lectores, &c. Victor Uticenſis Epiſcopus, in ſua Vandalicæ perſecutionis hiſtoria, confeſſionem inter cruciatus memorat: *Clericorum duodecim infantulorum modulis cantilena in Eccleſia miniſtrantium. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quaſi duodecim Apoſtolorum chorum conſpicit puerorum.* Idemque Victor ulteriùs addit: *Vniverſus Clerus Eccleſiæ Carthaginenſis fame inediáque maceratur ferè quingenti vel amplius: inter quos quamplurimi Lectores erant infantuli, qui gaudentes in Domino procul exilio crudeli traduntur.* Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. ult. ſic exorditur elogium ſancti Epiſcopi Ioannis. *Lector hic primum fit miniſter altaris, idque ab infantia.* Surius in vita S. Cæſarij die 27. Auguſti refert *Eum Clero adſcriptum fuiſſe inter ipſa infantiæ rudimenta, poſt exactum ætatis ſeptennium.* Secundum quoque Toletanum Concilium can. 1. permittit parentibus liberos ſuos adhuc infantes Clero devovere. Epiſcopis autem à parentib. oblatos tonſuram illis impertiri *à primis infantiæ annis.* In ſacris literis legimus Samuelem à tenera infantia tabernaculo miniſtraſſe. Sed illa ejus erat extraordinaria, & inſolitis Dei donis inſignita vocatio, quæ trahi non debet in commune exemplum.

8. Can. XXII. *Vt nullus ordinetur Clericus niſi probatus, vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio.*

Cap. nullus Clericorum diſt. 14. huc ſpectant Nicæni canones 9. & 19. vide inferiùs Carthaginenſis quarti can. 22.

Can. XXIX. *Vt Sacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario quo cœna Domini celebratur.*

Cap. Sacramenta altaris diſt. 1. huc refertur dictum illud Tertulliani lib. ad uxorem cap. 3. *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes: & ſi ſciverit panem illum non credit qui eſſe dicitur.* His conſonat Auguſtinus epiſt. 178. cap. 6. Nõ niſi à jejunis corpus Domini ritè ſumi poteſt. Dies cœnæ Domini canone iſto excipitur, quia exemplo Ieſu Chriſti eodem anniverſario die ad veſperam ſacrum celebrari ſolebat, ad quod fideles etiam cœnati communicabant.

9. Can. XXXII. *Vt Presbyter inconſulto Epiſcopo non recipiat pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur.*

Cap. Presbyter inconſulto Epiſcopo 26. q. 9. Tunc enim admiſſum crimen jam divulgatum audienti populo declarabatur: occultum verò ſilebatur etiam in publica pœnitentia, & reconciliatione. Vide inter diſſertationes noſtras ſecundo ſæculo inſertas, illam quæ eſt de pœnitentiis publicis. In ſecundo Carthaginenſi Concilio cui anno 397. præſedit Genedius ſive Genethlius Carthaginenſis Epiſcopus can. 3. tria recenſentur Epiſcopo reſervata, quæ poteſtatem Sacerdotum excedunt: ſcilicet pœnitentium reconciliatio, Virginum conſecratio, & chryſmatis ſacri confectio, & habetur in decreto can. ſi jubet ſanctitas 26. q. 6.

10. Can.

Digitized by Google

10. Can. XXXVIII. *Illud autem ſuggerimus, mandatum nobis quod in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum, non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel tranſlationes Epiſcoporum. Nam Creſconius Villa-regienſis Epiſcopus plebe ſuâ derelictâ Tubienenſem invaſit Eccleſiam, & uſque hodie commonitus ſecundum quod ſtatutum fuerat, relinquere eandem, quam invaſerat plebem contempſit. Petimus ſecundum id quod nobis mandatum eſt, ut dignemini dare fiduciam, quo jam neceſſitate ipſa cogente, liberum ſit nobis rectorem provinciæ ſecundum ſtatuta glorioſiſſimorum Principum adverſus illum adire: ut qui miti admonitioni Sanctitatis veſtræ acquieſcere noluit, & emendare illicitum, autoritate judiciariâ prorſus excludatur. Aurelius Epiſcopus dixit Servatâ formâ diſciplinæ non æſtimabitur appetitus ſi à veſtra charitate modeſtè conventus recedere detrectaverit, cum fuerit ſuo contemptu & contumaciâ faciente, etiam auctoritate judiciariâ conventus. Honoratus & Vrbanus Epiſcopi dixerunt: hoc enim omnibus placet. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Iuſtum eſt, placet.*

Habetur de conſecrat. diſt. 4. c. non licet fieri. Meritò ſolet Eccleſia adverſus dãnatos à ſe contumaces, poteſtatem brachij ſæcularis implorare, ad illorum quæ per ipſam decreta ſunt executionem, ut hic factum videmus. Imo etiam aliquando ad Principes infideles recurrit, ut contigit in depulſione Pauli Samoſateni hæreſiarchæ Antiocheni Epiſcopi, cujus fracta eſt contumacia fuitque cedere coactus poteſtati Aureliani Imperatoris ethnici ab Antiochena Synodo rogati ac interpellati. Duabus verò ex cauſis recurrere ſolet Eccleſia ad brachij ſæcularis poteſtatem, ſcilicet ad ſuorum decretorum adverſus reos contumaces executionem. Prætereáque in gravioribus clericorum criminibus quos judicibus ſæcularibus, prius à ſe gradu & privilegiis Eccleſiaſticis motos ac exauroratos, dimittit puniendos citra pœnam ſanguinis & necis.

11. Can. XLII. *Epigonius Epiſcopus dixit: multis in Concilio hoc ſtatutum eſt ut plebes quæ in diœceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæ Epiſcopum nunquam habuerunt, non niſi cum voluntate ejus Epiſcopi à quo tenentur proprios accipiant rectores, id eſt Epiſcopus. At verò quia nonnulli quodam dominatu adepto communionem fratrum abhorrent, vel certè cum elevati fuerint quaſi in arce quadam tyrannicam illic dominationem vindicant, &c.*

Sanctum Baſilium legimus Cæſareæ in Cappadocia Metropolitem ut æmulo ſuo Tyanæ (quæ erat in ſecunda Cappadocia) Metropolitæ numero Epiſcoporum prævaleret, erexiſſe in Epiſcopalem Saſimorum Eccleſiam, eique tametſi reluctantem præfeciſſe Gregorium Nazianzenum. Præterea Auguſtinus ut ipſe de ſe teſtatur epiſt. 261. ad Cæleſtinum Romanum Epiſcopum, in ſuæ Diœceſis oppido Fuſſala ſedem novam conſtituit Epiſcopalem, eò quòd longo ab Hippone diſtaret intervallo, eique præfecit Antonium Epiſcopum de conſenſu Primatis Numidiæ cui ſubjecta erat Hipponenſis Eccleſia. Nunc verò poteſtas hujuſmodi Romano Papæ reſervatur.

Can. XLVII. Catalogum texit divinorum librorum, quem univerſa complectitur Eccleſia: Tu vide quæ fuſius à nobis diſputata ſunt ad Synodum Laodicænam, de Sacrorum librorum canone.

## *CONCILIVM CARTAGINENSE quartum an. Chr. CCCXCVIII.*

1. IN Nitio Pontificatus Anaſtaſij honorio Auguſto quartùm & Eutychiano Conſulibus an Chr. 398. convocatum eſt univerſale Concilium (ſic enim vocatur in ipſius proloquio) ducentorum quatuordecim Epiſcoporum in ſecretario Carthaginenſis baſilicæ. Concilio præſedit Aurelius Carthaginis Epiſcopus & univerſæ Africæ Primas. Huic inter alios interfuit Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus. Tametſi autem inſcribatur quartum, veriùs tamen cenſendum eſt numero quintum. Siquidem iſtud generale Convenit Carthagine in fine anni ſcilicet (ut ait ejus proloquium) ſexto idus Novembris. Illud verò provinciale quod quintum Carthaginenſe dicitur, jam ante celebratum fuerat menſe ejuſdem anni Maio ut ejus prologus refert, ſcilicet ſexto calendas Junij, poſt conſulatum Cæſarij & Attici, qui annum expleverat 397. atque ita Chriſtianæ epochæ 398. Nos tamen accommodabimur communi potius errori quàm legitimo temporum ordini: proindéque diſcutiemus primò Concilium quod vulgari errore collocari ſolet & dici quartum: deinde illud explicabimus quod pari errore quintum inſcribitur cum dicendum potiùs eſſet quartum.

2. Africa Occidentalis quæ Patriarchiæ ſubiiciebatur Romani Epiſcopi, quæque in partitione Imperij ad Romanum Imperium Occidentis pertinebat, ſex provincias complectebatur. 1. Proconſularem Africam ſeu Zeugitanam. 2. Numidiam. 3. Byzacenam. 4. Tripolitanam. 5. Mauritaniam Septenſem ſeu Sitifenſem ſeu Tingitanam. 6. Mauritaniam Cæſareenſem, ut conſtat ex Imperij notitiæ libro, & ex Concilij Milevitani cap. 27. Variiſque Carthaginenſibus Conciliis. Primatis autem univerſalis dignitate his præerat omnibus provinciis Carthaginenſis Epiſcopus. In ſola Proconſulari provincia, in qua erat Carthago recenſiti ſunt Vandalicæ perſecutionis tempore centum ſexaginta quatuor Epiſcopi, teſte Victore Vticenſi lib. 1. Epiſcopales Eccleſiæ pluſquam trecentæ Carthaginenſi Primati obtemperabant, cum nunc temporis duæ tantum vix ſuperſint, Septenſis quæ Olyſſiponenſi Metropoli, & Tingitana quæ Eborenſi Metropoli ſubiiciuntur. Duæque illæ Metropoles extra Africam ſitæ ſunt in Hiſpania Luſitania. Præter Carthaginenſem univerſæ Africæ Primatem, aliis quinque ſingulis provinciis Africanis præerat olim ſuus peculiaris Primas, generali Carthaginenſi ſubditus. Is verò in ſingulis quinq; provinciis titulus præeminentiæ ac Primatiæ nõ erat certæ ſedi vel Eccleſiæ affixus, quippe qui nõ alius eſſe poterat quàm an-



Digitized by Google

tiquiſſimus pro tempore occurrens cujuſlibet provinciæ Præſul, qui primas & Senex audiebat, ut paſſim ex Synodis Africanis colligitur & ex Optato Milevitano libriſque Auguſtini adverſus Donatiſtas. Hoc idem præclarè admonet Leo Papa nonus epiſt. 4. ſic ſcribens: *In ſingulis Africa provinciis antiquitus Primates conſtituebantur, non ſecundum potentiam alicuius civitatis, ſed ſecundum tempus ordinationis, quibus tamen praerat unus ſcilicet Carthaginenſis Archiepiſcopus: qui etiam non improprie dici poteſt Metropolitanus propter Metropolim totius Africa Carthaginem.* Hactenus Leo nonus. Iſta in Synodo adeo provide proſpectum fuit circa Eccleſiæ normam ac diſciplinam, ut nuſquam meliùs aut univerſaliùs conſultum legatur: veréque dici hæc Synodus poſſit promptuarium totius ordinis ac regulæ clericalis.

3. Can. 1. Multam comprehendit peritiam circa requiſitas in futuro Epiſcopo virtutes & perfectiones, multas etiam & luculentas fidei definitiones & formas: præterea electionis & conſecrationis Epiſcoporum, ut qui Epiſcopus ordinandus eſt accuratè examinetur ſi naturâ ſit prudens, ſi docilis, ſi moribus temperatus, ſi vitâ caſtus, ſi in victu ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis & officiis cavens & intentus, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi rebus ſæculi liber, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus enunciet; id eſt ſi Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum eſſe confirmans, totámque Trinitatis ſubſtantiam conſubſtantialem, coëſſentialem, & coëternam & coomnipotentem prædicat. Si ſingularem quamque in Trinitate perſonam plenum Deum, ſi divinam incarnationem non in Patre, neque in Spiritu ſancto, ſed in Filio tantum factam credat; ut qui erat in Trinitate Dei filius, ipſe fieret in homine aſſumpto hominis Matris Filius, Deus verus ex Patre, Homo verus ex Virgine Matre, carnem ex Matris viſceribus trahens, & animam humanam ex præſenti creatione habens, ſimulque divinitatem & humanitatem coexiſtentes in una Verbi perſona, unus Deus, unus Filius, unus Chriſtus, unus Dominus creator omnium, & autor, & Dominus, & rector cum Patre & Spiritu ſancto omnium creaturarum; qui paſſus ſit verâ paſſione, & mortuus verâ corporis ſui morte, reſurrexit verâ carnis ſuæ reſurrectione, & verâ animæ ſuæ reſumptione: in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo ſi veteris & novi teſtamenti, id eſt legis, & Prophetarum, & Apoſtolorum unum eundemque credat autorem & Deum. Si diabolus non per conditionem ſed per arbitrium factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo; ſi credat hujus quam geſtamus & non alterius carnis reſurrectionem. Si credat judicium futurum, & recepturos ſingulos pro his quæ in carne geſſerunt, vel gloriam vel pœnam æternam. Si nuptias non reprobet, ſi ſecunda matrimonia non damnet, ſi carnium perceptionem non culpet, ſi pœnitentibus reconciliatis communicet: ſi in baptiſmo omnia peccata, id eſt tam iſtud originale, quàm illa quæ voluntarie admiſſa ſunt dimittantur. Si extra Eccleſiam Catholicam nullus ſalvetur. *Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu clericorum, & laicorum, & conventu totius provincia Epiſcoporum maximéque Metropolitani vel autoritate vel præſentia ordinetur Epiſcopus. Suſcepto in nomine Chriſti Epiſcopatu non ſuæ delectationi nec ſuis motibus, ſed his patrum definitionibus acquieſcat. In cujus ordinatione ætas etiam requiratur quam ſancti patres in praeligendis Epiſcopis conſtituerunt.*

4. Can. II. *Epiſcopus cum ordinatur duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput & cervicem ejus, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt manibus ſuis caput ejus tangant.*

Can. III. *Presbyter cum ordinatur Epiſcopo eum benedicente & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ejus teneant.*

Can. IV. *Diaconus cum ordinatur ſolus Epiſcopus qui eum benedicit manum ſuper caput ejus ponat quia non ad ſacerdotium ſed ad miniſterium conſecratur.*

Can. V. *Subdiaconus cum ordinatur quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua & mantile & manutergium.*

5. Can. VI. *Acolythus cum ordinatur ab Epiſcopo quidem doceatur qualiter in officio ſuo agere debeat: ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.*

Can VII. *Exorciſta cum ordinatur accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſũt exorciſmi dicente ſibi Epiſcopo. Accipe & commenda memoriæ & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum ſive baptiſatum ſive catechumenum.*

Can. VIII. *Lector cum ordinatur faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium. Poſt hæc ſpectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe & eſto lector verbi Dei, habiturus ſi fideliter & utiliter adimpleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei adminiſtraverint.*

Can. IX. *Oſtiarius cum ordinatur poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de altario dicens. Sic age quaſi redditurus Deo rationem de his rebus quæ his clavibus recluduntur.*

Can. X. *Pſalmiſta id eſt cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi: dicente ſibi Presbytero: vide ut quod ore cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.*

Can. X.

Digitized by Google

10. Can. X. *Sanctimonialis virgo cum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur qualibus ſemper uſura eſt profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.* Hi omnes qui præcedunt canones habentur in decreto diſt. 23.

6. Porro canones Carthaginenſes ut liquet nullius meminere inſtrumenti ſive traditi ſive contrectati in conſecratione ſive Sacerdotis ſive Diaconi. Qua ex re gravis exurgit difficultas & ardua quæſtio: quia decretum unionis Armenorum ab Eugenio IV. Pontifice ſub finem Concilij Florentini editum nullius meminit in ſacris illis ordinationibus manuum impoſitionis; ſed tantummodo inſtrumentorum traditionis & contrectationis quam docet prorſus eſſe neceſſariam. Canones autem Carthaginenſes 3. & 4. nihil præter manus impoſitionem requirunt. Indubitatum eſt præterea ſacros ordines fuiſſe in primitiva Eccleſia collatos ſine contactu codicum evangeliorum, cum necdum edita eſſent ſancta Evangelia, quorum exigitur contactus ab illo de Armenis decreto. Compertum pariter eſt fieri ſacras Græcanicæ Eccleſiæ ordinationes, quas utique Romana approbat Eccleſia, cum manuum impoſitione abſque hujuſmodi rerum exhibitione. Quæſtio iſta ventilabitur poſt hujus Concilij finem ſpeciali appendice & diſſertatione. Requirito etiam ſuperius ad ſecundum Eccleſiæ ſæculum diſſertationem noſtram de ordinum Eccleſiaſticorum numero.

7. Can. XII. *Viduæ vel ſanctimoniales quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur tam inſtructæ ſint ad officium ut poſſint apto vel ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tempore quo baptiſandæ ſunt qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant.*

Nomen itaque ſanctimonialium commune olim fuit ſacratis virginibus, de quibus loquitur Canon II. itémque Diaconiſſis quæ viduæ olim eligi ſolebant, de quibus ſtatuit præſens canon. Inviſe noſtras circa ſacras virgines & Diaconiſſas ſub eodem 2. ſæculo diſſertationes in quibus hæc uberius pertractantur.

Can. XIII. *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis vel paranymphis offerantur: qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.* Legitur in decreto diſt. 23. c. ſponſus & ſponſa.

8. Can. XIV. *Vt Epiſcopus non longe ab Eccleſia hoſpitiolum habeat.*

Can. XV. *Vt Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat.*

Habetur diſt. 41. c. Epiſcopus vilem. & in Tridentino ſeſſ. 25. cap. 1. Memorabile eſt Ammiani Marcellini ethnici hiſtorici de quibuſdam ſui temporis Epiſcopis judicium lib. 27. Antiſtites quoſdam provinciales tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos. De Auguſtino Poſſidius ejus vitæ cap. 22. ita refert, *veſtis ejus & calceamenta & moderato & competenti habitu erant, nec nitido nimium nec objecto; plurimum menſa etiam uſus eſt frugali & parcâ.*

Can. XVI. *Vt Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore.* c. Epiſcopus gentilium diſt. 37.

Can. XVII. *Vt Epiſcopus gubernationem viduarum pupillorum & peregrinorum non per ſeipſum ſed per Archipresbyterum aut Archidiaconum agat.* c. Epiſcopus diſt. 88.

Can. XVIII. *Vt Epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.* Ibid.

Can. XIX. *Vt Epiſcopus pro rebus tranſitoriis non litiget provocatus.* Ibid. 14. q. 4. c. Epiſcopus.

9. Can. XX. *Vt Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe revocet ſed lectioni & orationi & prædicationi verbi Dei tantummodo vacet.*

Huc ſpectat Gregorij Nazianzeni de ſeipſo teſtimonium in carmine de vita ſua, nullã ſe operam dediſſe in exigendis quæſtorum ſuorum rationibus circa Eccleſiæ ſuæ facultates. Sapienter tamen Auguſtino ut refert in ejus vita Poſſidius cap. 24. facultatum Eccleſiæ curam clericis fidelibus demandabat clericis à quibus cuncta accepta & erogata notabantur. Ipſe vero ſingulis annis eorum rationes audiebat, numquam tamen clavem vel annulum penes ſe habebat. Præclariſſimè verò Apoſtoli obteſtantur Act. 6. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres; viros boni teſtimonij ſeptem plenos ſpiritu ſancto & ſapientia quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.*

10. Can. XXI. *Vt Epiſcopus ad Synodum ire non ſine ſatis gravi neceſſitate inhibeatur: ſic tamen ut in ſua perſona legatum mittat, ſuſcepturus ſalva fidei veritate quidquid Synodus ſtatuerit.*

Diſt. 18. c. Epiſcopus ad Synodum. Laodicæna etiam Synodus can. 40. edicit non licere vocato ad Synodum Epiſcopo recuſare, ſed ei incumbere adeundi obligationem niſi propter ægritudinem excuſetur. Symmachus etiam ſummus Pontifex querelis ſatisfaciens quas Cæſarius Arelatenſis in Epiſcopum Aquenſem, qui cum eſſet alterius provinciæ ſcilicet ſecundæ Narbonenſis recuſabat Cæſario ſubdi, ideoque vocatus ad Synodum à Cæſario renuebat adire, ſic edicit reſcripto ſuo ſeu epiſt. 10. ad Cæſarium, quâ eidem poteſtatem firmat non ſolùm per Galliam, verum etiam per Hiſpaniam, cui ſanè poteſtati par nulla unquam legitur legata. Et ſi tam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes quàm alius quilibet Metropolitano Pontifici juxta canonum præſcripta vocatus obtemperare detrectaverit, noverit ſubdendum ſe non quod optamus

mus Eccleſiaſticæ diſciplinæ. His aliud adjungit inſigne privilegium ne quis ordinis Eccleſiaſtici exiſtens ex Gallia vel ex Hiſpania ſedem Apoſtolicam conveniat, niſi literis Cæſaris formatis ſit præmunitus.

11. Can. XXII. *Vt Epiſcopus ſine conſilio clericorum ſuorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & teſtimonium quærat.*

Diſt. 24. c. Epiſcopus ſine conſilio. De Alexandro Severo refert Lampridius laudaviſſe ritum apud Chriſtianos circa mores clericorum in Eccleſiis inquirendi priuſquam ordinentur: eorumque imitatione ſolitum fuiſſe nomina illorum quos ad præfecturas deſtinabat palam proponere, ut in illorum vitam moreſque inquireretur, ne quis inexploratus promoveretur. Vide ſuperius Concilium Carthaginenſe III. can. 22.

Can. XXIII. *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum, alioqui irrita erit ſententia Epiſcopi* niſi clericorum præſentia confirmetur. c. nullius cauſam 15. q. 7.

Can. XXIV. *Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de auditorio fuerit excommunicetur.* c. ſacerdote verbum faciente de conſecr. diſt. 1.

Can. XXV. *Diſſidentes Epiſcopos ſi non timor Dei, Synodus reconciliet* c. diſſidentes. diſt. 90.

Can. XXVI *Statuendum eſt Epiſcopis ut diſſidentes fratres ſive clericos ſive laicos ad pacem magis quàm ad judicium cohortentur* c. ſtatuendum diſt. 90. aliàs citatur, ſtudendum.

12. Can. XXVII. *Vt Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis clericus. Sane ſi id utilitas Eccleſiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum Epiſcopis porrecto in præſentia Synodi transferatur: nihilominus alio in loco ejus Epiſcopo ſubrogato. Inferioris vero gradus Sacerdotes vel alij clerici conceſſione ſuorum Epiſcoporum poſſunt in alias Eccleſias tranſmigrare.* 7. q. 1. c. Epiſcopi de loco.

Nicæni Concilij canon 15. prohibet Epiſcoporum tranſlationes ſub pœna depoſitionis à ſecundo Epiſcopatu ut dimiſſum reſumat. Sed ſubſequutum Concilium Sardicence multò ſeveriùs agit cum ejuſmodi tranſlatitiis Epiſcopis, quos non ſolùm utroque privat Epiſcopatu ſed ipſa etiam laica communione: & ſi accedat contumacia ne quidem in fine vitæ communicare permittit. Vide ſuperius annotata in utrumque can. Nicænum & Sardic. 1.

13. Can. XXXII. *Irrita erit donatio Epiſcoporum vel venditio vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia & ſubſcriptione clericorum.*

Cap. Sine exceptione 12. q. 2. & per totam. In Galliæ regno per edictum Henrici ſecundi an. 1558. inſtauratum in Conciliis Aurelianenſibus ſub Carolo nono art. 29. nemorum ad Eccleſias pertinentium proceras arbores dejicere prohibetur Epiſcopis Abbatibus & quibuſcumque præbendatis, aliiſque quibuſlibet perſonis. Solemnitates etiam ſervandas ad legitimam rerum Eccleſiæ alienationem quibus prætermiſſis foret invalida, refert Chenutius Gallicanus Juriſconſultus in ſuo de rerum Eccleſiæ alinatione tractatu. Quarum prima eſt ut præcedat Capituli ſeu cleri deliberatio & conſenſus ſcripto expreſſus cum ſingulorum ſubſcriptione, juxta hunc ipſum can. Carthaginenſem. Secunda ut per Capitulum certæ perſonæ committantur ad juridicè inquirendum de qualitate rei cujus tractatur alienatio, déque utilitate aut neceſſitate iſtius alienationis: quæ facta demum perquiſitio ad Capitulum referatur. Tertiò ut publicè per parochos tum loci tum vicinos perque affixas ſchedulas denuncietur futura alienatio per licitationem ac ſubhaſtationem, cum diei & loci deſignatione ut qui plus licitaverit datis cautionibus rem obtineat. Quartò ut accedat Epiſcopi aut Vicarij ejus conſenſus vel Abbatis ſi de re agitur regularis, Eccleſiæ conſenſus quoque monaſterij: quo ultimo caſu requiritur etiam Papæ approbatio, non enim ſufficeret ſuperioris generalis aut provincialis regularis autoritas. Prædictæ requiruntur ſolemnitates etiamſi non fiat alienatio in perpetuum aut ad triginta annos, dummodo fiat emphiteuſis ultra novennium ut ex praxi & jure Gallicano refert Chenutius, addens vel ob unum præfatarum ſolemnitatum defectû multis judiciis declaratas irritas fuiſſe haſce alienationes, quæ videbantur pluſquam centum annorum præſcriptione firmatæ. Tres juſtas rerum Eccleſiæ alienationis cauſas docet gloſſa in proœmio cauſæ 12. q. 2. Primum evidentem ipſius Eccleſiæ neceſſitatem: ut ſi fructus ad debitas Eccleſiæ impenſas aut cleri ſuſtentationem, aut debitorum ſolutionem minimè ſufficiat. c. hoc jus porrectum 10. q. 2. Cauſa ſecunda eſt pietatis ad egenorum ſubſidium in gravi neceſſitate aut redemptionem captivorum, juxta traditam à ſancto Gregorio Papa doctrinam lib. 5. epiſt. 17. & lib. 7. epiſt. 4. qui vult his caſibus vaſa ſacra confringi & conflari. Aurum habet Eccleſia non ut ſervet ſed ut eroget & ſubveniat neceſſitatibus c. aurum 12. q. 2. & c. ad aures de reb. Eccle. non alien. Tertia cauſa eſt majoris Eccleſiæ commodi & utilitatis evidentis c. ſine exceptione & c. terrulas 12. q. 2. Denique contra alienationem quæ fit à Capitulo vel unus ejuſdem capituli opponens audiendus eſt c. ſi quis de reb. eccl. non alien. Etenim in re communi potior eſt conditio prohibentis. c. in re communi de regu. jur. in 6. Concilij autem Carthaginenſis quinti can. 4. vetat Eccleſiæ rem alienari inconſulto Primate. Sanè minor requiritur ſolemnitas in diſtrahendis terrulis aut vineolis longè poſitis, ut deciditur hujus Concilij can. 53. & citatur can. terrulas 12. q. 2.

14. Can. XXXIV. *Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur.* diſt. 95. c. Epiſcopus in quolibet.

Huc referri poteſt quod ſcribit Hieronymus epiſt. 2. ad Nepotianum *Epiſcopi ſe eſſe Sacerdotes meminerint*

*meminerint non dominos, honorent Clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis à Clericis quaſi Epiſcopis honor deferatur.Scitum eſt illud Oratoris domitv.Cur ego te habeam ut Principem cum tu me non habeas ut Senatorem.* Et ſubinde. *Recordemur ſemper quid Apoſtolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: Paſcite eum qui in vobis eſt gregem Domini, providentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratià, ſed voluntariè; neque ut dominantes in Clero, ſed forma facti gregis ex animo: ut cum apparuerit Princeps paſtorum, præcipiatis immarciſcibilem gloriæ coronam.* Hæc ſimul allegantur c.eſto ſubjectus diſt.95. his conformis eſt inſequens iſte canon.

15. Can.XXXV. *Vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum verè collegam ſe Sacerdotum eſſe cognoſcat.*

Diſt.95. cap.Epiſcopus in Eccleſia. In Liturgia Chryſoſt.ſedes Epiſcopalis dicitur cap.21. ἡ ἀνω-καθέδρα. Quæ ſublimis eſt cathedra. Dicitque Auguſt.in Pſal 26. *Epiſcopis altior ponitur ſedes, ut cognoſcant ſe quaſi vinitores in ſpecula conſtitutos eſſe ad vineam Domini Sabaoth, quæ eſt ejus Eccleſia, cuſtodiendam, & de iſto loco alto periculoſa ratio redditur.*

Can.XXXVI. *Presbyteri qui per Diœceſes Eccleſias regunt non à quibuſlibet Epiſcopis, ſed à ſuis: nec per juniorem Clericum, ſed aut per ſeipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem chriſma petant,* cap.Presbyteri qui per.diſt.95.

4. Can.XXXVIII. *Vt Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo ſi neceſſitas cogat. juſſus eroget* diſt. 95.

Can.XLI. Clericus neque comam nutriat, neque barbam, cap.Clericus neque diſt.42. Idem cavetur Agathenſis Concilij can.20. de tonſura autem Clericali haud pauca notabilia require infra ad Concilij Toletani IV. can.40.

Can.XLV. *Clericus profeſſionem ſuam, & in habitu, & in inceſſu ſuo probet, & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.*

Cap. Clericus profeſſionem diſt.41. huic ſimilem require canonem 16. Nicænæ ſecundæ Synodi. Clericum nihil magis dedecet quam levitas aut ſuperbia. Sapienterque admonet Eccleſiaſticus: *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus, amictus corporis, riſus dentium & ingreſſus hominis annunciant de illo.* Id eſt qualis intus & in animo ſit. Quemadmodum in horologio gnomon exterius apparens index eſt interioris machinarum diſpoſitionis. Ambroſius lib.1. officiorum cap.18. duorum refert abdicatorum à ſe Clericorum exempla, quorum inceſſus & habitus exterior nequitiæ internæ index erat, quique infelicem ſortiti ſunt exitum.

16. Can.XLVI. *Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.* Vide ſcholia noſtra ad Nicænum can.3.

Can.XLVII. *Clericus per plateas & andronas, niſi certâ & maximâ officij ſui neceſſitate non ambulet.*

Can.LI. *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio victum quærat.*

Diſt.91. cap.Clericus quantumlibet. Vide infra can.51.

Can.LII. Clericus victum ſibi & veſtitum artificiolo vel agriculturâ,abſque officij ſui detrimento paret. Ibid. c.Clericus victum. Eadem docet jubetque Clemens Papa lib.3. Conſtit.Apoſt. cap.ult. adducens Apoſtolorum exempla, & ſpeciatim Pauli Actuum 18. v.4. & Act.20. v.34. & Theſſal.primæ cap.3. Epiphanius hære.80. fidem facit pleroſque tempore ſuo Sacerdotes ſolitos eſſe propriis manibus operari. De Spiridione qui in magna Synodo Nicæna conſedit,perhibent Rufinus & Socrates illum ſimul, & Thremituntis in Cypro Epiſcopum & Capellarum gregis fuiſſe paſtorem, unde victum tenuem ſuſtentabat. Synodus verò Nicæna ſecunda can.15. pauperibus Clericis exemplum proponit Pauli Apoſtoli, ut ejus imitatione vitam propriis manibus operando tueri non vereantur. Admodum notabile eſt quod duabus epiſtolis ſcribunt Agathon Romanus Pontifex, & Romanum Concilium ad Imperatorem Conſtantinum cognomento Pogonatum, ſuos ei commendantes ad ſextam Synodum Legatos, ſe enim primùm excuſant,quod cum cupiviſſent peritiores & eloquentiores mittere pro tanti officij dignitate Legatos, ideoque ex ultima Britannia Clericum his ornatum dotibus acciviſſent, iſte tamen adventare non potuit, nec alius reperiri Clericus inſigniter doctus, ex quo direptis & vaſtatis per Longobardos Eccleſijs, tam hi qui mittuntur Legati, quàm cæteri Clerici non valuerunt ſtudiis literarum incumbere, neceſſitate adacti ad continuum manuum laborem quo vitæ poſſent neceſſitatibus ſubvenire. Denique Aquileienſe Concilium, cui Ambroſius Mediolanenſis Antiſtes interfuit pauperiem dicit eſſe in Sacerdotibus glorioſam. Verum ad hujuſmodi gloriam non ſunt ambitioſi noſtrorum temporum Clerici vel Monachi.

Can. LX. *Clericum ſcurrilem & verbis turpibus jocularem ab officio eſſe retrahendum.* Citatur diſt.46. cap. Clericum ſcurrilem. Stultiloquium & ſcurrilitatem damnat Apoſtolus Epheſ.5.v.4. Præclarè admonet Bernardus. *Nugæ in ore laicorum nugæ ſunt, in ore Clericorum blaſphemiæ. Conſecraſti os tuum Evangelio talibus aperire non licet.*

Ambroſius audiendus lib.1. officiorum cap.23. *Licet interdum honeſta joca & levia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent regula: Væ vobis qui ridetis quia flebitis, ait Dominus: non ſolùm profuſos ſed omnes jocos declinandos arbitror: Plenum tamen ſuavitatis & gratiæ ſermonem eſſe non indecorum.*

17. Can.LXVIII. *Ex pœnitentibus Clericus quamvis ſit bonus non ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum ſit, deponatur à Clero, quia ordinationis tempore non prodidit ſe fuiſſe pœnitentem.*

Similiter Siricius Papa in epiſt. ad Himerium Epiſcopum Terraconenſem c.14. *Illud quoque par fuit nos providere, ut ſicut pœnitentiâ agere non conceditur*

*ceditur Clericorum cuiquam, ita poſt pœnitudinem & reconciliationem nulli unquam liceat laicorum Clericatus honorem adipiſci.* Cauſa utrobique eſt decor ac veneratio Clericalis ſtatus, utque Clericus ſit juxta Paulum inconfuſibilis & irreprehenſibilis. Similiter Leo Papa epiſt.92. inquiſ.2. *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in gradu Diaconi fuerint conſecrati, hi pro aliquo crimine ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod proculdubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum id quod ſcriptũ eſt Sacerdos ſi peccaverit quis orabit pro eo? Vnde hujuſmodi lapſis ad promerendum miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio ſi digna fuerit, ſit etiam fructuoſa.* His ſuffragatur Origen.lib.2. cont.Celſum, dicens eum qui pœnitentiam obiviſſet, arceri in perpetuum à ſacris ordinibus, aut eorum exercitio. Adſtipulatur pariter Optatus Milevitanus in fin.lib.2. Multis (inquit) notum eſt, & probatum perſecutionis tempore aliquos Epiſcopos inertiâ à confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent imperavit. Similiter Aug.lib.1. de Baptiſmo cont. Donat.c.1. ait: *Ordinatis cum ad Eccleſiam ex ſchiſmate redeunt non imponitur manus inter laïcos.* Sed & Concil.Carthag.V. can.11. ſic decernit: *Idem confirmatum eſt, ut ſi aliquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, quâ eos à miniſterio neceſſe fuerit removere, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laïcis imponatur.* Cæterùm publicæ pœnitentiæ loco Clericus delicti reus in Monaſterium relegabatur, aut ad privatam ſeceſſionem, ut docent Leo Magn. loco cit. & Hieronymus epiſt. 48. ad Sabinianum Diaconum lapſum, & Concil.Aurelian.III. can.4.

18. Canones autem quibus pœnitentia lapſis Clericis injungebatur, ut eſt Arauſicani primi Cõcilij can.4. dicens: *Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam.* Quidam exponunt de pœnitentia privata, alij etiam de publica non judiciaria illa quidem, ſed ſpontanea quæ contingere quoque abſque gravi delicto queat. De qua etiam loquitur Concil.Tolet.IV. can.53. quæque ipſis laïcis quominus poſtea ad ſacros ordines promoveri poſſint non officit, ut ibidem decernitur. Ita noſter Ioan.Morinus oppoſitos qui videntur canones exponit lib.2. de exercitat.Eccleſ.c.23. Verumtamen Cypriani epiſt.59. ad Fidum Epiſcopum expoſtulat adverſus Teraphium Epiſcopum, eo quod Victorem Presbyterũ qui graviter deliquerat auſus fuerat reconciliare, eique pacem dare præproperâ nimis feſtinatione antequam plenam conſummaſſet pœnitentiam, illa inquam Cypriani epiſt. ad Fidum perſpicuè loquitur de publica & judiciaria pœnitentia, nec poteſt de privata tantumque ſpontaneâ exponi. Potius igitur crediderim prohibitionem de non admittendis ad publicam pœnitentiam ſacris Clericis, neque ſemper, neque ubique regionũ Catholicarum viguiſſe, ſed pro temporum ac locorum diverſitate uſum fuiſſe diverſũ, quemadmodum ſuperiùs perſpeximus in jejuniis Sabbatorum aliiſque diſciplinæ officiis & uſibus. Concilij quoque Toletani XIII. can.10. etiam Pontifices & Sacerdotes publicam pœnitentiam ſuſcipere poſſe, ſalvo gradu & ordine decernit, dummodo nulla ſe mortalis criminis profeſſione notaverint, ſuſcepta que per Metropolitanum reconciliatione ad priſtina redire ordinum ſuorum officia permittantur.

19. Can.LXIX. *Simili ſententiæ ſubjacebit Epiſcopus ſi ſciens ordinaverit Clericum, eum qui viduam aut repudiatam uxorem habuit, aut ſecundam.*

Huc ſpectat Apoſtolorum can.18. inſertus apud Gratianum cap.ſi quis viduam diſt.34. Concilijque Agathenſis can.1.

Can.LXXIV. *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato ſive Clericus, ſive laïcus excommunicetur.*

Cap. qui communicaverit 11. q.3. huic ſimilem Antiochenæ Synodi, can.2. require ſuperius.

Can.LXXVI. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim verſus fuerit, donent teſtimonium qui audierint, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuo moriturus creditur, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à prædictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum eſſe: & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus quandiu Sacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit.*

Simile decretum edidit Concil.Arauſicanum I. can.2. *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præterita teſtimonium, aliorum verbis habet aut præſentis in ſuo nutu.* Hoc idem ſtatuit Leo Papa Magnus epiſt.82. aliàs 91. ad Theodorum Forojulienſem. Vide cap. is qui pœnitentiam 26. q.6.

20. Can.LXXVII. *Pœnitentes qui in infirmitate ſunt viaticum accipiant.* Et qui proximè ſequitur can.78.

Can.LXXVIII. *Pœnitentes qui in infirmitate viaticum acceperint Euchariſtiæ, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione ſi ſupervixerint.*

Can.LXXIX. *Pœnitentes qui attentè pœnitentiæ leges exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.*

Plura inferiùs huc pertinentia perquire ad Vaſionenſis Concilij can.2. Vide hunc & tres ſequentes Carthaginenſes canones comprehenſos in cap. Sacerdos pœnitentiam 26. q.7.

Can.LXXX. *Omni tempore jejunij manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.*

Can.LXXXI. *Mortuos pœnitentes Eccleſiæ efferant & ſepeliant.*

Can.LXXXII. *Pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.*

Can.LXXXIII. *Pauperes & ſenes Eccleſiæ plus cæteris honorandi ſunt.*

21. Can.LXXXIV. *Vt Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei ſive gentilem, ſive hæreticum, ſive Iudæum, uſque ad miſſam catechumenorum.*

De conſecra.diſt.1.c.Epiſcopi nullum. Soli pœnitentes primæ claſſis qui flentes dicebantur ingreſſu

Digitized by Google

greſſu Eccleſiæ arcebantur. Gentiles porro Judæique, & hæretici licet ingreſſu non prohiberentur excludebantur tamen poſt miſſam catechumenorum & concionem Evangelicam, non tamen ad precum ſocietatem admittebantur; cum prohibita ſit fidelibus ſub excommunicationis pœna talis ſocietas hujuſce Concilij can.72. & 73. In Iudaïco Dei templo pars quædam erat quæ atrium gentium vocabatur: quo loco Gentilibus conſiſtere, atque adeò Deum verum & unicum palam licebat adorare ſeorſum tamen à Iudaïco populo cujus erat in altero atrio ſtatio ſeparata. Unde Ioan.12. v.20. ſcriptum eſt: *Erant autem quidam Gentiles ex ijs qui aſcenderunt ut adorarent in die feſto.* Laodicenæ Synodi canon.6. ita ſancit: *Non permittitur hæreticis ut in domum Domini ingrediantur ſi in hæreſi permaneant.* Sed intelligendus eſt ſecundum præſcriptum hujus Carthaginenſis Concilij quo prohibetur precum ſocietas cum hæreticis quemadmodum etiam vetatur hæreticorum intra Eccleſiaſticum templum conſiſtentia poſt catechumenorum miſſam, ſed eis aſſiſtere permittitur in ſtatione catechumenorum antequam myſticum ſacrum inchoetur donec jubeantur voce Diaconi, quicunque non communicant pedem efferre ac prodire foras.

22. Can.LXXXV. *Baptizandi nomen ſuum dent, & diu abſtinentiâ vini & carnium ac manus impoſitione crebrâ examinati baptizentur.*

Baptizandi ex quo nomen ſuum dederant, à reliquis catechumenis diſcernebantur, & competentium nomine deſignabantur, atque ſeorſim catechizabantur, & orationibus, manus impoſitionibus crebris, jejuniiſque aſſuefiebant, ſicque præparabantur ad Baptiſmum ſuſcipiendum appetente Paſchate aut Pentecoſte.

Can.LXXXVI. *Neophyti* (ſic dicebantur recens baptizati) *aliquandiu à lautioribus epulis & ſpectaculis & conjugibus abſtineant.*

Atque ita baptiſmum adultorum diſtrictior vivendi ratio & præcedebat & comitabatur, cap. Neophyti de conſecr.diſt.5.

Can. LXXXVI. *Catholicus qui cauſam ſuam, ſive juſtam, ſive injuſtam ad judicium alterius fidei judicis provocat excommunicetur.*

Can.LXXXVII. *Qui die ſolemni prætermiſſo ſolemni Eccleſiæ conventu ad ſpectacula vadit excommunicetur*, cap. qui die ſolemni. de conſecr. diſt.1.

23. Can.XC. *Omni die exorciſtæ energumenis manum imponant.*

Cap. omni die de conſecra.diſt.5. Multiplices obſerva olim uſitatas manuum impoſitiones in Eccleſia: 1. in Confirmationis ſeu chriſmatis ſacramento ab Epiſcopo. Quod Sacramentum in Actib. Apoſtolorum non alio quàm manuum impoſitionis nomine exprimitur. Reliquæ ferè omnes in Eccleſia conſuetæ manuum impoſitiones hujuſce Concilij canonibus ſignificantur: etenim conſecratio Epiſcoporum per manuum impoſitionem deſignatur hujus Concilij can.2. Tertia item in conſecratione Sacerdotum can.3. Quarta in Diaconorum ordinatione can.4. Quintæ ſuper pœnitentibus publicis in diebus jejuniorum per Presbyteros Eccleſiæ adhibitis orationibus meminit can.8. Sextæ ſupra etiam pœnitentes ſolo die, quo publicè in Eccleſia reconciliabantur expleto tempore pœnitentiæ præſtituto ad quam requirebatur manus per Epiſcopum impoſitio, etiamſi poſt Epiſcopum Sacerdotes quoque manus imponebant mentio fit can.78. quemadmodum etiam can.3. Concilij Carthaginenſis vulgo dicti ſecundi. Septimæ in Virginum conſecratione quæ à ſolo fiebat Epiſcopo can.12. Carthaginenſis hujus Concilij prætereaque can.15. Chalcedonenſi. Octavæ manuum impoſitionis quotidianæ à Sacerdotibus ſupra competentes faciendæ mentio fit can. Carthaginenſi 85. Nonæ denique manus impoſitionis per exorciſtas ſuper energumenis diebus ſingulis faciendæ, agitur mentio iſto ipſo can.90. Porrò manus impoſitio à quocunque facienda, ſeu adhibenda erat ſemper cum oratione adjungebatur dicente Auguſtino lib.3. de Baptiſmo cont.Donat. cap.16. *Quid eſt enim aliud manus impoſitio niſi oratio ſuper hominem.*

Can.XCI. *Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.*

Can.XCII. *Energumenis in domo Dei aſſidentibus victus quotidianus per exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.*

Can.XCIII. *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiendæ ſunt.*

Cap. oblationes diſſid.diſt.90. huc ſpectat Math.5. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet, &c.*

Can.XCIV. *Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.*

Cap. eorum qui diſt.90. Notatu dignus canon circa illos qui ſecuros ſe exiſtimant à reſtituendi obligatione, his quibus injuriam fecere dum falſam, & inanem pietatis, & magnificentiæ gloriam ſibi ſuæque proſapiæ aucupantur, ſacella ſuis armis ſtemmatibuſque inſignia extruendo, aut miniſteria nova exigendo ſub reſervatione perpetui juriſpatronatus ex corraſis injuſtè pecuniis. His convenit pulcherrimum Eccleſ.34.v.23. effatum: *Dona iniquorum non probat altiſſimus nec reſpicit in oblationes, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis quaſi qui victimat Filium in conſpectu Patris.*

25. Can.XCV. *Qui oblationes defunctorum, aut negant Eccleſijs, aut cum difficultate reddunt tanquam egentium necatores excommunicentur.*

Cap. qui oblationes 13. q. his ſuffragatur Vaſenſe Concilium can.4. & Arelatenſe ſecundum c.47. & Matiſconenſe primum can.4.

Can.XCVII *Qui religioſis fœminis præponendus eſt, ab Epiſcopo loci probetur.*

C. qui religioſis 18.q.2. Ideoq; Greg.XV. Papa in Bulla quæ incipit inſcrutabili declarat non poſſe confeſſarios, ſive ſæculares, ſive regulares deputari ad audiendas Monialium, etiam regularibus exemptis ſubditarum confeſſiones, niſi poſtquam ab Epiſcopo loci fuerint approbati ac idonei judicati,

 Quod

Quod idem confirmatur per Bullam Clementis X. anni 1670. quâ decernit regulares ad audiendas ſubjectarum ſibi Monialium confeſſiones egere quoad iſtud ſpeciali Epiſcopi approbatione.

Can. CIV. Teſtatur de habitu religioſo viduarum quæ ſe obſequio Dei & Eccleſiæ devoverunt, de voto pariter perennis continentiæ dicens:

*Si quæ viduæ quantumlibet in minoribus adhuc annis poſitæ ſe devoverint Domino & veſte laicali abjectâ, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint: poſtea verò ad nuptias ſæculares tranſierint ſecundum Apoſtolum damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis quam Domino voverunt irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam neque in convivio cum Chriſtianis communicent.*

Hoc idem Concilium can. 12. de Virginibus conſecratis teſtatur ſpecialibus amiciri veſtibus profeſſioni earum, & ſanctimoniæ aptis. Hoc ipſum ſignificat Hieronymus ſcribens ad Marcellam de laudibus Aſellæ, de qua hæc prædicat. *Tunicam fuſciorem, quam à matre impetrare non poterat induta pio negociationis auſpicio, ſe repentè Domino conſecravit, ut intelligeret univerſa cognatio non poſſe aliud ei extorqueri quæ ſæculum jam damnaſſet in veſtibus.* Idemque ad Gaudentium de Pacatulæ educatione. *Solent quædam cum futuram Virginem ſpoponderint, pullâ tunicâ eam induere, & furvo operire pallio, auferre linteamina.* Præcipuum verò conſecrationis Virginum inſigne fulgebat in capite: per omnes ferè Occidentis Eccleſias ſolemni ritu Virgines conſecrabantur ab Epiſcopo impoſitione veli ſupra Virginis caput. Hoc ritu conſecratam ſororem ſuam Marcellinam Virginem à Liberio Romano Pontifice prodit Ambroſius lib. 3 de Virgin. Idemque ſcribens ad Virginem lapſam cap. 5. *Non es memorata* (inquit) *dies ſanctæ Dominicæ reſurrectionis in qua divino altari te obtuliſti velandam? In tanto itaque ſolemni conventu Eccleſiæ Dei inter lumina illa ſplendida, inter candidatos regni cæleſtis quaſi regina regi nuptura proceſſeras.* Et aliquanto pòſt; *His tunc in illo die conſecrationis tuæ dictis & multis ſupra caſtitatem tuam præconijs ſacro volumine tecta es.* Hieronymus prætcrea ſic ſcribit ad virginem Demetriadem: *Scio quòd ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operuit caput.* Idemque ad Sabinianum vitiatæ à ſe Virginis reum: *Poſt Apoſtoli Petri Baſilicam in qua Chriſti flammeo conſecrata eſt.* Alicubi tamen mitra vel cidaris capiti virginis ab Antiſtite conſecratore imponebatur, ut liquet ex his Optati verbis exprobrantis Epiſcopo Donatiſtæ ſtuprum ſacrilegum, quod Virgini à ſe conſecratæ intulerat. *Cui mitram ipſe impoſuerat à qua pater ante vocabatur.* Et addit: *Mitellam hujuſmodi de lana fieri purpura tincta, idque eſſe ſpirituale nubendi genus, ad indicium ne qui ſponſabat perſeveret petere, aut raptor audeat violare.* Hujuſmodi tegmen capitis fuiſſe acuminatum, & faſtigiatum, colligo ex his Palladij verbis hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 41. *Virginum hujuſmodi erat habitus ut eſſent tonſæ & cucullatæ.* παρθένων τούτων τὸ σχῆμα ἦν κεκαρμένων, ἐχουσῶν κουκούλια ἐπὶ τὴν κεφαλήν. Erat iſtud Monaſterium Tabenneſiatarum quadringentarum Monialium in Thebaïde Ægypti regione Æthiopiæ contermina. Eſt verò Mitra originis Perſicæ vocabulum. Ex mitra dependebant teniæ ſeu redimicula ad alligandum ſub mento iſtud capitis operimentum, quorum ſpecies aliqua reſtat in appendicibus duabus mitrarum Epiſcopaliũ. Æneid. lib. 9. habitus deſcribitur Æneæ ejuſq; Phrygij comitatus. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.* De tonſura Monialium in Monaſteriis Ægypti & Syriæ fidem facit Hieronym. epiſt. ad Sabinianum.

## DISSERTATIO ET APPENDIX AD *Canones ordinationum præcedentis Concilij Carthaginenſis.*

1. Pleræque nonnullorum Scholaſticorum Theologorum concluſiones haud ſatis convenire compertæ ſunt cum uſibus veteris Eccleſiæ tam Latinæ quàm Græcanicæ. Cum enim illos uſus neſcirent, nec ſatis verſati eſſent in canonibus priſcæ diſciplinæ, poteſtatem quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in re Sacramentaria contulit ampliorem, arctioribus limitibus coarctarunt hoc ipſo, quòd omnia reduxere ad ſui temporis rituales, quos exiſtimarunt divinâ & immutabili ab uſque naſcentis Eccleſiæ cunabulis deductâ inſtitutione, atque uſu inconcuſſo roboratos. In primis multi eorum aſſeruerunt ad ſacramenti pœnitentiæ validitatem ac eſſentiam neceſſe prorſus eſſe, ut abſolvendi forma perſonam connotet Sacerdotis hoc ſolo fulti argumento, quia rituales libri uſum hujus Sacramenti præſcribentes in Latinis Eccleſijs vocem primæ perſonæ uſurpant. Hoc verè quidem & providè, nihil tamen de neceſſitate Sacramenti definiunt. Huic quoque rationi congruæ quidem, ſed non abſolutæ neceſſitatis inſiſtendum duxerunt, quia ſcilicet ejuſmodi uſus propius accedit ad judiciorum humanorum formas, in quibus judices decernentes ſuas exprimere ſolent perſonas. Et tamen innumeris conſtat Sanctorum Patrum, tum Latinorum, tum Græcorum teſtimoniis, olim in abſolvendis pœnitentibus ſanctam Eccleſiam verbis uſam deprecativis nullâ adjunctâ perſonæ abſolventis expreſſione, Græcoſque etiamnum orthodoxos approbante Latina Eccleſia uſos fuiſſe, & adhuc uti precibus pro ipſamet abſolvendi formula. Arcudius quidem apud Græcos diutiſſimè verſatus unicam profert paucis Græcis uſitatam, nec ita pridem, ſed nuper à Rutenis acceptam formulam, nec niſi poſt inſtauratum ultimò ſchiſma natam, ἔχω σε συγκεχωρημένον ϗ λελυμένον, habeo te condonatum & abſolutum, ſed ipſe fatetur Arcudius recens natam, nec in ullo melioris notæ Euchologio aut Sacramentario alias reperiri quam deprecatorias abſolutiones, in Conciliis Generalibus Lateranenſi, Lugdunenſi, Florentinoque approbatas, in quibus redintegrata fuit Græcorum cum Latinis Eccleſijs pax & concordia: tametſi novam hanc formulam poſt ultimum ſchiſma procuſam magis approbet ſcriptor nuperus apud Græcos ſchiſmaticos Gabriel Philadelphienſis in ſuo de Sacramentis opuſculo hac inductus ratione, quia judiciariam autoritatem plus redolet. Ipſe tamen fatetur Arcudius lib. 4. de concordia Eccleſiæ Orient. cum Occid. cap. 3. hanc abſolutionem apud Græcos eſſe Neotericam paucis uſitatam nec in Euchologiis toties ab

Digitized by Google

ab eccleſia Romana cōfirmatis reperiri. Abſolutionem verò tam apud veteres Latinos quam apud Græcos non niſi deprecatoriam extitiſſe confirmāt peritiſſimi ſcriptores Hugo Menard. ordinis Bened. in notis ad Sacramentale Gregorian. Joan. Morinus Oratorij Domini Jeſu Presbyter lib. 8. de pœnitentia cap. 8. & ſeqq. & alij: qui præter luculenta cæterorum patrum teſtimonia quæ proferunt, oſtendunt Leonem Romanum Pontificem quoties de Sacramentali reconciliatione loquitur non aliis rebus eam attribuere quàm pœnitentium confeſſioni & Sacerdotum ſupplicationibus ac precibus. Etenim in epiſt. 87. ad Theodorum forojulienſem Epiſcopum ter hoc ipſum inculcat dicens cap. 2. Sic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus, *Sacerdotum nequeat obtineri.* Et cap. 3. ibid. *Si quis autem eorum pro quibus Domino ſupplicamus.* Et ſubinde. *Multum enim utile ac neceſſarium eſt ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſoluatur.* Idémque epiſt. 80. aliàs 136. *Sufficit illa confeſſio quæ primùm Deo affertur tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Idemque epiſt. 139. cap. 1. *reconciliandos Deo per Eccleſiæ preces inſtanter acquiras.* Profert verò præfatus etiam Morinus euchologia diverſa & ritualia omnium fere Eccleſiarum Orientis & quod caput eſt Latinorum generalibus Conciliis & ſummorum Romæ Pontificum decretis approbata, quibus quotquot in Orientis plagis exiſtunt Chriſtiani etiam nunc communiter utuntur poſt Occidentalia unionum decreta & uſi fuerant antequam ſchiſmata ſupervenirent, Græci, Armeni, Syri, Maronitæ in ſuo eruditiſſimo de Pœnitentia opere. Hæc ſi Theologi noviſſimorum ſæculorum reſciviſſent, aliter procul dubio docuiſſent. Enim verò cum S. Thomas in 4. diſt. 1. art. 2. ad 1. Paludanus ead. diſt. quæſt. 1. quæſito 3. aliique communiter ex eò quòd Græcorum Eccleſiæ inter baptizandum vocem uſurpant, non quidem ut illi exiſtimant baptizetur, ſed ut revera fit, baptizatur Chriſti ſervus, inferant & concludant non eſſe abſolutè in baptiſmo neceſſariam perſonæ miniſti expreſſionem, pari argumento docuiſſent, nec eſſe neceſſariam in ſacramento pœnitentiæ quoniam ipſorum pariter ætate Græci ſuam non enunciabant perſonam dum pœnitentes nexibus peccatorum abſoluebant.

2. Eadem ipſa ratione ſi doctoribus Latinis innotuiſſent approbatiſſimi à Romana ſede Orientalium nationum diverſæ linguæ ritus, cum Romana Eccleſia communicantium ritus & praxes ordinationum, his indubitanter venerationem & conſenſum detuliſſent, nec in eas deveniſſent aſſertiones ex quibus ſequatur, ſi veritate nitantur, Orthodoxos Orientales omnes fuiſſe tot ſæculis ab Eccleſia Romana deluſos, quæ non tantùm eorum ritus accuratè exploratos comprobavit ſed etiam illos propriorum rituum obſervantiæ ſic adſtrinxit: ut lethalem contrahant noxam ſi velint in propriis Eccleſiis ritu Latino miniſtrare. Ex quo id pariter ſequeretur vel cogitatu horrēdum, nullos penes ipſos fuiſſe Epiſcopos, Presbyteros, nullam Euchariſtiam, nullum pœnitentiæ Sacramentum, neque Confirmationis, neque Extremæ-Vnctionis; quia ſcilicet nulla Sacerdotum ordinatio à quibus poſſint cætera præter baptiſmum adminiſtrari Sacramenta. Quinimo neque pluribus ſæculis apud Latinos ipſos ſub felicibus Sanctorum patrum temporibus: Conſtat enim ex prioribus Concilij quarti Carthaginenſis canonibus quos ducenti Epiſcopi ediderunt, inter quos Auguſtinus eminebat, nullum fuiſſe traditum contrectandum inſtrumentum in Sacerdotali ordinatione, quæ ſola manuum impoſitione certiſque orationum formis perficiebatur. Dionyſius ſimiliter lib. Hierar. Eccle. nullam traditionem aut contrectationem, ſed ſolam χειροθεσία. & preces ſolemnes in Sacerdotum conſecratione commemorat. Clemens pariter Romanus Pontifex Petri diſcipulus in Apoſtolicis conſtitutionibus quas Epiphanius hæreſi 70. teſtatur omnia complecti ad Eccleſiæ conſtitutiones & diſciplinam attinentia lib. 8. cap. 16. & ſeqq. in quibus ea quæ in ordinationibus miniſtrorum Eccleſiæ peragenda ſunt proſequitur, ſpeciales nimirum pro ſingulis ordinibus preces & manuum impoſitiones etiam in Subdiaconis & lectoribus, nullam vero rei contrectandæ exhibitionem, nequidem in minorum ordinum collatione. Atque in his duobus canones Carthaginenſes diſſentiunt, negantes ullam in minoribus intervenire manus impoſitionem, ſimúlque aſſerentibus in iiſdem inſtrumentorum exhibitionem.

3. Iſtis aliiſque varietatibus perſpicuum fit Eccleſiam non eſſe aut fuiſſe invariabilibus & immutabilibus formis in quorundam Sacramentorum miniſteriis aſtrictam. Sed ritus diverſos pro locis & temporibus approbatos cum intentione miniſtri à Chriſto Domino inſtituti Sacramenta pleráque confeciſſe. Antiquiſſima quæ legitur in Sacerdotum ordinatione calicis & patenæ exhibitio, legitur in Romani Ordinis libello, quem Alcuinus, Caroli magni præceptor, alicubi commemorat. Hic enim libellus p. 2. refert non ſolùm ab Epiſcopo manus illis imponi qui Sacerdotio augurantur, manuſque ejus qui ordinatur inungi, ſed etiam calicem vinum aquâ miſtum continentem & patenam cum pane tradi, ſimulque iſta eiſdem enunciari: Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo miſſamque celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis. Morinus ſuo in opere de ſacris ordinationibus inſeruit perantiquos nec unquam antea typis excuſos ordinationum rituales ex Vaticana aliiſque illuſtribus bibliothecis erutos, necnon librum Syriacum ordinationum Maronitarum qui fuere hactenus Libani montis accolæ, quorum fidem & ſacros ritus jampridem Romana probavit Eccleſia. Iſto aliiſque recens editis manuſcriptis ritualibus non aliter enunciantur ordinari Sacerdotes & Diaconi quàm manus impoſitione & ſolemnibus quibuſdam precibus, nihilque aliud ordinando porrigitur quàm Evangeliorum codex ut ipſum diligenter perlegat. Nec diſſimiles ſunt Armenorum eorum qui cum Romana Eccleſia communicant ordinationum ritus ac obſervationes, quorum ſacris miniſteriis exercendis ſummi Pontifices Eccleſiam intra Romam conceſſerunt tituli ſanctæ Mariæ Ægyptianæ prope Tyberim. Quin etiam in actis Apoſtolorum & 1. Timo. 4. nihil de ſacra ordinatione præter χειροτονίαν commemoratur. Sed & ipſum Tridentinum Concilium omnem amovet ambiguitatem cum diſertè dicat ſeſſ. 14. cap. 3. Sacerdotes ritè ordinari per manuum impoſitionem. Et ſeſ. 23. can. 4. *Si quis* (ait) *dixerit per ſanctam ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere accipe*

*Spiritum ſanctum, anathema ſit.* At qui hæc ipſa verba profert Epiſcopus dum manus imponit. Judicat ergo Concilium id eſſe de ordinationis ſubſtantia.

4. Omitto Latinorum quoque patrum teſtimonia qui ut diligenter obſervavit monuítque Bellarminus lib. de Sacramento ordinis cap. 9. inſtrumentorum traditionem prorſus ſilent, manuum verò impoſitionem frequenter commemorant. His accedat argumentis relatio Theodoriti hiſtoriæ religioſæ cap. 13. Macedonio monacho per callidam verſutamque diſſimulationem ad altare accerſito neque prorſus de ſui futura ordinatione ſuſpicanti, celeberrimus ille Flavianus Antiochenus Antiſtes ſacrum celebrans manus ad ſacram ordinationem impoſuit. Bonus verò monachus fraude cõpertâ adeo ſuccenſuit ut Pontificẽ arrepto quo ſuſtentabatur ſcipione ex improviſo percutere connixus ſit niſi clerici circũſtantes ſenem excandeſcentẽ compeſcuiſſent qui hoc ſolo ritu inopinato ſacram iniit ordinationẽ. Ipſi vero Scholaſtici Theologi admodum ab invicem diſſident circa neceſſariam ac eſſentialem(ut cũ eis loquar) ordinationis Sacerdotum & Diaconorum materiam. Sanctus enim Bonaventura in 4. diſt. 24. p. 2. art. 1. qu. 4. Solam docet eſſe abſolutè neceſſariam manus impoſitionem. Ex adverſo Capreolus, Dominicus Sotus, & Valentia contendunt hanc nihil eſſe præter accidentariam ceræmoniam ſolúmque pertinere ad harum ordinationum eſſentiam inſtrumentorum porrectionem & contactum. Melius tamen Petrus Sotus, Ledeſma, Bellarminus, & Vaſquez utraque ſimul ſaltem in Eccleſiis Latinorum ad ſacrarum ordinationum eſſentiam pertinere volunt.

5. Romani Pontifices Leo IX. Cæleſtinus III. Innocentius III. Simulque Concilium Lateranenſe ſub eodem IV. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius X. & ſub eo generale Concilium Lugdunenſe ſecundum, Concilium pariter Florentinum quod anno integro ſub Eugenio Papa IV. Græcanicam religionem ejuſque ritus accuratè exploravit examinavítque ad amuſſim: & inſuper Clemens VIII. qui Græcos Romæ collegio à ſe magnificè fundato cum Eccleſia Sancto Athanaſio dedicata donavit, ut inibi Græco ritu divina miniſtrarent, quique ſua conſtitutione 34. quæ eſt in Bullario to. 3. edixit ut Romæ commoretur Græcus Epiſcopus Catholicus qui Græcos prius ritè probatos Græcanico ritu ordinet. Iſti inquam omnes Græcorum ritus & ordinationes confirmarunt: & quoties clerici Græci de ſchiſmate revertuntur tametſi fuerint à Schiſmatis Epiſcopis ordinati ad ſacrum ulterius miniſterium admittuntur nullatenus iteratâ quæ in Schiſmate præceſſerat ordinatione. Poſteriores demum qui Romæ verſabantur Latini Theologi, perſpectis inibi factis Græcorum clericorum ab Epiſcopo Græco ordinationibus & obſervantes nullum fuiſſe promotis ad Sacerdotium & Diaconatum porrectum calicem ac patenam, rem demum majori ſedulitate exploraverunt: atque antiquiores Græcos Latinæque ordinationis ritus cum Græcanicis horum temporum conſentire perſpexerũt, ſedulóque inveſtigarunt rationes conciliandi Græcanicos uſus tam multorum ſummorum Pontificum & Sacrorum Conciliorum approbatione ſuffultos cum Latinis horum temporum ac præſertim cum Eugenij quarti decreto ad Armenos in quo gravioris difficultatis cardo vertitur conciliare.

6. Itaque inter plures quæ circunferuntur conciliandi rationes iſta præ cæteris placuit, ut Chriſtus Dominus noſter materiam Eccleſiaſticarũ ordinationũ Apoſtolis tradiderit manuum cũ certis quibuſdam orationibus impoſitionem, quam nec ipſa mutare poſſit Eccleſia: & inſuper aliam quandam inſtituerit materiam ſive eſſentialem ſive ut conditionem ſine qua non ſpecialiter connotantem illam poteſtatem quæ per ſingulos ordines confertur ita ut pars iſta materiæ in aliquo ſigno conſiſtat, quod Chriſtus non determinavit ſecundum ſpeciem ſed arbitrio commiſit Eccleſiæ. Atque ita factum eſt ut Orientales Eccleſiæ unum certum elegerint ſibi modum; Occidentales verò alium diverſum retentâ manuum utrobique impoſitione inter ſolemnes orationes quam Chriſtus immutabiliter præſcripſit: cui tamen Occidentis Eccleſiæ aliam ſpecialem adjungi præcepere quæ ipſa eſt inſtrumentorum traditio, poteſtate quidem à Chriſto derivata ſed tamen determinabili per Eccleſiam cujus uſum arbitrio & inſtitutioni commiſit Eccleſiæ, ſive eam dicas partem materiæ eſſentialem ſive deſignes ut conditionem appoſitam ſine qua non: quemadmodum videmus in Sacramento matrimonij materiam quidem ejus immutabilem genericam & à Chriſto determinatam eſſe mutuum maris & fœminæ ad nuptias conſenſum extra primum affinitatis aut cognationis gradum, cæteros autem gradus reliquit arbitrio Eccleſiæ ſuæ deſignandos ita ut aliquando fuerit matrimonium nullum ac invalidum intra ſeptimum gradum aliquando duntaxat intra quartum: utcúmque dicas ſive partem ſpecialem materiæ ſive conditionem ſine qua non ab Eccleſia ipſa determinabilem. Hac reſponſione plenè ſatiſfit objectioni quæ formari poteſt ex decreto Eugenij de ordinationibus ad Armenos quos pellicere ſtudebat ad ritus Romanæ Eccleſiæ. Eadémque ratione difficultatem enodat ac ſoluit Bellarminus, ſecundum quam obiici poſſet fuiſſe ab Eccleſia immutatam ſacri ordinis Diaconatus materiam quæ nunc ſtat in traditione libri evangeliorum, cum tamen indubitatum ſit ipſo primo naſcentis Eccleſiæ anno fuiſſe Diaconos ſeptem ſola manuum impoſitione ordinatos, multóſque alios Diaconos in illis exordiis creſcentis Eccleſiæ fuiſſe paſſim conſecratos antequam ullum conſcriptum eſſet Evangelium: horum enim primum ab Apoſtolo Matthæo fuit editum anno à natali Chriſti ut ſupputat Baronius quadrageſimo primo, atque adeo annis ſeptem à deſcenſu ſpiritus ſancti in diſcipulos. Quanquam Irenæus lib. 3. cap. 1. refundat longè poſterius Evangelij ſecundum Matthæum conſcriptionem ad tempora quibus Petrus & Paulus Romæ prædicabant: quod videtur referendum ut minimum ad annum Chriſti ſexageſimum.

7. Quinetiam fieri poteſt ut ſola manuum impoſitio ſit Orientalibus eſſentialis, cæteráque in ipſorum ordinationibus adhiberi ſolita ſint ceræmoniæ tantum accidentariæ; adeò ut ſola eſſentialis materia ſit penes illos Chirotheſia quam intentio miniſtri & ſuperadditæ verborum formæ ad hunc vel alterum determinent Eccleſiaſtici ordinis gradum: cum è diverſo illa manuum impoſitio fortaſſe non conſtituat in Latinis Eccleſiis totalem & adæquatam ordinum Eccleſiaſticorum

ſticorum materiem, eò quòd ab aliquot retro ſæculis viſum ſit Romanæ Eccleſiæ aliud quid materiale adjungere, traditionem ſcilicet inſtrumentorum quæ juxta ipſius mentem ac inſtitutum, vel ſit de materia eſſentiam conſtituente, vel concurrat ut conditio ſine qua non, proindéque neceſſaria ſit ad Sacramenti ſi non eſſentiam, ſaltem ad ejuſdem exiſtentiam, pro illa quam Chriſtus Eccleſiæ indulſit circa rem Sacramentariam poteſtate.

8. Iſta verò quam dixi Eccleſiæ poteſtas indulta & conceſſa in tribus potiſſimum Sacramentis conſpicua eſt. In Ordine quidem ut jam diſſeruimus. In pœnitentia etiam in qua reſtringitur per Eccleſiam illa indefinita poteſtas pœnitentes abſolvendi quæ in ordinatione Presbyterorum confertur ſuper ipſa hominum peccata quæ ſunt pœnitentiæ Sacramentalis ſubjecta materia. Neque rationi à pœnitentia deductæ ſufficienter occurres, ſi dicas in ordinatione non conferri abſolvendi poteſtatem niſi ſolùm in actu primo; ſed in actu demum ſecundo conferri ab Epiſcopis dum jam ordinatis Presbyteris ſubditos attribuunt in quos illam exercere autoritatem ac juriſdictionem poſſint ligandi ac ſolvendi, quam in ſui ordinatione receperunt. Hæc nihilo ſecius urget argumenti vis in ipſis Epiſcopis & parochis qui licet ſubditos nanciſcantur in ſola ad propriam Eccleſiam addictione, adhuc tamen Eccleſia ipſa poſt illam ad ſingulares Eccleſias addictionem reſtringit aut ſuſpendit eamdem in, proprios eorum ſubditos juriſdictionem, ut neque Epiſcopus valeat proprios ſubditos ſolvere à cenſuris & peccatis quos ſupremum Eccleſiæ tribunal ſibi reſervaverit. Nec minus perſpicua eſt in matrimonij Sacramento illa in re Sacramentaria Eccleſiæ à Chriſto attributa poteſtas. Cum enim Sacramenti hujus materia divinitus conſtituta, ſit mutuus legitimúſque partium conſenſus, certò conſtat apud omnes Catholicos Eccleſiam poſſe pro ſuo prudenti arbitrio edicere ut conſenſus qui olim ſufficiebat ad hoc Sacramentum, deinceps minimè ſufficiat, & ex adverſo diſponere poſſe ut deinceps ſufficiat conſenſus ille qui antehac non erat ſufficiens. Verum enim vero ante Tridentinum decretum clandeſtinus partium conſenſus ſufficiens erat ad hoc Sacramentum, jam vero non ſufficit. Atque ex oppoſito in multis circunſtantiis non ſufficiebat olim partium conſenſus qui nunc ſufficit remotis priſtinis impedimentis. Generalia enim Concilia Lateranenſe quartum ſub Innocentio III. & Tridentinum multa graduum olim prohibitorum impedimenta dirimentia cognationis & affinitatis, quà carnalis quà ſpiritualis ademerunt: adeo ut mutuus qui antea invalidus fuerat & irritus conſenſus jam ſit ratus & validus ad nuptias.

Circa memoratas ordinationum difficultates ex rituum diverſitate ortas egregiè diſputant Cardinalis de Lugo diſpu. 2. de ſacram. in gen. ſect. 5. n. 85. & ſeqq. Becanus p. 3. de ſacram. ord. qu. 4. Inter Gallicanos Hugo Menardus & Joannes Morinus. Atque inter præſtantiſſimos Sorbonici Collegij profeſſores, Hallerius Gamachæus, & Yſambertus.

## *CONCILIVM CARTHAGINENSE quintum an. Chr. CCCXCVIII.*

1. Concilium iſtud eodem anno Carthagine initum fuit, quo præcedens; & quamvis aliquot menſibus iſtud quod quintum dicitur anteceſſerit alteram Synodum, quæ quarta nuncupari ſolet Carthaginenſis, rectiùs tamen iſtud in quo jam verſamur Concilium dici debet quartum, illi verò quod ſupra immediatè diſcuſſimus quinti potius denominatio convenit. Iſtud enim quod jam tractamus menſe Majo abſolutum eſt, eſtque provinciale trium & ſeptuaginta Epiſcoporum: illud verò alterum quod generale nuncupat Auguſtinus fuit ducentorum quatuordecim Epiſcoporum ſexto idus Novembris ejuſdem anni celebratum 398. Vtrique præſedit Aurelius Carthaginenſis Arcadio & Honorio Imperatoribus Anaſtaſio Romano Pontifice.

Can. I. *Nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cujuſlibet perſona pulſetur.* Hoc eſt citetur.

2. Can. II. *Præterea cum de quorundam clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos ſecundum priora ſtatuta etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* Videndus Nicænus canon 3. cum ibi annotatis.

Can. V. *Placuit ut nemini ſit facultas relictâ principali Eccleſiâ ad aliquam Eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre vel in re propria diutius quam oportet conſtitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.* 7. q. 1. c. placuit ut nemini.

Huic Epiſcopi contraveniunt qui non ſolum relictâ Cathedrali, ad aliam diœceſis Eccleſiam divertunt, ibique longas moras nectunt: ſed quod deterius eſt magna parte anni ruri verſantur ac deliciantur, ſéque propriarum ovium uſibus ſubducunt ut inerti otio fruantur.

2. Can. VI. *Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Hinc enim legati Maurorum fratres noſtri conſuluerunt, quia multos tales à barbaris redimunt. Similiter de Eccleſiis quoties ſuper earum conſecratione hæſitatur agendum eſt, id eſt ut ſine ulla trepidatione conſecrentur.*

Habetur de conſecra. diſt. 4. c. placuit de infantibus. Et in Concilio Africano can. 39. Simile decernitur in Synodo Quiniſexta can. 84. Hoc ipſum

ſum conſtanter definivit Gregorius Papa magnus lib. 12. epiſt. 31. his verbis : *Hoc rite tenere aebetis quod & nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus , ut quoties tam de baptiſmo aliquorum , quàm de confirmatione , quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur ; & nec ſcriptis neque teſtibus certa ratio habetur , ut baptizentur tales , vel confirmentur vel Eccleſia conſecrentur : ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat , quoniam non monſtratur iteratum quod certis indiciis non oſtenditur rite peractum. Hæc vobis tenere & mandare docemus , &c.* Raimundus decretalium ſub Gregorio Papa nono compilator hæc eadem extendit ad ordinationes ſacras ; ſic dicens lib. 3. ſummæ tit. de æta. ordinand. §.1. *Regulariter teneas quod in hujuſmodi de quibus non conſtat quod ſint de eſſentia vel non , invenitur tamen quod debent fieri , intelligas omnia eſſe de eſſentia. Vnde ſi aliquid tale de quo dubitatur utrum ſit de ſubſtantia vel non, fuerit omiſſum, poteſt ordinatio iterari: non enim intelligitur iteratum quod neſcitur eſſe factum.* diſt. 86. c. Presbyteri. Et de conſecra. diſt. 1. c. ſolemnitates. In iſtiuſmodi eventibus provide adhibenda eſt clauſula quam præſcribit cap. 2. de baptiſmo. Si baptizatus es non te baptizo , ſed ſi non es baptizatus ego te baptizo in nomine , &c.

4. Can. VII. *Placuit ut dies venerabilis Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.*

De conſecr. diſt. 3. c. placuit ut dies venera. & Concil. African. c. 41. Literarum formatarum ſeu canonicarum rationem Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus tradit in appendice quæ inſeri ſolet poſt Synodum Chalcedonenſem. De literis formatis diſſertationem noſtram reviſe ſuperiùs poſt hiſtoriam ſecundi ſæculi quo loco de Paſchalibus etiam formatis ſatis ſupérque tractatum eſt.

5. Can. IX. *Ab Imperatoribus viſum univerſis eſt poſtulandum , propter afflictionem pauperum quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.*

Præclarè Ambroſius Eccleſiæ ſacros miniſtros ſic exhortatur lib. 2. offic. cap. 29. *Egregiè hinc veſtrum eniteſcit miniſterium ſi ſuſcepta impreſſio potentis quam vel vidua vel orphani tolerare non queant, Eccleſiæ ſubſidio cohibeatur ; ſi oſtendatis plus apud vos mandatum Domini quàm divitis valere gratiam. Meminiſtis etiam quoties adverſus regales impetus pro viduarum , imo omnium depoſitis certamen ſuſcepimus.* Et utique hujus rei teſtes locupletes ſunt duæ illæ ad Maximum imperij invaſorem, rogatu Juſtinæ Imperatricis viduæ pro ejus filio Valentiniano juniore puerilis ætatis, ſuſceptæ ab Ambroſio difficillimæ legationes , quas idem enarrat epiſt. 27. indignantique tyranno reſpondit , *Glorioſum mihi eſt hoc pro ſalute pupilli Imperatoris. Quos enim Epiſcopi magis quàm pupillos tueri debemus ?*

6. Can. XI. Vetat Presbyteris & Diaconis lapſis publicam pœnitentiam dare aut manus eis ut pœnitentibus imponere. Inviſe ſupra Carthaginenſis Concilij quarti can. 68. cum ſubjectis noſtris ſcholijs.

Can. XIII. Item placuit ut ſi quis de alterius monaſterio rejectum vel ad clericatum promovere voluerit , vel in ſuo monaſterio majorem monaſterij conſtituerit, Epiſcopus qui hoc fecerit à cæterorum communione ſejunctus , ſuæ tantum plebis communione contentus ſit : & ille neque clericus neque præpoſitus perſeveret. c. ſi quis de alterius diſt. 58. & Concil. Africanum can. 47. Perquirito infra Concilium Arelatenſe tertium ſub Ravennio in cauſa Theodori forojulienſis Epiſcopi & Fauſti Abbatis Lerinenſis , in quo jura Epiſcopi & jura Abbatis diſcutiuntur.

7. Can. XIV. Jubet ab Epiſcopis altaria everti quæ paſſim per vias aut agros conſtituta ſunt in quibus nullum corpus aut reliquiæ martyrum conditæ probantur. c. placuit ut altaria de conſecr. diſt. . & Concil. Affric. c. 50.

Can. XV. Item placuit ab Imperatoribus glorioſiſſimis peti ut reliquiæ idololatriæ non ſolùm in ſimulacris ſed in quibuſcunque locis, vel in lucis vel arboribus omnimode deleantur. Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginis ſupra comprehenſis in noſtro Concilio ſtatutis ſubſcripſit. Similiter ſeptuaginta Duo Epiſcopi ſubſcripſerunt.



Digitized by Google

# ECCLESIÆ QVINTI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. AUſpicatiſſimum quinto ſæculo dabit exordium Concilium Toletanum primum anno quadringenteſimo celebratum, quo præcedens definit, novumque ſæculum aperitur. Illo Concilio proviſum eſt ne Priſcillianiſtarum hæreſis ulterius quaſi cancer exitialis ſerperet. Romanæ tunc temporis Epiſcopus erat Anaſtaſius, qui Siricio Papæ ſuffectus legituma electione fuerat anno 398. Imperium vero Romanum duas in partes diſpertitum, duo regebant Theodoſij magni liberi, Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente. Arcadius natu major, Eudoxiam ſtatim à patris obitu nuptum duxit Eutropij conſilio, metuentis ne Rufini æmuli ſui filiam ſumeret uxorem. Moriens Theodoſius, proſpicienſque filiorum juvenili & inexpertæ ætati, ſimulque publicæ rei incolumitati duos ſelegerat duces prudentiâ & auctoritate præcellentes, quorum ductu & conſilijs utrumque regeretur imperium, Stiliconem qui rebus Occidentis, & Rufinum qui Orientis rebus præeſſet; ſed tam prudens conſilium infauſtos ſortitum eſt exitus, ducis utriuſque immenſa præcipitique ambitione, mutuaque invidiâ quæ inter eos exarſit. Vterque enim occulta fœdera in alterius æmuli perniciem cum barbaris gentibus inivit, eoſque ad lacerandum imperium accivit, uterque bellum diutinum ſtudioſè cum eis propagauit, atque ut ſe neceſſarium imperio exhiberet, propriamque poteſtatem armis & exercitibus fretus firmius ſtabiliret, levibus dimicationibus exiguiſque contentus victorijs, cum poſſet eos ad internecionem cædere, bàrbaros in regionibus imperij conſiſtere atque hoſtiliter prædari non ſolum permiſit, ſed etiam occultè ſuaſit & clam opibus adjuvit, ne bellum propriæ neceſſarium ambitioni defineret, ſeque adverſus æmulum armis præmuniret, eumque quantum fieri poſſet debilitaret ac diſperderet. Stilico utriuſque imperij præfecturæ avidus, intendenſque ſenſim viam ſibi filioque Eucherio munire ad imperium, poſtquam ingentem ſibi gloriam comparavit per inſignem de Radagaiſo Gothorum rege victoriam, qui in Italiam quam ſubjugare deſtinabat cum ducentis hominum millibus, ut Oroſius & Marcellinus produnt, horrenda clade & vaſtitate irruperat. Stilico infeſtam ſibi Honorijque imperio, tantam multitudinem Feſulanis montibus intercepto omni commeatu inter locorum anguſtias concluſam, admirabili felicitate abſque ulla ſuorum jactura internecione profligavit, ducemque captum interemit anno 405.

2. Stilico ſucceſſu iſto ſuperbiens profectionem in Orientem parat devincto ſibi Gaina Gotthici generis duce. Verumtamen ut Stiliconem à ſe propulſaret Rufinus, aditus Græciæ armis occupat, ſimulque Alaricum Gotthorum regem ad Italicam expeditionem adverſus Stiliconem concitat. Inter has rerum turbas Gainas, quem Stilico ad Arcadium ſpecie quidem tuendæ Græciæ cum Gotthicis copijs miſerat, quam tunc Alaricus cum ſuis quorum Rex erat Gotthis fœdè populabatur, factionem molitur militum adverſus Rufinum, qui tandem ab illis obtruncatus eſt. Hujus cum Stilicone conſilij particeps quoque fuerat Eutropius eunuchus, qui ſublato Rufino nimiam Stiliconis potentiam reformidans, Gildonem Comitem Africæ dudum ab Theodoſio Auguſto præfectum, ſibi fœdere devinxit: adverſus quem Stilico Maſceſelem miſit, qui exigua manu victum Gildonem ad necem compulit anno 398. Sed poſt Africanam victoriam reverſum in Italiam Maſceſelem ingratus & perfidus Stilico per ſuos de ponte in profluentem præcipitavit.

3. Anno inſequente qui fuit 399. Conſulibus Manlio Theodoro & Eutropio eunucho Gainas contra Imperatorem Arcadium cum Tribigildo hac arte conſpirat, ut Tribigildus palam rebellaret, Gainas verò dux belli ab Arcadio adverſus rebellantem electus rem ex utriuſque conſpiratoris opportunitate gereret. Eodem pariter anno Eutropius Gainæ artibus in ſuſpicionem nec ſine cauſa adductus, nondū finito ſui Conſulatus anno interemptus eſt, ejuſq; damnatū ac de faſtis publicis obliteratum eſt nomen.

4. Gainas proſperis ſucceſſibus in ſuperbiæ culmen elatus rurſum in Arcadium conſpirat. Admotis enim Chalcedone barbaricis

cis copijs è regione regiæ civitatis, Imperatorem poſtulat ad ſe in colloquium venire ſemotis omnibus arbitris. Fide ultrò citroque data Gainam convenit Arcadius. Cui ille inſolenti audacia petijt ſibi dedi tria illuſtriſſima Imperij capita ex ordine Senatorio Aurelianum Conſulem, Saturninum Conſularem, & Ioannem qui erat Imperatori à ſecretis: prætereáque intra regiam civitatem templum aliquod pro ſe ſuiſque militibus,cæteriſque Arianam religionem profitentibus. Hæc præmittebat futuræ quam ſibi propoſuerat totius Imperij invaſionis, primordia truculentiſſimus barbarus. Has adeò immanes conditiones accipere,& polliceri compulſus eſt Arcadius,futurus ſi abnueret ſub armati Gainæ poteſtate. Tres verò proceres viri lubenti animo ad Gainam proceſſerunt, parati quidvis pro Imperij incolumitate pati, & pro ſalute Principis. Dux verò perduellis horum magnanimitate pudefactus ſolo illos exilio damnavit. Ioannes verò Chryſoſtomus Conſtantinopolis Epiſcopus admirabili conſtantia Imperatori proteſtatus eſt, nunquam ſe commiſſurum ut veri cultores Chriſti Baſilicâ depellantur Chriſto conſecrata, ut eorum in locum introducantur hæretici Chriſtum quotidie blaſphemantes. Si verò Arcadius vereatur quæ barbaro pollicitus fuit retractare, ſeipſum cuicumque diſcrimini petit exponi, atque ad colloquium cum Gaina venire,ut ſolus quodcumque periculum ſuſcipiat. Admiſſa eſt Ioannis petitio : atque præſente Arcadio Gainam affatus eſt. Eccleſias non Imperatoris ſed Epiſcopi ſubeſſe poteſtati,neque ſe permiſſurum ejus rei executionem quam indebitè, & contra jus omne promiſerat Imperator. Si velit Gainas eiuſque milites cultum Deo deferre, patere omnia Catholicorum in urbe templa , ut Chriſtum in eis catholico ritu veneretur quicumque volet. Cumque Gainas inſiſteret templum ſibi concedi in præmium & remunerationem inſignium officiorum quibus Imperium Romanum demeruerat, regeſſit in oppoſitum ſanctus Epiſcopus ipſum ingenti mercede fuiſſe remuneratum merita excedente quæ jactabat; quippe qui ex gregario milite in eum dignitatis & potentiæ gradum provectus eſſet quò nemo alius aſcenderat. His monitis tandem ceſſit Gainas virtutem admiratus Antiſtitis. Dux tamen ille perfidus nunquam res novas moliri deſtitit,ut Imperio quod ſibi uſurparet Arcadium dejiceret, cujus vitæ inceſſanter inſidiabatur, introductis intra urbem Imperialem militibus Gothis,eductiſque indidem Romanis militiis quas procul in diverſas ſtationes & præſidia diſperſerat. Ejus tamen perverſos conatus Deus eluſit , adeò ut Conſtantinopolitani cives arreptis armis quamplurimos Gothos trucidarint,magnamque illorum partem qui in hac rerum ſuarum deſperatione ad templum confertim, ut loci religione tuti eſſent,accurrerant injectis ex diruto tecto flammis combuſſerint. Eodemque ferè tempore dux Fravita tametſi Gothus, ſed fidei Arcadio præſtitæ obſervantiſſimus , eductis copijs Gainam omnia ferro , & igni vaſtantem inſequutus multis cladibus affecit, collatiſque demum ſignis in fugam compulit : ultimaque demum acie novam perduellium ſtragem edidit : inter quos Gainas ipſe ſtrenuè dimicans corruit. Qua victoria Fravita Conſulatum inſequentis anni 401. meruit.

5. In Occidente non minoribus perturbationibus ſub Honorio agitatum Romanum Imperium fuit. Stilico infenſus Rufino univerſam Illyrici Provinciam ab Arcadij dominatu ad Honorium transferre ſatagens,bellique cauſas aucupans ut ſui neceſſitatem faceret,armorumque occaſione ſuæ velificare ambitioni, Alaricum Gothorum Regem ſibi fidum in Græciam amandavit, à qua miſerum in modum depopulata quaſi torrens violentus, monente ſuadenteque Rufino in Italiam divitem adhuc & copioſam, quaſi in vicinum agrum divertit ut eam inundaret. Eò igitur progreſſus oppida & agros hoſtiliter devaſtavit. Hunc ut averteret Honorius,Gallias & Hiſpanias quas jam ſibi retinere nequibat illi conceſſit habitandas. Pace ita compoſita Saulus dux gentilis cui Stilico exercitum cum mandatis commiſerat,Gothos compoſitæ pacis fiduciâ ſecuros, & recedentes ex improviſo adoritur, à quibus tamen Romanus fuſus eſt exercitus. Alaricus injuriâ irritatus , & victoriâ elatus copias victrices Romæ admovet, urbemque expugnat poſt Gallicam cladem nongentis amplius annis intactam. Triduo continuo civitas Orbis caput miſerrimè direpta eſt: quicumque tamen ad ſacras Baſilicas confugêre cives, indemnes, & illæſi fuerunt. Contigit illa direptio urbis anno quadringenteſimo decimo.

6. Ante biennium anno ſcilicet 408. Stiliconem agnitum jam reipublicæ proditorem,Heraclianus ſuaptè manu juſſu Honorij apud Ravennam necavit. Compertum namque fuit ab ipſo cis Rhenum excita fuiſſe Barbarorum agmina quæ Romanum dilaceraverunt Imperium qui Gallias, Hiſpanias,Italiam, Africam , & Orientem incurſarunt & invaſerunt Vandalos, ex quibus oriundus erat ipſe Stilico , Suevos, Alanos,

Burgun

Burgundiones, aliaſque gentes efferas, quæ ſparſæ diverſis Provincijs incubuerunt per vim occupatis. Certum quippe ac evidens erat non libuiſſe illi Alaricum debellare quem acie vicerat ad Pollentiam, & Romanis copijs circumfuſo permiſiſſe illi receptũ liberum, ut poſſet vires debilitatas reparare, ne ſuæ ambitioni bella deeſſent, quibus Imperium Eucherio filio ſuo pararet, qui paganus erat, & apertus Chriſtianæ religionis hoſtis; hic Romæ cum matre Serena Theodoſij fratre genita occiſus eſt. Subactâ Româ Rex Alaricus & Attaulfus illius uxoris frater, cum copijs in Siciliam iter intendunt, ſed in itinere apud Rhegium Alaricus morbo interijt. Cujus ſucceſſor Attaulfus prædæ aviditate Romam regreditur, iterumque diripit: indeque abductam Placidiam Imperatorum ſororem duxit uxorem, cujus precibus pace Honorio Imperioq; conceſsâ, Hiſpaniam novi ſibi parandi regni ſpe ductus unà cum conjuge petijt.

7. Sed nunc pauliſper in Orientem noſtra revocanda eſt narratio. Ioannem cui eloquendi vis Chryſoſtomi nomen peperit, quod olim fuerat Dioni Pruſæo inditum, Theodoſius Auguſtus Antiochiâ (quæ patria ejus erat) acciverat, ut eſſet Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, quam Nectarius obitu ſuo vacuam reliquerat. Eò adveniens Ioannes mores omnis ordinis virorum ac mulierum offendit depravatiſſimos, ſuperbia, & luxus optimatum erant intolerabiles, rapinis, & omni oppreſſionum genere eos qui debiliores erant exhauriebant, & impunè mactabant. Clerus urbis corruptiſſimus omnibus vitijs diffluebat, dum verò vir ſanctus ex officio in vitia invehitur, moreſque depravatiſſimos corrigere, Clerumque ad meliorem frugem reducere ſtudet, multorum odia in ſe concitavit. Prava imbuerat in Clero illius urbis conſuetudo, ut deſpectis Nicænæ aliarumque Synodorum circa Clericorum cum mulieribus cohabitationem, prohibitionibus; Sacerdotes, & Diaconi prætextu ſumpto cuſtodiendæ virginum & viduarum adoleſcentularum parentibus orbarum caſtitatis, & temporalium ſi quas habebant facultatum geſtionis, eaſdem cum ipſis ædes incolerent, quotidiana cum ipſis & procacia colloquia miſcerent; quæ omnia ſpecie officij, mutuæque dilectionis fœdis voluptatibus lenocinabantur, & per frequentes lapſus & ſcandala Clericos ad populũ reddebant deſpicabiles atque inviſos. Has vitiorum ſentes dum conatur Chryſoſtomus emendare, & correctionis falce exſcindere, Clericorum quos vel invitos ad officium compellebat, murmurationes & odia in ſe vertit.

8. Per hæc tempora contigit ut Theophilus Alexandrinus Epiſcopus; qui olim Joannis ad Epiſcopatum promotioni obſtiterat, ut ſibi fidiſſimum Iſidorum Presbyterum ad ſedem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ proveheret, gravi poſtea in ipſum Iſidorum concepta ſimultate, eo quod acceptas in pauperum alimoniam pecunias, divertere in expenſas Eccleſiæ Theophilo id iubenti recuſaſſet, depulit ab Alexandrina Eccleſia, cui multos annos magna fidelium ædificatione ille olim ex eremo aſſumptus deſervierat: qua occaſione Nitriæ deſerta petiit, ſéque juxta priſtinum vitæ inſtitutum eremi incolis adjunxit. Nec tamen hoc receſſu mitigatus eſt implacabilis Theophili animus. Quinimo ardentiori flamma exarſit in eos etiam qui profugum Iſidorum exceperant. Milites enim ab Auguſtali præfecto impetravit, qui nocte ad ſolitarios impreſſione facta, omni licentia & contumelijs adverſus eos graſſati, cellas illorum expilarunt, & injectis flammis incenderunt. Compulſi monachi relicta Ægypto ut ſe tanto furori eriperent, in Palæſtinam commigrant, & apud Scythopolim, palmis ad quotidianas ipſorum operas abundantem, ſedes figunt: quò tamen Theophili vindicta ipſos perſequi non deſtitit. Epiſcopus enim loci acceptis minacibus Theophili literis, ejuſque iram reformidans, juſſit monachos quam primùm de ſua ditione excedere. Illi numero quinquaginta ab illis ſedibus extorres Conſtantinopolim commigrarunt, ſeque ad pedes Joannis abjecerunt, ejus præſidium implorantes. Ille profugos anachoretas vitæ auſteritate confectos, ætate provectos, canicie multâque aliquorum ex iis ſacrarum literarum peritiâ venerabiles, benignè exceptos fovit hoſpitio, victûque quotidiano, officiúmque in ſe ſuſcepit curandæ ipſorum cum Theophilo reconciliationis. Et quamvis ſe omnes errores qui in libris Origenis continebantur ſincero animo averſari & damnare aſſeverarent (hunc enim prætextum illos perſequendi obtendebat;) Chryſoſtomus tamen illos omnes ad Eccleſiaſticam communionem noluit admittere, cauſâ illâ necdum judicatâ Theophilóque invito. De his ergo literas ad Theophilum plenas moderationis direxit. Ille vero quoſdam monachos ſibi devinctos quos in dejectorum locum ſuffecerat, Conſtantinopolim mittit cum ſcriptis, quibus dejectos & profugos monachos magicarum artium & cum cacodæmonibus fœderis criminabatur. At extorres monachi calumniæ perditiſſimæ Theophilum incuſantes, obſiſtente licet pro viribus Ioanne, libelliſque oblatis apud Arcadium Auguſtum & Impe-

rij adminiſtros Theophilum capitalium criminum accuſarunt. Ea verò de re Theophilum Ioannes admonuit, proteſtans id quod erat ſe omni conatu his accuſationibus abſtitiſſe, nec vero quidquam profeciſſe. At neque idem his ſinceris officiis profecit apud Theophilum, qui literas ad Ioannem reſcripſit prorsùs inciviles & contumelioſas.

9. Citatur edicto Arcadij Theophilus Conſtantinopolim, ut veniat rationem de quibus accuſatur redditurus. Tum vero ille moras nectere, ſuiſque perſuadere & conqueri ſe dolis & machinationibus Ioannis ſuum poſcentis exitium circumſcribi, quo tamen nihil falſius. Qui vero maximè cum Theophilo ad profligandos Origenis errores collaborabant, vitæ Sanctitate ſpectabiles Epiphanius Salaminæ in Cypro Epiſcopus, & Hieronymus Theophilo auſcultabant Ioannem in dicta cauſa criminanti. Ipſéque Epiphanius non dubitavit Conſtantinopolim accedere eo animo concitandi adverſus Ioannem in ejus Eccleſia & civitate quoſcunque poſſet. Et licet perhonorificè à Ioanne exceptus & omni officio ad pacem invitatus, ille omnem cum Ioanne quaſi hæretico excommunicato & voluntario calumniatore, omnem cum illo perrupit communionem, & quantum in illo fuit obnixus eſt populum à ſancto paſtore quaſi à lupo avocare. Sed tandem perſpecta invicta Ioannis moderatione, proprióque deterritus conatu, abſtitit à cœptis, tacitúſque in ſuam abſceſſit Eccleſiam reverſurus.

10. Interea Ioannis implacabiles adverſarij ac æmuli Acacius BerϾæ, Severianus Gabalenſis alijque malignantes Epiſcopi propriæ ambitionis & aulæ Ioanni adverſantis mācipia, inter quæ maxime ſe efferebat Antiochus Ptolemaidis Epiſcopus, adjuncto Iſaacio turbulentiſſimo monacho, aliáque perverſorum tum clericorum, tum monachorum colluvie. Conſilium inivere diſperdendi Ioannis; tentatíſque perperàm de illius vita perquiſitionibus, ſi quid reipſa aut apparenter crimīnoſum, ſive Antiochiæ ipſius patria, ſive alijs in locis comperiri poſſet, eò tandem redacti ſunt ut ſcriptis ad Theophilum in commune literis, notum ipſi fecerint quanto ſtudio ſe illi adjungere volebant ad inferendum Ioanni quodcumque poſſet exitium. His perlectis altiores ſumpſit animos, ſperans fore ut his uſus adjutoribus certam de Ioanne ſumeret ultionem. Plenus itaque fiduciæ, nec ignorans quantum Ioanni infenſa erat major aulæ pars ipſáque Auguſta, profectioni Conſtantinopolitanæ ſe accingit, & quoſcumque poteſt Epiſcopos fidos, ſuiſque partibus inhærentes adjungit ſibi comites, Synodum molitus ad urbem regiam quâ Ioannes ipſe damnaretur & exautoraretur.

11. Qui ergo ad monachorum accuſationem citatus ab Arcadio fuerat, juſſuſque ut ſolus Conſtantinopolim veniret de illatis criminibus majeſtatis, rebellionis, homicidij, & ſacrilegiorum aliiſque gravibus reſponſurus, ſumpta majore fiducia profectioni ſe dedit multis comitatus Prælatis & amicis, & Conſtantinopolim triumphanti ſimilis appellit, venientibus ei in occurſum pleriſque cum feſtivis acclamationibus Ioannis adverſariis, cum nautarum & mercatorum Alexandrinorum, qui tunc apud Conſtantinopolim degebant, multitudine. Præcipuo etiam favore & complexu ab Arcadio, à quo multis artibus accepit exambitam juſſionem Synodi convocandæ in ſuburbio Chalcedonis ad quercum intra baſilicam Apoſtolorum, à Rufino primario Imperij adminiſtro magnificè extructam, ibíque de accuſationibus quibus Ioannes impetebatur judicandi. Ad iſtud malignantium Concilium citatur Ioannes quaſi de vulgo clericus ſine ulla Epiſcopi denominatione. Ille vadimonium detrectat, tum ob defectum juriſdictionis in Theophilo cæteríſque ipſum circumſtantibus Epiſcopis, tum quia ſe ſuſpectos eſſe ipſi manifeſtaverant multis actibus, verbis, & ſcriptis indubitatis odium inſigne adverſum ſe illarum infenſum commonſtrantibus. Sed horum nullam rationem habuit pſeudoſynodus, Ioannémque contumacem & tamen abunde convictum multorum criminum, reum dicens, damnat & communione arcet. Arcadius vero ſuo decreto exulare jubet: hac præſertim cauſâ in eum infenſus quod Ioannes poſtquam citatus ad id conciliabulum fuerat, concionem in Eccleſia habuerat, in qua Eudoxiam Auguſtam cum Ieſabele Eliam prophetam acriter perſequente, & cum Herodiade fremente, capútque Ioannis depoſcente contulerat. Qua utráque comparatione Ambroſius Mediolanenſis uſus fuerat adverſus excandeſcentem contra ſe Iuſtinam Imperatricem. Nocte ineunte è portu ſoluit navis quæ ſanctum Antiſtitem in exilium deferat. Sed poſtquam in altum provecta fuit, populúſque gemens & collacrymans è littore in ſuas ſe recepit ædes, uſque adeo vehementi terræ motu concuſſa eſt ampliſſima civitas, ut omnes ejus imminentem everſionem trepidi formidarent, divinámque ultionem ob tam inſignem in Sanctiſſimum Antiſtitem injuſtitiam incumbere urbi proclamarent. Eudoxia & Arcadius expaveſcentes quam citiſſime nuncios expediverunt cum mandatis, ut Ioannem

Digitized by Google

Ioannem protinus reducerent. Qui poſtridie honorificentiſſimè in urbem & propriam Eccleſiam reſtituitur, ſibi ſemper æqualis, nec vultu aut verbis mutatus in tanta fortunæ inæqualitate, neque animo dejectus in adverſis, neque elatus in proſperis, ubique conſtans & moderatus. Theophilus autem tot malorum incendiarius poſt paucos dies clam dilapſus Alexandriam repetiit.

12. Omnia jam pacatiſſima videbantur, ipſéque Ioannes ſermonem ad populum habens ſeſe in Eudoxiæ laudes effuderat, ut hoc quaſi donativo ejus iracundiam placaret. Vix tamen tranſactis duobus à Ioannis reditu menſibus, ulcus quod jam cicatricem obduxiſſe videbatur recruduit. Id contigit occaſione ſtatuæ in honorem Eudoxiæ in conſpectu ſacri templi erectæ, ad cujus dedicationem perſtrepentibus tubis & tympanis, ſimulque magnis populi vociferationibus divinum interturbatur officium, ut non poſſent clerici divinis laudibus inſiſtentes ſe invicem audire, divinuſque cultus interrumperetur. Hac de cauſa Joannes qui ſæpiſſimè contra quælibet ſpectacula invectus fuerat, cùm his accederet publica in Deum irreverentia, populuſque ſacris interruptis officijs ab Eccleſia in vicinam aream avocaretur, ſuggeſtum aſcendit, gravemque Dei contemptum, & injuriam ex intempeſtivâ illa pro fœmina mortali quæ Deo præferebatur celebritate reſultantem, vehementi oratione perſtrinxit. Hæc ut accepit Eudoxia animi impotens, & iracundiâ exæſtuans, Joannis depoſitionem, & exilium ardentius quam anteà proſequitur, & Arcadium ad ultionem concitat priſtinis Ioannis adverſarijs fomitem ſuggerentibus; itaque inſtaurantur quæ ſopitæ aliquandiu fuerant accuſationes. Theophilus alijque infenſi Epiſcopi Conſtantinopolim adverſus Ioannem Arcadij & Eudoxiæ literis accerſuntur. Theophilus quidem ſe Alexandriæ continuit, ſed tamen omni ſtudio literis ſuis, & conſilijs iteratam promovit Synodum; ſumpto prætextu ab inſidioſo illo, & captioſo canone quæ Arianorum cœtus Athanaſium in ſedem reſtitutum denuò deſtituerat, & in exilium coëgerat. Iteratur ergo Synodus ad Quercum, eam quæ præceſſerat contra Ioannem confirmans. Hic verò ab hac iniqua oppreſſione ad Innocentium Romanum Pontificem provocavit. Sed Imperiali vi ſubnixum prævaluit Pſeudoſynodi judicium, & depoſitus Ioannes ſolum vertere compulſus eſt.

13. Nihil magis ſacrilegum excogitari poteſt, quam quæ immiſſi in Eccleſia & baptiſterium milites adverſus ſacra & fideles auſi ſunt graſſantibus impijs per cædes, & raptationes horrendaque ſacrilegia, quæ omnia Palladius horum teſtis præſens, & oculatus, ipſeque Ioannes in priore ad Innocentium Papam epiſtola graphicè deſcribunt; quæque ipſo Paſchæ pervigilio baptiſmi Catechumenorum tempore contigere. Novo demum exilio deportatur ſanctiſſimus Præſul anno Chriſti 404. Abducto ex urbe Ioanne prodigioſum excitatum eſt in æde Sophiæ incendium, quod exortum ab ipſo Epiſcopali ſolio totum concremavit: deinde longè lateque diffuſum omnem flammis baſilicam abſumpſit. Inde ſublime ſeſe efferens flammarum vis, in Senatum erumpens ingens quoque illud ædificium comprehendit, non qua parte ſacræ Baſilicæ vicinum erat, ſed mirum! qua parte Principis palatium quod ulterius ac remotius erat, reſpectabat, flammâ inde latius per ampliſſimas Senatus porticus ſe explicante, utraque fabrica & Senatus & ſacræ Baſilicæ conflagravit. Hanc Ioannis adverſarij arripuere occaſionem, adverſus Ioanni adhærentes quaſi incendiarios, crudeliter ſæviendi diris quæſtionib. cruciatibus & vinculis. Eudoxia poſt quatuor à Ioannis exilio menſes vita exceſſit. Ipſe verò Ioannes à ductoribus diebus, noctibuſque per ardua loca raptatus, omnium egenus & aſſiduis ærumnis confectus Cucuſum pervenit, exilio, martyrioque Pauli Conſtantinopolis Epiſcopi nobilitatum. Inde Arabiſſam adductus eſt, quæ oppida ſunt minoris Armeniæ, inter deſerta Caucaſi. Hinc ad plagas Ponti-Euxini traductus, ultimum pernoctavit in æde Sancto Baſiliſco martyri Amaſeæ in Ponto Epiſcopo conſecrata, qui Ioanni mirabiliter apparens, his illum verbis compellavit: Ioannes frater macte animo, craſtino die ſimul eodem loco verſabimur, dicti veritatem ſucceſſus comprobavit. Poſtridie namque Ioannes verè martyr ex tot ærumnis ad perennem quietem convolavit, quarto exilij ſui anno, Chriſti verò 407. menſe Septembri.

14. Dejecto Chryſoſtomo Ioanne, ejus in ſedem ſucceſſit Arſacius, Nectarij quondam Conſtantinopolitani Epiſcopi frater, cui poſt quatuordecim à promotione menſes ſubrogatus eſt Atticus ex Armenia Monachus. Innocentius Papa omneſque Occidentis Eccleſiæ, non prius communionē ullam cum Attico & Orientalibus habere voluere, quam eraſo ex diptychis Arſacij nomine, Ioannis nomen in eaſdem Eccleſiaſticas tabulas unde fuerat injuſtè obliteratum referretur. Quæ verò circumferuntur mutuæ Innocentij Arcadium & Eudoxiam excommunicantis, & reſpondentis Arcadij literæ

 ſpuriæ

ſpuriæ ſunt, & commentitiæ atque in ipſis evidens continetur anachroniſmus. Cum enim demortuum Ioannem commemorent, ac deplorent, Eudoxiamque ſupponant malè ab Arcadio habitam, & hac de cauſa morbo decumbentem ſuam produnt falſitatem, cum perſpicuè liqueat Socratis Sozomeni, Marcellini; faſtorumque Græcorum teſtimonijs Eudoxiam in partu interijſſe pluſquam triennio ante Ioannis obitum: Arcadius verò non niſi ſeptem menſes cum paucis diebus Ioanni ſupervixit, mortuus quippe anno 408. Calendis Maij, Baſſo & Philippo Conſulibus. Ferox tamen Theophili animus nec Ioannis ærumnis, nec morte illius quarum illi cauſa fuit potuit mitigari, ſed à ſe pertinaciſſimè vexatum & interemptum dire quoque poſt ejus necem inſectatus, omni conatu obſtitit ne nomen ejus in diptychis contineretur. Librum etiam virulentum ad ejus dilacerandam memoriam edidit, cujus aliqua fragmenta ſuperſunt in Hermianenſis Epiſcopi Facundi libris, ad Iuſtinianum Imperatorem pro trium capitulorum defenſione ſcriptis. Refert Theodoritus lib. 5. cap. 34. omnes Occidentis Eccleſias Occidentalibus hac in re adhæſiſſe. Iſidorus quidem Peluſiota cujus eo tempore mirifica ſanctitas pari doctrinæ conjuncta Orientem illuſtrabat lib. 5. epiſt. 152. ad Symmachum Theophyli perverſitatem, ſimulq; quatuor ejus gregalium Ioannis jam tum in cœlum tranſlati adverſariorum graviter reprehendit. Quatuor autem illi quorum nomina ſupprimit, Epiſcopi erant Ioanni infenſiſſimi, qui ardentiore ſtudio cum Theophylo conſpirarant, Severianus Gabalenſis, Acacius Berœenſis, Antiochus Ptolemaïdis & Cyrinus Chalcedonis. Inter Sanctos viros qui falſis rumoribus ſeducti Theophylo adhæſerunt, connumerandi ſunt Epiphanius & Hieronymus fraudibus, & calliditate decepti, quem illi ſuſpiciebant ut præcipuum errorum Origenis expugnatorem, quem Ioannes favore inductus Monachorum Origeniſtarum, & gratiâ Imperatoris abutens, in extremum diſcrimen adducere conatus fuerat, ni Deus malum conſilium meliore terminaſſet exitu. Cyrillus etiã Alexandrinus Theophyli ex fratre nepos, qui patruo in eodem Epiſcopatu ſucceſſit, ſimilis erroris fraude ſeductus eſt. Cum enim Atticus Conſtantinopolis Epiſcopus ad eum ſcripſiſſet, exhortans ut Ioannem in Eccleſiæ Alexandrinæ tabulis conſcribi conſentiret, reſpondit rem eſſe illicitam eo quod duobus Epiſcoporum Synodis fuiſſet condemnatus & abdicatus. Attamen idem poſtmodum re melius perſpecta Arſacium è dyptichis Alexandrinis deleri eique Ioannis nomen ſubrogari conſenſit.

15. Defuncto Attico ſuffectus eſt in Conſtantinopolitanam Eccleſiam Siſinnius, Siſinnioque poſt mortem accitus Antiochiâ Neſtorius, quo deinde ob hæreſim in Epheſina Synodo damnato ſedeque depulſo ſublectus eſt Maximianus, iſtique poſt biennium vitâ functo ſubrogatus Proclus Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus. Jam inde ab eo tempore quo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præerat Neſtorius, Ioannis per univerſum Orientem feſtus dies publico cultu cœperat celebrari, ſtudijs populorũ, & pietate Theodoſij junioris, qui mortuo patre ſuo Arcadio habenas Imperij ſuſceperat, fueratque infans à Chryſoſtomo baptiſmi ſacro fonte ablutus, ſed illa feſtivitas majore cultu aucta eſt, poſtquam ſancti Pontificis reliquiæ Comanis regiam in urbem celeberrimo apparatu tranſlatæ fuere, dum Proclus Conſtantinopolis regebat Eccleſiam. Theodoſius ſelectos Senatores Comanam ad Pontum-Euxinum ſitam Legatos miſit, qui ſanctiſſimi Præſulis reliquias magnificentiſſimâ pompâ Conſtantinopolim advexerunt. Quâcunque ſacra lipſana deducebantur, occurrebant Eccleſiarum pſallentes chori, locorumque Magiſtratus, populorumque frequentia cereos accenſos geſtantium. Theodoſius Auguſtus cum Patriarcha & Senatu, univerſoque clero Principis Baſilicæ obviam Chalcedonem uſque ſacro depoſito proceſſẽrunt, & cum facibus accenſis, & muſicis canticibus ad Eccleſiam Patriarchalem deduxerunt. Ibi Theodoſius genibus ad ſacra pignora provolutus veniam ſupplex pro ſuis parentibus oravit, & glorioſiſſimo Pontifici ſe ſuumque commendavit Imperium. Atq; ita magnificavit Dominus Sanctum ſuum, in quo abundè completum eſt iſtud Domini in primo Regum libro effatum: *Quicumque glorificaverit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles*. Sacra iſta tranſlatio contigit, ut obſervat Baronius an. Chr. 438. Theodoſio Auguſto & Fauſto Conſulib.

16. Tres quinto iſto ſæculo hæreſes præcipuæ ab inferis emerſerunt, Pelagianorum, Neſtorianorum & Eutychianorum. Pelagius natione Scotus ex inſula Britannia oriundus, profectus in Palæſtinam, monachique aſſumpta profeſſione gratiam Chriſti, ſanámque de peccato originali doctrinam impugnare aggreſſus, Cœleſtium nactus eſt diſcipulum qui primus in Africa hæreſes iſtas diſſeminans, ſententiam damnationis accepit à Carthaginenſi Concilio accuſatore Paulino Eccleſiæ Carthaginenſis Diacono anno 412. Cum verò Pelagius in Palæſtina

Digitized by Google

Palæſtina hæreret, duos habuit accuſatores Gallicanos Epiſcopos Erotem Arelatenſem, & Lazarum Aquenſem apud Epiſcopos Palæſtinæ, ad quos illi excerpta de Pelagij, Cœleſtijque libris capitula miſerunt. Qua de re Dioſpoli in Palæſtina quatuordecim Epiſcoporum convocata eſt Synodus, quos interrogantes citatus ad cauſam dicendam Pelagius, diſſimulata veritate captioſis reſponſis eluſit. Ideoque Ioannis Ieroſolymitani Epiſcopi & Rufini Presbyteri, qui ambo Origeniſtæ erant interventu, dimiſſus eſt abſolutus. Anno poſtea 416. Provinciales Synodi Carthaginenſis & Milevitana præſente Auguſtino Synodicas ad Innocentium Romæ Epiſcopum miſerunt, commemorantes ſuo decreto damnatos fuiſſe Pelagium & Cœleſtium. Sequenti anno 417. ſucceſſit Innocentio Zoſymus, Cœleſtij qui Romam purgandi ſui cauſa venerat, ficta profeſſione, ſubdoliſque Pelagij & Epiſcopi Jeroſolymitani Praylij literis deceptus in Africanos Patres, atque in Erotem & Lazarum indignatus eſt. Duos tamen præfixit menſes ad pleniorem cauſæ hujus cognitionem: quo ſpatio ſatagentibus Africanis, Zoſimus demum amborum hæreticorũ calliditate comperta, cum Cœleſtius clam Româ ſe ſubduxiſſet, utrumque ſecundâ poſt Innocentij decretum excommunicatione perculit anno 418. Innocentius vero utrumque hæreſiarcam Eccleſiaſtica communione excluſerat anno qui præceſſerat 417. Honorio & Conſtantio Conſulibus, ut teſtantur ejus epiſtola, prætereaque Auguſtinus epiſt. 91. & 93. eodemque prodijt adverſus eoſdem Honorij edictum. Subſequutum eſt in Africa plenarium, ut ait Proſper ducentorum & quatuordecim Epiſcoporũ Carthaginenſe Concilium, quod adverſus Pelagianam hæreſim octo canones edidit, qui falsò Milevitano Concilio attribuuntur, & quos Celeſtinus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ ſub Carthaginenſis Synodi nomine profert. Hujus hæreſis toto jam orbe profligatæ patrocinium ſuſcepit Iulianus Memorij Cupuani ex legitimo præcedente matrimonio filius, eademque in ſede electus ſucceſſor qui ob eandem hæreſim ſede pulſus, & ſolum vertere coactus, pluribus libris cum Sancto Auguſtino decertavit. Succeſſit ſubinde Semipelagianorum ſecta quam in Gallijs gliſcentem idem Auguſtinus ſub finem vitæ duobus libris de prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ oppugnavit; & poſt eum Proſper Aquitanicus, Fulgentius, Cæſarius alijque: & ſecunda Synodus Arauſicana damnavit anno Chr. 529.

17. Neſtorius Conſtantinopolitanus Antiſtes novam hæreſim invexit quam minimè diſſimulavit, ut ſæpè fecerant commemorati paulò ante Pelagius & Celeſtius; ſed apertè tum concionando, tum ſcribendo, tum viva voce apud Synodos reſpondendo profeſſus eſt ad ultimum uſque vitæ halitum. Duas hic hæreſiarcha diſtinctas in Chriſto perſonas, divinam unam & humanam alteram aſſerebat. Addens Mariam Virginẽ nullatenus dicendam Deiparam θεοτόκον, ac Dei matrem, ſed tantum Chriſti, eo quod humanam ejus duntaxat perſonam genuerit cum natura humana humanitùs ſubſiſtente & completa. Ad hoc reſtinguendum naſcens incendium permultum contulit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, cui mandavit Celeſtinus Romanus Pontifex, ut Vicaria poteſtate in cauſam Neſtorij inquireret, eumque ſi fieri poſſet ad palidoniam adigeret, ad quam certum hæreſiarchæ tempus præfixit. At illo in contumacia perſiſtente ne longiùs malum exitiale ſerperet anno 431. Synodus œcumenica Epheſi coacta eſt ducentorum Epiſcoporum, qui perdiu expectato Ioannis Antiocheni Epiſcopi, cæterorúmque qui ei ſuberant Epiſcoporum adventu cum iſti moras traherent, ſive à Chryſaphio Imperij primario adminiſtro, qui Neſtorio conjunctiſſimus erat ſubornati, ſive quia popularem ſuum veteremque amicum civem Antiochenum damnare pigebat, Synodus tamen illis abſentibus inchoata eſt. Terque citato neque comparente Neſtorio, atque probationibus accuratè diſcuſſis, Neſtorius damnatus & Epiſcopatu dejectus eſt. His ritè peractis quaſi ex condicto Ioannes cum ſuis inter quos eminebat Theodoritus Cyri Epiſcopus Epheſum ingreditur, nec tamen ſe ſacræ Synodo adjunxit, ſed quiritantes ſibi factam injuriam omnes iſti Orientales damnabili exemplo alio loco ſimul convenere, ut ducentorum in re tanti momenti Synodum reſcinderent, ſicque univerſam Eccleſiam perturbarent, fidemque ſimul ac religionem confunderent; ut hominis damnabilis, & hæreſiarchæ gratiam inirent, hæreſiſque latiùs propagaretur, magiſque poſthac inſoleſceret. Hæc enim conſectaria eſſe ex maligno iſto receſſu nemo non videbat. Iſtis Epiſcopis Comites quos Chryſaphius in gratiã Neſtorij, Candidianus & Irenæus Neſtoriana lue infecti ſe adjungunt ad legitimam Synodum evertendam omnique dolo, & perverſitate ad deteſtabilem hunc finem conſpirant. Prima hujus exiguæ ſchiſmaticæq; Synodi acta protinus omnem audaciam, & violentiam produnt. Acta ſacroſanctæ Synodi revocant, damnant & reſcindunt, neque id ſatis; per comites enim ſuos Præſidem Concilij

Concilij Cyrillum Legatum Apoſtolicum,& ſecundæ ſedis Patriarcham à ſatellitibus apprehenſum in carcerem trudunt, eumdemq; & Memnonem Epheſi Antiſtitem Epiſcopatibus deponunt, prohibent ne quiſquam cum ducentis communicet verbis vivæ vocis, aut literis, epiſtolas omnes ad ducentos undecumque ſcriptas, aut à ducentis profectas intercipiunt. Cœtus verò illegitimus ſimulque Candidianus & Irenæus literas ſcribunt Conſtantinopolim, alioque quaquaverſum falſitatum & calumniarum plenas, præſertim ad Imperatorem ejuſque aulicos ſcriptitant mendacijs refertas, quibus eorum animi magis in dies exaſperentur.

18. Iſti tandem doli in apertum prodiere. Sacra enim ducentorum Synodus hominem fidelem reperit, qui militibus obſervatoribus inſcijs Synodi legitimæ literas mendici habitu recepit occultè,eaſque arundine incluſas Conſtantinopolim detulit, reique perſpecta veritate mediante Pulcheria Imperatoris ſorore,prudentiſſima & religioſiſſima virgine Imperator quæcunque utrimque geſta erant reſcivit,Candidiano, Irenæoque acriter ſuccenſuit, geſta Antiocheni cum ſuis Orientalibus reprobavit, omnemque quam poterat legitimæ Synodo præſtitit auctoritatem. Neſtorium ejuſque hæreſim ſuo præſcripſit edicto,ipſum ſede pulſum in Monaſterium Antiochenum unde exierat relegavit. Quia verò multos ibi hæreſis ſuæ contagio pervertebat in Oaſin deinde exportari juſſit,quo loco tabe confectus,corroſaque à vermibus maledica lingua miſerrimè interijt anno 436.

19. In Gallia Leporius quidam monachus Presbyter factus in Pelagij lapſus eſt hæreſim, cui alteram adjunxit de duabus in Chriſto perſonis, qualem poſteà Neſtorius accepit & prædicavit. Ille itaque Neſtorianæ prælufit hæreſi,ut in Leporio refert Gennadius. Sed ut idem addit à Gallicanis doctoribus admonitus, & poſtquam in Africam tranſmiſit ab Auguſtino emendatus: ita ab utroque errore reſipuit, ut diſperſis ubique libellis, veniam ubique peteret, ſuorumque pœnitentiam errorum flebiliter manifeſtaret. Ejuſdem quoque mentionem injicit Caſſianus lib.1.& 7. de incarna. Verbi. Dirempta feliciore quam ceperat ſucceſſu Synodo Epheſina, non ſtatim dirempta eſt Epiſcoporum ſimultas eorum qui in legitima, & qui in falſa Synodo conſederant. Graves enim offenſæ utraque ex parte obtendebantur. Sed tandem Theodoſij ſtudio, & admirandi Simeonis Stylitæ interventu diſſidia omnia compoſita fuere.

20. Jam verò ad tertiam quàm ſupra commemoravi hæreſim progrediendum eſt. Eutyches archimandrita, id eſt Abbas Conſtantinopolitani cujuſdam Monaſterij novum conflavit dogma,omne naturarum in Chriſto amovens diſcrimen:ſed utramque in unam confundens divinam,à qua quidquid in Chriſto apparebat humanũ abſorbebatur ac diſperdebatur, unde conſequebatur vel divinam naturã eſſe in ſeipſa mutationibus, & humanis perpeſſionibus mortiq; obnoxiã, vel quæ pro noſtra redemptione paſſus dicitur Chriſtus mera eſſe commenta & ludibria. Cumque Flavianus Conſtantinopolis Epiſcopus, qui Proclo ſucceſſerat Synodum Epiſcoporum Conſtantinopoli haberet, Euſebius Dorylæi Epiſcopus Eutychetem judicio hæreſis poſtulavit apud Synodum,quæ re penitius explorata Eutycheti diem dicit ut coram ſe ſiſtat. Iſte de morbo excuſationem prætexit,ſed demum poſt tertium citationis edictum Synodum adit turbulentiſſimis monachis, & militum manu ſtipatus, quos Chryſaphius Flaviano jampridem infenſus præbuerat. His munitus præſidijs Eutyches coram Synodo ſenſum ſuum de naturarum in Chriſto commixtione audenter propugnat coram Patribus, à quibus refert damnationis ſententiam anno 448. Ille prævenire volens Leonis Romani Pontificis animum,ſcripſit ad eum permultas querimonias,& mendacia,inſinuans ſe Nicænæ fidei aſſertorem injuſtè damnatum ab Epiſcoporum cum Neſtorio ſentientium factione, Chriſtum perſonarum diverſitate dividentium, ſeque ad ſupremam Romanam ſedem provocantem rejectum, nihil præter odium, & ludibria retuliſſe. De his ſcripſit ad Flavianum Leo, à quo rei totius veritatem addidicit. Inter hæc Dioſcorus Alexandriæ poſt defunctum Cyrillum Epiſcopus, ſimulque Chryſaphius Theodoſij & Eudoxiæ Auguſtæ animos injuſtis adverſus Flavianum querelis præoccupant, remque perſuadent ad œcumenicam Synodum referendam in qua Flavianus non judicis, ſed tantùm rei perſonam ſuſtineat. Horum & Eudoxiæ ſuaſione Theodoſius generale Concilium Epheſi celebrandum indicit,cui Dioſcorus ipſe præſideat. Hæc eſt Synodus illa quam λῃστρικὴν Græci,hoc eſt latrocinalẽ vocant: in qua omnia per dolos perque vim apertam & militarem geſta ſunt Dioſcoro præſide. Hîc protinus communioni, priſtinæque dignitati reſtitutus eſt Eutyches in dicta cauſa, Flavianuſque ſede ſua depoſitus, ejuſque loco ſuffectus eſt Anatolius Dioſcori apud Theodoſium apocriſarius. Theodoritus Cyri Epiſcopus & Domnus Antiochenus gradu moti ſunt, ac in ordinem

nem redacti. Flavianus dum Leonem Romæ Epiſcopum appellat exilio damnatur, & crebris percuſſionibus occiditur, ejuſque vacuam ſedem invadit Anatolius. Leo Papa his acceptis Pſeudoſynodum damnat, quem viciſſim Dioſcorus Alexandriam reverſus temerario auſu pronunciat excōmunicatum. Geſta hæc ſunt Theodoſio juniore Auguſto conſentiente ab iniquiſſimis ſeducto, abſente ſorore Pulcheria quæ Chryſaphij Eunuchi, & Eudoxiæ Imperatricis dolis in ſuum gynecæum ad privatam ſortem redacta, Imperij adminiſtratione ceſſerat. Verumtamen aliquanto poſt Theodoſius objurgatam Eudoxiam Jeroſolymam relegavit, Pulcheriamque in priſtinas Imperij curas revocavit ultimo vitæ ſuæ anno qui fuit 450. Quo eodem Marcianus belli dux cum Pulcheria quam illâ conditione conjugem obtinuerat, ut intacta, quam illa Deo voverat virginitatem connubio ſociarentur, ſimul cum illa Imperium dotale recepit. Spado Chryſaphius multorum criminum reus Pulcheriæ juſſu peremptus eſt.

21. Sub hoc novo Imperio Catholica fides de Eutychiana perfidia glorioſè triumphavit, adnitentibus cum Leone Pontifice Marciano Pulcheriaque Auguſtis. His tribus viſum eſt Chalcedone convocandum eſſe generale Concilium, quo damna Latrocinantis omnia reſarcirentur. Itaque Chalcedone œcumenica Synodus convocata eſt ſexcentorum triginta Patrum anno 451. Interfuere Leonis Papæ Legati Paſchaſinus Lilybetanus, alijque tres, ipſeque Dioſcorus. Adfuere Marcianus & Pulcheria cum Senatu in templo Virgini & Martyri Euphemiæ dedicato. Latrocinans ibi Conciliabulum meritā damnationem accepit una cum Eutychete & Dioſcoro. Flaviani memoria honorificè fuit reſtituta. Dioſcorus Gangram Paphlagoniæ relegatus cujus in ſedem Proterius eſt ſubrogatus. Alexandrinos pro Dioſcoro tumultuantes Marcianus facilè compeſcuit.

22. Poſtquam Gangræ mortuus eſt Dioſcorus, Alexandrini denuò in ſeditionem verſi ſunt, concitantibus hæreticis monachis ductore Timotheo dicto Æluro monacho ſimul, & Presbytero qui armis, & vi aperta ſedem occupat Epiſcopalem, Paſchalibus diebus deturbato inde Proterio anno 457. duobus à Marciani Auguſti obitu menſibus elapſis. Proterius fugiens intra baptiſterium confoditur. At præcipuos hujus facinoris autores Leo Imperator qui Marciano ſucceſſit linguarum abſciſſione punivit: Timotheum verò Epiſcoporum judicio reſervavit: ſed urgente demum Romæ Pontifice Leone Imperator Leo Gangram primùm, deinde Cherſonam Timotheum relegavit.

23. Iiſdem temporibus altera ab Eutychianis ſeditio mota eſt in Antiochena urbe à Petro Cnaphæo ſeu Fullone adverſus ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitem Martyrium cujus ille ſedem invaſit. Martyrius cedere coactus hæc altè proteſtatus eſt Renuncio Eccleſiæ corruptæ, clero immorigero, plebique rebelli. Petrus Fullo Eccleſiæ illius invaſor hæreſim Theopaſchitarum invexit, quæ eſt quædam Eutychianæ appendix, & ad Triſagium Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis has voces adjunxit *qui paſſus es pro nobis*. Sed mox ab Imperatore Leone damnatus exilio in Acœmetarum monaſterio, Conſtantinopoli latuit donec defuncto Leone Baſiliſcus tyrannus uſurpato Imperio Petrum Fullonem Antiochiam, & Timotheum Ælurum Alexandriam in Eccleſiæ fideique ſummam perniciem revocavit anno 476. Sed annò inſequenti Zeno recuperato quod ſibi Baſiliſcus eripuerat Imperio, utrumque ſedibus illis repulit. Eodemque anno 477. mortuus eſt Timotheus quem poſt ſui depoſitionem ſcribit Liberatus c. 16. mortem ſibi veneno conſciviſſe. In locum demortui Timothei, crearunt hæretici Alexandrinum Epiſcopum Petrum Moggum. Catholici verò Timotheum Solophaciolum elegerunt, Petrum verò Moggum Zeno juſſit exulare. Antiochia quoque Petrus Cnaphæus à Zenone pellitur, eique ſufficitur Stephanus orthodoxus, ſed hunc anno 479. mota ſeditione gregales Cnaphæi in baptiſterio trucidarunt, poſt quem Catholici prævalentes alterum Stephanum, & huic vita functo Calendionem ambos orthodoxos ſuffecerunt.

24. Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ clavum rexit poſt Anatolium Gennadius eximiæ vir pietatis & doctrinæ huic anno 471. vita functo ſucceſſor datus eſt Acacius vafer & callidus homo, clam Eutychianæ addictus hæreſi, ſed religionis prout è re ſua eſſe judicabat mirus ſimulator. Hujus ſuaſione Zeno in deteriora mutatus Ioannem Zalaidam orthodoxum qui Timotheo Solophaciolo pariter catholico ſucceſſerat in Alexandrinæ regimen Eccleſiæ, loco movit, Petrumque Moggum ad eam ſedem revocavit anno 482. novamque fidei formulam fabricavit in quam Catholici perinde ac hæretici poterant conſentire, cui proinde nomen *henoticum* indidit quaſi pacis conciliatorium, ſed intactâ præſenti diſſidiorum circa fidem materiâ, ibi tacitè Concilij Chalcedonenſis definitio abrogabatur. Huic Zenonis edicto Catholici conſtanter reſtiterunt, præſertim

Felix III. Romanæ ſedis Epiſcopus,qui Leonis Magni ſucceſſori Simpliciano Papæ anno 483. fuerat ſubrogatus. Hic ex Romana Synodo tres Legatos pro cauſa fidei Conſtantinopolim miſit Vitalem, Miſenumque Epiſcopos, & Felicem Romanæ defenſorem Eccleſiæ, qui Acacium ad tribunal citarent Romani Pontificis, & Moggum ab Alexandrina Eccleſia depelli curarent. At Vitalis & Miſenus ab Acacio vexati,cum hoc conſenſerunt,ſimulque cum Petro Moggo communicarunt. Felix cum morbo impeditus ſubſtitiſſet, poſtea Conſtantinopolim adveniens in vincula conjectus eſt. His offenſus Papa Felix duos qui cum Acacio & Moggo perfida prævaricatione communicarunt proprijs ſedibus depoſuit, & Acacium ſententiâ perculit anathematis, qui per vindictam Felicis Papæ ex diptychis Eccleſiaſticis abraſit anno 484.

25. Petrus Moggus apud Alexandriam recepto Zenonis henotico Catholicos indiſcriminatim, & hæreticos demereri ſtudens, & Chalcedonenſem Synodum nunc rejiciens cum Eutychianis,nunc approbans cum Catholicis quibuſcum agebat, utrorumq; in ſe odium attraxit, multique Eutychiani ejus reſpuunt communionem,qui cum neq; cum Eccleſia ſentirent, neque cum ſuo Epiſcopo convenirent acephali hoc eſt capite deſtituti vocati ſunt. Moritur exinde Cnaphæus Antiochiæ anno 486. Moggus Alexandriæ anno 498. Acacius Conſtantinopoli anno 488. Acacio ſucceſſit Flavitas hæreticus, Flavitæ ſinguli hoc ordine ſucceſſerunt Catholici quidem, ſed ſchiſmate ab Eccleſia Romana divulſi Euphemius, Macedonius, Timotheus, hoc ſolo ab Apoſtolica ſede rejecti, quod impij Acacij nomen de ſuarum Eccleſiarum tabulis delere recuſabant, contra Summi Pontificis præceptum, excluſionem à communione decernens in contumaces. Diuturna fuit illa Eccleſiarum diſciſſio perduravitque à tempore decreti Felicis III. uſque ad tempora Hormiſdæ Papæ,involuitque quatuor ſucceſſivè Conſtantinopolis Patriarchas jam nominatos:deſijtque ſub Hormiſda Pontifice, quum Ioannes regiæ urbis Patriarcha, de conſenſu Juſtini primi Imperatoris aſſentientibus Orientis Epiſcopis pax interrupta iterum illuxit, & nomina Acacij, Flavitæ,Euphemij, Macedonij,& Timothei, obliterata ex Eccleſijs toto Oriente fuerunt, ſimulque nomina damnabilium Imperatorum Zenonis & Anaſtaſij. Id factum anno 519. quo feliciter in unum corpus ac fœdus coaluerunt Eccleſiæ disjunctæ pridem per ſolidos triginta quinq; annos, quibus diremptæ ab Apoſtolica ſede & unitate,tam multæ diſperſæ per Orientem Eccleſiæ divinæ lucis beneficio, & ſacti capitis vivifico influxu deſtitutæ fuerant.

26. Occidentis Imperium ſub Honorio Auguſto poſtquam à Gotthorum armis reſpirare cepit, alijs quoque bellis concuſſum fuit. Conſtantinus quidam in Britannia inſula purpuram ſumpſit : inde in Galliam cum numeroſo exercitu digreſſus cum duobus filijs Conſtante & Juliano à Conſtantio Comite prope Arelatam victus & captus, Ravennamque abductus Honorio jubente jugulatus eſt anno 411. Conſtantius deinde Placidiæ poſt Attaulphi Gotthi Principis ejus mariti obitum Romam regreſſæ matrimonio junctus eſt,Honorio Imperatore nuptias iſtas conciliante,quo ex matrimonio Valentinianus qui poſtea hoc nomine tertius imperavit, & Honoria nati ſunt. Ipſe Conſtātius ab Honorio ſorori Placidiæ gratificari volente in Imperij cōſortium an.420.aſſumptus eſt. Honorius vero an.423. interijt ſucceſſoremq; habuit ex ſorore nepotem Valentinianū III. Hoc imperante ſoror ipſius Honoria ob admiſſum cum procuratore ſuo ſtuprum ejecta Palatio fraterno,& ad Theodoſium in Orientem tranſmiſſa Attilam adverſus Valentinianum concitavit in bellum exhortans,ut contractis ſecum nuptijs jura dominij Provinciarum quæ ſibi competere tanquam partē paternæ in Imperium Occidentale ſucceſſionis prætendebat, ut narrat Priſcus Græcus illius temporis hiſtoricus, armis vindicaret, ſimulque annulum pretioſum ad eum tranſmiſit, ut arrham & pignus fœderis hujus nuptialis. Attila occiſo fratre Bleda Hunnis regnabat annoque Chriſti 450. in Gallias contendit quas per ea tempora obtinebant diverſis partibus Occidentales Gothi dicti Viſigotthi, & Franci, & Burgundiones,aliæque barbaræ gentes poſtquā proprijs ad Aquilonem ſedibus relictis Rhenum tranſmiſerunt. Partem aliam Galliarum Romani Aëtio duce ac præfecto ægrè tuebantur. Aëtius ſtrenuus belli dux collectis undequaque copijs Attilæ occurrit, collatiſque ſignis ingenti ſtrage copias ejus fundit in campis Catalaunicis anno 451. Victus Attila in Italiam excurrit, Aquileiam obſidione expugnatam ſolo æquat, Mediolanum Vicinum aliáque Æmiliæ, Liguriæque oppida capit, & fœdè vaſtat. Inde Romam iter dirigens dum Mincium amnem tranſire parat, Leonem Romanum Pontificem in occurſum habuit, miſſum à Valentiniano, & Romanis Legatum, cujus divinâ perſuaſus eloquentiâ,numine quoque cœleſti animum ejus commovente in patriam abſceſſit anno 452.

27. Valen

27. Valentinianus poſt Placidiæ matris obitum in libidines effuſus, Maximi Senatoris uxori ſtuprum obtulit: quâ ille perculſus injuriâ exitium Valentiniano molitur, ſibique viam munit ad Imperium. Animum quippe Valentiniani ſuſpicionibus innumeris, & calumnijs commovet adverſus Aëtium rerum geſtarum gloriâ clariſſimum, ſolumque Imperio dignum, occultéque illi perſuadet ejus interfectionem per ſicariorum inſidias. Credulus Valentinianus illud conſilium exequitur. Aëtij verò milites ducis tanti necem morte Valentiniani ulciſcuntur, ejuſdem Maximi dolo, qui exambitis exercitus ſuffragijs acclamatur Imperator, nuptijſque potitur Eudoxiæ Auguſtæ Valentiniani viduæ, cui demens poſtmodùm ſuum aperit adverſus Valentinianum facinus, eidem aſſerens non aliam habuiſſe tanti conatus cauſam, præter ardentem illius quo flagrabat amorem, cujus nunc fructum capiebat optatiſſimum. At illa inde conceptum ex horrendo ſcelere odium cautè diſſimulans, neque vindictam diu remorata, Genſericum in Africa ſuis armis ſubacta regnantem Vandalorum Regem advocat in Italiam quam debellare facile poſſit, ſe præſertim cum ipſo conſpirante nullo relicto ad reſiſtendum belli duce; Maximum verò prorſus inertem eſſe ducem, prætereaque inviſum non modò ſibi, ſed etiam exercitibus Romanis, quippe quem ſuſpicentur autorem fuiſſe mortis Valentiniani; ipſa verò certò ſciat facinus ejus proditorium opportunè Romanis ſignificatura, modò ipſe ex Africa ſolvens copias in Italiam educat. Rei propoſitæ feliciter gerendæ occaſionem amplectitur Vandalus, cujus inexpectato adventu conſternata eſt Italia; Maximus verò terrore perculſus, & fugam meditans laniatur à ſuis atque in Tiberim demergitur. Genſericus urbe capta Leonis Pontificis oratione mitigatus, incendio, cædibus, & libidinibus abſtinuit; omnes tamen ſacras profanaſque opes urbis quæ immenſæ erant quatuordecim dierum direptione abſtulit. Eudoxiam Auguſtam ejuſque filias ambas Eudoxiam cognominem, & Placidiam Valentiniano genitas Carthaginem abduxit, è quibus Eudoxiam Hunnerico filio conjugem dedit: Placidiam verò quia jam Olybrio nupſerat ſervavit. Porrò Eudoxia earum mater ex Theodoſio juniore, & ejus conjuge Eudoxia nata fuerat. Contigit illa per Vandalos Romana clades anno 455. quo etiam multa captivorum millia Vandali in Africam abduxerunt. Vandalorum progreſſus hic fuit, ex quo proprijs relictis ſedibus Rhenum trajecerunt. Anno 406. ab ambitioſo Stilicone exciti in Gallias populabundi excurrerunt, ut ſcribit Proſper in Chronico. Inde Pyrenæum anno 409. tranſgreſſi Hiſpanias devaſtaverunt. Eos porrò in Africa ſedem regni ſtabilire conantes perdiu repulit ab ejus littoribus Bonifacius Comes, ſed tamen mutua Romanorum præfectorum æmulatione omnia peſſum ivere. Bonifacium enim Aëtius proditionis inſimulavit, miſitque adverſus eum Sigiſvultum, & copias quæ Bonifacium circunſtabant revocavit: hic ergo ſe imparem Romanorum viribus cernens, omnique deſtitutus auxilio, Vandalorum opem præſidiumque requiſivit. Anno itaque 427. Genſericus cum octoginta Vandalorum & Alanorum millibus Africam occupavit. Bonifacius verò in gratiam Romanorum reſtitutus Vandalos armis repellere conatus ab eis acie vincitur. Genſericus annos triginta ſeptem in Africa regnavit. Qui hunc excepit filius Hunnericus anno regni ſui octavo ac ultimo qui fuit Chriſti 484. ut ſuam Arianam religionem propagaret, Eccleſiam violenter oppreſſit. Ut enim refert Victor Uticenſis in ſuis de perſecutione Vandalica libris omnes Catholicorum conventus interdixit, eorum Eccleſias occluſit, opes eorum omnes partim ſuo fiſco, partim Pſeudo-Epiſcoporum Arianorum eorumque Eccleſijs addixit, orthodoxis exſpoliatis hoſpitium, & cibaria veſtimentaque ſuppeditari ſub gravibus pœnis prohibuit, adeò ut innumeri ſub dio, aut in deſertis degentes fame, ſiti, frigore perierint. Feralia enim ejus edicta ſub initium menſis Februarij promulgata fuere. Hac in perſecutione diris cruciatibus, & cædibus in omnem ſexum, omnemque conditionem ſævitum eſt. Epiſcopi ſupra ducentos triginta in diverſa ſunt exilia relegati. Complures linguis radicitùs exciſis, ac manibus truncatis in diverſa loca extorres, per miraculum perfectè diſtinctéque loquebantur. Horum unus ut in Dialogis Greg. Magn. refert poſtquam in fornicationem lapſus eſt gratiam loquelæ amiſit. Sed ſub anni finem Hunnericum divina ultio excepit, qui à vermibus corroſus ſæviendi atque vivendi finem habuit.

28. Sæculo demum iſto Romanum Imperium in Occidente concidit. Avitus Gallus anno 455. poſt Maximi mortem ab exercitu Romano in Gallia conſiſtente renunciatus apud Toloſam Imperator pacem cum Gotthis firmavit. Sed anno ſequenti à ſuis deſtitutus Placentiæ privatam ad ſortem redactus eſt. Majorianus illi ſucceſſor datus mox à Ricimere vita Imperioque privatur. Ejus loco ſufficitur Severus, ejuſdem

Ricimeris factione, à quo deinde perfido Ricimere veneno perimitur. Idem mox Ricimer utriuſque militiæ præfectus Anthemium patricium ex Græcia in Imperium accerſit, ejuſque fit gener: ſed ſocerum haud multò poſt inſidus gener vitâ cum Imperio ſpoliat, ejuſque in vicem Olybrium ſubſtituit: cui brevi ſucceſſit Glycerius, & Glycerio Julius Nepos, Nepoti Oreſtes, Oreſtem prælio victum Odoacer ſuſtulit: cui tamen filius Momyllus dictus Auguſtus datus eſt ſucceſſor, dictus per ludibrium Auguſtulus, in hoc deſijt Occidentis Imperium quod in Auguſto exorſum in Auguſtulo terminatum eſt.

29. Odoacer Turcilingorum Rex cum Scyris & Herulis auxiliaribus Oreſtem acie ſuperatum ſuſtulit, & Auguſtulum in Campaniam relegavit. Subjugataque Italiâ titulum Imperij detrectans, non alio quam Regis nomine dominatus eſt ſeptemdecim annis. Anno demum 489. Theodoricus Gotthorum Rex Italiam ingreſſus, Odoacrem triplici conflictu ſuperatum fugere Ravennam compulit, & poſt triennij obſidionem, fraudulenta pactione deluſum, ut ſcilicet ambo communi autoritate Italiam regerent, eumdem ſpecie pacis ad convivium adhibitum interfecit anno 493. quo inijt Oſtrogotthorum in Italia regnum fixa Ravennæ regia ſede. Permultæ hoc infelici ſæculo factæ ſunt regnorum mutationes & exordia. Francorum & Burgundionum in Gallijs, Viſigotthorum in Hiſpanijs, Oſtrogotthorum in Italia, Anglorum in Britannica inſula, Vandalorum in Africa. Quo tempore Aëtius Galliæ præfecturam pro Romano gerebat Imperio, & innumeris diſtentus hoſtibus nullas poterat Britannis ſuppetias ferre, iſti Pictorum & Scotorum hoſtilitatibus & armis reſiſtere non valentes, Anglos in auxilium ex Germania acciverunt. Et Anglos quidem inter Germaniæ populos recenſet Tacitus in ſuo de moribus Germanorum libello. Angli ſub Rege Vitigerne compreſſis Scotis & Pictis, Britannos à quibus implorati fuerant, ſub dominationis ſuæ jugum ſubmiſerunt, ut referunt Beda lib. 1. de geſtis Anglorum cap. 16. Gildas Britannicus, Paulus Diaconus lib. 14. ad finem. Venetorum pariter civitas & reſpublica, dum imperabat Valentinianus tertius, ſua habuit exordia, Italis pleriſque dum Attila finitimas Adriatico ſinui oras, ipſamque Aquileiam armis infeſtaret, ſeſe ex Urbium incendijs & ruinis in æſtuaria illa recipientibus.

30. Huic ſæculo multum contulere ſplendoris Eccleſiaſtici ſcriptores. Ioannes ille Chryſoſtomus cujus vitam & acta paulò ante contexui. Deinde Hieronymus ſacrarum ſimul & ſæcularium ſcientiarum, linguarúmque Hebraïcæ, Chaldaïcæ, Græcæ, Latinæque peritiâ toto orbe celeberrimus. Epiphanius Salaminæ in inſula Cypro Epiſcopus. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ſcriptis, & vitæ ſanctitate rebuſque geſtis clariſſimus, Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ingenij copiâ & facilitate admirandus, præcipuus hæreticorum tum ſcriptis, tum viva voce, tum habitis cum ipſis & publicis & privatis collationibus debellator, atque illuſtrium quæ tunc per Africam celebratæ ſunt Synodorum meus & oraculum. Hic poſt multos pro Eccleſia Dei feliciter exantlatos labores, Hippone regio tertium jam menſem à Vandalis obſeſſo, ætatis anno ſeptuageſimo ſexto, epochæ Chriſtianæ quadringenteſimo ſupra trigeſimum anno ſpiritum Deo reddidit. Claruit pariter Cyrillus Alexandrinus Antiſtes, rebus pro Eccleſia geſtis, præſertim contra Neſtorij hæreſim tunc inſurgentem, ſcriptorúmque multitudine & ſplendore clariſſimus. Paulinus Nolanus Epiſcopus Burdigalæ natus ſplendore generis in ſæculo perilluſtris; ſed contemptu ſæculi, profeſſione paupertatis, ſuique dejectione apud Deum illuſtrior, magnorum illorum virorum Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini laudibus & amicitiâ celebratus. Leo Papa primus re, & cognomine magnus maximum Eccleſiæ contulit decus & ornamentum eruditione, pietate, eloquentiâ, rerum præclarè à ſe geſtarum magnitudine, ſcriptiſque libris. Proſper Aquitanicus ſuis contra Pelagianos, Semipelagianoſque ſcriptis lucubrationibus admodum eruditis valdè celebris. Huic attributum fuit trium librorum opus de vita contemplativa, ſed jam communi eruditiorum ſuffragio vindicatur ſuo autori Juliano Pomerio Afro. Librum etiam de providentia Dei jure meritò Bellarminus negat eſſe Proſperi cui pſeudepigraphè attributum fuerat; ſapit enim Semipelagianiſmum quem tanta ingenij vi, & eruditione Proſper genuinis ſuis libris exagitat. Oroſius ex Hiſpania oriundus Presbyter ſcriptis hiſtorijs quas ſuadente Auguſtino edidit nominis celebritatem meruit. Hic eodem hortante Auguſtino in Orientem profectus ſancti martyris Stephani reliquias in Africam aſportavit multis, & inſignibus miraculis comprobatas, quæ Auguſtinus in ſuis de civitate libris commemorat. Optatus Epiſcopus Milevitanus in Numidiæ Provincia ſeptem egregijs libris Parmeniani inſignis Donatiſtæ Pſeudo-Epiſcopi Carthaginenſis ſcripta refellit, atque Catholicam veritatem fortiter

ter

ter & eruditè propugnat, antequam Auguſtinus qui poſterior in certamen prodijt ſtylum ſuum adverſus ſectam eandem acuiſſet. Joannes Caſſianus Scytha, Chryſoſtomi diſcipulus, admirator, & præco (quod ipſe palam profitetur lib. 7. de Incarnatione) ſuas edidit elegantes, & pias collationes aliaque aſcetica opuſcula. Ad poſtremum hortatu Leonis qui tunc Archidiaconi Romanæ Eccleſiæ fungebatur officio, ſed poſtea defuncto Sixto in ſummum evaſit Pontificem, libros ſeptem de Incarnatione excellenti eruditione conſcripſit, quibus Neſtorij dogma quaſi validiſſimo ariete demolitur. Gennadius de viris illuſtribus cap. 61. illius ita meminit: *Ad extremum rogatus à Leone urbis Romæ Archidiacono poſtea Epiſcopo ſcripſit adverſus Neſtorium de Incarnatione Domini libros ſeptem, & in his ſcribendis apud Maſſiliam, & vivendi finem fecit, Theodoſio, & Valentiniano regnantibus.* Hoc in opere nihil de Concilio Epheſino meminit Caſſianus, quo præcipuo telo Neſtorius fuerat percutiendus, quod indicium eſt ſcriptum hoc fuiſſe opus ante Concilij hujus decretum. Hic eſt ille collator contra quem Proſper ſuum adverſus collatorem librum elucubravit, hac occaſione quia Caſſiani collatio XIII. erroribus tota referta eſt Semipelagianorum. Vincentius Lirinenſis laudatiſſimum edidit adverſus hæreſes tractatum tertio, ut ipſemet ſcribit poſt Epheſinam Synodum anno. Eucherius pariter, & Sidonius Apollinaris Aviti primùm Imperatoris Romani gener, deinde Arvernorum Epiſcopus claruerunt in Gallia doctis, & eloquentibus libris quibus Eccleſiam illuſtrarunt. Inſignibus quoque multumque eruditis voluminibus hoc eodem ſæculo ſplendorem Eccleſiæ contulerunt Theodoritus Cyri in Palæſtina Epiſcopus, & Syneſius ex gentili philoſopho Chriſtianus, poſteaque Cyrenenſis Epiſcopus. Victor Uticenſis Epiſcopus inſigni vir pietate, auctor trium librorum de perſecutione Vandalica quæ hiſtoria ſcitu digniſſima eſt, permultum ad ſtudium religionis conducens, & devotionem accendit in animis lectorum per fortitudinis, admirabiliſque conſtantiæ exempla, quæ ſancti Martyres & Confeſſores, qui in hac perſecutione claruerunt exhibent legentibus. Scripſere hoc eodem ſæculo pij de ſacris & Chriſtianis rebus poëtæ Aurelius Prudentius, Marius Victor Maſſilienſis rhetor, & Sedulius. Nomen quoque celebre ſibi pepererunt Petrus Chryſologus Ravennas Epiſcopus, & Iſidorus Peluſiota Monachus egregiè doctus.

## APPENDIX EIUSDEM auctoris ad ſuam huius quinti ſæculi hyſtoriam.

1. Ante ſeptennium vir quidam ſtudioſus quemdam qui ſibi obvenerat Græcum mihi librum exhibuit. Et quia Græcam non callebat linguam erogavit me ut eo perlecto ſibi notificarem quidnam rei in illo tractaretur. Eum librum ſubciſivis horis perlegi, de quo nihil videram vel legeram niſi autoris nomen apud Iornandem, qui eum nonnunquam in teſtimonium ſuæ adducit hiſtoriæ. Autoris illius librum de legationibus ante obſcurum & ignotum ex vetuſta quadam bibliotheca erutum, vir doctus David Hœſchelius apud Auguſtam Vindelicorum typis edi curaverat, ſed hæc ipſa editio quia ſine Latina verſione venalis erat paucos reperit emptores, adeo ut nec in notitiam devenerit eruditiſſimorum, nec non linguæ Græcæ peritiſſimorum qui poſtea ſcripſere, qualem honoris cauſa nomino virum, non ſolum peritiâ linguarum celebrem, ſed undequáque doctiſſimum, ut ejus ſcripta palam faciunt, in cujus manus ſi editio illa Auguſtana perveniſſet, aliter in ſuis hiſtoriis de rebus Francicis quibuſdam enarraſſet, præſertim de Clodionis liberis & de expeditionibus Attilæ Hunnorum Regis. Quia vero liber ille Priſci de legationibus necdum facile reperitur ejus hic attexam fragmentum de Clodionis geminis liberis & de Attilæ excurſionibus aliiſque ad ipſum attinentibus rebus, noſtrámque adjungam ut res pluribus innoteſcat Latinam tranſlationem. Hæc igitur perhibet Priſcus in ſuis ſelectarum legationum hiſtoriis. Τέως ἐπὶ τὸ μείζονα τρέπεσθαι πόλεμον αὐτῷ τῷ Ἀττήλᾳ ἐδόκει καλῶς ἔχειν, καὶ εἰς τὴν ἑσπέραν στρατεύεσθαι. Τῆς μάχης αὐτῷ μὴ μόνον ἐσομένης πρὸς Ἰταλιώτας ὥστε τὴν Ὁνωρίαν μετὰ τῶν χρημάτων λαβεῖν. Πρὸς δὲ Γότθους, χάριν Γεζερίχῳ κατατιθέμενον. Ὅτι καὶ τῷ Ἀττήλᾳ ἦν τοῦ πρὸς τοὺς Φράγγους πολέμου πρόφασις ἡ τοῦ σφῶν βασιλέως τελευτὴ καὶ, ἡ τῆς ἀρχῆς τῶν ἐκείνου παίδων διαφορά: τοῦ πρεσβυτέρου μὲν Ἀττήλαν, τοῦ δὲ νεωτέρου Ἀέτιον ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐπάγεσθαι ἐγνωκότος: ὃν κατὰ τὴν ῥώμην εἴδομεν πρεσβευόμενον, καὶ μήπω ἰούλου ἀρχόμενον, ξανθὸν τὴν κόμην τοῖς αὐτοῦ περικεχυμένην διὰ μέγεθος ὤμοις: θετὸν δὲ αὐτὸν ὁ Ἀέτιος ποιησάμενος παῖδα, καὶ πλεῖστα δῶρα δοὺς, ἅμα τῷ βασιλεύοντι, ἐπὶ φιλίᾳ τε καὶ ὁμαιχμίᾳ ἀπεπέμψατο. Τούτων ἕνεκα ὁ Ἀττήλας τὴν ἐκστρατείαν ποιούμενος, αὖθις τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ἄνδρας εἰς τὴν Ἰταλίαν ἔπεμπεν, ὥστε τὴν Ὁνωρίαν ἐκδιδόναι. Εἶναι γὰρ αὐτῷ ἡρμοσμένην πρὸς γάμον, τεκμήριον ποιούμενος τὸν παρ' αὐτῆς πεμφθέντα δακτύλιον, ὃν καὶ ἐπιδειχθησόμενον ἐξέπεμπε, παραχωρεῖν δὲ αὐτῷ τὸν Βαλεντινιανὸν καὶ τοῦ ἡμίσεος τῆς βασιλείας μέρους. Ὡς καὶ τὴν Ὁνωρίαν διαδεξαμένην μὲν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν ἀρχὴν, ταύτης δὲ τῇ τοῦ ἀδελφοῦ ἀφαιρεθεῖσαν πλεονεξίᾳ. Ὡς δὲ ἑσπέριοι Ῥωμαῖοι τῆς προτέρας ἐχόμενοι γνώμης, πρὸς οὐδὲν τῶν αὐτῷ διειλεγμένων ὑπήκουσαν: εἴχετο μᾶλλον τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς πᾶν τὸ τῶν μαχίμων ἀγείρας πλῆθος. Πρόσεισι ὁ Ἀττήλας μετὰ τὴν Ἰταλίαν ἀνδραποδίσασθαι ἐπὶ τὰ σφέτερα ἀναζεῦξαι τοῖς κρατοῦσι τῶν ἑῴων ῥωμαίων πόλεμον, καὶ ἀνδραποδισμὸν τῆς χώρας κατήγγελλεν, ὡς μὴ ἐκπεμφθέντος τοῦ παρὰ Θεοδοσίου ταχθέντος φόρου. Hoc eſt. Interea in animo propoſuit Attila in Occiduas regiones bellum inferre nec ſolum in Italiam ut

Honoriam cum ſuis opibus & juribus nanciſceretur, verum etiam in Franciam hoc propoſito ut Genſericum demereretur. Prætextus autem quem obtendebat Francici belli ex interitu oriebatur Francorum Regis, cujus occaſione liberi quos ſuperſtites reliquerat, mutuo bello de regno decertabant, eo quidem qui natu major erat ſe Attilæ adjungente, qui vero minor cum Aëtio belli ſocietatem ac fœdus ineunte. Hunc juniorem Romæ conſpeximus legatione pro Attila fungentem, cui præ juventa nondum lanugo creverat, flava cæſarie ſpectabilem, cujus prolixitas humeros ejus obtegebat, cúmque Aëtius ſibi in filium adoptarat, muneribúſque cumulatum ad Imperatorem ob negotiandam belli hujus ſocietatem direxerat. Diverſa ex parte Attila ſibi familiaritate junctos ad eumdem delegaverat Romanum Principem, ut ab illo Honoriam poſcerent Attilæ ipſi nupturam quæ pridem hujus connubij fidem dederat, ejuſque in arrham & pignus annulum tranſmiſerat, quo oſtenſo Valentinianum Legati interpellarent ut dimidia Imperij parte cederet quam ſibi per injuriam ſororis Honoriæ, cui æqua ſucceſsionis paternæ pars debebatur, arrogaverat. Cúmque petitio illa ab Occiduis Romanis rejecta fuiſſet, novo habito militum delectu bellum adverſus eos apparabat, Eidémque propoſitum erat poſt ſubactam Italiam, bellum inde à ſe denunciatum in Orientis Imperium transferre, hoc jure quia conventum mutuo inter ſe & Theodoſium fœdere tributum minimè perſoluerent.

32. Ex uno iſto fragmento pleraque addiſcimus quæ aliunde non potuerant nobis innoteſcere. In primis Francorum Regem Clodionem binos poſt ſe liberos reliquiſſe, cum tamen noſtri exiſtimarint ſine liberis deceſsiſſe. Secundò duorum horum fratrum eum qui natu major erat ſocietatem belli cum Attila iniuiſſe Hunnorum Rege: minorem vero (is non alius à Meroveo eſſe poteſt) ſeſe Aëtio adjunxiſſe. Tertiò fuiſſe eumdem ab Aëtio adoptatum, Romamque ad Imperatorem Valentinianum miſſum: ejuſque rei hunc ipſum à quo hæc conſcripta ſunt Priſcum teſtem fuiſſe oculatum. Hic vero Priſcus jam fuerat honorificis legationibus ſub Theodoſio juniore perfunctus, ut refert Iornandes qui ejus paſsim hiſtorias in teſtimonium adducit. Gregorius Turonenſis qui poſt intermedium ſæculum vixit res iſtas minimè compertas habuit qui lib. 2. hiſt. Franc. cap. 9. ſic ait: *Clodio civitatem Camaracum apprehendit, in qua paucum tempus reſidens uſque ad Suminam fluvium occupavit. De hujus ſtirpe quidam Meroveum Regem fuiſſe aſſerunt, cujus filius fuit Childericus.* Hæc Gregorius. Quod verò Sidonius in carmine 7. panegyrico ad Avitum recenſet Francos in Attilæ copiis, id Priſci narrationem firmat de bellica ſocietate primogeniti fratrum circa regni paterni ſucceſsionem contendentium qui ad ſui opem Attilam accivit, cum certum ſit Meroveum qui æquam cum fratre regni partitionem depoſcebat inter copias Aëtij militaſſe, quod tamen Gregorius ipſe Francicam contexens hiſtoriam ſiluit, adeo vel negligens vel inſcius fuit rerum ad Francicam hiſtoriam pertinentium. Idem tamen mentionem injicit Theudonis Gotthorum Regis ejuſque filij Thoriſmundi, qui cum Aëtio adverſus Attilam congreſsi ſunt. Quod vero Priſcus perhibet Attilam adverſus Gotthos ideo bellum ſuſcepiſſe, ut Genſerico Vandalorum Regi gratificaret. Sciendum eſt Genſericum graviſsima offenſione odium Theudonis, ut vocat Gregorius Turonenſis, ſeu ut ab aliis nominatur Theodorici Gotthorum Occidentalium, ſeu Viſigotthorum Regis concitaſſe. Cum enim hujus Theodorici filiam Genſerici filius nuptu accepiſſet, eandem ob veneni ſuſpicionem Genſericus truncis naribus & auribus dehoneſtatam ad patrem remiſerat. Ab hoc ſibi metuens Vandalus, Attilam ampliſsimis muneribus pellectum, ut Theodoricum bello adoriretur, incitavit ut Iornandes de reb. Gotthicis cap. 36. fidem facit. Hic etiam advertas licet animi grandem in Attila fiduciam quatuor ſimul bella moliente, eáque graviſsima, ſcilicet adverſus Theodoricum Viſigotthum, cujus dominatio latè per Hiſpanias & Gallias protendebatur, adverſus Meroveum Francorum parte, validiſque ſocietatibus fretum, adverſus Occidentis Imperatorem Valentinianum tertium ob vindicandam ſibi mediam ejus Imperij partem ſpecie juris dotalis Honoriæ ſororis ejus. Hæc enim ob ſtuprum admiſſum ejecta ignominioſe de fratris aula, Attilam in ſui ultionem acceſſiverat, paciſcens cum eo nuptias & pro dote dimidiam Occidentis Imperij portionem, ut Priſcus hic prodit quam ſibi tanquam ex ſemiſſe cum fratre hæredi debitam aſſeverabat. Et demum adverſus præpotentem Orientis Imperatorem Marcianum, eo quod tributum annuum, cui ſoluendo præceſſor ejus Theodoſius junior ſe Attilæ devinxerat, pendere recuſaret.

## *CONCILIUM TOLETANUM primum Anni* 400.

1. FUerat pridem iſtud Concilium communi judicio adſcriptum anno Chriſti 405. Errori cauſam dederat Innocentij Papæ epiſtola 23. ad Synodum in Toloſana civitate conſtitutam, ſeu ut reſtituit Sirmondus ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Cæterùm hæc Innocentij epiſtola non ad iſtam quam hic tractamus Synodum Toletanam ſcripta eſt, ſed ad poſteriorem Toletanam in qua de ordinationibus perperam factis agebatur. Iſta verò prior quam nunc tractamus contigit ſub Anaſtaſij (qui ſucceſſorem Innocentium habuit) Pontificatu. Idque præclarè primus animadvertit Baronius, inde quia Concilium iſtud primum Toletanum in definitiva, quæ Canonibus ſubjicitur, ſententia meminit tunc viventis Simpliciani, qui Ambroſio in Epiſcopatu Mediolanenſi proximus ſucceſſerat, his verbis: *Expectantes pari exemplo quid Papa qui nunc eſt, quid ſanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliquique Eccleſiarum conſtituant Sacerdotes.* Et iterum: *Conſtituimus autem priuſquam illis per Papam, vel per ſanctum Simplicianum communio redditur.* Poſterioris verò Toletani, ad quod Innocentius Papa ſcripſit, annus, & decreta ignorantur. Hoc unum pro certo habendum acquieviſſe placitis in epiſtola Innocentij comprehenſis, atque ita Hiſpaniarum Eccleſiarum compreſſa fuiſſe diſſidia, quibus illæ pernicioſè infeſtabantur circa converſos ab hæreſi Priſcilliani Epiſcopos, utrùm in priſtino dignitatis gradu recipiendi eſſent, & circa permultas ordinationes Eccleſiaſticas quas conſtabat factas contra Nicænos, alioſque ſacros Eccleſiæ canones, quaſque aliqui

Digitized by Google

aliqui irritas & pro nullis habendas, alij qualitercumque factas ſubſiſtere ac ſuſtineri debere contendebant. Innocentius de diverſis ordinationibus diverſa præſcribit, ſed quod ad futuras ordinationes attinet præcipit in eis poſthac ſacros Canones inviolatè cuſtodire. Ad ſtabiliendam verò neceſſariam pacem pro qua concilianda Hilarius Epiſcopus qui ſubſcriptus Concilio Toletano legitur, & Elpidius Presbyter ex Hiſpania Romam ad Innocentium commigrarant, Symphoſium & Dictinnium Epiſcopos, & Comaſium Presbyterum, aliosque ex Priſcilliani ſecta redeuntes, quos Toletanum primum Concilium damnantes Priſcilliani ſectam in communionem retentis priſtinis honoribus, ut ſcribit Idacius in Chronico receperat, ſtatuit Innocentius poſſe in priſtinis gradibus ac dignitatibus permanere, eos verò qui pervicacius obſiſterent quieſcere jubet; admonens ne Luciferi olim Calaritani in Sardania Epiſcopi ſchiſma in ſimili cauſa imitentur. Porrò Concilium quod pertractamus neceſſe eſt collocari ante annum 401. quo defuncto jam Simpliciano Venerius Mediolanenſem regebat Eccleſiam, ut conſtat ex Legatione in Concilio Africano decreta ad Anaſtaſium Papam, & Venerium Mediolanenſem Epiſcopum poſt primum Stiliconis Conſulatum. At verò iſta Toletana prima Synodus, ſub illo eodem coacta eſt Stiliconis Conſulatu qui anno Chr. 400. eſt aſſignandus Anaſtaſio Papa Eccleſiam moderante.

2. Eſt verò Toletum civitas inſignis ad amnem Tagum ſita caput Carpetanorum, quæ nunc regio Caſtillia dicitur nova; hujus cogendæ Synodi duæ fuerunt præcipuæ cauſæ, ſchiſma Eccleſiarum Hiſpaniæ præſertim Bæticarum, & Provinciæ Gallæciæ ab invicem diſſidentium exortum ex pleriſque factis contra Canonum præſcripta ordinationibus, quas quidam ſubſiſtere, alij eſſe irritas omnique validitate vacuas prorſusque nullas obnixè aſſerebant. Prætereaque ex occaſione Priſcillianiſtarum hæreſis, quæ multas Ibericas Provincias pervaſerat, & diſcordiæ inter Catholicos natæ utrum converſi ab illa hæreſi Sacerdotes, & Epiſcopi priſtino in gradu poſt ejuratam hæreſim relinquendi eſſent, Severus Sulpicius hujus hiſtoriam hæreſis accuratè deſcribit, quæ Simonis atque Baſilidis dæmoniacas præſtigias, Gnoſticorum infames ſpurcitias, & Manichæorum deliria renovabat. Ejus autor Priſcillianus Epiſcopus, ea de cauſa capitali ſupplicio ab Imperij uſurpatore Maximo addictus eſt. Complures Synodus iſta canones & anathematiſmos edidit, quemadmodum etiam Bracarenſis prima & Cæſarauguſtana quibus iſta damnatur & reprimitur hæreſis. Iſtud quoque obſervandum eſt edidiſſe Toletanum hoc primum Concilium, novum procudiſſe fidei ſymbolum, quo proceſſio ſancti Spiritus à Patre Filioque confirmatur his verbis: *Eſt ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus paracletus, ſed à Patre Filioque procedens.* Ex eadem Hiſpania Bracarenſe Concilium primum anni à Chr. 411. in fidei quam procudit profeſſione hoc idem enunciat *Credo in Spiritum ſanctum procedentem à Patre & Verbo.* Eadem expreſsè ſimul profitentur poſteriora Toletana Concilia tertium anni 589. & quartum anni 633. & octavum anni 653. & undecimum anni 675. Quæ omnia celebrata ſunt ante annum 700. quo infauſtè cœpit Græcorum diſſidium.

3. In iſtius Toletani primi Concilij canonibus multæ proponuntur irregularitates quæ homines à ſacris Ordinibus arcent, quarum recitatione ſuperſedeo, quia illas alibi exactius à me proſequutum iri ſpero.

4. Can. V. Hoc exigit ab omnibus Clericis, ut quandocunque poſſunt Miſſæ quotidie interſint Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, caſtello, vico, aut villa in qua quotidianum offeratur ſacrificium.

Can. VI. *Item neque puella Dei, aut familiaritatem habeat cum confeſſore, aut cum quolibet laico ſibi ſanguinis alieni.* Similiter Concilium Pariſienſe ſub Gregor. IV. regnante Ludovico Pio Francorum Imperatore hæc ſtatuit lib. 1. cap. 46. *Clerici vel Monachi ne cum ſanctimonialibus colloquantur niſi ex conſenſu Epiſcopi, & ex cauſa neceſſitatis. Neve ullus Sacerdos alicujus monialis confeſſionem audiat, niſi coram teſtibus haud procul adſtantibus.* Conſulito etiam quæ adnotavi ad can. 10 Nicænæ Synodi ſecundæ, & ad can. 28. Agathenſis Concilij. Vide Concil. Carthag. IV. can. 97. ut religioſis fœminis præponendus ab Epiſcopo probetur.

5. Can. XIV. *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit velut ſacrilegus propellatur.*

Veterem itaque ritum abolet, quo libertas fidelibus relinquebatur ſacram Euchariſtiam, vel intra Eccleſiam præſenti manducatione abſumendi, vel manu exceptam intra privatas ædes deferendi. Qua de re pluribus pertractatum ſupra eſt ad ſecundum Eccleſiæ ſæculum, in diſſertatione de veteribus circa Euchariſtiam ritibus. Eandem quoque de abſumenda intra Eccleſiam divina Euchariſtia, ſanctionem procudit Concilium Cæſarauguſtanum can. 3. Cauſam dedit harum in Hiſpania conſtitutionum Priſcillianiſtarum qui eas Provincias peſtifera lue infecerant, nefanda impietas, qui ſuis in propudioſis, & nocturnis conventibus rebus ſacris impiè, ut Sulpicius Severus prodit abutebantur.

6. Can. XVII. *Si quis habens uxorem fidelem & concubinam habeat, non communicet. Cæterum qui non habet uxorem, & concubinam pro uxore habet, à communione non repellatur, tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit ſit conjunctione contentus.*

Eſt apud Gratianum c. is qui diſt. 34. Quicumque canonem iſtum expoſuerunt, concubinas de quibus loquitur, illas eſſe dixerunt quæ maritali affectu ductæ ſunt, atque in matrimonium licitum, ſed ſine inſtrumentis & conventionibus dotalibus, & citra ſolitas adhiberi ſolemnitates; quales erant Abrahami concubinæ, adeò ut tales conjunctiones eſſent à peccato immunes, & vera inter Chriſtianos Sacramenta. Unde mirum eſt quid potuerit Ferdinando Mendozæ in mentem venire ſcribenti ad can. 2. Illiberitanum ut voluerit ſanctam iſtam Toletanam Synodum de fornicarijs legeque Chriſtiana prohibitis concubinis, quarum nullus eſſe uſus poteſt citra crimen lethiferum. Et cum abſolutè Chriſtus vetet. *Nolite ſanctum dare canibus, & margaritas projicere ante porcos.* Et alte prædicet Chriſti Apoſtolus & præco

Digitized by Google

co ut probet ſeipſum homo ; qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini. At verò in oppoſitum ſancta & approbata Synodus in eam præceps ruat voraginem, ut Sacerdotibus prohibeat quantumvis notos, ſcandaloſos, & impœnitentes obſtinatoſque concubinarios ab hiſce incontaminatis & tremendis myſterijs excludere ac prohibere; jubeatque publica ſanctione Sanctum dare canibus & margaritum immenſæ puritatis, atque inappretiabile projicere ante porcos. Quis verò in animum inducat ita decreviſſe Concilium iſtud, quod proximè ſequenti canone ſtudium videtur erga continentiam immoderatum ſi ſic dicere licet, ut matrimonium aliquod divino ipſo, & Evangelico jure licitum, atque à peccato prorſus immune perpetua puniat Euchariſticæ communionis privatione, præterquam in exitu vitæ, ſic enim decernit can. ſequenti.

7. Can.XVIII. *Si qua vidua Epiſcopi ſive Presbyteri aut Diaconi maritum acceperit, nullus Clericus, nulla religioſa cum ea convivium ſumat, nunquam communicet, morienti tantum ei Sacramentum ſubveniat.*

Quàm malè cohæret canon uſque adeò ſeverus cum præcedenti canone, quo ſi Mendozæ fidem habemus porrigi jubetur Euchariſtia concubinarijs impœnitentibus, nec à peccato deſiſtere volentibus?

8. Can.XX. *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo nemo chriſma conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel Provincijs Presbyteri dicuntur chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum chriſma conficere, & per diœceſim deſtinare; itaut de ſingulis Eccleſijs ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur aut Subdiaconi, ut confectum chriſma ab Epiſcopo deſtinatum ad diem Paſchæ poſſit occurrere. Epiſcopo ſanè certum eſt omni tempore licere chriſma conficere. Sine conſcientia autem Epiſcopi nihil penitus faciendum. Statutum verò eſt Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo ; præſente verò Epiſcopo poſſe ſi ab Epiſcopo fuerit præceptum.*

His conformia jam ante diſpoſuerant Carthaginenſes canones. Etenim Concilij Carthaginenſis ſecundi can.3. ſic habet. *Fortunatus Epiſcopus dixit ſi jubet ſanctitas veſtra ſuggero. Nam memini præcedenti Concilio fuiſſe ſtatutum ut chriſma, vel reconciliatio pœnitentium, nec non puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant. Ab univerſis dictum eſt Epiſcopis : Chriſmatis confectio & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant ; vel reconciliare quemquam in publica Miſſa Presbytero non licere, hoc omnibus placet.* En igitur tria quæ fieri à Presbyteris non poterant, Chriſmatis confectio, Virginum conſecratio, & pœnitentium publica reconciliatio. Simile decretum à Concilio Carthaginenſi tertio promanavit can.36. *Vt Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret : chriſma verò nunquam conficiat.* De reconciliatione verò publicè pœnitentium eodem Carthaginenſi Concilio tertio can.32. ſic decernitur : *Vt Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, neceſſitate cogente. Cujuſcumque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur.*

9. Quod verò ait noſter Toletanus canon 20. *Epiſcopo ſanè certum eſt omni tempore licere chriſma conficere.* Id non eſt indiſcriminatim intelligendum, ſed accommodatè ad omnes annos nullatenus verò ad omnes anni dies. Nemo Catholicus ambigit Apoſtolicam eſſe traditionem, ut quotannis in die cœnæ Domini chriſma conficiatur. Et Concilium Meldenſe can.46. decernit : *Vt nemo ſacrum chriſma niſi in quinta feria maioris ſeptimanæ, id eſt in cœna quæ ſpecialiter appellatur Dominica conficere præſumat.* Porrò canon iſte Toletanus refertur à Martino origine quidem Græco, ſed in Hiſpania Bracarenſi Epiſcopo, Martinianæ collectionis can.51. & à Gratiano diſt. 3. de conſecr. cap.omni tempore.

## CONCILIVM TAVRINENSE
*Anni 402.*

1. QUOD attinet ad hujus Concilij tempus, quamvis communi judicio exiſtimatum fuerit ejus incidiſſe celebrationem in annum à Chriſto 397. dum Siricius Papa Eccleſiæ præſidebat, rectius tamen aſſignandum eſt anno 402. aut ſequenti. Sanctus enim Martin.Turonenſem rexit Eccleſiam aduſque initium quinti ſæculi : rectèq; ex Sulpicio conjicit Baronius Martini obitum non contigiſſe ante quadringenteſimi ſaltem anni aut ſequentis finem die Novembris undecima : & aliunde liquet ex Zoſimi Pontificis ad Africanos epiſt.4 & ex ejuſdem ad Africanos, Gallos & Hiſpanos epiſt.7. Lazarum fuiſſe in Taurinenſi Concilio calumniæ convictum, contra Bricium Epiſcopum intentatæ. Hic autem in Martini demortui ſucceſſerat Epiſcopatum. Unde neceſſe eſt iſtud Concilium referre ſaltem in annum epochæ Chriſtianæ 402. quo Bricius Turonenſi Eccleſiæ poſt Martinum præfuit. Niſi fortè Zoſimus ipſe falſis relationibus fuerit circumventus ab adverſarijs Lazari, quales pro certo erant Patroclus & Cæleſtius Pelagianus.

2. Auguſta Taurinorum urbs eſt in regione Pedemontium, intra Galliam dictam olim Ciſalpinam Sabaudiæ ducum ſedes. Ibi congregatum Concilium fuit ad ſedandas quorumdam Gallicanorum Præſulum controverſias, quæ tamen diremptæ non fuerunt. Litigabant invicem de Primatu Viennenſis & Arelatenſis Epiſcopi, nec tamen ibi proceſſum ad definitivum judicium fuit. Sed hoc tantummodò interlocutorium. *Vt qui ex eis approbaverit civitatem ſuam eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipſe juxta canonum præceptum ordinationum habeat poteſtatem can.2.* Certè ad pacis vinculum conſervandum hoc utiliore conſilio decretum eſt, ut ſi placeret memoratarum urbium Epiſcopis, unaquæque de his viciniores ſibi intra Provinciam vindicet civitates, eaſque viſitet Eccleſias quas oppidis ſuis viciniores eſſe conſtiterit. Itaut memores concordiæ, atq; unanimitatis non alter alterū longius ſibi uſurpando quod eſt alij propius inquietet.

3. Proculus

Digitized by Google

3. Proculus etiam Epiſcopus Maſſilienſis Arelatenſi Metropolitano ſubjectus ac ſuffraganeus, vir ſublimes præ ſe ferens ſpiritus, quemque ſupra vidimus una cum Conſtantio Legatum Gallicanarum Eccleſiarum in Aquileienſi Concilio conſediſſe, ambiebat in aliena Provincia ſcilicet in ſecunda Narbonenſi Metropolitani dignitatem, nullum jus nullamque ſuorum præceſſorum allegans poſſeſſionem, ſed unum hoc prætendens (quod tamen alij negabant Provinciæ Epiſcopi) fuiſſe à ſe quoſdam ejuſdem Provinciæ Epiſcopos conſecratos. Apertè & indubiè Baronius hic fallitur cujus hæc ipſa in iſtud Concilium verba: *Sed & Narbonenſis Provinciæ primam eſſe ſedem Maſſilienſem Eccleſiam declaratum eſt.* At contrarium prorſus à Concilio declaratum eſt can. 1. his ipſis verbis: *Siquidem aſſereret Proculus eaſdem Eccleſias* (ſecundæ Narbonenſis Provinciæ) *vel ſuas Parochias eſſe, vel Epiſcopos à ſe in eiſdem Eccleſijs ordinatos. Et è diverſo ejuſdem regionis Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius Provinciæ Sacerdotem præeſſe non debere contenderent: ſed judicatum eſt à ſancta Synodo contemplatione pacis atque concordiæ, ut non tam civitati ejus quæ in altera Provincia eſt ſita, cujus magnitudinem penitus neſciremus, quam ipſi potiſſimum deferretur, ut tanquam pater filijs honore primatus aſſiſteret. Dignum enim viſum eſt, ut quamvis unitate Provinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu: hæc igitur ipſi tantum in vita ejus forma ſervabitur.* Hactenus verba Concilij Taurinenſis, quod fatetur ſemel iterumque Maſſiliam eſſe diverſæ à Narbonenſi ſecunda Provinciæ, ideoque jus Metropoleos apertè excludit ab Eccleſia Maſſilienſi: ſed ſoli perſonæ Proculi ſolius ad ſolam illius vitam Primatum iſtum indulgere ſe profitetur. Quæ Concilij verba, Proculi injuſtam patefaciunt ambitionem, ſimulque Concilij puſillanimitatem, non auſi Proculum factione prævalidum penitus offendere. Commonſtrat tamen ſe novitatem in univerſa Eccleſia hactenus inauditam & inſolitam ad tempus dumtaxat vitæ unius invehere. Et utique Summus Pontifex Zoſimus perſpecta hujus Taurinenſis decreti iniquitate, ipſum contrario decreto penitùs abrogavit: ejuſque impetratorem Proculum apertè damnavit in ſua ad Patroclum Arelatenſem epiſtola. Quinetiam Proculum adverſus Apoſtolica mandata pertinacem, novaſque turbas, & populares factiones concitantem ipſa Maſſilienſi ſede & Eccleſia exturbat mandatque alium ejus loco Epiſcopum eligi, ut ex alijs duabus Zoſimi epiſtolis liquet ad Patroclum & ad Maſſilienſes.

4. Sanè conſtituerat Nicæna Synodus can. 4. ut in unaquaque Provincia Eccleſiaſtica præſit Metropolitanus intra eam conſtitutus. Perſpicuè verò teſtantur tum Laterculum Provinciarum Imperij Romani, tum Ammianus Marcellinus lib. hiſtoriarum 15. Arelatem & Maſſiliam ad Viennenſem Provinciam pertinere: quinetiam idipſum pluſquam ſemel declarat verbis jam allegatis Taurinenſe Concilium. Hæc igitur ſecunda Narbonenſis Provincia, neque Maſſilienſem debuit Epiſcopum, neque Arelatenſem Archiepiſcopum habere Metropolitanum, ſed potius Aquiſextienſem qui hoc etiam nunc potitur dignitatis gradu. Etenim Aquaſſextias notitia Imperij collocat ſecundæ Narbonenſis Provinciæ Metropolim, eique eaſdem ſubjicit civitates quæ etiam nunc in Eccleſiaſtica partitione eidem Aquenſi comprovinciales ſunt ac ſuffraganeæ. Eſt verò demonſtratu facillimum Eccleſiarum diſtributiones & colligationes jam inde ab exordijs naſcentis Eccleſiæ cum partitione civili conformatas fuiſſe. Porrò Arelatenſis Eccleſia non modo ex antiquo conſequuta eſt, ut eſſet Metropolis Eccleſiaſtica ſicque præeſſet Eccleſijs Provinciæ ſecundæ, ſeu inferioris Viennenſis, atque ita ſubeſſet, quæ ejuſdem eſt Provinciæ Maſſilienſis Eccleſia, verumetiam diuturnis temporibus Primatiæ ac Vicariæ Apoſtolicæ jure ac autoritate ſupra utramque Narbonenſem primam & ſecundam univerſamque Viennenſem ſuperiorem, potita fuit; & licet Nicæno canone cautum eſſet, ut Epiſcopi cujuſlibet Provinciæ à proprijs Metropolitis conſecrarentur, prohibitum nihilo ſecius à Zoſimo Papa fuit, ne quiſquam Viennenſium aut Narbonenſium Provinciarum ordinaretur Epiſcopus ab alio quam ab Arelatenſi, cui etiam jus collatum fuit Synodos per illas Provincias convocandi in eiſque præſidendi, ut factum videmus in Concilio Agathenſi, cui Cæſarius Arelatenſis præſedit, etiamſi Agatha ſit ſuffraganea Narbonenſi Metropolitæ. In Concilio ſimiliter Reienſi ſeu Regenſi præfuit Hilarius Arelatenſis tempore Sixti Papæ tertij, quamvis Reiorum civitas ad ſecundam Narbonenſem, cujus eſt Metropolites Aquenſis Epiſcopus pertineret. Antoninus enim Auguſtus Reienſium civitatem in ſuo collocat itinerario intra ſecundam Narbonenſem, cujus Metropolim eſſe docet Aquaſſextias, hac ipſa ſerie Provinciæ (inquit) Narbonenſis ſecundæ civitates numero ſeptem. 1. Metropolis civitas Aquenſium. 2. Aptenſium. 3. Reienſium, 4. Forojulienſium. 5. Gapincenſium. 6. Seſterienſium. 7. Antipolitana. Similiter idem Imperator Antoninus Provinciam Viennenſem ſic delineat. In Provincia Viennenſi civitates numero quindecim. Metropolis civitas Viennenſium. 2. Gebennenſium. 3. Gratianopolitanorum. 4. Belloicenſium. 5. Vivariæ. 6. Dienſium. 7. Valentinorum. 8. Avenionenſium. 9. Arelatenſium. 10. Carpentoratenſium. 11. Maſsilienſium. 12. Tricaſtinorum. 13. Vaſioncuſium. 14. Arauſienſium. 15. Cabellionum. Primam verò Narbonenſem ita concinnat. Provinciæ primæ Narbonenſis civitates numero ſeptem. Metropolis civitas Narbonenſium. 2. Toloſatum. 3. Biterrenſium. 4. Agathenſium. 5. Nemauſenſium. 6. Magalonenſium. 7. Lutevanorum, & caſtrum Ucetienſe. In Provincia verò Alpium maritimarum Metropolim locat Ebrodunum. Deinde civitatem Dinienſem, &c. Non inficior immutatam unius aut alterius oppidi nomenclaturam ab ætate Antonini diverſam ut contigit in Gratianopoli ſic denominata ab Imperatore Gratiano, qui longè poſt Antoninum regnavit cum prius Cularona diceretur. Id verò quod poſterius accidit ad certiorem urbis notitiam, amovendamque

ambiguitatem quæ ex veteri nomēclatura poterat ſuboriri, nihil obſtat quo minus verum ſit ac germanum hoc itinerarium nulla facta ſecundum rei ſubſtantiam commutatione. Sanctus Leo Papa epiſt.50. ad novemdecim Galliarum Epiſcopos, qui Ravennij Arelatenſis Epiſcopi mortuo Hilario ſublectus fuerat miſſa etiam Romam communi legatione cauſæ patrocinabantur, quatuor dumtaxat civitates Viennenſi attribuit Antiſtiti, quibus Metropolitani jure præſit, Valentiam, Tarentaſiam, Genevam & Gratianopolim; reliquaſque omnes Viennenſis Provinciæ civitates ad Arelatenſem revocat. Tarentaſia porrò ſi non falluntur qui eandem cum Centronibus civitatem eſſe autumant, eſto, fuerit aliquando in civili partitione Provinciæ Graiarum & Pœninarum Alpium Metropolis, ſed non Eccleſiaſticæ diſtributionis cum hîc Metropoli Viennæ alligetur. Rem ſanè obſcuram & ambiguam reddunt veteres immutatæ nominationes, nunc ſanè Tarentaſia Metropolis eſt Eccleſiaſtica cui ſubjiciuntur Epiſcopi Auguſtenſis d'Aoſte, & Sedunenſis de Sion.

5. Quod verò jam admonui intra primam Narbonenſem Concilio Agathenſi Arelatenſem Epiſcopum Cæſarium præſediſſe, ſimiliterque intra ſecundam Narbonenſem Provinciam in Concilio Reienſi Hilarium pariter Arelatenſem, idem obtigit intra primam Viennenſem Provinciam in Concilio Valentino ſecundo anni 584. ſub Pelagio Papa ſecundo: huic enim Sapaudus Arelatenſis præſedit, primuſque illud ſua ſubſcriptione firmavit, poſt quem ſubſcripſit Priſcus Lugdunenſis, tertioque loco Evantius Viennenſis Provinciæ illius Metropolites.

6. Cæterum conceſſum à Zoſimo Papa Eccleſiæ Arelatenſi privilegium, ut ejus poſſit Epiſcopus ſolus conſecrare civitatum intra utramque Narbonenſem & Viennenſem Epiſcopos harum Provinciarum, illa utique poteſtas de jure communi nec ipſis Primatibus ac Apoſtolicæ ſedis Vicarijs poterat competere, ſed per canonem 4. magnæ Nicenæ Synodi ſolis Provinciæ Metropolitis debebatur τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ, ut Metropolitæ poteſtas detur eorum quo per ſingulas Provincias fiunt. Ipſæ quoque Romanorum Pontificum literæ per quas ſuos ubivis Vicarios & Primates conſtituebant, hanc legem exprimebant ne quid detrimenti Metropolitarum juribus inferretur, quales videre eſt plæraſque, ut ſunt Sancti Leonis Papæ ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, cui ſuas per Illyricum vices committit, ſervato tamen ſingulis Metropolitanis jure proprio, ut eis in ſuis Provincijs jus ſervetur Epiſcopos ordinandi. Itemque Hormiſdæ Papæ ſuas Remigio Rhemenſi Epiſcopo vices per totum Clodovæi regnum delegantis epiſt.1. Ejuſdemque Pontificis epiſt.26. ad Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum quem ſuum conſtituit Vicarium per omnem Bæticam & Luſitaniam: utrobique enim Hormiſda hanc adjungit reſervationem. *Salvis privilegijs quæ Metropolitanis Epiſcopis decrevit antiquitas.* Sanctus quoque Pontifex Gregorius lib.4. epiſt.51. Virgilio Arelatenſi ſic ſcribit: *Fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccleſijs quæ ſub Regno ſunt præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti juxta antiquum morem Deo autore committimus; ſingulis ſiquidem Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſervato.* Quinetiam ipſe Zoſimus, qui per diminutionem juris ac autoritatis Metropolitanorum Vicarij ſui Arelatenſis dignitatem novo & inuſitato incremento cumulaverat, maturiore poſtea conſilio reſcidit quod indulſerat, ut idem ipſe ſcribens ad Simplicium Viennenſis Provinciæ veteris Metropolitanum ingenuè fatetur. Quò pariter reſpexit Leo Papa primus ſcribens ad Epiſcopos per Viennenſem Provinciam conſtitutos epiſt.89. aliàs 10. *Quid ſibi* (inquit) *quærit Hilarius in aliena Provincia, & id quod nullus deceſſorum ipſius ante Patroclum habuit quid uſurpat? cum & ipſum quod Patroclo à ſede Apoſtolica temporaliter videbatur eſſe conceſſum, poſtmodum ſit ſententia meliore ſublatum.*

7. Id verò perquàm mirum eſt Epiſcopum Maſſilienſem qui Arelatenſis Epiſcopi ſuffraganeus erat, eique comprovincialis tantum ſibi juris uſurpare præſumpſiſſe, ut etiam in aliena Provincia Metropolites eſſe ambiret, atque ſi verum eſſet quod jactabat ordinatos à ſe fuiſſe Narbonenſis ſecundæ Epiſcopos; quî fieri potuerat, ut vel Arelatenſis primas, vel Aquenſis Metropolites hoc ſibi jus ab extraneo præripi finerent. Probabiles ſunt conjecturæ ſi hoc factum fuerit (quod tamen alij Epiſcopi inficiabantur) id contigiſſe, vel per affectatum civilem quemdam honorem, aut per ultroneam juris proprij factam ab alio conceſſionem vel delegationem, aut etiam rogatum quò celebriores eſſent plurium infulatorum Antiſtitum concurſu conſecrationes. Facile quoque id contigiſſe potuit, ut quemadmodum imperante Ariano Principe Conſtantio, Saturninus Arianus in Arelatenſem Epiſcopum provectus fuerat, ita & Aquenſem Eccleſiam indebitè occuparit, ſive ſub Juliano Apoſtata, ſive ſub Ariana Juſtina Imperatrice, vel etiam propter aliquod aliud delictum fuerit, vel Pontificio, vel Synodali decreto ſuſpenſus à Pontificalibus, aut alioqui exauthoratus Aquenſis Eccleſiæ Præſul, eaque occaſione factum, ut viciniori Epiſcopo fuerit per proviſionem contributa illa quâ Epiſcopus Aquenſis exciderat Eccleſiaſtica juriſdictio ac poteſtas. Proximior autem Epiſcopus ipſe eſt Maſſilienſis. Ambæ namque civitates Aquenſis & Maſſilienſis dimidiæ tantum diætæ itinere ab invicem diſtant. Verumtamen quæcumque cauſa extiterit, Proculus illa ſua ambitioſa præſumptione commeruit Zoſimi Papæ decreto etiam propriâ Eccleſiâ dejici, ut ex ejus liquet reſcriptis, reſciſſaque juſtiſſimè fuit illa Taurinenſis Concilij parum canonica proviſio. Aquiſextienſis porrò Epiſcopus ne quod jus Metropolitanæ dignitati ſuæ decederet detrectare ſolebat in Synodos acceſſum ad quas ab Arelatenſi Epiſcopo convenire jubebatur, ut fidem facit Symmachi Papæ Romani epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem, qui per Ægidium ſibi ſubditum Abbatem conqueſtus de Aquenſi Epiſcopo fuerat, recuſante ad Concilia per Arelatenſem indicta proficiſci; cujus querimoniæ occaſione Symmachus reſcripto ſuo renovat, inſtauratque Arelatenſis Antiſtis privilegia, ut invigilet circa Gallicanarum Provinciarum Epiſcopos, plenoque jure in eos eorumq. Eccleſias utatur, ſpeciatim verò in Aquenſē Epiſcopum ad Concilia quæ indixerit per canonicas pœnas compellendum. Sanctus autem Papa Leo primus qui magna ſolicitudine Arelatenſem Metropolitem

Metropolitem ad propriæ ſecundæ Viennenſis Provinciæ limites coërcere ſtuduit, & juta dignitatemque Metropolitanorum ne longius evagarentur intra Nicænæ Synodi præſcripta reduxit, ne Arelatenſes Antiſtites obtentu Primatiæ aut Apoſtolicæ Vicariæ Epiſcopos ac Metropolitas Provinciarum Narbonenſium, & prioris Viennenſis poſthac opprimere pergeret: ille igitur ſcribens ad Theodorum Forojulij ſecundæ Narbonenſis Præſulem epiſt. 83. aliàs 91. graviter illum corripit dicens: *Solicitudinis quidem tuæ hic ordo eſſe debuerat, ut cum Metropolitano tuo primitùs de eo quod quærendum eſſe videbatur conferres.* At quo Metropolitano? non utique Arelatenſi quem Leo ipſe omni quod prætendebat in utramque Narbonenſem & alteram Viennenſem, ut ex permultis ejus liquet epiſtolis excluſerat, ergo Aquenſi qui Aquiſſextiis ſecundæ Narbonenſis Metropoli fixam habebat ſedem.

## *CONCILIVM MILEVITANVM Anni 416.*

1. Scitè Baronius admonet duo fuiſſe Milevitana Concilia in unum à collectoribus confuſa: primum anno Chr. 402. initio Pontificatus Innocentij necdum oborta hæreſi Pelagiana. Huic præſedit Aurelius Carthaginenſis Arcadio & Honorio Auguſtis quintùm Conſulibus, ut refert ejuſdem præfatio, quæ tamen indebitè præfixa eſt ſecundo Milevitano Concilio de quo nunc agimus, & in quo examinata eſt Pelagij & Cæleſtij hæreſis. Iſtud verò ſecundum coactum eſt anno Chriſti 416. ultimo Innocentij Pontificatus anno, quo eodem pariter habitum eſt eadem in cauſa Concilium Carthaginenſe præſidente pariter Aurelio. Autumat Baronius ad iſtud ſecundum Milevitanum pertinere anathematiſmorum contra Pelagianam hæreſim canones octo, quos dicit à plenario deinde Concilio Africanorum Epiſcoporum Carthagine celebrato non editos de novo, ſed ex Milevitano iſto eductos ac inſtauratos. Nos verò indiſcriminatim quotquot in eo coacervati reperiuntur canones ſive ibi editos, ſive alijs ex Africanis Synodis tranſumptos, & huc tranſlatos proſequemur. Huic præſedit Milevitano Silvanus Numidiæ primas, eique interfuit Auguſtinus. Conſtat ex hujus ſecundi Milevitani epiſtola ad Innocentium Papam quæ non modo iſti Concilio ſubjicitur, ſed etiam inter Auguſtini epiſtolas legitur inſerta numero 92. Concilio iſti nec interfuiſſe, nec præſediſſe Aurelium Carthaginenſem totius Africæ Primatem, quamvis interloquatur in canonibus huic Synodo attributis, cenſeaturque in ſubſcriptione primus, ſed iſti canones ex alijs hauſti ſunt Africanis Concilijs, ſubſcriptio verò ſpuria & commentitia eſt, quemadmodum & ultima periodus appoſitæ iſti Concilio præfationis quâ mentio injicitur hæreſis Pelagianæ: præloquiũ enim illud alterius Concilij eſt cujus tempore nondum iſta hæreſis prodierat aut innotuerat. Itaque interpolator aliquis, ſive per inſcitiam, ſive per malam fidem Concilium iſtud vitiaverat, tum in prologo, tum in corpore ipſo, tum in ſuſcriptione. Majorque adhibenda eſt fides inſcriptioni Epiſcoporum circiter ſexaginta hujuſce Concilij ſcribentium ad Innocentium Papam in quibus nec recenſentur Aurelius Carthaginenſis, nec Donatianus Teleptenſis primæ ſedis indigitatus in ſuppoſititia illa ſubſcriptione, ſed primus ſecundum rei veritatem qui Concilio iſti præſedit, atque ita prior cæteris ſubſcripſiſſe debuit, eſt Sylvanus ſenex quæ ſenectutis commemoratio titulo æquivalet Primatis alicujus in Africa regionis juxta Africanam conſuetudinem. Excepto enim Carthaginis Epiſcopo, cui conſtanter affixus erat univerſæ Africæ Primatus, ſingulæ Africanæ regiones non alium agnoſcebant particularem, ſeu ſecundi ordinis Primatem quam illum qui prior cæteris fuiſſet conſecratus Epiſcopus. Auguſtinus autem Hipponenſis qui tertius ſimulque poſtremus in falſa illa Concilij ſubſcriptione, nonniſi octavus recenſetur in Synodica epiſtola ad Innocentium Papam conſcripta. Sed de his ſatis nunc perſcrutandi canones octo quos iſtud Concilium erroribus oppoſuit Pelagianorum.

Can. I. *Placuit ergo omnibus Epiſcopis qui fuerunt in hac ſancta Synodo conſtituere hæc quæ in præſenti Concilio definita ſunt. Vt quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ anathema ſit.*

Non inficiatur Synodus primos parentes, quamvis in primæva innocentia perſeveraſſent habuiſſe in ſeipſis principia mortalitatis, adverſarias nimirum elementorũ & humorum ex quibus conſtituitur qualitates, & innati caloris primigenium humorem depaſcentis, & ipſam corporis materiem cujus eſt natura mutabilis; his adjunge innumeras ab extrinſeco deſtructionis cauſas quibus noſtra eſt obnoxia conditio corporalis. Veruntamen hominem ab initio innocentem Deus ſupernaturali præſidio conſervaſſet incolumem & inviolatum, atque ſingulari providentia dolorum mortiſque reddidiſſet expertem ac immunem: Ut veriſſimè dicat Apoſtolus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſivit in quo omnes peccaverunt.*

Can. II. *Item placuit ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod regenerationis lavacro expietur, unde fit conſequens ut in eis forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum non verè ſed falſò intelligatur, anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus: per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit in quo omnes peccaverunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica ubique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſeipſis committere potuerunt ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.*

Can. III. *Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua juſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur anathema ſit.*

Can. IV. *Item ſi quis dixerit eandem gratiam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandū, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus, atque valeamus anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus ſcientia inflat, charitas autem ædificat, valdè impium eſt, ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificat non habere: cum ſit utrumque donum Dei, & ſcire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate ſcientia inflare non poſſit. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt, qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt charitas ex Deo eſt.*

Can. V. *Item placuit ut quicumque dixerit ideò gratiam juſtificationis nobis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur facilius implere valeamus per gratiam: tanquam etiamſi gratia non daretur non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait ſine me difficilius poteſtis facere, ſed ait ſine me nihil poteſtis facere.*

Can. VI. *Item placuit quod ait ſanctus Ioannes Apoſtolus: ſi dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia verè ita eſt, anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus, & adjungit ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra fidelis eſt Dominus, & juſtus qui remittat peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi ſatis apparet hoc non tantum humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere. Si dixerimus quia non habemus peccatum nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt: ſed cum ait nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt, ſatis oſtendit eum qui ſe dixerit non habere peccatum non verum loqui ſed falſum.*

Can. VII. *Item placuit ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere Sanctos, dimitte nobis debita noſtra ut non pro ſeipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque Sanctorum dimitte mihi debita mea, ſed dimitte nobis debita noſtra, ut hoc pro aliis potius quam pro ſe juſtus petere intelligatur anathema ſit. Sanctus enim & juſtus erat Apoſtolus Iacobus cum dicebat, in multis enim offendimus omnes. Nam quare additum eſt omnes niſi ut omnibus iſta ſententia conveniret? Et Pſalmo ubi dicitur. Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, & in oratione ſapientiſſimi Salomonis non eſt homo qui non peccet. Et in libro Iob in manu omnis hominis ſignat ut ſciat omnis homo infirmitatem ſuam. Vnde etiam Daniel Sanctus & juſtus. Cum in oratione pluraliter diceret peccavimus, iniquitatem fecimus & cætera quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur quemadmodum aliqui ſentiunt hæc non de ſuis, ſed populi ſui potius dixiſſe peccatis, poſtea dixit: Cum orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei Domino Deo noſtro, noluit dicere peccata noſtra, ſed & populi ſui dixit & ſua, quia futuros iſtos qui tam male intelligerent tanquam propheta prævidit.*

3. Can. VIII. *Item placuit ut quicumque verba ipſa dominicæ orationis ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem & non hominibus ſed ipſi Deo mentientem, qui labiis dicit ſibi dimitti velle, & corde dicat quæ ſibi dimittantur ſeu debita non habere?*

Hoc uſque Milevitani patres de fide pronunciarunt adverſus Pelagianos. Præter hos de fide canones Dionyſius Abbas, ſimiles alios decem collegit definitionum ac ſententiarum adverſus eamdem hæreſim canones, indubitatæ quidem in Eccleſia autoritatis, quamvis earum ſenteniarum autor ignoretur. Quidam Cæleſtino Romano Pontifici eas aſcribunt & ſubiiciunt epiſtolæ quam idem ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ. Allegantur præterea à Petro Diacono lib. de Incarnatione & gratia Chriſti ad Sanctum Fulgentium cap. 8. à Floro quoque Lugdunenſi lib. adverſus Ioannem Scotum ſeu Erigenam ab Hincmaro Rhemenſi lib. de prædeſtinatione cap. 22. à Creſconio Africano in calce ſuæ canonum collectionis, à Remigio Lugdunenſi Epiſcopo lib. de tribus epiſtolis cap. 23. aliiſque antiquis qui omnes Dionyſium ſequuti decem iſta capitula Cæleſtino adjudicant. Nonnulli Hormiſdæ Papæ hæc aſcribunt, non ut primo autori ſed ut aſſertori qui è ſcriniis Eccleſiæ Romanæ eruerit, eorúmque obſcure meminerit in ſua ad Poſſeſſorem epiſtolâ ubi ait, *De arbitrio libero & gratia Dei quid Romana hoc eſt Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia, licet ex variis libris beati Auguſtini & maximè ad Hilarium & Proſperum abunde poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi tibi deſunt & neceſſaria creditis deſtinabimus.* Admodum probabile eſt Dionyſium Abbatem qui primus decem capitula in lucem edidit eadem ex ſcriniis Romanæ Eccleſiæ hauſiſſe. Nec defuere qui eadem Leoni primo Pontifici quibuſdam ex conjecturis conati ſint vindicare ut eodem autori. Cujuſcumque vero ſit opus, ne quis in hoc noſtro deſideret opere poſt calcem hujus operis ſubjungā.

4. Can. XVI. *Placuit etiam ut petatur à glorioſiſſimis Imperatoribus, ut iubeant iudicibus dari ſibi petitos defenſores ſcholaſticos qui in actu ſint vel officio defenſionum cauſarum Eccleſiaſticarum more Sacerdotum provinciæ, ut iidem ipſi qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum, quoties neceſſitas Eccleſiarum flagitaverit, vel ad obſiſtendum callide decipientibus vel obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda ingredi iudicum ſecretaria.*

Nec verò ſolum Eccleſiarum defenſores ſed etiam pauperum conſueverat Eccleſia ab Imperatoribus poſtulare ut conſtat ex Carthaginenſis Concilij quarti can. 9. defenſorum Eccleſiarum meminere quoque civilia Romanorum iura l. 33. & l. 42. C. de epiſc. & cler. Defenſores aliquoties laici erant de quibus loquuntur iſta Concilia & Zoſimus Papa epiſt. 1. in fine, de laicis etiam Eccleſiarum defenſoribus ſermonem habet, aliquando erant Eccleſiaſtici: Synodus namque Chalcedonenſis can. 23. defenſori Eccleſiæ Conſtantinopolita

nopolitanæ poteſtatem confert ejiciendi clericos & monachos, in ea præter Epiſcopi voluntatem verſantes, quam non contuliſſet ulli laico. Eademque Chalcedonenſis Synodus ſæpe Joannem Presbyterum commemorat Eccleſiæ defenſorem. Papa etiam Gregorius magnus quam ſæpiſſimè commemorat clericos Eccleſiæ defenſores lib. 4. epiſt. 25. lib. 7. epiſt. 27. lib. 8. epiſt. 26. lib. 9. epiſt. 33. & ſparſim alibi. Præter illos Eccleſiæ, alij erant regionarij defenſores, quos vel Papa vel Epiſcopi præficiebant tuitioni, ſupremæque adminiſtrationi jurium aut prædiorum Eccleſiarum in remotioribus locis conſtitutorum quaſi locales œconomos. Ad hujuſmodi defenſores innumeras ſcribit Epiſtolas idem Papa Gregorius. Erant pariter locorum defenſores ſed horum plane civile officium erat. Sicut enim Romæ verſabantur Conſules tribuni plebis & ſenatus reipublicæ commodis proſpicientes: ita horum vice in pleriſque Imperij civitatibus & oppidis erant Conſulum vice decemuiri, nunc quartumviri, nunc triumviri municipales defenſores ac adminiſtratores, de quibus decernunt l. 3. & 4. C. de defenſoribus civitatum & l. 1. C. de offic. juridici Alexan. Horum munus initiò quinquennale fuit ſed Juſtiniani Novella 15. reduxit ad biennium. Quam novellam Balſamon parum ſcitè de Eccleſiarum defenſoribus intelligi vult, quos ex eadem aſtruere conatur nunquam niſi laicos extitiſſe. Defenſores ſive Eccleſiarum, ſive pauperum, ſive civitatum communi nomine apud Græcos ἔκδικοι vocabantur. Canoni iſti 16. conformis eſt canon 61. Concilij dicti Africani quoſt eſt canonum Africanorum collectio.

Can. XVII. *Placuit ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri conjungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem Imperialem petendam promulgari.* Iiſdem verbis repetitur in Concilio dicto Africano can. 69. & apud Gratianum 32. qu. 7. c. placuit ut ſecundum. Fundatur autem Mat. 5. v. 32. Mat. 19. v. 9. Marc. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18. 1. Cor. 7. v. 10. 11.

Can. XVIII. *Placuit ut quicunque non communicat in provincia propria, & in aliis provinciis vel tranſmarinis partibus ad communicandum obrepſerit, jacturam communionis & clericatus accipiat.* Habetur conc. Afric. c. 72. & Cod. can. Afric. c. 105.

Can. XIX. *Placuit ut quicumque ab Imperatore cognitionem judiciorum publicorum petierit honore proprio privetur. Si autem Epiſcopale judicium ab imperatore poſtulaverit, nihil ei obſit.* Conc. Afric. c. 71. & Cod. can. Afric. c. 104. & 11. q. 3. c. placuit ut quicumque ab imper.

Can. XX. *Placuit ut quicumque clericus propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit formatam ab Epiſcopo accipiat. Quod ſi ſine formata voluerit pergere, à communione removeatur.* Concil. Afri. c. 73. & Coll. can. Afri. cap. 106.

Can. XXI. *Item placuit ut quicumque Epiſcopi quaſcumque Eccleſias vel plebes quas ad ſuam cathedram æſtimant pertinere, non ita repetierint ut cauſas ſuas Epiſcopis judicantibus agant, ſed alio retinente irruerint, ſive volentibus, ſive nolentibus plebibus, cauſæ ſuæ detrimentum patiantur.* Conc. Afric. c. 87. Cod. colle. can. Afric. c. 120.

Can. XXII. *Item placuit ut Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores clerici in cauſis quas habuerint ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant & inter eos quidquid id eſt finiant adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.*

Concil. Afric. c. 92. Cod. col. can. Afric. c. 125. & apud Gratia. 2. qu. 6. c. placuit ut Presbyteri. Severinus Binius ad hunc Milevitanum canonem Gratianum coarguit ob iſtam quam attexuit exceptionem. *Niſi fortè Romanam ſedem appellaverint.* Quo enim Africani trans mare appellantes appellaſſent niſi Romanam ſedem? ſed hoc advertendum canone iſto ſolos exprimi Presbyteros, Diaconos vel inferiores his Clericos, quod indicium eſt Epiſcopis non fuiſſe abſolutè interdictas tranſmarinas, ſeu (quod idem eſt) ad Apoſtolicam ſedem appellationes. Itaque nullatenus adverſatur canon Milevitanus canon. 7. Concilij generalis Sardicenſis quod attinet ad provocantes Epiſcopos ad Apoſtolicum tribunal. Ipſeque Auguſtinus qui multis Africanis Concilijs interfuit teſtatum reddit Africanis Epiſcopis ultra mare ad Romanum judicium appellare conceſſum, Clericis verò minoribus id prohibitum eſſe, ut liquet ex ejus epiſt. 162.

5. Can. XXVI. *Item placuit ut quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus aut his quorum ad curam pertinet) velaverit virginem, ſeu velavit intra viginti quinque annos ætatis non ei obſit Concilium quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.* Concilium cujus in iſto canone fit mentio eſt ipſum tertium Carthaginenſe ſub Siricio Pontifice quod ita decernit can. 4. *Item placuit ut ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur.* Præſens vero Milevitanus canon 26. repetitur & inſtauratur in Concilio Turonenſi ſecundo anni 567. can. 20.

6. XXVII. Canon nullatenus pertinet ad Milevitanum, utpote particulare Concilium provinciæ Numidiæ, finitimarumque Eccleſiarum Epiſcoporum circiter ſexaginta, cum tamen ex ejus diſertis verbis conſtet fuiſſe canonem editum in Concilio univerſali. Iſto vero canone providit univerſale Concilium Carthaginenſe, ne per diuturnam Epiſcoporum ab Eccleſijs proprijs abſentiam, hæ diſpendium paterentur, ut terni de ſingulis quinque Africanis Provincijs, quas Atlas mons longo tractu ab Æthiopibus per Africæ deſerta diſperſis dirimit deligerentur Epiſcopi, qui mutua deliberatione decernerent ea quibus Carthaginenſis Synodus non potuerat ſufficienter providere. Sunt autem quinque illæ Africanæ Provinciæ ibidem expreſſæ, Carthaginenſis. 2. Numidica ex qua delecti fuerunt Alypius, Auguſtinus, & Reſtitutus. 3. Provincia Byzacena. 4. Mauritania Sitifenſis. 5. Tripolitana ut delecti ex illis quindecim Antiſtites cum Aurelio Carthaginenſi quæ conducibilia videbuntur maturè ſanciant.



Digitized by Google

## *DECEM CELEBRES DE GRATIA liberoque arbitrio ſententiæ, incertum à quonam Summo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Cæleſtino, an Hormiſda, an Leone magno collectæ.*

### PRÆFATIO.

QUia nonnulli qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus ſeu pravitate, ſive imperitiâ demorantes, piiſſimis diſputatoribus obviare præſumunt. Et cum Pelagium atque Cæleſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris tanquam neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur, eáque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima Beati Petri Apoſtoli ſedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit: neceſſarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat judicarint, & contrà nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores quid de gratiâ Dei ſentiendum eſſe cenſuerint; ità ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites, cum probarunt. Ut ergò plenius qui in aliquo dubitant, inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum patrum compendioſo manifeſtemus indiculo, quo ſi quis non nimiùm eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum autoritatum brevitate pendere, nullámque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cum Catholicis credat & dicat.

I. *Quod Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi Chriſti gratiâ poſſe ſalvari.*

2. In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem, & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius næniæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit; pronuntiante beatæ memoriæ Papa Innocentio atque dicente in epiſtola ad Carthaginenſe Concilium I. Libero enim arbitrio olim ille perverſus, dùm ſuis inconſultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda, demerſus eſt, & nihil, quemadmodùm indè reſurgere poſſet, invenit; ſuáque in æternum libertate deceptus, hujus ruinæ ſubjacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſteà Chriſti per ſuam gratiam relevaſſet adventus, qui per novæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium ſui baptiſmatis lavacro purgavit.

II. *Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus.*

3. Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus; quod in eiſdem ſcriptis ejuſdem Pontificis ſententia proteſtatur dicens: nam quid nos de eorum poſt hæc rectum mentibus æſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quòd boni ſunt; nec illum conſiderant cujus quotidiè gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt.

III. *Quòd niſi gratiâ Dei continuâ juvemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus.*

Neminem, etiam baptiſmatis gratiâ renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei perſeverantiam bonæ converſationis acceperit, quod ejuſdem antiſtitis in iiſdem paginis doctrina confirmat dicens: Nam quamvis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis, tamen ſciens illum iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, quotidiana præſtans ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

IV. *Quod per Chriſtum libero benè utamur arbitrio.*

5. Quòd nemo niſi per Chriſtum, libero benè utatur arbitrio, idem magiſter in epiſtolâ ad Milevitanum Concilium datâ prædicat, dicens: Adverte tandem ô praviſſimarum mentium perverſa doctrina, quod primum hominem ità libertas ipſa decepit, ut dùm indulgentiùs frænis ejus utitur, in prævaricationem præſumptione conciderit; nec ex hac potuerit erui, niſi ei providentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet adventu.

V. *Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.*

6. Quòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudémque referenda ſunt: quia nemo aliunde ei placeat, niſi ex eo quod ipſe donaverit. In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zoſimi regularis autoritas, cum ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad autorem ſuum referenda ſunt unde naſcuntur) ad fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum conſcientiam univerſa retulimus. Hunc autem ſermonem ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, ut ita ad eumdem virum ſcriberent: illud verò quod in litteris, quas in univerſas provincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens: nos tamen inſtinctu Dei, &c. Sic accepimus dictum ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani Arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens amputares. Quid enim tam libero feciſti Arbitrio, quàm quod univerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti, & tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fidentérque dixiſti? Ideò utique quia præparatur voluntas à Domino, & ut boni aliquid agant paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangat corda fidelium: quotquot enim ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt: ut nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.

VI. *Quod*

VI. *Quod omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.*

7. Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, ut ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit: quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus, ad hanc enim nos profeſſionem idem doctor inſtituit, qui cum ad totius orbis Epiſcopos de divinæ gratiæ opitulatione loqueretur; quod ergò, ait, tempus intervenit quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim ut quidquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo; non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aëris hujus, contrà ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Et ſicut ipſe iterùm dicit: infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum & iterùm, gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboravi. Non ego autem ſed gratia Dei mecum.

VII. *Quod gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur, & præſtet ut lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facilè, quaſi ſine gratiâ Dei difficiliùs poſſit impleri.*

8. Illud etiam quod intrà Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ ſedis amplectimur, quod ſcilicet tertio capitulo definitum eſt, ut quicunque dixerit gratiam Dei, qua juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur anathema ſit. Et iterum quarto capitulo. Ut quiſquis dixerit gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, propter hoc nos tantùm adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus, ſcientia inflat, charitas verò ædificat, valdè impium eſt ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædificat, non habere, cum ſit utrumque donum Dei, & ſcite quid facere debeamus, & diligere ut faciamus, ut ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare, ſicut autem de Deo ſcriptum eſt, qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt: charitas ex Deo eſt. Item quinto capitulo; ut quiſquis dixerit, ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius poſſimus implere per gratiam; tanquam ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illâ implere divina mandata, anathema ſit: de fructibus enim mandatorum dominus loquebatur, ubi non ait, ſine me nihil difficilius poteſtis facere; ſed ait: ſine me nihil poteſtis facere.

VIII. *Quod præter ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, quâ genus humanum ab æternâ damnatione reparatur.*

9. Præter beatiſſimæ & Apoſtolicæ ſedis inviolabiles ſanctiones, quibus nos piiſſimi patres peſtiferâ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſque in finem perſeverantiam ad Chriſti gratiam referre docuerunt: obſecrationum quoque ſacerdotalium Sacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Catholicâ Eccleſiâ uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cum enim Sanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut judæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei receptione reſipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis cæleſtis miſericordiæ aula reſeretur: hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Deo peti, rerum ipſarum monſtrat effectus; quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filij charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ: quod ad ò totum Divini operis eſſe ſentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium, vel correctione referatur.

IX. *Quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflationibus ſpiritus ab eis abiguntur immundi.*

10. Illud etiam quod circa baptizandos in univerſo mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, nō otioſo contemplemur intuitu: Cum ſive parvuli, ſive juvenes, ad regenerationis veniunt ſacramentum, non priùs vitæ fontem adeunt, quàm exorciſmis & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat quomodò princeps mundi hujus emittatur foras, & quomodò priùs alligetur fortis, & deinceps vaſa ejus diripiantur in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captivam ducit captivitatem & dat dona hominibus. His ergò Eccleſiaſticis regulis, & ex divinâ ſumptis autoritate documentis, ita adjuvante domino conformati ſumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur autorem & non dubitemus ab ipſius gratiâ omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum, arbitrium, ſed liberatur: ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente fit providum: tanta eſt enim erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ

quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus; nec otioſa in nobis eſſe patitur quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei; ac ſi quid nobis ex noſtrâ videtimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicitè recurramus, qui ſanat omnes langores noſtros & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidiè dicimus, ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.

X. *Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitùs aſſerendæ.*

11. Profundiores verò difficilioréſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ità non neceſſe habemus aſtruere. Quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt: ut prorſus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

## *CONCILIUM CARTAGINENSE VI. idemque Africanum plenarium anni* 418.

NUlla poſt Romam quæ mundi Chriſtiani caput eſt, toto orbe fuit illis de quibus hìc agitur temporibus, Eccleſiaſtica tantæ amplitudinis præfectura quæ Carthaginenſium primatum æquipararet Epiſcopatuum numero qui trecentos excedebat. Antiquitate vero tribus duntaxat cedebat, Romæ, Alexandriæ, & Antiochiæ Patriarchiis. Urbis vero in qua ſtabilitus erat iſte Primatus celebritate vel opibus, vel populi frequētiâ, vel magnitudine tantum Romæ concedens cum Ægyptiaca Alexandria de ſecunda palma contendebat, ut fidem facit Herodianus lib. hiſtoriarum VII. hæc quæ duo à quibuſdam in primiſque à Baronio diſtincta Concilia pro uno eodémque habenda ſunt, quod exorſum eſt anno Chr. 418. porrectúmque in ſequentem annum 419. inchoatum quidem ſub Zoſimo Romano Epiſcopo & deſiit in Pontificatum Bonifacij qui Zoſimo proxime ſucceſſit. Certè utrúmque fuit Carthagine celebratum, utrúmque plenarium extitit. Utrique par Epiſcoporum numerus ſubſcripſit, ſub eodem Carthaginis Epiſcopo Aurelio, ex eorum actis liquet miſſos fuiſſe Zoſimi ad Carthaginenſes ſive Africanos præſules Legatos Fauſtinum Epiſcopum & unà Philippum & Aſellum Presbyteros cum eodem Papæ commonitorio, utrinque pariter remiſſos eoſdem Legatos ad Bonifacium qui Zoſimo proximè defuncto ſubrogatus fuerat. Quæ omnia quomodo poſſint in diverſis Synodis adeo conformiter concurrere quivis judicet. Quanti vero fuiſſet laboris ducentos decem & ſeptem Epiſcopos tam brevi tempore ex remotiſſimis provinciis Carthaginem acceſſiſſe, Concilium habuiſſe, indéque in proprias uſque adeo diſſitas Eccleſias remeaſſe, indéque iterum Carthaginem magnis itinerum moleſtiis & impenſis revocatos. Quod vero ſcribit Baronius Carthaginenſi Concilio ſexto ſubſcripſiſſe quidem, Proſpero teſte, ducentos decem & ſeptem Epiſcopos in propriis quidem Eccleſiis ſingulos, ſed pauciores Carthaginenſi Concilio interfuiſſe, id affirmari nequaquam poſſe inde arguitur, quandoquidem hujuſce Concilij præfatio diſerte exprimit ex ſingulis Africanis provinciis Carthaginem convenſſe ducentos numero Antiſtites ſupra ſeptemdecim qui deinde ſubſcripſere, ut admonet profundiſſimæ doctrinæ ſpecimen Cardinalis Perronius, ipſéque notat Baronij abbreviator Spondanus Epiſcopus. Eſt itaque ſub diverſis iiſque veriſſimis nominibus Carthaginenſis & Africani unum idémque Concilium, anno initiatum quadringenteſimo decimo octavo ſub Pontifice Zoſimo qui eò Legatos prænominatos direxit, cum ſuo quatuor capitū commonitorio. Hic profligata eſt Pelagiana hæreſis. Hinc miſſæ ad Atticum Conſtantinopolis, & Cyrillum Alexandriæ Antiſtites pecuniæ pro comparandis Nicænæ Synodi germanis exemplaribus. Hic abundè cumulatéque proviſum eſt de cleri Eccleſiæque diſciplina. Et ne canonum librorúmque diſperſorum multitudo confuſionem aut ignorationem rerum quas ſciri per multum intereſt pareret, ſapienter inſtaurata ſunt & in unum veluti faſciculum congeſta præcedentium Africanarum Synodorum ſalubriora decreta, iiſdémque verbis huic Synodo inſerta, ut ſic in unum libellum collecta, commodiùs addiſci & retineri poſſent. Sancti etiam Auguſtinus & Proſper unius duntaxat plenarij meminere Concilij Africani circa Pelagiana dogmata decernentis hic in chronico, ille in ſua epiſt. 47. ad Valentinum & qui cum eo ſunt fratres ubi omnia per quæ proſcripta fuit hæreſis Pelagiana dinumerans ſic effatur: *Quod ſcriptum eſt ad Papam Innocentium Romanæ urbis Epiſcopum de Concilio provinciæ Carthaginenſis & de Concilio Numidiæ* (iſtud eſt Milevitanum à nobis ſupra expoſitum) *& aliquando diligentius à quinque Epiſcopis & quæ ipſe ad tria reſcripſit. Item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt, ejuſque reſcriptum ad totius orbis Epiſcopos univerſos miſſum. Et quod poſteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipſum errorem breviter conſtituimus.* Quibus verbis Auguſtinus quatuor indicat Africana circa errores Pelagij & Cæleſtij Concilia, duo nimirum ſub Innocentio Papa Milevitanum & Carthaginenſe ambo provincialia, duóque alia totidem ſub Innocentij ſucceſſore Zoſimo, primum Africanum in provincia Zeugitana cujus erat Metropolis Carthago, quæ provincia peculiari nuncupatione pérque antonomaſiam dici ſolebat Africana & Proconſularis. Atque iſtud provinciale Concilium celebratum eſt anno 417. Alterum deinde pleniſſimum ducentorum decem & ſeptem Antiſtitum quod eodem deſinente anno coactum Carthagine fuit, & in ſequente anno prorogatum, deſiitque ad initium Pontificatus Bonifacij, qui demortuo Zoſimo Romanæ Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Hujus Concilij præfatio poſt dinumeratas Africanarum Eccleſiarum ſingulas provincias conſediſſe refert ducentos & decem & ſeptem Epiſcopos. Tandémque deſiit hoc idem Concilium per epiſtolam quam direxit ad Bonifacium, directam per manus trium Legatorum qui Romam ab hoc Concilio remiſſi ſunt, unde profecti erant cum Zoſimi Papæ commonitorio; hujus epiſtolæ inſcriptio perhibet ſcriptam fuiſſe à ducentis

Digitized by Google

tis ſeptem & decem Epiſcopis qui præſentes ſe adfuiſſe teſtantur in Concilio Africæ: finit quoque eadem epiſtola his verbis, ſubſcripſerunt quoque Alypius, Auguſtinus, Poſſidius, Marinus & cæteri Epiſcopi CCXVIII. Reſpondent Africani patres ad quatuor capita commonitorij ad ſe per Zoſimum Papam directi. Ad primum quidem de admittendis Epiſcoporum ad Romanam ſedem provocantium appellationibus, & ad ſecundum de admittendis presbyterorum & inferiorum clericorum à proprij Epiſcopi judicio ad finitimos Epiſcopos provocantium appellationibus, quæ utraque Concilij Nicæni decreto ſtabilita jam fuiſſe Zoſimus ſuo mandato aſſeruerat; reſpondent ſe neque in canonibus Latinis neque in Græcis exemplaribus, quæ rogati Atticus Conſtantinopolitanus & Cyrillus Alexandrinus tranſmiſerant, repeiſſe, rogantque niſi pleniori facta perquiſitione conſtet, hoc ipſum à Nicænis patribus fuiſſe decretum, ne Africanas Eccleſias velit ad hanc obſervantiam adigere. Ad capitulum de Apiario Presbytero à quo calumniatore fuerat Zoſimus adverſus ejus Epiſcopum Urbanum concitatus, reſpondent Apiarium ipſum poſtquam ex urbe Roma redijt reſipuiſſe, palamque confeſſum ſuam injuſtam adverſus Urbanum proprium ſuum & Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopum proterviam, veniam delicti rogaſſe, conceſſumque ipſi à pleniore Synodo fuiſſe, ut dummodo in Siccenſem Epiſcopatum nunquam deinceps accederet, poſſet alibi ubivis Sacerdotium ex beneplacito Epiſcoporum ad quos diverteret exercere, eique ad hoc formatas literas fuiſſe à Concilio indultas. Denique quod petebat Zoſimus ne Africani Præſules indictâ causâ ad Comitatum importuni navigarent, jam eſſe Concilij ſolicitudine proviſum. Incertum prorſus eſt quid ad iſta Bonifacius Papa reſponderit.

2. Iſtud vero Concilium Auguſtinus poſterius dicit non tam reſcripti à Zoſimo contra duos hæreſiarchas editi, quam reſpectu Synodi provincialis Africanæ. Cæterum quinque illi Epiſcopi quos memorat dicto loco Auguſtinus iſti ſunt, Aurelius Chartaginenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Alypius Tagaſtenſis, Poſſidius Calamenſis, & Evodius Uzalenſis Epiſcopi. Quorum extat communis ad Innocentium Papam inter Auguſtinianas epiſtola 95. ſic incipiens *de Conciliis duobus provinciæ Carthaginenſis atque Numidiæ.* Cui ſubjungitur tanto Pontifice digna reſponſio incipiens *fraternitatis veſtræ lineas.*

3. Circumfertur poſt quinquennium à dirempto iſto de quo agimus Africano ſimul & Carthaginenſi plenario Concilio, in quo directa eſt ad Bonifacium Papam per Legatos Apoſtolicæ ſedis Synodica epiſtola reſpondens ad Zoſimi Papæ commonitorium. Circumfertur inquam alterum titulo ſimul Africanum & Carthaginenſe Concilium univerſale, cui literæ ad Papam Cæleſtinum falſo commento attribuuntur de cauſa Apiarij Presbyteri Afri, qui falſis delationibus Zoſimum Papam adverſus Urbanum Epiſcopum ſuum adeo concitaverat, ut mandaret Concilio Africano ut Urbanum vel ſede Epiſcopali dejiceret, vel communione fidelium, ob crimina quæ adverſus illum Apiarius Presbyter intentaverat. Nonne illa criminatio, publica poſteriori confeſſione ipſius Apiarij coram Concilio plenario abunde diluta fuerat, urgente & torquente conſcientia Presbyteri ſcelerati, qui inter propria alia crimina ſe falſis criminibus Urbanum Romæ infamaſſe profitebatur cauſam illam calumnioſam, ipſaque teſtificatio Pontificiorum Legatorum qui confeſſioni huic interfuerant, ſufficiebat abunde ad eliminandam quam Presbyter ipſe fatebatur calumniam. Quid ergo neceſſe erat poſt integrum quinquennium eandem in judicium cauſam reſumi, & ſi fides nulla habita Romæ fuerat teſtificationi univerſalis Concilij de re viſa & audita ſcribentis, unà cum aſſeveratione revertentium ex Africa Romanorum Legatorum: quid opus erat altera teſtificatione alterius poſt quinquennium Concilij? Ea certè epiſtola ſuam apud omnes qui ratione judicióque utuntur prodit ſuppoſitionem, ſimúlque Concilij cui affigitur fictionem, cuius aliud nullum ullibi reſtat indicium aut ſæculi illius teſtimonium. Canonum vero Africanorum collectio non huic commentitio aut certè obſcuro & incerto quod in tempora Cæleſtini Papæ intruditur aſcribenda eſt, ſed illi Concilio Africano ſimul & Carthaginenſi, & univerſali, quod tempore Zoſimi Pontificis inchoatum, in initium deſijt Pontificatus Bonifacij, quo Romani Legati dimiſſi & Synodica Concilij decreta & reſponſionem ad Zoſimi jam demortui Pontificis commonitorium Romam retulerunt. In hoc enim conſederunt Auguſtinus Hipponenſis hujuſmodi canonum collectionis cupidiſſimus ſollicitator, ut in ejus vita prodit Poſſidius, qui eadem in Synodo conſedit Calamenſis Epiſcopus, Alypius Tagaſtenſis, alij fidiſſimi Auguſtini aſſeclæ & diſcipuli.

4. Admodum probabile eſt moleſtè tuliſſe Pontificem Zoſimum prohibitionem appellationum tranſmarinarum, quam paulo ante Milevitana Synodus promulgaverat cujus canon 22. ita decernit: *Item placuit ut Presbyteri, Diaconi vel cæteri inferiores clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Cauſa cur Zoſimus pro Sardicenſi canone Nicænum allegaverit Concilium, hæc eſt quia tametſi duo iſta Concilia fuerint generalia, pariſque autoritatis, Nicænum tamen & notius erat, & major erat erga iſtud populorum veneratio, tum alias ob cauſas, tum quia primum de Ariana impietate triumphaverat. Deinde quia in collectione canonum quibus Romana utebatur Eccleſia permixti erant canones Nicæni & Sardicenſis ſub eadem Nicæni Concilij inſcriptione, quod manifeſte apparet in Iuſtellianis & Queſnelianis Nicænorum canonum editionibus. At vero Sardicenſe Concilium in quo hæc ipſa quæ Zoſimus à Patribus Africanis de Epiſcoporum quorumcumque ad Romanam ſedem appellandi jure expoſcit obſervari, diſerte ſancita leguntur in Synodo Sardicenſi quæ tamen Africanis patribus planè ignota erat, atque ita ejus canon VII. quo hæc ſanciebantur. Ipſemet Auguſtinus in cuius ſententiam univerſum iverat Carthaginenſe Concilium, ſe profitendo hæc de appellationibus ſervatu-

ros interea, donec miſſis in Orientẽ Legationibus ſibi conſtaret quid ea de re Nicæni patres decreverint; non enim in Latinis quæ ad manus habebant exemplaribus quidquã ea de re ſolicite conquiſitum reperiſſe. Ipſe inquam Auguſtinus qui cæteris ita reſpondendi autor fuerat ſcribit lib. 3. contra Creſconium cap. 34. ſe nullum agnoſcere Sardicenſe Concilium aliud quàm hæreticorum Arianorum. Enimvero ut ſuperius ad Sardicenſe Concilium obſervatum fuit, Ariani ſe à legitimo Sardicenſi Concilio ſponte ſubduxerant, ut venenatos canones liberius conflarent, quos deinde Sardicenſis Synodi ementito nomine vẽditarunt; initáque cum Donatiſtis, qui eodem in Conciliabulo conſederant, ſocietate ſuum per eos conventiculum totâ Africâ promulgarunt, legitimámque Sardicæ Synodum occultari ac ſupprimi curaverunt. Itaque mentio Sardicenſis canonis & Oſij quæ nunc legitur in can. 6. Concilij hujus Carthaginenſis ſexti nihil aliud eſt quam ſuppoſititia lacinia neoterici alicujus, aut quæ fortaſſis ex margine indebite inſerta fuit. Nemo pius negabit majori pollere autoritate Synodum Sardicenſem utpote generalem quàm particulares Africanas quæcumque illæ ſint.

## *SYNODVS EPHESINA œcumenica anni* 431.

1. POſtquam Dei hominúmque infenſiſſimus hoſtis bellum divinis perſonis indixit, filio quidem Dei per Arium hæreſiarcham cujus hæreſis primâ Nicæna Synodo jugulata eſt: & deinde ſpiritui ſancto per Macedonium, cujus impium dogma ſecundæ Synodo quæ Conſtantinopoli convenit cauſam dedit: ſuam deinde rabiem adverſus Deiparam virginem convertit, operâ Neſtoris duas in Chriſto perſonas commiſcentis abinuicem diſtinctas, perinde ac naturas divinã humanamque, atque ideo dignitatem Dei matris virgini ſanctiſſimæ Mariæ abrogantis, dum natum ex ea Chriſtum aſſerit ſecundum humanam ſolam quam ei affingebat perſonam. Nec verò à Neſtorio hanc hæreſim exorſus eſt execrandus cacodæmon, quippe qui præcurſorem Neſtorio ante annos aliquot ſuſcitaverat Leporium quendam monachum & Sacerdotem, eadem quæ poſtea Neſtorius de duabus in Chriſto hypoſtaſibus, déque Mariæ reſpectu ſolius hominis Chriſti maternitate prædicantem. Iſte vero ab Epiſcopo Maſſilienſi Proculo damnatus, ſacerdotióque dimotus in Africam cum ſequacibus diſcipulis ſuis commigravit. Sed habitis primùm cum Aurelio Carthaginenſi, poſteáque cum Auguſtino Hipponenſi colloquiis, tãdem reſipuit, eorúmque literis præmunitus, in Galliam reverſus, oblatóque Proculo fidei libello, peractáque pœnitentiã priſtino gradui reſtitutus eſt. Refert Gennadius ab eodem fuiſſe quóque Pelagianam hæreſim ejuratam, quam eandem poſtmodum hæc Epheſina Synodus ſimul cum Neſtoriana teſte Proſpero contra Collatorem damnavit, novóque anathemate obtrivit. Porro Neſtorius & publicis in Eccleſia Conſtantinopolitana concionibus quibus pius populus aperte obſtrepebat, & miſſis undíque ſcriptis virulentis, & clericorum rectè ſentientium depoſitionibus, vinculis & exiliis, & captatis magnatũ amicitiis peſtem ſui dogmatis latẽ propagare ſtudebat. Huic ſe pernicici conſtanter Cyrillus oppoſuit Epiſcopus Alexandrinus. Neſtoriúmq; ſcriptis primũ amantiſſimis literis de ſententia pravè concepta primùm dimovere conatus eſt. Præcipuum quotuncumque fidelium, præſertim vero Eccleſiæ paſtorum officiũ eſſe ducẽs, fidei periclitanti ſuppetias ferre: quod ibidẽ verbis æternæ memoriæ commendandis proteſtatur, πῶς ἔσω μὴ σιωπῆσαι πίστεως ἀδικουμένης καὶ τοσούτων διεστραμμένων; ἢ οὐ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ χριστοῦ; οὐκ ἀπολογησόμεθα δὲ τῆς ἀκαίρου σιωπῆς ἕνεκα; καὶ τοι τεταγμένοι παρ᾽ αὐτοῦ πρὸς τὸ λέγειν ἃ δεῖ; Cum igitur fides tam inſigniter ſubverteretur, totque paſſim homines ſubverterentur, quî tandem facere hic licuit? an non ante tribunal Chriſti ſiſtemur? an intempeſtivi ſilentij rationem reddituri nõ ſumus, præſertim nos qui ea de cauſa in hunc locum provecti ſumus ut quæ oportet prædicemus? hæc Cyrillus querimoniis ad ſe à Neſtorio ſcriptis reſpondens.

2. Quinetiam Joannes ipſe Antiochenus Patriarcha qui paulo poſt contra fas omne partes Neſtorij adverſus Cyrillum ſanctámque œcumenicã Synodũ acerrime defendit, hortatorias epiſtolas quæ in priore hujus Synodi parte inſeruntur, ad Neſtoriũ ſcripſit, ut errore ſuſcepto reſiliret, Eccleſiæque fidem & pacem laceſſere deſineret. Interea ſcribunt hac de re ſeorſim ad Romanum Pontificem Cæleſtinum Cyrillus atque Neſtorius, & iſte quidem nihil de perverſo ſuo dogmate diſſimulans, ſed illud apertè propugnans. Quibus acceptis Cæleſtinus Romæ multorum Epiſcoporum Concilium coëgit in quo damnatus eſt Neſtorij error, eíque decẽ dies præſcripti ſunt ab hujus Romani decreti ſignificatione recenſendi, quos intra niſi dogma hæreticum publice abjuraverit dignitas ei Epiſcopalis abrogetur & à communione fidelium exſcindatur. Priſtinis gradibus etiã reſtituuntur quotquot Neſtorius ſibi reſiſtentes ab Eccleſiæ communione vel à ſacris miniſteriis abſtraxerat, horum omnium executio Cyrillo Alexandrino delegatur, cui Cæleſtinus vicem ſuam & poteſtatem per omnem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dictioné commiſit. Cyrillus vero Alexandriæ Synodum ſubjectorum ſibi Epiſcoporum habuit, in qua duodecim excuſi ſunt fidei canones adverſantes Neſtorianæ impietati dicti anathematiſmi. Eadémque Synodus quatuor ſelectos ad Neſtorium delegavit Epiſcopos cum literis ipſum commonentibus ad ſubſcribendum anathematibus. At ille duodecim illa capita totidem aliis contrariis anathematiſmis niſus eſt eludere, ſuámque rabiem adaugens, factionẽ perverſam ſuis faventem partibus conflavit per Chryſaphium præcipuum Imperij adminiſtrũ, cui Theodoſius nimia credulitate in omnibus auſcultabat ejuſque ductum ſequebatur, atque ut homines humana ſapientes partim ſpe, partim metu adducti eò propendent & inclinãt, ubi major poteſtas effulget non modo imperialis aula, & per provincias ipſi officiales imperij, ſed quod deterius & luctuoſius eſt, permulti à Chryſaphio ſollicitati Antiſtites fallacibus conſilijs ab initio cautè diſſimulatis huic ſe deterrimæ parti adjunxerunt: inter quos dignitate præcipuus fuit Joannes ipſe Antiochiæ Epiſcopus ex qua oriundus erat hæreſiarcha Neſtorius. Hic in partes jam inde ab initio perverſi factioſíque conſilij Theodoritum Cyri Epiſcopum Antiochenæ diœceſi ſubjectum pellexerat, virum eruditionis ſplendore eximium & hactenus vitâ inculpabilem. Qui ſibi adblandiens ad ſe recurri



Digitized by Google

curri ut eſſet ob ſingularem eruditionem præcipuum columen potentiſſimæ factionis, qualem ſibi gloriam ſperare non poterat in oppoſitis partibus in quibus præeminebat doctiſſimus Cyrillus cujus gloriam æmulabatur & cujus anathematiſmos contrariis ſcriptis exagitavit falſo & futili uſus prætextu à Cyrillo hæreſim Apollinaris inſtaurari. Quænam demum fuit hæreſis Apollinaris? A verbo incarnato non fuiſſe aſſumptam rationalem animam. Quidnam vero Cyrillus & cum eo omnis docebat ſempérque docuerat Eccleſia? Eſſe in Chriſto animam humanam ſimul & corpus, non tamen humanam perſonã; ſolo enim divino verbo & animã & corpus Chriſti ſimul fulciri & ſuſtentari, abdicatâ penitùs humanâ perſonâ, ac hypoſtaſi naturali. Veriſſimum eſt quod Proverbiorum c. 18. enunciat, *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobabilis.* Quinetiam idem Theodoretus in ſuſcepto ſemel peſſimo propoſito, pervicax & protervus conatus eſt ſi fieri poſſet præcipuos Italiæ Epiſcopos adverſus Pontificem Cæleſtinũ cõcitare, ſcriptis ad Epiſcopos Mediolanenſẽ, Aquileienſẽ & Ravẽnatẽſẽ literis, in quibus quaſi claſſicũ canẽs graviter expoſtulat toto Oriẽte ab Alexandrino Cyrillo ejuſque aſſeclis Apollinariſtarũ hæreſim ab inferis revocari. quorũ reſpõſiones ſi quas habuit non eſt auſus publicare ne ſe vel cõtẽptũ vel increpatum fuiſſe ab illis proderet.

3. Ad ſedandas iſtas quibus Eccleſia conflictabatur procellas interpellatus Theod. Auguſtus Synodũ Epheſi generalẽ indixit, ad quã Comites miſſi ſunt ſpecie tumultuũ cõpeſcendorũ Irenæus & Cãdidianus Neſtorio cõjunctiſſimi, in quẽ Theodoſius pravis cõſilijs ludificatus ſtudio propẽſiore ferebatur. Nã cũ increbreſcẽte hujus hæreſi Cyrillus illã tribus miſſis libris ad Theodoſium & reginas Pulcheriã & Eudociã ſolidiſſime refelliſſet, Neſtorio patrocinãs Theod. Cyrillũ acerbioribus literis perſtrinxit. Sapientis quidem & religioſi Principis eſt ſollicitum eſſe ne quid (in Chriſtiana quæ unica & vera religio eſt) innovetur: Ideòque controverſiis circa religionem exurgentibus inquirere qua parte exurgat novitas & qua parte ſtet antiquitas. Hanc regulã ſi Conſtantinus, ſi Theodoſius junior alioqui laudatiſſimi Principes conſectati fuiſſent, & Ariana perfidia, & Neſtoriana impietas, paritérque Eutychiana in ipſo ortu extinctæ fuiſſent, quas tamen incautius foverunt, cauſámq; incrementi exitialis latè ſuppeditaverunt, ſanctiſſimos etiam Antiſtites perſequendo, quos numen ſuſcitabat ad obſiſtendum irruptionibus & cladibus peſtilentium novitatum, quales inter præcipuos enituerunt ſanctiſſimi & conſtantiſſimi Antiſtites Athanaſius, Cyrillus, Flavianus: aut ſaltem ab illa Petri Cathedra Eccleſiæque univerſæ capite lux conſilij perquirenda erat de quâ Chriſtus prædixerat: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi* (quales ſunt profanæ hæreſium vanitates) *non prævalebunt adverſus eam.*

4. Neſtorius majore quam cæteri diligentia ſtatim à Paſchalibus feſtis Epheſum convolat, ut futurã Synodum antevertat, & advẽtãtes diverſis ex locis Epiſcopos ſollicitando ſibi acquirat. Nec tamen Synodum ingreſſus eſt ne fortè ſuã in incertũ cõmitteret; ſperans tamen validũ ab Orientalibus ſecũ conſpirantibus ſubſidiũ, nec minus præſidiũ à Comitibus delegatis. Inſtantibus deinde Pentecoſtes ſolemniis advenit Cyrillus & cum eo Ægyptij Epiſcopi. Nec multo pòſt Juvenalis Jeroſolymorum Antiſtes cum Epiſcopis Palæſtinis. Cæteri diverſarum regionũ Epiſcopi frequentes confluunt. Scripſerat Theodoſius Auguſtus invitatorias ad Auguſtinũ literas percupiens tanti viri præſentiã Synodũ illuſtrari; ſed antequã literæ ad ipſum deveniſſent mortalem vitam immortali gloria commutaverat. Capreolus Carthaginenſis Præſul Beſulam Diaconũ miſerat Epheſum, ut excuſaret non poſſe ullum Africanum Epiſcopum Concilio intereſſe ob graſſantem univerſã Africã Vandalicam feritatẽ, & denegatam à Genſerico Rege proficiſcendi veniam. Congregati reliqui patres pluſquam ducenti Ioannem Antiochenum cum ſuis Orientalibus Epiſcopis tergiverſantem, moraſque trahentem indebitas fruſtra opperiebantur, qui quemadmodum ad Cæleſtinum Synodus ſcripſit ſæpius invitati diúque expectati conſultò procraſtinabantur ne damnationi Neſtorij intereſſent, quam poſtmodum poſſent ſeorſum convenientes impugnare, ejuſque auctores inſectando irritam reddere. Concilium auſpicati ſunt Epiſcopi orthodoxi in æde beatiſſimæ virginis Mariæ, pro cujus dignitate aſſerendáque divina maternitate convenerant decimo Calendas Julias Baſſo & Antiocho Conſulibus, qui fuit annus à Chriſto 431. Ter acceſſitus Neſtorius nihil præter convicia reddidit: & qui eum nomine Concilij citaverant, petulanter à militibus qui Neſtorij domum cinxerant habiti & plagis affecti diſceſſerunt.

5. Itaque citati & contumacis rei cauſa diſcuſſa examinatáque fuit, perlecti ejus libri multiplicéſque epiſtolæ, auditi recenſitique teſtes, tandémque hæreſis præfractæque obſtinationis cõvictus, à ſacra Synodo excommunicatus, & omni gradu dignitatéque depoſitus fuit. Quinto inde die quaſi ex condicto Joannes cum ſuis advenit Epiſcopis quos inter præcellere credebatur Theodoritus Cypri Epiſcopus, qui adverſus Cyrilli duodecim anathematiſmos librũ ſcripſerat aculeatum & criminationibus refertum. Iſti ſe non fuiſſe diutius expectatos acriter expoſtulantes ſuíſque privatis & damnabilibus affectibus etiam in evidentem univerſæ Eccleſiæ perniciem indulgentes, ſeorſim à ſacro legitimóque & œcumenico Concilio à quo fuerant perhonorificè invitati & rogati, ſuum habere voluerunt ſchiſmaticum ſacrilegúmque conventiculum, in quo Diabolica ſuggeſtione ſtatim acta omnia legitimæ Synodi reſciderunt, ultioniſque cæca perciti cupiditate, Cyrillum Alexandriæ, & Memnonem Epheſi, Cæteróſque Sanctæ Synodi Epiſcopos damnant & excommunicatos pronunciant quaſi Apollinaris hæreſi conſpurcatos. Cum Antiochenæ factionis Epiſcopis conſpirant unanimes Comites Irenæus & Candidianus. Hi literas ex legitima Synodo profectas intercipiunt & Antiocheno cœtui aperiendas & legendas exhibent. Multiſque ſcriptis ad regiam civitatem calumniis Imperatorem & aulæ proceres adverſus Sanctæ Synodi patres exaſperant, infenſioréſque in dies reddunt. Itaque reſcriptis Theodoſij Cyrillus Alexandrinus & Memnon Epheſinus in vincula indigniſſimè detruduntur. Nec minùs tamen legitima Synodus ſuo fungi pergit officio pluſquam ducentis conſtans Epiſcopis: & harum tempeſtatum autorem Joannem fruſtra delinire ac mitigare conata, tertio tandem dicta illi die ſe ſiſtendi ad Sacram Synodum, neque vadimonium præſtanti, judicium excommunicationis infert ac omni ſacerdotio palam abdicat.

 6. Contigit

6. Contigit demum ut eluſis Comitum exploratoribus legitimi Concilij literæ oppreſſionum quibus affligebantur indices, omniáque prout contigerant perſpicue enunciantes, per fidelem hominem ſub mendici habitu latentem arundine incluſæ ad Auguſtum ejúſque ſororem Pulcheriam eximiæ pietatis & prudentiæ virginem aliáſque ſpectatiſſimæ virtutis perſonas deferrentur: quibus ſatagentibus Theodoſius convictis impoſturis, reique veritate patefacta, benevolum ſe tandem Sanctiſſimæ Synodo exhibet, cœtum Orientalium omniáque in ea geſta reprobat, acta per Candidianum & Irenæum revocat, & admiſſis Sanctæ Synodi decretis Neſtorium depoſitum in priſtinum Antiochenum monaſterium, & poſtremo ne monachos alioſque pergeret falſæ doctrinæ contagio pervertere, Oaſim relegat ſitum in Libyæ deſertis oppidulum: indéque vaſtato per Nomadum incurſionem oppido, Elephantinam deportari jubet, quo loco ut teſtatur Evagrius ejus blaſphema lingua vermibus exeſa, totóque ejus corpore ut ſcribit in collectaneis Theodorus Lector putredine abſumpto infelicem vitam æterno ſupplicio commutavit. Libri ejus undequáque conquiſiti flammis traditi. Denique Theodoſio interveniente unáque magno illo Simeone Stylitæ pax Cyrillum inter & Joannem conciliata eſt, Orientaléſque Epiſcopi in integrum reſtituti Concilio legitimo acquieverunt. Pulſo Neſtorio electus ipſius loco Maximianus Conſtantinopolitanæ præfuit Eccleſiæ. Hic vero Proclum habuit ſucceſſorem.

7. Iſtud vero ſpeciali nota dignum eſt quod ſcribunt Epheſini patres in Synodica ad clerum populúmque Antiochenum epiſtola, Deiparam virginem Mariam comitante Apoſtolo & Evangeliſta Joanne Epheſum ex Judæa profectam reliquum ibi vitæ tranſegiſſe. *In civitate* (inquit) *Epheſiorum pervenit in qua Ioannes Theologus & Deipara virgo Sancta Maria.* Hic ſubintelligendum verbum ᾤκησαν habitaverunt. Concil. Epheſ. act. 1. ad finem. Ab hac eadem ſynodo fuiſſe quoque damnatam Pelagianam hæreſim Proſper contra collat. etiamſi nihil tale viſitur in actis quæ nunc ſuperſunt.

## *DIATRIBA DE EXCISIONE poteſtatis quæ olim Antiocheno Epiſcopo competierat in Eccleſias Cypri.*

1. IN Epiſcopo Antiocheno Joanne Divinæ ultionis judicio effectũ eſt id quod Deus olim Heli ſummo Judæorum Pontifici comminãs enunciaverat. *Quicumque glorificaverit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me ignobiles erunt.* Intoleranda ſuperbia ſe Joannes extulerat, quando aulicâ gratiâ fretus & Imperiali favore ſuperbiens, eo uſque hæreſiarcham olim à ſe literis reprehenſum protexit, ut ſtudio Principibus aulicis à quibus ille fovebatur, quidquid eſt in Eccleſia majeſtatis, dignitatis & ſanctitatis, in œcumenica Synodo, in Primariis ſibique haud dubie ſuperioribus Prælatis, Romano & Alexandrino, nihil penſi habens, Dei majeſtatem, Eccleſiæ dignitatem, animarum ſalutem, cum ſequacibus Epiſcopis, homines ſæculari poteſtate fulgentes magis quam Deum reveritis, pedibus inſolenter proculcavit, ſanctóſque collegas quos venerari obſervare & imitari debuerat indigniſſime vexavit, per ſæcularem & armatam autoritatem. Nihil ſane mitius admirando illo Cyrillo excogitari poteſt, qui tam indigna ab infenſo Joanne paſſus poſt atroces calumnias, poſt dejectionẽ ex propria ſede, poſt intruſionem ſui in carcerem & vincula, quàm potuit conſtantiſſimè obſtitit ne quidquam de priſtinis Antiocheni juribus quocunque prætextu aut ſpecie demeretur. At Deus aliter per Concilium œcumenicum diſpoſuit, quod ampliſſimam uberrimámque provinciam Cyprum Antiocheno Patriarchæ prorſus ademit, ut liquet ex Epheſinæ Synodi parte 2. act. 7. ubi requirentibus Rhegino Conſtantiæ Cypri Epiſcopo totiúſque inſulæ Metropolita, cæteriſque Cypri Antiſtitibus aſſerentibus deductum jam ab Apoſtolis privilegium, ut non ab Antiocheno Archiepiſcopo, ſed ab ipſa provinciæ Cypri Synodo inſulares Epiſcopi ordinarentur, quamvis id nulla perſpicuitate probaretur Sacroſancta Synodus Epheſi conſtituta iſtud eis privilegium indulſit, dum adhuc Orientales in ſuo ſchiſmatico cœtu perſiſtebant.

2. Illa quidem Cypri Eccleſiaſtica provincia ſe duplici nexu liberam ab Antiocheno Epiſcopo contendebat. Primùm ut Metropolitanus Salaminæ, quæ & Conſtantia & Famaguſta dicitur, poſſet à Cypriis Epiſcopis inconſulto Antiocheno conſecrari. Secundo ne idem ejuſque comprovinciales aſtricti eſſent ad Synodum illo vocante convenire, ideóque non expectato Joannis Antiocheni juſſu ad Epheſinam Synodum convenerant: quamvis fortior illos ratio impuliſſet quæ eſt ſuprema Eccleſiæ univerſalis autoritas, cui Schiſmaticus Joannes ejuſque aſſeclæ Antiſtites obtemperare ac ſubeſſe detrectabant. Cæterum ante iſtud excitatum ab Joanne Antiocheno ſchiſma tres numerabantur Salaminenſes Metropolitani qui injuſſu Antiocheni ab Epiſcopis ſuffraganeis conſecrationem ſuſceperant Troilus, Theodorus & qui tunc vivebat Rheginus, nullatenus tamen aſſentientibus ſed obſiſtentibus Antiochenorum Epiſcopis, ſibique injuriam fieri expoſtulantibus. Ipſe iſte Joannes hoc intendens præfecturam ſuam Eccleſiarum Orientis iiſdem limitibus concludi quibus ipſa Orientis præfectura civilis, eaſdémque quindecim numero Provincias ſibi in Eccleſiaſticis rebus ſubeſſe, quas in civilibus cõplectitur Orientis præfectus, quas inter provincias indubitata res eſt Cyprum inſulam recenſeri. Atque ita per illam quam Cypri Eccleſiæ ſibi arrogant immunitatem, infringi ac violari Nicænæ Sacroſanctæ Synodi canonem ſextum decernentem Antiochenæ Eccleſiæ illibata ſervari & cuſtodiri privilegia. Poſt Nicænam Synodum contigit illa Antiochenæ Eccleſiæ, inter tres invicem diſſidentes Epiſcopos quorum ſinguli Antiochenam ſibi Eccleſiam vindicabant, Euzoium Arianæ partis Epiſcopum & Meletium atque Paulinum ambos Orthodoxos. Eadem enim diviſio Epiſcopis Cypri anſam ac fiduciam præſtitit, ſe ab Antiochenæ Eccleſiæ præfectura ſubtrahendi, quaſi inſciis cuinam duorum Catholicorum qui ſibi Antiochenam aſſerebant Eccleſiam, ſubeſſe deberent; & juſtam metuendi cauſam habentibus, ne idem ſchiſma Eccleſias quoque Cypri involueret. Hæc itaque controverſia admodum in incerto fluctuavit. At dirempto illo per mortem concurrentium unà duorum Antiochenſium Epiſcoporũ diſſidio, eadẽ Antiochena Eccleſia olim non nihil labefactata,

priorem

Digitized by Google

priorem in ſtatum redintegrata fuit, ſcribente ad Alexandrum ejuſdem Epiſcopū Innocentio Papa I. ep. 18. cap. 2. *Cyprios aſſeris olim Arianæ impietatis potentiâ fatigatos non ſervaſſe Nicænos canones in ordinandis ſibi Epiſcopis, & uſque adhuc habere præſumptum ut ſuo arbitratu ordinent, neminem conſulentes. Quocirca perſuademus eis ut juxta fidem canonum curent fidem Catholicam ſapere, atque unum cum cæteris ſentire Provinciis: ut appareat Spiritus ſancti gratiâ ipſos quoque, ut omnes Eccleſias gubernari.* Cyprij nihilominus, poſtquam Sanctus Epiphanius Salaminæ Epiſcopus Metropolites ad ſuperos conceſſit, fruſtra obnitentibus à Ioanne Antiocheno Legatis, ſecumque conſpirante quaſi in communi cum Ioanne cauſa Comite Orientis Dionyſio, ſub cujus præfectura Cyprus conſtituta erat, qui & armatorum copias ad præſidem Cypri Theodorum tranſmiſit cum mandato ad ipſum, ut per vim militarem impediat ne dum vacat Salamina ſedes alius in ea ſuſcipiatur Epiſcopus, quam is quem ſacra Synodus Epheſi regiâ autoritate indicta ſusceperit, & conſecrandum duxerit. Alias ſcripſit præterea literas ad clericos Conſtantiæ in Cypro conſtitutos, ne quemquam defuncti recens Epiſcopi loco eligant, aut ordinari curent, niſi de ſententia proximè celebrandæ in Epheſo Synodi. Milites mandato Dionyſii abſentis, & Theodori præſentis exciti ad prohibendum ne ad electionem conveniretur, gravem ſuſcitavere tumultum apud clerum & plebem, qua recurrente ad arma & vim illatam propulſante, copioſus utrimque ſanguis effuſus eſt. Ipſe quoque Epiphanius dum vigebat Antiochena inter Epiſcopos ſimultas, & æmulatio, ſola Salaminenſium electione Cypriorumque Epiſcoporum ſpontanea manuum impoſitione legitur promotus & ordinatus Salaminienſis Metropolita. Paucos iſta Epheſina Synodus procudit, ad rem duntaxat pro qua conventum fuerat Neſtorij ejuſque hæreſis attinentes. Decretum verò quo exempti ſunt à poteſtate Antiocheni Præſulis decreto hujus Synodi Antiſtites Cyprij, & qui eis præerat Conſtantiæ Metropolita uſque eo invaluit, ut poſtea Leo Papa magnus, quamvis ſtuduerit Antiocheno Patriarchæ priſtina jura reſtitui, quibus jam uſque à Nicæna Synodo, aut etiam altioribus temporibus potiebatur, ut ex ejus conſtat ad Maximum Antiochenum epiſt. 92. nullatenus tamen ſanctionem hanc Epheſinam valuerit labefactare. Unde Cyprij Metropolitæ perpetuum ſibi aſcivere nomen quo dicti ſunt αὐτοκέφαλοι.

## *CONCILIUM REGENSE*
### *Anni à Chriſto* 439.

1. TRia ſunt ejuſdem ferè denominationis oppida. Rhegium in extrema Brutij agri parte ſitum ſiculo freto qua parte Italiam alluit conterminum, dictumque à Græco ῥήγνυμι, quod eſt frangere quoniam veteribus perſuaſio inoleverat Siciliam quondam terræ Italicæ cohæſiſſe, temporibus autem ſuccedentibus maris impetu abſciſſam ab Italiæ terris ac divulſam fuiſſe. Oppidi hujus accolæ ab illa Græca voce cum aſpiratione & litera υ Græca dicti fuere Rhegyni. Eſt & aliud oppidum Regium abſque aſpiratione denominatum in ea Italiæ parte quæ Gallia Ciſalpina, & Æmilia vocatur, haud procul Parma & Mutina diſtans, quæ nunc regio Longobardia ab ejus invaſoribus Longobardis appellatur. Iſtud oppidum à Lepido inſtauratum dictum ejus nomine fuit Regium Lepidi. Eſt denique tertium Regium in Gallia Narbonenſi ſecunda, cujus quondam Epiſcopi fuerunt Maximus & Fauſtus qui ex inſula Lirinenſi prodierant. Sidonius vocat Reios oppidum iſtud, & Antoninus in itinerario Reienſem civitatem collocat in ſecunda Narbonenſi Provincia ſub Aquenſi Metropoli. Atque hoc ipſo loco habitum fuit de quo agimus Concilium.

2. Regenſis ſeu Reienſis hujuſce Concilij ſextum canonem profert de exequiis defuncti Epiſcopi à viciniori Epiſcopo celebrandis Concilij Valentini in Hiſpania canon 2. Præcipuam Regenſis Concilij convocandi cauſam dedit Armentarij ordinatio in Epiſcopum Ebrodunenſem triplici defectu laborans, contra formam à Nicæno quarto canone præſcriptam, ut ſcilicet fiat Epiſcopi conſecratio à tribus ſaltem Epiſcopis, & cum comprovincialium Epiſcoporum conſenſu, interveniatque autoritas Metropolitani. At verò Armentarium duo tantum Epiſcopi ſtudioſè conquiſiti furtim ordinaverant, citra comprovincialium Antiſtitum conſenſum ſpretaque Metropolitani, ſeu Primatis Arelatenſis autoritate. Ebrodunum quidem ſtatuitur Alpium maritimarum caput, & Metropolis in itinerario Antonini Auguſti. Sed privilegia quibus Conſtantinus Magnus Imperator Eccleſiam Arelatenſem in gratiam Epiſcopi Marini decorari expetierat, Arelatenſis metropoleos jura, & dignitatem ad finitimas etiam Provincias propagarunt. Ideoque utramque Narbonenſem primamque Viennenſem, & Alpes maritimas diu complexa eſt Eccleſia Arelatenſis. Unde etiam factum eſt, ut huic præſederit Concilio in quo de Epiſcopatu Ebrodunenſi agebatur, atque adeò in oppido ad ſecundam Narbonenſem pertinente Provinciam Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, ſedente Romæ Sixto III. Pontifice anno 439.

3. Primo & ſecundo canone irrita declaratur Armentarij ordinatio, & decernitur ut alius Ebrodunenſi Eccleſiæ ſecundum canonum præſcripta Epiſcopus præficiatur. Et ut duo qui ordinare ipſum præſumpſerant deinceps ordinationibus, & Conciliis Eccleſiaſticis abſtineant.

4. Tertio canone prohibetur Armentario intra Provinciam Alpium maritimarum conſiſtere: permittit tamen ut extra illam liceat Epiſcopo quicumque voluerit aliquam illi de ſuis Parochiis, aut habitandam, aut etiam ſub nomine & officio chorepiſcopi adminiſtrandam concedere; in qua ſi non adminiſtret peregrina communione fruatur; quæ ſcilicet peregrinis in aliena Eccleſia verſantibus necdum tamen in communionem Eccleſiaſticam admiſſis, pro quotidiano victu indulgebatur. Sed ſi in Eccleſiæ miniſterium admittatur ab Epiſcopo, eo eventu in canonem ſeu matriculam illius Eccleſiæ conſcribatur, & ſtipendiorum ejus particeps fiat. Qua in re conformare ſe Nicæno canoni profitetur quo Catharorum, id eſt Novatianorum Epiſcopis ad Eccleſiam regredientibus locus, & adminiſtratio chorepiſcopi permittitur.

5. De Clericis verò quos ordinaverat Armentarius ſic decernit quartus canon, ut ſi quidam ex ipſis deprehendantur excommunicati, omnino deponantur. De reliquis verò in arbitrio ſit Ebrodunenſis Epiſcopi, vel eos in Eccleſia ſua retinere, vel



Digitized by Google

vel ad locum transferre quem incolet Armentarius.

6. Quod verò indulget Armentario quintus canon, ut in ea quam nactus fuerit Eccleſia liceat ei neophytos confirmare, virgineſque conſecrare, cum hæc ambo munia ſint Pontificalia, inde colligi ac inferri poteſt conſecrationem Armentarij à duobus factam Epiſcopis fuiſſe quidem illicitam, ſed validam tamen ac ſufficientem. Cæteroqui enim non potuiſſet Concilium hanc illi conferre poteſtatem, charactere carenti Epiſcopali. Vide quæ ſuperius ad Nicænum quartum canonem fuſius diſputavi.

## *CONCILIVM ARAVSICANVM primum anni Chriſtianæ epochæ 441.*

1. ARauſio civitas eſt Cavarum pertinens ad inferiorem Provinciam Viennenſem ſub Metropoli Arelatenſi: duabus hæc Synodis tota Eccleſia celebribus nobilitata fuit, quarum hæc prior convenit anno 441. ſub Leone Romano ejus nominis primo Pontifice Theodoſio juniore in Oriente, & Valentiniano tertio in Occidente Imperatoribus. Præſedit Hilarius Arelatenſis, eique aſſedit Eucherius quem Baronius non dubitat fuiſſe celebrem illum ejus nominis Epiſcopum Lugdunenſem, certè ambo iiſdem vixere ac floruere temporibus, prodieruntque ambo ex Lirinenſibus inſulis:primus Concilij canon ſic ſtatuit.

Can. I. *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus à Presbyteris cum chriſmate, & benedictione conſignari placuit.*

2. Can. II. *Nullus miniſtrorum qui baptiſandi recipit officium ſine chriſmate uſquam debet progredi, quia inter nos placuit ſemper in baptiſmate chriſmari. De eo autem qui in baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit in confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt. Non ut præjudicans quidquam dico, ſed ut neceſſaria habeatur chriſmatio repetita.*

Ita habetur cap. nullus miniſtrorum 125.de conſecra. diſt. 4. Canonem iſtum ſic enodat gloſſa decreti ad hæc ejus verba: *Non præjudicantes.* Dixi ante confirmationem chriſmandum baptiſatum:nec tamen per hoc præjudicamus: quia ſi antea factum non fuerit,poſtea fieri debet, non præjudicamus quin in alio tempore,quàm in confirmatione poſſit hæc chriſmatio fieri in vertice. Deinde ad verba: *Neceſſaria habeatur chriſmatio.* Videlicet ut ſi in alio tempore non fieret in vertice ejus chriſmatio: ſaltem tunc non prætermittatur quia neceſſaria eſt. Sit igitur canonis hujus hæc analyſis. Cum ſæpè contingat ut nondum baptiſatus inopinatò in mortis diſcrimen incurrat,debet Parochus ſecum aſſiduè ſacrum chriſma deferre, ut quum tale periculum occurrerit,præſtò ſit ſimul ad baptiſandum & chriſmandum. Sed ſi occurrente periculo fuerit aliquis privatim baptiſatus non tamen chriſmate delinitus: ac deinde periculo ereptus ſacramentum Confirmationis deſideret, admonendus erit vel Epiſcopus quem ſacræ literæ ſanctique Patres plerumque ſolo Sacerdotis nomine ſignificant, aut Epiſcopi adminiſter Sacerdos cui onus incumbit explorandi & præſentandi confirmandos, ut ſic præmonitus duplicem curet adhiberi chriſmationem in vertice quidem unam quæ cæremonialis, & anteacto Baptiſmo defuit, & in fronte alteram quâ conſignetur Confirmationis ſacramento. Ambas enim ſacra Synodus judicat eſſe neceſſarias chriſmationes.

3. Ea porrò fuit veteris Eccleſiæ conſuetudo, ne duæ iſtæ chriſmationes longè à ſe invicem disjungerentur. Nam etiam in Baptiſmo quandocunque urgens vitæ diſcrimen non compellebat ſtata anni tempora, & Epiſcopi prævenire præſentiam, præter verticis inunctionem, frons etiam baptiſati ad Confirmationis ſacramentum liniebatur, ut docent innumera Patrum teſtimonia. Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis lib.1.de Offic.Eccl. cap.27. poſtquam docuit ſtatim à baptiſmo ungendum eſſe in vertice neophytum, ita ſubjungit: *Sicut in geſtis Pontificalibus legitur Sylveſtrum inſtituiſſe, ut à Presbytero ungeretur chriſmate neophytus in cerebro.* Deinde ſcribit *hanc fieri poſſe unctionem à Presbytero,Epiſcopo etiam præſente;cum tamen ſolus poſſit Epiſcopus dare baptiſatis Spiritum ſanctũ per manus impoſitionem ungendo chriſmate non in vertice ſed in fronte.* Super quo hiſtoriam perhibet Philippi Diaconi non valentis Spiritum ſanctum Samaritanis à ſe baptiſatis conferre, quia neque Apoſtolus erat neque Pontifex. Unde neceſſe fuit ad iſtud officium mitti Petrum & Ioannem Act. Apoſt. cap.8. Conſtat ex Florentino & Tridentino Conciliis ſolum Epiſcopum eſſe confirmationis miniſtrum ordinarium. Docet verò S. Thomas 3.p. q.72. art.11. extraordinarium confirmationis miniſtrum poſſe ex Romani Pontificis delegatione ſimplicem eſſe Sacerdotem. Idque probatur ex Gregorio magno lib. 3. epiſt.26. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum ſic loquente: *Ubi Epiſcopi deſunt ut Presbyteri etiam in frontibus baptiſatos tingere debeant concedimus.* His enim verbis citatur à Gratiano cap. pervenit diſt. 95. atque à S. Thoma, quamvis alij quidam aliter legendum velint. Teſtatur quoque vetuſtus, ſed tamen S. Ambroſio aſcriptus falſo commentarius in omnes Pauli epiſtolas in quo iſtud habetur: *In Ægypto Presbyteri conſignant ubi non eſt Epiſcopus.* Quinetiam hujuſce Concilij can.1. vult hæreticum hominem ſubitæ mortis periculo converſum ſi deſit Epiſcopus, *etiam Presbyteris chriſmate & benedictione conſignari.* Verbum conſignari & circunſtantia Epiſcopi abſentis arguunt hanc eſſe confirmationis chriſmationem. Similiter Concilij Toletani primi canon 20. demandat Presbytero chriſmationem Epiſcopo abſente. Nonnulli tamen volunt chriſmationem illam eſſe cæremonialem non verò ſacramentalem Confirmationis, verumtamen Amalarius ſupra citatus docet hanc fieri chriſmationem cæremonialem à ſimplici Sacerdote, Epiſcopo quoque præſente cum ſit merum baptiſmi accidens cujus eſt ſimplex Sacerdos miniſter idoneus.

4. Obſervanda porrò ſunt hæc Amalarij verba ſub finem præfati cap.27. *Ut ab Epiſcopis ſolis inungatur per manus impoſitionem ab Apoſtolis acceptũ eſt.* Et iſta ejuſdem, ſolus poteſt Epiſcopus dare Spiritum ſanctum per manus impoſitionem, *ungendo*

gendo

Digitized by Google

*gendo chriſmate non in vertice ſed in fronte.* Quibus perſpicuè declarat ipſam Epiſcopi actionem quâ frontem manu ſua illinit, eſſe ipſam illam manus impoſitionem qua juxta Act. Apoſt. cap. 8. conferebatur per Apoſtolos Spiritus Sanctus. Et ibi quidem v. 18. manus in ſingulari impoſitio exprimitur, quia ſacra hæc unctio fit unica manu. Licet autem hoc Sacramētum alibi dicatur manuum impoſitio, id nihil obeſt quia de pluribus Apoſtolis loquitur, & ſic de pluribus manibus dexteris tametſi ſinguli unicam manum adhiberent. Addit Amalarius Fortunatus per iſtam manus impoſitionem efformari crucem ſuper fidelibus, eadem faciei parte ubi Pontifex Aaronicus in lamina aurea inſculptum gerebat Dei nomen. Itaque uno eodemque contactu in confirmatione manus imponitur, frons chriſmate myſtico linitur, & ſignum crucis efformatur. Inaniter itaque recurrunt nonnulli Scriptores ad ſpecialem Chriſti diſpenſationem, ut præſens Eccleſia uſum omiſerit manus impoſitionis hoc in Sacramento quam uſque adeò viſibilem advertere nequiverunt. Concludendus demum eſt iſte articulus Innocentij Papæ primi notatu digniſſimo reſcripto epiſt. 1. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum art. 3. cujus hæc ſunt ipſa verba: *De conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent vel paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui jam baptiſatis traderent Spiritum ſanctum. Nam de Presbyteris ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptiſant, chriſmate baptiſatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum paracletum.*

5. Canon III. Præſcribit ut qui pœnitentiam acceperunt, ſi eâ necdum peractâ in vitæ diſcrimen deveniant, communicent Eucharistiæ viatico abſque ſolemni manus impoſitione illa quæ non niſi integrè pœnitentiâ functis concedebatur. Adeò ut ſi convaluerint, in priſtinum regrediantur pœnitentiæ ſtatum, donec completo tempore præſtituto ſolemnem impoſitionem, ſeu ſummam reconciliationem accipiant. Hæc eadem pridem edixerant Synodus Nicæna can. 13. *καθ' ὅλε δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος αἰτοῦντος μετασχεῖν εὐχαριστίας ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω τῆς προσφορᾶς.* Omnimodo autem de quolibet quomodocumque excedente, & Eucharistiæ participationem petente Epiſcopus cum examinatione oblationem ei impertiat. Synodus ſimiliter Ancyrana can. 6. & Agathenſis can. 11. Concilium etiam Carthaginenſe quartum can. 76. 77. & 78. & Innocentius Papa primus epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum cap. 2.

6. Can. IV. *Pœnitentiam deſiderantibus Clericis non negandam.*

Concilium Toletanum XIII. can. 10. etiam Pontifices & Sacerdotes publicam pœnitentiam ſuſcipere poſſe ſalvo gradu & ordine decernit, dummodo mortalium criminum nulla ſe publica profeſſione notaverint. Conſtat ex diverſis Cypriani epiſtolis ejus tempore clericos Africanos fuiſſe pœnitentiæ publicæ obnoxios. Etſi verò permulti canones illam Clericis interdicant, ea tamen praxis non fuit omnium temporum; neque omnium Eccleſiarum. Inviſe ſuperius quæ circa vel interdicta, vel permiſſam Clericis pœnitentiam diſſerui ad Concilij Carthaginenſis IV. can. 68.

7. Can. V. *Eos qui ad Eccleſiam confugerint tradi non oportere, ſed loci reverentiâ, & interceſſione defendi.*

Habetur c. eos qui ad Eccl. diſt. 87. Extat in fine Concil. Epheſini prolixior hac de re conſtitutio Theodoſij & Valentiniani Imperatorum, quæ reſtrictior habetur in Cod. Theodoſ. lib. 9. tit. 45. & in Iuſtiniano lib. 1. C. de his qui ad Eccl. confug. ſtatuitque confugientibus immunitatem non tantum intra quatuor Eccleſiæ parietes, ſed ne quis compellatur intra oratorium, aut ad ſacra altaria, vel intra quælibet oratoria conſiſtere aut pernoctare: illamque immunitatem extendit ad circumjacentes hortos, areas, & porticus ne inde quis extrahatur eo confugiens ſub capitis pœna. Hanc legem altera præceſſerat Honorij & Theodoſij ad confugientium præſidium ſpectans l. 2. C. de his qui ad eccl. confu. Eadem ſanctionibus Eccleſiaſticis confirmantur, ut eſt iſte Arauſicanus canon & Concilij Aurelianenſis I. can. 1. & Aurelianenſis IV. can. 21. Qui tametſi Gallicani canones non ſervantur quod attinet ad criminum reos in univerſo Gallicano regno. Enimverò ne hoc aſyli genus fomitem & impunitatem criminibus pareret, cautum eſt edictis Franciſci I. an. 15 9. art. 166. & Henrici III. an. 1585. ut rei criminum contra quos judex capturam decreverit hoc perfugio careant, & ex locis ſacris vi abducantur. Exemplum præ ſtit in Joab homicida innocentium Amaſæ & Abneris, qui ad ſactum altare quò confugerat juſſu Salomonis fuit interemptus. Contulerat Conſtantinus ut in actis Sylveſtri Papæ legitur immunitatem ijs qui ad Eccleſias confugiſſent. Quam deinde conſtitutionem ſuaſu Eutropij præpotentis & flagitioſiſſimi eunuchi Arcadius contraria lege abrogavit, quæ tertia eſt in Codice Theodoſiano ſub tit. de his qui ad eccle. confu. divina tamen ultione ipſemet Eutropius ob innumera ſcelera depoſcitur ad ſupplicium, qui ad Eccleſiam confugit, cujus paulò ante violaverat immunitatem. Sed intercedens Chryſoſtomus Ioannes non prius ſivit illum à frementibus & magiſtratibus abduci, quam præſtito ab ipſis magiſtratibus de vitæ ejus ſecuritate jurejurando, qua fide data Eutropius capitis pœnam evaſit, ſoloque exilio multatus eſt.

8. Can. XI. Vetans Epiſcopis quibuſcumque cum eo communicare quem ſciverint ab alio excommunicatum, conformis eſt Nicæno canoni 5. hoc idem prohibenti, & Concilio Antiocheno can. 2. & 6. & Concilio Sardicenſi can 16. Quos canones Carolus Magnus inſtauravit initio Capitularis Aquiſgranenſis. Eadem ex cauſa Auguſtinus Quintiano Presbytero ab Epiſcopo ſuo communione dejecto ſic reſcribit epiſt. 235. Manifeſtum eſt quidem quod ſi ad nos venires venerabili Epiſcopo Aurelio non communicans; nec apud nos poſſes communicare: ſed ea charitate nos faceremus quâ & illum facere non dubitamus.

9. Can.

9. Can.XII. *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt baptiſari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet Sacerdos, aut præſentis in ſuo nutu.*

Similem planè canonem ſuperius perquire 76. Concilij Carthaginenſis IV. quò reſpicere videntur iſta hujus canonis verba *prout ſtatutum eſt.* His pariter ſuffragatur S.Leo Papa epiſt.82. aliàs 91. ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem dicens: *Etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut & actio illis pœnitentiæ, & communionis gratia, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus poſtulant, non negetur. At ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggravati, ut id quod paulò ante poſcebant ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non audeant, teſtimonia eis circunſtantium fidelium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur.*

10. Can.XIII. *Amentibus quæcumque pietatis ſunt conferenda.*

Si de baptiſmo quæratur baptiſari debent qui mentis compotes nunquam fuerunt. Itemque ſi ante amentiã, aut per lucida intervalla baptiſmum expetiverint. Euchariſtia verò citra periculum irreverentiæ gravis aut ſcandali, illis tantum & in morte dari qui ante amentiam deſiderarunt. Oblationem etiam & preces fieri pro eo poſſe qui ſibi per amentiam mortem conſciverit declarat Timotheus Alexandrinus can.13.

11. Can.XIV. *Energumeni jam baptiſati ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſolicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperent, omnimodis communicent, Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonij quo infeſtantur, vel purgandi quorum jam oſtenditur vita purgatior.*

Illiberritanum Concilium can.37. abſolutè definit his qui ab immundis vexantur ſpiritibus ſi fideles fuerint dandam eſſe communionem. Apud Caſſianum collat. 7. Quum Germanus dixiſſet cap.29. energumenos in quibuſdam Provincijs à communione perpetuò excludi, reſpondet Abbas Serenus his verbis cap. 30. *Communionem ſacroſanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus eis interdictam. Quinimò ſi poſſibile eſſet etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant.* Timotheus denique Alexandrinus can. 3. Energumenum fidelem ſi abſit periculum ſacris myſterijs ait debere participare, non quidem quotidie, ſed quod ei ſatis ſit temporibus opportunis. Præfatus Serenus Abbas teſtatur per Euchariſticam communionem curatum Abbatem Andronicum alioſque complures ſibi notos energumenos. Prætereaque de Araba puella fidem facit Proſper, aut quiſquis eſt autor librorum de promiſſionibus & prædictionibus Dei, fuiſſe Carthagine à dæmone invaſore liberatam particulà corporis Domini de manu Epiſcopi perceptà.

12. Can.XVI. *Qui palam à dæmone arrepti ſunt, aliquando non ſolum non aſſumendi ad ullum ordinem clericatus, ſed etſi aliqui jam ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi.*

Arreptitij ne Clerici fiant cautum eſt Apoſtolorum can.78. Qui ordinati ſunt ne miniſtrent vetat Illiberritani Concilij can.29. Removendos eſſe à ſacris miniſterijs ſtatuit Gelaſius Papa decreto 19. Inde Concilium Toletanum XI. can.13. *Bene inquit maiorum regulis definitum eſt, ut dæmoniacis aliſque paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat.*

13. Canon XXII. Legem continentiæ ſolis præſcribit Diaconis & Presbyteris. Sed qui eodem tempore Romanæ præſidebat Eccleſiæ Leo Magnus epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem inquiſit.3. ſolis libertatem connubij lectoribus relinquit, cæteris autem interdicit quibuſcumque Clericis, & gradibus miniſtrorum altaris. His multo plura requirito in ſcholijs noſtris ad Nicænum can.3.

14. Can.XXV. Bigamos arcet à ſacris miniſterijs & ordinibus. Aſtipulatur Apoſtolorum can.17. Apoſtolus Paulus 1.Timoth.3. & Tit.3. Epiſcopum vult eſſe unius uxoris virum. Quod idem à Nicænis Patribus confirmatum fuiſſe, tradit Ambroſius ad Eccleſiam Vercellenſem, ut irregularis ſit omnis bigamus. Huc etiam ſpectat bigamia vulgo dicta interpretativa. Ideoque Apoſtolorum can. 18. à ſacris excluditur ordinibus quiſquis viduam aut ejectam, aut meretricem duxerit, vide can. ſi quis poſt diſt.33. & can. ſi quis viduam diſt.34. Itemque Neocæſarienſi can.8. irregularitatem incurrit, & contrahit quiſquis uxorem ſuam cognitam adulteram à ſe non dimiſerit, ſed poſtea cognoverit c. ſi cujus uxorem diſt.34. Idemque decernit Innocentius I. epiſt.4. ad Felicem Nucetianum Epiſcopum cap.2. & Levit.21. ait non viduam, non abjectam.

15. Can.XXVI. *Diaconæ omnimodis non ordinandæ: ſi quæ jam ſunt benedictioni quæ populo impenditur capita ſubmittant.*

Hoc ergo Concilio Diaconiſſarum inſtitutum aboletur, quemadmodum & ſequentibus Concilijs Epaunenſi can.21. & Aurelianenſi II. can.18. Vide ad ſecundum ſæculum noſtram de Diaconiſſis diſſertationem.

16. Can. XXVII. *Viduitatis ſervandæ profeſſionem coram Epiſcopo in ſecretario habitam, impoſita ab Epiſcopo veſte viduali indicandam. Raptorem verò talium & ipſam talis profeſſionis deſertricem meritò eſſe damnandam.*

Refertur c. viduitatis ſervandæ 27. q.1. Quamvis igitur Diaconiſſæ quoque viduæ eſſent, & publicè coram Epiſcopo profiteri ſolerent vitæ continentiam, his tamen quoad Eccleſiæ miniſteria quæ ex officio exequebantur reſciſis & exautoratis, quia fortaſſis de miniſterio ſuperbiebant, & inter ſe mutuò æmulabantur, & rixabantur, ſacris miniſtris detrahebant, & quæ illarum manibus inter pauperes diſtribuenda committebantur ſibi ſuiſque per avaritiam, & carnis ſanguiniſque affectum reſervabant, retentæ ſunt viduæ religioſæ ac humiles priſtinis illis miniſterijs non aſtrictæ, niſi aliquæ ex eis ſublectæ ſpontaneum habuiſſent ab Epiſcopo vel Presbytero, & fortuitũ mandatũ.

17. Can.

17. Can.XXIX. Sanctio ſtabilitur ne deinceps Concilia ſolvātur niſi prius indicto Concilij quod anno inſequenti congregandum erit loco. Itaque deſtinatur Concilij iterum ineundi dies decimuſquintus Calendas Novembris proximi anni, locus verò idem qui nunc Arauſio. Cujus tamen deſignati Concilij nihil ad nos pervenit. Altera enim quæ jam ſupereſt ſecunda Arauſicana Synodus aliquot annis hac poſterior eſt.

## *CONCILIUM VASENSE ſeu potius Vaſionenſe, anni 442.*

1. PRævaluit uſus ut Concilium Vaſenſe dicatur quod Vaſionenſe dici debuit, utpote Vaſione habitum quod Vocontiorum oppidum: duo nec plura celebrata fuiſſe conſtat ex veteribus monumentis Vaſione Concilia. Hoc primum ſub Leone Papa I. alterum poſt annos ferè nonaginta ſub Felice Papa IV. Tertium his duobus antiquius perperam aliqui finxerunt, hac ratione ducti, quia ſecundum Arelatenſe Concilium Vaſenſis alicubi meminit: ſed inde potius colligere debuerant illud Arelatenſe poſterius eſſe iſto Vaſenſi quod nunc pertractamus, quam præceſſiſſe ante illud Arelatenſe, aliud Vaſenſe cujus nullum eſt apud veteres veſtigium. Ita Jacobus Sirmundus, Baronium refellit & Binium. Vide paulò inferiùs can.4. Vaſionis mentio eſt apud Plinium, Melam, & Ptolomeum.

2. Can. II. *Pro his qui pœnitentiâ acceptâ in bona vitæ curſu ſatiſfactoria compunctione viventes, ſine communione inopinato nonnunquam tranſitu in agris aut itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam ac eorum funera, & deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu proſequendam: quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis myſterijs judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum Viatico intercipiuntur: quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.*

Hoc idem ſecundi Arelatenſis Concilij can. 12. ita ſancitur: *De his qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti: ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur.* Sæpè contingit ut in quæſtionibus definiendis pleræque veriſimiles ac probabiles rationes utrinque occurrant, quo fit ut ſanctiſſimi ſervi Dei circa unam ac eamdem quæſtionem in contrarias invicem diſcedant ſententias. Magna procul dubio duobus iſtis Concilijs Vaſenſi & Arelatenſi debetur veneratio affirmativè definientibus: magna etiam pro certo debetur veneratio Sancto Leoni cognomine magno contrarium planè aſtruenti in ſua ad Ruſticum Narbonenſem epiſtola inquiſ.8. oppoſitum ſeveriùs circa idem decernenti. *Horum* (inquit) *cauſa Dei judicio reſervanda eſt in cujus manu fuit ut talium obitus uſque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.* Idemque Leo ſimile prorſus reſcribit Theodoro Epiſcopo Forojulienſi epiſt.82. aliàs 91. cap.3. *Quod manens* (ait) *in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. Nec neceſſe eſt nos eorum qui ſic obierunt merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit.* Hactenus Leo Pontifex. Cæterum non modo mitius decreverunt ejuſdem ætatis memorata bina Concilia, ſed & his antiquius Carthaginenſe quartum Concilium can.79. his verbis: *Pœnitentes verò qui leges pœnitentiæ attentè exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint ubi eis ſubveniri non poteſt, memoria eorum & orationibus poſterius & oblationibus commendetur.* Sed & his omnibus Toletanum Concilium dictum undecimum an.675. hæc decernit can.12. *De his autem qui acceptâ pœnitentiâ antequam reconcilientur ab hac vita receſſerint, quanquam diverſitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nos ſententias placuit ſequi qui multiplices numero de hujuſmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Eccleſijs commendetur, & oblatio pro eorum dedicata ſpiritibus accipiatur.* Quo alijſque innumeris exemplis quæ facillimum eſſet huc adducere modeſtè admonemur, ne uſque eo unuſquiſque noſtrum in ſuo ſenſu abundet, ut diverſa aliorum Catholicorum ſenſa quæ neque ratione, neque gravium & peritorum autorum præſidio deſtituuntur temerè reprobet, condemnet, ac ſugillet.

Can.III. *Per ſingula territoria Presbyteri, vel miniſtri ab Epiſcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis proprijs per annos ſingulos chriſma petant, & appropinquante ſolemnitate Paſchali: nec per quemcumque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtrorum occupatio eſt, per Subdiaconum. Quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt, ut ipſe ſuſcipiat qui in tradendo uſurus eſt. Si quid obſtat, ſaltem is cujus officij eſt ſacrarium diſponere, & ſacramenta ſuſcipere.* Idem antea ſtatutum fuerat Concilij Carthaginenſis IV. can.36.

Can.IV. *Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & Eccleſijs tradere demorantur, ut infideles ſunt ab Eccleſia abjiciendi, quia uſque ad exinanitionem fidei pervenire certum eſt hanc divinæ pietatis exacerbationem, quâ & fideles de corpore decedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes collata alimoniæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales quaſi egentium necatores, nec credentes judicium Dei habendi ſunt. Vnde & quidam Patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententia* (is eſt S.Hier. ep.2.ad Nepotianum) *quâ ait Amico quippiam rapere furtum eſt, Eccleſiam violare ſacrilegum.*

Refertur c. qui oblationes 13. q.2. Canon iſte nominatim in teſtimonium adducitur & confirmatur à Concilio ſecundo Arelatenſi can.47. his verbis: *Secundum conſtitutionem Synodi Vaſenſis qui oblationem fidelium ſuppreſſerit aut negaverit, ab Eccleſia cui fraudem fecit excludatur.* Hoc idem de fidelium defunctorum oblationibus ſanxerat Concilium Carthaginenſe quartum can.95. Ad hunc etiam

Dd canonem

canonem tacito nomine reſpicit Concilium Agathenſe can.4. & de reorum pœna conſentit ut ab Eccleſijs excludantur. Matiſconenſe pariter Concilium I. can.4.ut ab Eccleſiæ liminibus arceantur. Porro allegatus à Vaſenſi Concilio Hieronymi locus ſatis ſupérque convincit eſſe Hieronymo poſterius,atque ideo male in Julij tempora referri: prætereáque eſſe tempore anterius ſecundo Arelatenſi cum iſtud can.47. nominatim proferat iſtud Vaſenſe ejuſque canonem iſtum quartum confirmet.Quem etiam confirmat Aurelianenſis Cōcilij tertij can.21.

3. Can.V.*Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit recurrat ad Synodum.* Nicænus can.5.ita pridem diſpoſuerat ut qui à ſuo fuerat condemnatus Epiſcopo, provocare ad provinciæ Synodum poſſet penes quam cauſa iterum diſceptaretur:ijſque de cauſis Synodos Provinciales quotannis eſſe bis convocandas. Similiter Carthaginenſe Concilium quartum edicit can.66. Clericos qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem injuſtam putant recurrere ad Synodum poſſe. Idemque ſtatuitur Aurelianenſis Concilij tertij can.20.

## *CONCILIVM OECVMENICVM Calchedonenſe Leone I. Summo Pontifice anno Chr.* 451.

1. EXacto per Synodum Epheſinam Hæreſiarcha Neſtorio,Maximianus Conſtantinopolis Eccleſiam rexit, hunc deinde Proclus excepit, Proclum Flavianus qui cum Synodum Epiſcoporū triginta regnante juniore Theodoſio Conſtantinopoli convocaſſet,Euſebius Dorylæi Epiſcopus oblato libello expoſuit Synodo Eutychetem Sacerdotem & Monaſterij quod celeberrimum erat in urbe regia Archimandritam ſeu Abbatem, prætextu declinandi erroris Neſtoriani ambas Chriſti naturas divinam humanámque ita confuſas aſſeverare, ut in unam mutua commiſtione coaluiſſe prædicaret, ſic tamen ut abſorpta intra verbum tanquam in immenſam abyſſum humanitas nihil de ſuæ naturæ veritate retineret, ſed ſolam duntaxat apparentiam quandam & figuram: adeo ut ſola verbi perſona in terris de virgine nata ſit, carníſque ſuſtinuerit pro hominum redemptione infirmitates, famem, ſitim, laſſitudinem,flagella,crucem & mortem perpeſſa ſit ſoláque de ſepulcro ſurrexerit, Valentini quoque peſtilens dogma renovans non ex virgine ſed è cœleſti ſubſtantia formatum Chriſti corpus per virginem in terras tranſmiſſum delirabat, neque quidquam de Maria Virgine ſumpſiſſe,ſed per eam duntaxat quaſi per canalem aut fiſtulam ad nos tranſmeaſſe: ut referunt de Eutyche Auguſtinus & Philaſtrius in ſuis Hæreſeon Catalogis, necnon Theodoritus lib 4.hæret.fábul.de Valentino autem Tertullianus in ſuis libris de carne Chriſti cap.21. & 22. & adverſus Valentinianos cap.27. At Eutyches inſuper referentibus Theodorito, Auguſtino & Philaſtrio Verbum fuiſſe in carnem converſum delirabat. Ter miſſis à Synodo legatis citatus Eutyches fictitijs excuſationibus, Epiſcopos ludificavit,tertiáque citatione ſeptem dierum inducias petijt quibus ſuam quam fingebat affectam valetudinem pauliſper firmaret. Interea Chryſaphio ſpadoni qui gratiâ Imperatoris præ cunctis alijs prævalebat, quique amicitiâ Eutycheti conjunctiſſimus erat (fuerat quippe ab hæreſiarcha de ſacro fonte levatus, idémque Flaviano jampridem per privatas ſimultates infenſus erat) ſuam cauſam impensè commendat. Cujus avidè ſuſcepto patrocinio Chryſaphius Theodoſio ſuadet ut Florentium Patricium jubeat cum poteſtate Synodo intereſſe. Theodoſij mandatum detulit ad Synodi Patres magnus Silentiarius cum quo Monachis ſuis comitantibus prætorianorúmq; militum ſatellitio ſtipatus, Eutyches arrogantiâ tumens & animo pervicax Synodo ſe ſiſtit. In his rerum anguſtijs Florentium gratulabundi Patres excipiunt, multúmq; Theodoſio Auguſto debere præſeferunt,quod clariſſimi viri cujus fides religióque perſpecta ſit præſidio Synodum præmuniſſet.Eutyches mandante Synodo ſenſum ſuum exprimit,admonetur à patribus ne contra receptam in Eccleſia fidem quidquam innovaret, utque abjecto errore privato ad Eccleſiæ rediret unitatem. Ille vero in contumacia perſiſtens,Synodi tandem judicio de Sacerdotio deponitur Monaſterijque præfecturâ dimovetur, ſubſcribentibus triginta Epiſcopis & Abbatibus viginti tribus.

2. Sic ille condemnatus immanibus adverſus Synodum intemperijs furit,quam libellis per compita & fora civitatis affixis proſcindit,novaſque pro ſe factiones conflat ubique.Quinetiam apud Leonē veteris Romæ Pontificem ſcripto conqueritur Neſtorij hæreſim per Flavianum Conſtantinopoli revixiſſe in diéſque incrementa ſumere. Séque fidem Epheſinam quâ par erat conſtantiâ prædicantem fuiſſe à Neſtorianis oppreſſum, & ordine motum, neque ullatenus auditum dum Apoſtolicum tribunal appellat.Huic Leo plenas benevolentiæ literas reſcribit. Sed receptis paulo poſt Flaviani literis cum omnibus Synodalibus actis,damnationem Eutychetis approbavit. Tum Eutyches per ſummum nefas à Synodi & Romani Pontificis judicio ad Theodoſium provocavit.Annuit Imperator à Chryſaphio deluſus novámque Synodum indixit. Concurſant undique & tumultuantur Euthychiani Monachi & cum his complures aulici ſimul & plebæi partibus hæreſiarchæ addicti. Verum iſta quoque recens Synodus reviſo anterioris Synodi proceſſu exploratiſque illius actis, auditóque recens Eutychete,priorem illam novo judicio confirmavit. Atque ita Flaviani ſinceritas & Eutychis perverſitas luculentius innotuere.

3. Eutyches ad ſuæ cauſæ pene cōploratæ ſubſidiū, diſcordiam inter Epiſcopos ſerere aggreditur.Dioſcorum itaque magni olim Cyrilli Diaconū & nunc tēporis in Alexandrino Patriarchatu indigniſſimum ſucceſſorem,projectiſſimæ nequitiæ virum plurimis homicidijs,adulterijs,rapinis & ſacrilegijs inquinatū,Chryſaphij clientem,Flavianoque ob morum diſſimilitudinem & ſedium æmulationem infenſum,in ſuas facile partes adducit,ſpecie tuendæ contra Neſtorianos Catholicæ fidei,quam præceſſor ejus Cyrillus in Epheſina Synodo ſtrenue propugnarat. Agit ergo per literas cum Theodoſio Dioſcorus tātas controverſiarum difficultates non fuiſſe privatis aliquot Epiſcoporum hoſtiliter adverſus Eutychem affectorū conventibus dijudicandas,ſed eſſe per œcumenicæ Synodi inconteſtabilē autoritatē dirimēdas. Huic obſtitere ſuggeſtioni Flavianus primum,deinde Leo Papa.Prævaluit tamen horum diſſuaſionibus Chryſaphij & Dioſcori conſpiratio, cū hic ſe præſidem univerſalis Cōcilij à Theodoſio deſignatum iri confideret. Hoc itaque à Theodoſio indicitur Epheſi poſt novemdecim à primo Epheſino annos. Eò Romanus Papa Leo ſuos direxit Legatos cum

duabus

duabus epiſtolis una quidem ad Synodum Epheſinam & altera ad Flavianum quibus orthodoxam fidem adverſus Eutychetis præſtigias inſigniter elucidabat. Ad eam itaque Synodum convenere Dioſcorus Alexand. Domnus Antioch. Joannis illius qui priori œcumenicæ Synodo Epheſinæ præfracto animo reſtiterat ſucceſſor, Iuvenalis Ieroſolymorum, & Flavianus Conſtantinopolitanus. Ad novam Synodum iſtam Theodoſius Barſumam Archimandritam miſit qui nomine totius ordinis Monachorum, & Imperatoria fretus autoritate Antiſtites inſectaretur à quibus fuerat damnatus Eutyches. Miſit præterea Imperator comitem Elpidium iſtius Synodi defenſorem ſeu conſervatorem, cui dedit in mandatis ut Epiſcopis qui contra Eutychem ſententiam dixerant, omnem judicandi adimeret autoritatem.

4. Tam infauſtis & iniquis auſpiciis coacta Epheſi Synodo jubet Elpidius ante omnia de actis Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano Synodi quæſtionem haberi. Obſiſtunt Apoſtolici Legati, & primum omnium literas Leonis poſtulant recitari. Obſtrepit cum ſuis Eutyches, Legatos Leonis in ſuſpicionem & invidiam trahit, utpote Flaviano prorſus addictos, addens ipſos Legatos apud Flavianum pranſos. Concitatur adverſum eos tumultus, denegatur eis in ſedendo primatus quem ſibi Dioſcorus vindicat. Omnia contentioſis vociferationibus perſtrepunt. Abſcedunt Pontificij Legati, ſed paulo poſt ſedato aliquantulum tumultu revocantur. Sed mox valida & audax trecentorum monachorum manus in Synodum irrumpit multos ſecum trahens milites armatos cum quibus occultè Dioſcorus conſpirabat. Undique confuſio, clamores horrendi, comminationes, & convicia atrocia perſonant, raptantur diriſque verberibus cæduntur ſancti Epiſcopi, notariis digiti effringuntur, tabulæ Synodicæ diſcerpũtur. Flaviano niſi interrogato ut criminis reo ſilentium indicitur, & Antiſtites ejus aſſeclæ in vincula conjiciuntur.

5. Tum verò ſoli gregales Dioſcori omne ſibi judicium vindicant: Domnum Antiochenum ſuo dejiciunt Epiſcopatu, ſimulque Theodoritum Cyri & Ibam Edeſſæ Epiſcopos utrumque abſentem & indictâ cauſâ. Qui verò interſunt & ad conſeſſum admittuntur Epiſcopi, partim ſpontanei Eutychiani, partim metu adacti puris & albis mẽbranis ſubſcribunt, in quibus quid ſcribendũ eſſet magna illorum pars ignorabat. Legati Apoſtolici furtim gladios inter & haſtas dilabuntur, poſtquam pro ſuo reclamarunt, & proteſtati ſunt officio. Denique in iſta latronum Synodo (ſic enim & juremerito Græci λῃςρικὴν σύνοδον vocant) prolatum Eutychetis ſymbolum approbatur, ipſeque orthodoxus prædicatur, priſtinumque in ſtatum reſtituitur. Flavianus autem & Euſebius Doryleus Eutychetis accuſator hæretici Neſtoriani declarantur ſuiſque ſedibus depelluntur, & carceribus includuntur. Flavianum provocantem ad Apoſtolicum tribunal Dioſcorus factus ex Epiſcopo carnifex, tam atrociter verberibus excipit, ut mox dum in exilium deportaretur toto corpore contuſus, fractus & ſaucius poſt triduum vitâ exceſſerit. Sine mora ejus loco ſubrogatur Anatolius Diaconus & Dioſcori apocriſarius. Tum demum exultans quaſi de prælio victor Dioſcorus Alexandriã revertit: atque à Leone Pontifice fidelium communione exciſus, ipſe quoque viciſſim novo & hactenus inaudito auſu in Leonem anathematis ſententiam dixit.

6. Tot inſignium calamitatum accepto nuncio dici non poteſt quanto animi dolore Leo Flaviani necem, Epiſcoporum orthodoxorum depoſitiones, vincula, exilia, divulſas Eccleſias, proſtratam & peſſundatam religionem, exultantem Imperatoris protectione hæreſim univerſoque Oriente triumphantem & inſoleſcentem deploraverit. Coactâ quamprimum Romæ Synodo Epheſinum iſtud malignantium Concilium, ſeu potius latrocinium reſcidit, & Dioſcorum ut dictum eſt, ſimulque hujus incendij facem Eutychetem anathemate perculit, crebraſque ad Theodoſium ejuſque ſororem Pulcheriam literas conſcripſit. Quinetiam cum pleriſque Italiæ Epiſcopis obviam prodiit Occidentis Imperatori Valentiniano III. qui cum reginis Galla Placidia matre & Eudoxia uxore Romam religionis ergò ad inviſenda ſacra Apoſtolorum limina adventabat: cumque illis tam luctuoſas religionis clades flebiliter expoſuiſſet, lacrymas reginis excuſſit, ſuiſque precibus impetravit, ut Valentinianus & reginæ, Theodoſio ſcriptis literis ſuaderent, ut præſentem Eccleſiæ ſtatum miſeratus, curaret novo legitimoque ac libero Concilio quæ per vim & factiones Epheſi geſta erant, examini ſubjici. Studebat Leo ut in Italia intra quam liberiùs poterat Eccleſia reſpirare nova Synodus indiceretur, quæ labem & infamiam Epheſinam detergeret. Sed Theodoſij mens hæreticorum artibus irretita flecti Valentiniani & Auguſtarum precibus minimè potuit: quinimò promulgatis novis edictis Epheſinum conventiculum Nicæno ſacroſancto Concilio juſſit adæquari. Sed haud multò poſt morte ſua meliori regimini locum ceſſit. Leo quod à Theodoſio impetrare non potuit ab ejus ſucceſſore Marciano obtinuit Principe ſapientiſſimo & religioſiſſimo, cui approbante Senatu Orientis imperium ſimulque ſeipſam nuptu tradidit Pulcheria, ea tamen lege, ut ſibi ipſi virgini eſſe liceret. Leonis igitur acceptis literis Marcianus ſuffragante Pulcheria Synodum generalem Calchedone indixit: quæ civitas ſeptem dumtaxat ſtadiis diſtat ab urbe regia, interjecto inter utramque Boſphoro, hoc ſcilicet fine ut illic intereſſe commodè ſuamque Synodo autoritatem poſſet impertiri quâ factioſi, qui tot hactenus turbas conciverant in officio continerentur. Primum quidem ad Leonis poſtulationem explorata fuit Anatolij fides, ejuſque admiſſa publica fidei profeſſio damnans Eutychetis & Dioſcori perfidiam, & conventiculum Epheſinum. Marcianus quotquot pſeudoſynodus latrocinans expulerat adhuc ſuperſtites revocavit, ut ad legitimam Synodum convenirent. Sacrum Flaviani corpus ex loco in quo exul & martyr occubuerat, ſolemni pompa Conſtantinopolim reduxit.

7. Hiſce feliciſſimis auſpiciis Chalcedone apertum eſt Generale Concilium numero quartum, intra templum ſanctæ Virginis & Martyris Euphemiæ anno Chriſti 451. menſe Octobris Marciano & Adolphio Conſulibus, præſidentibus Leonis Pontificis Legatis Paſchaſino Lilybætano, Lucenſi Aſculano, Juliano Coënſi Epiſcopis, & Bonifacio Presbytero. Secundus ab Apoſtolicis Legatis ſedit Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus, tertius Dioſcorus Alexandriæ, quartus Maximus Antiochiæ, quintus Juvenalis Jeroſolymæ aliique deinceps tum ad dexteram tum ad lævam. Principes verò à Marciano cum ampliſſimo Senatu miſſi in medio conſederunt ante ſanctiſſimi altaris cancellos, ut exprimitur actione 1. & alibi paſſim ἐν τῷ μέσῳ πρὸ τῶν κιγκλίδων τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου, hos qui erant Conſtantinopoli ante ſacrum altare, cancellos vocat Gregor. Nazianzenus orat. 32. κιγκλίδας.



Digitized by Google

Principio Legati Apoſtolici obteſtati ſunt fas non eſſe Dioſcorum qui reus ſit Synodo judicandus, inter Epiſcopos ſedere judicem. Euſebius Dorylæi libellum profert adverſus Dioſcorum flagitiis latrocinantis conciliabuli infamem. Leguntur ſubinde acta Synodorum Conſtantinopolis ſub Flaviano & Epheſi ſub Dioſcoro. Fremunt Patres adverſus Dioſcorum, tot ejus ſceleribus in apertum productis. Inſtat Dioſcorus omnia refundere in Epiſcopos Epheſinos, nihil ſe illis invitis aut inconſultis egiſſe. At illi excipiunt ſibi vim illatam per introductos à Dioſcoro armatos. Convictus criminum Dioſcorus de gradu & ſeſſione in Synodo depellitur. Obſervandum in prima iſta actione primam dejiciendi Dioſcori allegatam fuiſſe cauſam, quia Synodū auſus fuerat cogere ſine Apoſtolicæ Sedis autoritate, ὅτι οὐδέποτε γέγονεν, οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι, quod nunquam hactenus factum eſt, nec fieri licet. Sanctus Papa & Chriſti martyr Marcellus epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ ſcribit ſanctionem Apoſtolorum eſſe, ut non poſſint Concilia celebrari præter ſententiam Romani Epiſcopi. Hoc idem teſtatum reliquit Julius Papa in epiſt. ad Orientales Epiſcopos quæ refertur ab Athanaſio apolo. 2. & à Socrate lib. 2. cap. 13. & à Sozomeno lib. 3. cap. 9. additque hunc Apoſtolicum canonem fuiſſe in Synodo Nicæna renovatum. Quod idem teſtificatur Synodus Alexandrina epiſt. ad Felicem. Damaſus quoque Papa epiſt. ad Stephanum & ad Concilia Africæ: *Nam ut noſtis (ait) Synodum ſine Romana ſedis autoritate fieri non eſt Catholicum: nec Epiſcopus niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore vocatione Apoſtolica congregata definitè damnari poteſt. Neque ulla unquam Concilia rata leguntur quæ non ſunt fulta Apoſtolica autoritate.* Hæc Damaſus, ſi tamen non ſit ei falsò afficta. Idemque in epiſtola ad Epiſcopos Illyrici quæ melioris notæ cenſetur. *Neque enim præjudicium aliquod fieri poteſt per numerum Arimini congregatum, quando conſtat neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis Epiſcopatum inviolabiliter cuſtodivit, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum, maximè dum ſicut prædiximus iſti ipſi qui per circumventionem declinaſſe videbantur, ipſi denuo utentes meliore conſilio hæc ſibi diſplicere teſtati ſunt.* Quod ait de Vincentio Capuano Epiſcopo qui fuerat Sylveſtri Papæ in Nicæna Synodo Legatus, quique adhuc ſuperſtes erat id ſignificat, Romanum Pontificem, neque per ſeipſum, neque per Legatos acta Ariminenſia approbaſſe. Inſuper Synodus VII. œcumenica actio. 16. præcedentem pſeudoſynodum Iconoclaſtarum Conſtantinopoli habitam reprobam, irritamque hac ratione pronunciat, quia inconſulta ſede Apoſtolica fuerat celebrata. Denique in Romano Concilio ſub Pontifice Symmacho, cum Rex Theodoricus convocatis in unum Italiæ Præſulibus denunciaret ſe Ipſos convocaſſe, ut cauſam Symmachi cognoſcerent, reſponderunt unanimes convocationes Concilij non ad Regem, ſed ad Pontificem ſummum pertinere. Cumque Theodoricus commonſtraſſet Symmachum ipſum rogare ac expetere, ut Synodus iſta cogeretur, atque huic convocationi Symmachum ſuam præſtare autoritatem, ac jubere ut de ſua cauſa Synodus cognoſcat, & judicet, non ante acquieverunt quam Symmachus ipſe præſens ſe id ipſum à Rege poſtulaſſe & velle aſſeruerit, ut per hoc ſua innocentia comprobetur. Ipſa verò Synodus ſpretis calumniis quas Schiſmatici legitimis probationibus fulcire non poterant Symmachum purgavit: & quia primus fuerat legitimis formis electus, poſteriorem Laurentij per aliquot factioſos electionem irritam & ſchiſmaticam declaravit; de criminibus verò quæ Laurentiana factio Symmacho ſine probatione objectabat, judicium omne Deo ſoli (cui nihil occultum) eſſe committendum cenſuit, ut fidem facit in Apologetico Ennodius Ticinenſis, cujus ſcripta hanc in rem edita Concilium ipſum iterato convocatum approbavit.

8. Actione Chalcedonenſi 2. recitata ſunt fidei ſymbola Nicænum & Conſtantinopolitanum; lectæ etiam literæ Cyrilli tum ad Neſtorium tum ad Ioannem Antiochenum; deinde Leonis ad Flavianum, eáque perlectâ Synodus acclamavit Petrus per Leonem loquutus eſt, Apoſtoli hoc docuerunt. Dioſcorus qui ſe ſubduxerat citatur reus. At is flagitiorum ſibi conſcius refugit ſe actionibus ſecundæ & tertiæ ſiſtere. Poſt tertiam compellationem venire recuſans accuſatur & judicatur abſens: prolatis etiam Alexandrinorum teſtimoniis circa devaſtatos ab ejus ſatellitibus agros, abductas ſegetes, incenſas ædes, abreptas ab eo multorum uxores, fœdata conjugia, violatas virgines, aliaque atrocia facinora. Has ob cauſas ſimulque ob ſceleratiſſimè per eum geſta in cauſa Eutychetis damnatus in Synodo eſt Dioſcorus, & dignitate quam dedecorabat ſpoliatus. Epiſcopis Epheſinæ pſeudoſynodi veniam ſupplicantibus poſt convenientem fidei profeſſionem, damnatumque Eutychetis dogma conceſſa reconciliatio fuit & in priſtinas dignitates regreſſus: Ibas Edeſſæ & Theodoritus Cyri Antiſtites priſtinis Eccleſiis & ſedibus quibus illos exuerat Dioſcorus reſtituti ſunt, fideſque unanimi omnium conſenſu ad normam epiſtolæ Leonis ſtabilita fuit. Definitumque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ex duabus naturis invicem diſtinctis & inconfuſis divinâ humanâque conſiſtere. Et divinitate Deo Patri, humanitate nobis conſubſtantialem eſſe ac per omnia nobis eſſe ſimilem abſque peccato. Contrarium verò Eutychis & Diſcori dogma proponitur actione 5. his verbis: Ex duabus Chriſtum naturis coaluiſſe ſuſcipio, duas verò eſſe in Chriſto naturas non ſuſcipio. Leonis autem ibidem approbat doctrinam ſacra Synodus duas eſſe in Chriſto naturas unitas inconfuſè, & inconvertibiliter & indiviſibiliter.

9. Sed operæpretium erit brevem diſputationis proluſionem inter Eutychen hæreſiarcham ſe in ſuo monaſterio fingentem ægritudine detentum, & Theophilum atque Mamantem Presbyteros, à Concilio Conſtantinopolitano, cui Flavianus præſidebat miſſos ut diem comparendi coram Concilio dicerent. Habetur verò actione 7. ejuſdem Concilij & inſeritur action. 1. Chalcedonenſi. Sic ergo rem exponit Theophilus coram Synodo Conſtantinopolitana. Ego & religioſiſſimus Presbyter Mamas pervenimus ad monaſterium reverendiſſimi Presbyteri & Archimandritæ Eutychis, & porreximus ei à veſtra ſancta Synodo directum commonitorium evocationis ejus: & cœpit velle diſputare nobiſcum. Reverendo autem Presbytero Mamante dicente ei quia non pro hoc venimus ut unà cum tua reverentia diſputemus, ſed evocare te ad occurrendum in ſancta Synodo, cœpit Eutyches præſentibus monachis dicere: In qua ſcriptura habentur duæ naturæ? Deinde verò quis Sanctorum Patrum expoſuit





Digitized by Google

Deum verbum habere duas naturas? ad hæc nobis reſpondentibus: & tu oſtende nobis ubi continetur homouſion aut quæ ſcriptura hoc dicit, Reſpondit idem Eutyches non continetur in ſcripturis, in expoſitione verò patrum jacet. Ad hæc Presbyter Mamas reſpondit: non continetur in Scripturis, in expoſitione verò Patrũ jacet eo modo, ſicut homouſion in ſanctis Scripturis non diſertè exprimitur, ſed à SS.PP. expoſitum eſt, ita & de duabus naturis Sancti Patres expoſuerunt. Dixi ad hæc & ego, perfectus eſt Deus verbum an non? dixit Eutyches perfectum. Dixi & ego perfectus, & homo incarnatus an non? dixit idem: perfectus. Si ergo (inquam) Deus perfectus & homo perfectus duo perfecta unum perficiunt filium. Quid igitur nos dicere prohibet ex duabus naturis unum perfici filium? Et ad hæc reſpondit Eutyches: abſit à me dicere ex duabus naturis unum filium Chriſtum, aut de natura loqui ſeu diſputare Dei mei. Impietati Eutychiani dogmatis conjunctam abſurditatem S. Leo Papa ſic demonſtrat in ſua illa celeberrima ad Flavianum epiſtola dicens: Cum ad interlocutionem examinis veſtri Eutyches reſponderit dicens confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem: poſt adunationem autem vnam naturam confiteor. Cum tam impiè duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei filius fuiſſe dicatur, quam nefariè poſtquam Verbum caro factum eſt natura in eo ſingularis aſſeritur, &c. Qua eadem epiſtola S. Leo per manifeſtas Scripturas Eutychem refellit, quid verò doceant Eccleſiæ Sancti Patres perſpicuè commonſtrat in ſua teſtimoniorum eorumdem collectione quam Leo Pontifex ad Leonem Imperatorem tranſmiſit cum ſua ad eumdem epiſtola ſic exordiente. *Promiſiſſe me memini*, &c.

10. Marcianus Auguſtus rebus majoris momenti jam pacificè à Concilio conſtitutis ad ſacrum Concilium acceſſit, cujus actioni 6. interfuit & cum eo Pulcheria Auguſta de omni Eccleſia inſigniter merita. Ille verò dignam Imperatore ſapientiſſimo & Chriſtianiſſimo habuit orationem.

11. Actione VII. Sacroſanctæ œcumenicæ Synodi graviſſima compoſita eſt diſſenſio inter Maximum Antiochenum Patriarcham, & Juvenalem, cujus loco ſcriptor quidam eruditiſſimus humano memoriæ lapſu in ſuis primis exercitationibus Ioannem ſupponit Ieroſolymitanum jamdudum vitâ functum. Eccleſia Jeroſolymitana ſeu urbis Æliæ ſexto Nicenæ Synodi canone ſubjecta fuerat Cæſaræ Metropoli Provinciæ Paleſtinæ ſecundum veterem conſuetudinem. Verumtamen Theodoſio juniore regnante Juvenalis Æliæ Antiſtes ſublimiore ſpiritu elatus, occaſione ſumpta Synodi Epheſinæ quam Ioannes Antiochenus, ut ſuperius ſuo loco retulimus atrociter offenderat, quippe qui adverſus illam tot turbas exciverat, ejuſque ſanctiſſima decreta, ut hæreſiarchæ Neſtorio, & hujus fautoribus corruptiſſimis aulicis gratificaretur damnaverat, & ſpectabiliores ſanctæ Synodi Epiſcopos ſuis Eccleſijs exſpoliatos exilijs & carceribus indigniſſimè affecerat, univerſamque Chriſti Eccleſiam in ultimum adduxerat diſcrimen. Cogitavit Juvenalis non ſolum Cæſarienſi Metropolitano ſe ſubtrahere, ſed etiam ipſimet Patriarchæ Antiocheno juriſdictionem in univerſam Palæſtinam antehac pacificè exercenti. Quocirca in Synodo quidem Epheſina productis inſignibus prærogativis quibus Jeroſolymitana Eccleſia fuerat ab ipſo Chriſto, atque ab Apoſtolorum cœtu, & ſingulariter ab Jacobo primo ejus Epiſcopo ſingulariter decorata, nihil tamen inde præter repulſam retulit, ut prodit S. Leo Papa in ſua ad Maximum Antiochenum epiſtola dicens: *In Epheſina Synodo qua impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Iuvenalis Epiſcopus ad obtinendum Paleſtinæ Provinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus meritò perhorreſcens ſcriptis ſuis quid prædicti cupiditas auſa eſſet indicavit, & ſollicita prece multum popoſcit* (nimirum à Cæleſtino Pontifice) *ut nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio.* Indicium ſanè ac ſpecimen Cyrillus exhibuit perfectæ charitatis dum Antiocheno adeò ſtudioſè patrocinatur nondum reconciliato à quo fuerat immaniſſimè impetitus. Sed quod à Cyrillo & Synodo nequivit obtinere Juvenalis, à Theodoſio Principe impetravit. Iſte enim ſe Joannis Antiocheni dolis deluſum, atque adverſus ſacram & œcumenicam Synodum fuiſſe concitatum indignè ferebat: nec remoratus eſt divali decreto ſex Provincias Antiocheno Patriarchæ ademptas in Juvenalem transferre, ejuſque Ælienſem ſedem nova Patriarchæ Jeroſolymitani dignitate ſublimare. Nec verò dubitandum eſt, eumdem hujuſce divalis ſanctionis confirmationem à latrocinante Synodo cui Theodoſius impensè favebat obtinuiſſe. Hæ porrò Provinciæ fuere tres Palæſtinæ, duæ Phœniciæ, & Arabia. Sed quæ inſequuta eſt Chalcedonenſis Synodus actione 7. interveniente Marciano Auguſto tanquam honorario & irrecuſabili arbitro, litem iſtam in perpetuum diremit ex mutua partium conventione, ut tres Palæſtinas Juvenalis ejuſque ſucceſſores cum Patriarchæ titulo retinerent, duæ verò Phœniciæ cum Arabia Maximo Antiocheno Joannis demortui ſucceſſori reſtituerentur. Denique iſtud Chalcedonenſe arbitrium de duabus Patriarchijs, quinta Synodus novo decreto Juſtiniano rogante, & ſuadente firmavit ac roboravit. Petrus autem quem Juvenalis habuit ſucceſſorem in tam ſublimis dignitatis culmen elatus Concilium indixit trium Palæſtinorum, eique cum appellatione Patriarchæ præſedit aſſidentibus ſibi tribus Metropolitanis, aliiſque trium Provinciarum Epiſcopis adverſus Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos, anno Ch. 536. denique Concilium generale Lateranenſe quartum anno 1215. ſub Innocentio III. can. 5. & 6. jura dignitatemque Patriarchalem ſalvo in cunctas Romanæ Eccleſiæ Principatu quatuor Eccleſijs concedit, primùm quidem Conſtantinopolitanæ, tum Alexandrinæ, dein Antiochenæ, poſtremò Jeroſolymitanæ. Habetur hoc Lateranum decretum c. antiqua de privileg.

12. Denique peracta actione 15. ſoluta eſt ſacra Chalcedonenſis Synodus, ex eaque receſſerunt illuſtriſsimi Comites cum ampliſsimo Senatu venerandiſque Apoſtolicis Legatis. Sed Anatolius furtim congregatis Orientalibus Epiſcopis præter Ægypti Epiſcopos, & necdum creato Alexandrino in locum deturbati Dioſcori ad quem Patriarcham ſi exiſteret, maximè omnium pertineret ambitioni Anatolij obſiſtere, canones tres adulterini & ſuppoſititij Anatolio urgente procuſi ſunt: quorum priore conſtituebatur Epiſcopum Conſtantinopolis, eo quod Civitas iſta Imperij

 ſede,

ſede & Senatu, novæque Romæ appellatione decoretur, æqualibus privilegijs debere potiri cum veteris Romæ Pontifice, atque ſecundum ab illo dignitatis gradum obtinere. Deinde Conſtantinopolis Eccleſiæ ut Patriarchali ſubiiciendas eſſe tres provincias Ponti, Thraciæ, minoriſque Aſiæ. Thracia porro adimebatur de jure Patriarchico Romæ veteris, Pontus vero de exarchia Cæſareæ Cappadocum, & Aſia de exarchia Epheſini Metropolitæ. Tertius denique canon ſubdolè enunciat fuiſſe à Sacra Synodo conceſſum Epiſcopis Ægypti ut eis liceat Sacræ Synodi ſubſcriptionem differre vacante Alexandrina ſede, donec novus canonice fuerit in eam promotus ſucceſſor, eò quod talis conſuetudo hactenus apud eos invaluiſſet. Subſcripſere autem tribus hiſce canonibus Anatolius & Orientales quibuſcum conſpiraverat. Ubi fraus iſta Legatis Apoſtolicis innotuit, novam ac decimam ſextam iniri ſeſſionem impetrarunt, in qua & reclamarunt adverſus canones illos ſubreptitios adverſantes Sacris Nicæni Concilij decretis & contra normam legitimarum Synodorum furtive occultiſque artibus editos. Protulere inſuper Leonis Papæ commonitorium,qui quod futurum erat præſagiens iſtud illis inter alia capitula mandarat: *Sanctorum quoque patrum conſtitutionem prolatam multa patiamini temeritate violari, ſervantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis quos vice noſtra transmiſſimus dignitatem. Ac ſi qui forte civitatum ſuarum ſplendore confiſi aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc quâ dignum eſt conſtantiâ retundatis.* Hactenus Leo. Sane commemoratus ille ab Anatolio Secundæ Synodi canon, quo primæ poſt Romanum Epiſcopum partes honoris Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſerebantur,fuerat irritus,quia illum Legati Pontificij nulli neque Damaſus approbaverat,ſed repudiaverat: adeo ut nec ipſi Orientales ullam ejus rationem habuerint, qui poſtmodum Theophilum Alexandrinum ad damnationem Joannis Chryſoſtomi accerſiverunt, ut quaſi ſuperioris gradus Antiſtes judicium de Conſtantinopolitano Epiſcopo ferret Synodo præſidens ad quam Chryſoſtomus fuerat poſtulatus reus. Ideóque Paſchaſinus Leonis apud Chalcedonem Legatus hæc ſubintulit. Si uſi ſunt quid requirunt? Si non uſi quare requirunt? Cæterum cum Græci ab iniquo propoſito diſcedere recuſarent, iſtud unum obtinuere Legati ut ſua in oppoſitum proteſtatio actis Synodi conſcriberetur. Deinde Leo ſcriptis ad omnes Epiſcopos enciclycis literis, ea ſola probavit Synodi hujus decreta quæ ad Catholicam fidem pertinerent,aut quibus ſui Legati conſenſiſſent cæteris rejectis. Sexcentos triginta Epiſcopos huic interfuiſſe Concilio produnt Marcellinus in Chronico, Liberatus Diaconus in breviario cap. 13. Photius de ſeptem Synodis cap. 4. Leo Pontifex epiſt. 77. aliàs 52. ad Epiſcopos Galliarum ſexcentos fere Epiſcopos interfuiſſe commemorat.

13. Can. II. *Si quis Epiſcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit & propter pecunias ordinaverit Epiſcopum,vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum,vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit œconomum, vel defenſorem, vel manſionarium* προσμονάριον, *vel omnino aliquem ex canone turpis lucri gratiâ; qui hoc tentaſſe convictus fuerit de proprio gradu in periculum veniat; & qui eſt ordinatus ex ordinatione vel promotione quæ inſtar mercatorum venundatur nihil juvetur, ſed ſit à dignitate vel curatione alienus quam pecuniis adeptus eſt. Si quis autem ſequeſter vel interceſſor adeo turpibus & nefariis lucris apparuit, hic quoque ſi ſit quidem clericus proprio gradu excidat; ſi ſit autem laicus vel monachus anathematiſetur.* c. ſi quis Epiſcopus 1. q. 1. de venalibus ordinationibus videndi canones 3. & 4. Concilij Aurelianenſis ſecundi.

14. Can. III. *Pervenit ad Sanctam Synodum quod eorum qui in clerum cooptati ſunt quidam propter turpe lucrum alienas poſſeſſiones conducunt, & ſæcularia negotia exercent divinum miniſterium negligentes, ſæcularium vero domos ſubeuntes, & eorum facultatum tractationem ac curationem propter avaritiam ſuſcipientes. Definit ergo ſancta Synodus neminem deinceps neque Epiſcopum, neque clericum, neque monachum vel poſſeſſiones conducere, vel ſæcularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſeipſum ingerere, niſi utique ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocetur, vel civitatis Epiſcopus eum rerum Eccleſiaſticarum curam gerere permittat, vel orphanorum vel viduarum quibus provideri non poteſt, vel perſonarum quæ Eccleſiaſtico auxilio maxime indigent propter timorem Domini.*

Si quis autem quæ ſtatuta ſunt, deinceps transgredi aggreſſus fuerit, is pœnis Eccleſiaſticis ſubjiciatur. c. pervenit ad ſanctam diſt. 76. Paria ſanxit Concilium Carthaginenſe primum can. 6. & Apoſtolorum canon. 7. & diſt.88. per totam. Cujus canon ultimus refert Cypriani epiſtolam declarantis Victorem excludi à fidelium ſuffragijs & altaris ſacrificio,eo quod Presbyterum liberorum ſuorum tutelâ teſtamenti ſui tabulis oneraſſet. Huc reſpicit decretalium tit. ne clerici vel mona. ſæcular. nego. ſe im. Et Paulus præclamat Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus 2. Timot. 2. Vide canonem Lateranenſem allegatum c. ult. de vita & hon. cler. denique præclare Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 36. hæc ait: *Non te implices negotiis ſæcularibus quia Deo militas: etenim ſi is qui Imperatoribus militat à ſuſceptionibus litium, actis negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur humanis legibus, quanto magis qui fidei exercet militiam?*

15. Can. IV. Qui vere & ſincere vitam monaſticam aggrediuntur digni convenienti hoc honore habeantur. Quoniam autem nonnulli prætextu monaſtico utentes, & Eccleſias & negotia civilia perturbant, & temere citra ullam diſcriminis rationem in urbibus concurſantes, quinetiam monaſteria ſibi conſtituere ſtudentes, viſum eſt nullum conſtruere monaſterium uſquam ædificare vel conſtituere,vel oratoriam domum præter ſententiam ipſius civitatis Epiſcopi. Monachos autem qui ſunt in unáquaque regione, & civitate Epiſcopo ſubjectos eſſe & quietem amplecti, & ſoli

ſoli orationi & jejunio vacare, in quibus ordinati ſunt locis fortiter perſeverantes, nec Eccleſiaſticis nec ſæcularibus negotiis ſe ingerere vel communicare, propria relinquentes monaſteria niſi quandoque à civitatis Epiſcopo eis permiſſum fuerit. Nullum autem in monaſteriis ſervum recipi ad hoc ut ſit monachus præter voluntatem Domini ſui. Eum autem qui noſtram hanc definitionem tranſgreditur definimus eſſe excommunicatum ne nomen Dei blaſphemetur. Civitatis autem Epiſcopum oportet eam quam par eſt monaſteriorum curam gerere. c. qui vere puréque 16. qu. 1. & c. quidam monachorum 18. qu. 2. Monachos itaque damnat περιόντας ἀδιαφόρως ἐν ταῖς πόλεσιν concurſantes temere per civitates. Cui ſuffragatur c. 42. Synodi quiniſextæ coërceri ab Epiſcopis, jubens eremitas ſubjectionis jugo ſolutos & vagos. Quod idem providetur quoque in c. quanto de offic. jud. ordin. prætereáque Francico edicto Caroli IX. in Comitiis Aurelianenſibus art. 11. Quantum ad reliqua hujus Chalcedonenſis canonis ne ulli monachi Eccleſias vel oratoria injuſſu Epiſcoporum ædificent, quibus etiam jubentur eſſe ſubditi & morigeri, & ut Epiſcopi monaſteriorum curam gerant, ſimiles juris antiqui diſpoſitiones habentur c. nemo Eccleſiam de conſecra. diſt. 1. & c. autoritate de privile. in 6. & Juſtiniani authen. de Eccleſiaſticis titulis. §. ſi quis autem & authen. de monach. §. 1. & ſpeciali authen. ut nullus fabricet, & ædificet domos oratorij præter voluntatem Epiſcopi §. 1. Vide pariter inferius annotata ad Concilium Arelatenſe III. Et Concilium Agathenſe can. 27. & 58. *Cellulas inquit novas aut congregatiunculas monachorum abſque notitia Epiſcopi prohibemus inſtitui.* Qui canon iiſdem repetitur verbis in Concilio Epaunenſi can. 10. Obſervatu dignus eſt Bernardi Abbatis Sanctiſſimi locus iſte ex epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem Epiſcopum. *Certus ſum ego monachus & monachorum qualiſcumque Abbas ſi mei Pontificis excutere quandoque jugum à propriis cervicibus tentavero, quod ſatanæ mox tyrannidi me ſubiicio.* Ibidémque ſuum aperit ſenſum circa Pontificalia Abbatum inſignia. *Abbates* (ait) *aperte indicant quid cogitent cum multo tempore ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis per ipſa ſibi vindicant inſignia temporalia, utentes & ipſi more Pontificum mitra, baculo, annulo atque ſandaliis. Sane ſi attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus. Profecto eſſe deſiderant quod videri geſtiunt, meritóque non queunt Epiſcopis eſſe ſubjecti quibus jam ſe comparant deſiderio. Quid ſi & nomen eis conferre poſſet privilegiorum autoritas, quanto putas auro redimerent ut appellarentur Pontifices? Quò iſta ô monachi? Vbi timor mentis? Vbi rubor frontis? Quis unquam probatorum monachorum tale aliquid aut verbo docuit aut reliquit exemplo?* Denique Concilium Tridentinum ſeſ. 23. de refor. cap. 3. ita ſancivit. *Ne de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi in cujus diœceſi erigenda ſunt licentia prius obtenta.* Loquitur autem de monaſteriis & domibus regularium utriuſque ſexus.

Can. VI. *Nullum abſolutè ordinari nec Presbyterum nec Diaconum nec omnino aliquem eorum qui ſunt in ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monaſterio, is qui ordinatur deſignetur. Eos autem qui abſolutè ordinantur decrevit Sancta Synodus irritam & invalidam habere hujuſmodi manuum impoſitionem & nunquam exercere aut operari poſſe ad ejus qui ordinavit injuriam.* c. neminem abſolutè diſt. 70. Vide ſuperius Nicænæ Synodi can. 15. cum annotatis

Can. VII. *Eos qui in clero ſemel ordinati ſunt, & itidem monachos ſtatuimus neque ad militarem expeditionem neque ad ſæcularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent & non pœnitentiâ ducti ad hoc revertuntur, quod propter Deum prius elegerant anathematiſari.* c. eos qui ſemel 20. qu. 3.

Can. VIII. *Clerici ptochotrophiorum monaſteriorum & templorum martyrum ſub poteſtate Epiſcoporum qui ſunt in unáquaque civitate ex Sanctorum patrum traditione permaneant & non per arrogantiam ſe à proprio Epiſcopo imperium eius detrectantes ſubducant. Qui hanc autem conſtitutionem evertere auſi fuerint, ſi ſint quidem clerici canonum pœnis ſubiiciantur, ſi autem laici vel monachi ſint excommunicati* c. quidam monachorum 18. qu. 2.

16. Can. IX. *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium Epiſcopum non relinquat & ad ſæcularia judicia ne excurrat, ſed cauſam prius apud proprium Epiſcopum agat, vel de Epiſcopi ſententia apud eos quos utraque pars elegerit judicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit canonicis pœnis ſubiiciatur. Si clericus autem cum proprio vel etiam alio Epiſcopo negotium aut litem habeat, à provinciæ Synodo indicetur. Si autem cum ipſius provinciæ Metropolitano Epiſcopus aut clericus controverſiam habeat, diœceſis Exarchum adeat, vel Imperialis urbis Conſtantipolis thronum & apud eum litiget.* c. ſi clericus 11. qu. 1.

Idque idem repetitur infra can. 17. Itáque ſupra infimarum ſedium Epiſcopos conſtituti erant per ſingulas provincias Metropolitani. Supra Metropolitanos in Oriente Exarchi, in Occidente vero Primates utpote pluribus præfecti provinciis Eccleſiaſticis. Denique ſupra Exarchos præeminebant Patriarchæ, ſic tamen ut quæ inferioris gradus Epiſcopo inter proprios ſubditos competebat poteſtas & juriſdictio, nihil pateretur detrimenti ex Præſulum ſuperioris gradus autoritate, ſalvo tamen appellationum jure, ut ex multis oſtendimus exemplis ſupra ad Concilium Taurinenſe. Celebratiores totius Orientis exarchæ fuere Epheſinus in Aſiana Diœceſi, Cæſaræenſis in Cappadocia, cui ſubiiciebatur Pontica Diœceſis. Theſſalonicenſis in Macedonica Diœceſi, quemadmodum & in Thracica Diœceſi Epiſcopus Heracleæ quæ & Perinthus quóque ut teſtatum reliquit Ammianus Marcellinus lib. 27. appellabatur. Sed Thraciæ exachatum Heraclæenſi ſeu Perinthio ademit, ſibique aſſerere voluit Conſtantinopolitanus Epiſcopus Anatolius in hac ipſa Synodo.

Alios

Alios præterea commemorat Orientalium plagarum Exarchas Gelaſius Cyzicenus lib. 2. hiſt. conc. Nic. cap. 27. Diœceſis porro nomen apud Orientales latius patebat quam in Occidente : ſiquidem apud illos plures provincias complectebatur quæ uni vel Exarchæ vel Patriarchæ obtemperabant. Singulas vero provincias quibus præerant ſinguli Metropolitæ vocabant Græci Eparchias. At vero comprovinciales ditiones quibus ſinguli inferioris gradus Epiſcopi præficiebantur vocabant Græci Parochias, cum tamen apud Latinos parochiæ ſignificatio ad ſpeciales Eccleſias reſtringatur, in quibus ſolebant fidelibus adminiſtrari ſacramenta, ut liquet ex multis Concilijs Latinæ Europæ atque Africæ. Jampridem ante Calchedonenſem Synodum Conſtantinopolitana ſub Damaſo hoc idem conſtituerat ut in cauſis quæ contra Epiſcopum aliquem intentantur judicium ſit penes provincialem Synodum, ex qua provocari poſſit ad majorem Synodum Diœceſis *προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως ἐκείνης ἐπισκόπων.* Simile plane decretum fuit à Pelagio Papa primo epiſt. 21. ut ſcilicet à Metropolitana ſede ac provinciali Synodo poteſtas ſit ad altius tribunal ſcilicet ad Primatem recurrendi. Sić tamen ut præcipui momenti quæſtiones Apoſtolicæ ſedi reſerventur definiendæ.

17. Can. X. *Non licere clerico in duarum civitatum Eccleſiis eodem tempore in catalogum referri, & in ea in qua à principio ordinatus eſt, & in ea in quam tanquam ad maiorem confugit propter inanis gloriæ cupiditatem. Eos autem qui hoc faciunt propriæ Eccleſiæ reſtitui in qua ab initio ordinati ſunt, ut illic ſolum miniſtrent. Sed ſi iam quiſpiam ex alia in aliam Eccleſiam tranſlatus eſt, nihil prioris Eccleſiæ vel eorum quæ ſub ea ſunt martyriorum, vel ptochotrophiorum vel xenodochiorum rebus communicare. Eos autem qui auſi fuerint poſt magnæ huius & univerſalis Synodi definitionem aliquid horum quæ ſunt prohibita facere, ſtatuit ſancta Synodus eos proprio gradu excidere.*

Eadem repetitur ſanctio canone hujus Synodi 20. Quod attinet ad prohibitionem duarum ſimul Eccleſiarum ſeu ut vocant beneficiorum ac præbendarum, eamdem innovat Synodus ſecunda Nicæna can. 15. quem inferius ſuo loco exquire ibi enim fuſius res iſta pertractatur.

18. Can. XI. *Omnes pauperes & qui auxilio indigent cum examinatione cum epiſtolis ſeu literis pacificis Eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum commendatitiis: quoniam literas commendatitias iis ſolis perſonis quæ ſunt ſuſpectæ præberi oportet.*

Ita vertit Hervetus canonis verba Græca *τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει.* At ex oppoſito Dionyſius Exiguus & Iſidorus interpretantur *honoratioribus tantummodo.* Vox enim *ὑπόληψις* nunc ſuſpicionem, nunc famam & opinionem aliquãdo bonam, nonnunquam & malam denotat. Hervetus vocem in malam intelligit partem, cæteri in bonam : ſic vernacule dicimus *homme d'eſtime & de reputation*, abſolute in laudabilem ſenſum, tametſi duo iſta Gallicana vocabula poſſint etiam in malum ſumi, ſicut & Latinum fama, nunc in laudem nunc in vituperium deflecti. Scitè ait eruditiſſimus Cujacius in c. 5. de cler. non reſid. Non eſt omittendum quod Calchedonenſis Synodi proditum eſt Can. XI. à commendatitiis literis ſive *συστατικαῖς γραφαῖς εἰρηνικὰς* ſeu pacificas ſeparari, quaſi hæ dentur humilioribus illæ honeſtioribus *τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει qui ſont en reputation.* Atque hæc mens Concilij eſſe videtur quamvis Græci ſcriptores Zonaras & Balſamon *ὑπόληψιν* ſumant hoc loco in deteriorem intelligentiam. Et vero ſi Eccleſia promiſcue etiam abjectioribus perſonis ad pacificas quæ ſufficere poſſent, literas etiam ſuſpectis quibuſcumque patrocinij & commendationis adjeciſſet, hæc facilitas dignitatem Eccleſiæ valde imminuiſſet. Quinetiam has literas concedentibus in probrum vertiſſet, ſi mores iter agentium huic teſtimonio poſtmodum diſſentirent. At vero clericos aliò proficiſcentes, ſine proprij Epiſcopi commendatitiis nullatenus ad munia clericalia licitum erat admittere, ut cavetur hujus Synodi canone ſequenti 13.

19. Can. XII. *Pervenit ad nos quod quidam cum præter ritus Eccleſiaſticos ad potentatus acceſſiſſent, per pragmaticam unam provinciam in duas diviſerunt: ut ex eo duo eſſent Metropolitani in eadem provincia. Statuit ergo Sacra Synodus ne Epiſcopus deinceps tale quid audeat, quoniam is qui hoc aggreditur à ſuo gradu excidit. Quæcumque autem civitates per literas Imperatorias Metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, & qui ejus Eccleſiam adminiſtrat Epiſcopus, ſervato ſcilicet veræ Metropoli ſuo iure.*

Orientis Imperatores ultra fas poteſtatem ſibi in Eccleſias uſurpantes, plerúmque ambitioni Epiſcoporum aulæ mancipiorum velificantes novas Metropoles novóſque Archiepiſcopatus erigebant, unde magna Eccleſiarum *ἀταξία* & confuſio naſcebatur, cui medendæ editus fuit iſte canon. Hoc modo ad Cæſaream Cappadocum adjuncta eſt altera Metropolis Tyana. Fuerat unica olim Palæſtinæ provincia ſub alterius Cæſareæ Metropoli, ac ideo cùm Joannes Jeroſolimitanus Cæſarienſi Metropolitæ ſubijci abnueret, ſuáſque ad Theophilum Alexandrinum querimonias direxiſſet, ut adulatione iſta illius gratiã demereretur, ſéque ipſum nõ ſolum Cæſareenſis ſed etiam Antiocheni juriſdictioni ſubduceret, ſic ad eum ſcribit Hieronymus. *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas & Nicæni Concilij canonibus uteris, & alienos clericos cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur ut Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.* Sed præter hanc Cæſareæ Metropolim duæ poſtmodum aliæ acceſſere Metropoles Palæſtinæ, eáque provincia trifariàm diſtincta fuit. Sed ecce alterum exemplum ſimile quod fuit in hoc ipſo Calchedonẽſi Cõcilio diſceptatum actione 5. Jam olim primæ provinciæ Phœniciæ Tyrus jure Metropolis ſola præfuerat. Accidit ſubinde ut Imperator pragmatica ſanctione

ne hanc unam in duas provincias diſpertierit Berythi nova conſtituta Metropoli. Cum vero Photius Tyri Epiſcopus ad œcumenicam iſtam Synodum acceſſiſſet libellum ſupplicem Marciano Auguſto obtulit, expoſtulans de jure ſuæ Metropolis diminuto per Euſtathium Berythi Epiſcopum. Tum Marcianus cauſam illam ſanctæ Synodo tradidit judicandam. Quæ demum auditis partium allegationibus cauſam Photio Tyrio adjudicavit & Euſtathium ejuſque Eccleſiam Metropolitanis juribus ac titulis deſtitui ac excidere ſancivit. Ad poſtremum accedente Græcorum ab Apoſtolica Eccleſia ſchiſmate omnia jura Eccleſiaſtica ſacrique omnes canones ab inſanis Græcorum Imperatoribus proculcati ſunt; cúmque miſellum illud & deſpicabile Imperium barbaricæ gentes undequáque deprædarentur, ipſúmque in ſuam ruinam præceps ageretur, Imperatores illi acciſa omni mundi gloria deperditiſque melioribus provinciis in arctum conſtricti, veſanâ nihiloſecius ſuperbiâ ſeſe extulerunt, ſuámque potentiam terrenam in dies demoliri cernentes, faſtum ſuum adverſus Eccleſiam quam peſſumdabant erexerunt, dum eorumdem fovebant arrogantiam Epiſcoporum & pſeudo Synodorum inſulſæ adulationes. Idque ulterius malum ſerpere non deſiit donec totum illud Imperium in prædam Mahumetanorum ac diræ ſervitutis jugum redactum fuit.

Can. XIII. *Extraneos clericos & ignotos in alia civitate ſine proprij Epiſcopi commendatitiis literis nuſquam ullo modo miniſtrare.* c. extraneos clericos diſt. 71. Require ad finem ſecundi Eccleſiæ ſæculi noſtram de literis formatis diſſertationem.

Can. XIV. *Quoniam in nonnullis provinciis conceſſum eſt lectoribus & cantoribus uxores ducere, decrevit Sancta Synodus nulli licere diverſæ à recta opinionis uxorem ducere: eos autem qui ex hujuſmodi matrimonio liberos ſuſceperunt, ſi eos quidem ab hæreticis baptiſari prævenerint ad Catholicæ Eccleſiæ communionem adducere: ſi autem non baptiſaverint, non poſſe eos apud hæreticos baptiſare. Sed neque hæretico vel pagano vel Iudæo matrimonio conjungere, niſi utique perſona quæ orthodoxæ conjungitur ſe ad orthodoxam fidem convertendam ſpondeat. Si quis autem hoc Sanctæ Synodi decretum tranſgreſſus fuerit canonicis pœnis ſubjiciatur.* c. quoniam in quibuſdam diſt. 32. Sic etiam Synodus Laodicæna can. 10. definit: *Non oportet eos qui Eccleſiæ ſunt filios indiſcriminatim cum hæreticis matrimonio conjungere.* Eiuſdémque Synodi canon 31. ſic conſtituit: *Non oportet cum omni hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios aut filias ſed magis accipere, ſi ſe Chriſtianos fore polliceantur.* Concilium pariter Agathenſe can. 67. *Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia & vel filios aut filias dare ſed potius accipere: ſi tamen profiteantur Chriſtianos futuros ſe eſſe & Catholicos.* Et citatur c. quoniam non oportet 28. qu. 1. Præterea c. cave 28. qu. 1. *Cave gentilem aut Iudæam atque alienigenam hoc eſt hæreticam atque alienam à fide tua uxorem acceſſas tibi.* Qui canon deſumptus eſt ex Ambroſio lib. de Abraham cap. 9. Permittit itaque Eccleſia nuptias cum perſonis hæreticis dum promittant futuram converſionem, ſecùs vero prohibet.

20. Can. XV. *Diaconiſſam non eſſe mulierem ordinandam ante quadrageſimum annum, & eam cum accurata examinatione. Si autem poſtquam ordinatione ſuſcepta in miniſterio aliquo tempore permanſit, ſeipſam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ injuriam faciens, ea unà cum illo qui ei conjunctus eſt anathematiſetur.* c. diaconiſſam 22. qu. 1.

En diverſas in priſca Eccleſia manuum impoſitiones, ſcilicet ad Sacramentum confirmationis, ad Sacramentum ordinis, ad preces ſupra pœnitentes per ſacerdotes quamdiu pœnitentia perdurat, ad eoſdem ſolvendos ac in fine reconciliandos manu quantum fieri poterat Epiſcopis ad conſecrandas virgines, ad initiandas Diaconiſſas, & demum ab exorciſtis ſuper energumenis juxta Concilium Carthaginenſe quartum can. 90. Cum autem adeo diſertè aſſerat iſte Calchedonenſis canon Diaconiſſas ordinari per manus impoſitionem duabúſque ad id exprimendum vocibus utatur χειροτονεῖσθαι & χειροθεσία mirum ſuboriri poſſet cum adeo manifeſte videatur Calchedonenſis canon Nicæno canoni 19. contradicere, abſolute neganti ſuſcipi à Diaconiſſis manuum impoſitionem his ipſis verbis ἐμνήσθημεν δὲ τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι. Meminimus Diaconiſſarum quæ in habitu eſſe probantur quod non habeant manus impoſitionem, ut omnimodè ipſæ inter laïcas habeantur. Synodus Trullana can. 14. & 40. Diaconiſſas χειροτονεῖσθαι docet. Præterea refertur Bartolomæi Apoſtoli decretum quo forma illa præſcribitur ordinandi Diaconiſſas; ut ſcilicet Epiſcopus præſente Sacerdotum & Diaconorum Sacro Collegio, illis manus imponat adhibita ſolemni precatione. lib. 8. Conſtitu. Apoſt. cap. 19. & 20. Diaconiſſæ quidem ut ſanctis ad quæ deſtinabantur miniſteriis pari ſanctitate fungerentur, manuum impoſitione & ſolemnibus precibus inaugurabantur per Epiſcopum. Hæc tamen manuum impoſitio ab illa diſcriminabatur manuum impoſitione quâ Diaconi & Sacerdotes conſecrabantur. Hæc enim poſterior erat Sacramentis, characterem animæ infigens & gratiæ per ſe atque ut loquuntur theologi ex opere operato productrix: eoſdémque à reliquo populo ſecernebat. Cum tamen illa quæ Diaconiſſis adhibebatur merè ceræmonialis eſſet, nec ipſas à laïcis eximeret. Sexus enim in fœminis indiſpenſabilem habet irregularitatem. Hoc vero unum intendunt Nicæni patres dum canon. 19. ab eis amoveat χειροθεσίαν eam talem non eſſe ut poſſit eas à laicorum claſſe ſejungere, ac fortaſſe qualiſcumque ſit iſta viduarum χειροθεσία tempore Nicænæ Synodi necdum erat in uſu ſed poſterius acceſſit. Porro diaconiſſarum aliæ intra privatas ædes, aliæ in communibus aſceteriis vitam tranſigebant ut docet l. raptores C. de Epiſc.



Digitized by Google

Can. XVI. *Virginem quæ ſe Domino Deo dedicavit, ſimiliter & Monachos non licere matrimonio jungi. Sin autem hoc feciſſe inventi fuerint ſint excommunicati. Oſtendendæ tamen in eos humanitatis autoritatem habere ſtatuimus Epiſcopum ejus loci.* c. Si qua virgo 27. qu. 1. & 1. Timoth. 5.

21\. Can. XVII. *Per ſingulas Eccleſias parœcias rurales ſive in poſſeſſionibus manere immobiles apud eos qui eas retinent Epiſcopos, & maxime ſi eas ſine violentia jam per triginta annos tenentes gubernaverunt. Si vero intra triginta annos facta fuerit aut fiat de his altercatio, licere eis qui ſe dixerint læſos, propter eas movere apud Synodum provinciæ certamen. Si quis vero putaverit ſe à proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ civitatis ſedem agat judicium ſicut dictum eſt. Si vero qualibet civitas per auctoritatem Imperialem renovata eſt, aut ſi renovabitur in poſterum, civilibus & publicis ordinationibus etiam Eccleſiarum parochianarum ordinationes conformentur.*

Habetur c. per ſingulas 16. qu. 3. Vide ſuperius hujus Synodi can. 9. una cum ſcholiis noſtris. Circa præſcriptionem Eccleſiaſticam annorum triginta canone iſto aſſertam, obſerva hujuſce Concilij tempore maxime viguiſſe recentem adhuc Theodoſij junioris conſtitutionem, quæ ſummam & longiſſimam præſcriptionem annorum triginta poſſeſſione minime interrupta definiebat l. 1. Cod. Theod. de action. certo temp. fin. & l. 4. eod. Cod. finium regund. Poſt hæc Juſtinianus in gratiam Eccleſiarum loco tricennalis Theodoſianæ præſcriptionis centenariam induxit, quam ille idem poſtea judicans enormem & inextricabilem & privatorum juri, & poſſeſſioni perniciosam, ſuis novellis conſtitutionibus ſuſtulit, exceptâ ſola Romana Eccleſiâ cui centenariam firmavit, reliquis vero Eccleſiis indulſit annorum quadraginta præſcriptionem. Iſtam agnoſcunt & ſingulis Eccleſiis aſſerunt c. 1. 2. & 3. cauſæ 16. qu. 4. tricennalem vero aſtruunt canones 3. præcedentis quæſtionis. At Gratianus hoſce invicem adverſantes canones conciliare nititur, inſcitè comminiſcendo tricennalem vigere præſcriptionem inter invicem litigantes Eccleſias. Sed ſi Eccleſia quæpiam monaſterio litem intentet, non poſſe minore præſcriptione repelli quam annorum quadraginta: cum tamen neque leges ullæ neque canones quidquam diſcriminis inter Eccleſias & monaſteria conſtituant. Cæterum vera deſumenda eſt differentia à temporum & locorum diverſitate. Enimverò à Theodoſio ad Juſtinianum uſque præſcriptio annorum triginta in Eccleſijs obtinuit. Exinde ſub Juſtiniano centenaria pauliſper recepta, mox in quadragenariam mutata fuit, abolitáque centenariâ ſic prævaluit quadragenaria, ut nec ipſe Pontifex Gregorius magnus ipſam Romanam excipere voluerit Eccleſiam d. c. 2. cauſæ 16. qu. 4. Qui vero canones quos complectitur quæſtio 3. poſteriores quidem ſunt Juſtiniani ætate. Sed tamen editi ab Hiſpaniarum Concilijs in quibus non Juſtiniani ſed Theodoſij Codicem ex Alarici Viſigotthorum Regis juſſu ab Aniano collectum, & expoſitionibus ejuſdem illuſtratum, ejuſdem Alarici conſtitutione vim & autoritatem per Hiſpanias quibus Alaricus dominabatur obtinuiſſe conſtat. In decretalibus autem ſola centum annorum præſcriptio admittitur in gratiam Romanæ Eccleſiæ c. ad audientiam & c. cum vobis de præſcriptio. In cunctis vero cæteris Eccleſiis quadragenaria vim habet c. illud autem & c. quia indicante etiam inter duas litigantes Eccleſias c. ad aures eod. tit. Vide Juſtiniani Novellam 131. Eccleſiaſticam etiam præſcriptionem annis 40. definit Carolus magnus lib. 5. cap. 389.

22\. Can. XVIII. *Coniurationis vel ſodalitatis crimen ab externis etiam legibus eſt omnino prohibitum, multo magis hoc autem in Dei Eccleſia fieri prohibere oportet. Si qui ergo clerici vel monachi inventi fuerint vel ſe jactantes, vel ſodalitates comparantes, vel aliquid ſtruentes ac molientes adverſus Epiſcopos ac clericos proprio gradu omnino excident.*

Allegatur c. conjurationum 11. qu. 1. & c. ſi qui clerici ibid. Eundem renovat canonem Synodus in Trullo can. 34. Hoc idem ſancit Apoſtolorum can. 30. Prætereáque l. ſub prætextu ff. de extraord. cognitio. *Sub prætextu religionis vel ſoluendi voti cœtus illicitos nec à veteranis tentari oportet.* Ibique Accurſius v. illicitos ait: Quales omnes ſunt, niſi ſpecialiter contra probetur ut infra de colleg. illici. l. 1. §. in ſumma. In ſumma autem niſi ex Senatuſconſulti autoritate vel Cæſaris, collegium vel qualecúmque tale corpus coierit, contra Senatuſconſultum & mandata, & conſtitutiones collegium celebrant. Idémque lege prohibetur clericis, l. conventicula illicita C. de Epiſcopis & cler. & l. omnes §. nihilominus & l. 1. ff. de colle. illic.

Can. XIX. *Pervenit ad aures noſtras quod in provinciis ſtatuta Epiſcoporum Concilia minime celebrentur & ex hoc plurima negligantur Eccleſiaſticarum cauſarum quæ correctionibus indigeant. Decrevit itaque Sacra Synodus ſecundum ſanctos canones patrum bis in anno Epiſcopos per unam quamque provinciam convenire quò Metropolitanus Epiſcopus probaverit, & corrigere ſingula ſi qua fortaſſis emerſerint. Quicumque vero non advenerint Epiſcopi, reſident autem in ſuis civitatibus & hoc ſi in ſua incolumitate conſiſtunt, omnique inexcuſabili & neceſſaria occupatione probantur liberi, fraterne corripiantur affectu.*

C. Pervenit ad noſtras diſt. 18. Vide hanc in rem Synodum Nicænam can. 5. eaque ibidem à nobis congeſta canonum decreta.

Can. XX.

Digitized by Google

Can. XX. *Clericos in Eccleſiis miniſterio fungentes quemadmodum jam ſtatuimus non licere in alius civitatis Eccleſia ordinare, ſed illâ eſſe contentos in qua ab initio ut miniſtrarent digni habiti ſunt, præter illos qui amiſſâ ſua patriâ in aliam Eccleſiam neceſſario tranſierunt. Si qui autem Epiſcopi poſt hoc decretum clericum qui ad alium Epiſcopum pertinet ſuſceperint, placuit eſſe excommunicatos, eúmque qui ſuſceptus eſt & eum qui ſuſcepit, donec clericus qui migravit in ſuam Eccleſiam redeat.*

C. Clericos in ſingulis diſt. 71. Conſule ſuperius Nicænum can. 15. quem inſtaurat præſens canon quæque ibi obſervavi.

Can. XXI. *Clericos aut laicos qui accuſant Epiſcopos aut clericos paſſim & ſine probatione, ad accuſandum recipi non debere niſi prius diſcutiatur eorum exiſtimationis opinio.*

C. Clericos 11. qu. 7. Concilium quoque Carthaginenſe quartum can. 96. ſic decernit. *Quærendum in judicio cujus ſit converſationis & fidei is qui accuſat & is qui accuſatur.*

23. Can. XXV. *Quoniam nonnulli Metropolitani ut ſæpe à nobis auditum eſt & greges ſibi commiſſos negligunt, & Epiſcoporum ordinationes differunt, ſanctæ Synodo placuit ut intra tres menſes Epiſcoporum ordinationes fiant niſi inexorabilis neceſſitas utique effecerit ut ordinationis tempus prorogetur. Si autem hoc non fecerint Eccleſiaſticæ pœnæ illos ſubjici. Viduæ vero Eccleſiæ reditum apud Eccleſiæ œconomum ſalvum cuſtodiri.*

Iſti canoni adſtipulatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de refor cap. 2. Vt conſecratio Epiſcopalis intra tres menſes ſuſcipiatur etiam à Clericis Cardinalibus. Ultra quod tempus ſi diſtulerint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur. Et ſi intra totidem alios menſes id neglexerint Eccleſiis ipſo jure ſint privati.

Can. XXVI. *Quoniam in nonnullis Eccleſiis ut ſæpè à nobis auditum eſt Epiſcopi abſque œconomo tractant res Eccleſiaſticas, placuit omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem ex proprio clero œconomum habere: ut nec ſine teſtibus Eccleſiæ ſit adminiſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur, & probrum ac dedecus ſacerdotio inuratur. Si autem hoc non fecerit divinis etiam canonibus ſubjici. c. quia in quibuſdam diſt. 89. Eccleſiæ pariter œconomum jubet præcedens canon 25. vacante ſede reditum omnem ac proventum recipere ſaluumque cuſtodire.*

Can. XXVII. *Eos qui nomine conjugij mulieres rapiunt, vel opem ferunt ac conſentiunt, qui rapiunt ſtatuit Synodus ſi ſint quidem clerici, proprio gradu excidere, ſin laïci anathematiſari.* c. eos qui rapiunt 36. qu. 2. his adjunge providum Concilij Tridentini decretum ſeſſ. 24. de refor. matrim. cap. 6. *decernit Sancta Synodus inter raptorem & raptam quamdiu ipſa in raptoris poteſtate manſerit nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata & in loco tuto & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor uxorem habeat: & nihilominus raptor ipſe ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: & ſi clerici ſint de proprio gradu excidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam ſive eam duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.*

24. Dirempto Concilio & abſentibus Romani Epiſcopi Legatis tres Anatolij Conſtantinopolitani Antiſtis fraude, nonnullorúmque Orientalium occulta conſpiratione adjuncti ſunt canones, à Leone Papa poſtmodum reprobati. Quorum primo ſtatuebatur Eccleſiam Conſtantinopolitanam eo quod Imperio & Senatu quemadmodum Romana civitas decoraretur, pari cũ Romana Eccleſia privilegio & dignitate præfulgere debere, ideóque provincias Ponticam & Aſianã & Thraciã ad ejus Diœceſim pertinere oportere atque Conſtantinopolis Epiſcopo ſubiici, earúmque Metropolitanos ab Epiſcopo Conſtantinopolis eſſe deinceps ordinandos. Secundus canon eſt de Epiſcopis dignitate motis, ut ſi juſta fuerit cauſa Sacerdotij quóque gradu quo indigni ſunt excidant: ſi vero juſta cauſa non fuerit ut utrúmque gradum retineant & Epiſcopatus & Sacerdotij. Tertius ac poſtremus indulget Epiſcopis Ægypti ut ſuas ad epiſtolam Leonis Pontificis & ad Synodi præſentis decreta poſſint differre ſubſcriptiones, donec ſedi Alexandrinæ per Dioſcori abdicationem vacanti novus fuerit proviſus Epiſcopus: præſtita tamen vel cautione, vel ſaltem jurejurando ſe his omnibus unà cum novo qui fuerit promotus Epiſcopo abſque mora ſubſcripturos.

25. Græcorum factione qui ad primum Concilium Conſtantinopolitanum convenerant, cui nullus interfuit Apoſtolicus Legatus qui decretis ambitioſis intercedere poſſet, dignitas Conſtantinopolis Epiſcopi cui ſecundus à Romana ſede gradus contra Nicænæ Synodi decretum attributus eſt, eouſque ſublimitatis provecta eſt, ut omnem propemodum Patriarchalium ſedium dignitatem exhauſerit: non enim tantummodo huic poſthabitæ ſunt Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum ſedes, ut eis Conſtantinopolitanus præeſſet; verùm etiam ut in eos ipſos eorúmque ſuffraganeos Epiſcopos & quoſcunque clericos Alexandrino & Antiocheno, aliiſque exarchis ſubditos, ſuam propagaret juriſdictionem; etiam citra omnem appellationem: adeo ut etiam inconſultis cæteris patriarchis, ſubditorum illis clericorum cauſas quaſi jure præventionis, omiſſiſque ac neglectis intermediis tribunalibus ad ſe ſuámque cognitionem acceſſerit. Illam vero immenſam poteſtatem ab exilibus initiis ortam (olim quippe Conſtantinopolitana Eccleſia non niſi comprovincialis & ſuffraganea ſub Heracleenſi Metropoli extiterat) Romani Pontifices nunquam approbarant, ſed ne



Digitized by Google

ne irrito conatu in oppoſitum niterentur, utcúmque toleraverant ſtudio pacis & Eccleſiaſticæ tranquillitatis ſervandæ causâ.

26. Nectarius Conſtantinopolitano primo Concilio in quo nulli interfuerunt Apoſtolici Legati præſedit ſupra Theophilum Alexandrinum, & Flavianum Antiochenum. Nectario ſucceſſit Joannes Chryſoſtomus, quem Theophilus eidem infenſus adverſarius eo nomine judicio poſtulavit in Conciliabulo ad Quercum, quod Aſianos pleroſque Epiſcopos ſimoniæ accuſatos intérque illos Aſianum Metropolitanum ſedibus dejeciſſet, alióſque in eorum locum intruſiſſet atque ordinaſſet, cum tamen Aſiana provincia Conſtantinopolitanæ non ſubeſſet Eccleſiæ. Poſt Chryſoſtomum Atticus Regiæ urbis Epiſcopus, ut perhibet Socrates lib. 7. cap. 28. legem à Theodoſio juniore impetravit ne quiſquam Epiſcopus deſignaretur abſque ſententia & autoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani. Subſequentibus temporibus Flavianus ejuſdem civitatis Epiſcopus accuſationem ſibi delatam ſuſcepit à clericis Edeſſenæ Eccleſiæ adverſus Ibam ejus Epiſcopum intentatæ, quam prius proſequi apud Memnonem cogitaverant Antiochenum Epiſcopum, ad quem ea juriſdictio pertinebat quæ in univerſum Orientem cujus erat Edeſſa protendebatur. Verumtamen exiſtimantes id judicium felicius & potentiore autoritate dirimendum eſſe ſi ad Regiæ civitatis Epiſcopum deferretur, rei cognitionem ad tribunal Epiſcopi Conſtantinopolitani deferunt, mandante Imperatore & Flaviano ſuſcipiente, qui tres Metropolitanos Antiocheno ſubditos ad ferendum in cauſa iſta judicium delegavit Tyrium, Berytenſem, & Hymerienſem Epiſcopos, per quos apud Berytum Phœniciæ habita Synodo ſecundum Ibam judicatum fuit, ipſéque poſt ſtrenuam ſui defenſionem dimiſſus eſt abſolutus. Acta hujus Concilij referuntur actione 10. Synodi Calchedonenſis. Atticus quidem Sylvano Philippopoleos Thraciæ Epiſcopatum contulerat: cúmque triennio pòſt clerus Eccleſiæ Troadis quæ in Phrygia eſt viduatæ, novum ab Attico ſuffici ſucceſſorem miſſis Conſtantinopolim legatis poſtularet, idem eumdem Sylvanum priori ſede tranſlatum illius dedit Antiſtitem. Verumtamen præter quam quod vicinæ Conſtantinopolis Diœceſes Thracia, Pontus & Aſia, Archiepiſcopo Conſtantinopolis ſive ipſo uſu, ſive conceſſione Imperatorum propemodum attribuebantur, non erant illæ provinciæ Alexandrino aut Antiocheno Præſulibus ſubditæ: Unde minor difficultas in illis invadendis occurrebat. Tres illæ vicinæ Hierarchiæ Byſantino Archiepiſcopo in Synodo Calchedonenſi addictæ, eumdem ut obſervat Theodoritus lib. 5. cap. 28. octo & viginti provinciis locupletabant; Thracica enim Diœceſis ſex Metropoles, Aſiana vero undecim, Pontica pariter Diœceſis alias undecim complectebantur.

27. De præceſſione nulla erat inter Conſtantinopolis Epiſcopum cum Antiocheno aut Alexandrino diſſenſio, Imperatoribus jura honorifica Epiſcopis Regiæ urbis attribuentibus & promoventibus. Conſtat enim Nectarium præſediſſe Conſtantinopolitano Concilio ſub Damaſo Papa & Theodoſio ſeniore Principe celebrato; quamvis adeſſent Timotheus Alexandrinus, & Flavianus Antiochenus. In altero quoque ibidem convocato Concilio idem Nectarius ſupra Theophilum pariter Alexandrinum conſedit biennio poſt præfatum generale. In Calchedonenſi præſederunt quidem Legati Pontificij tres Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter: Deinde Anatolius Conſtantinopolis Antiſtes, poſt hunc Dioſcorus Alexandrinus, deinde Maximus Antiochenus, Legatis Apoſtolicis nihil pro duobus iſtis muſſitantibus.

28. Inſigne quoque privilegium nec alteri quam ſummo Pontifici attributum retulit ex canonibus Calchedonenſibus IX. & XVII. Conſtantinopoleos Epiſcopus: quibus indulgetur libertas provocandi à Metropolitanorum judiciis prout libuerit ſive ad Exarcham ſeu Patriarcham, ſive immediatè ac per ſaltum proſiliendi ad Regiæ urbis Antiſtitem: qua certe ſanctione omnis ferme Patriarcharum ac Primatum dignitas evertitur, & ad Bizantinum transfunditur Epiſcopum. Tam immane privilegium juridicæ præventionis vel non coaluit, vel brevi obſolevit. Ipſéque Juſtinianus Novella 123. cap. 21. & Novella 137. cap. 5. omnem adeo appellationum præventionem abſcindit, ut inviolate ſervari hunc in judicijs ordinem jubeat, ut primò ad Epiſcopum omnis cauſa referatur, inde ad Metropolitanum, & ex hoc ad diœceſeos Patriarcham provocetur.

## CONCILIUM ARELATENSE *ſecundum anni circiter* 452.

1. Quo anno aut ſub quo Præſule convenerit hæc Synodus incompertum eſt. Per hanc diverſi canones Conciliorum Arelatenſis primi & Nicæni, & Vaſionenſis & Arauſicani primi inſtaurantur: quare convincitur iſtud eſſe illis omnibus poſterius. Quæcunque vero in hoc Arelatenſi nota inſigniore digna ſunt, ea in ipſis fontibus unde manarunt à nobis jam diſcuſſa ſunt.

## CONCILIUM ANDEGAVENSE *anni* 453.

1. Andegavum civitas Epiſcopalis eſt in Gallia Lugdunenſi ad Ligerim fluvium ſita, ad quam cum ſeptem vicinarum civitatum Epiſcopi conveniſſent, & Thalaſſium electum Andegavenſem (ut ex ſubſcriptionibus Concilij Turonenſis liquet) Epiſcopum conſecraſſent, ſuis pariter in commune collatis decretis Eccleſiaſticam collabentem diſciplinam fulcire niſi ſunt. Subeſt vero Andegavenſis Eccleſia Turonenſi Metropolitæ. Celebrata Synodus hæc fuit Opilione V. CL. Conſule an. Chr. 453. Leonis Papæ 13. Valentiniani III. Imperatoris 28.

2. Can. I. *Primùm ut contra Epiſcopale iudicium clericis non liceat proſilire: neque inconſultis Sacerdotibus ſæcularia iudicia expetere. Sed nec de loco ad alium ſine Epiſcopi permiſſione tranſire, nec ſine commendatis Sacerdotum ſuorum literis commeare.*

Vide ſuperius Calchedonenſes canones 8. 9. & 10.

& 10. Valentinianus III. qui tunc temporis in Occidente imperabat Chriſtiano Principi parum convenientem ſanctionem promulgarat, quâ ſacros peſſundans Eccleſiæ canones & divales Conſtantini magni, nec non Theodoſij magni, & Caroli magni, omni laude præcellentium Auguſtorum proculcans conſtitutiones, fori exceptionem Clericis abſtulit, omnemque Eccleſijs juris dicendi poteſtatem ademit extra ſolas de fide Catholica & religione quæſtiones, ſoliſque his exceptis voluit quaſcunque cujuſcunque gradus Eccleſiaſticas perſonas ab officialibus laïcis judicari, exilis ingenij Princeps nullaque virtutum laude commendabilis. Carolus magnus hanc immunitatem Clericorum à ſæcularibus judicibus ſancivit in ſuis Capitularibus lib. 6. cap. 303. & lib. 5. c. 390. Quæ require infra ad ſæculum viii.

Can. VIII. *Monachi quoque qui cœptam obſervationis viam relinquunt, & abſque epiſtolis, & abſque certis negotijs vel neceſſitatibus per regiones vagantur alienas, cognita diſtrictione ſi ſe non emendaverint, ab Abbatibus ſuis, vel à Sacerdotibus ad communionem non recipiantur.* Vide ſuperiùs Calchedonenſem can. 4.

Can. XI. *Non niſi unius uxoris viri, ijdemque virginibus copulati Diaconi vel Presbyteri ordinentur.* Vide Apoſtolorum can. 17. & Arauſicanæ primæ Synodi can. 25.

## *CONCILIUM ARELATENSE III.* *Anni à Chriſto 455.*

1. QUartò à Synodo Calchedonenſi anno Chriſtique epochæ 455. ſub Leone I. Papa coëgit iſtud Arelatenſe Concilium Ravennius Arelatæ Antiſtes in cauſa Theodori Epiſcopi Forojulienſis, ad quem extat Leonis Pontificis epiſtola 82. aliàs 91. qui cum juriſdictionis aliquod officium in Lirinenſe monaſterium exequi vellet, obſiſtente Abbate Fauſto & Monachis cum graviſſimo ſcandalo repulſus eſt. Sidonius in carmine ad hunc ipſum Fauſtum, cum quo magna erat neceſſitudine conjunctus, ſcribit eum Maximi bis extitiſſe ſucceſſorem, primùm in Abbatia Lirinenſi, deinde in Epiſcopatu Regienſi. Fauſtus Semipelagiani dogmatis præcipuus fuit aſſertor, & propugnator, cujus libros eam ob cauſam Romana Synodus ſub Gelaſio Papa damnavit. Hujus ergo inter Theodorum & Fauſtum conflictus occaſione coactum iſtud Arelatenſe Concilium rogavit enixè Theodorum ut Fauſto ejuſque monachis offenſam condonaret. Deinde ne poſthac ſimilia jurgia occurrerent, in hoc incubuit ut Epiſcopi & Abbatis jura diſcernerentur, ne horum ignoratione rixæ ſopitæ aliquando recrudeſcerent.

2. Statuitur ergo ut monachi Lirinenſes à nullo alio Epiſcopo præter Theodorum ejuſque ſucceſſores militiæ Clericali aut Eccleſiaſticis ordinibus aſcribi poſſent. Ut ab eo ſolo monaſterium chriſma requirat. Confirmationis etiam Sacramentum monachi ſuſcipiant, aut ab eo cui permiſerit ſacrum illud ſignaculum eis conferre. Ut nulli peregrini Clerici abſque ejus arbitrio ad communionem vel ad ſacrum miniſterium admittantur. Laici porro monachi ad ſolam Abbatis directionem regimenque pertineant, nec eorum quemquam Epiſcopus ad Clerum ordineſve Eccleſiaſticos promoveat, niſi Abbate id poſtulante. Require ſuperius canon. 4. Calchedonenſem cum ibi adnotatis: quibus & iſta quæ ſequuntur viſum eſt adjicere. Veterum etiam monachorum ſub Epiſcopis ſubjectio non tantum decernitur canone illo 4. aliiſque ibidem congeſtis teſtimonijs, verumetiam Adriani Papæ II. ep. 27. ad Carolum Calvum Francorum Regem. *Omne,* (inquit) *monaſterium in poteſtate Epiſcopi conſiſtere debet juxta canonicam autoritatem. Et quia hoc eſt tranſgreſſum ideo plurima monaſteria habentur deſtructa.* Quod idem iiſdem verbis repetit ep. 30. ad eundẽ Regem. Concilij prætereà primi Aurelianenſis canon 21. ſtatuit Abbates ſubeſſe Epiſcoporum autoritati ac poteſtati, & ſi quid deliquerint ab ijs eſſe corrigendos. Iſta vero non ideò à me adducuntur, ut exemptionibus obſiſtam quas poſterioribus ſæculis regulares à ſuprema ſede impetrarunt, ſed ut meum proſequar toto hoc opere inſtitutum veteres Eccleſiæ ritus & canones indagandi, ut dignoſcant Lectores qualis fuerit ſucceſſu temporum multis in rebus Eccleſiæ ordo ac diſciplina. Quoniam verò acriter diſceptabatur utramque in partem quatenus pertingerent regularium immunitates, quum iſti eas ultra præſcriptos limites proferrent, has ſingillatim controverſias diremit, definivitque accuratiſſimè Gregorij Papæ XV. conſtitutio quæ incipit Inſcrutabili, ad quam ut normam inviolabilem ſubſequentes Summi Pontifices Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Clemens X. & XI. & Sacræ Cardinalium Congregationes de Regularibus, quoties eædem concertationes recruduerunt ſuas omnes conſtitutiones decreta & judicia conformavere. Sed ante hos omnes Tridentina Sacra Synodus ſapientiſſimè providerat ſeſſ. 5. de refor. cap. 1. & ſeſſ. 23. c. 15. Prætereà ſeſſ. 24. cap. 4. necnon ſeſſ. 25. cap. 3. in fine. Itemque cap. 7. & ſeptem inſequentibus. De poteſtate inſuper Ordinariorum ſuper monaſterijs regularium directioni ſubditis, Gregorius ſanctiſſimus Eccleſiæ Pontifex & Doctor privilegium intendens ut ipſe dicit indulgere ſanctimonialium monaſterio Maſſilienſi in honorem Sancti Caſſiani conſecrato lib. 6. epiſt. 12. ad Reſpectam Abbatiſſam nonnulla ſancivit. Plura verò Concilium Tridentinum locis paulò ante allegatis, & diplomata Summorum Pontificum quæ in noſtra Juris Canonici theoria & praxi recenſui.

## *DISSERTATIO DE PRÆDEST. NAtianis, deque Semipelagianis Fauſti libris, & de commemoratis ab eodem Arelatenſi & Lugdunenſi Concilijs.*

1. QUOD omnibus ferè hæreticis commune eſt falſa comminiſci quæ perverſis dogmatibus apud incautos fidem aſtruant, id Pelagianis & Semipelagianis maximè inſedit, adeout pravis artibus pios & orthodoxos addo & eruditiſſimos viros ludificaverint. Ipſique Auguſtino aliquando perſuaſerint Sixti gentilis, atque de

de Pythagoreorum ſecta Philoſophi libellum ſuæ faventem hæreſi opus eſſe Sixti Romani Pontificis Chriſtique martyris. Iſtud verò eruditioribus compertum jam eſt,& olim fuit,hæreticorum Prædeſtinatianorum ſectam, & nomen à ſolis olim Semipelagianorum autoribus conflatum fuiſſe figmentum Fauſto, Gennadio, Pſeudoproſperò; & cum tot tantique ab Auguſtini ætate Sanctiſsimi Doctores Eccleſiæ, de lapſorum hominum libertate, deque prædeſtinatione, de gratiæ Chriſti neceſsitate diſputaverint, & ampliſsimos doctiſsimoſque commentarios adverſus quoſcumque in his rebus ſectarios ediderint, nemo tamen illorum ullibi Prædeſtinatianorum ſectæ legitur injeciſſe mentionem, ut dubitari minimè poſsit calliditate Semipelagianorum fuiſſe iſta nuncupatione deſignatos omnes orthodoxos qui cum Auguſtino gratiam Chriſti cum hominis libertate poſt Adami peccatum ita conciliabant, ut liberum ipſum arbitrium peccato ſauciatum poſſe negarent quidquam boni æternæ vitæ meritorij, vel agere, vel conari, niſi gratiæ ſupernaturalis virtute præventum,quam Deus vel ex ſpontanea liberalitate peccatori largitur, vel ex mera juſtitia ſua dare recuſat. Atque inde fieri ut quidam ex divino æternoque propoſito prædeſtinentur ad gloriam, alij verò in peccatis ſuis antecedentibus derelicti præſciantur, atque adeò ut loquitur Auguſtinus prædeſtinentur ad debita peccatis ipſorum ſupplicia ſempiterna.

2. Quia tamen Semipelagiani pro perſuaſo habebant gratiam & prædeſtinationem Auguſtinianam nequaquam poſſe cum arbitrij libertate ſtare, ſed invehere fatalem quandam ſive ad bonum ſive ad malum neceſſitatem,idcirco invidioſè Catholicis affingebant quædam falſiſſima quaſi ex Auguſtini ſententijs conſectanea, eoſque velut hæreticos, & humanæ libertatis profligatores ſub nomine prædeſtinatianorum inſectabantur.Id verò perſpicuè atteſtatur,& admonet Florus Diaconus, & Lugdunenſis cujus ipſe nomine, & mandato ſcribebat Eccleſia adverſus hæreſes Ioannis Scoti dicti Erigenæ cap.4. *Non poteſt* (ait) *inveniri toto tempore quod fuit inter Auguſtinum,& nos,aliquam talem hereſim in Eccleſia extitiſſe, niſi quod vel ipſum, vel nos qui eum ſectamur iſtius erroris accuſant.* Scripſit autem Florus anno Chr.849. & ſecunda Synodus Arauſicana anno Chr.529. celebrata, cujus quot ſunt canones totidem ſunt fidei definitiones non agnoſcit extitiſſe, vel extare uſpiam hujuſmodi hæreſim prædeſtinatianorum,dum ad amoliendam iſtam Semipelagianorum calumniam ita decernit: *Aliquos divina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſint qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.*Et tamen ejuſdem Synodi canones nihil ita inculcant & urgent, ut neceſſitatem prævenientis gratiæ Dei ad ſalutem, & ad quodcumque bonum opus. Ejus inquam gratiæ quæ nemini debeatur, ſed ex ſola Dei miſeratione, propoſito, & electione ſingulari ortum ducat.

3. Poſſet aliquis ſuſpicari hoc genus erroris aliquorum ex Adrumetino in Byzacena Provincia monaſterio mentibus inſediſſe, poſtquam Felix ejuſdem inſtituti monachus fratribus communicavit tranſcriptam Auguſtini ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum epiſtolam (ea porrò eſt inter Auguſtinianas epiſtolas numero 105.) in qua gratiam Chriſti probat eſſe gratuitam, neque ex hominum meritis dari, neque juſtorum electionem ex præviſis meritis oriri. Et nihilominus inexcuſabiles omnes infideles, ipſoſque infantes docet quicumque ſine baptiſmo vitâ exceſſerunt. His perlectis aliquorum animos perturbatio invaſit: indeque inter fratres coorta eſt diſſenſio cujus extinguendæ gratia duo Adrumetini monachi Creſconius & Felix (diverſus ab illo Felice qui tranſcriptam illam Auguſtini ad Sixtum epiſtolam ad fratres pertulerat) profecti ad Auguſtinum ejus diſſenſionis remedium, & quidnam de gravibus illis difficultatibus ſentiendum eſſet expetiverunt. Hac occaſione ſcripſit Auguſtinus ad monaſterij Adrumetini præfectum Valentinianum epiſt.46. in qua refert ſibi à prædictis fratribus relatum natam fuiſſe in monaſterio diſſenſionem, dicentibus nonnullis fratribus gratiam ſolam ad ſalutem abſque humana libertate conferri: alijs verò bonam voluntatem humanæ libertati ſine qua nemo bonum aut malum operatur aſcribentibus. Iſtaque occaſione ſcripſit eodem tempore Sanctus Doctor librum de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & Monachos ejus in cujus primo capite hæc ait: *Quoniam ſunt quidam qui liberum hominis arbitrium ſic prædicant.* Valentinus hoc recepto & perlecto inter monachos Auguſtini tractatu, gratulatoriam ſcripſit ad ipſum epiſtolam (quæ inter Auguſtinianas ducenteſima quinquageſima ſexta collocatur) miſitque qui jam deferret ad Florum monachum admonens Auguſtinum accepto ejus libello fratres omnes conquieviſſe, & unanimes ejus acquieviſſe doctrinæ. Quia verò didicit à Floro Auguſtinus fuiſſe quemdam qui diceret præceptionibus, & correptionibus nihil relinqui loci hoc poſito quod libertas humana quam Dei gratia non prævenerit,aut adjuverit,ſit omnis bonæ operationis & cogitationis incapax, alterum ſcripſit ad eamdem fraternitatem luculentum tractatum de correptione & gratia. Utriuſque tractatus cauſam & argumentum idem perhibet Auguſtinus lib.2. retractationum in fine. Nam cap. penult. *Priorem ait ſcripſiſſe tractatum de gratia & libero arbitrio, propter eos qui quum defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium,ſic ipſi defendunt liberum arbitrium ut negent Dei gratiam; aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi alterum librum quem de correptione & gratia prænotavi cum mihi renunciatum eſſet dixiſſe quemdam ibi neminem corripiendum ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo ut faciat tantummodo orandum.* Haud gravate conceſſerim ex Adrumetinis monachis fuiſſe nonnullos qui mentem Auguſtini non capientes, liberum in bonis operibus arbitrium, aut elevarent, aut prorſus ſubmoverent, ut gratiam Dei ſtabilirent:verumtamen ijdem poſtquam majori perſpicuitate Auguſtinus rem illam elucidavit, aliter ſentire cœperunt: neque ullius hæreſis inſimulari poſſunt, quia non ex pertinacia adverſus Eccleſiam, ſed ex inculpabili abſtruſiſſimæ & difficillimæ quæſtionis ignoratione, brevi tempore aberrarunt à veri cognitione, neque ſectam ullam introduxerunt, neque iſta de cauſa quiſquam veterum monachos iſtos dixit aut hæreticos aut prædeſtinatianos.

4. Ediderat Proſper Sancti Auguſtini ejuſque doctrinæ ſtudioſiſſimus aſſertor Chronicon quod adhuc fidelium manibus teritur. At Pelagiani quibus illud Iſaiæ 28. apprime convenit: *Poſuimus*

*mus mendacium ſpem noſtram & mendacio protecti ſumus*, ſive in deſpectum adverſarij ſui Proſperi, ſive ſperantes fore, ut genuinum ac germanum ejus Chronicon alterius fictitij ſuppoſitione aboleretur, cui tamen autoritas ex ementito tanti viri nomine conciliaretur, alterum Chronicon edidere cui præfixere ipſius Proſperi nomen, deſinitque in idem cum altero tempus ſcilicet ad annum Theodoſij junioris XVIII. & Albini Conſulatum qui cenſetur Chriſtianæ epochæ quadringenteſimus quadrageſimus quartus. Hic autem Pſeudoproſper non modo Caſſianum laudibus effert Semipelagianorum anteſignanum, ſed etiam Auguſtinum ejuſque diſcipulos hæreticis accenſet quos vocat prædeſtinatianos dicens: *Prædeſtinatianorum hæreſis quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa eſt.* Iſtam loquendi audaciam poſt ſæcula novem Sigibertus nonnihil moderari voluit ad annum 414. ut Proſper dicere debuerit non ab Auguſtino, ſed ab Auguſtini libris malè intellectis, & cum iſta correctione editum eſt à Pithœo Proſperi Chronicon illud ſuppoſititium, cum tamen in omnibus anterioribus editionibus, & omnibus quæ reperiri potuere manuſcriptis, ubique legatur ab Auguſtino nullibi verò ab Auguſtini libris malè intellectis, quod etiam Sirmundus fatetur.

5. Alter de prædeſtinatiana hæreſi teſtis profertur Semipelagianus ipſe Gennadius Maſſilienſis Presbyter & Caſſiani diſcipulus. Hujus ſuperſunt præcipui duo libri ſcilicet de dogmatibus Eccleſiaſticis, liber Pelagiana fuligine fœdatus, ad incautorum hominum fraudem Auguſtini nomine venditatus, & alterum volumen illuſtrium ſcriptorum catalogum inſcriptum in quo magnis illis Pelagianorum adverſarijs virulenter obtrectat Auguſtino, Hieronymo, Proſpero, atque ex adverſo Pelagianos laudibus extollit mirificis Rufinum, Caſſianum, Fauſtum. Auguſtinum ſugillat mendacij ex multiloquio, additque ſinceritatem illi defuiſſe, ut in cæteris ejus diſputationibus, ſic etiam in quæſtione de mortuorum reſurrectione, eumque in diſputando ſic erraſſe dicit, ut tamen nondum fuerit hæreſis condemnatus. Idem Hieronymum Rufini obtrectatorē vocat, & æmulationis ſtimulo incitatum ad obloquendum vertiſſe ſtylum aſſerit. De Proſpero ita ſcribit: *Vidi librum adverſus opuſcula* (ſuppreſſis Caſſiani & Vincentij nominibus) *quæ (opuſcula) Eccleſia Dei probat, ſed ille infamat nociva.* Fauſti eadem cum Caſſiano & Vincentio fuligine tincti librum de Gratia Dei dicit opus egregium, librique auctorem egregij Doctoris elogio cohoneſtat. Idem pariter Gennadius indiculum de hæreſibus conſcripſit, in cujus calce notat Prædeſtinatianos, iiſque eadem dogmata aſcribit quæ Semipelagiani Maſſilienſes apud Proſperum in objectionibus Gallorum, & in Vincentianis invidioſè Auguſtino affingunt, ejuſque diſcipulis præmoventis gratiæ neceſſitatis, abſolutæque ex divino propoſito prædeſtinationis aſſertoribus. Quocirca ſapienter Dionyſius Petavius tom. 1. de Theolog. dogmat. lib. 9. cap. 2. *Fidem facit in illo Gennadij indiculo nonnulla referri prædeſtinatianorum capita quaſi hæreſes quæ maiori ex parte Auguſtini doctrinam ſapiunt, niſi quod ad invidiam illis ſimul & Auguſtino faciendam calumnioſè concepta ſunt.* Itaque Gennadius ipſemet hæreticus Catholicos ipſos in hæreticorum album ſub prædeſtinatianorum appellatione odioſa referre non erubuit.

6. Supereſt ut Fauſtum à Gennadio ejuſdem aſſecla commendatum diſpiciamus. Fauſtus id quod à Magiſtro & Doctore ſuo Caſſiano didicerat cumulatè docendo & ſcribendo præſtitit. Docet Caſſianus collat. 17. cap. 17. licitum eſſe abſolutè mentiri ad bonum finem. Nec id ſolum ſed præterea ſaluti animæ plerumque neceſſarium eſſe mentiri, itaut ex mendacio ſæpenumero homo juſtificetur apud Deum, nec raro eveniat, ut pœnam mereatur æternam eo quod mentiri opportunè noluerit. Fauſtus hac intentione propagandæ ſuæ ſectæ mendaciorum portenta comminiſci ac effingere non eſt veritus, quæ cauſa eſt, ut jure-merito Iſidorus lib. de viris illuſtrib. c. 14. virum illum notet profundæ calliditatis, & Baronius virum dicat vafri conſilij, & vulpeculam verſipellem, duobus ille conflatis voluminibus Semipelagiana hæreſi aſperſis de gratia & libero arbitrio, quos Gelaſius Pontifex in Romano ſeptuaginta Epiſcoporum Concilio, & poſt Gelaſium Hormiſda quoque Pontifex in ſuo ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum reſcripto damnarunt, quos etiam contrarijs ſcriptis libris impugnarunt plerique illius ſæculi ſanctitate ſimul & doctrina eminentes viri Fulgentius Ruſpenſis, Avitus Viennenſis, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopi. Eademque in Palæſtra decertarunt adverſus Fauſti libros inſignes luctatores Petrus Diaconus Legatus in cauſa fidei Romam miſſus à Græcis in ſuo de Incarnatione libro, Joannes Maxentius Presbyter Antiochenus, alijque ut ſatis demirari non poſſim virum eruditum Molinæ profitentem ſe partibus addictum, librorum Fauſti apologiam à ſe contextam in vulgus edidiſſe, eoque facto grande ſubſidium proprijs circa gratiam & prædeſtinationem ſenſibus ſe conferre credidiſſe. At è contra quamnam majorem parti ſuæ injuriam inferre potuit quam ſcriptione iſta? Perinde ac ſi opiniones illæ quas tam infami præſidio firmare contendit ſtare non poſſent, niſi ſtante & triumphante hæreſi Semipelagiana, tot Sanctorum Pontificum & Conciliorum decretis damnata, anathematum fulminibus percuſſa, obtrita, & in Tartaream voraginem depreſſa. Quàm ſunt religioſiores & ſapientiores alij ejuſdem inſtituti, & Scholæ Doctores qui dogmata Fauſti, Caſſiani, Vincentij & Gennadij, ſimiliumque quæ ſancta jampridem damnavit Eccleſia cane peius & angue averſari ſe profitentur, atque eniti ut propriarum Scholarum doctrina ſit, & credatur immunis ab iſta hæreticæ labis infamia. Plus exhibet ingenuitatis grande illud ingenium divinarum humanarúmque diſciplinarum omni peritia conſummatiſſimum Dionyſius Petavius qui tom. 1. Theologicorum dogmatum lib. 9. cap. 2. ſic de Fauſto ſcribit: *Fauſtus libris duobus quos ſcripſit de gratia & libero arbitrio intemperantius evectus Catholicæ modum profeſſionis exceſſit. Nam & Auguſtini doctrinæ adverſatur in omnibus & Semipelagiana decreta propalam aſſeveravit. Quod utrumque demonſtrat Ioannes Maxentius in reſponſione prima.* De Fulgentij adverſus Fauſtum libris ſeptem ſic teſtatur Iſidorus lib. de viris illuſtrib. cap. 14. *Legimus de gratia Dei & libero arbitrio Fulgentij libros ſeptem reſponſionum Fauſto Galliæ Regienſis Vrbis Epiſcopo Pelagianæ pravitati conſentienti reſpondentis. Obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem.* Et ſanè Fauſtus ipſo librorum ſuorum exordio, ut incautos alliciat ac ludificet

Digitized by Google

ficet profitetur ſe opus aggreſſum ad propugnandam Auguſtini doctrinam, & tamen toto duorum librorum decurſu omnem Auguſtini doctrinam perpetuo,& quibuſcumque poteſt modis convellit, & impugnat acumine. Sed & alias poſtmodum ejuſdem fraudes ac dolos patefaciemus. Ferrandus etiam Diaconus in vita Fulgentij cap. 18. *Sanctus Fulgentius* (inquit) *libris Fauſti reſpondit ne occultum in illis ſerperet virus.* Cæſarius pariter Arelatenſis Epiſcopus ſtylum contra eundem acuit,ſcriptiſque dogmata Fauſti refellit, vel ipſo Gennadio teſte de ſcript.Eccleſ.cap.86.Eumdemque Cæſarij librum teſtatur ibidem fuiſſe à Felice Romæ Pontifice per epiſtolam roboratum & latiùs promulgatum. Quid memorem Alcimum Avitum Viennenſium Antiſtitem? quid Ioannem Maxentium Presbyterum Antiochenum? de utroque hæc teſtatur Ado Viennenſis pariter Epiſcopus in Chronico an. Domini 492. *Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterij apud Regium Galliæ factus Epiſcopus Pelagianum dogma deſtruere conatus in errorem labitur. Vnde qui ejus ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ut Gennadius de illuſtribus viris ſcribens,omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus quàm cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, ut illuminatio ejus, virtus & ſalus illi à Chriſto & per Chriſtum, & in Chriſto ſit; Fauſtus verò iſte,ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur ut illuminatio ejus, virtus & ſalus non à Chriſto, ſed à natura ſit. Contra hunc lucidiſſima fide ſcribit Avitus Viennenſis Epiſcopus ejus redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditus Antiochenus Presbyter.* Hactenus Ado. His adjunge Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum de Fauſti libris ad Hormiſdam Papam ſcribentem. Sed & Romanos Summos Pontifices Felicem,Gelaſium,Hormiſdam à quibus libri Fauſti proſcripti ſunt. Quæ cum ita ſint conſultius utique erit tam multis primariæ Sanctitatis, nec minoris ſcientiæ Doctoribus, ſimulque tribus maximis Pontificibus libros Fauſti damnantibus acquieſcere, quam unius Jacobi Sirmundi pro libris Fauſti apologiæ. Joannis tamen Maxentij teſtimonium ideò protuli quia illum Ado in cauſa iſta cum ſanctiſſimo Scriptore conjunxit. Haud enim me latet quas turbas apud Conſtantinopolim cum Scythis monachis ſeditioſis tempore Hormiſdæ Pontificis excitarit olim idem Joannes: qui tamen præclaræ laudem eruditionis, & ingenij ſibi paravit ubi Fauſtum refellit Scripturarum autoritate,ſelectiſque ex Auguſtini voluminibus ſententijs.Sed non eſt ſilentio prætereundus Petrus Diaconus Fulgentio, cui librum de Incarnatione & gratia Chriſti dedicavit conjunctiſſimus. Ad cujus libri finem ita loquitur: *Omnium Sanctorum Patrum imbuti doctrinis anathematiſamus Pelagium & Cæleſtium ſimulque Iulianum, & qui illis ſimilia ſapiunt. Præcipuè libros Fauſti Gallorum Epiſcopi qui de monaſterio Lerinenſi profectus eſt, quos contra prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt, in quibus non ſolum contra horum omnium Sanctorum Patrum, verumetiam contra ipſius Apoſtoli contradictionem veniens humano labori ſubjungit gratiæ auxilium, &c.* Denique doctiſſimus Cardinalis Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis contendit fuiſſe Fauſtum hæreticum ſimulque vituperat nonnullos recentiores qui Catholicum fuiſſe exiſtimant.

7. Inter calliditates Fauſti una hæc eſt quod in ipſo libri ſui exordio bellum Pelagio indixit, atque Auguſtini partes ſe tueri profeſſus eſt, ut hac larvâ tectus ſine ulla ſuſpicione facilius animis lectorum venena erroris inſtillet. Quinetiam Pelagij tela ab Auguſtino retuſa iterum recudit, & denuò vibrat in Auguſtinum. Altera hæc eſt quam Baronius obſervat, quia dum libros Semipelagianos à ſe elucubratos ad ſuos populares Britannos tranſmittit (inde enim Fauſtus erat oriúdus quemadmodum etiam Pelagius hæreſiarcha) Concilij Arelatenſis ſubſcriptiones ſuis ſubjecit libris, ut perſuaderet libros ſuos fuiſſe à Concilio approbatos, cum tamen illæ undecim Epiſcoporum ſubſcriptiones ſolam Fauſti ad Lucidum Presbyterum comprobarent epiſtolam, cui Lucidus quoque ſub interminatione gravi jubebatur ſubſcribere. Ne verò calliditas iſta internoſceretur, Fauſtus tabellario ſuo Britanniam inſulam petenti quidquam de ſcriptis ſuis dicere, vel communicare iter faciendo prohibuit, ne ſuæ fraudes Gallicanis innoteſcerent,quibus non adeò illudi facilè erat, ac remotioribus totoque diviſis orbe Britannis. Attamen Apollinaris Sidonius Arvernorum Præſul horum librorum cupidiſſimus,eoſdem libros à tabellario progrediente per verſutiam, & vim adhibitam intercepit quantum opus habebat ad eos exſcribendos, ut ex ejuſdem ad Fauſtum epiſtola nona libri noni, perſpicuum fit. Neque deſunt qui alteram vafriciem commemorent ementitorum duorum Conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis ſuppoſitionem,ut inde ſibi apud conterraneos inſignem gloriam aucuparetur, ſuiſque ſimul erroribus autoritatem conciliaret. Eoque magis adducuntur ad id credendum, quia cum duo illa Concilia de rebus fidei tantopere illis locis, & temporibus agitatis deliberaverint, fuerintque illis temporibus locisque celeberrimi partium contrariarum aſſertores, & ſcriptores qui ſuas de his controverſijs lucubrationes Semipelagianas ad poſteros tranſmiſerunt Caſſianus, Vincentius, Gennadius, nemo tamen ex ipſis in hac Galliæ parte verſantibus unde manaviſſe dicuntur duo illa Concilia eorum meminit, aut ad ſuæ cauſæ patrocinium tantiſper produxit, neque illo, neque proximè inſequentibus ſæculis præter mendacijs aſſuetum, omnique verſutia refertum Fauſtum. Quod ſanè mirum ne dicam ſtupendum accidit.

8. Verumtamen utcumque res illæ contigerint ſatius apud me duco graviſſimorum ſcriptorum qui ab annis ducentis ingenti laude floruerunt ductum ſequi, ut cum illis exiſtimem verè coacta fuiſſe ambo Concilia, unde ſicut & ex alijs ſacris fontibus probatio erui poteſt veritatis iſtius Chriſtum pro omnibus ac univerſis hominibus tametſi non uſquequaque efficaciter paſſum, & mortuum fuiſſe aduerſus Janſenianum errorem. Sidonius enim ſi fraudem in re tanti momenti deprehendiſſet, ipſius urgente conſcientia debuiſſet tam inſignem impoſturam quocumque modo evertere, ſubſcriptos enim illis Synodis Epiſcopos familiariter noverat, ut ex multiplicibus epiſtolis ejuſdem ad eos ſcriptis compertum eſt.Idem etiam ſe Arelatem, Aquasſextias, Maſſiliam, Reioſque Apollinares peragraſſe commemorat in carmine ad hunc ipſum Fauſtum Reienſem Epiſcopum. Huic igitur Arelatenſi Concilio,ut Fauſtus ſcribit præſedit Leontius Arelatenſis Epiſcopus anno ut rectè advertit Sirmondus circiter quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto. Alteram inſuper addit

Baronius

Baronius Fauſti vaſriciem quâ in ſua ad Leontium Arelatenſem epiſtola verbis uſus eſt ambiguis,quibus facilè rei geſtæ ignarus lector poterat perſuaderi libros Fauſti ipſius erroribus ſcatentes fuiſſe Concilij approbatiône munitos, cum tamen non niſi poſt Concilium editi ſint. Concilij quidem Patres Fauſto mandarunt ut Concilij decreta ſcriptis ordinaret, verumtamen ſolitis ille præſtigijs utens privata ſcripta elucubravit, quibus mentem Concilij intervertit. Alij quidam exiſtimarunt mandatum fuiſſe Fauſto non de Synodalibus decretis colligendis quæ nulla extant, ſed ut pro tuenda doctrina Auguſtini, & contra Pelagij dogmata ſcriberet, quod utrumque Fauſtus ipſo libri initio facturum ſe fraudulenter recipit ac pollicetur, ſed prorſus contrarium exequitur fidemque fallit in totius operis progreſſu. Quo ſenſu ſic ſcribit Petavius in ſuo temporum rationario. *Fauſtus impoſitam ſibi à Concilio Arelatenſi de gratia & libero arbitrio diſputandi provinciam ſuſcipiens ultra fines jaculo expedito nonnulla parum Catholica ſuis libris aſperſit. Atque ut operi ſuo autoritatem conciliaret, duorum Conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis monumenta libris ſuis affixit.*

9. Qui propoſitiones in epiſtola ad Lucidum, & in hujus profeſſione fidei comprehenſas Pelagianiſmi arguunt aquam in pumice, nodumque in ſcirpo quærunt. Catholicus enim ſingularum ſenſus ultrò eſt obvius, eumque ſine ambiguitate cognoverunt graviſſimi quique ſcriptores Catholici. Detorquere verò in falſos & alienos ſenſus quantumlibet laudabiles ſententias facile poſſunt ſuſpicioſi aut malæ fidei homines. Utcumque ſe res habeat nullam Prædeſtinatianorum ſectam Lucidus invexit. Ejuſque ſolius converſione perverſum quod ei attributum eſt dogma extinctum fuit. Id verò Prædeſtinatianorum dogma ſeu verò ſeu falsò Lucido attributum ab accuſatore Fauſto in hoc verſabatur damnabili errore ſalutem aut damnationem hominum æternam, fatalem ad bonum vel malum neceſſitatem inferre ipſis hominibus ineluctabilem, atque adeò omnem perimere humanam libertatem. Cum tamen certa fide tenendum ſit boni quidem operationem utcumque ſimul præſupponere gratiam Dei prævenientem, & adjuvantem eique concurrentem & cooperantem hominis libertatem: malum verò eſſe ſolius humanæ libertatis opus. Quæ eſt illibata Sancti Auguſtini doctrina in omnibus ejus contra Pelagianos operibus multiplicibuſque ejuſdem epiſtolis repetita ſacriſque Scripturis communita.

10. Quod verò Baronius in appendice decimi Annalium tomi conjunctiſſimi ſibi atque amiciſſimi viri (cujus eruditionis condignas & meritas utique laudes ante paucas lineas commendaverat) deſiderijs atque ſtudijs pro Fauſto cui ſcriptis publicè editis patrocinabatur nonnihil indulſerit, id nullatenus derogat ijs quæ pridem Baronius ipſe veritate convictus teſtificatus de illius hæreticis libris, & mendacijs & vafriciis homine probo indigniſſimis fuerat. Quod Semiarianorum ac Maſſilienſium errores non modò ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctores ſcriptis adverſus Fauſtum voluminibus convulſerant, ſed etiam Celeſtinus Papa ejuſque præceſſores Romani Pontifices in illa decem Capitum collectione celeberrima priuſquam cogeretur ipſa Synodus Arauſicana Maſſilienſium dogmata, ut ſacræ fidei doctrinæ adverſantia ſuis decretis damnaverant. Nemo eſt qui ignoret quid in Romano Concilio Gelaſius,quid Hormiſda in epiſt.70. ad Poſſeſſorem Romani ambo Pontifices adverſus Fauſti libros definierint. Needum tamen convenerat Synodus Arauſicana, quo ſolo argumento conatur Sirmundus Fauſtum ejuſque libros excuſare. Quid verò Baronius tot tantiſque quas antea protulerat adverſus Fauſtum convictionibus in illa poſteriori appendice reſpondet? *Μηδὲ γρῦ* ne gry quidem. Quid verò his diſſimulatis demum ait, & quodnam quærit effugium? *Opinari* (inquit) *non prohibemur de eodem Fauſto accidere potuiſſe quod ipſe ſuum errorem fuerit ſcriptis contrarijs deteſtatus quæ potuerint ut alia quampluríma periiſſe.* O ſolidam & ineluctabilem reſponſionem!

11. De Gotteſcalco monacho criminis Prædeſtinatianæ hæreſis poſtulato agendum nobis erit in Synodis Maguntinenſi & Remenſi. Eò tamen magis propendeo, ut hæreticus ipſe fuerit non tamen ſectæ alicujus auctor.

## *ROMANA DUO CONCILIA ſub Felice III. Pontifice an. Chriſti 483. & 484.*

1. OCcidentis diſſipato Imperio & Gotthis Arianis per occiduas Provincias graſſantibus, ſubactaque à Vandalis hæreticis Arianis Africa; toto pariter Oriente Catholica fides ſub hæreticis Imperatoribus graviſſimis conflictata eſt ærumnis ab Eutychianis hæreticis,quorum impietatem hæretici Imperatores Zeno, & qui Zenoni ſucceſſit Anaſtaſius apertè fovebant. Conſtantinopolitanã regebat Eccleſiam Gennadij ſucceſſor Acacius clam Eutychianæ addictus hæreſi qui malis artibus & aulicis obſequijs Imperatorum Zenonis & Anaſtaſij gratiam aucupatur. Hic Zenoni autor fuit condendi henotici edicti Eccleſiæ fideique pernicioſi,prætereaque deturbandi ex Alexandrino Epiſcopatu Joannem Talaidam ſubrogandique illius loco Petrum Moggum hæreticum anno 481. Joannes injuſtè ſede ſua depulſus Felici Romano Epiſcopo adverſus Acacium libellos obtulit. Qui convocato Romæ Italicorum Epiſcoporũ Concilio tres ex eodem Legatos Conſtantinopolim miſit anno 483. Vitalem Troentinum, Miſenum Cumanum Epiſcopos, & Felicem Eccleſiæ Romanæ defenſorem. Verum Vitalis & Miſenus Acacij fraudibus circumventi qui mandatum habebant ipſum Romanum ad tribunal citandi cum ipſo Acacio & Petro Moggo prævaricantes communicarunt. Felix cum ob morbum ſubſtitiſſet in itinere, poſtea Conſtantinopolim adveniens in vincula miſſus eſt. Ea re commotus Pontifex Legatos duos Epiſcopos exautoravit in nova Synodo, & Acacium communione fidelium excluſit. Qui vicem malè rependens Felicis Papæ nomen ex diptychis anno 484.obliteravit. Ex hac ſecunda Synodo ſcripſit Felix Romanus Epiſcopus literas ad pſeudoepiſcopum Antiochenum Petrum Cnaphæum quibus eum Epiſcopali dignitate,& fidelium communione dejecit,poſtquam duabus alijs anterioribus fraternæ admonitionis eundem fruſtra delinire conatus fuerit. Petrus iſte à

Græcis Cnapheus, à Latinis Fullo dictus Zenonis gratiâ fultus quam ei Acacius conciliaverat, pulſo Martyrio Antiochiæ orthodoxo Epiſcopo adverſus quem plebem concitaverat & clerum planè irreligioſum moribuſque corruptum & indocilem ejus ſedē invaſit. Martyrius diſceſſurus ut ſcribit Theodorus Lector hæc elata voce in templo patriarchali publicè profeſſus eſt, Clero immorigero, populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ abrenuncio, ſervata mihi interim Sacerdotij dignitate. Tum Fullo ejus in ſedem intruſus Theopaſchitarum hæreſim quaſi ſui futuri regiminis ſpecimen inſtauravit. Addidit ad Triſagium quo reclamatur Sanctus Deus, Sanctus fortis & Sanctus immortalis, has voces qui paſſus es pro nobis, hic in ſua perfidia, & tyrannicè uſurpata ſede mortem obijt anno 486. Alteras eadem ex Synodo Romana literas ſcripſit ad Zenonem admonens ne Fulloni, ne Acacio, ne Petro Moggo Alexandrino communicaret juſtiſſimè à Romano Concilio depoſitis, & anathemate damnatis. Verumtamen horum ſacrilegā pertinaciam Zeno aluit & protexit. Moritur Acacius anno 488. Petruſque Moggus anno 498. Præter Papæ Felicis epiſtolas quæ ſuperſunt hæc eadem omnia referuntur apud Evagrium, Liberatum, Theophanem, Victorem Tununenſem, alioſque veteres Scriptores.

2. Felix iſte tertius qui temporibus calamitoſiſſimis Eccleſiam Dei ſanctiſſime rexit, fuit Gregorij magni Pontificis atavus, ut ipſe fidem facit homil. in Evang. 3. & lib. 4. Dialog. cap. 16. proditque eum Tarſillæ virgini Gregorij amitæ per viſionem apparuiſſe, cui manſionem perpetuæ claritatis oſtendit dicens, veni quia in hanc lucis æternæ manſionem ſuſcipieris, quæ virgo ſuccedente mox febri correpta migravit in cœlum.

3. Pontifice iſto Odoacer Turcilingorum Rex Italiam omnem relegato in Campaniam Imperatore Auguſtulo ejuſque patre Oreſte perempto regebat. In Africa verò Hunnericus Vandalorum Rex Genſerico invaſore natus pariterque Arianus feralem adverſus Orthodoxos quos contemptim Uſianos vocabat perſecutionem excitavit, omnes eorum Eccleſias occluſas Arianis diſtribuit, omnes Catholicorum conventus addita capitali pœna interdixit. Quadringentos ſexaginta ſex Epiſcopos ex ſubditis ſibi Africanis Provincijs Carthaginem per edictum accivit, boniſque omnibus ſpoliatos omni tecto, aquâ, & igne interdictos magnaque ex parte flagellis cruentatos, linguis aut manibus truncatos, omnique calamitate mactatos in exilia diverſa deportari fecit. Quam latè proſequitur hiſtoriam tribus de perſecutione Vandalica libris Victor Uticenſis Epiſcopus.

## *CONCILIUM AGATHENSE ann. Chr. 506.*

1. QUOD in ſua Conciliorum editione Laurentius Surius Synodi Agathenſis canones in Codice Gemblacenſi extare tantum octo & quadraginta hoc idem monet Jacobus Sirmondus à ſe compertum fuiſſe in Lugdunenſi, Rhemenſi, Corbeienſi, Foſſatenſi, atque in alijs quibuſcunque antiquiſſimis exemplaribus, ut dubium minimè videatur non plures hoc numero conditos primùm à Synodo ipſa fuiſſe. Reliquos vero XXV. qui ſupra hunc numerum excurrunt, aliunde poſtea ſed ex Epaunenſi potiſſimum Synodo depromptos, atque in hanc Synodum alterius cujuſpiam Synodi autoritate inſertos eſſe.

2. Initum Agathenſe Concilium fuit an. Chr. 506. ſub Papa Symmacho. Eſt verò Agatha Provinciæ Narbonenſis primæ oppidum vetus Maſſilienſium colonia, ut ſcribit Strabo. Conceſſum autem fuit ab Alarico Viſigotthorum Ariano Rege qui non ſolum Hiſpaniæ, ſed etiam Provincijs Galliæ Narbonenſi primæ & ſecundæ, & Aquitanicæ dominabatur. Quas pater ejus Evaricus armis invaſerat. Tametſi enim & pater & filius hæretici & Catholicæ religioni infenſi erant: hæc tamen non obſtiterunt quominus illarum partium Epiſcopi majore vi adacti tyrannicæ injuſtæque dominationis jugo cervices ſubmiſerint, Victoribuſque Principibus ceſſerint, quos Deus in Catholicorum peccantium pœnam quaſi Nabuchodonoſores ſuſcitarat ſuæ vindices & ultores juſtitiæ, ut videre eſt apud Sidonium qui ſub Evarico Arvernorum Epiſcopus fuit lib. 7. epiſt. 6. ad Baſilium (quem Sirmondus probat Aquenſem fuiſſe in ſecunda Narbonenſi Antiſtitem) & apud Greg. Turonenſem lib. 2. hiſt. Franc. c. 25: ſub filio autē ejuſdem Alarico pariter Ariano legimus ſanctiſ. Præſulem Cæſarium Arelatenſem qui huic Synodo præfuit, alioſque qui Agatham convenerunt Epiſcopos his verbis Synodum aperuiſſe: *Cum in Dei nomine & permiſſu regis Alarici in Agathenſem civitatem ſancta Synodus conveniſſet, & in Sancti Andreæ Baſilica conſediſſemus, ibique flexis genibus in terra pro regno ejus, & pro longævitate populi Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem regnum ejus Dominus felicitate extenderet, juſtitia gubernaret, virtute protegeret*, &c. Similiter poſtquam Maximus tyrannus adverſus religioſiſſimum & optimum Principem Gratianū rebellaſſet, Gallijs per vim occupatis, Epiſcopi Gallicani armis ſubacti pacē cum illo coluerunt, Sanctuſque Martinus Turonū Epiſcopus ad ipſum ut Imperatorem recurrit, neque illius menſam & convictum recuſavit. Sed & ipſi Romani Pontifices ſubjectionem pacemque coluerunt ſub Principibus hæreticis ſimul & Italiæ invaſoribus Odoacro, Theodorico & hujus ſucceſſoribus Arianis quam hiſtoriæ veritatem nemo in dubium revocare poſſit. Profiteor quidem haud licuiſſe his ſe ſponte ab initio ſubjicere ſi non major vis adegiſſet: ſed poſt impoſitum hujuſcemodi tyrannicum jugum propoſita docent Sanctorum exempla ſatius eſſe cum hujuſmodi tyrannis, & invaſoribus violentis etiam infidelibus pacem civilem ſalva ſemper religione conſervare, ſubjectionemq; politicam profiteri; hoc eſt enim proprie providentiæ divinæ etiam malorum permiſſivæ ſe ſubjicere: recenſetur enim ab Eccleſiæ Doctoribus permiſſio inevitabilis mali inter ſigna divinæ voluntatis, modo ne quis per adulationem, aut mandatum Dei tranſgrediatur, ut eſſet abnegatio fidei aut in aliquod peccatum conſenſio. Scitum eſt illud Petri Apoſtoli ad Sacerdotum Concilium Act. 9. v. 29. *Obedire Deo oportet magis quam hominibus.* De cætero ſapientiſſimum eſt monitum iſtud apud Tacitum lib. 4. hiſt. *Meminiſſe temporum quibus nati ſumus: & bonos Principes voto expetere, ut qualeſcumque tolerare.* Pauluſque ſervos hortatur & jubet *ſubditos eſſe in omni timore dominis etiam diſcolis.*

3. Sed

3. Sed ut ad Alaricum redeamus refert Iſidorus ipſum feliciter regnaſſe ſubnixum orationibus quas Cæſarius Arelatenſis, & Quintianus Rutennenſis Epiſcopi ambo ſanctiſſimi pro ejus ſalute, & felici regno ad Deum fundebant. Sed ex quo malevolorum calumnijs fidem adhibens ambos in exilium relegavit, tum demum fuiſſe à Clodovæo Francorum Rege prælio ſuperatum & occiſum. Calumniam adverſus Cæſarium confictam refert ejus diſcipulus Cyprianus Tolonenſium Epiſcopus, fuiſſe à quibuſdam æmulis accuſatum perduellionis quaſi conſpiraſſet transferre Arelatenſem civitatem in ditionem ac poteſtatem Regis Burgundionum pariter Ariani. Sed meram fuiſſe calumniam ſubſequuta Cæſarij miracula ejuſque in propriam Eccleſiam revocatio coarguunt. Idem poſtmodum ſimili calumnia impetitus eſt, quod attentaſſet prodere Arelatem Francorum Regi Clodovæo jam tum Catholico dum poſt debellatum, & in acie cæſum Alaricum Franci urbem illam obſidione premebant, adeout Gotthi qui urbem occupabant vinctum Præſulem Sanctum ad Theodoricum Italiæ Regem perduxerint qui tunc Ravennæ quam Regni ſui conſtituerat caput reſidebat. Sed illum Theodoricus licet Arianus honoribus & laudibus cumulatum remiſit Arelatem liberum in ejus accuſatores indignatus: quam latius proſequitur hiſtoriam Cyprianus in vita Cæſarij.

4. Agathenſis canon ſecundus: *Contumaces Clerici prout dignitatis ordo permiſerit ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbiâ communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita ut cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.* Cap. contumaces Clerici diſt. 30. Matriculam intellige catalogum miniſtrantium in Eccleſia clericorum qui alio nomine canon vocabatur. Obſervandum hic eſt clericos primi gradus ut iſte loquitur canon non alios eſſe quam Sacerdotes. Porrò ea erat conſuetudo, ut Sacerdotes per vices in Eccleſijs quibus addicti erant ſacrificarent. Cæteri verò quo die non offerebant ſeu ſacrificabant, communionem Euchariſticam ſumerent de manu ſacrificantis intra ipſum Sanctuarium: & præterea divinis Officijs tam Matutinis quam Veſpertinis intereſſent niſi aliud neceſſitas, aut urgens proximi charitas ſuaderet. Quia verò aliquoties eveniebat, ut Sacerdotes quibus diebus non ipſis obtingebant ſacrificandi vices, vel ex ſuperbia, vel ex animi tepiditate, & irreligioſitate refugerent alterius oblationi intereſſe, vel alijs ſe ſubtraherent Eccleſiaſticis officijs, in hujuſmodi reprimendis verſatur iſte canon ſtatuens, ut qui divinis Officijs ſtandem iſtam fecerint non cenſeantur de matricula Eccleſiæ, ſed velut expuncti fruſtrentur Eccleſiaſticis ſtipendijs, nec alius eis victus præbeatur, niſi qui peregrinis ex uſu Eccleſiæ illis in ſingulos dies tribui ſolebat, qui literis formatis ac teſtimonialibus de religione præmuniti probabant quacumque proficiſcebantur ſe eſſe de fidelium communione. Duas ſuperius conſulito ad ſæculum ſecundum diſſertationes, unam de literis formatis, & alterum de laïca & de peregrina communione. Hujus præterea Synodi can. 5. ad peregrinam redigit communionem Clericum qui furtum fecerit. De matricula verò Eccleſiæ mentio quoque fit in Aurelianenſi Concilio IV. can. 13. ſic dicente: *Clerici quorum nomina in matricula Eccleſiæ tenentur.* Et Concilium Antiſiodorenſe can. 3. loquitur de reddendo voto aut matriculæ ſcilicet Eccleſiæ, aut pauperibus de ſportulantibus Clericis, hoc eſt de percipientibus per ſingulos menſes Eccleſiaſtica pro victu ſtipendia. Videndus Cyprianus epiſt. 34.

Can. IV. *Clerici etiam Sacerdotes qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamentis relictas retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donaverint Eccleſijs, aut Monaſterijs crediderint auferendum ſicut Synodus ſancta* (hæc eſt Vaſionenſis can. 4.) *conſtituit, velut necatores pauperum quouſque reddant ab Eccleſijs excludantur.* cap. Clerici vel ſæculares 13. q. 2. Vide ſupra canonem illum Vaſionenſem cum ibi annotatis.

5. Can. VII. *Caſellas verò vel mancipiola Eccleſiæ Epiſcopi ſicut priſca canonum præcepit autoritas, vel vaſa miniſterij quaſi commendata, fideli propoſito integro Eccleſiæ jure poſſideant: id eſt, ut neque vendere, neque per quoſcumque contractus res unde pauperes vivunt alienare præſumant. Quod ſi neceſſitas certa compulerit ut pro Eccleſiæ aut neceſſitate, aut utilitate, vel in uſufructu vel in directa venditione aliquid diſtrahatur, apud duos vel tres comprovinciales vel vicinos Epiſcopos, cauſa qua neceſſe ſit vendi primitùs comprobetur: & habita diſcuſſione Sacerdotali, eorum ſubſcriptione quæ facta fuerit venditio roboretur. Aliter facta venditio vel tranſactio non valebit. Sanè ſi quos de ſervis Eccleſiæ benemeritos ſibi Epiſcopus libertate donaverit, collatam libertatem à ſucceſſoribus placuit cuſtodiri, cum hoc quod eis manumiſſor in libertate contulerit. Quod tamen jubemus viginti ſolidorum numerum, & modum in terrula vineola vel hoſpitiolo tenere. Quod amplius datum fuerit poſt manumiſſoris mortem Eccleſia revocabit. Minuſculas verò res aut Eccleſiæ minus utiles peregrinis vel Clericis ſalvo jure Eccleſiæ in uſum præſtari permittimus.*

Cap. caſellas vel mancipiola 10. qu. 2. Tanti intereſt res Eccleſiæ non alienari fundos præſertim ac prædia, & in longum tempus reditus, tamque multæ prætexuntur illuſoriæ alienandi cauſæ, ut admodum neceſſe fuerit iſtam alienandi facilitatem fortioribus prohibitionibus ac legibus quaſi quibuſdam repagulis coërceri: Multiplici enim experientia compertum eſt diſtractiones rerum Eccleſiæ quæ ab initio è re eſſe videbantur, Eccleſiæ in ejuſdem grave detrimentum ceſſiſſe. Quapropter Concilium iſtud conditiones ad hoc ſolemnitateſque præfatas exigit. Et jampridem his providerat Carthaginenſe IV. Concilium can. 32. ita ſanciens: *Irrita erit donatio Epiſcoporum, vel venditio & commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia, & ſubſcriptione Clericorum.* Huc ſpectant decreta Gelaſij Papæ relata per Gratianum c. vobis enim c. qui & divinis, c. Vulteranæ Ec-

cleſiæ 12. qu.2. nec non Synodi Romanæ tertiæ ſub Papa Symmacho can.4.& ſeqq. In Galliæ Regno per edictum Henrici II. an.1558. quod deinde in Comitijs Aurelianenſibus ſub Carolo nono ex deliberatione Cleri Gallicani confirmatum eſt art.29. nemorum ad Eccleſias pertinentium proceras arbores dejicere prohibetur Epiſcopis, Abbatibus, & quibuſcumque præbendatis alijſque quibuſlibet perſonis. Tres verò juſtas eſſe rerum Eccleſiæ alienandarum cauſas docet gloſſa in proœmio cauſæ 12. q.2. Primam ipſius Eccleſiæ neceſſitatem, aut evidentem utilitatem, ut ſi fructus ad impenſas Eccleſiæ, aut ſuſtentationē Cleri ſufficere nequeant c. hoc jus porrectum 10. q.2. Cauſa ſecunda pietatis eſt ad pauperum in gravi neceſsitate ſubſidium, vel in redemptionem captivorum, juxta definitionem S.Papæ Greg.lib.5.epiſt.17.& lib.7.ep.4. qui vult his caſibus ſacra vaſa cōfringi & conflari. *Aurum enim habet Eccleſia non ut ſervet ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus*, cap. aurum 12. q.2. Cauſa denique tertia eſt vitandi damni quando Eccleſiæ prædia ſterilia, aut inculta remanerent ob magnas neceſſarias in eis reparandis ac reficiendis impenſas longamve diſtantiam c.fine exceptione, & c. terrulas 12. q.2. & c.ad aures de reb.Eccl. non alien.

*6.* Solemnitates etiam ſervandas ad legitimam rerum Eccleſiæ diſtractionem quarum aliquâ omiſsâ (ſaltem in Gallia) foret invalida collegit Chenutius Gallicanus Iuriſconſultus in ſuo tractatu de alienationibus rerum Eccleſiæ. Prima eſt, ut interveniat Cleri & Capituli ſeria deliberatio, & conſenſus ſcripto expreſſus cum ſingulorum ſubſcriptione juxta Canones præallegatos Carthaginenſem & Agathenſem. Solemnitates etiam ad legitimam rerum Eccleſiæ diſtractionem requiſitas quibus omiſſis aut alterâ earum ea ſaltem in Galliæ regno cenſeretur fruſtranea, & revocabilis refert Chenutius Juriſconſultus, cui hac in re alij communiter ſuffragantur in ſuo tractatu de alienationibus rerum Eccleſiæ. Prima eſt, ut interveniat Cleri ſeu capituli deliberatio, & conſenſus ſcripto expreſſus cum ſingulorum ſubſcriptione juxta duos paulò ante prolatos canones, & c.fine exceptione 12. q.2. Secunda ut ex deputatione per Capitulum committantur certæ perſonæ ad juridicè inquirendum de qualitate rei cujus tractatur alienatio, deque utilitate aut neceſſitate alienationis: quæ demum facta inquiſitio refertur ad Capitulum. Tertia ut publicè per loci & convicinos parochos perque affixas ſchedulas denuncietur illa alienatio per licitationem ac ſubhaſtationem facienda, ut qui in licitatione plus obtulerit ac ſatis dederit rem obtineat. Quarta ut accedat Epiſcopi aut ejus Vicarij generalis conſenſus, aut Abbatis ſi de re agitur regularis Eccleſiæ aut Monaſterij. Quo ultimo caſu exigitur pariter Summi Pontificis approbatio; non enim ad iſtud ſufficit ſuperioris Generalis, multoque minus Provincialis autoritas. Prædictæ requiruntur conditiones etiamſi non fiat in perpetuum aut ad annos triginta alienatio, dummodo contrahatur ultra novennium emphyteuſis, ut ex praxi & jure Gallicano docet Chenutius.

7. Quid ſi Summus Pontifex expreſſo diplomate motuque proprio alienationem roboraverit? Indubium eſt in remotarum Eccleſiarum rebus quales ſunt Gallicanæ facillimè imponi, atque ſubripi poſſe Summo Pontifici qui facilis eſſet modus Eccleſias expoliandi, & ad inopiam redigendi. Quocirca Symmachus Papa in tertia Synodo Romana præſidens ita dicere non eſt veritus. *Non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in uſumfructum rura dare.* Ne igitur autoritas ſuprema damno ſit particularibus Eccleſijs ejuſmodi Apoſtolica reſcripta non admittuntur in Gallia, niſi evidenter conſtet de Eccleſiarum emolumento, nec niſi in conditionibus quas ſacri olim canones approbarunt paulò ante relati. Quibus adde c. quicumque 17. q.4. Et aliunde Imperatorum multiplicia edicta ſacris Canonibus de non alienandis Eccleſiæ rebus adſtipulantur, l.placet, l.neminem, l.ſancimus, C.de ſacroſ.Eccl. Novellæ quoque Juſtiniani VIII.XX. XXVI. Capitularia quoque Imperatoris Regiſque Francorum Caroli magni lib.1.cap.83. atque inſequentium Regum conſtitutiones, qui Eccleſiarum Regni patrimonia ſub ſuam tutelam ſuſceperunt. Unde Feuretus uſum toto regno vigere affirmat, ut niſi manifeſtè liqueat alienationes olim factas eſſe Eccleſijs conducibiles, à curijs regni reſcindantur, profertque Divionenſe Senatuſconſultum 28.Iulij an.1614. quod irritam fecit mutuam jurium Eccleſiaſticorum permutationem, quamvis Capitulari deliberatione non ſolum comprobatam, ſed etiam communi conſenſu conducibilem ab eodem capitulo judicatam. Refertque alterum Pariſienſe Senatuſconſultum quo reſciſſum fuit Concordatum initum inter Abbatiam dictam de Vejaluiſant, & Cardinalem Caſtillioneum, & deinde Curiæ approbatione ac homologatione de partium conſenſu roboratum. Sed poſtquam compertum fuit defuiſſe huic alienationi requiſitas in hoc regno ſolemnitates Senatus Pariſienſis totam iſtam conventionem ejuſque homologationem reſcidit, parteſque in priſtinum, & anteriorem ſtatum reduxit abſque ulla fructuum reſtitutione. Feuretus lib.3, de abuſu. c.1.art.19.

8. Can. VIII. *Id etiam placuit ut Clericus ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem ad ſæcularem judicem fortaſſe confugerit, & is ad quem recurrit ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſiæ communione pellatur.*

C. placuit ut Clericus 21.q.5. Edicit ſimiliter c.Clerici de judicijs Clericos ſiſtendos eſſe de omni crimine judici Eccleſiaſtico, nec valere quamcumque oppoſitam conſuetudinem. His aliæ conſonant veteres Synodi. Calchedonenſis enim œcumenica canon.9. decernit Clericorum lites non apud judices laïcos, ſed apud Epiſcopos agitari. Matiſconenſis Concilij primi can.7. hoc idem jus renovat ſub eadem excommunicationis pœna in judice laïco, & fuſtigationis aut carceris in Clerico. Permittit tamen laïcis judicium Clericorum in cauſis gravium criminum homicidij, furti, maleficij, vel quia talium criminum convictos vult jam excidiſſe privilegio Clericali, vel ne impunè ferant & impunitate foveantur atrocia Clericorum delicta cum ſanguinis pœnam Eccleſia non infligat. Juſtinianus in authen. ut Clerici apud proprios Epiſcopos §.penult.colla.6. ſeu Novella 83. conſtituit in omnibus criminibus alijs quam Eccleſiaſticis conveniendos eſſe Clericos coram ſæcularibus judicibus. Conſulito inferius Cabilonenſis Concilij canon.11. & Caroli magni lib.6. Capitularium cap.303.

Can.X.

Can. X. *Non ſolum in domo clerici extranea mulier non accedat, ſed nec ipſe frequentandi habeat poteſtatem.*

9. Can. XVI. *Epiſcopus benedictionem Diaconatus minoribus quam vigintiquinque annorum penitùs non committat. Sane ſi conjugati iuvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo religione præmiſſa poſtea quam pariter converſi fuerint ordinentur.*

C. Epiſcopus benedictionem diſt. 77. Vide Nicænum can. 3. Inter veteres canonum autores Siricius Papa explicatius præ cæteris exponit epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 9. quanam ætate ſint Eccleſiaſtici ordines conferendi. Et lectorum ordini quamvis impuberes ſint non aliam requirit ætatem quam eam quâ publicè legere ſciant. Ut vero acolythi & ſubdiaconi ordinentur ætatem præſcribit annorum viginti ſecundum Juſtellianam editionem aliáſque defæcatiores & conſonat huic Zoſimi Papæ reſcriptum paulò poſterius hoc Siriciano, ideóque minorem merentur fidem cætera quæ triginta annos aſſignant exemplaria ut obſervant editores ac correctores à Gregorio XIII. præfecti ad emendandum Gratiani decretum viri ſane diligentes admodum & eruditi ad diſt. 77. c. in ſingulis & c. quicunque. Siricius cap. 10. ad Himerium præcipit ſervari biennij interſtitium ab ordine acolythi ſeu ſubdiaconi ad Diaconatum, deinde quinquennium pro interjiciendo à Diaconatu ad Sacerdotium interſtitio ſic dicens, *Ubi ſi ultra quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congrue ſacerdotium conſequatur.* Itaque ſecundum Sirícianam editionem quæ triginta annos exprimit continuando illa bina interſtitia tum biennij tum quinquennij non erat ullus Sacerdotio conſecrandus niſi expletis triginta & ſeptem ætatis annis. At vero ſecundum editionem Sirícianam quæ annos deſignat viginti poterat quis Presbyterio ordinari poſt annos ætatis ſeptem & viginti. Neque vero aliud diſcrimen apponit Siricius inter cap. 9. & 10. ſui illius ad Himerium reſcripti niſi quia capite nono poterat quis etiam impuberis ætatis ordinari lector & exorciſta quod nequit illis accommodari quos ait cap. 10. ætate grandævos laicos reliqua vero omnia ſervata ætatis proportione paria. Exinde d. c. 9. interſtitium decennij præfigit Siricius inter ſacerdotalem & Epiſcopalem conſecrationem interponendum. Apud Orientales tamen leges & canones minimè permittebant Sacerdotem aliquem ordininari niſi ſaltem ætatis trigeſimo anno. Id enim rectè prohibet Neocæſarienſis Synodi Canon II. etiam ante Nicænum Concilium. *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur.* Nicænus vero canon 2. vetat poſt Apoſtolum quemquam neophytum Sacerdotem vel Epiſcopum conſecrari. Novella etiam Juſtiniani Authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis §. clericos apud Julianum anteceſſorem conſtit. 123. cap. 19. quæ ſub nomine paleæ inſerta legitur in decreto Gratiani diſt. 78. cujus etiam in nemo canone meminit Photius tit. 1. c. 28. *Nemo* (inquit) *Presbyter conſacretur qui minor 30. annis ſit, nemo Diaconus vel Subdiaconus fiat qui minor annis 25. ſit: nemo lectoribus connumeretur qui minor 18. annis fuerit: nemo inter Diaconiſſas conſecretur ſancta eccleſia qua minor ſit quadraginta annis vel ad ſecundum matrimonium pervenerit.* Proximè vero ſequens Agathenſis canon non patitur minorem annis triginta Sacerdotem ordinari vel Epiſcopum.

Can. XVII. *Presbyterum verò vel Epiſcopum ante triginta annos ideſt antequam ad viri perfectam ætatem veniat nullus Metropolitanorum ordinare præſumat, ne per ætatem quod aliquoties evenit aliquo errore culpentur.*

D. c. Epiſcopus benedictionem diſt. 77. Quæ vero his noſtris temporibus requiratur ad ſacros ordines ætas conſule Tridentinæ ſeſſ. 23. cap. 12.

10. Can. XVIII. *Sæculares qui Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten non communicaverint Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.*

C. Sæculares de conſecr. diſt. 2. Conformatur decreto Fabiani Papæ & Martyris c. etſi non frequentius de conſecr. diſt. 2. Divini juris eſt ut fideles teneantur corpori Chriſti communicare Joan. 6. *niſi manducaveritis carnem filij hominis &c.* At vero præfixio temporis communicandi eſt Eccleſiaſtici juris; hanc enim præceptionem Chriſtus prudentiæ permiſit Eccleſiæ olim ter in anno, poſt Concilium autem Lateranenſe quartum ſemel uno quoque anno in Paſchate niſi confeſſarius cujuſque ex juſta cauſa ne fiat tanto ſacramento injuria ſerius pauliſper differri velit.

Can. XX. *Clerici qui comam nutriunt ab Archidiacono etiamſi noluerint inviti tondeantur. Veſtimenta autem vel calceamenta eis niſi quæ religionem deceant uti aut habere non liceat.*

C. Clerici qui comam diſt. 2. Huc ſpectat Concilij Carthaginenſis quarti can. 44. & 45. quos ſuperius inveſtiga.

Can. XXI. *Si quis etiam extra parochias in quibus legitimus eſt ordinariúſque conventus, oratorium in agro voluerit, reliquis feſtivitatibus ut ibi miſſas teneat propter fatigationem familiæ iuſta ordinatione permittimus. Paſcha vero, Natale Domini, Epiphania, Aſcenſionem Domini, Pentecoſtem, & Natalem S. Ioannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in feſtivitatibus habeantur non niſi in civitatibus aut parochiis teneant. Clerici vero ſi qui in feſtivitatibus quas ſupra diximus in oratoriis niſi iubente aut permittente Epiſcopo, miſſas facere aut tenere voluerint à communione pellantur.*

C. Si quis etiam de conſecr. diſt. 1. Simile infra decretum habes in Concilio Aurelianenſi primo can. 25.

11. Can. XXV. *Si vero ſæculares qui conjugale*

*coniugale conſortiũ culpa graviore dimittunt vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſſidij probabiliter proponentes, propterea matrimonia ſua dimittunt ut aut illicita aut aliena præſumant, ſi antequam apud Epiſcopos comprouinciales diſſidij cauſas dixerint, & prius uxores quam iudicio damnentur abiecerint, à communione Eccleſiæ & ſancto populi cœtu pro eo quod fidem & coniugia maculant excludantur.*

C. Sæculares qui conjugale 33. q.2. Prudenter Agathenſes patres hæc ſuo canoni adjungunt ut aut illicita aut aliena præſumunt, &c. Nonnumquam enim occurrunt ejuſmodi divortij juſtæ cauſæ quæ probari nullatenus poſſunt, & tamen obligationem ſeparationis inducunt, ut quum exempli gratia conjux conjugem cohabitare cogit cum injuria creatoris, quam rem pluries contigiſſe ſcimus tum in cauſa diverſæ religionis, tum in congreſſibus & aliis contra naturam libidinibus ac pollutionibus, ad quæ alter conjugum conſortem tori compellebat, tum in vitæ diſcrimine quando truculentus conjux aut injuſtâ zelotypiâ furens laqueum ſtrangulandæ uxori aut venenum adhibuit quæ occurriſſe non ſemel perſpeximus. Scimus etiam mortuas uxores ex lue venerea à maritis contra fidem matrimonio debitam contracta. Et quando Paulus cognomento ſimplex ſua uxore adultera relicta ad ſanctum Abbatem Antonium abſceſſit non fuit ab hoc ad Epiſcopum aut juridicum officialem remiſſus, ut ejus ſententiam in re quam vir ſimplex probare judicio non poterat expectaret, ſed nihil dubitans de Pauli proprios oculos teſtes habentis aſſeveratione, monachi habitu illum induit, ut fidem facit Palladius hiſt. Lauſiacæ cap. 28. Sapienter quoque c. inquiſitioni de ſent. excommu. definit uxorem quæ ſcit impedimentum quod tamen probare non poteſt teneri excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere potius quam per carnale cum viro commercium mortalis ſe ream peccati apud Deum conſtituere. Cauſæ quidem divortij quoad torum non tamen quoad vinculum matrimonij, tres à canonibus recenſentur. 1. Si conjux conjugem ad injuriam compellat creatoris. 2. Sævitia unius conjugum adverſus alterum. 3. Adulterium alterius conjugum, adeo ut ob unam ex his tribus liceat viro ab uxore & uxori à viro diſcedere. Scribit quidem Baſilius epiſt. 1. ad Amphilochium cap. 9. uxorem à viro pulſatam verberibus ſatius eſſe ut patiatur, quam ut ab eo divertat, ſed ſub hac exceptione intelligendus niſi per ſævitiam modus excedatur. Chryſoſtomus autem ad 1. Cor. 11. homil. 26. ſic ait: *Hoc ex legis latoribus externis addiſcitis qui talia paſſam uxorem habitare amplius non cogunt cum marito, qui eam verberibus affecit, quippe indigno illius deinceps ulla conſuetudine.* At ubi prætenditur nullum eſſe matrimonij nexum, adeo ut licitum ſit parti ad aliud aſpirare conjugium, tunc neceſſe eſt Epiſcopi poſt exactam cauſæ perquiſitionem, definitivam expectare ſententiam. Collaudat Auguſtinus lib. 2. de adulter. conjug. cap. 8. Antonini Pij legem quâ in pari cauſa jus idem ſtatuitur viri & uxoris. *Sed iſti* (ait) *quibus diſplicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur, & potius eligunt maxime in hac cauſa mundi legibus ſubditi eſſe quam Chriſti, quoniam iura forenſia non iiſdem quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur conſtringere, legant quod Imperator Antoninus non utique Chriſtianus de hac re conſtituerit, ubi maritus uxorem de crimine adulterij accuſare non ſinitur cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum, itaut ambo damnentur ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit. Nam ſuperioris Imperatoris verba hæc ſunt quæ in Codice Gregoriano leguntur. Sane inquit meæ literæ nulla parte cauſæ præjudicabunt: neque enim ſi penes te culpa fuit, ut matrimonium ſolueretur & ſecundum legem Iuliam Eupaſia uxor tua nuberet, propter hoc meum reſcriptum adulterij damnanda erit niſi conſtet eſſe commiſſum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere an tu cum pudicè viveres illi quoque bonos mores colendi autor fuiſti. Periniquum enim mihi videtur ut pudicitiam ab uxore vir exigat quam ipſe non exhibet. Quæ res poteſt & virum damnare non ob compenſationem mutui criminis rem inter utrumque componere, vel cauſam facti tollere, ſi hæc obſervanda ſunt propter decus terrenæ civitatis, quanto caſtiores cœleſtis patria quærit & ſocietas angelorum?* Hactenus Auguſtinus. Ejuſdem conſtitutionis mentio eſt apud Ulpianum l. miles §. judex ff. ad le. Jul. de adult. Sane pars illa quæ juſta de cauſa ſecundum conſcientiam, quæ tamen luculenter apud homines probare non valet ab altera parte diſcedit, cogetur Epiſcopali judicio altera parte requirente ad eam partem unde abſceſſit reverti, etiam excommunicationis inflictâ pœnâ. Sed ſi convivere non poſſit abſque delicto, tenebitur pœnam hanc ſibi indebitam humiliter perferre omnibúſque externis Eccleſiæ bonis potius privari quam interius in Deum peccare ut loco citato c. inquiſitioni de ſent. excom. declarat Innocentius III.

12. Can. XXVI. *Si quis de clericis documenta quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur aut ſupprimere aut negare aut adverſariis fortaſſe tradere damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quidquid per abſentiam inſtrumentorum damni Eccleſiæ illatum eſt de propriis facultatibus reddat & communione privetur. Hi etiam qui in damno Eccleſiæ inſtrumenta Eccleſiæ impiè ſolicitatis traditoribus ſuſceperint pari ſententia feriantur.*

C. Si quis de clericis 12. q.2. Et reſcribit Alexander Papa III. c. pervenit ad audientiam de teſtib. cogen. *Nemo debet adverſario inſtrumenta quorum apellatione teſtes comprehunduntur ſubtrahere & tam ille qui ſubripit inſtrumenta quam qui adverſario parem advocationis copiam ſubtrahit iniquam oſtendit à ſe litem foveri, experiri debet in ſe judicis autoritatem eluſam.* Poteſt adverſus eum qui inſtrumenta prodidit aut ſuppreſſit intentari falſi crimen l. 1. §. is qui depoſita ff. ad leg. Cornel. de falſis, cujus pœna eſt deportatio & omnium bonorum publicatio d. l. 1. §. fin. aut in metallum damnatio. l. ſi quis aliquid 38. §. inſtrumenta ff. de pœnis.

13. Can. XXVII. *Monaſterium novum niſi Epiſcopo aut permittente aut probante nullus incipere aut fundare præſumat. Monachi etiam vagantes ad officium clericatus, niſi eis Abbas ſuus teſtimonium ſuum dixerit, nec*

in

Digitized by Google

*in ciuitatibus nec in paræciis ordinentur. Monachum niſi Abbatis ſui aut permiſſu, aut voluntate ad alterum monaſterium commigrantē nullus Abbas ſuſcipere aut retinere præſumat, ſed ubicúmque fuerit Abbati ſuo auctoritate canonum revocetur. Si neceſſe fuerit clericum de monachis ordinari, tum cum conſenſu & voluntate Abbatis & non aliter præſumat Epiſcopus.*

C. De monachis monaſterium 18. q. 2. & c. monachi vagantes 16. q. 1. & c. monachum niſi Abbatis 20. q. 4. Vide Concilium Ilerdenſe can. 3. huc pertinet c. 4. Calchedonenſis & canon Concilij III. Arelatenſis de ſcandalo ab Abbate fauſto Lirinenſi adverſus Theodorum Forojulienſem Epiſcopum excitato cum utrobique adnotatis. Require inferius canonem 9. Aurelianenſis Concilij primi. Diſertè vero ſtatuit Ilerdenſis canon 3. De monachis vere id obſervari quod Synodus Agathenſis vel Aurelianenſis noſcitur decreviſſe. Poſtremo Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. de regularibus. cap. 3. iſtiuſmodi ſtructuras monaſteriorum aut Eccleſiarum injuſſu Epiſcopi fieri nullatenus permittit.

14. Can. XXVIII. *Monaſteria puellarum longius à monaſteriis monachorum aut propter inſidias diaboli aut propter oblocutiones hominum collocentur.*

C. Monaſteria puellarum 18. q. 2. Eandem præcipit adhiberi cautelam Concilium Hiſpalenſe ſecundum c. 11. & Synodus Nicæna ſeu œcumenica VII. can. 20. τὰ διπλᾶ μοναστήρια duplicia monaſteria monachorum ſcilicet & monialium interdicit. Similiter providet Innocentius Papa III. in regeſto 15. epiſt. 80. ad Helenenſem Epiſcopum. Prætereáque l. Sanctiſſimarum 44. C. de epiſc. & cler.

15. Can. XXXI. *Placuit etiam ut ſicut plerúmque fit quicumque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint & ad pacem renocari diutina intentione nequiuerint, à ciuitatis primitùs Sacerdotibus arguantur, Qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu juſtiſſima excommunicatione pellantur.*

C. Placuit etiam diſt. 90. Similis huic eſt canon 31. Arelatenſis ſecundi Concilij ſic ſtatuens: *Hi qui publicis inter ſe odijs exardeſcunt ab Eccleſiaſticis conventibus ſunt removendi donec ad pacem recurrant.* His adſtipulatur Nannetenſis Concilij canon 1. decernens *ut parochiarum Presbyteri Dominicis & feſtis diebus antequam miſſas celebrent plebem interrogent ſi aliqui diſcordantes ſint qui litem implacabilem inter ſe habeant, & ſi inventi fuerint, ſtatim reconcilientur: quod ſi renuerint pacem ſuſcipere, ab Eccleſia rejiciantur uſque quo ad charitatem redeant.* His conſonat Chriſti Domini noſtri oraculum Mat. 5. *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc rediens offeres munus tuum.*

16. Can. XXXV. *Si Metropolitanus Epiſcopus ad comprovinciales epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis* ( ita quemlibet vocat Epiſcopum ad diſcrimen Sacerdotum qui ſunt veluti minores Pontifices ) *aut ad Synodum invitet, poſtpoſitis omnibus excepta gravi infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad conſtitutam diem adeſſe non differant. Quod ſi defuerint ſicut priſca canonum præcipit autoritas* ( ſcilicet Concilij Arelatenſis ſecundi canon 19. ) *Uſque ad proximam Synodum charitate fratrum & Eccleſiæ communione priventur.*

Can. ſi Epiſcopus Metropolitanus. diſt. 18. Præter dictum canonem Arelatenſem idem fuerat quoque ſtatutum à Concilio Carthaginenſi quarto can. 21. & à quinto Carthaginenſi can. 10. & à Tarraconenſi can. 6.

Can. XXXVI. *Clerici etiam omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilantérque deſerviunt ſtipendia Sanctis laboribus debita ſecundum ſervitij ſui meritum vel ordinationem canonum à ſacerdotibus conſequantur.* c. clerici omnes. 1. qu. 2.

17. Can. XXXVIII. *Clericis ſine commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui, licentia non pateat evagandi: in monachis quoque par ſententiæ forma ſervetur, quos ſi verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri.*

Non omnes Eccleſiaſticæ pœnæ ſpirituales ſunt, ut ſunt cenſuræ, depoſitiones, ſuſpenſiones interdicta & excommunicationes, & ex delicto irregularitates: ſunt & aliquæ corporales ut carcer, jejunia in pane & aqua, verberum inflictio quibus intra cuſtodiam cæduntur clerici vel monachi. Idque fieri ſolitum præter canonem iſtum fidem facit Cyprianus in vita Cæſarij Arelatenſis, nec non alter Agathenſis canon 41. his verbis Clericus quem ebrium fuiſſe conſtiterit aut triginta diebus ſit excommunicatus, aut corporali ſupplicio ſubditus ſit. Qui canon legitur pariter in Concilio Venetico ( de Vannes ) num. 13. his accedit Concilij Liptinenſis ſub Zacharia Papa ſecundo & Choledeberto tertio Francorum Rege an. 743. in Hannonia celebrati c. 6. *Clerici & moniales fornicantes carcere, jejunio in pane & aqua, & flagellationibus plectantur.* Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus Gotheſcalcum monachum & Presbyterum flagellis cædi fecit. Caſſianus lib. 4. de inſtitutis cœnobiorum cap. 16. poſt dinumeratas aliquot graviores monachorum culpas ita ſubiungit: *Hæc vel plagis emendantur vel expulſione purgantur.* Matiſconenſe primum Concilium anni 581. can. 8. Clericum qui alterum clericum ad cauſam dicendam coram judice ſæculari traxerit triginta novem ictibus pulſari jubet.

18. Can. XLIV. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere aut pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero penitus non licebit.*

Permitte

Permittebatur olim Presbyteris in Eccleſia manus pœnitentibus imponere omnibus jejuniorum diebus, ut conſtituit Carthaginenſis quarti Concilij canon 80. Imo etiam ejuſdem Concilij can. 90. exorciſtis jubetur ut energumenis quotidie manus imponant. At vero reconciliatoriam manus impoſitionem quâ peractâ pœnitentibus publicis Euchariſtica communio porrigebatur non poterat Sacerdos exhibere, ſed tantum Epiſcopus niſi expreſsâ accedente ab ipſo Epiſcopo veniâ. Hac de re Innocentius primus epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum cap. 7. ſic decernit: *De pœnitentibus vero qui ſive ex gravioribus commiſſis ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romana Eccleſia conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis & ad fletus atque lacrymas corrigentis. Sane ſi quis in ægritudinem inciderit atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum ne de ſæculo abſque communione diſcedat.* In Concilio quoque Carthaginenſi ſecundo ſub Siricio Pontifice can. 3. *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt Chriſmatis confectio & puellarum conſecratio à Presbyteris non fiant. Et reconciliare pœnitentem quemquam in publica miſſa Presbytero non licere hoc omnibus placet.* Deinde can. 4. Aurelius Epiſcopus dixit: *Si quiſquam in periculo fuerit conſtitutus & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi Epiſcopus abſens fuerit, debet utique Presbyter conſulere Epiſcopum & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Quam rem debemus ſalubri Concilio corroborare. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt placet.* Sed & ante hos omnes Soter Pontifex in ſecunda decretali epiſtola, *A nullis inquit in cœna Domini perceptio Euchariſtiæ negligatur, cum & pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & ſanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

19. Can. XLV. *Terrulas aut vineolas exiguas & Eccleſiæ minus utiles aut longè poſitas parvas Epiſcopus ſine conſilio fratrum ſi neceſſitas fuerit diſtrahendi habeat poteſtatem.*

C. Terrulas aut. 12. q. 2. Alioqui hoc ipſum Agathenſe Concilium can. 7. prohibet res Eccleſiæ ab Epiſcopo diſtrahi abſque deliberatione & conſenſu, & ſubſcriptione comprovincialium Epiſcoporum. Quo loco multa obſervatu digna congeſſi de ſolemnitatibus ad rerum Eccleſiæ alienationem hoc præſertim in regno requiſitis.

20. Can. XLVII. *Miſſas die dominico à ſæcularibus totas teneri ſpeciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat. Quod ſi fecerint ab Epiſcopo publicè confundantur.*

C. Miſſas de conſecr. diſt. 1. Ex iſta mentione benedictionis Sacerdotis in fine Miſſæ facile colligitur canonem 44. qui paulo ante præceſſit de prohibita Presbyteris intra Eccleſiam benedictione reſtringendum eſſe ad reconciliatoriam & publicam manus impoſitionem.

21. Can. XLVIII. *Vt de rebus Epiſcopi propriis vel acquiſitis, vel quidquid Epiſcopus de ſuo proprio habet hæredibus ſuis ſi voluerit derelinquat. Quidquid vero de proviſione Eccleſiæ ſua fuerit, ſive de agris, ſive de frugibus, ſive de oblationibus omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus.*

C. Epiſcopi de rebus 12. q. 1. Epaonenſe quoque Concilium anni 517. edicit can. 17. *Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit niſi in tantum de iuris proprij facultate ſuppleverit.* Simile ſancitum legimus in Apoſtolorum canonibus 39. & 40. Idémque decernit Antiochena Synodus can. 24. Primúmque cui præſedit Sanctus Leander Hiſpalenſe Concilium. Itémque Sanctus Papa Gregorius magnus lib. 10. epiſ. 42. ad Deus dedit Mediolanenſem Epiſcopum. Lateranum inſuper Concilium III. ſub Alexandro III. can. 15. generaliter definit non poſſe clericos teſtari, neque inter vivos diſponere de bonis ex Eccleſia profectis, ſed ſolam Eccleſiam in hæc ſuccedere. Vide c. quia nos & c. relatum eſt auribus de teſtament. Horum ratio fundatur in deſtinatione quarumcúmque facultatum Eccleſiæ de quibus pervulgatum eſt dictum Urbani Papæ & martyris: *Ipſæ res fidelium quæ Domino offeruntur non poſſunt aliis quam Eccleſiæ & fidelium indigentium uſibus applicari: quia vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.* His Bernardus ſuffragatur ſerm. 23. in Cant. dicens: *Miniſtri Eccleſiæ qui ſtipendiorum ſuperflua quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè ſacrilegéque ſibi retinent, duplici profecto peccant iniquitate, quod & aliena diripiunt & ſacris in ſuis vanitatibus & turpidinibus abutuntur.* Idémque in 2. epiſt. ad Canonicum Lugdunenſem, *Quidquid præter neceſſarium victum & veſtitum de altari retines tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Idémque ſimilia iterat epiſt. 42. Advertant ergo clerici quam formidanda ſe aſtringant damnatione qui fructus Eccleſiæ ad proprium luxum conferunt, vel ad augendas agnatorum opes. Exquire ſuper his Antiochenum can. 34. cum ibi adjunctis.

Can. L. *Si Epiſcopus Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiſerint, aut chartam falſaverint, aut teſtimonium falſum dixerint ab officij honore depoſiti in monaſterium detrudantur: & ibi quamdiu vixerint laicam tantum communionem accipiant.* c. ſi Epiſcopus Presbyter diſt 50. Quid ſit laica communio vide ſuperius in propria diſſertatione.

Can. LI. *Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit niſi tantumdem de iuris proprij facultate ſuppleverit.* c. ſi Epiſcopus condito 12. q. 5. Huic conformatur Epaonenſis Concilij can. 17.

Can. LVII. *Vnum Abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere.* c. unum Abbatem 21. q. 1. habetur in Concilio Epaonenſi c. 9.

22. Can. LIX. *Clerici quilibet quæcúmque diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione poſſederint in jus proprium præſcriptione temporis*

Digitized by Google

*temporis non vocentur, dummodo pateat Eccleſiæ rem fuiſſe: ne videantur etiam Epiſcopi adminiſtrationes prolixas aut precatorias cum ordinati fuerint facere debuiſſe, aut diu retentas facultates in jus proprietatis ſuæ poſſe tranſcribere.*

Can. Clerici quilibet 16. q. 3. deſinente quinto & decurrente ſæculo ſexto frequens percrebuerat precariarum uſus. Hæ verò quædam erant ſive prædiorum, ſive mancipiorum, aliarúmve rerum Eccleſiæ præſtationes quas Epiſcopi quibuſdam Clericis vel laïcis indulgebant ſub onere obſequij non quidem in perpetuum, ſed ad longum tempus donec revocarentur, vel ab Epiſcopo qui conceſſerat, vel ab ejus ſucceſſore, fiebantque hujuſmodi præſtationes precariæ utplurimum ſub aliqua annua in Eccleſiam recognitione ac cenſu, reliquus verò uſusfructus receptatori precariæ affectus erat. Sæpenumero autem contingebat res Eccleſiæ hac ratione vel præſcribi, vel ad hæredes & ſucceſſores poſſeſſorum ſenſim tranſmitti ac in perpetuum alienari, etiamſi ab initio nonniſi precariò & ad aliquod tempus Eccleſiæ bona indulgerentur. Harum precariarum meminere præter Agathenſem iſtum canonem, Epaonenſis canon. 18. & Aurelianenſis Concilij primi can. 23. & in Bellovacenſi can. 5. & in Meldenſi can. 22. & in Rhemenſi c. 36. & 37. & in Concilio Maguntino ſub Arnulfo c. 20.

23. Can. LXIV. *Si quis in Clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, id eſt Nativitate, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte dum potius ſæcularibus lucris ſtudet quàm ſervitio Dei paret, convenit ut triennio à communione ſuſpendatur. Similiter Diaconus vel Presbyter ſi tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerint huic damnationi ſuccumbant.*

C. ſi quis in Clero 7. q. 1. Concilium generale Sardicenſe longè antea providerat. *Ne quis Epiſcopus ab Eccleſia ſua tres abſit continuas ſeptimanas extra gravem & urgentem neceſſitatem quæ longiorem abſentiam exigat,* can. 14. Quinimò ante Synodum Sardicenſem laïcis etiam prohibuerat ſub excommunicationis pœna Concilium Illiberritanum can. 21. per tres ſeptimanas citrà neceſſitatem abeſſe à conventu Eccleſiæ hoc eſt tribus dominicis.

Can. LXVI. *Quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in Secretarium quod Græci Διακονικὸν vocant ingredi, & contingere vaſa dominica.*

C. quoniam non oportet inſacratos diſt. 23. Eadem pridem ſtatuta fuerant can. 21. Laodicenæ Synodi.

Can. LXVII. *Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias dare, ſed potius accipere: ſi tamen futuros ſe eſſe profitentur Chriſtianos & Catholicos.*

C. non oportet 28. q. 1. Idemque Laodicenæ Synodi can. 31. ſtatuitur.

Can. LXVIII. *Quoniam non oportet miniſtros altaris aut clericos magos, & incantatores eſſe aut facere quæ dicunt phylacteria quæ ſunt magna obligamenta animarum, hos autem qui talibus utuntur projici ab Eccleſia juſſimus.*

C. non oportet miniſtros altaris 26. q. 5. hoc idem planè conſtituerat Laodicenæ Synodi can. 36.

Can. LXIX. *Seditionarios nunquam ordinandos Clericos, ſicut nec uſurarios, vel injuriarum ſuarum ultores.* C. ſeditionarios diſt. 46.

Can. LXX. *Clericum ſcurrilem & verbis turpibus joculatorem ab officio retrahendum.*

C. clericum ſcurrilem diſt. 46. hoc idem iiſdem verbis ſancitum fuerat Carthaginenſis Synodi quartæ can. 60.



Digitized by Google

# ECCLESIÆ SEXTI SÆCULI
## HISTORICA SYNOPSIS.

I. MAGNO religionis damno peſſimo Imperatori Zenoni ſucceſſit Anaſtaſius ſatagente Ariadna Zenonis vidua, quæ ſe illi cum dotali Imperio nuptu tradidit. Fuerat Ariadna Leonis Thracis qui poſt Marcianum imperaverat filia, cujus mater ac Zenonis ſocrus in fratrem Baſiliſcum, quam in generum propenſior cum fratre conſpiravit adverſus inviſum ſibi Zenonem, qui utriuſque fugiens inſidias in patriam ſuam Iſauriam profugit, quem ſequuta eſt uxor Ariadna conjugalem fidem blanditijs matris aulæque commodis, & delicijs præferens. Baſiliſcus poſtquam Imperium invaſit Eutychianæ hæreſi addictus deterrimos hæreticos Timotheum Ælurum in Alexandrinam ſedem, & Petrum Fullonem in Antiochenam unde dejecti erant reſtituit, Imperioque malè parto per tyrannidem abutitur, cumque omnia uxoris ſuæ Zenonidis Eutychianæ ductu, & conſilijs peragerer, jamque inviſus populis eſſet, ipſique Verinæ quæ ſe ab æmula Zenonide rerum adminiſtratione excludi animo iniquo ferebat, revocatur ab Iſauria Zeno, ipſe verò Baſiliſcus cum uxore Zenonide ab armato militum magiſtro Limnis Cappadociæ caſtello includitur, ibique fame cum Zenonide conjuge mori compulſus eſt. Zeno reſtitutus Imperio nihilo melior effectus eſt, corpore animoque fœdus, à ſacra Calchedonenſi Synodo alienus, crapulæ addictus per quam epilepſiam contraxerat qua ſæpè in humum allidebatur, in crudelitatem quoque proclivis, occiſóque integerrimo, & innocente viro Pelagio qui virtutum meritis ad Patriciatus dignitatem pervenerat, ideóque ob morum diſſimilitudinem exoſum habens metuenſque ne ille ſibi in Imperium ſuccederet, eo quòd ſibi ab hariolis prædictum fuerat ſucceſſorem habiturum ſe unum qui ex ſilentiariorum ordine fuiſſet, è quorum numero fuerat aliquando Pelagius, ea de cauſa illum teſtem ac vindicem innocentiæ Deum appellantem morte affecit: nec tamen quod metuebat evaſit, ſucceſſorem quippe ex eorum ordine habuit Anaſtaſium. Par olim contigerat eventus impio Imperatori Valenti Ariano, qui cum liberis carens de ſucceſſore ſollicitus quæſiſſet, reſponſoque deluſus Theodoſium egregium ducem interfici juſſiſſet in Africa, nihil tamen obſtitit quominus alter ſibi Theodoſius ſuccederet illius occiſi filius, ut refertur ab Hieronymo in Chronico, & ab Oroſio lib. 7. cap. 33. Dei providentiâ ſic nonnunquam eos eludente qui curioſis & nefarijs artibus de futuris ſciſcitantur. Quale etiam poſtmodum alteri Græcorum Imperatori Andronico Comneno contigit, qui quum de futuro ſibi ſucceſſore per hydromantiam inquiſiviſſet, reſponſumque eſſet fore Iſaacium, qui tamen de Imperio non moliebatur quidquam ſed ne cogitabat quidem, dum vult improviſum de medio tollere, illeque fugâ evadens populi opem imploravit: plebs quotidiana Andronici tyrannide efferata in Andronicum manus injecit, & in ipſum crudeliſſimè ſæviens, Iſaacium nihil tale ſperantem ad ſolium imperiale provexit. Ille porro Andronicus non legitima ſucceſſione neque electione, ſed prædatoria invaſione legitimique, atque innocentis Imperatoris Alexij parricidio Imperium occuparat.

2. Ut verò ad præſens ſæculum noſtra regrediatur hiſtoria. Anno 491. quo ad Imperium acceſſit Anaſtaſius, ejus promotionem Conſtantinopolitanus Patriarcha Euphemius diſtulit approbare, donec fidei profeſſionem chirographo proprio teſtatam cum Synodi Calchedonenſis approbatione edidiſſet, eo quod Zenonis henoticum ſuſcepiſſet, dogmatiſque Eutychiani fautor haberetur, cui Patriarchæ poſtulationi Anaſtaſius proprio ſcripto per diſſimulationem illico ſatisfecit. Cujus ſcriptum in Archivis Eccleſiæ repoſuit Euphemius, ut foret deinceps illius fidei pignus & convictio. Alia quoque boni regiminis initio regni ſpecimina exhibuit ablato chryſargyri immaniſſimo vectigali in capita ſingulorum hominum jumentorúmque & canum impoſito. Sed optati compos factus Imperij, obfirmataque dominatione ſe infenſum avitæ religionis hoſtem & populorum oppreſſorem exhibuit.

3. Univerſæ Italiæ Theodoritus Oſtrogotthus trucidato Odoacro aſſumpto Regis titulo dominabatur. Hic vicinorum Principum affinitates expetijt. Clodovæi enim Francorum

Francorum Regis ſororem Audefledam matrimonio duxit, & filiarum quas ex concubina ſuſceperat alteram Alarico Viſigotthorum Regi, alteram Sigiſmundo Burgundionum Regi collocavit. Merovæi filius Chilpericus è Thuringia regreſſus, quò illum Francorum rebellio ipſius flagitijs, ſtupris, & raptibus virginum, matronarúmque à quibus nulla ſe tueri poterat pudicitiâ adverſus eum rebellantium fugere compulerat, proprijs edoctus calamitatibus, & ad meliorem frugem redactus, ſatagente fidiſſimo amico & conſiliario Vinomando, qui & regem ſapientiſſimis monitis ad officium, & populum meliori ſpe ad obedientiam & ſubjectionem reduxit, & quod de Themiſtocle Græcorum teſtantur hiſtoriæ, adoleſcentiæ libidinoſæ vitia magnis virtutibus emẽdavit, Saxones & Britannos varijs conflictibus repreſſit, Aureliam, Andegavos, aliaque munitiſſima hoſtium loca, & arces Francico regno adjecit. Patris Chilperici filius Clodovæus regnum excepit à quo regnum Francicum longè latéque auctum fuit victo, & occiſo Syagrio Ægydij Comitis Romani filio cujus regiam ſedem Sueſſionas aliaque oppida ſibi adjecit anno 486. Thuringos etiam perdomuit anno 491. eorumque ſibi ditionem aſſeruit.

4. Alemanni (gens erat in ſuperiore Germania Mœnum inter Rhenumque & Danubium habitans) Coloniam Agrippinam bello adoriuntur, in qua regnabat Sigebertus Francus, huic opitulaturus Principi & affini, & vicino, quo ſemel deturbato Alemanni victores impetum belli cis Rhenum adverſus reliquam Franciæ partem cui regnabat Clodovæus eſſent illaturi, Clodovæus ingentem peditum & equitum, vim adducit, ſibique reſervans equitatum, peditibus Sigebertum præficit. Alemanni trajecto Rheno apud Tolbiacum qui vicus eſt inter Coloniam in Ubijs & Treverim ſitus caſtrametantur. His occurrentibus Francis atrox inter fortiſſimas gentes pugna conſeritur, diuque anceps pendet victoria, donec Sigebertus crure ſaucius quo & poſtea claudicavit à proprio filio pugnæ ereptus peditatus pedem retulit, & urgente Alemannorum vi turbatis ordinibus in fugam eſt effuſus. Tunc verò hoſtilis impetus in equitatum Francicum totus incubuit. Clodovæus interim Ducis ac militis obire munera, ſuos adhortari, premere voce, exemploque præire cepit, ſed irrito conatu cunctis ad fugã vergentibus. Tum Rex qui ante aciem vota Iovi nuncupaverat, nec tamen Statorem ut olim Romulus experiebatur in extremas redactus anguſtias Dei opem reclamat quem uxor Clotildis colebat: Chriſte inquit potentiſſime Deus polliceor me ſacra tua cum populo meo ſuſcepturum ſi tuo beneficio victoriam de hoſtibus reportavero. His dictis novus pugnandi ardor Francorum animis inceſſit, tuncque in hoſtem novo impetu proruunt. Alemanni inexpectatò mutatis viribus animis concidunt, proprioque Rege in illo conflictu cum optimatibus interempto, perrumpentibus ordines Francis fugam capeſſunt, magnaque ſtrage funduntur. Clodovæus ſtrenuè victoriam proſequutus eſt tranſmiſſoque Rheno, gentem Rege & fortiſſimis bellatoribus denudatam armis perdomuit ſubjecitque tributo.

5. Clotildis interim ubi Pariſijs optatiſſimum nuncium accepit victoriæ geminæ de gentibus victis, & de victore ipſo reportatæ triumphatori Deo publicis gratijs habitis, celeriter Rhemos Durocottorum advolat, ſanctumque Antiſtitem Remigium orat, ut quam primùm ſe ad regem conferant. Maximi quippe momenti eſſe ſi recentem à beneficio animum occupant, moramque omnem dæmoni abrumpant. Igitur gratulabundi obviam Regi accedunt quem jam Sanctus Abbas & Preſbyter Vedaſtus primis Chriſtianæ religionis rudimentis imbuerat, quemque Rex poſtmodum ad infulas Eccleſiæ Atrebatenſium evexit. Rex ipſe à Præſule Remigio apud Rhemos ſacro fonte ablutus eſt anno Chriſti 496. ipſo die natali Chriſti; ut ex Aviti conſtat epiſtola quâ illi de ſuſcepta fide gratulatur. Addunt ad hanc hiſtoriam Hincmarus, & eum ſequuti Flodoardus & Aimoinus cum multitudine hominum infinita omnis ad fontem ſacrum intercluderetur aditus, ideoque ſacrum chriſma tardius è ſacrario proferretur, ad beati Antiſtitis preces columbam cœlitus advolaſſe quæ ampullam alteram roſtro ad manus ejus attulerit è qua Remigius Clodovæum inunxit, reliquique Franciæ Reges ad ætatem uſque noſtram conſecrantur, cujus rei nulla apud Gregorium mentio. Singularem gratiam iſtam Clodovæo ſoli Chriſtus indulſit, ut unus tunc eſſet in univerſa terra Catholicus Princeps. Etenim Anaſtaſius Imperator Eutychiana hæreſi fœdabatur, Theodoricus verò Rex Italiæ, Rex etiam Viſigotthorum Alaricus qui Hiſpaniæ & parti Galliæ dominabatur, Rex quoque Burgundionum, Rexque Vandalorum in Africa impietatem ſimul Arianam ſectabantur: reliquarum verò gentium Principes idolorum cultui addicti erant.

6. Mox ab Alemannico bello ſucceſſit Burgundicum. Burgundionibus eo tempore regnabat Gundebaldus Princeps perfidus & fratricida

fratricida. Adverſus hunc movit Clodovæus ut ſoceri ſui Chilperici necem ulciſceretur. Gundericus ejus gentis Rex ab Athanarico Gottorum Principe trahens originem, quatuor ſibi ſuperſtites liberos reliquerat primogenitum Gundebaldum, Godegiſilum, Chilpericum qui Clotildis pater fuit, & Godomarum. Gundebaldus ut ſolus regno potiretur Chilpericum ejuſque conjugem trucidaverat, prætereaque fratrem natu minimum Godomarum: Clotildim verò ejus abſentia (quippe quæ ab educatrice è gladijs ſicariorum clam ſubducta fuerat tenera adhuc puella) ſervaverat, patruus verò Gundebaldus aliquantulum mitigatus eam deinceps ſub ſui cuſtodia educari voluerat, nihil ſibi à puella cujus indolem gratam habebat reformidans. Qui ex fratribus ſuperſtes erat Godegiſilus fratrum peremptorum exemplo territus, quamvis metum quantâ poterat ſolertiâ diſſimularet ſibi necem in dies imminere à truculento fratre formidabat. Clodovæus igitur precibus occultis ſollicitatus Godegiſili & à Clotildi perdiu inſtigatus Gundebaldum bello adoritur, & ad Divionem caſtrum acie victum parte regni contentum eſſe jubet, alteram Godegiſilo tradit: & utrique vectigal imponit. Cæterum digreſſo Clodovæo Godegiſilum nec opinatò circumſeſſum Viennæ capta urbe Gundebaldus interficit: Tum excuſſo Francorum jugo tractum illum recuperavit omnem qui Burgundiæ nomine cenſetur anno 501.

7. Suffectus in Gelaſij ſedem Pontifex Anaſtaſius, nihil antiquius habuit quam Legationem ad Imperatorem Anaſtaſium mittere de Acacij nomine abolendo, quod fuerat à præceſſoribus Felice ſecundo & Gelaſio fruſtra tentatum: neve ea ex re difficultatis obex naſceretur, ſuâ declarat epiſtolâ ordinationes, baptiſmata cæteraque Sacramenta quæ Acacius poſt ſuam condemnationem contulerit rata permanere, neque in hujuſmodi quidquam eſſe mutandum. Hac perfuncti ſunt Legatione inſignis meriti viri Germanus Capuæ & Creſconius Tuderti Epiſcopi. Legatos liberaliter excepit Anaſtaſius Auguſtus, neque abnuit rem perficere quæ à ſe petebatur, dummodo Romanus Epiſcopus Zenonis henotico ſubſcriberet. Qua occaſione novum exorſum eſt ſchiſma apud ipſos Romanos. Interim vitâ excedit Anaſtaſius ſecundo ſui Pontificatus anno, qui fuit Chriſti 498. Reverſus Romam Feſtus Romanus Patricius, qui cum Anaſtaſij Papæ duobus Legatis ad Imperatorem profectus in ſe receperat, & Principi conditionem poſcenti pollicitus fuerat ſe Romano Pontifici ſuaſurum pro Eccleſiæ pace hanc henotici ſubſcriptionem, & fore viciſſim ut Principis & univerſorum conſenſu Acacij memoria prorſus aboleretur: nihil intentatum reliquit Feſtus, ut is Pontifex eligeretur qui his conditionibus præberet aſſenſum. Quia verò id ſperabat à Laurentio ut ſcribit Theodorus Lector, omni ſtudio multiſque pecuniarum largitionibus elaboravit ut hic eligeretur. Quartò igitur ab obitu Anaſtaſij die pars cleri convenit ad Conſtantinianam Baſilicam & Symmachũ natione Sardum elegit: eodemque die pars altera in Baſilica Sanctæ Mariæ Laurentium Papam creavit, tanta utrinque animorum contentione, ut diviſis in utramque factionem non modò Clericis, ſed etiam Romano Senatu magnæ in urbe cædes & rapinæ perpetratæ ſint. Ad hæc ſedanda certamina & ſiſtendam humani cruoris effuſionem, convenit inter geminas factiones ut miſſis hinc inde Ravennam oratoribus judicium Theodorici Regis expectaretur, & interim omnia quieta eſſent. Auditis partibus Rex ſupremum Pontificatum illi adjudicavit quem conſtaret priorem electum fuiſſe: ſi verò id minimè conſtaret, ei certè quem major pars elegiſſet. Interquieſcente populo coacta eſt anno ſequenti Romæ in Baſilica Sancti Petri Epiſcoporum ſeptuaginta duorum Synodus agente & præſidente Symmacho cujus præceſſerat electio, eique confirmata Pontificia dignitas fuit, cui primus inter Preſbyteros ſubſcripſit poſt Epiſcopos ipſe Laurentius qui fuerat in ſchiſmate contra Symmachum creatus, factuſque eſt in hac ipſa Synodo Epiſcopus Nucerinus, ut teſtatur Pontificum liber.

8. Verumtamen anno inſequente ſchiſma recruduit agentibus Senatoribus Feſto & Probino cum aliquibus de clero zelo ductis, qui Symmachum gravium quorumdam criminum apud Theodoricum inſimulãrũt, & Laurentium occultè ad Romanam ſedem revocaverunt. Theodoricus ad horum petitionem viſitatorem ad hoc delegavit Petrum Eccleſiæ Altinæ Antiſtitem, eoque res proceſſit ut ablata ſit Symmacho rerum ac opum Eccleſiæ adminiſtratio ut in ſuo apologetico expoſtulat Ennodius. Ut verò cauſa iſta pacificè ac citra tumultum expediretur, neceſſe fuit Romam adventare Theodoricum, cujus præſentia, & poteſtate ſimultates partium in apertam alioqui hoſtilitatem erupturæ coërcerentur. Nec tamen etiam præſens impedire valuit multas Sacerdotum & aliorum cædes, monialium in apertum productarum horribiles contumelias, aliaſque ſeditioſorum inſolentias, adeout

dum

Digitized by Google

dum Symmachus ipſe ad baſilicam Sancti Petri ubi Synodus agebatur accederet, multi qui comitabantur ipſum Sacerdotes à furentibus occiſi ſint, ipſeque Pontifex inter ſaxorum imbres vix fugiens evaſerit. Hujus diuturnæ ſæpiuſque interruptæ Synodi diverſæ fuerunt pluribus in locis ſeſſiones, aliquando in baſilica Julij, aliàs in baſilica ſeſſoriana ſanctæ Crucis, aliàs in ſancti Petri. Initiò coram Theodorico Rege proteſtati ſunt Epiſcopi non eſſe regiæ poteſtatis Synodum convocare. At rex ſcriptum exhibuit ipſius Symmachi hanc ſibi poteſtatem permittentis in re præſenti atque diſpenſantis ſecum. Synodi Patres inſtiterunt Romanum Pontificem non niſi à Deo poſſe judicari. Symmachus præſens reſpondit ſe hac in re proprio jure ſponte abdicare ſeque ultro Synodali judicio ſubmittere, ejuſque cognitioni cauſam iſtam delegare. Omnibus demum maturè diſcuſſis vindicata eſt Synodi decreto Symmachi Papæ innocentia, ſuaque ei ſedes ac dignitas aſſerta impoſitúmque calumniatoribus ſilentium. Eadem in Synodo pertinaciſſimus hæreticorum fautor, & orthodoxorum implacabilis perſecutor Imperator Anaſtaſius communione fidelium ſummotus eſt Chriſti anno 503. Ennodij Diaconi poſteaque Ticinenſis Epiſcopi ſcriptum pro hac ipſa Synodo apologeticum eadem ipſa legit & approbavit. Adverſus excandeſcentem ob excommunicationem Anaſtaſium Symmachus quoque apologeticum egregium conſcripſit.

9. In Africa novæ perſecutionis turbo Eccleſiam perculit Traſamundus Vandalorum Rex cum ſe primis regni ſui annis mitem Catholicis exhibuiſſet, poſtmodum in deteriora mutatus anno 505. edixit ne defuncto Catholicæ religionis Epiſcopo alius quiſpiam ſubrogaretur, ſperans Eccleſias orthodoxorum Epiſcoporum orbitate brevi deſolatum iri. Ad id antevertendum exitium Victoris Bizacenæ Provinciæ Primatis diligentiâ omnes illius Provinciæ Præſules communi conſenſu conſtituerunt ſufficiendos eſſe quotieſcumque Eccleſiæ vacarent novos Epiſcopos. Interea viduatæ Eccleſiæ Ruſpenſi Fulgentius eligitur & conſecratur Epiſcopus ex Monaſterio in quo ſanctiſſimè vixerat eductus. Quam rem ut reſcivit Traſamundus Fulgentium unà cum alijs Bizacenæ Provinciæ Epiſcopis pluſquam ſexaginta Sardiniam in exilium deportari juſſit. Præter quos eamdem in inſulam relegati alij Africanarum cæterarum Provinciarum Antiſtites fuere, qui cum præcedentibus numerum ducentorum vigintiquinque Epiſcoporum complevere, ut ſcribit Paulus Diaconus hiſtoriæ Miſcellæ lib. 15. In his erat Hipponenſis Numidiæ Provinciæ Epiſcopus, qui ſecum in Sardiniam venerandum corpus attulit Eccleſiæ Catholicæ præcipui magiſtri Aurelij Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi: quo ex loco poſtea Ticinum à Luitprando Longobardorum Rege honorificè tranſlatum eſt. Effulſit tunc paterna Symmachi Romani Pontificis pietas qui exulibus Chriſti confeſſoribus extrema laborantibus egeſtate, quæ victui neceſſaria erant largiter ſuppeditavit, ut fidem facit in ejus vita Romanorum Pontificum liber. Traſamundus cum accepiſſet Fulgentium inter exules præcipua doctrinæ laude celebrari, eum Carthaginem accerſivit, ſperans fore ut eo ſuperato Catholica fides in Africanis Provincijs concideret. Sed contrà accidit, in omnibus namque diſputationibus tum ſcripto, tum viva voce agitatis de hæreſiglorioſè triumphavit, multos vacillantes firmavit, & pleroſque lapſos ad priſtinam fidem feliciſſimè reduxit. Quapropter Traſamundus ſpe ſua deceptus illum in Sardiniam remiſit. Cumque è portu Carthaginis ſolveret, amico lugenti prædixit ſe aliquando firmata Africanarum Eccleſiarum pace cum reliquis Epiſcopis fore reducem. Id verò poſt annos viginti felici eventu adimpletum eſt anno Chr. 522. quo qui Traſimundo ſucceſſit Hildericus exules Epiſcopos in priſtinas revocavit Eccleſias, & in his admirabilem Fulgentium, omnibuſque regni ſui Catholicis plenam exercendæ ſuæ religionis libertatem indulſit.

10. Anno à Chriſto 507. Clodovæus ſtudio incenſus propagandæ Catholicæ religionis, ſimulque Francicæ dominationis bellum adverſus Alaricum Viſigotthorum Regem movet, qui tunc temporis Gallicanis Provincijs quæ à fluvio Ligeri aduſque Pyrenæos montes protenduntur dominabatur. In Pictonibus amnis Vigenna qui vulgò *la Vienne* dicitur, ſic imbribus continuis intumuerat, ut Francis diu præſtolandum fuiſſet, donec defluentibus aquis amnis eſſet vadoſus ac permeabilis, ſed divinis fauſtiſque auſpicijs cerva ex vicinis virgultis proſiliens amnem, Francis videntibus, tranſivit ea parte quâ ſolâ vadoſus erat, eâdémque ſequaces illius ductum Franci ad oppoſitam ripam incolumes trajecerunt. Ulterius promotus Clodovæus Pictavorum urbem occupat. Deinde Alarici exercitum in campis Volcadenſibus Vovillé vulgò dictis, decimo à Pictavio milliari aſſequitur. Atrox ibi prælium conſeritur. Clodovæus perruptis hoſtium cuneis ipſum Regem Alaricum cominùs adoritur, ſuaque manu interimit.

Amiſſo Rege in fugam effunduntur Viſigotthi quorum horribilem ſtragem inſequentes à tergo Franci ediderunt. Tanta inſignis victoria & opimis reportatis ſpolijs Clodovæus exercitum dividit, cujus partem filio notho Theodorico tradit qui Provincias ſuperiores Aquitaniæ Rutenos, Cadurcos, alioſque regionis populos in deditionem recepit. Rex ipſe cum alia copiarum parte permulta oppida ipſamque Burdegalam occupat. Redactâ univerſa Aquitaniâ ſupererat Inculiſma quam ſedulo munitam incluſi hoſtes ſtrenuè propugnare ſtatuerant, ſed paranti obſidionem Regi ſponte corruentes muri facilem ad illam aditum dederunt. Inde victoriam proſequutus quidquid propemodum illius regni amnibus Ligeri & Rodano ſuo adjecit regno una cum Toloſa & Tectoſagum oppidis. Narbona tamen cum Volcis & Arecomicis in fide ſtetit Amalarici qui Alarico patri ſucceſſit. Theodoricus Oſtrogotthus Italiæ Rex quaſi patrocinium aſſumens Amalarici ex filia nepotis ne Provinciam quæ Rhodano & Varo fluminibus includitur Clodovæus occuparet, Arelatem valido Gotthorum præſidio, & commeatu munivit, adeout Franci ab urbis obſidione repulſi fuerint, cujus tunc Cæſarius erat Epiſcopus ſanctitate celeberrimus, ut in hujus vita perhibet Cyprianus. Theodoricus verò Italiæ rex tutorio nomine Hiſpanias, & Narbonenſes Provincias trans & cis Rodanum depulſo Giſelico Alarici ex concubina filio per ſuos præfectos adminiſtravit ab Oceano aduſque maritimas Alpes. Porro Anaſtaſius Imperator rerum à Clodovæo feliciter geſtarum famâ commotus ejus amicitiam expetivit, perque honorificam Legationem eidem eſt gratulatus, & miſſo ad eum paludamento regioque diademate, jura conſulatus patriciamque dignitatem eidem contulit. At ille miſſum ad ſe diadema gratias Deo rependens; eique uni victorias acceptas referens ad altare Principis Apoſtolorum dedicari voluit & offerri, ut pignus & monumētum Catholicæ quam ſolus Principum complectebatur fidei.

11. Hoc eodem ſæculo Catholica fides alterum ſumpſit incrementum, Burgundionum ex Ariana perfidia converſione. Avitus Viennæ Allobrogum Epiſcopus quod fruſtra tentaverat in Gundebaldo Burgundionum Rege, id tandem obtinuit in illius filio regnique ſucceſſore Sigiſmundo, quem ejurato Arianiſmo in ovile Chriſti traduxit, fuitque illi autor Synodum Epamenſem convocandi anno 517. ad reſarciendam collapſam Eccleſiæ Sanctæ fidem & diſciplinam: quemadmodum antea Clodovæo ad fidem converſo eadem ex cauſa Remigius Remenſium Epiſcopus Concilij Aurelianenſis perſuaſerat indictionem. Iſto pariter ſæculo in Oriente Alamundarus Saracenorum Rex bello ſtrenuus poſt depopulatas Arabum, & Paleſtinæ regiones Chriſto nomen dedit abjecto idolorum cultu anno Chr. 513. Et licet Eutychiani quos Anaſtaſius Imperator omni ſtudio fovebat Catholicam fidem toto Oriente inſectarentur, & Severus Pſeudo-Epiſcopus Antiochenus ſectarios Epiſcopos ad hunc Principem delegaſſet, ſuaſuros ne alibi quam apud Eutychianos baptiſari vellet, iſte ut eos ſimul eluderet, & convinceret fabulam excogitavit dicens rem novam ſcriptis ad ſe literis didiciſſe, ſcilicet mortuum eſſe Archangelum Michaëlem. Illi de bellatoris viri in rebus Theologicis imperitia, & credulitate vix riſum cohibentes negarunt fieri poſſe ut Angelica natura mortem obiret, quibus ille regeſſit: quomodo ſi duas naturas Chriſtus non habet crucem & mortem Deus pertulit, cum ne Angeli quidem quos ex nihilo Deus creavit quidquam pati aut mori poſſint? Itaque perſtitit inconcuſſus Alamundarus in ſuſcipienda cum baptiſmo Catholica fide ab orthodoxo Epiſcopo, ut ſcribit Theodorus Lector collect. lib. 2. Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico, Paulus Diaconus & alij, ejuſque baptiſmus contigit anno 513. Denique ſub hujus ſæculi, ut paulò poſt videbimus, exitum Viſigotthorum gens ſub Recaredo Hiſpaniarum Rege amplexa eſt Catholicam fidem. Clodovæus verò Lutetiæ Pariſiorum humanitatis debitum exſolvit anno Chriſti deſinente 511. ætatis 45. ejus regnum ex æquo inter ſe diviſerunt quatuor ejus ſuperſtites liberi. Qui natu major erat Theodoricus etſi ex concubina ſuſceptus regni ſui ſedem apud Metas habuit. Reliqui tres legitimi quos Clotildis peperit Clodomirus quidem apud Aurelianos; Clotarius in Sueſſionibus, Childebertus Pariſijs regni ſedem habuit.

12. Eccleſiam interea Imperator Anaſtaſius quacunque protendebatur illius dominatio miſerabilem in modum dilacerabat. Impunè licitum erat ſub ejus imperio quamcumque hæreſim profiteri Manichæorum, Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, aliamve quamlibet, ſola Catholica fides profitentibus damno erat; non enim tolerabat quemquam Calchedonenſi decreto adhærere. Leges admodum ſeveras adverſus hæreticos promulgavit, ſed hoc nomine ſoli comprehendebantur quicunque Eutychetis & Dioſcori dogma reprobabant; ſoli itaque orthodoxi ſub ementito hæreticorum nomine

Digitized by Google

nomine carceribus, exilijs, omnium dignitatum abdicatione, bonorumque ſpoliatione plectebantur. In his Euphemium Conſtantinopolis Patriarcham conſtantiâ orthodoxæ fidei inſignem, eo tamen nomine vituperandum quod communionem Apoſtolicæ ſedis abrumpere prælegiſſet quam Acacij perfidi nomen de tabulis Eccleſiaſticis delere, Anaſtaſius Patriarchali ſolio dejecit perpetuoque damnavit exilio.

13. Anaſtaſius hæreſi ſuæ amplificandæ intentus, & iniquo ferens animo à populo regiæ urbis Catholicam fidem ſervari illibatam Xenaiam plurimis contaminatum impietatibus inſigniſque temeritatis, & audaciæ hominem Conſtantinopolim induxit anno 506. Erat iſte genere Perſa, fueratque ſervilis conditionis, quem Eutychianæ hæreſi addictiſſimus Petrus Cnaphæus Antiochenæ ſedis invaſor Hierapolitanum ordinaverat Epiſcopum. Xenaias iſte ab alijs Philoxenus dictus principem ſe Manichæorum ſectæ profitebatur. Eutychetis hæreſim ut impijs à quibus omnia ſperabat gratificaretur, omni cura & ſtudio promovebat: Primuſque adverſus ſacras imagines invehi cœpit, & futuris iconomachis præluſit. Idem Anaſtaſius anno 509. Severum ex Acephalorum ſecta ducentis monachis comitatum regiam in civitatem advenientem honorificè complexus eſt. Hic nefarius hæreticus Anaſtaſij gratiâ fretus anno 513. dejecto ob fidei conſtantiam Flauiano Antiocheno Epiſcopo, ſe illius in locum per vim apertam intruſit, & Orientales omnes ad Synodi Calchedonenſis damnationem omni modo pertrahere ſtuduit, ſibique obſiſtentes quoſcunque Antiſtites ſedibus ſuis pepulit, in quibus conſtantiſſimum ſacræ fidei aſſertorem Eliam Hieroſolymitanum Patriarcham. Macedonius verò regiæ civitatis Patriarcha ob ſimilem Calchedonenſis fidei conſtantiam Anaſtaſio exoſus, & inviſus exautoratus eſt anno 511. Hic tamen ejuſque præceſſor Euphemius communionem Apoſtolicæ ſedis minimè obtinuerunt, ob contumaciam in retinenda perfidi Acacij memoria, tametſi eſſent in reliquis religioſi atque orthodoxi.

14. Quod de Pharaone ſacra commemorat hiſtoria ingruentibus caſtigationibus divinitùs immiſſis à perſequendis Iſraëlitis tantiſper deſtitiſſe, ſed illis ceſſantibus pœnis ad priſtinam redijſſe immanitatem donec horrendo interitu perijt. Hoc idem Anaſtaſio contigit. Oppreſſus Conſtantinopolitanus populus ab ipſo propter Catholicam profeſſionem, in apertam rebellionem prorupit, ſed populum ipſe depoſitis Imperij inſignibus & fallacibus promiſſis ludificatum placavit, atque commiſerationem flexit, & ſic inſignia depoſita reſumpſit. Vitalianus etiam Scytha propria incenſus ambitione, per ſpeciem Catholicæ tuendæ religionis ab Anaſtaſio defecit, Cyrillum Thraciæ præfectum interemit, Provincias Thraciæ, Scythiæ & Myſiæ cum arcibus occupavit, ipſamque Conſtantinopolim obſidione cinxit. In his anguſtijs Anaſtaſius palam profeſſus eſt Calchedonenſis Concilij, & epiſtolæ Leonis fidem inviolatè ſervaturum, exules Catholicos in ſedes priſtinas poſtliminio revocaturum, literas ad Hormiſdam Pontificem de redintegranda Orientalium Eccleſiarum cum Romana, ad ipſius novæque Synodi ſi ſic videretur arbitrium, concordiâ, ſcripſit, ſigilloque munivit. Sed diſſipatis Vitalianis copijs hoc reſipiſcentiæ prætextu, perfidus Princeps larvam ſimulationis depoſuit, ſedatóque largitionibus populo alijſque artibus & muneribus, ijs quorum altior erat poteſtas mitigatis, Hormiſdæ Legatos adventantes Græciæ acceſſu prohibuit. Rebus ita confirmatis recruduit impia perſecutio, & vix credibile eſt quantis piorum hominum cædibus Eutychianorum & Hæſitantium Acephalorum ſectæ graſſatæ illis temporibus fuerint, Anaſtaſio non ſolum connivente ſed etiam incitante. Euſque ut Anaſtaſio dilectiſſimus Severus Antiochenæ invaſor Eccleſiæ ſimulac reſcivit quæ contra Legatos Hormiſdæ geſſerat Anaſtaſius, collectam ſceleratorum manum ad diſperdendos quoſcunque orthodoxos immiſerit, qui præter innumeras alias fidelium cædes, direptiones, & incendia trecentos quinquaginta monachos, quorum multi ad altaria confugerant, non alia ex cauſa quam odij adverſus Catholicam fidem concepti, trucidarunt. Legati autem qui horum facinorum querelam ad Anaſtaſium detulerunt, injurioſè excepti & cum contumelijs rejecti ſunt à ſceleratiſſimo Imperatore, quem demùm anno ſequente qui fuit Chriſti 518. divina ultio fulmine de cœlo ictum de medio ſuſtulit.

15. Poſt horrendas Dei Eccleſiæ offuſas per ſacrilegum & immaniſſimum perſecutorem tenebras dies ſerenus illuxit, quo pijſſimus & amantiſſimus Eccleſiæ Princeps Juſtinus ad thronum Imperij evectus eſt. Hic ex abjectiſſima ſorte per virtutum & honorum gradus ad id faſtigium aſcendit, ex bubulco miles gregarius, inde militiæ dux, cohortis præfectus, tribunus militum, prætorianorum præfectus, & ad poſtremum Imperator evaſit. Hujus Imperij exordio Pontifex Hormiſda quæ tanto ſtudio ſed

hactenus

hactenus inani expetiverat conſequutus eſt. Miſſis enim Conſtantinopolim Legatis hæc à religioſiſſimo Principe impetravit. Primum ut ſectæ omnes à recto Eccleſiæ Romanæ tramite deviæ Imperiali edicto proſcriberentur. Tum quoque ut Acacij, Euphemij & Macedonij Conſtantinopolis Antiſtitum, necnon impiorum Imperatorum Zenonis & Anaſtaſij memoria damnaretur, eorumque nomina de tabulis omnium Orientis Eccleſiarum eraderentur. Hac ratione diſſidium ceſſavit Eccleſiarum Orientis cum Romana Eccleſia quod annos triginta ſex perduraverat, ex quo Felix Papa tertius anathemate juſto Acacium perculerat. Hæreticos Juſtinus inſectando, Arianum Regem Theodoricum adeo commovit, ut minaretur ſe æqualia facturum Italiæ in qua regnabat Catholicis, eorumque Eccleſias & opes Arianis ſe attributurum, niſi Juſtinus quaſcunque his abſtulerat Eccleſias quamprimum reſtitueret, miſitque ad hanc Legationem Joannem Papam qui mortuo Hormiſdæ ſucceſſor fuerat ordinatus, ut iſta Juſtino Auguſto denunciaret. Paulus quidem Diaconus in miſcella hiſtoria refert Juſtinum Joannis precibus adductum Eccleſias Arianis ereptas reſtituiſſe, & ab his vexandis deſtitiſſe. Sed Joannes tamen epiſt. 2. ſcripta ad omnes Italiæ Epiſcopos contrarium prorſus de ſe teſtatur, nimirùm ſe tempore Legationis quaſcunque reperire potuerat Eccleſias Arianis ereptas conſecraſſe Catholicis à Juſtino vindicatas. Reique eventus id magis ſuadet: regreſſum enim ex illa Legatione Joannem quaſi Legationis injunctæ prævaricatorem Theodoricus Ravennæ in vincula conjecit, ibiq; inediâ, & ſquallore mori coëgit anno 526. Quo eodem Symmachum Senatorem ejuſque generum Boëtium illuſtriſſimos ſæculi hujus viros gladio necavit. Idemque ipſe Theodoricus paucis poſt diebus moriens ad tremendum Dei judicium evocatus eſt, relicta filia Amalaſuntha præſtantis virtutis fœmina, & ex illa nepote Athalarico regni ſucceſſore qui anno ætatis decimo-ſexto extinctus eſt. Amalaſuntha quæ regnum ut tutelam filij ſui gerens ſapienter adminiſtraverat Gotthos verita regnum in Theodatum tranſtulit Amalaphidæ ſororis Theodorici filium, quò præter meritum evectus homo iners, & flagitioſus bene de ſe meritam fœminam trans Vulſinum lacum relegatam & carcere incluſam perfidiosè necari juſſit anno 534.

16. Exacto Imperij novennio Juſtinus diem obit extremum, eique ſuccedit ex ſorore nepos Juſtinianus inconſtans, varijſque moribus Princeps qui multis edictis Catholicæ religioni conſultum eſſe voluit, ſed idem tranſiliens juſtæ poteſtatis limites immodicam ſibi autoritatem arrogavit, perniciemque gravem & ſchiſma in Eccleſiam invexit, in Summum Pontificem impius & crudelis, avunculo Juſtino longè diſſimilis, & Anaſtaſio impio moribus & ſtudijs conformior, cujus imitatione Synodum Calchedonenſem impugnavit, ipſeque tandem cum impia uxore Theodora Eutychis & Severianorum hæreſibus ſe irretivit, quas ſub Agapeto Pontifice repugnante uxore fuerat inſectatus: ut de ipſo prædicari poſſit cum initio fuiſſet Juſtini pietatis imitator, degeneraſſe poſtmodum in Zenonis & Anaſtaſij pernicioſam imitationem. Hic ergo repugnante admodum & diſſuadente Romano Pontifice Viglio, ſed hortatoribus hæreticis auſcultans Concilium quintum œcumenicum Conſtantinopoli coëgit, non ſolum Eccleſiæ inutile, ſed etiam pernicioſum ut effectus comprobavit, ſibique renitentem Vigilium Pontificem in vincula conjecit, eundemque ne quid deterius occaſione ſuæ reſiſtentiæ Juſtinianus moliretur, approbare Concilium compulit diſſidia renovando quæ jampridem autorum pœnitentia aboleverat, & Calchedonenſium Patrum prudentia conſopiverat. Hic igitur ad odium & vituperium ſacroſanctæ Synodi autoritate ſanctiſſimi Pontificis Leonis, & religioſiſſimi ac ſapientiſſimi Marciani Auguſti celebratæ, ut nova & inutilis Synodus præcedentem & ſaluberrimam infirmaret, aut ſi fieri poſſet aboleret trium capitulorum diſputatio dudum extincta reſumpta eſt, ſcilicet de Ibæ Edeſſeni epiſtola ad Marim Perſam, de Theodori Mopſueſtiæ Epiſcopi ſcriptis, & de Theodoriti Cyri Epiſcopi anathematiſmis impugnantibus anathematiſmos quos Cyrillus Alexandrinus adverſus Neſtorianos procuderat. Continebantur quidem in hiſce capitulis errores cenſurâ digni, ſed jampridem ſatis per auctorum reſipiſcentiam expurgati, quos reſipiſcentes & priſtinos damnantes errores Synodus Calchedonenſis reconciliaverat, & in ſuum conſeſſum admiſerat, ſcilicet Ibam Theodori Mopſueſtienſis in ſua illa epiſtola cum exceſſu laudatorem, & Theodoritum jam Cyrillo conſentientem ſuique ſcripti pœnitentem: quorum uterque multum conferre poterat ad hæreſim Eutychetis profligandam. Veruntamen Eutychianæ hæreſis apertus fautor, & aſſertor Theodorus Cæſareæ Cappadocum Antiſtes novæ & quintæ Synodi indicendæ autor & ſuaſor erat odio incitatus Synodi Calchedonenſis quæ Euty-

chium

Digitized by Google

chium cujus ipſe ſectator erat, damnaverat.

17. Hæc porro quinta Synodus urgente Juſtiniano, & in oppoſitum obnitente Papa Vigilio (qui tandem impedire non valens eidem conſenſit, prævidens quam exitiale ſequuturum ſchiſma erat ſi reſiſtere pergeret) celebrata Conſtantinopoli fuit anno 553. In hac Origenes quoque anathemate damnatus eſt unà cum Didymo & Evagrio ſuumque inter œcumenicas habuit locum, ex quo Romanæ ſedis aſſenſione firmata fuit. Eutychiana & Severiana hæreſis quæ Juſtino imperante ſemimortua jacuerat, ut vix reperiretur qui palam illam auderet aſſerere, ſub Juſtiniano ex quo ab uxore Theodora, & à Theodoro Cæſareenſi ſeductus illius patrocinium Iuſtinianus ſuſcepit, caput erexit. Theodora quidem Auguſta audax & ſuperba fœmina Eutychiana ſordens hæreſi, Antimum pariter Eutychianum ex Trapezuntino Epiſcopo Patriarcham fecerat Conſtantinopolitanum. Verum Agapetus Papa à Theodato Gotthorum Rege Legatus ad Iuſtinianum miſſus Antimum ſede illa & fidelium communione privavit, atque ejus in locum Mennam Catholicum Sacerdotem promovit anno 536. Theodora quidem fremente, Iuſtiniano tamen abnuere minimè auſo. Sed poſtquam illa omnem ſibi Imperij autoritatem aſcivit, & Beliſarium Africæ, & Italiæ domitorem alios Imperij optimates ſuis juſſionibus obedientes reddidit, tunc demum Sylverium ſanctiſſimum Romæ Pontificem ſuis precibus de Antimo reſtituendo minimè obſequentem calumnijs appetitum exilio damnavit, eumque in inſula Palmaria ærumnis, & inediâ necavit, ejuſque in locum Vigilium ex ambitu Summi Pontificatus conſentientem promoveri curavit. Ex eo tempore Iuſtinianus nimium uxorius à priſtina religione degener eſſe cœpit. Enimvero Agapeto vita functo Mennas Conſtantinopoli Synodum coëgit in qua Antimum & Severum, cæteroſque damnavit hæreticos quos omnes Iuſtinianus necdum depravatus edicto ſuo relegavit, eorumque libros incendio addixit. Adeo variabile eſt humanum ingenium, atque ab optimis etiã initijs in deteriora proclive. Ex oppoſito Vigilius à deterrimis initijs ad meliora deflexit. Adhuc enim Sylverio in exilio vivente Cathedram Apoſtolicam factione Beliſarij occupavit, eumque Sylverius exul juſtiſſimo anathemate perculit. Cæterum biennio pòſt Sylverio vitâ functo Vigilius licet indignus fide data de Catholica religione tuenda & promovenda legitimis comitijs, ut ſcilicet occurreretur futuro quod metuebatur ſchiſmati electus eſt Summus Pontifex: quo ex tempore renuens quæ Theodoræ pollicitus fuerat exequi de Menna deponendo & Antimo reſtituendo, ejus in ſe odium implacabile concitavit, ſeque deinceps ab omni hæreſi prorſus alienum dictis factiſque exhibuit.

18. Romanum ſub Iuſtiniano Imperium ampliſſimis auctum eſt incrementis, ipſaque ſimul Catholica religio depulſis Arianis Vandalis Africæ, Gotthis verò Italiæ, Siciliæque per Beliſarium & Narſetem dominatu. Sed his triumphis quaſi quædam velitatio prælufit Lazicum bellum. Lazorum Rex jam inde Iuſtino Imperium regente, ſuſcepta Chriſtiana fide cum Romanis fœdus junxerat, eorumque præſidio ſe adverſus Perſarum vires communierat. Sunt porrò Lazi populi quos ad Orientale maris Euxini littus ſitos antiquitas Colchos dixerat, noſtra verò ætas Mengrelios, ſuntque Iberis qui nunc Georgiani & Circaſſi vocantur finitimi. Cabades Perſarum Rex Lazos bello aggreditur, quos Iuſtinianus in ſuum præſidium, & tutelam ſuſcipit miſſo in Orientem Beliſario Duce, qui præclaras de Perſis victorias in Meſopotamia primum, deinde in Armenia reportavit: Tertioque apud Daram caſtrum. Quas Beliſarij victorias exactè deſcribit Procopius qui ſub Beliſarij ſignis militabat. Cæterum cum varia incertaque ſit Martis alea ipſi quoque Romani à Perſis clades eodem bello paſſi ſunt. Pace cum Perſis utcumque compoſita Iuſtiniani anno ſexto Conſtantinopoli graviſſima ſeditio exarſit, in qua Hypatius patricius acclamatus eſt Imperator. Iuſtinianus cum de capeſſenda fuga dubitaſſet, palatium hortatu Theodoræ munijt, Beliſarijque, atque Narſetis operâ occiſa ſunt uno die pluſquam triginta hominum millia, multæque ſubverſæ Eccleſiæ quas Iuſtinianus poſtea refecit. Ioannes Cappadox Præfectus prætorio & Tribonianus quæſtor, ut populo de amborum nequitia & rapinis conquerenti utcumque ſatisfieret exautorati ſunt à Iuſtiniano, ſed pauloposſt in priſtinum gradum ab eodem reſtituti. Exinde ſubſequutum eſt Vandalicum bellum. Gimeler fratre ſuo Hilderico perempto ejus occupavit regnum. Quam ut ulciſceretur nequitiam Iuſtinianus bellum adverſus eum movit miſſo Beliſario Duce. Mirum quam celeriter tanti momenti bellum terminatum fuerit. Primo enim anno Carthago expugnata multæque præcipuæ civitates, & arces jugum victoris acceperunt. Sequenti verò Gilimere in Beliſarij manus redacto,



Digitized by Google

ampliſſimum id regnum in partes Romani ceſſit Imperij. Beliſarius victor ſpecie triumphi Conſtantinopolim eſt ingreſſus non tamen currui, ſed equo phalerato inſidens, captivis ante ſe traductis, ipſoque Gilimere identidem verba iſta inclamante: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Qui tamen ſedentem Imperatorem compulſus eſt adorare, à quo donatus eſt agro in Cappadocia in qua quod reliquum vitæ habuit tranſegit.

19. Poſt partas à Beliſario in Aſia de Perſis, & in Africa de Vandalis victorias hoc unum ſupererat ad æquandos Pompeij triumphos,ut de Europa quoque triumpharet, qui laudis cumulus ad Beliſarij pariter gloriam bello adverſus Gotthos Italico acceſſit. Juſtinianus ſtudio flagrans plectendi ſceleris quod in Amalaſuntham Theodatus commiſerat ſimulque Italiæ recuperandæ, Beliſarium contra Gotthos immiſit anno 535. Cœptum id bellum in Sicilia fuit quam Beliſarius eodem anno univerſam ſubegit. Gotthi Theodati nequitiæ ignaviæque pertæſi, eo interempto Vitigem ſibi Regem conſtituunt qui Romanis ſtrenuè reſiſtit. Romam nihilominus veterem Beliſarius expugnat anno 536. Deinde Ravennam Gotthorum regni caput ac ſedem, Vitigemque cum ejus conjuge in ſuam redigit poteſtatem. Tum Gotthi effuſis votis Beliſario regnum deferunt: quos ille conſtanti erga Principem ſuum fide repulit. Debellatum cum Gotthis omnino fuiſſet niſi novum bellum Perſis in Romanorum fines intentantibus Iuſtinianus Beliſarium ut novo bello præeſſet, ex Italia revocaſſet, qui anno 540. Vitigem Conſtantinopolim abduxit. Amoto Beliſario Tottila rem Gothicam propemodum deploratam mirabili fortitudine & prudentia erexit. Statim enim Romanos acie victos in fugam cõpulit Romam, Neapolim, Samnium, Campaniam & quaſcumque urbes, & regiones Beliſarius ſuam in poteſtatem redegerat, recuperavit. Miſſus adverſum uſqueadeò formidabilem hoſtem Narſes Eunuchus renovato Romanorum exercitu, accitiſque Longobardorum qui ſub eo egregiam navarunt operam auxilijs, multas Italiæ regiones recepit, ſibique occurrentem cum valido exercitu Tottilam collatis ſignis inſigni ex utraque parte edita ſtrage ſuperavit, fortiterque dimicantem occidit anno Chriſti 553. Atque ita Gotthicum bellum extinctum eſt.

20. Ut verò ad res Francorum regrediamur, Sigiſmundus qui ſuaſu Sancti Præſulis Aviti ad Catholicam fidem ab Ariana hæreſi tranſierat, necem proprij filij innocentis Sigerici quem ex priore matrimonio ſuſceperat à ſe illatam, inſtigante poſteriori uxore in Agaunenſi à ſe condito monaſterio multorum dierum pœnitentiâ diluit, ipſeq; Deus immiſſis in eũ graviſſimis calamitatibus cumulatius voluit expiari. Clodomirus enim qui apud Aurelianos tetrarcha regnabat illũ acie ſuperatum cum uxore, & liberis, quorum gratiâ Sigericum interfecerat abduxit captivum. Eoque cum univerſa prole detento in cuſtodia Gundemarus Sigiſmundi frater occupatum à Francis quà inſidijs quà vi invadit. Quam rem iniquo ferens animo Clodomirus Sigiſmundum cum uxore, & liberis præcipitio in profundum puteum interimit. Et ipſe dum Burgundos ultima victos acie palantes inſequitur interemptus eſt. Sed ſuperſtites ipſius fratres Clotarius & Childebertus renovato Burgundico bello Gundemarum regno ſpoliarunt, quod tunc omni ex parte in Francicum tranſlatum eſt regnum anno 532. Clotarius demum tribus fratribus eorumque liberis ſuperſtes Francicum regnum ex integro habuit in ſuam ditionem transfuſum. Sed eo vitâ functo quatuor ejus liberi totidem in tetrarchias denuò partiti ſunt regnum. Chariberto pars quæ fuerat Childeberti cum Lutetia Pariſiorum obtigit. Guntrammo pars olim Clodomiri apud Aurelianos. Chilperico portio quæ patri Clotario primùm obtigerat in Sueſſionibus. Sigiberto portio quæ Theodorico ceſſerat cum civitate Metenſi.

21. In Hiſpanijs Amalaricus Alarici filius ejuſque coronæ ſucceſſor Clodovæi liberis affinitate junctus fuerat, eorum quippe ſororem Clotildim nuptijs ſibi ſociaverat. Hanc poſtquam blanditijs conatus fruſtra fuit in Arianam hæreſim pellicere, eamdem cœpit indignis modis vexare, ut ejus animũ quacumque poſſet ratione ad perfidiam inflecteret vi & cruciatibus adhibitis: Childebertus hanc ulciſci injuriam bello aggreditur. Amalaricus acie vincitur fugamq; iniens Narbonæ à ſuis quibus ob perverſam indolem inviſus erat perimitur anno 531. Childebertus abducta ſorore cum opimis manubijs in propria regreditur. Illa verò in itinere vitã exuit Pariſioſque ad ſepulturam elata eſt.

22. Sigibertus qui Francis apud Metas regnabat affinitatem cum Viſigotthis renovavit, accepta in conjugium Athanagildi Hiſpaniæ Regis filia Brunechilde, quæ ſtatim ejurata paterna hæreſi Catholicam amplexa eſt fidem, Chilpericus verò qui Sueſſionibus regnabat paulo poſt alteram Athanagildi filiam Gaſuntham nomine ſibi nuptiarum fœdere aſcivit pellice rejecta

Frede

Digitized by Google

Fredegunde, cujus poſtea blanditijs innocentem conjugem neci dedit, & Fredegundem accepit uxorem. Athanagildo Liuba ſucceſſit, & huic filius Leovigildus. Goſiuntham iſte ſecundis nuptijs ſibi copulavit: cum jam ex priore conjuge Theodoſia Sanctorum Leandri & Iſidori ſorore liberos haberet Hermenigildum & Recaredum. Leovigildus virtute bellica inſignis, ſed gentilitio Arianiſmi errore imbutus diram in Catholicos perſecutionem movit, quorum innumeros diverſis ſupplicijs interemit. Cum verò primogenitus filius Hermenigildus regni ſucceſſioni deſtinatus à patre, Ingundem Sigiberti Franci apud Metas regnantis filiam accepiſſet uxorem, eam in Hiſpaniam magno apparatu lætitiæque ſignificatione deductam Goſiuntha amiciſſimè complexa eſt, ſperans pari facilitate illam deſerturam Catholicam profeſſionem quâ mater ejus Brunechildis Arianam deſeruerat, ſed iſta omni poſthabito humano reſpectu conſtans in ſancto propoſito perſeveravit. Tum Goſiuntha conſentiente rege Levigildo quod blanditijs precibuſque non valuerat, per vim & cruciatus obtinere nixa eſt. Sed nullo modo potuit puellæ conſtantia labefactari. Quinimò ipſa conjugem ſuum ad orthodoxam fidem traduxit. Quam rem ut reſcivit Leovigildus poſtquam conatus omni arte fuit Sanctum juvenem à fide avertere, nec illum inflectere valuit, irâ furens perſecutionem in Catholicos adauxit. Quæ cauſa belli fuit inter patrem & filium Catholicorum crudeliſſimè vexatorum patrocinium ſuſcipientem: cujus avunculus Leander Legationem inivit ad Tiberium Imperatorem ſubſidium pro Catholicis dirè oppreſſis rogans tum pecuniæ tum militum. At res Tiberio ejuſque Sanctiori conſilio difficillima viſa eſt, nulliuſque ferè ſpei ex tam longinquo ſuppeditare auxilia Principi in propria patria admodum debili, inopi, & inexperto adverſus potentiſſimum & bellicoſum regem. Paucas tamen militum & pecuniæ ſuppetias miſit Imperator quæ magis conferre poſſent ad pacem conciliandam quam ad bellum proſequendum, quas rediens in Hiſpaniam Leander adduxit. Sed in procinctu prælij Dux ille Græcus cum ſuis à Leovigildo pecuniâ corruptis antequam ad manus ventum eſſet defecit ab Hermenigildo, ſeque copijs Leovigildi adjunxit. Quo factum eſt ut Leovigildus dira ſtrage Catholicos affecerit filiumque captũ in vincula miſerit, eoq; gravius exaſperatus in filium tanquam rebellem, atque in cæteros Catholicos, ut perduelles & læſæ majeſtatis reos. Adventantibus verò Paſchalibus diebus miſit ad filium intra carcerem Arianum Epiſcopum, ut communionem Arianã ſuaderet. Cumque hic à ſancto propoſito dimoveri nullatenus potuiſſet, immiſſus à patre apparitor Sanctum juvenem impacta in cerebrum ſecuri peremit anno Chr. 584. Leovigildus anno ſequenti moritur poſtquã Recaredũ filium alterum impenſius adhortatus fuit ut fratris Hermenigildi pietatem imitaretur, fidem Catholicam quantum placidè fieri poterat in regno propagaret. His monitis quam lubentiſſimè paruit Recaredus conſilijſque Leandri avunculi uſus omne ferè regnum ad Catholicam fidem perduxit, indixit celeberrimum totius Hiſpaniæ Concilium nationale tertium Toletanum quo accuratè proviſum eſt, & fidei propagationi & Eccleſiæ ſacræ diſciplinæ.

23. Ad iſtud pariter ſæculum pertinet expeditio Regis Æthiopiæ Eleſbaam adverſus tyrannum Homeritarũ Dunaam Chriſtianæ religionis deſertorem, qui non modo ad Iudaicam perfidiam defecerat, ſed etiam gentem ſibi ſubditam omni adhibita operâ ad Iudaiſmum & circumciſionem attrahere ſtudebat, & reſiſtentes Chriſtianos ferro, & igni diriſque ſupplicijs inſectabatur: adeout ejus regionis (quæ eſt intra felicem Arabiam) urbes & oppida Chriſtianorum ſanguine redundarent, & fidelium omnis ſexus, & ætatis quos excruciabat clamoribus perſonarent. Hiſce in anguſtijs ſuſcitavit Deus Regem pijſſimum Eleſbaam, qui zelo ſancto incitatus immanis perſecutionis extinguendæ bellum Tyranno terra marique intulit, ejuſque fudit exercitus atq; urbes occupavit. Ipſum denique Dunaam ejuſque primores perſecutionis conſcios gladio ſubjecit. Et poſtquam Chriſtianum, & optimum Principem regioni præfecit, Eccleſijſque priſtinum decorem, & cultum reſtituit, rebus denique cunctis ſollicitè compoſitis, diadema ſuum in gratiarum actionem Deo conſecravit, atque in Eccleſiam Ieroſolymorum tranſmiſit. Ipſe verò abdicato proprio regno monaſticam vitam cilicio indutus jejunijs & orationibus intentus, intra domunculam abditus, ab omni hominum conſortio ſejunctus, ſanctiſſimam feliciſſimo exitu concluſit.

24. Sexto iſto ſæculo ſuſcitavit Deus inſigni ſanctitate præditos viros ordinis Monachorum inſtauratores ac patres Sabbam in Oriente qui ſub Anaſtaſio Imperatore floruit, cujus etiam impietati obſtitit: & Benedictum in Occidente qui paulo pòſt Iuſtino & Iuſtiniano imperantibus monaſticum inſtitutum mirificè reſtituit, & propagavit, cujus vitam & miracula Sanctus Papa Gregorius Magnus libro 2.



Digitized by Google

Dialogorum deſcripſit. Hic ſanctiſſimus Pontifex ornamento inſigni fuit tum huic ſexto ſæculo deſinenti tum ſeptimo ineunti. Hic itaque re & cognomine magnus imò maximus pro Pelagio ſecundo Pontifice apocriſarij officio Conſtantinopoli apud Tiberium Cæſarem maxima cum laude perfunctus fuit. Ibidemque convicto Eutychio qui corporum reſurrectionem tractabilem pernegabat, eoque ad ſaniorem & orthodoxam ſententiam retracto optimè de Eccleſia commeritus eſt. Ibidemq; cum Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo qui eò Legatus pro Hermenigildo Principe,& pro Catholicis Hiſpaniæ advenerat amicitiâ ſanctiſſima contracta, demum mortuo ex peſtilentia Pelagio Pontifice ſucceſſor illi electus, inter alia præclariſſimè geſta Britannos inſulares ad fidem convertit miſſo illuc Auguſtino alijſque ſanctis Monachis anno Chr. 596.

25. Permulti ſcriptores celebres ſæculum iſtud illuſtrarunt. Inter quos eminet tum doctrinâ, tum ſanctitate vitæ Fulgentius Carthagine natus Ruſpenſis Epiſcopus. Ennodius etiam Diaconus, & poſtea Ticinenſis Epiſcopus qui Apologeticum pro quarta Synodo Romana edidit probatum, & laudatum deinde in quinta Romana Synodo cui præſedit Papa Symmachus. Petrus Diaconus librum ſcripſit de Incarnatione & gratia Chriſti ad ſanctum Fulgentium & alios Africæ Epiſcopos. Ferrandus Diaconus Carthaginenſis ijſdem temporibus elucubravit paræneticum ad Reginum Comitem, & epiſtolas aliquot, breve inſuper compendium ſacrorum Canonum. Marcellinus Comes in lucem emiſit Chronicum hiſtoricum quod proſequutus eſt ad nonum Iuſtiniani annum qui eſt Chriſti 535. Eamque hiſtoriam admodum laudat Caſſiodorus lib. de divinis lectionibus cap. 17. Ioannes Maxentius Monachus, & ut creditur Presbyter Antiochenus ſcripſit contra Hormiſdæ Pontificis epiſtolam ad Poſſeſſorem Epiſcopum Africanum negans illam eſſe Hormiſdæ, ne videretur Summo Pontifici adverſari, cum revera negari non poſſit eſſe Hormiſdam illius auctorem. Illo quidem ſcripto Maxentius hoc nomine laudem meretur, quia Fauſtum & Pelagianos egregiè refellit ex Auguſtini libris. Boëtius Severinus vir clariſſimus ex Torquatorum nobiliſſima proſapia Senator & Conſularis permulta de rebus Philoſophicis & Theologicis volumina condidit præcipuæ & ſublimis eruditionis. Vixit ſub Theodorico Italiæ rege à quo morte immerita damnatus eſt. Dionyſius cognomine exiguus natione Scytha meritis doctrinæ, atque pietatis verè magnus temporibus quoque Regis Theodorici floruit. Cyclum Paſchale anno 527. contexuit quo rejecta dinumeratione profana annorum Diocletiani, annos cenſere cœpit ab Incarnatione Domini Ieſu Chriſti. Scripſit etiam ſacrorum canonum collectionem ex Concilijs Eccleſiæ quorum quæ Græca erant Latina ſua tranſlatione illuſtravit, quem poſtea imitati ſunt Iſidorus, Martinus Bracarenſis, Creſconius alijque canonum compilatores. Victor Africanus Epiſcopus librum egregium concinnavit de rationibus fidei Catholicæ ad Hunnericum Vandalorum Regem circa annum 530. Aurelius Caſſiodorus Senator Regi Theodorico ab epiſtolis fuit, quo tempore ſcripſit epiſtolarum libros duodecim, Chronicon etiam breve à mundi exordio ad ſua tempora, libroſque duodecim de Gotthorum geſtis quos in epitomem Jornandes contraxit. Qui idem Caſſiodorus factus deinde Monachus duos compoſuit libros de Inſtitutionibus divinarum Lectionum,& in Pſalterium, & Cantica Canticorum commentarios. Hiſtoriam præterea tripartitam ex libris Socratis, Theodoriti & Sozomeni per Epiphanium Scholaſticum è Græco in Latinum converſis. Primaſius Epiſcopus Africanus Conſtantinopoli fuit cùm quinta ibi Synodus œcumenica celebraretur, ut ex ſecunda ejuſdem Synodi collatione liquet, hic in epiſtolas Sancti Pauli, & in Apocalypſim commentaria conſcripſit. Martinus primum Dumienſis Monaſterij Abbas, deinde Eccleſiæ Bracarenſis Epiſcopus præſedit Concilio Bracarenſi quod habitum eſt æra 610. id eſt anno Domini 572. canonum collectionem compilavit ex Græcis Synodis, cujus ſcriptionis meminit Iſidorus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum cap. 22. & libro de viris illuſtribus cap. 35. Gratianus frequenter illum allegat per errorem ſub nomine Martini Papæ. Ioannes Climacus eximiæ devotionis monachus autor fuit libri ſcalæ triginta graduum quibus ad perfectam vitam conſcenditur, unde illi Climaci nomen inditum. Hunc nonnulli referunt ad annum 340. quod improbabile eſt, tum quia nec ipſe nec ullus veterum hoc inſinuat, tum quia in eodem libro meminit Sancti Abbatis Sabbæ, qui ſub Imperio Iuſtiniani floruit & obijt. Citatur Climachus à Dorotheo Archimandrita qui ſermones vigintiquatuor edidit, vixitque ad annum Domini 560. Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis floruit doctrinâ, & ſanctimonia tempore Iuſtini junioris, Sancti Hilarij vitam Epiſcopi Pictavienſis ſcripſit, & hymnos quos inter celebres in Eccleſia ſunt

Vexilla

Digitized by Google

Vexilla Regis, & Pange lingua de ſancta Cruce. Gregorius Turonenſis Epiſcopus, iſtud quoque ſæculum illuſtravit, tum ſcriptis, tum eximijs virtutum meritis. Ejus opera ſunt libri decem de hiſtoria Francorum, unus de gloria Martyrum, duo de gloria Confeſſorum, unus de miraculis ſancti Juliani, & quatuor de miraculis ſancti Martini. Diemque obijt extremum anno 596. Summo Eccleſiæ ornamento fuit Gregorius Pontifex verè magnus, ſacræ doctrinæ ſplendidiſſimum jubar, atque omnium virtutum abſolutiſſimum exemplar cujus librorum ſuperfluum eſt indicem texere cum ſint ſole ipſo clariores. Vitam ſanctiſſimam produxit ad annum 604. quo ad præmia cœleſtia evolavit.

## *CONCILIUM AURELIANENSE primum anni 511.*

1. QUÆ ad Ligerim amnem ſita civitas vocatur à Julio Cæſare, aliiſque priſcis ſcriptoribus Genabum nomen poſtea ſumpſit Aureliani. Ex quo autem Francorum Rex Clodovæus abdicato inanium deorum cultu per Remigium Epiſcopum ſacro fonte ablutus, victoriam ſubinde illuſtrem de Alarico Viſigotthorum Rege quem in acie ſuapte manu peremit, reportavit, nihil prius aut antiquius in animo habuit quàm ut ſacram à ſe ſuſceptam religionem propagaret, diſciplinamque Eccleſiæ per Epiſcoporum comitia inſtauraret. Hoc fine convenere triginta Epiſcopi apud Aurelianum Symmacho clavum regente univerſalis Eccleſiæ anno à Chriſto 511. quamvis Baronius ad annum præcedentem id referat, atque etiam ante Vocladenſem cum Alarico conflictum. Iſta tamen nota adhuc in incerto eſt temporis, neque enim quidquam eſt, quod de alterutra opinione convincat; ſi enim Baronio fidem habemus epiſtola Clodovæi Concilio præfixa ad ipſum Concilium ſcripta eſt, ideoque ab ipſo Concilium aſſignatur anno 507. ante Vocladenſem victoriam. Si vero Sirmondo credimus victoria illa quadriennio Concilium præceſſit, nec illa Clodovæi ad Epiſcopos directa epiſtola quæ olim Concilio quaſi ad ipſum pertinens præfigi ſolebat quidquam habet cum Concilio commune, quamvis Epiſcoporum reſponſio Concilij jam initi mentionem habeat. Sirmondus verò majorem fidem habet primæ Concilij ſubſcriptioni Cypriani Burdigalenſis Eccleſiæ Metropolitæ, quæ in quibuſdam vetuſtis exemplaribus tempus exprimit VI. Idus Julias Felice viro clariſſimo Conſule. Ille verò Conſulatus poſterior eſt annis ferè quatuor illa Vocladenſi de Alarico victoria, inciditque in annum Chr. 511. huic interfuere Concilio Remigius Rhemenſis tametſi non legatur ſubſcriptus, Gildardus Rotomagenſis, Lupus Sueſſionenſis, Melanius Redonenſis, Quintianus Rutenenſis, Theodorus Antiſiodorenſis ſanctitate celebres Epiſcopi quos omnes cultu publico univerſa veneratur Eccleſia.

2. Can. I. *De homicidis adulteris, & furibus ſi ad Eccleſiam confugerint id conſtituimus obſervandum quod Eccleſiaſtici canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atrijs vel domo Epiſcopi eos abſtrahi omnino non liceat: ſed nec aliter conſignari niſi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri: itaut ei cui reus fuerit criminoſus de ſatisfactione conveniat. Quod ſi Sacramenta ſua quis convictus fuerit violaſſe, reus perjurij non ſolum à communione Eccleſiæ vel omnium Clericorum, verumetiam & à Catholicorum convivio ſeparetur. Quod ſi is cui reus eſt noluerit ſibi intentione faciente componi, & ipſe reus de Eccleſia actus timore diſceſſerit ab Eccleſiæ Clericis non quæratur,* c. id conſtituimus 17. q. 4.

Quamvis Eccleſiarum immunitas pro reis aut ſervis ad eas confugientibus fuerit olim ubique gentium religioſè ſervata, accuratiore tamen ſtudio videtur antiquitus à Francis obſervata. Omitto hic Gallicanos canones Concilij Arauſicani primi can. 5. & Aurelianenſis quarti can. 21. & alios, Carolus etiam magnus his adſtipulatur lib. 5. capitularium c. 90. *Reum* (inquit) *ad Eccleſiam confugientem nemo abſtrahere audeat, neque inde donare ad mortem vel ad pœnam, ut honor Dei & Sanctorum ejus conſervetur: ſed rectores Eccleſiarum pacem & vitam ac membra ejus obtinere ſtudeant: tamen legitimè componat quod iniquè fecit.* Habetur c. reum ad Eccleſiam 17. q. 4. Auguſtinus epiſt. 187. ad Bonifacium, hunc ipſum qui erat Africæ præfectus acriter coarguit quod reum criminis de Eccleſia rapuiſſet, mandatque ut illum indemnem ad Eccleſiam remittat, & donec id egerit & præfinitum pœnitentiæ tempus expleverit eumdem Eccleſiæ & fidelium communione arcet. Plura vide ſuperius obſervata ad Arauſicanum can. 5.

3. Can. IV. *De ordinationibus Clericorum id obſervandum eſſe decernimus, ut nullus ſæcularium ad clericatus officium præſumatur niſi aut cum Regis juſſione, aut cum judicis voluntate.*

Similis eſt Sanctio lib. 8. Capitularis Caroli magni c. 120. *De Clericis* (ait) *hominibus qui ad ſervitium Dei tradere ſe volunt ut prius hoc non faciant quam licentiam à nobis poſtulent: hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe quam pro exercitu ſeu alia functione regali fugienda: quoſdam verò cupiditatis cauſa ab his qui res illorum concupiſcunt circumventos audivimus, & ideo hæc fieri prohibemus.* Cum lege edixiſſet Mauricius Cæſar quâ & eos qui publicis miniſterijs fungebantur, ſeu curiales ad ordines Eccleſiaſticos recipi & milites non expletis ſtipendijs intra monaſteria recipi vetabat; priorem quidem legis partem approbavit, poſteriori verò fortiter obſtitit Sanctus Pontifex Gregorius lib. 2. epiſt. 62. ad Mauricium Auguſtum.

4. Can. V. *De oblationibus & agris quos Dominus noſter Rex Eccleſijs ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus*

*Deo inſpirante contulerit, ipſorum agrorum vel clericorum immunitate conceſſa, id eſſe juſtiſſimum definimus ut in reparationibus Eccleſiarum, alimonijs Sacerdotum pauperum, & redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit impendatur, & Clerici in adjutorium eccleſiaſtici operis conſtringantur. Quod ſi aliquis Sacerdotum ad hanc curam minus ſollicitus ac devotus extiterit, publicè à comprovincialibus Epiſcopis confundatur. Quod ſi nec ſub tali confuſione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus.*

5. Can.VII. *Abbatibus, Presbyteris omnique clero, vel in religionis profeſſione viventibus ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum pro petendis beneficijs ad domnos* (aliàs principem) *venire non liceat. Quod ſi quiſquam præſumpſerit, tandiu loci ſui honore & communione privetur donec per pœnitentiam plenam ejus ſatisfactionem Sacerdos accipiat.*

Canon Sardicenſis 8. ne ipſis quidem Epiſcopis longius peregrinari, vel in aulam proficiſci permittit abſque dimiſſorijs Metropolitani ſui vel Synodi Provincialis. Zoſimus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ injungit cunctis Epiſcopis Romam ex Gallia profecturis, ut formatas ab Arelatenſi Epiſcopo accipiant. Concilium pariter Carthaginenſe tertium can.28. prohibet Africanis Epiſcopis trans mare proficiſci niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo ſuæ cujuſque Provinciæ & ſumpta ab ipſo formata. Calchedonenſis can.23. Clericos ſimul & Monachos percellit qui non obtenta proprij Epiſcopi veniâ ad regiam urbem accedunt, & in ea commorantur, eoſque abigi per defenſorem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ jubet atque ad proprium Epiſcopum redire compelli. Canon etiam Apoſtolorum 32. prohibet quemquam ſive Epiſcopum, ſive Presbyterum, ſive Diaconum, ſine commendatitiis literis quocunque pergant ſuſcipi. Quæ iteratur prohibitio per Laodicenæ Sinodi can.41. Quinetiam Clemens Papa & Martyr lib.2. conſtitu. Apoſt. hoc idem extendit etiam ad laïcos cap.58. Agathenſe pariter Concilium ita ſciſcit can.52. *Presbytero aut Diacono aut Clerico ſine Antiſtitis ſui literis ambulanti communionem nullus impendat.* Concilium Calchedonenſe can.20. *Si quis* (ait) *Epiſcopus poſt hanc definitionem ſuſceperit Clericum ad alium Epiſcopum pertinentem, placuit & ſuſceptum, & ſuſcipientem communione privari donec is qui migraverat Clericus ad propriam fuerit regreſſus Eccleſiam.* Poſtremo ut alios prætercam intermedios canones Concil.Trid. ſeſſ.23. cap.16. ita ſancit. *Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitijs Ordinarij ſui literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.* Hæ literæ vocantur pariter teſtimoniales. Saluberrimum hoc inſtitutum confirmat Nicænum I. Concilium can.15.

6. Remoram aliquam poſſet injicere quod hic idem ſtatuit canon 7. ut Clericus qui ſine commendatitijs aliò commigrarit pœnitentiæ addicatur, eaque completa priſtinum recuperet gradum & officium; id enim innumeris canonibus contraire videtur, quibus Clerici & à pœnitentia excluduntur, & qui laici pœnitentiam aliquando peregerint à clero in perpetuum arcentur. Cæterum pro diverſarum Eccleſiarum conſuetudine diverſus fuit uſus & obſervatio. Multis enim locis pœnitentiæ faciendæ ac obeundæ cauſæ diſcernebantur, ut ſi ob gravia crimina inflictæ fuiſſent pœnitentiæ, aut ſi in his peragendis pœnitens grave crimen fuiſſet publicè confeſſus, ſive ſua, ſive aliena voce, ejuſmodi pœnitentia perpetuum pareret ἀκατονιστάν ac indiſpenſabilem irregularitatem, hujuſmodi cenſebantur idololatria, aut gravis impietas, adulterium, furtum notabile, falſi crimen, ſacrilegium; ſi verò ob levius delictum fuerat quis publica functus pœnitentia, qualis eſt illa ſine teſtimonialibus proprij Antiſtitis circumvagatio, aut ſi grave crimen pœnitentis non innotuiſſet, ejuſmodi pœnitentia in aliquibus Eccleſijs nihil obſtabat clericatui, ſed ejus duntaxat honorem, & miniſterium ad tempus ſuſpendebat cujus rei exemplo ſit iſte Aurelianenſis canon. Itemque Auraicenſis I. Concilij ſupra ſuo loco citatus canon 4. *Pœnitentiam deſiderantibus etiam clericis non negandam.* Concilij quoque Toletani quarti can.4. hoc ipſum confirmatur: *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantum ſe peccatores eſſe profitentes, hujuſmodi ſi revaluerint poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus eccleſiaſticos pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum ſe perpetraſſe publicè fateantur ad clerum pervenire nullatenus poterunt.* Hunc ipſum canonem commemorat, & inſtaurat Concilium Toletanum decimumtertium an. Chr. celebratum 683. ſtatuens can. 10. *Frater noſter Gaudentius Valerienſis ſedis Epiſcopus inſinuans quod per manus impoſitionem ſubactus fuiſſet pœnitentiæ legibus. Sed utrum accepta pœnitentia liceret ſibi præcepta ſui ordinis cōtrectare myſteria, vel Miſſarum ſolita explere officia, per Synodalia rogavit certificari reſponſa. Tunc collatis in unum hujuſmodi canonicis inſtrumentis, hoc ſancta Synodus definivit, ut reconciliatione præmiſſa ſoliti ordinis retentet officia. Si enim regula præcedentium patrum eos qui pœnitentiam in diſcrimine mortis accipiunt, & nulla de ſe manifeſta ſcelera confitentur (ſi adſit tamen in his & talibus probitas morum) ad Eccleſiaſticos gradus pervenire permittunt, quanto magis ut hi qui in ipſo Sacerdotio conſtituti pœnitentiam accipiunt à ſui ordinis officio non retrahantur? tantum ſi ſe ipſi mortalium criminum profeſſione propria non notarunt.* Hæc plenius & uberius docet eruditiſſimus Morinus tum in commentarijs de pœnitentia lib.4. cap.12. & ſeqq. tum in primis exercitationibus lib.2. cap.22. & 23. hoc ipſum Aurelianenſe primum Concilium can.12. meminit Diaconorum & Presbyterorum qui ſe ab altaris communione ſub pœnitentis profeſſione ſubmoverint, definitque ſi alij defuerint poſſe ex neceſſitate baptiſare. Itaque in his ſacer gradus non fuit obſtaculo quominus pœnitentiâ fungerentur.

Can. XVII. *Omnes autem baſilicæ quæ per diverſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur placuit ſecundum priorum canonum regulam, ut in ejus Epiſcopi in cujus territorio ſitæ ſunt poteſtate conſiſtant*, c. omnes baſilic. 16. q. 7.

Can. XVIII.

Digitized by Google

Can. XVIII. *Neque ſuperſtes frater torum defuncti fratris aſcendat, neve ſe quiſquam amiſſæ uxoris ſorori audeat ſociare. Quod ſi fecerint Eccleſiaſtica diſtrictione feriantur.*

Can. XIX. *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint ab Epiſcopis corrigantur: qui ſemel in anno in loco ubi Epiſcopus elegerit conveniant accepta vocatione. Monachi autem Abbatibus omni ſe obedientiæ devotione ſubjiciant. Quod ſi quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per loca aliqua evagari, aut peculiare aliquid habere præſumpſerit, omnia quæ acquiſierit ab Abbatibus auferantur ſecundum regulam Monaſterio profutura. Ipſi autem qui fuerint pervagati ubi inventi fuerint cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodia revocentur. Et reum ſe Abbas ille futurum eſſe cognoſcat qui in hujuſmodi perſonas non regulari animadverſione diſtrinxerit, vel qui Monachum ſuſceperit alienum*, c. Abbates pro humilitate 18. q. 2.

Perquire ſuperius Calchedonenſis Synodi can. 4. Et Concilium Arelatenſe tertium cum inibi obſervatis, & Agathenſem can. 27.

Can. XXV. *Vt nulli civium Paſcha, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ* (intellige hic Pentecoſtem) *ſolemnitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe*, c. nulli civium de conſecr. diſt. 3.

Tribus his feſtis olim Chriſtiani Euchariſtiam ſumere tenebantur ex ſanctione quam Sancto Papæ & Martyri Fabiano Gratianus aſcribit poſt Ivonem c. etſi non frequentius de conſecr. diſt. 2. & Agathenſi can. 18. 23. & 64.

8. Can. XXVI. *Id à Sacerdotibus omnibus decretum eſt, ut ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur*, c. Sacerdotibus de conſecr diſt. 3.

Obſervandum eſt Teleſphori decreto qui nonus à Petro Apoſtolo Pontificatum geſſit Clericis univerſis injunctam fuiſſe jejunij abſtinentiam per ſeptem ante Paſcha plenas hebdomadas c. ſtatuimus diſt. 4. *Quia* (inquit) *diſcreta eſſe debet vita clericorum & Laicorum.* Vt habet ejus ad univerſos Epiſcopos epiſtola & liber Pontificalis refert in ejus vita, *hic conſtituit ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebraretur.* Id verò quia fortaſſe antiquatum pridem & obſoletum erat, reducit iſtud Concilium ad communem populi uſum. Inchoatio verò jejunij à feria quarta poſt Quinquageſimam needum fuerat introducta: quinetiam needum invaluerat ſub Gregorij magni Pontificatus exordijs quibus liquidò conſtat jejunium tunc inchoari ſolitum feriâ ſecundâ poſt quadrageſimæ Dominicam, ut fidem facit ejuſdem homilia 4. in Evang. quam etiam ad hujus rei probationem profert Amalarius lib. 1. de Officijs cap. 7. Non eſt tamen improbabile magnum Gregorium ſub vitæ ſuæ finem conſtituiſſe demum ut à quarta poſt quinquageſimam feria (quæ nunc invaluit conſuetudo) jejunium aperiretur, cum ipſius Gregorij Sacramentarium quartam iſtam feriam caput ac initium jejunij eſſe affirmet. Suſpicantur tamen nonnulli eſſe laciniam Sacramentario Gregorij poſtmodum aſſutam.

9. Can. XXIX *Rogationes ſive Litanias ante Aſcenſum Domini placuit celebrari, itaut præmiſſum triduanum jejunium in Aſcenſionis Domini ſolemnitate ſolvatur. Per quod triduum ſervi & ancillæ ab opere relaxentur quo magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.*

Sidonius Apollinaris lib. 1. epiſt. 7. ad Mamercum Viennenſem Epiſcopum hunc ipſum prædicat autorem rogationum, quarum præſidio civium ſuorum (quorum exitium & multa de cœlo prodigia ac portenta, & barbarorum irruptiones interminabantur) ſaluti conſuluerit. Hæc porro evenere circa Domini annum 474. Poſt Mamercum Heſychius Viennæ inijt Epiſcopatum. Huic ſucceſſit Avitus qui in homil. in rogationes ſic ait: Currit tramite viali non per Gallias modo ſed per orbem totum Rogationis obſervantiæ flumen irriguum. Iiſdem verbis canon iſte iteratur in Concilio Epaunenſi can. 17. & habetur c. rogationes de conſecr. diſt. 3.

## *CONCILIVM EPAONENSE anni à Chr. 517.*

1. CONverſus ab hæreſi Ariana Burgundionum Rex Sigiſmundus, nihil regia ſolicitudine dignius habuit quam ut Eccleſiam Chriſti per omnes dominationis ſuæ terras optimè conſtabiliret, eoque fine conſilio uſus Sancti Aviti Viennenſis Epiſcopi, cujus ſtudio & inſtitutione Catholicam ad fidem acceſſerat, Synodum iſtam congregari curavit in caſtro Epaonenſi, quod conjiciant nonnulli ſitum ad Lemanum lacum fuiſſe, nec multum Agauno diſtans ſeorſim ab urbium frequentia. Haud enim paucæ ſub Gallicanis Regibus habitæ ſunt Epiſcoporum Synodi in campeſtribus Regum ædibus ad quas ipſi divertere ſolebant ac deliciari. Convenit iſta Synodus anno Chriſtianæ epochæ 517. Hormiſda Romano exiſtente Pontifice. Interfuere Epiſcopi XXV. quibus præſedit Alimus ipſe Avitus, cui aſſedit Viventiolus Epiſcopus Lugdunenſis.

2. Can. III. *Pœnitentiam profeſſi ad Clericatum penitùs non vocentur.*

Fuit hæc univerſalior Eccleſiæ lex quamvis ejus ſeveritate nonnullæ Eccleſiæ, & Concilia proprijs uſibus & decretis limitaſſent. Humana enim inſtituta atque adeò Eccleſiaſtica plerumque involvunt commoda & incommoda, unde fit ut alicubi exactiſſimè vigeant, alibi verò vel obſoleſcant, vel mitigatione temperentur. Quod idem in diverſarum gentium contrarijs legibus evenire conſpicimus. Paulo ante contraria de pœniten

pœnitentium ad clerum, & viciſſim de clericorum ad pœnitentiam admiſſione produxi exempla ad Aurelianenſis Synodi primæ canonem 7. Jam verò contrarias illis, ſed huic Epaonenſi canoni 3. conformes nonnullæ inter multas alias ſelectæ proferendæ ſunt auctoritates & decreta. Concilij Carthaginenſis quarti canon 56. *Ex pœnitentibus Clericus quamvis ſit bonus non ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum fuerit deponatur à Clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem.* Siricius Romanus Pontifex epiſt. ad Himerium Tarraconæ Epiſcopum c.14. *Illud quoque par fuit nos providere, ut ſicut pœnitentiam agere non conceditur cuiquam Clericorũ, ita poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam liceat laicorum clericatus honorem adipiſci.* Similiter Leo Papa epiſt.92. aliàs 2. ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem inquiſit. 2. *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro aliquo crimine ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod proculdubio ex Apoſtolica traditione deſcendit ſecundum quod ſcriptum eſt, Sacerdos ſi peccaverit quis orabit pro eo? Vnde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio ſi fuerit digna ſit etiam fructuoſa.* Origenes lib. 2. contra Celſum docet qui ſemel publicam pœnitentiam obiviſſet hunc in perpetuum excludi à ſacris Ordinibus aut eorum exercitio. Præterea dicit Auguſtinus lib.1.de Baptiſmo contra Donat.cap.1. *Ordinatis quum ad Eccleſiam de ſchiſmate redeunt non imponitur manus inter laicos.* Sed inſuper Concilium Carthaginenſe V. can.11. hæc ſtatuit: *Idem confirmatum eſt ut ſi quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint quâ eos & à miniſterio neceſſe ſit amovere, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* His adde apud Gratianum c.Presbyter ſi fornicatus diſt.182.Cæterùm publicæ pœnitentiæ vice Clericus delicti reus in Monaſterium relegabatur aut ad privatam ſeceſſionem, ut docent Leo magnus loco cit. & Hieronymus epiſt.48. ad Sabinianum Diaconum lapſum,& præſens iſtud Concilium can.22.& Aurelianenſe III. can.7.

3. Can.IV. *Epiſcopis, Presbyteris, atque Diaconibus canes ad venandum, & accipitres habere non liceat. Quod ſi quis talium perſonarum in hac fuerit voluntate detectus, ſi Epiſcopus eſt tribus menſib. ſe à communione ſuſpendat, duobus Presbiter abſtineatur, uno Diaconus ab omni officio & communione ceſſabit.*

Agathenſis etiam Concilij canon 55. ſancit: *Epiſcopis, Presbyteris & Diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat.* Eamdem habet prohibitionem Matiſconenſis Concilij II. canon 13. Et obiter antiquitatem venationis obſerva per accipitres.

Can. VI. *Presbytero vel Diacono ſine Antiſtitis ſui literis ambulanti communionem nullus impendat.*

Vide huc pertinentia quæ ſuperius congeſſi ad Aurelianenſis primi Concilij can.7.

4. Can. IX. *Vnum Abbatem duobus Monaſterijs interdicimus præſidere*, c. unum Abbatem 21. q.1.

Habetur iiſdem verbis in Concilio Agathenſi can.57. Similiter & in Cabilonenſi cavetur canon.12. ut duo Abbates in uno Monaſterio eſſe non poſſint: ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter Monachos & ſcandala generentur.

5. Can.XI. *Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui adire, vel interpellare publicum non præſumant, ſed ſi pulſati fuerint* (id eſt citati & in jus vocati) *ſequi ad ſæculare judicium non morentur.*

Notabilis canon pro Gallicano Regno in quo Clerici ſæculare judicium ſubire compelluntur.

6. Can. XVI. *Presbyteros propter ſalutem animarum quam in cunctis optamus deſperatis, & decumbentibus hæreticis ſi converſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubvenire. Quod omnes converſuri ſi ſani ſunt ab Epiſcopo noverint expetendum.*

Vide ſimilem ſuperius ſanctionem in primo Concilio Arauſicano can.1. Vide ibidem can. 2. utrum & quandonam Presbyter eſſe poſſit ſacramenti Confirmationis miniſter.

7. Can.XVII. *Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit niſi vel tantum de juris proprij facultate ſuppleverit.*

Hinc liquet Epiſcopos (idemque de Presbyteris & Diaconis eſto judicium) potuiſſe quoque bona temporalia poſſidere, liberamque eorum habuiſſe diſpoſitionem tum inter vivos, tum inter ultimas voluntates. Ambroſius lib.1. offic. c.30. ſic ait. *Sed etſi quis Eccleſiam nolens gravare in Sacerdotio aliquo conſtitutus aut miniſterio, non totum quod habet conferat, ſed operetur eum honeſtate quantum officio ſatis eſt, non mihi imperfectus videtur.* Ipſe quidem perfectiora conſilia fuerat conſectatus qui ut ſcribit in ejus vita Paulinus. *Prædia quæ habebat reſervato uſufructu germanæ ſuæ donavit Eccleſiæ, nihil ſibi quod ſuum diceret derelinquens.* Et hanc rerum omnium abdicationem ad ipſum ſcribens Baſilius eidem ipſi congratulatur epiſt.55. de Sancto Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo iſtud perhibet teſtimonium Ferrandus in ejus vita cap.7. *Portionem ſubſtantiæ propriæ quamvis haberet fratrem juniorem nomine Claudium, per donationem ſoli contulit matri, ut à matre poſtmodum ſi bene ſerviviſſet, donaretur & fratri.* Teſtantur hanc quoque libertatem ipſa quæ ſuperſunt ſanctorum Epiſcoporum teſtamenta Gregorij Nazianzeni, Cæſarij Arelatenſis, & Remigij Remenſis.

8. Can XXII. *Si Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiſerit ab officij honore depoſitus in Monaſterium retrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communione ſumenda.*

Francica Eccleſia in prima Synodo Aurelianenſi can.7. perpenſis quibuſdam circumſtantijs Clericos

Clericos ad pœnitentiam admiſit, eaque peracta priſtinis gradibus & officijs reſtituit. Burgundica verò Eccleſia in hac Epaonenſi, priſtinam maluit ſervare diſtrictionem, ut nunquam pœnitens quis in Clerum promoveatur: & ſi quando promotus lapſus ſit non admittatur ad publicam pœnitentiam, ſed reliquo vitæ decurſu agat privatam recluſus intra ſepta Monaſterij, ut ſtatuitur canone iſto 22. Quod pœnitentiæ genus decernit erga lapſos Clericos S. Leo Papa epiſt. ad Ruſticum inquiſit. 2, ipſumque tertium Aurelianenſem Concilium can. 7. atque ad id hortatur Hieronymus Sabinianum.

9. Can. XXIV. *Laicis contra cujuſlibet gradus Clericum ſi quid criminale parant objicere, dummodo vera ſuggerant proponendi permittimus poteſtatem.*

Prodit autor vitæ Pontificum in Sylveſtro ipſum ordinaſſe ne laïcus Clerico crimen inferret. Profertur etiam Alexandri Papæ III. ex ipſius ad Salernitanum Epiſcopum epiſtola his verbis: De cætero laïcos in accuſationem vel teſtimonium contra Clericum in criminali cauſa nullatenus eſſe admittendos cenſura ſacrorum Canonum manifeſtius edocet, niſi fortè ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur. Nec tunc etiam ad teſtimonium, ſed ad accuſationem poſſunt admitti: c. de cætero de teſtib. & atteſta. Proferuntur à Gratiano canones adulterini ex ſuppoſititijs (ut nunc docti omnes poſt Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum agnoſcunt) Pontificum Romanorum literis quas Iſidorus, & poſt hunc Gratianus obtruſerunt, ut ſunt canones 1. & 3. cauſæ 2. q. 7. cum hac indigna viro ſapienti ratione. *Licet Epiſcopus ſit inordinatus quia pro meritis ſubditorum diſponitur à Deo vita rectorum.* Ergo impunè dimittendus eſt lupus ovile Chriſti depopulans. At verò illa prohibitio non poteſt non eſſe ſcandaloſa, & Chriſto paſtorum Principi contumelioſa, & ipſi Eccleſiæ exitialis ſi ipſa ſcelera rectorum alit, & quæ ſcandala manifeſta pariunt diſſimulari vult, nec patitur accuſari vel ſalubriter corrigi. Certè melius judicavit ſacra Calchedonenſis Synodus ſexcentorum Epiſcoporum dum can. 21. ipſos etiam laïcos admittit ad Epiſcoporum accuſationem ac contra eos teſtificationem dum ſint probatæ vitæ illi accuſatores ac teſtes. *Clericos* (inquit) *vel laïcos Epiſcopos accuſantes aut Clericos non indiſcriminatim, nec citra inquiſitionem admittere ad accuſationem niſi eorum exiſtimatio prius examinata fuerit.* Eadem eſt ſententia Patrum Synodi hujus Epaonenſis. Idemque ſapienter judicavit Sanctus Papa Gregorius lib. 2. epiſt. 36. admittens etiam fœminam ad teſtificandum de crimine Presbyteri, & refertur c. quoniam de teſtib. & atteſt. Ipſeque Apoſtolus 1. Timoth. 5. *Accuſationem adverſus Presbyterum noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.*

Can. XXV. *Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur niſi, forſan Clericos cujuſcunque Parochiæ vicinos eſſe contingat qui ſacris cineribus pſallendi frequentiâ famulentur. Quod ſi illi defuerint non ante proprij ordinentur quam eis competens victus & veſtitus ſubſtantia deputetur.*

Can. XXVII. *Ad celebranda divina officia ordinem quem Metropolitani tenent, Provinciales eorum obſervare debebunt.*

Can. XXVIII. *Inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Inceſtos verò nec ullo conjugij nomine prævelandos; præter illos quos vel nominare funeſtum eſt* (puta inter fratres & ſorores) *hos eſſe cenſemus ſi quis relictam fratris quæ pene ſoror prius extiterat carnali conjunctione violaverit: ſi quis frater germanam uxoris ſuæ accipiat: ſi quis novercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſobrinæve ſe ſociet: quod ut à præſenti tempore prohibemus, ita ea quæ ſunt anterius inſtituta non ſolvimus. Si quis relictæ avunculi miſceatur, aut patrui vel privignæ, id eſt filiaſtræ concubitu polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur habebunt ineundi melioris conjugij libertatem.*

Hæc ijſdem propemodum verbis habentur in Concilio Agathenſi can. 61. & in decreto c. de inceſtis 35. q. 2. Eaſdem innovat prohibitiones Concilium Pariſienſe V. c. 14.

10. Can. XXXVI. *Ne ullus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, nevè ulli ſi pœnituerit, aut ſe correxerit ad veniam redeundi aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto viatico revaleſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare convenit.*

Nicænum Concilium de his qui vita excedunt can. 12. aliàs 13. & Concilium Carthaginenſe IV. can. 4. & c. 76. & 78. Itemque Arauſicanum I. c. 3. Idem cum iſto Epaonenſi canone decernunt, & de conciliando & communicando ægro pœnitente, & de reſumenda pœnitentia ſi convaleſcat.

11. Can. XXXVIII. *Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ & ætatis provectæ ad quaſcumque earum neceſſitates vel miniſtrationes permittantur intrare. Ad faciendas verò miſſas qui ingreſſi fuerint ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt. Aliàs autem nec Clericus nec Monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna aut germana neceſſitudo probetur admittere.*

Illis ſanè & aliquot poſterioribus ſæculis non erant monialium Eccleſiæ cum populo communes, ſed intra clauſuræ ſepta continebantur ſoli earum uſui deſtinatæ. Similia de prohibito Clericorum aliorumque virorum ad monialium ſepta



Digitized by Google

ingreſſu, prærerquam neceſsitatis cauſa & de obligatione Sacerdotibus impoſita egrediendi ſtatim à miſſa peracta, nec ulterius conſiſtendi in oratorio, neque in clauſtro renovantur in Concilijs quibuſdam ſub Carolo magno celebratis, ſcilicet Arelatenſi ſexto can.7. & Turonenſi tertio can.29.

12. Indicant ſubſcriptiones celebratam hanc Epaonenſem Synodum fuiſſe Agapito Conſule primuſque ſubſcripſit, ut in propria Eccleſia Avitus Viennenſis, deinde Viventiolus Lugdunenſis Metropolites, & ſub his alij Epiſcopi 23.

*CONCILIVM ARAVSICANVM ſecundum an. Chr. 529.*

1. ARAUSIONE convenit hæc Synodus ordine ſecunda Chriſti anno 529. ſub Felice Papa IV. regnante in Italia Athalarico Amalaſunthæ filio, in Gallijs verò liberis Clodovæi. Præſedit Concilio Cæſarius Arelatenſis quod approbatum mox fuit à Bonifacio Papa II. Felicis ſucceſſore in ſua ad Cæſarium epiſtola. Hac Synodo adverſus Semipelagianos qui in Gallia maximè verò in ſecunda Narbonenſi Provincia,& circumvicinis locis percrebuerunt, ab Auguſtino circa gratiam Chriſti & liberum noſtrum arbitrium diſſentientes quorum coryphæi erant Caſſianus, Fauſtus Reienſis, Vincentius Gennadius. Caſſiani & Vincentij ſcripta ſolidè refellerat Proſper editis adverſus Collatorem, & adverſus objectiones Vincentianas libris. Fauſti autem libros oppoſitis, & ſincerioribus libris oppugnaverant ſanctiſſimi tres Epiſcopi Avitus Viennenſis, Fulgentius Ruſpenſis, & qui Synodo iſti præſedit, Cæſarius Arelatenſis cui interfuerunt octo viri optimates, & illuſtres Petrus Marcellinus Præfectus prætorij Galliarum atque Patricius, Syagrius, Opilio, Pantagathus, Deodatus, Cariatto, Marcellus & Namatius qui poſt tredecim Epiſcopos ſubſcripſerunt Decio juniore Conſule. Sic verò præfantur Antiſtites: Cum ad dedicationem Baſilicæ quam illuſtriſſimus Præfectus & Patricius filius noſter Petrus Marcellinus, Felix Liberius in Arauſica civitate fideliſsima devotione conſtruxit Deo propitiante, & ipſo invitante conveniſſemus, & de rebus quæ ad Eccleſiaſticam regulam pertinent inter nos ſpiritalis eſſet oborta collatio, pervenit ad nos eſſe aliquos qui de gratia & libero arbitrio per ſimplicitatem minus cautè, & non ſecundùm Catholicæ fidei regulam ſentire velint. Unde id nobis ſecundùm admonitionem, & autoritatem ſedis Apoſtolicæ juſtum ac rationabile viſum, ut pauca capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa quæ ab antiquis patribus de ſanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet ſentiunt ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus quibus lectis, qui hucuſquenon ſicut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt animum ſuum inclinare non differat. Ex hac præfatione (quæ certè præceſsit Bonifacij epiſtolam hujus Synodi approbatricem) colligitur evidenter eos qui contraria ſequentibus Synodi definitionibus ſenſerant, vel docuerant contra fidei Catholicæ regulam erraſſe. Id enim patres Arauſicani fidenter declarant antequam Bonifacius Papa ſuum ſenſum publico decreto aperuiſſet.

2. Can. III. *Si quis ad humanam invocationem gratiam Dei dicit conferri non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo dicenti, Inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.*

Semipelagiani ſeu Maſſilienſes quamvis contra Pelagianum dogma gratiam Dei ad ſalutem aſſererent neceſſariam, attamen in ejus arbitrio ſemina quædam, & diſpoſitiones ad evocandam Dei gratiam collocabant, ſcilicet deſiderium ſalutis & libertatem naturalem, & inſitam orandi, quibus rebus quemlibet hominem proprijs, & naturalibus viribus relictum gratiam promereri, & ad ſe elicere dicebant, ut ex epiſtolis conſtat Proſperi & Hilarij quibus Auguſtinum admonent ingruentis in Gallia iſtius hæreſis.

3. Can. IV. *Si quis ut à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem etiam ut purgari velimus per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto per Salomonem dicenti, Præparatur voluntas à Domino: & Apoſtolo ſalubriter prædicanti Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Sanctus Eccleſiæ Doctor, & divinæ gratiæ propugnator inſignis Auguſtinus gratiæ vim & efficacitatem ſic deſcribit in libro de gratia Chriſti cap.10. *Sed nos hanc gratiam volumus iſti fateantur quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, ſed etiam creditur & ſperatur: nec ſolum revelatur ſapientia, ſed etiam amatur: nec ſolum ſuadetur omne quod bonum eſt, ſed & perſuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri ſi vult non ſolum vocari, ſed etiam eſſe Chriſtianus.* Vis illa quidem quam Luterus invexit quæ humanam voluntatem neceſsitate adigat arcenda prorſus eſt à Chriſti gratia, ſolaque illi tribuenda virtus, & efficacia cui poſsit humana libertas diſſentire ſi velit, ut definit Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can.4. Idemque docet Auguſtinus qui memorato ſuperius libro, alijſque permultis locis aſſerit gratiam Chriſti victricem ſuum ſemper ſortiri effectum, adeout de eadem victrice in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap.8. hæc aſſeveret: *Gratia quæ Dei benignitate humano cordi infunditur à nullo duro corde reſpuitur ad hoc detur ut duriciem auferat cordis.* Idem tamen lib. de ſpiritu & litera luculenter docet cap.33. integram ſub gratiæ ductu ſervari hominis libertatem his verbis: *Profecto & ipſum velle bonum Deus operatur in homine, & in* omnibus

Digitized by Google

*omnibus miſericordia ejus prævenit nos : conſentire autem vocationi Dei vel ab ea diſſentire ſicut dixi propriæ voluntatis eſt.* Nos verò errorem illum prorſus averſamur qui voluntarium cum libero ita confundit, ut ipſam neceſſitatem quam non repugnat eſſe quandoque voluntariam cum libertate ſtudeat conciliare, quæ tamen revera indivulsè cohæret cum indifferentia ad res oppoſitas, ſive contrariè ſive contradictoriè. Eſtque doctrina Auguſtini, Hieronymi & Thomæ : Ait enim Hieronymus contra Jovinianum libro 2. *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia neceſſitate trahimur : alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio nec corona eſt.* Iſtud Hieronymi effatum refert Auguſtinus lib. de natura & gratia cap.65. & approbat ut veriſſimum. Idemque lib.3. de liber. arbitr. cap. 1. confert motum lapidis naturæ impulſu deorſum cadentis cum motu animi, quo relicto incommutabili bono ad inferiora dilabimur, & diſſimiles in hoc eſſe docet quod lapis naturæ impulſu deorſum movetur: nec in poteſtate habet lapis hunc motum cohibere, cum tamen animus poſſit motum cohibere, quo ſuperioribus deſertis ad inferiora demittitur. Idemque lib. de gratia & libero arbitrio quem pro concilianda gratia cum noſtra libertate compoſuit poſtquam verba Scripturæ ſacræ retulit. *Appoſui tibi ignem & aquam ad quodcunque volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors quodcunque placuerit dabitur ei.* Hæc ſubjungit cap. 2. *Ecce apertiſſimè expreſſum videmus humanæ mentis arbitrium liberum.* Angelicus autem Doctor pluribus ſæculis ante conſtitutiones Summorum Pontificum Innocentij X. & Alexandri VII. docuerat propoſitionem iſtam quod voluntas neceſſitate, & ſine ulla tamen coactione mota ſit alicujus meriti capax, eſſe ſimul Catholicæ contrariam, & ſubvertere omnia principia Philoſophiæ moralis; tolli enim per eam neceſſitatem liberum arbitrium, & deliberationem, & exhortationem, & præceptionem, & laudem, & pœnam, & vituperium quæſt.6. de malo art.1.

Can. VI. *Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus miſericordiam nobis divinitus conferri dicit, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet fieri agere valeamus per infuſionem & inſpirationem ſpiritus Sancti in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti, Quid habes quod non accepiſti? Et gratia Dei ſum id quod ſum.*

Can. VII. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare ut expedit, aut eligere ſive ſalvari, id eſt Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : ſine me nihil poteſtis facere & illud Apoſtoli: Non quod idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*

4. Can. XII. *Tales nos Deus amat, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.*

Depromptus eſt ex Auguſtini ep. 105. ad Sixtum : docere intendit ſancta Synodus neminem quantumvis juſtum promereri poſſe ſuam ad æternam vitam prædeſtinationem; ſeu quod eòdem recidit finalis perſeverantiæ donum. *Quod quidem* (ut loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ.6. cap.13.) *Aliunde haberi non poteſt niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat ſtatuere, ut perſeveranter ſtet & eum qui cadit reſtituere.* Fulcitur item canone iſto merè gratuita in æterno Dei propoſito prædeſtinatio. Hinc enim dependet ſeries omnis gratiæ bonorumque operum quibus æterna vita paratur. Efficax namque intentio finis invehit ſecum omnia media ſine quibus non attingitur finis : & quiſquis terminum certò intendit eadem intentione viam init quâ neceſſario eundum ſit ad terminum. Sunt itaque prædeſtinationis effectus, nullatenus verò prædeſtinationis cauſa omnes gratiæ efficaces, & ex his procedentia bona opera, & quod non cadit ſub meritum perſeverantiæ donum. Eoque ſenſu prædicat Apoſtolus Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.* Quod ſanè propoſitum Dei ſic ibidem docet Auguſtinus in expoſit. epiſt. ad Rom. expoſit.55. & in lib. de bono perſeverantiæ cap. ult. & lib. de prædeſt. Sanct. cap.15. & epiſt. ad Sixtum 105. & alibi paſſim non fundari ſuper futuris meritis, ſed ex oppoſito iſta inniti æterno Dei propoſito ut fonte & cauſa ex qua promanant. Unde proſequitur Apoſtolus ibid. *Quos enim præſcivit, illos prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus ex multis fratribus.* Sanè ſicut primogenitus filius Dei de quo ſic teſtatur Apoſtolus Rom.1. *Prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute*, ſine ullis humanitatis illius præcedentibus meritis electus eſt ad hoc ut in perſonam Verbi aſſumeretur, ita quicunque ad vitam prædeſtinantur æternam, id beneficium debent electionis ſuæ non proprijs virtutibus ac meritis, ſed gratuitæ Dei electioni ac propoſito quo ipſos prorſus immeritos ſejunxit à maſſa damnationis, in qua incluſi unà cum reprobis erant. Quo eodem ſenſu tum reſpectu prædeſtinationis ex propoſito, tum neceſſitatis gratiæ prævenientis ſic ſuam ad Romanos epiſtolam proſequitur Paulus. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Quod Apoſtolicum effatum præclarè Auguſtinus dilucidat in Enchiridio cap. 32. *Si propterea dictum eſt non eſſe volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei quia ex utroque fit, id eſt ex voluntate hominis, & miſericordia Dei, tanquam diceretur non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei : non ergo ſufficit miſericordia Dei ſi non ſit etiam voluntas hominis: quia id voluntas hominis ſola non implet. Cur non & è contrario rectè dicitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis*

*hominis, quia id miſericordia ſola Dei non implet? Porro ſi nullus Chriſtianus dicere audebit non miſerentis eſt Dei,ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſimè contradicat, reſtat ut propterea rectè dictum intelligatur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam,& adjuvat præparatam.* Hoc ſcilicet innuens nullum eſſe bonæ voluntatis meritum niſi prævenienté & adjuvante Deo.Similia habet Auguſtinus lib.1.ad Simplicianum quæſt.2.juxta ſententiam Apoſtolicam. Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? 1. Cor.4.

5.Can.XIV. *Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur,niſi per Dei miſericordiam præveniatur, ſicut Pſalmiſta dicit miſericordia ejus præveniet me. Et citò anticipent nos miſericordiæ tuæ Domine.*

Canonem iſtum Synodus edidit, ut antidoti loco eſſet adverſus Maſſilienſium errorem quem his verbis Proſper epiſt. ad Auguſtinum prodit: *Ad hanc gratiam qua in Chriſto renaſcimur perveniſſe credunt, per naturalem ſcilicet facultatem petendo,quærendo & pulſando: & ideò accipiat, & ideò inveniat,& ideò introeat quia bono naturæ bene uſus eſt,ut ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Sed his egregiè reſpondet Auguſtinus de bono perſeverantiæ ca.23. *Vbi intelligimus & hoc ipſum eſſe donum Dei, ut veraci corde, & ſpiritualiter clamemus ad Dominum: Attendant ergo quomodo falluntur qui putant eſſe à nobis, & non dari nobis ut petamus quæramus, & pulſemus, & hoc eſſe dicunt quod gratia præceditur merito noſtro & ſequatur illa; cum accipiamus petentes,& inveniamus quærentes, aperiaturque pulſantibus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe,ut oremus hoc eſt petamus, quæramus,atque pulſemus.*

Can.XVI. *Fortitudinem gentium mundana cupiditas facit, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis nullis meritis gratiam prævenientibus.*

Deſumptum eſt ex opere Auguſtini contra Julianum libro n.83.& ex ejuſdem libro de Patientia cap.17.

6. Can.XVIII. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant,ſed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant.*

Hic igitur mirabili nexu copulantur gratuitum,& meritorium,quia hominis meritum à gratia Chriſti præceditur ac prævenitur, atque ex ejus gratuitæ bonitatis fonte dimanat.

Can.XIX. *Natura humana etſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret,nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adjuvante ſervaret Vnde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?*

Deſumptum eſt ex Auguſtini epiſt. 106. Cui doctrinæ de actualium auxiliorum ad habitualem gratiam neceſſaria adjunctione ſuffragatur aliud ejuſdem teſtimonium lib.de correp.& grat. c.12. *Si autem hoc adjutorium vel homini vel Angelo cum primum facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet,non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet ſine quo manere non poſſent.* Qua Auguſtinianâ doctrinâ funditùs evertitur Michaëlis Baij dogma hominem peccare in eo etiam quod evitare non poſſit. Et ſtabilitur ſpecies illa gratiæ quæ ſufficiens dicitur,cum certum ſit illud adjutorium Angelis qui lapſi ſunt,& Adamo poſt primam gratiam collatum pertinere ad gratiam actualem,non tamen efficacem, quia illi non perſtiterunt in gratia cum illo auxilio, ergo ad ſufficientem,quatenus cum illo potuiſſent & culpam & ruinam evadere.

Can.XX. *Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo* (cujuſmodi ſunt gratiæ omnes prævenientes) *nulla autem bona facit homo quæ Deus non præſtet ut faciat homo.*

Erutum eſt ex Auguſtini lib. contra duas epiſ. Pelagij cap.8.

7. Can. XXII. *Nemo de ſuo habet niſi peccatum & mendacium.*

Ex ejuſdem tract.5.in Joan.habet quidem homo gratiam non ex ſe tamen,ſed ex divina bonitate ſecundum Apoſtolum dicentem Rom.11.7. *Si autem gratia jam non ex operibus alioqui gratia jam non eſt gratia.* Et ſapienter ait Auguſtinus epiſt.143.ad Julianam viduam virginis Demetriadis matrem. *Nec miremini quia dicimus & veſtra eſſe,& ex vobis non eſſe, nam & panem quotidianum dicimus noſtrum,ſed tamen addimus da nobis. An verò quando Apoſtolo dicente audierit homo, Quis enim te diſcernit? reſponſurus eſt bona voluntas mea,fides mea, juſtitia mea, & non continuò quod ſequitur auditurus, Quid enim habes quod non accepiſti?ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quis enim vos ab illa ex Adam maſſa mortis perditioniſque diſcernit? *Nonne ille qui venit quærere & ſalvare quod perierat?* Luc.19.10.

8. Can. XXV. *Aliquos divina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe non ſolum non credimus,ſed etiam ſi ſint qui tantum malum credere velint cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.*

Hæreticis aſſuetum eſt affingere Catholicis falſa dogmata,ut ſanam eorum doctrinam in odium & contemptum adducant. Sic Neſtoriani Cyrillum criminabantur eſſe Apollinaris ſectarium. Eutychiani quoque orthodoxos qui diſtinctas & inconfuſas in Chriſto naturas aſſerebant,Neſtorianæ hæreſis inſimulabant. Et olim Ariani qui diverſas attribuebant ſingulis divinis perſonis eſſentias,& naturas, Catholicos ſibi adverſantes Sabellianæ hæreſis calumniâ unicam in Deo perſonam aſſerentis impetebant. Simili vafricie Fauſtus Rejenſis Epiſcopus eique coætaneus Gennadius ex inconcuſſa Sancti Auguſtini doctrina falſas & malè cohærentes eliciebant conſequentias, quas falſo Auguſtini diſcipulis aſcribebant, eoſdemque

demque Prædeſtinatianorum hæreticorum nuncupatione nitebantur infamare. Iſtam calumniam ut amolirentur Arauſicani patres canonem iſtum ad præcedentes addiderunt. Magiſter Florus nomine Lugdunenſis Eccleſiæ cujus erat ipſe Diaconus, librum olim eruditum compoſuit in Auguſtinianæ doctrinæ patrocinium; in quo negat fuiſſe ullam Prædeſtinatianorum hæreſim, nihilque aliud eſſe præter commentum à Fauſto Semipelagiano per impoſturam Catholicis affictum. Potuit quidem hæc macula Lucidi Presbyteri aut Goteſcalchi animis inſediſſe ſi ſit habenda fides Fauſto & Hincmaro non tamen ante Luteri tempora in hæreticam ſocietatem coaluit.

9. Denique ſecundum ſanam ab Auguſtino traditam doctrinam divinis Scripturis conformem, & ab Eccleſia probatam duas diſtinguere opus eſt in Deo tum voluntates tum vocationes circa æternam hominum ſalutem; unam quidem quam Joannes Damaſcenus vocat antecedentem, quâ Deus vult omnes & ſingulos homines etiam poſt Adami lapſum ſalvos fieri, ad quam voluntatem reducitur etiam paſſio; & redemptio Chriſti pro omnibus & ſingulis citra ullius exceptionem hominibus. Altera verò Dei voluntas ſeu vocatio conſequens dicitur: Atque hæc cum ſit abſoluta & efficax ſuo nunquam fruſtratur effectu, neque omnes prorſus homines includit, ſed duplex duntaxat eorum genus inter quos aliqui juſtitiam, & gratiam temporaneam conſequuntur quidem ad æternam verò non pertingunt: alijs verò donum indulgetur perſeverantiæ finalis: atque ſoli iſti ſalutem conſequuntur æternam. Huc pertinet iſtud Chriſti propoſitum: *Multi ſunt vocati pauci verò electi*, Matth. 20. necnon parabola invitatorum ad nuptias, quorum aliqui tametſi ad convivium invitati non acceſſerunt, alij verò venientes ad convivium nuptiale diſcubuerunt. Ad hanc rem inſignis extat Auguſtini locus lib. de prædeſt. Sanct. cap. 16. *Vocat enim Deus* (inquit) *prædeſtinatos multos filios ſuos; ut eos faciat eſſe membra prædeſtinati filij ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt qui noluerunt venire ad nuptias. Illa quippe vocatione & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & gentes quibus Chriſtus ſtultitia eſt: Sed eâ prædeſtinatos vocat quam diſtinxit Apoſtolus dicens: Ipſis vocatis Iudæis & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem & Sapientiam: Sic enim ait ipſis autem vocatis ut oſtenderet alios non vocatos. Sciens eſſe certam quandam vocationem eorum qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti quos præſcivit & prædeſtinavit conformes eſſe imaginis filij ſui. Dixit ergo ſed ex vocante non quacunque vocatione, ſed qua vocatione fit credens.* Et ſubinde ita pergit. *Non enim vocatione illa vocati ſunt de qua dictum eſt multi ſunt vocati pauci vero electi, ſed illa ipſa quâ vocantur electi. Vnde ſubjecit Apoſtolus ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei: id eſt ſine mutatione ſtabiliter fixa ſunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes docibiles Dei ſunt, iſtorum autem nemo perit.*

***

## *DISSERTATIO DE SEMIPELAGIANÆ HÆRESIS CONDEMNATIONIBUS QUÆ SYNODUM ARAUSICANAM PRÆCESSERUNT.*

1. Nonnulli quoſdam celebres Semipelagianos à pertinacia adverſus Eccleſiam excuſare conati ſunt eo prætextu, quia eorum errores nondum fuerant à ſecunda Synodo Arauſicana, & Bonifacio Papa ſecundo condemnati. Illorum quidem fruſtra hæc prætenditur excuſatio cum perſpicuæ ſint aliæ quæ præceſſerāt condemnationes; quæ utique Semipelagianos illos latere non poterant, quarum vi ſanctiſſimi & ſapientiſſimi Scriptores Cæſarius, Fulgentius, Alcimus Avitus, Petrus Diaconus, Proſper alijque adverſus eoſdem pro Eccleſia decertabant.

2. In primis Innocentius I. Pontifex in ſuo ad Patres Concilij Carthaginenſis ſecundi (cujus acta intercidere) reſcripto ſic decernit. *Neceſſe eſt ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Quibus verbis evidenter definit ſecluſo divinæ gratiæ adjutorio nullum eſſe poſſe ex libero arbitrio bonæ voluntatis ac operationis initium contra Semipelagianorum errorem. Sed paulò infra ſic pergit Innocentius Carthaginenſe decretum approbans. *Quiſquis ergo huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, ut dicat adjutorio nobis opus non eſſe divino; inimicum ſe CATHOLICÆ FIDEI, & Dei beneficijs profitetur ingratum. Nec illi noſtra communione ſunt digni quam prædicando taliter polluerunt.* Concilium iſtud peractum eſt anno Chr. 416. Theodoſio VII. & Palladio Conſulibus; eique præſedit Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus.

3. Eodem pariter anno & iiſdem conſulib. exeunte Autumno convenit Milevitanum in Numidia Concilium contra Pelagianos, eodem præſidente Aurelio Carthaginenſi, eique inter alios Præſules Auguſtinus conſedit, hujus Synodi decretum habetur can. 5. *Item placuit ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium facilius implere poſſimus per gratiam, tanquam etiamſi gratia non daretur non quidem facile, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere divina mandata anathema ſit.* Temerè igitur aſſerebant Maſſilienſes abſque gratia prævenienti eſſe poſſe bonæ voluntatis initium. Sed ita proſequitur canon ille Milevitanus: *De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait ſine me difficilius poteſtis facere, ſed ait ſine me nihil poteſtis facere.* Quo ſanè oraculo bonum illud ex libero arbitrio initium penitus profligatur. Innocentius verò Pontifex ſuo ad patres Milevitanos reſcripto ipſorum acta decretaque confirmat. Id reſcriptum incipit *Inter cætera*, & habetur inter Auguſtini epiſtolas num. 23. Reſcriptum autem ejuſdem ad Concilij Carthaginenſis Patres ita exorditur: *In requirendo de his rebus.* Et eſt apud Auguſtinum ep. 91.

4. Sanctus Proſper ſcribens contra Semipelagianos aſſerit *ſe fidem Eccleſiæ defendere ex Apoſtolicæ ſedis autoritate* in ſua ad Vincentianas objectiones præfatione. Idemque ſcribens adverſus Collatorem Caſſianum Semipelagianorum ſigniferum cap. 10. opponit eidem contraria decreta Conciliorum Dioſpolitani, Carthaginenſis, & Milevitani:



Digitized by Google

levitani: itemque decreta Summorum Pontificum Innocentij & Zoſimi: profertque ex epiſtola Synodica Milevitani Concilij ad Zoſimum Papam hæc ipſa verba: *Conſtituimus in Pelagium atque Celeſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur gratiâ Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non ſolum ad agnoſcendam verum etiam ad faciendam juſtitiam nos per ſingulos actus adjuvari: itaut ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Subjungitque eleganter S. Proſper ad Caſſianum. *Videſne regulas tuas invictarum conſtitutionum ſoliditate contractas, & in fidei ſtructura pravas ruinoſaſque juncturas velut Hiericontinos muros ad Sacerdotalium tubarum ruiſſe concentum.*

5. Zoſimi quidem Papæ tractatoria epiſtola quâ detectis demum veteratoris Cœleſtij artibus quibus ipſi Zoſimo illuſerat, larvaque perfidæ ſimulationis excuſſa, tum Cœleſtius tum Pelagius damnati iterum ab Eccleſiæ communione (quod pridem Innocentius fecerat) declarati ſunt extorres: hæc inquam epiſtola intercidit. Illius tamen meminere Auguſtinus multis locis, & Proſper cap 21. contra Collatorem dicens: *Quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum.* Idemque Proſper in Chronico ad annum 418. ait: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum quatuordecim, & amplius Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Synodi decreta perlata ſunt. Quibus prolatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Marius Mercator his coævus in ſuo commonitorio tradit tractatoriam Zoſimi epiſtolam in qua impia Pelagij & Cœleſtij dogmata ſingillatim recitabantur, & damnabantur per univerſum terrarum orbem tranſmiſſam ſubſcriptionibus Sanctorum Antiſtitum fuiſſe roboratam. Julianum verò ejuſque ſectarios ſubſcribere detrectantes Imperialibus legibus, ſimulque Eccleſiaſticis ſtatutis exautoratos ac depoſitos universâ exulaſſe Italiâ.

6. Deinde Proſper cap. 41. & 42. Caſſiano Romanos opponit Antiſtites Bonifacium perpetuum Pelagianorum inſectatorem, Auguſtinique doctrinæ ſtudioſiſſimum aſſertorem, & Cœleſtinum qui Pelagianos etiam universâ Britanniæ inſulâ eliminavit, atque Cœleſtium non pœnitentiam, ſed novam poſtulantem audientiam Italiæ finibus exeruit, & per Cyrillum Alexandrinum in Epheſina Synodo anathemate obtrivit. Quos eoſdem in Gallijs inceſſivit ad querelam ipſius Proſperi & Hilarij, quos ambos, id eſt Proſperum & Hilarium neque Epiſcopos, neque fratres ſuos ſed filios appellans, ſatis oſtendit neutrum eorum Epiſcopali dignitate fulſiſſe. Idemque Papa Cœleſtinus ſcriptâ ad Epiſcopos Galliæ epiſtolâ cujus Proſper & Photius alijque veteres mentionem habent, Semipelagianos in Gallia pullulantes proſcribit atque in ea epiſtola expreſſis verbis, *Compeſci jubet eos quos declarat veritatis, & Eccleſiaſticæ doctrinæ adverſarios, errorum Doctores, qui fideles intra portum doctrinæ ſanæ ſecurè quieſcentes naufragio mergere conantur.* Et demum honorificentiſſimo Auguſtinum commendat elogio dicens: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam antè à meis præceſſoribus haberetur. Bene ergo in commune omnes de eo ſenſerunt, utpote qui utique cunctis & amori fuerit & honori.* Qua laude Semipelagianos tanto viro temerè obtrectantes reprimit.

7. Huic Cœleſtini epiſtolæ Dionyſius Exiguus alijque canonum collectores communiter decem adnectunt capitula de gratia Dei & libero hominum arbitrio, anteceſſorum Pontificum auctoritates adverſum Semipelagianos complectentia, tametſi iſti (ut præfatur autor) Pelagium & Cœleſtiū anathematiſare non dubitarent. Auctorem hujuſce collectionis nonnulli exiſtimant Pontificem ipſum Celeſtinum, itaut ea collectio ejuſdem epiſtolæ partem conſtituat. Alij tamen id negant ideò quia Romanos Epiſcopos quorum adducit teſtimonia ſuos non dicat ut moris eſt prædeceſſores. Conveniunt tamen univerſi hanc teſtimoniorum congeriem factam eſſe ipſius Celeſtini juſſu ab eoque probatam ſupremæ autoritatis vim habere, ſive collector fuerit Proſper ſive Leo magnus antequam ſupremum iniret Pontificatum, dum erat Celeſtino ab epiſtolis & Sanctioribus conſilijs, ſive quis alius ne incertis, & levibus conjecturis diſcutiendis immoremur. Liquido autem ex prædictis conſtat Semipelagianam hæreſim à pluribus Concilijs & Romanis Pontificibus fuiſſe luculenter damnatam ante Synodum Arauſicanam, & hujus approbationem per reſcriptum Bonifacij II. Pontificis. Quinetiam ipſum Arauſicanorum patrum præloquium Semipelagianos evidenter doctrinæ fidei aſſerit adverſarios. Adeout ante hujus Concilij definitiones pro hæreticis & habiti & declarati ſæpius fuerint quicunque bonæ voluntatis, aut Sancti operis ullum exordium non prævenienti gratiæ, ſed naturali arbitrio retulerint acceptum.

8. Denique ut nonnihil lucis à noſtris etiam veteribus Iuriſprudentiæ ſtudijs aſciſcam: Quemadmodum delegatus judex nihil habet poteſtatis, niſi quatenus & quantum à delegante ſuo ordinario judice fuerit collatum, juxta l. 1. §. fin. ff. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd. & c. de cauſis, & c. in literis de offic. jud. deleg. ſic etiam libertas humana omnis ſupernaturalis boni prorſus eſt incapax, niſi quatenus divini Spiritus prævia motione collatum ei fuerit. Præterea quemadmodum ſinguli homines domini aſſeruntur ejus rei quam in communi poſſident l. in re communi, ff. de re ſervitu. vrb. præd. & l. Sabinus, ff. communi divid. & l. ſervi electione, ff. de lega. 1 Similiter ſanctæ hominum operationes communiter aſcribuntur divinæ gratiæ, tum prævenienti tum adjuvanti ſimulque libero arbitrio, atque ab utriſque producuntur, hoc tamen diſcrimine quia liberum hominis arbitrium penitus ſterile, atque incapax eſt tam nobilis productionis, niſi prius divinâ gratiâ motum & excitatum.

9. Operæ vero pretium haud exiguum faciam proferendo præfationem decem capitum, quæ primæ Celeſtini Pontificis ad Galliæ Epiſcopos epiſtolæ in collectione Dionyſij Exigui ſubjiciuntur, ſub hac inſcriptione *Præteritorum ſedis Apoſtolicæ Epiſcoporum auctoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio.*

*Quia nonnulli qui Catholico nomine glorianture in damnatis hæreticorum ſenſibus, ſeu pravitate, ſeu imperitia*

Digitized by Google

*imperitia demorantes piiſſimis diſputatoribus obviare præſumunt, & cum Pelagium atque Cæleſtium anathematiſare non dubitent, magiſtris tamen noſtris quaſi neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur, eaque tantummodo ſequi & probare profitentur quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli ſedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Neceſſarium igitur fuit diligenter inquirere quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi quæ eorum temporibus exorta fuerat judicaverint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores quid de gratia Dei ſentiendum eſſe ſenſuerint: ita ut etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias jungeremus, quas utique ſuas fecerunt Apoſtolici Antiſtites cum probarunt. Vt ergo plenius qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones Sanctorum patrum compendioſo manifeſtemus indiculo. Quod ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem ſi cum Catholicis credat & dicat.*

Hoc loco collocanda fuiſſent integra illa decem autoritatum capita, ſed ne ultra præſcriptum modum opus iſtud excreſceret ſummas ac titulos ſententiarum hic apponere ſatis erit.

I. Quod Adam omnes homines læſerit nec quemquam niſi gratiâ poſſe ſaluari.

II. Quod nemo ſit bonus ſuis viribus niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus.

III. Quod niſi gratia Dei continua juvemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus.

IV. Quod per Chriſtum libero bene utamur arbitrio.

V. Quod omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.

VI. Quod omnis Sancta cogitatio & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.

VII. Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur & præſtetur lex impleatur, non ſicut ait Pelagius facilè, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.

VIII. Quod præter ſtatuta ſedis Apoſtolicæ omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant quâ genus humanum ab æterna damnatione reparatur.

IX. Quod gratiam Dei etiam baptiſandorum teſtatur inſtituta purgatio, cum exorciſmis & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi.

X. Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint nec penitus aſſerendæ.

## *SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA ſub Patriarcha Menna ann. 536.*

1. POſteà quam Joannes admodum laudabilis & orthodoxus Conſtantinopolis Patriarcha ex hac vita migravit, auſpiciis Iuſtini Auguſti convocata eſt Conſtantinopoli Epiſcoporum, qui tunc fortuitò Conſtantinopoli verſabantur numero viginti, Synodus extemporanea qualem Græci ἐνδημοῦσαν ſeu popularem vocitabant, in qua concurrentibus populi acclamationibus & Iuſtini conſenſu Epiphanius electus eſt Ioannis ſucceſſor eique virtutum meritis & ſtudio religionis æquiparandus. Iſte cum annis quindecim illam rexiſſet Eccleſiam finem vivendi fecit anno 535. Iuſtiniano rerum potiente. Cujus uxor Theodora Eutychianæ hæreſi addicta Anthimum Torapezuntis Epiſcopum pariter Euthychianum, ſed callidum orthodoxæ fidei ſimulatorem ad vacantem illum Patriarchatum ſuis artibus provexit. Sub id tempus Gotthorum Rex Theodatus amiſſa bello Sicilia Ruſticum Agapetum Romanum Epiſcopum ad Iuſtinianum miſit Legatum, ut cum illo de pacis incundæ conditionibus ageret: qui cum Conſtantinopolim appuliſſet & comperiſſet Anthimum eſſe hæreticum, illum deponere eſt aggreſſus, cui initio obſtitit Iuſtinianus ab uxore ſeductus: Sed poſtquam Anthimus à Iuſtiniano præſente Agapeto interrogatus renuit duas in Chriſto natu as confiteri, voce, ſuóque ſcripto firmare, tum demum Romanus Pontifex Antimum utrâque quam indigne poſſederat detruſit conſentiente Iuſtiniano & rogante, ut in illius ſubmoti locum Mennas ſubſtitueretur, cujus jam pridem virtus Principi perſpecta erat; utrúmque Agapetus protinus eſt exequutus, ut narrat Anaſtaſius in Agapeti vita. Ita ritè compoſitis Eccleſiæ rebus, ſed infecta Principum pace pro qua legatione fungebatur paulo poſt eodem anno Conſtantipoli mortem obiit. Tum Theodora furoris & ambitionis ſtimulis exagitata nihil intentatum relinquit ut Menna detruſo Anthimum in ordinem reſtituat. Cujus pernicioſos conatus ut averteret Mennas nihil moratus eodem ipſo anno Synodum Epiſcoporum adhuc Conſtantinopoli verſantiũ atq; ex vicinia accitorum convocat. Adfuerũt Legati Apoſtolici ex Italia quinq; Epiſcopi quos Agapetus Romana ex urbe ante ſe præmiſerat. Præſedit Apoſtolico Vicariatu & autoritate qua illum Agapetus præmunierat antè quam fatis concederet Agapetus Mennas Patriarcha & cum eo interfuerunt quinquaginta alij Epiſcopi, multique præterea ſelecti inferiorum dignitatum prælustres clerici & Abbates. Mennæ & Sacræ Synodo viſum eſt tribus citationibus ad Anthimum mittere delegatos Epiſcopos qui ipſum ad Synodum accerſerent & rogarent, ut publice de naturis in Chriſto fidem profiteretur ad totius Eccleſiæ ædificationem, ſed ille diligenter perquiſitus nuſquam potuit reperiri. Perlectæ ſunt variis actionibus multæ epiſtolæ accuſatoriæ adverſus Anthimum & Severum Antiochiæ pſeudoëpiſcum, & Petrum, & Zoaram Eutychianorum principes, variique libelli querelarum adverſus prænominatos pleni qui fuerant oblati tum Agapeto tum Iuſtiniano & utriúſque decreta & conſtitutiones quibus vel convicti vel contumaces ab utriſque damnati fuerant, tandémque acceſſit prolixa Iuſtiniani Auguſti conſtitutio ad Patriarcham Mennam directa condemnationis & pœnarum infligendarum prænuncia contra Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram: quæ pariter habetur Novella 42. Atque ita actione V. finem nacta eſt Sacra Synodus poſt Beliſarij Conſulatum an. 536. Hujus Synodi acta tranſmiſit Mennas ad Petrum Ieroſolymorum Patriarcham huic ſtudens gratificari eo quod ejus juſſu monachi orthodoxi Palæſtinæ, & nonnulli remotiores Epiſcopi ex Oriente Conſtantinopolim commigraſſent, ut quatuor prædictos Epiſcopos coram Agapeto & Iuſtiniano tum hæreticæ pravitatis

vitatis tum aliorum criminum, reos poſtularent. His acceptis à Menna Petrus Jeroſolymitanus Synodum coëgit quinquaginta quinque Epiſcoporum qui eodem quoque excurrente ſententiam anathematis adverſus quatuor hoſce Pſeudoëpiſcopos dixere. Agapeti ſummi Pontificis & ejus Legati Vicarij Mennæ judicium ſequuti, ſimulque providentes ne quis cum illis communicare auderet, ac eis in animæ ſuæ perniciem auſcultaret.

## DISSERTATIO BREVIS *de Vrbanis ſeu popularibus Synodis.*

1. OCcaſione ſumpta ex præcedentibus Synodis Conſtantinopolitanis ea ſcilicet quâ in locum demortui Joannis ſubleĉtus eſt Epiphanius & altera inſequente quam ſubtracto ex vivis Agapeto Mennas ex fortuito commorantibus Epiſcopis collegit apud Conſtantinopolim. Etiamſi plenaria Concilia haud parum Eccleſiæ conducerent, tamen permultum incommodi haud dubie involvebant; convocati enim remotis ex provinciis Epiſcopi multum defatigabantur gravibus expenſis euntes aut in loco Synodi degentes, tum etiam redeuntes onerabantur, eorúmque in propriis Eccleſiis reſidentiæ, non ſine gravi earumdem diſpendio intermittebantur, aliáque non levia occurebant incommoda quorum intuitu rarius, nec niſi graviſſima urgente Eccleſiæ neceſſitate celebranda videbantur. Duæ vero erant in toto Chriſtiano orbe civitates Roma vetus & Conſtantinopolis ad quas pro diverſis occurrentibus cauſis, & pro definiendis ob juridiſctionis & poteſtatis amplitudinem judiciis etiam remotiorum Eccleſiarum Epiſcopis diverſis confluere neceſſe erat. In his duabus ſi qua gravis occurreret quæſtio ac difficultas decidenda ſummus Pontifex aut Imperatricis verbis Patriarcha verſantes in urbe Antiſtites alioſve ex vicinia accerſebant ad deliberandum in commune. Eaſque convocationes vocabant Græci σωόδοι ἐνδημοῦσαι ſive ἐπιδημοῦσαι ac ſi diceres populares aut privatas Synodos. Ejuſmodi fuere duæ illæ proximè à nobis commemoratæ: talis quoque fuit qua Epiphanius Conſtantinopolis Patriarcha præfati Mennæ prædeceſſor, ne temere Stephanum Theſſalonicenſem ſua deſtituiſſe videretur Eccleſia ex Epiſcopis diverſis in comitatu verſantibus convocarat. Ejuſmodi Concilium Romæ habuerat Cornelius Papa ſic ad Cyprianum ſcribens epiſt. 46. *Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium, adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt ut firmato conſilio quid conſervari deberet conſenſu omnium firmaretur.* Quam etiam conſuetudinem ſede vacante à clero Romano ſervatum docet Cyprianus epiſt. 31. in cauſa lapſorum dicens: *Vt temperamenti moderamen quæreretur clerum urbanum cum quibuſdam Epiſcopis vicinis urbi & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe poſitis perſecutionis ardor ejecerat.* Summa horum ratio eſt quia multorum ſententiis in unum collatis ſingulæ res juſtiore trutina examinantur, & facilius quod ex uſu eſt perſpicitur. Et prover. 8. ſapientia de ſe vere prædicat Ego ſapientia habito in conſilio & eruditis interſum cogitationibus.

## CONCILIVM AVRELIANENSE *tertium an. Chr. 538.*

1. Can. I. *VT unuſquiſque Metropolitanus in provincia ſua cum comprovincialibus ſuis ſingulis annis Synodale debeat opportuno tempore habere Concilium.*

Hoc idem fuerat ſecundo Aurelianenſi Concilio conſtitutum can. 2. *Vt Metropolitani ſingulis annis comprovinciales ſuos ad Concilium evocent.* Idem præſcripſerat Agathenſis can. 71. & Toletani quarti can. 3. Atque jam fuerat temiſſa antiquior regula Synodorum provincialium ſingulis annis bis convocandarum quam canon Apoſtolorum 37. & Nicænus canon 5. & Antiochenus 20. & Calchedonenſis can. 1. præceperat.

2. Can. II. *Vt nullus clericorum à Subdiacono & ſupra qui uxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, propriæ ſi forte jam habeat miſceatur uxori. Quod ſi fecerit laica communione contentus juxta priorum canonum ſtatuta ab officio deponatur. Quem ſi ſciens Epiſcopus ſuus in hac vilitate permixtionis viventem ad officium poſtea admiſerit, & ipſe Epiſcopus ad agendam pœnitentiam tribus menſibus ſit à ſuo officio ſequeſtratus.*

Canon Agathenſis 9. *Placuit etiam ut ſi Diacones aut Presbyteri conjugati ad torum uxorum ſuarum redire voluerint Papæ Innocentij ordinatio & Siricij Epiſcopi auctoritas quæ eſt his canonibus inſerta conſervetur.* Subdit deinde Innocentij primi conſtitutionem ad Exuperium Toloſanum & Siricij de Diaconis & Presbyteris à matrimonio converſis ut ſi ad priſtinas redeant uxores ab omni ſummoveantur Eccleſiaſtico miniſterio.

3. Can. XX. *Si quis clericorum circa ſe aut diſtrictionem aut tractationem Epiſcopi ſui putat eſſe injuſtam, juxta antiquas conſtitutiones recurrat ad Synodum.*

Conſtitutum à Nicæno Concilio jam pridem fuerat can. 5. liberum eſſe illi in quem proprius Epiſcopus ſententiam excommunicationis protulerit, aut qui ab eo læſum ſe alioqui exiſtimaverit, recurrere ad Synodum provincialem in qua reviſetur ac retractabitur eadem cauſa, eáque perſpecta factum Epiſcopi vel confirmabitur vel reſcindetur, vel aliqua moderatione temperabitur. Idem de recurſu ad provinciæ Synodum ſancitur Concilij Carthaginenſis quarti can. 66. *Clericus qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem injuſtam putat recurrat ad Synodum.* Quapropter ne multæ appellationum cauſæ injudicatæ manerent, neve compellerentur clerici injuſtas ſubire oppreſſiones, antiquiſſimi quidem canones quotannis duas cogi provinciales Synodos præcipiebant poſterioreſque canones ſaltem ſemel unoquóque anno. Multis enim ab initio ſæculis ad Synodos interjiciebantur appellationes

Digitized by Google

appellationes quæ nunc ad Metropolitanorum tribunalia.

4. Can. XXII. *Si quis res Eccleſiæ debitas vel proprias Sacerdotis horrendæ cupiditatis inſtinctu occupaverit, retinuerit aut à poteſtate ex competitione perceperit ut eas non reſtituat nullis rebus excuſetur. Sed ſi agnito jure Eccleſiaſtico non ſtatim Eccleſiæ vel Sacerdoti reformaverit, aut ut ipſum jus agnoſcere poſſit in judicium electorum venire diſtulerit, tandiu à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur quamdiu reſtitutis rebus tam Eccleſiam quam Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his qui oblationes defunctorum legaliter dimiſſas quolibet ordine aſſignare tardaverint, vel retinere præſumpſerint diſtrictionis Eccleſiaſticæ juxta priores canones forma ſervetur. Cui etiam ſententiæ ſubjacebit quiſquis ille quolibet ordine quod pro devotione ſua Eccleſiis dedit revocare præſumpſerit.*

Circa relicta Eccleſiis aut oblationes defunctorum adſtipulatur iſte Aurelianenſis canon Vaſionenſis Concilij canoni 4. & Carthaginenſis quarti can. 95. & Agathenſis can. 4. & Matiſconenſis primi can. 4. & ſecundi Arelatenſis can. 47. & Aurelianenſis ſecundi can. 15.

5. Obſerva hujus 22. canonis verba iſta, *Aut à poteſtate ex competitione perceperit.* Non enim poteſtas excuſabit rei Eccleſiaſticæ aut alienæ detentorem apud ſupremum iudicem Deum ut admonet Concilium primum Arvernenſe can. 5. hac de re memorabile refertur exemplum à Gregorio Turonenſi lib. 4. de geſtis Francorum cap. 2. cujus hæc ſunt verba. *Clotarius Rex indixerat ut omnes Eccleſiæ regni ſui tertiam partem fructuum fiſco ſoluerent. Cui licet inviti Sancti Epiſcopi conſenſiſſent atque ſubſcripſiſſent, viriliter hoc beatus Injurioſus reſpuens, ſubſcribere dedignatus eſt dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum eſt ut pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem nec valedicens abſceſſit. Tunc commotus Rex timens, etiam virtutem beati Martini, miſit poſt eum cum muneribus veniam petens, & hoc quod fecerat damnans, ſimulque rogans, ut pro ſe virtutem beati Martini Antiſtitis exoraret.* Erat hic Epiſcopus Turonenſis & ſubſcriptus legitur in Concilio Aurelianenſi ſecundo.

Can. XXIV. *Vt ne quis benedictionem pœnitentiæ juvenibus perſonis credere præſumat. Certe conjugatis niſi ex conſenſu partium & ætate jam plena eam dare non audeat.*

XXVIII. *Quia perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis aut bobus aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exercere (quæ res ad Iudaicam magis quam ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur) id ſtatuimus ut quod die dominico ante fieri licuit liceat. De opere tamen rurali id eſt aratro, vel vinea, vel ſectione, vel meſſione, excuſſione, exarto, vel ſepe, cenſuimus abſtinendum, quò facilius ad Eccleſiam convenientes orationis gratiæ vacent. Quod ſi inventus fuerit aliquis in operibus ſupra ſcriptis quæ interdicta ſunt ſe exercere, qualiter emendari debeat non in laici diſtrictione ſed in Sacerdotis caſtigatione conſiſtat.*

## *CONCILIVM AVRELIANENSE quintum anno Chriſti 549.*

1. INITUM iſtud Concilium fuit Anno Chriſti 549. ſedente ad univerſalis Eccleſiæ gubernaculum Vigilio, Franciſque regnante Childeberto. Canones auſpicantur Concilij patres à damnatione impietatis Neſtorianorum & Eutychianorum dogmatum.

2. Can. II. *Vt nullus ſacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas pro quibus antiqui Patres ab Eccleſia arceri juſſerunt committentes.*

Qui Canon iiſdem verbis renovatur in Concilio Vormatienſi can. 13. Et in Concilio Arvernenſi can. 2. Concilium Agathenſe his etiam ſuffragatur can. 3. *Epiſcopi* (inquit) *ſi Sacerdotali moderatione poſthabita innocentes aut minimis cauſis culpabiles excommunicare præſumpſerit, à vicinis Epiſcopis ejuſdem Provinciæ literis moneantur. Et ſi parere noluerint communio illis uſque ad tempus Synodi à reliquis Epiſcopis denegetur.* Vide c. Epiſcopi c. nemo Epiſcoporum & c. nullus Sacerdotum 11. q. 3. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de refor. c. 3. *quamvis* (ait) *excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobriè tamen magnâque circumſpectione exerendus eſt: cum experientia doceat ſi temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem parere potius quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis ut aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus, ferri ſolent, à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur: & tunc non aliàs quam ex re non vulgari, cauſa diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat. Nec ad eas concedendas cujuſvis ſæcularis etiam magiſtratus authoritate adducatur: ſed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum.* Et utique Auguſtinus lib. de correp. & gra. c. 15. *Pœna* (inquit) *excommunicationis*

*nulla maior eſt in Eccleſia.* His aſtipulantur regia Francorum edicta nimirum Caroli IX. in comitiis Aurelianenſibus art. 18. & Ludovici XIII. anni 1666.

3. Can. II. *Item ſicut antiqui Canones decreverunt nullus invitis detur Epiſcopus: ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum cives aut clerici quod dici nefas eſt inclinentur. Quod ſi factum fuerit, ipſe Epiſcopus qui magis per violentiam quam per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatus honore in perpetuum deponatur.*

Cæleſtinus Papa epiſt. 2. c. 5. ſic decernit *nullus invitis detur Epiſcopus, cleri plebis & ordinis conſenſus ac deſiderium requiratur.*

4. Can. XII. *Nulli viventi Epiſcopo alius ſuperponatur aut ſuperordinetur Epiſcopus niſi forſitan in ejus locum quem capitalis culpa dejecerit.*

Et Nicænus Can. 8. prohibet duos eſſe unius civitatis Epiſcopos, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. Ejus Canonis Auguſtinus meminit cui à ſe & Valerio ſene per ignorantiam contraventum fatetur, quando ſuperſtite adhuc & ſatagente Valerio ordinatus fuit Hipponenſis Epiſcopus: qui poſtea ſub finem vitæ præcavens diſſenſiones ambitus & profanas largitiones quæ non raro uſuveniebant poſt obitum Epiſcopi in electione ſucceſſoris Eradium presbyterum adhuc vivens propoſuit eligendum, cámque in acta publica electionem referri curavit: ſic tamen ut non niſi poſt mortem ſuam Eradius ordinaretur Epiſcopus. Quam eamdem præcautionem habuerat paulo ante Severus Milevitanus Epiſcopus, eóque defuncto idem Auguſtinus Milevim conceſſit, ibique electionem ejus quem ſibi adhuc vivens deſignaverat ſucceſſorem, à populo fecit confirmari. Hæc omnia refert Auguſtinus epiſt. 110. Quoniam vero iſta quoque præcautio poſſet eſſe abuſiva & aliquibus periculis obnoxia: nec enim omnes pari cum Auguſtino ſinceritate intentionis aguntur, ejuſmodi proviſionem ac nominationem vetant poſteriora Concilia in quibus eſt Pariſienſe quintum anni 615. can. 1. & 2. & Toletanum quartum ſanciens can. 2. *Vt nullus Epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat.* Quin etiam ante Auguſtini ipſius tempora hoc idem vetitum fuerat Antiochenæ Synodi can. 23.

Can. XIIJ. *Ne cui liceat res aut facultates Eccleſiis aut Monaſteriis aut Xenodochiis pro quacumque eleemoſyna cum juſtitia delegatas retentare alienare atque ſubtrahere. Quod quiſquis fecerit tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum ſententiis conſtrictus ab Eccleſiæ liminibus excludatur, quandiu ab ipſo ea quæ ſunt ablata vel retenta reddantur.*

Hoc idem ſtatuerat Vaſenſis Concilij can. 4. & Meldenſis can. 17. Et Matiſconenſis primi canon 4. Et Arelatenſis Concilij ſecundi can. 47. Et Carthaginenſis quarti can. 95. Et Agathenſis can. 4.

5. Can. XIX. *Quæcumque etiam puellæ ſeu propria voluntate monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa qua intraverunt veſte permaneant. In his vero monaſteriis ubi non perpetuò tenentur incluſæ triennium in ea quâ intraverint veſte permaneant: Et poſtmodum ſecundum ſtatuta monaſterij ipſius in quo elegerint permanere, veſtimentum religionis accipiant. Quæ ſi deinceps ſacra relinquentes loca propoſitum ſanctum ſæculi ambitione tranſcenderint, vel illæ quæ in domibus propriis tam puellæ quam viduæ commutatis veſtibus convertuntur, cum his quibus conjugio copulantur Eccleſiæ communione priventur: ſane ſi culpam ſequeſtratione ſanaverint ad communionis gratiam revocentur.*

Nota duas olim ſanctimonialium perpetuo caſtitatis voto obſtrictarum ſpecies, quæ omnes relicto habitu ſæculari religionis habitum induebant. Nota etiam eis quæ monaſteria ingrediebantur ad ſuſcipiendam religionem non licuiſſe habitum ſæcularem cum quo acceſſerant commutare niſi poſt annum exactum in Monaſteriis in quibus vigebat clauſura; aut poſt triennium in Monaſteriis quæ clauſuræ obnoxia non erant, obſerva demum inter vetera monaſteria quædam clauſuræ lege fuiſſe aſtricta quædam non fuiſſe.

Can. XX. *Id etiam miſerationis intuitu æquum duximùs cuſtodiri ut qui pro quibuſcúmque culpis in carceribus deputantur ab Archidiacono ſeu à præpoſito Eccleſiæ ſingulis diebus dominicis requirantur, & neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum divinum miſericorditer ſublevetur; atque à Pontifice inſtituta fideli & diligenti perſona quæ neceſſaria provideat, competens eis victus de domo Eccleſiæ tribuatur.*

Can. XXII. *Et licet propitio Deo omnium Domini ſacerdotum vel quorumcumque hæc cura poſſit eſſe fidelium, ut egentibus neceſſaria debeant miniſtrare, ſpecialiter tamen de leproſis id pietatis cauſa convenit: ut unuſquiſque Epiſcoporum quos incolas hanc infirmitatem incurriſſe tam territorij ſui quàm civitatis agnoverit, de domo Eccleſiæ juxta poſſibilitatem victui & veſtitui neceſſaria ſubminiſtret, ut non eis deſit miſericordiæ cura quos per duram infirmitatem intolerabilis conſtringit inopia.*

CONCILIVM

Digitized by Google

## CONCILIVM VNIVERSALE *quintum ſeu Conſtantinopolitanum ſecundum anno Domini 553. habitum.*

1. NEſtorianam perfidiam & Eutychianam impietatem œcumenicæ Synodi Epheſina, & Chalcedonenſis proſtraverant, non tamen extinxerant. Pertinax enim malitia in multorum animis & virus hæreſeos & nova in dies factionum molimina perpetim alebat & accendebat. Dudum etiam exoleti Origenis errores multis locis recrudeſcebant, unde innumera per Orientem diſſidia & concertationes pullulabant. In hac tamen multiplici hæreſum colluvie perfidia Eutychiana quæ regnante religioſiſſimo Principe Marciano in multorum animis metu potius quam voluntate repreſſa latebat, poſt illius interitum in tantam prorupit audaciam ut per omnem Aſiam & Vicinas Europæ regiones omni furore & ſtrage graſſata ſit, treſque Orientis Patriarchias Alexandrinam, Antiochenam & Conſtantinopolitanam fædè concuſſerit: de quibus ſingulis pauca hic perſtringenda, præſertim ex Liberati Carthaginenſis Diaconi breviario.

2. In primis Alexandriæ audito ſtatim Marciani Auguſti è vita diſceſſu, qui dum ſuperſtes fuit Chalcedonenſem fidem ſtrenuè tutatus fuerat, ea ſoluti formidine quicumque Dioſcoro favebant caput ſacrilegum extulerunt, præcipui horum fuere Duces Timotheus Ælurus, & Petrus Moggus. Hi primùm ut refert Liberatus c. 15. catervis Hæreticorum ſtipati Proterium adoriuntur Alexandrinum Epiſcopum ex Chalcedonenſi decreto in locum deturbati ea ſede Dioſcori ſubrogatum, cúmque in Baptiſterio quò confugerat latitantem jugulant, & flammis injectum in cineres redigunt quos in ventum diſſipant. Ægerrime hoc tulit qui Marciano ſucceſſerat Leo Auguſtus. Nec minus tamen bacchantur Alexandriæ Eutychiani, hortante Timotheo Æluro qui per vim & Orthodoxorum cædes, Patriarchicum Thronum dejecto inde Proterio invaſerat. Quin etiam poſt hujus invaſoris interitum per novam obſiſtentium Catholicorum ſtragem & internecionem horrendam, projectiſſimæ nequitiæ hæreticorum Petrum Moggum in ea ſede Collocant.

3. Antiochiæ vero non ſegnius inſoleſcebant ejuſdem Sectæ gregales, authore præſertim Petro Cnapheo ſeu Fullone qui ad Eutychetis dogma hæreſim adjunxit Theopaſchitarum voceſque Tryagio addidit *qui paſſus eſt pro nobis.* Iſte concitata adverſus Martyrium multitudine Antiochenum Epiſcopum, illam violentus ſedem occupavit. Quam eamdem decurſis aliquot annis alter Euthychianæ Sectæ propagator inſignis Severus invaſit depulſo Catholico præſule Flaviano, ſubnixus favore & gratia Imperatoris Anaſtaſij qui ſublato è vivis ſucceſſore Leonis Zenone, Romanum quod pacificare debuerat ubique perverſo regimine convellebat Imperium. Severus ex iſta ſic occupata ſede Sanctam Chalcedonenſem Synodum auſus eſt Anathematizare, Eccleſias omnes depopulatus eſt, atque Orthodoxos direptionibus, verberibus, carceribus, exiliis, cædibus atrociter divexavit. Et in his trecentos Monachos immaniter excruciatos trucidavit, omniáque luctu, cruore & cadaveribus funeſtavit.

4. Nec minus infeſtas Eutychianorum furias paſſa eſt Conſtantinopolis Eccleſia: primum quidem ſub Acacio qui Petrum Moggum in Alexandrino Epiſcopatu retinendo omni præſidio & induſtria tutatus eſt: quique Chalcedonenſis fidei proditor diu fallacibus artibus Romanorum Pontificum diligentiam eluſit. Deinde ſub Antimo qui abdicato Trapezuntis Epiſcopatu in ſedem Conſtantinopolitanam involavit, ut primum vacare cœpit obitu Catholici Epiſcopi Epiphanij, quam violentus invaſor deinceps non deſtitit ſua hæreſi contaminare. Quæ cum graviter ferret Romanus Epiſcopus Agapetus qui tum temporis Theodati Gotthorum Regis causâ Conſtantinopolim ad Juſtinianum Auguſtum conceſſerat, non modo Antimi ſalutatione omnique communione abſtinuit, ſed & ipſum obſiſtente licet Theodora Imperatrice, Patriarchatu dimovit, Menna ſpectatæ religionis viro illius in locum ſuffecto, quem ſua ipſe manu ſacravit applaudente ſenatu & populo, ſuáque ſanctione id totum comprobante Iuſtiniano. Atque ita repreſſa illic hæreticorum veſania tantiſper conquievit.

5. Sed & Orientem pariter depopulabatur hæreſis Neſtoriana quam valde fovebant libelli quidem à tribus authoribus editi. Horum primus fuit Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, qui ante Synodum Epheſinam adverſus hæreticos Eunomium & Appollinarem ita ſcripſerat ut unam tamen Chriſti perſonam, & Deum carne indutum, & Mariam fuiſſe Dei Matrem palàm inficiaretur. Igitur Neſtoriani interdictis per edita Auguſtalia Neſtorij libris ne deeſſet unde populis virus Neſtorianum propinaretur ſcripta Theodori ſtudioſè divulgarunt Neſtoriani, non Græco tantum Idiomate ſed converſa etiam in Syrorum, Perſarum, atque Armenorum ſermonem. Alter fuit Theodoretus Cyri Antiſtes qui duodecim Epheſinæ fidei capitibus à Cyrillo Alexandrino concinnatis totidem oppoſuerat & cuderat acres aculeatáſque cenſuras. Tertius Ibas Edeſſenæ Civitatis Epiſcopus qui ſcriptâ ad Marim Perſam Epiſtolâ, coarguit Rabulam deceſſorem ſuum quod immerito Mopſueſtenum quem optimè de Eccleſia meritum & ſtrenuiſſimum hæreticorum debellatorem aſſerit, anathemate damnaſſet. Poſtmodum Dioſcorus ejuſque in Epheſino Conciliabulo aſſeclæ Edeſſenum Ibam duas Chriſti prædicantem naturas adverſus Eutychem crudeliter inſectati ſunt, tanquam ab Epheſina Synodo & Cyrillo diſſidentem cúmque ſæpius in vincula redactum & condemnatum depoſuerunt. Ab his provocavit Ibas ad Synodum Chalcedonenſem quæ Ibam Neſtorij dogma palam damnantem communioni, priſtinæque dignitati reſtituen

reſtituendum duxit, & ſeſſione in Concilio dignata eſt: de ipſius tamen ad Marim Epiſtola nihil definivit.

6. Ad Neſtorianam & Eutychianam luem tertia peſtis & calamitas acceſſit ex duobus monachis novæ Lauræ (id erat Sanctæ Sabæ in Palæſtina monaſterium) Nonno & Leontio Byſantino: iſti collectos ex Origenis voluminibus graviſſimos errores in omnes Orientis plagas diſperſerunt: quorum ſumma hæc erat, ante corpus extitiſſe animam in cœlo, in quo varia peccata commiſerit. Cælum ſoléınque, Lunam & quæ cælis ſupernatant aquas eſſe quaſdam animatas & ratione præditas virtutes. In reſurrectione corpora hominum rotunda & orbiculata excitatum iri. Omnium damnatorum tum dæmonum tum hominum tormenta finem habitura. Impios homines dæmonéſque in priorem ſuum a creatione ſtatum eſſe reſtituendos. Pro dæmonum ſalute Chriſtum denuò Crucifigendum, idque ipſum patiendum eſſe à malignis qui in cælo ſunt ſpiritibus. Horum amentia ne latius in dies ſerperet ſuppliciter id poſtulantibus monachis nonnullis Jeroſolymitanis, atque Pelagio Diacono Vigilij Papæ Apocriſiatio, & Menna Conſtantinopolis patriarchâ Juſtinianus Imperator non tantùm Neſtorianos & Euthychianos, ſed inſuper Origeniſtas ſevero coërcuit edicto. Quod poſtea trium orientis Patriarcharum ſed & Vigilij potiſſimum ſuffragio confirmatum eſt, in quo illud aſſeritur ex Origenis libris Arium Manetem ac ferè reliquos omnes hæreticos tanquam immanes feras ex antris & caveis proſilientes, gregem dominicum devaſtaſſe. Iſtiuſmodi condemnationem ut prodit Liberatus Carthaginenſis Archidiaconus Breviarij ſui hiſtorici c. 23. iniquo admodum animo tulit Cæſareæ Cappadocum Antiſtes Theodorus Origeni addictiſſimus ſectáque Acephalus, quæ ramus & propago quædam erat hæreſis Eutychianæ; prætereáque Pelagio Diacono ſummopere infenſus, ut igitur quaſcúmque poterat Origeni & Acephalis ferret ſuppetias, Iuſtiniano principi cujus gratia pollebat ſuadet ne ſe tot curis & laboribus conficeret in Acephalis inſectandis, & Chalcedonenſi tuenda Synodo; facili quippe negotio totum componi poſſe ſi Mopſueſteni Theodori libros, Ibæ Epiſtolam, & Theodoriti capitula publico edicto damnaret. Nec enim aliam ob cauſam quicúmque cum Eutyche ſentiunt licet in varias diſſecti partes à Chalcedonenſi Synodo dicebat abhorrere, niſi quod Theodoritum & Ibam Iuſtè ob hæreſim ſuis olim ſedibus ejectos retinuiſſet, atque in Synodi conſeſſum admiſiſſet. Deinde quod Ibæ relinquendo intactam Epiſtolam, ejúſque authorem honorificè reſtituendo, videretur hoc ipſo Theodori Mopſueſteni doctrinam tantopere in ea Epiſtola collaudatam approbaſſe. His vero tribus deterſis maculis, fore tandem ut alióqui graviſſima Synodus nemine diſcrepante ubique reciperetur.

7. Iſta Theodorus Cæſarienſis Iuſtiniano vaferrimè ſimul & mendaciſſime ſuggeſſit. Non enim Sacra Synodus Theodoritum & Ibam in communionem & priſtinas ſedes & ſacrum conſeſſum recepit, niſi poſt teſtimonia pœnitentiæ atque publicam ſinceræ fidei profeſſionem; nec ullum Theodoro Mopſueſteno honorem haberi voluit, cum de illo nihil propoſitum aut definitum in ea Synodo fuerit: ſed ſi qua ejus mentio in his quæ ſcripſit Ibas fuit ea hiſtoricè dumtaxat recitata eſt quomodo multæ in Conciliis proferri aliquando ſolent privatorum ſcriptiones pro rerum occurrentium varietate. Longè quippe diſtant Synodica diſquiſitio & ſimplex recitatio. Si enim de ſingulis quæ recitantur definiendum eſſet, res in immenſum abirent, & Synodi ſcopus cui ſeduló intendendum eſt in diverticula innumera moleſtiarum & confuſionum plena diſtraheretur. At vero Theodorus Cæſarienſis in unum illum ſcopum collimabat ut Chalcedonenſi Concilio fidem & authoritatem omnem abrogaret, omnémque procellam in Eutychianos incumbentem in horum adverſarios Neſtorianos converteret, Catholicos vero inter ſe invicem committeret ac ſchiſmate divelleret, Euthychianis vero ſolis & robur & ſecuritas accreſceret. Hæc ſapienter penetrans Vigilius Pontifex Theodorum iſta molientem ſcriptis litteris graviter coarguit. Iuſtinianus tamen Theodoro morem gerens miſſis in omnes partes epiſtolis Epiſcopos ad trium præfatorum capitum damnationem inſtantes urget. Horum pars quidem aquieſcit, pars vero metuens ne Chalcedonenſi Concilio fraus fieret, moras nectit, & rem non aliter quàm totius orbis deliberatione reſpondet eſſe diudicandam, non vero fallacibus privatorum aliquorum affectibus. Itaque rem eò tandem Iuſtinianus deduxit ut Capitula tria ſimúlque Origeniſtarum ad œcumenicæ Synodi definitionem refferrentur, Vigilius quidem Catholicæ paci & unitati proſpiciens, nec ignorans quem ſibi Iuſtinianus ejúſque ſuaſor Theodorus finem in hoc ſupervacaneo & tamen periculi pleno negotio proponerent, eo vergere propoſuerat ubi major ſpes affulgeret ſanciendæ communi fidelium concordiæ. Eáque mente cum Iuſtinianus damnationi trium capitulorum Mennam Conſtantinopolis Epiſcopum & alios patriarchas orientis, cum ſubditis Epiſcopis ſubſcribere compuliſſet, illos damnatores Vigilius reprobavit; neque ullis Iuſtiniani precibus minis & adhibita vi inflecti potuit ad capitula tria condemnanda. Præcluſis deinde omnibus excuſationum evaſionúmque viis cum res ad generalem tandem Synodum, ſine qua damnationem petitam nullatenus fieri debere conſtanter aſſeveraverat; Iamque videret rem ad œcumenicam Synodum eſſe deductam, omnéſque in hoc ipſum unanimes conſentire provinciarum totius orientis Epiſcopos, neque tergiverſandi ullum relinqui locum, ſed reluctante ſe naſciturum exitiale ſchiſma, cunctarúmque Eccleſiarum orientalium Romana ab ſede certiſſimam deincepſque irreconciliabilem diſceſſionem: perpendens inſuper juſtam fore revera capitulorum reprobationem, quam hactenus ſola Chalcedonenſi Synodo debita veneratio vetuiſſet, omnéſque omnibus fidei decretis Calchedonenſibus aſſenſum palam profiteri, ſimulque Leonis Pontificis Epiſtolæ, tum demum Vigilius jure meritò tria capitula damnavit, pari prudentiæ judicio & officio quo antea obſtiterat. Plerique tamen Africani

cani & Iſtriæ Epiſcopi obſtinatiùs & Pontifici & Synodo refragantes ſchiſmatici evaſerunt. Eoque in ſchiſmate Aquileiæ præſul cui primas dignitatis partes cæteri ſchiſmatici regionis Epiſcopi deferebant Patriarchæ novum ſibi titulum arrogavit.

8. Anno itaque Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-tertio Conſtantinopolitana Synodus ſecunda, & inter œcumenicas quinta indicitur. Interfuerunt Eutychius regiæ urbis Epiſcopus ac Patriarcha qui Mennæ ſucceſſerat, Apollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus, tres quoque qui abſentis Euſtochij Jeroſolymitani Epiſcopi vices agebant, omneſque ſimul fuère centum ſexaginta Epiſcopi, Vigilius Romanus Pontifex non judicavit per ſeipſum neque per ſuos delegatos huic intereſſe Synodo; etiamſi tum temporis ab ipſo Juſtiniano accitus Conſtantinopoli verſaretur, ne ſua præſentia per ſæcularem poteſtatem adigeretur (ſicut pluries alijs in Cōcilijs per Imperatores convocatis contigerat, ipſis orthodoxis Epiſcopis atque aliquando ipſi Liberio Pontifici) ad quidquam quod ipſi Eccleſiæ dedecori ac detrimento verteret: ſed ſibi ſine cujus approbatione Synodus nihil ratum ac validum poterat decernere, expectandum eſſe totius rei exitum: maximè cum abeſſent Occidentis Epiſcopi, à quibus ſinceriorem poterat ſibi fidem polliceri, & certiorem in eorum adjunctione fiduciam collocare, ſic namque integrum ſibi fore approbare vel reſpuere quæcumque tandem Synodus decreviſſet. Hanc Vigilij tanto in diſcrimine prudentiam magnopere commendat illuſtriſſimus Annalium ſcriptor.

9. Vigilius tamen ut ad Concilium accederet eique præſideret etiam atque etiam rogatus fuit, ut ex ſcripta ad ipſum Synodali rogatione perſpicuum eſt: in qua poſtquam Eutychius Conſtantinopolis Patriarcha cæterique patres diſertè proteſtati ſunt ſe in omnibus definitis per ſacroſanctas quatuor Synodos conſtanter perſiſtere, omniaque decreta Calchedonenſia una cum beatiſſimi Leonis epiſtola venerari & amplexari, ſuppliciter poſtulant ut præſentiâ ſui Synodo præſideat, de tribus Capitulis judicaturæ, καὶ διὰ τοῦτο αἰτοῦμεν προκαθημένης ἡμῶν τῆς ὑμετέρας μακαριότητος ἀταράχως καὶ μετὰ ἱερατικῆς πραότητος, τῶν ἁγίων προκειμένων εὐαγγελίων τὰ αὐτὰ κεφάλαια τῶν ἐν μέσῳ τεθέντων κοινῷ πραγματείᾳ ζητηθῆναι καὶ ἀντιβληθῆναι: Et ideò petimus præſidente nobis veſtra beatitudine ſua tranquillitate, & Sacerdotali manſuetudine propoſitis Sanctis Evangelijs communi tractatu eadem Capitula in medio proponenda quæri & conferri. Miſit Synodus inprimis honorificam ad Vigilium Legationem trium Patriarcharum, & cum his aliorum ſeptemdecim Epiſcoporum. Deinde Juſtinianus alteram ad eundem invitandum & rogandum trium illuſtrium patriciorum, unà cum alijs delectis Epiſcopis: ille tamen nullis adduci precibus valuit ut à præceſſorum ſuorum (hanc enim obtendit excuſationem) conſuetudine recederet qui numquam in œcumenicis Synodis conſederant. Prolixè tamen ſuam voluntatem, & conſenſum in his pollicitus eſt rebus, quæ ſacro approbante Concilio pro Eccleſiæ dignitate decernendæ erant. Hæc ferè referuntur in primis duabus collationibus.

10. Patres in Secretario Concilium auſpicantur, actum eſt primum de Theodoro quondam Mopſuetiæ Epiſcopo, cujus productis & examinatis libris anathema in eum ejuſque doctrinam conclamatū eſt. Definitumq; hæreticos etiam poſt mortem poſſe condemnari & anathemate inuri. Itum hinc eſt in epiſtolam Ibæ quam ut à recta deflectentem fide patres cenſurâ notarunt & ultra legi prohibuerunt. Idemque decretum in capitula Theodoriti. His peractis editi ſunt Canones quatuordecim quibus Catholica fides adverſus Neſtorium, & Acephalos, alioſque Eutychetis & Severi ſectarios explicata eſt.

11. Actum etiam de Origenis Didymi & Evagrij erroribus, quos uno velut ore patres omnes execrati ſunt. Operæpretium fuerit omnem damnationis ſcriptorum Origenis hiſtoriam ab ipſis exordijs conterere. Primus ejus viventis libros hæreſibus refertos damnarat ejuſdem proprius Epiſcopus Demetrius Alexandrinus, eumque ut hæreticum anathematis ſententiâ perculerat ut ſcribit Hieronymus l.2. adverſus Rufinum. Pro ſui verò defenſione literas apologeticas ad omnes Eccleſias ſcripſit Origenes, quibus erroneorum dogmatum crimen à ſe amoliri conatur, refundens illa in quemdam æmulum & hæreticum librorum exſcriptorem, qui ad ſanam Origenis doctrinam ſua zizania ſuperſeminaverit. Cæterum ex officio feciſſet Origenes ſi ſufficienter providiſſet ne (quod poſtea contigit) fraus aliqua ulli ex ſuis libris fieret illique ſibi adſcripti errores latius ſerperent. Colligendi ergo fuerant ab ipſo ſigillatim in unum velut faſciculum, & deinde ab ipſo cuncti refellendi & anathematizandi, quod tamen illi numquam præſtare libuit, præterea non in uno alterove Codice, ſed ut obſervat Hieronymus in omnibus ferè libris quos Origenes edidit innumeros, eædem paſſim hæreſes inſperſæ leguntur. Poterat ſaltem exemplaria aliquot proferre quæ dictante ipſo Origene à multis antiquarijs quos pretio conductos Ambroſius Origenis amicus eidem liberaliſſimè ſuppeditabat, quibus ſimul ſcribentibus ipſe ſuos dictabat Libros. Hinc enim perfectiſsimè fuiſſet Origenis innocentia comprobata ſi eædem hæreſes ab ijſdem codicibus & prototypis abfuiſſent. Cum igitur tam neceſſarijs adeoque facilibus rationibus ſe ſe expurgandi Origenes abſtinuerit, imò nec eoſdem errores refellere aut damnare dignatus ſit, indicium exploratum eſt hos eoſdem errores ejus animo inſediſſe ab eoque profectos.

12. Contigit exinde ſub annum Chriſti 399. ut Theophylus Alexandriæ Epiſcopus collecta Epiſcoporum Ægypti & Libyæ Synodo libros damnaret Origenis, ejuſque fautores communione fidelium excluderet. His de rebus Anaſtaſium Romanum Pontificem fecit literis certiorem, quibus acceptis Anaſtaſius, eodem anno & Origenem & Origeniſtas publicâ ſententiâ proſcripſit ut teſtatur Hieronymus epiſt.71. ad ipſum Theophilum, & epiſt.78. ad Pammachium, & apologet.1. & 2. ad Rufinum. Multitudo ſubinde Ægypti Monachorum ab Eccleſiæ Sacramentis, & liminibus prohibetur totaque Ægypto depellitur, conceditque in Palæſtinam, unde pariter dejecta ad Joannem Chryſoſtomum Conſtantinopolis Epiſcopum perfugium quæſivit: qui eos ſola peregrina communione quâ victus neceſſarius providebatur excepit, promiſitque fore ſe ipſorum cum Theophilo reconciliationis intermedium: quia verò nullas ab eo formatas litteras producebant

cebant ideò uſque dum pleniorem ipſorum cauſæ cognitionem haberet, noluit Monachos ad Sacramentorum Eccleſiæ perceptionem admittere, preces tamen eis ad Deum in Eccleſia fundere non prohibuit : diu obſtitit Chryſoſtomus ne quod animo conceperant profugi Monachi libellos accuſationum adverſus Theophilum Arcadio Auguſto exhiberent. At ubi nulla demum ſpes illis reditus & pacis affulgere prorſus viſa eſt, non amplius diſtulerunt Imperatori libellum offerre gravibus admodum accuſationibus refertum, adeo ut Theophilus in capitis diſcrimen adduceretur. Credidit Theophilus ſimulque ipſius adverſus Origeniſtas commilito ſtudioſiſſimus Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus hanc fuiſſe Chryſoſtomo impulſore intentatam accuſationem; ipſumque eſſe Origeniſtarum fautorem falſa in utroque perſuaſione decepti.

13. Epiphanius Theophili ſuaſu ad Chryſoſtomum ſcribit de cogenda Conſtantinopoli Synodo ad condemnandum Origeniſtas, ſicut à Theophilo Alexandriæ factum fuerat, & ab Anaſtaſio Papa Romæ, cui reſcripſit Chryſoſtomus Ægyptios Monachos conqueri ſe falſis accuſationibus appeti. Quod verò ſpectabat ad rem Origeniſtarum cum nulla id fuiſſet œcumenica Synodo decretum, conſultius videri ſibi agendum circa Origenis libros ne majus ex hujuſmodi concertatione diſſidium & ſchiſma naſceretur : quandoquidem plerique ſanctiſſimi Patres & Eccleſiæ Doctores magnam Origeni venerationem habuerunt. Epiphanius his minimè acquieſcens ſuadente Theophilo Conſtantinopolim profectus eſt. Advenientem in urbem Epiphanium Chryſoſtomus omnibus humanitatis officijs proſecutus eſt, rogavitque ut una domo & una Eccleſia ſecum uteretur : ille verò negavit ſe ullatenus communionem cum eo habiturum donec Origenis libros apertè damnaſſet, Monachoſque Origeniſtas expuliſſet. Epiphanius poſt aliquot diſputationes & rixas cum Clericis urbis, & cum Epiſcopis qui tunc in urbe regia verſabantur, quoſque nec à Chryſoſtomo divellere nec ad ſuas potuit traducere partes, admonitus tandem periculi ſibi impendentis ſi quis tumultus aut ſeditio moveretur cujus ipſe incentor ultroneus adveniſſet, deſtitit ab inceptis; & ex urbe directa in Cyprum navigatione re pro qua venerat infecta ſuam repetijt Eccleſiam.

14. Digreſſo Epiphanio Theophilus jubente Arcadio Principe profectus in regiam Civitatem fuit, ut de accuſationibus reſponderet, in eo itinere complures collegit ſecumque adduxit Epiſcopos, in animo verſans quod re poſtea complevit, Synodum adverſus Chryſoſtomum in ipſius Diœceſi celebrare, ſciebat enim Eudoxiam Auguſtam ſanctiſſimo præſuli qui eam ſæpius coarguerat eſſe acriter infenſam. Quinetiam fortuitò evenit ut cum pro Concione Chryſoſtomus alludens ad Eliæ Prophetæ verba 3. Regum. 18. *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris qui comedunt menſam Ieſabel*, &c. quotquot ei adverſabantur Imperatricem aſperius in ejus perniciem accenderint, perſuadentes iſta conviciandi ipſi animo ab illo fuiſſe dicta ſimulque in contumeliam Theophili Alexandrini, Severi Gabalitani, Acacij Antiochiæ Epiſcoporum Chryſoſtomo adverſantium, qui Eudoxiæ cura & impenſis Conſtantinopoli alebantur. Hæc ergo iratum impotens acrius conſpirat cum ejuſmodi Chryſoſtomo infenſis Epiſcopis in ipſius exitium. Convenit itaque Concilium malignantium præſide Theophilo ad Quercum. Sic vocabatur Calchedonis ſuburbium. Eò citatus Chryſoſtomus reus, cum ad illegitimum Conciliabulum ſibi apertè adverſantium hoſtilique animo affectorum neque ullam in ſe poteſtatem habentium ſe ſiſtere recuſaſſet, damnatur abſens : & ſede ac dignitate ut impius Origeniſta turbarum author & Auguſtæ dignitati injurioſus & temerarius deponitur, quinetiam poſtulante Pſeudoſynodo & urgente Eudoxia, exilio damnatur ab Arcadio. Monachi verò profugi venia ſuppliciter rogata in gratiam cum Theophilo redeunt. Iſte verò qui graviſſimorum criminum reus accerſitus ab Arcadio Conſtantinopolim primùm triumphali comitatu ingreſſus honoribus in aula cumulatus eſt, Synodumque in vicinia regis vrbis habuit, cui præſedit factus derepente ex reo Judex Epiſcopi ſibi nullatenus ſubditi, atque in aliena Diœceſi cujus etiam Antiſtiti ante aliquot annos totius Orientis Epiſcopi in ſecunda œcumenica Synodo altiorem dignitatis gradum præ omnibus Orientis Patriarchis indulſerant. Scribit Socrates hunc ipſum Theophilum cum frequenter Origenis ſcripta revolveret dicere ſolitum : ejus libros ſimiles eſſe prato omnibus florum herbarumque generibus conſito, ex qua bona & ſalubria multa decerpebat, reliqua verò quæ noxia erant miſſa faceret. Severus quoque Sulpitius quamvis Origeni fortaſſe addictior quam par eſſet, quippe qui in Dialogo à ſe ſcripto de converſatione Orientalium Monachorum Epiſcopos vituperat qui libros Origenis damnabant, ibidem tamen ingenuè agnoſcit non tantum perverſam ineſſe doctrinam quam aliqui excuſabant non eo authore traditam ſed ab ejus malevolis aut hæreticis inſperſam : ipſe tamen ab Origene & non aliunde profectam aſſerit : *Alexandriæ* ( inquit Dial. 1. ) *fœda inter Epiſcopos atque Monachos certamina gerebantur ex ea occaſione, quia congregati in unum ſæpius Sacerdotes frequentibus decreviſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet, qui tractator ſacrarum Scripturarum peritiſſimus habebatur : ſed Epiſcopi quædam in libris ipſius inſanius ſcripta memorabant quæ aſſertores ejus defendere non auſi ab hæreticis potius fraudulenter inſperſa dicebant, & ideo non propter illa quæ in reprehenſionem merito vocarentur etiam reliqua eſſe damnanda. Cum legentium fides facile poſſet habere diſcrimen ne falſata ſequeretur, & tamen Catholicè diſputata retineret, &c. Adverſum hæc Epiſcopi obſtinatius renitentes pro poteſtate cogebant recta etiam univerſa cum pravis & cum ipſo authore damnare, &c. Mihi autem ex illius libris quædam curioſius indaganti admodum multa placuerunt, ſed nonnulla deprehendi in quibus illum prava ſenſiſſe non dubium eſt, quæ defenſores ejus falſata contendunt. Ego miror unum eundemque hominem tam diverſum eſſe à ſe potuiſſe ut in ea parte qua probatur neminem poſt Apoſtolos habeat æqualem : in ea verò qua jure reprehenditur nemo deformius doceatur erraſſe.* Gelaſius etiam Papa præceſſoris ſui Anaſtaſij veſtigijs inſiſtens in Concilio Romano hæc pronuntiat. *Origenis nonnulla opuſcula quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat legenda ſuſcipimus : reliqua autem omnia cum autore ſuo dicimus eſſe renuenda.*

15. Exemplo hujuſce Synodi addiſcimus quan-

tas

Digitized by Google

tas excitent in Eccleſia turbas Principes ſæculares quando non obſecundando ſupremæ quam Chriſtus in ſua conſtituit Eccleſia poteſtati ſed propria quæ ſæcularis eſt abutentes poteſtate, ſive ſponte ſive aliquorum vel ſæcularium Magiſtratuum vel Epiſcoporum quorumdam privato impulſu regimen Eccleſiæ ſuſcipiunt, & novitates introducunt. Ipſemet Conſtantinus magnus ipſe quoque Theodoſius junior Principes alioquin religioſiſſimi quorumdam quos pietatis ſtudio affectos exiſtimabant Epiſcoporum hortatu, quàm perniciosa Conciliabula, quàm luctuoſas in Eccleſia clades, quàm diras Sanctorum vexationes excitarunt? Arcadium ſileo Catholicum Imperatorem, cujus abuſi ſunt facilitate quicumque tam immaniter Chryſoſtomum eique conjunctos innumeros Sanctos inſectati ſunt, horrendaq; ſcandala in ſacratiora Templorum adyta intulerunt. Quid verò illis portentoſius excogitari poteſt quæ Conſtantius, Valens, Zeno, Anaſtaſius hæretici Imperatores regiminis Eccleſiaſtici ſuſceptis habenis effecerunt? Et ne metas trium Capitulorum ulterius tranſiliamus quæ non edidit mala Juſtinianus dum repugnante Vigilio Pontifice Concilium iſtud haberi voluit, ſuadente impio Theodoro Epiſcopo Cæſarienſi? Hinc exorta funeſta & diuturna in permultis orbis terrarum Provincijs ſchiſmata, hinc cædes, bonorum direptiones, & innumerorum deportationes & exilia: ipſe in primis Summus Pontifex Vigilius damnationi capitulorum quæ ab eo enixè poſtulabatur diu & conſtanter reſtitit, nec eam valuit Juſtinianus ab illo extorquere niſi poſtquam ægritudine ſenioque confectum Pontificem maximum, cujus ſacra perſona omni poteſtati venerabilis erat & inviolabilis, in terrum carcerem alligato ad collum fune detruſit, in quo dies multos elanguit, modico tantum pane & aqua paſtus. Comites autem Vigilij & meritis & dignitate venerandos ignobiliter cæſos ceu vilia mancipia ad metalla damnavit, omni calamitate mactandos. Vigilius verò ærumnis confectus poſtquam ereptus è carcere Romam regreditur in Sicilia interijt. Scripſere de his Paulus Diaconus l.3.c.12. & l.4.c.4. Beda l. de ſex ætatibus. Liberatus in breviario hoc addens conſentientes trium capitulorum damnationi fuiſſe muneribus ditatos & honoribus auctos, diſſentientes verò ſedibus, dignitatibus & facultatibus ſpoliatos in ærumnoſa exilia relegatos fuiſſe, alioſque fugâ latitantes in extremis anguſtijs vitâ exceſſiſſe. Victorem Tununenſem in Africa Epiſcopum eam ob cauſam ſua dejectum ſede omnique opum ſubſidio deſtitutum exilio multatum, tandemque in carcere mortem obiviſſe ſub Juſtiniani perſecutione. Facundum præterea Hermianenſem in Africa Epiſcopum par exilij tuliſſe ſupplicium. Theodorum alterum Africæ Epiſcopum cum tria capitula approbare conſtanter recuſaſſet à Juſtiniano relegatum in ærumnoſo exilio vitam finijſſe, aliqui tamen Africani Epiſcopi Concilio ſubſcripti leguntur. In Provincijs quoque Iſtriæ, Venetorum, Liguriæ, & Inſubriæ, omnes propemodum Epiſcopi ſchiſmate ſe ab ijs omnibus abduxerunt, qui Capitulorum damnationi conſenſerant in primis Paulinus Aquileiæ & Honoratus Mediolani Antiſtites, qui Conciliabulo eam in rem convocato præſederunt, non modo inconſulto ſed etiam palam adverſante Romano Pontifice Pelagio ſecundo, ut hujus ad illos epiſtolæ fidem faciunt. Quamobrem egit Pelagius cum Marſete Patricio & Exarcha Italiæ ſub Juſtiniano Auguſto ut iſtam ſchiſmaticorum protervìam ſua potentia & armis compeſceret. Paulinus autem & Honoratus militum cuſtodiæ traditi Conſtantinopolim ad Imperatorem traducti ſunt. Sed & ipſi Pelagio cauſa formidinis imminebat vivente adhuc Juſtiniano, cujus tyrannidem ſacrilegam expertus fuerat Vigilius Papa Synodum Capitulorum condemnatricem approbare renitens. Iſtæ quidem per Imperatorem ejuſque ducem Italiæ Exarchum vexationes graves tum publicas tum privatas concitarunt calamitates donec poſtremò Sancti Gregorij & Sergij Pontificum monitis & prudentia iſtud extinctum eſt incendium, ſedatæque perturbationes Eccleſiarum, ut Synodum quintam ijdem tandem complecterentur qui fuerant eidem infenſiores.

16. Caſſiodorum hanc Synodum non approbaſſe inde colligit Baronius ad an. Chr. 556. n.2. quod cum cæteras recenſeret œcumenicas nullam hujus habeant mentionem: ſicut & ipſe S. Gregorius Papa feciſſe aliquando viſus eſt, dicendo ſe quatuor univerſalibus Concilijs parem cum quatuor Evangelijs venerationem deferre. In quinto namque Concilio ut ipſe alibi ſcribit non de fide ſed de perſonis tractatum fuit. Idemque de Felice trium Capitulorum defenſore ita ſcribit l.3. epiſt.14. *Felix præſentium lator cum nullatenus in hæreticorum dogma lapſus ſit, nec à Catholica fide diſceſſerit, &c.* idemque l.3. epiſt.37. ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem, *quod autem ſcripſiſtis quod epiſtolam meam reginæ (Longobardorum) Theodelindæ tranſmittere minimè voluiſtis, pro eo quod quinta Synodus in ea nominabatur: ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt ut minimè tranſmitteretis. Vnde nunc iſtam facimus ut vobis placuit, ut quatuor Synodos ſolummodò laudaremus. De illa autem Synodo quæ poſtmodum Conſtantinopoli facta eſt quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo quia nihil contra ſanctiſsimas Synodos conſtituerit vel ſenſerit: quippe quia in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Hæc Gregorius. Toletanum etiam Concilium decimum-quartum anni Domini 684. poſt recepta à ſuprema ſede ſextæ Synodi acta ſub Conſtantino Pogonato habitæ, obſervantiam profitetur quatuor primarum à Nicæna Synodorum, & poſt Calchedonenſem à cunctis admitti jubet ſacroſanctam Synodum quæ duas definit diſtinctas & inconfuſas in Chriſto voluntates.

17. Hac in Synodo neque Papa neque ullus ejus Legatus interfuit: præſedit vero eamque ſubſcriptione firmavit primus Eutychius Conſtantinopolitanus, deinde Apollinarius Alexandrinus Epiſcopus. Acta Synodi latinè tantummodo ſuperſunt exceptis quibuſdam Græcis epiſtolis & fragmentis: atque in eiſdem etiam haud pauca ſuppoſititia Baronius alijque viri eruditi agnoſcunt. Illa ſanè Theodoriti ad Ioannem Antiochenum epiſtola his inſerta de Cyrilli Alexandrini obitu cujus memoriam probris & dicterijs proſcindit, mera impoſtura eſt: cùm Cyrillus ipſe litteras ſcripſerit ad Domnum Antiochenum Epiſcopum Joannis illius ſucceſſorem, quæ inter Cyrilli opera extant. Nicephorus etiam in Chronico prodit Cyrillum Joanni ſuperviхiſſe. Quinimo in ſexta Synodo actione 3. evidenter commonſtratum

tum fuit inſertos fraudulenter in actis quintæ Synodi duos Vigilij Papæ ad Juſtinianum libros, & prætereà Mennæ confictum ſermonem ad Vigilium. Ex his arguitur Græcorum profuſa ad contexendas impoſturas licentia.

## *CONCILIVM PARISIENSE tertium anni Chr. 557.*

1. Concilium iſtud celebratum Lutetiæ Pariſiorum fuit circa Chriſti annum 557. Pelagio Papa primo Pontifice, regnante Childeberto. Primus ei ſubſcripſit Probianus Bituricenſis Epiſcopus, quem ſequitur Prætextatus Rotomagenſis.

Canon I. *Itaque placuit ac nobis omnibus convenit obſervare ut quia nonnulli memores ſui per quaſlibet ſcripturas, pro captu animi, de facultatibus ſuis Eccleſijs aliquid contuliſſe probantur; quod à diverſis Deum minus timentibus catenus mortifera calliditate tenetur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri poſſint corde diem judicij dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus ſui res Eccleſiæ ut ſupra diximus delegatas injuſtè poſſidens præſumpſerit retinere; & veritate comperta res Dei ſervis ejus diſſimulaverit reformare, ab omnibus Eccleſijs ſegregatus à ſancta Communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium niſi cum culpam propriam rerum emendatione purgaverit.* Vide ſuperius Vaſionenſis Concilij primi can. 4. & Aurel. V. can. 13.

Can. II. *Et quia Epiſcoporum res propriæ Eccleſiarum res eſſe noſcuntur, ſi in eorum facultatibus ſimili fuerit crudelitate graſſatum, perſuaſores rerum memoratarum Canonum diſtrictione feriet vindicta dum corrigit: ut qui non moribus proprijs ac nulla conſcientiæ caſtigatione corripitur, ſaltem regulæ obtundatur aculeis, perpetuo enim anathemate feriatur qui res Eccleſiæ confiſcare aut competere aut pervadere periculoſa infeſtatione præſumpſerit.*

## *CONCILIVM BRACARENSE ſecundum anni Chr. 563.*

1. Bracara in Hiſpania Metropolis eſt Gallicíæ Provinciæ. Huc convenere anno Domini 563. diverſi Epiſcopi ſub Bracarenſi Metropolitano Lucretio, communique ſollicitudine primo circa res fidei adverſus invaleſcentem in illis partibus Priſcilliani ſectam ſeptemdecim Canones ediderunt. Exinde providentes Eccleſiæ Catholicæ diſciplinæ alios ſeorſim Canones procuderunt duos & viginti.

Can. III. *Item placuit ut non aliter Epiſcopi, & non aliter Presbyteri populum ſed uno modo ſalutent dicentes: Dominus ſit vobiſcum, ſicut in libro Ruth legitur, & reſpondeatur à populo & cum ſpiritu tuo, ſicut ab Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana pravitas permutavit.*

Can. VI. *Item placuit ut conſervato Metropolitani Epiſcopi primatu, cæteri Epiſcoporum ſecundum ſuæ ordinationis tempus alius alij ſedendi deferat locum.*

Can. XVI. *Item placuit ut hi qui ſibiipſis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, vel quolibet morbo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat; neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim ſibi hoc per ignorantiam uſurpaverunt.*

2. Can. XVII. *Item placuit ut Catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt.*

Sanctus tamen Ambroſius aliud judicavit in perſona junioris Valentiniani qui Catechumenus ab Arbogaſte quem exautoraverat, Viennæ in Gallia ſtrangulatus eſt, ſed nihil dubitavit Ambroſius juvenem Principem cujus perſpectam habebat eximiam pietatem, quique paucis ante mortem diebus baptiſmum à ſe abſente flagitaverat, recepiſſe per Spiritum ſanctum gratiam concupiti baptiſmi. At verò Bracarenſis Canon iſte illos juſtè perſtringit Catechumenos, qui per ſocordiam cum baptiſmum poſtulare neglexiſſent morte præventi fuerant?

3. Can. XVIII. *Item placuit ut corpora defunctorum nullo modo in Baſilica Sanctorum ſepeliantur: ſed ſi neceſſe eſt deforis circa murum Baſilicæ, uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc retinent Civitates ut nullo modo intra ambitus murorum, cujuſlibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere?*

Huic planè conſonat Concilium Varenſe citatum c. præcipiendum 13. q. 2. vetans intra Eccleſias ſepulturæ mandari fidelium cadavera: ſed vel in porticu, vel in atrio, vel in exhedris, qua voce intelliguntur Eccleſiarum contigua loca quæ Clauſtra vulgò appellantur, idem ſtatuitur Concilij Triburienſis can. 17. citatus in decreto c. nullus laicus de conſec. diſt. 2. quod idem edicitur l. 2. c. de ſacroſ. Eccleſ. Serius in Eccleſiarum uſum receptum eſt ut fidelium corpora intra Templorum ambitum ſepelirentur, præterquam illorum quos Eccleſia cultu publico veneratur: reliquorum enim fidelium corpora in publicis Cæmeterijs, aut in Templorum atrijs condebantur, aut in ſacris



Digitized by Google

ctis veſtibulis. Epiſcopos tamen ſi Sozomeno fidem habemus l. 2. c. ultim. in ipſis Eccleſijs tumulari mos fuit, idem ſcribit magnum quoque Conſtantinum fuiſſe in Baſilica ſepulchro conditum quam ipſe in cultum ac memoriam Sanctorum Apoſtolorum Conſtantinopoli extruxerat. Verum non alia in parte Templi ſepultus eſt Conſtantinus quam in ipſo veſtibulo quod idem pariter cenſendum de Epiſcoporum ſepulchris. Liquet verò ex Chryſoſtomo hom. 26. in 2. Cor. ſic loquente. *Conſtantius Auguſtus Conſtantinum magnum ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris: quod enim in Regijs janitores ſunt Regibus, id in ſepulchro Reges ſunt piſcatoribus: & præclarè ſecum agi putant ſi janua ipſi aſſignetur veſtibularis.* Scripſit tamen ad Paulinum Nolanum Epiſcopum Auguſtinus Libellum *de cura pro mortuis gerenda* ab ipſo Paulino interpellatus, à quo petierat pia quædam matrona ut permitteret defuncti filij corpus in Sancti Felicis Confeſſoris Baſilica deponi. Sic autem reſpondet Auguſtinus: *Quod vero quiſque apud memoriam Martyrum ſepelitur, hoc tantum mihi prodeſſe videtur defuncto ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur.* Nullum tamen Paulino ea de re conſilium ſuggerit Auguſtinus. A Gregorij Magni Pontificis ſæculo jam invaluerat conſuetudo intra Eccleſias ſepeliendi ut liquido conſtat ex l. 2. Dial. c. 23. & l. 4. c. 51. 52. 53. 54. perhibet Gregorius Turonenſis Clodovæum primum Chriſtianum Francorum Regem (qui anno Chriſti 511. obijt) ſepultum fuiſſe in Sanctorum Apoſtolorum à ſe fundata Baſilica.

4. Can. XIX. *Item placuit ut ſi quid ex collatione fidelium, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericorum fideliter colligatur & conſtituto tempore aut ſemel aut bis in anno inter omnes Clericos dividatur. Nam non modica ex ipſa inæqualitate diſcordia generatur, ſi unuſquiſque in ſua ſeptimana quod oblatum fuerit ſibi defendat.*

Tempore Cypriani oblationum diſtributiones ſaltem in Eccleſia Carthaginenſi fieri inter Clericos per ſportulas ſingulis menſibus conſuetum fuiſſe idem docet Cyprianus epiſt. 34.

## *CONCILIUM TURONICUM anni Chriſti 570.*

1. REgnantibus in Gallia Clotarij Liberis atque ex his Chariberto Lutetiæ Pariſiorum fixam ſedem ſortito, convenit in Turonibus ſecunda Synodus: hujus Patres auſpicati ſunt initium hac ſententiâ notatu digna *Eccleſiaſticæ diſciplinæ debet eſſe ſuffragium Congregatio Sacerdotum.*

2. Can. I. Convocari jubet à Metropolitano Comprovinciales ad Synodum Epiſcopos bis ſingulis annis: aut ſi neceſſitas quæpiam non id permittat ſaltem ſemel in anno, mandatque Epiſcopos Synodum adire ſub interminatione excommunicationis à qua ſola diſpenſet certiſſima corporis infirmitas, nullatenus vero Regis juſſio, vel obſequium: *Non enim* (ait) *ſpiritali operi præferri debet Regis præceptio.*

Can. IV. *Ut Laïci ſecus altare quo ſancta Myſteria celebrantur inter Clericos tam ad Vigilias quam ad Miſſas ſtare penitus non præſumant. Sed pars illa quæ à cancellis verſus altare dividitur Choris tantum pſallentium pateat Clericorum, ad orandum vero & communicandum laicis & fœminis, ſicut mos eſt pateant Sancta Sanctorum.* Require ſuperius Laodicenos canon. 15. & 21.

Can. V. *Ut qualibet Civitas paupéres ſuos incolas paſcat ne alijs locis divagentur.*

3. Can. 10. Statuit ut Clerici victum ſibi & veſtitum artificiolo comparent, ut ijdem ſibi proprijs manibus refectionem præparent, atque ita prætextu caveant intra ſuas ædes fœminas introducendi: de artificiolo ad comparandum Clericis victum diffuſius egi ad Carthaginenſis Concilij quarti can. 51. & 52.

4. Can. XVII. Ordinat Monachorum jejunia. Quia vero jejuniorum diebus minimè prandebatur ſed tantum cœnabatur, idcirco ita decernit. *De jejunijs antiqua à Monachis inſtituta conſerventur ut de Paſcha uſque ad Quinquageſimam exceptis rogationibus omni die fratribus prandium præparetur: poſt Quinquageſimam tota hebdomada ex aſſe jejunent. Poſtea uſque ad Calendas Auguſti ter in ſeptimana jejunent, ſecunda, quarta & ſexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt prandium habeant. In Septembri toto & Octobri & Novembri ſicut dictum eſt ter in ſeptimana, de Decembri uſque ad Natalem Domini omni die jejunent, & quia inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die Feſtivitatès ſunt itemque prandebunt. Excipitur triduum quod ad calcandam gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Calendis Ianuarij fieri Litanias: ut in Eccleſijs pſallatur & hora octava in Calendis ipſius Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur. Poſt Epiphaniam vero uſque ad Quadrageſimam ter in ſeptimana jejunent.*

In iſto Canone primum obſerva per triduum à Calendis Ianuarijs veterem extitiſſe conſuetudinem jejuniorum & Litaniarum ne fidelis populus communicaret diſſolutionibus, quibus gentiles illis diebus indulgebant in honorem Jani quemadmodum multi

in Eccleſijs ſacros cernimus celebrari Conventus cum orationibus, & ſacris Concionibus triduo profanorum bachanalium, à die Dominicæ Quinquageſimæ.

5. Obſerva ſecundo diebus jejuniorum Miſſam differri ſolitam ad horam octavam; quia hora nona & non antea licebat in jejunijs extra quadrageſimam cibum capere. Incidebat autem hora nona in tertiam poſt meridiem horam. Quod autem attinet ad horam refectionis ac cœnæ per quadrageſimam, ea differebatur in veſperam quæ in horam à meridie ſextam incurrit. Meridies verò incurrebat in horam ſextam. Quo factum eſt ut quamvis hora cœnæ jejuniorum multum præ veteri illo ritu ſoleat anticipari, decantentur nihilominus veſpertinæ preces per quadrageſimam ante refectionem, atque adeo ante meridiem, non autem in reliquis per annum jejunijs. Nam veteres hora quæ nobis eſt poſt meridiem ſexta veſpertinum officium decantabant, indeque quadrageſimalibus jejunijs ad refectionem hoc eſt cœnam prodibant. In cæteris autem per annum jejuniis Canon iſte 18. edicit ut hora octava celebretur Miſſa, nimirum hora poſt meridiem ſecunda, poſt Miſſam enim preces horæ nonæ concinebantur quibus exactis occurrebat hora de meridie tertia quâ ibatur ad cœnam. Tertullianus contra Pſychicos c.10. ſcribit Pſychicos (ita per contumeliam ipſos appellat Catholicos ſuperbus & protervus hæreticus) ſolitos non ultra nonam jejunia ſua protrahere omnia, ſuos verò hoc eſt Montaniſtas hæreticos uſque ad veſperam ſuam proferre à cibis abſtinentiam. Id tamen apertè falſum & calumnioſum eſt quoad jejunia Catholicorum quadrageſimalia, ut ex teſtimonijs ſequentibus liquet. Baſilius Magnus homil.1. de Jejunio. *Expectas*, inquit, *veſperam ut cibum capias.* Chryſoſtom. homil.4. in Geneſim ſic pariter de quadrageſima dicit: *Non exiſtimemus inediam uſque ad veſperam ad ſalutem nobis ſufficere.* Paulinus epiſt. 6. *ad amandum quotidiana inquit jejunia non refugit & pauperem menſam veſpertinus conviva non horruit.* Hieronymus epiſt. ad Euſtochium refert de quibuſdam Monachis. *Solitos fuiſſe poſt horam nonam cibum ſumere, & apud eos jejunium totius anni æquale eſſe, excepta quadrageſima in qua diſtrictius vivitur, atque ad pœnitentiam, vela laxantur.* Huc accedit etiam Concilium Cabilonenſe dicens: *Solent plures qui jejunare ſe putant in quadrageſima mox ut audierint ſignum ad horam nonam manducare qui nullatenus jejunare credendi ſunt ſi ante manducaverint quam veſpertinum celebretur Officium.* Et citatur de conſecr. diſt.1. iſteque Turonenſis Canon hoc idem perſpicuè decernit. Sic etiam teſtatur Micrologus l. de Eccleſiaſticis obſervationibus c. 49. *In hoc differt quadrageſimale jejunium ab alijs quod in alijs poſt nonam in hoc autem poſt veſperam reficere nos debemus, nec juxta Canones quadrageſimaliter jejunare cenſemur ſi ante veſperam reficimur.* Benedictus Monachorum pater in Regula c.41. *Quarta & ſexta Feria jejunent uſque ad nonam.* Et ſubinde: *Ab initio quadrageſimæ uſque ad Paſcha ad veſperam reficiantur.* Ne verò Monachis id peculiare credas, ſic teſtatur Bernardus ſerm.3. de Quadrageſ. *Hactenus uſque ad nonam jejunavimus ſoli, nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum ſimul in univerſum Reges & Principes, Clerus & Populus, Nobiles & ignobiles ſimul in unum dives & pauper.* Denique Auguſt. epiſtol.118. ad Januarium ubi dicit: *Horam ſolvendi jejunium eſſe nonam.* Non de alijs ibi jejunijs loquitur quam Sabbathorum per annum. Id ſanè fatendum jam inde ab aliquot ſæculis fervorem Chriſtianorum admodum deferbuiſſe ideoque Eccleſiam de priſtinæ diſciplinæ ſeveritate plurimùm remiſiſſe, quatenus fideles in deteriora lapſi ejus diſtrictionis jugum de proprijs cervicibus excuſſiſſent ſi pia mater eos voluiſſet ad hæc adigere. Hinc peſſum abiere publicæ delictorum pœnitentiæ, & Canonum adverſus peccatores præſcripta pœnalia, hinc jejuniorum miræ relaxationes, tum horam præſcriptam longè anticipando, tum comeſſationem antea prohibitam interſerendo, tum Xeraphagias de quibus ſuperius ad Laodicenum Canonem nobis ſermo fuit circa ciborum & potus ſubſtantiam ferè omnino abolendo.

## *CONCILIUM BRACARENSE tertium anno Chriſti 572.*

1. HUic præſedit Martinus ille Bracarenſis Metropolitanus cujus extat Canonum collectio præſertim ex Græcis Synodis quos ipſe in Latinum tranſtulit in duaſque diſtribuit claſſes unam quæ ad Clericos, alteram quæ ad laicos ſpectat. Hunc aliqui origine Græcum tradunt alij Pannonium.

2. Can. V. *Hoc unuſquiſque Epiſcoporum meminerit ut non prius dedicet Eccleſiam aut Baſilicam, niſi antea dotem Baſilicæ & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas ſi ſine luminarijs vel ſine ſuſtentatione eorum qui ibidem ſerrituri ſunt, tanquam domus privata ita conſecretur Eccleſia.*

Concilium Toletanum III. can.19. ad omnem novæ Eccleſiæ dedicationem prærequirit ejuſdem dotationem ab Epiſcopo præfiniendam. Paria ſanciunt c. nemo de cenſur.diſt.1. & c.de Monachis de Præben.

## *CONCILIUM ANTISIODORENSE anni Chriſti circiter ut ſentit Sirmondus 578.*

1. COncilium iſtud Antiſiodori Diœceſanum tantummodo fuit cui ſolus interfuit & præſedit Epiſcopus Aunacharius qui Concilijs Pariſienſi IV.& Matiſconenſi II.legitur ſubſcripſiſſe. Antiſiodorum urbs eſt in Burgundionibus vulgo dicta Auxerre Epiſcopalis, Metropolitano Senonenſi ſubjecta. Concilium iſtud peregerunt Epiſcopus unus, Abbates ſeptem, Presbyteri quatuor, &



Digitized by Google

& triginta Diaconi qui vice abſentium Presbyterorum ſubſcripſerunt tres.

Can. X. *Non licet ſuper uno Altario in una die duas Miſſas dicere. Nec Altario ubi Epiſcopus Miſſas dixerit, ut Presbyter in illa die Miſſas dicat.*

Can. XII. *Non licet mortuis, nec Euchariſtiam nec oſculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involui. Concilium Carthaginenſe III. can. 6. ita decernit. Item placuit ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur; dictum eſt enim à Domino accipite & edite: Cadavera autem nec accipere poſſunt nec edere, cavendum eſt etiam ne mortuos baptizari poſſe fratrum infirmitas credat, cum Euchariſtiam mortuis non dari animadverterit.*

Vide inter Diſſertationes noſtras illam quæ eſt de veteribus ritibus Euchariſtiæ.

Can. XVIII. *Non licet abſque Paſcha ſolemnitate ullo tempore baptizare, niſi illos quibus mors vicina eſt quos grabatarios dicunt, quod ſi quis in alio pago contumacia faciente poſt interdictum hoc infantes ſuos ad baptiſmum detulerit in Eccleſias noſtras, non recipiantur uſque ad ſatisfactionem, & quicumque Presbyter ipſos extra noſtrum permiſſum recipere præſumpſerit tribus menſibus à communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.*

Can. XXII. *Non licet relictæ Presbyteri Diaconi nec Subdiaconi poſt ejus mortem maritum accipere.* Idem ſtatuit in Concilijs Bracarenſi tertio can. 29. & Matiſconenſi ſecundo can. 6.

2. Can. XXXVI. *Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere.* Et can. 24. *Vt unaquæque mulier quando communicat Dominicalem ſuum habeat. Quod ſi qua non habuerit uſque in alium diem Dominicum non communicet.*

Huc pertinet quod admonet Auguſt. ſerm. 142. de temp. his verbis: *Omnes viri quando communicare deſiderant lavent manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant.* Cyrillus Jeroſolymitanus in Catech. Myſtag. 5. *Siniſtram (ait) veluti ſedem quamdam ſubjiciens dexteræ quæ tantum regem ſuſceptura eſt & concava manu ſuſcipiat corpus Chriſti.* Et Synodus quiniſexta can. 101. nullatenus permittit communicantes Euchariſtiam vaſculo excipere, ſed ſolis manibus in Crucis formam conformatis.

* * *

## *CONCILIUM MATISCONENSE primum anni Chriſti 581.*

1 Matiſcona oppidum eſt Æduorum amni Arari adjacens, ſedem habet Epiſcopalem Lugdunenſi Metropoli ſubditam. Hoc loco anno Domini 581. initum eſt Concilium Pelagio ſecundo Pontifice, Guntranno Rege indicente ut habet præfatio uno ex quatuor Lotarij Liberis qui regnum paternum in totidem partes partiti fuerant. Meminit hujus Concilij Ado, Sanctorumque præſulum qui interfuerunt Priſci Lugdunenſis, Artemij Senonenſis, & Remigij Bituricenſis, & Siagrij Æduenſis, quanquam aliqui Codices non Remigium ſed Remedium Eccleſiæ Bituricæ referunt Epiſcopum in ſubſcriptionibus: verùm ut præclarè obſervat Sirmondus eruditiſſimus Conciliorum Galliæ collector & illuſtrator duo hæc nomina cognata ſunt unique atque eidem promiſcuè attributa, adeò ut ipſe quoque Remigius Remenſis legatur, interdum apud veteres Remedius appellatus. Idemque Ado in Chronico ſcribit fuiſſe hic edita viginti Capitula ex his tamen duo quædam veroſimile eſt in unum coaluiſſe, jam enim cenſentur tantum decem & novem.

Can. I. *Definitum eſt ut Epiſcopi vel Preſbyteri atque Diaconi ita ſanctæ conſcientiæ luce reſplendeant ut effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac teſtimonium in ſe divinum implere contendant quo Dominus ait: ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, & magnificent Patrem veſtrum qui in Cælis eſt. Igitur autoritate Canonica atque manſura in ævum conſtitutione ſancimus, ut fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas & tantum cum avia matre ſorore vel nepte ſi neceſſitas tulerit habitent.*

Centies & amplius diverſis in Concilijs & Pontificum reſcriptis repetita conſtitutio. Vide ſuperius obſervata in Nicæno can. 3.

Can. III. *Vt nulla mulier in cubiculum Epiſcopi abſque duobus Presbyteris aut certè Diaconis ingredi permittatur.*

2. Can. IV. *Vt qui oblationes fidelium defunctorum quæ Eccleſijs conferuntur retinent, veluti retentatores Eccleſiæ aut egentium necatores ab Eccleſiæ liminibus arceantur.*

His aſtipulatur Carthaginenſis Concilij quarti can. 95. & Vaſenſis can. 4. & Arelat. Concilij ſecundi can. 47. & c. qui oblationes 13. q. 2. & Lugdunenſis Concilij II. can. 2.

Canon V. *Vt nullus Clericus ſagum aut veſtimenta vel calceamenta ſæcularia, niſi*

 *quæ*

Digitized by Google

*quæ religionem deceant induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem Clericus cum indecenti veſte aut cum armis inventus fuerit, à ſeniore ita coërceatur ut triginta dierum incluſione detentus aqua tantum & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.*

Can. VI. *Ut Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.*

Hæc tamen diſciplina non univerſalis ſed localis eſt. Vide in decretalibus tit. de autho. & uſu pallij.

3. Can. VII. *Ut nullus Clericus de qualibet cauſâ extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui à ſeculari judicio injuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur. Quod ſi quicumque judex cujuſcumque Clericum abſque cauſa criminali id eſt homicidio, furto, aut maleficio hoc facere fortaſſe præſumpſerit, quandiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit ab Eccleſiæ liminibus arceatur.*

Videtur in cauſis graviorum criminum ſubjicere Clericos ſæcularium officialium judicijs eo quod Eccleſia corporales pœnas ſceleribus gravioribus condignas non irroget: ſcelerati vero Clerici dum corporis ſupplicia evadant ſpirituales pœnas parum reformidant. Nunc uſus Gallicanus crimina Clericorum quæ privilegiata vocantur (illa verò ſunt quæ directè publicam quietem violant, aut Principis majeſtatem offendunt, ut publicæ ſeditiones, fabricatio falſæ monetæ, proditio ſeu perduellionis reatus, aliaque id genus) quæ cognitioni magiſtratuum attribuuntur. Cætera verò Clericorum delicta quæ communia dici ſolent in quibus comprehenduntur privatum homicidium, furtum, maleficium, judicio Eccleſiaſtico reſervantur: niſi Eccleſiaſtico judici viſum fuerit reum convictum & gradu Clericali dejectum ſæculari tradere poteſtati, rogando tamen ut mitius cum reo agatur.

Can. VIII. *Ut nullus Clericus ad judicem ſæcularem quemcumque alium fratrem de Clericis accuſare aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modo præſumat: ſed omne negotium Clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyterorum, aut Archidiaconorum præſentia finiatur. Quod ſi quicumque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit uno minus de quadraginta ictus accipiat: ſin certè honoratior triginta dierum concluſione multetur.*

Can. XIV. *Ut Iudæis à Cœna Domini uſque ad primum Paſcha ſecundum edictum bonæ recordationis domini Childeberti Regis per plateas aut forum quaſi inſultationis cauſa deambulandi licentia denegetur.* Tertium Concilium Aurelianenſe ſub Childeberto Rege habitum ſic decernit de Iudæis hoc idem can. 30. *Et ut reverentiam cunctis Sacerdotibus Domini vel Clericis impendant, nec ante Sacerdotes conſeſſum niſi ordinati habere præſumant. Qui hoc facere fortaſſe præſumpſerit à judicibus locorum prout perſona fuerit diſtringatur.*

Can. XV. *Ut nullus Chriſtianus Iudæorum convivijs participare præſumat quod ſi facere quicumque quod nefas eſt dici Clericus aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe noverit compeſcendum, quiſquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.*

Can. XVII. *Si quis convictus fuerit alios ad falſum teſtimonium vel perjurium attraxiſſe aut quacumque corruptione ſollicitaſſe, ipſe quidem uſque ad exitum non communicet, hi verò qui in perjurio conſenſiſſe probantur poſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundum legem infamiâ notabuntur*, habetur c. ſi quis convictus 22. q. 5.

## *CONCILIUM MATISCONENSE ſecundum Chriſti 585.*

1. IDEM qui priori Matiſconenſi Synodo præfuerat Priſcus Lugdunenſis Epiſcopus huic quoque ſecundæ præfuit eodem regnante Guntrano, & clavum Romanæ Eccleſiæ regente Pelagio Papa ſecundo, anno vero reparatæ ſalutis 585.

2. Can. 6. inſtaurat Concilij Africani can. 8. *Ut Sacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur excepto uno die anniverſario quo Cœna Domini celebratur.* Cui & hæc adjungit idem Matiſconenſis can. 6. *Quæcumque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta Feria innocentes ab illo cujus intereſt in Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* Vide inſigne hujus praxis exemplum præclaro miraculo illuſtratum apud Evagrium l. 4. hiſt. Eccleſ. c. 36.

3. Can. XVI. *Illud quoque rectum nobis viſum eſt diſponere ut quæ uxor Subdiaconi, vel Exorciſtæ vel Acolythi fuerat mortuo illo, ſecundo ſe non audeat ſociare matrimonio. Quod ſi fecerit, ſeparetur, & in cœnobijs puellarum Dei tradatur; & ibidem uſque ad exitum vitæ ſuæ permaneat.*

Difficile ſanè fuerit hujus ſeveritatis & captivitatis erga viduas ſaltem minorum Clericorum probabilem aſſignare rationem. Simile jam proviſum fuerat de Clericorum majorum & ſacratiorum ordinum relictis viduis in Synodo Antiſiodorenſi can. 22.

## *CONCILIUM TOLETANUM tertium anni à Chriſto 589.*

1. AETERNA memoria digniſſimum iſtud Concilium eſt utpotè feliciſſimis auſpicijs convocatum, cum primum Catholica fides quæ ſub Gotthis regibus Arianis oppreſſa in

Digitized by Google

in Hiſpanijs ingemuerat, & quam paulò ante Viſigotthorum Rex Leovigildus atrociter fuerat inſectatus, uſque adeò ut primogenitum ſuum Hermenegildum præſtantiſſimæ indolis adoleſcentem, ab Arianiſmo Catholicam ad fidem converſum in vincula conjecerit, & capite abſciſſo necaverit. At hujus frater minor natu Recaredus de quo illud convenienter cum ſummo Poëta dici poteſt uno avulſo non deficit alter aureus, & ſimili fundeſcit virga metallo. Fraternæ pietatis ſe præſtitit imitatorem. Hic mortuo parente Leovigildo regnum capeſſivit ſimulque religionem orthodoxam non modo profeſſus eſt, ſed etiam quando potuit ſtudio fovit & propagavit. Eam ob rem ipſo regni ſui exordio Synodum iſtam nationalem curavit celebrari Pelagio II. Romæ Pontifice anno à Chriſto nato 589. & Hiſpanicæ æræ anno 627. hoc enim obiter addiſcendum Hiſpanicam æram annis 38. anteriorem eſſe Chriſtiana Epocha, ejuſque initium deſumi à Conſulatu Appij Claudij & Norbani Flacci, quo factam inter triumviros Octavianum, Antonium & Lepidum Imperij Romani partitionem Senatus Romæ approbavit. Concilio primus ſubſcripſit Rex Flavius Recaredus: deinde Maſſona Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus: tertio loco Euphemius Eccleſiæ Toletanæ Metropolitanus: quartò Leander Hiſpalenſis Metropolitanus: quintò Migetius Narbonenſis Metropolitanus: ſextò Pantardus Metropolitanus Eccleſiæ Braccarenſis. In primis editæ ſunt à cunctis Nicæni & Conſtantinopolitani Symboli decretorumque Epheſinæ & Calchedonenſis Synodorum profeſſiones, cumulatéq; orthodoxæ religioni proviſum eſt, tribus & viginti de fide Canonibus. Quorum qui tertio loco eſt ſic profitetur; *quicumque Spiritum ſanctum non credit aut non crediderit à Patre & Filio procedere, eumque non dixit coæternum eſſe Patri & Filio & coæqualem, anathema ſit.* In recitatione Symboli Conſtantinopolitani hæc quoque enunciarunt. *Credimus & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem; ex Patre & Filio procedentem.* Quod idem factitatum pridem in primo Toletano Concilio fuerat annò à Chriſto 400. tempore Anaſtaſij Papæ primi: fidei namque profeſſionem edentes ejus Concilij Patres hæc proclamarunt. *Spiritum quoque paracletum eſſe, qui nec Pater ſit ipſe neque Filius, ſed à Patre Filioque procedens.* Præterea in primo Bracarenſi Concilio tempore Innocentij Papæ I. inter alios ibi propoſitos ſacræ fidei articulos Pancratius Epiſcopus præſidens dicit: *Credo in Spiritum ſanctum procedentem à Patre & Verbo. Reliqui omnes Epiſcopi reſpondent ſimiliter & nos credimus.* Concilij præterea Toletani quarti anni 633. cui ſubſcripſere ſexaginta duo Hiſpaniæ & Galliæ Epiſcopi ſic definit can. 1. *Spiritum vero ſanctum nec creatum nec genitum ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.*

Poſt ſtabilitos fidei articulos hujuſce tertij Toletani Concilij Patres ſua vertunt ſtudia circa Clericalem diſciplinam.

2. Can. VII. *Pro reverentia Dei Sacerdotem id univerſa ſancta conſtituit Synodus, ut quia ſolent crebrò menſis otioſæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio Scripturarum divinarum miſceatur: Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.*

Concilij Biterrenſis anni 1233. c. 18. ſtatuitur à præſidente Legato Apoſtolico *ut omnes regulares infra Monaſterium habeant & audiant lectiones ad menſam.* Et de Sancto Auguſtino prodit in ejus vita Poſſidius c. 22. *in ipſa menſa magis Lectionem aut diſputationem quam epulationem potationemque diligebat contra peſtilentiam humanæ conſuetudinis.* De Pomponio Attico Ciceroni amicitiâ & neceſſitudine conjunctiſſimo refert in ejus vita Cornelius nepos ſolitum lectionem ad menſam adhibere ne dum corpore reficiebatur animus conveniente ſibi refectione careret.

Can. XIII. *Diuturna indiſciplinatio & licentiæ inolita præſumptio uſque eo illicitis auſibus aditum patefecit, ut Clerici Conclericos ſuos neglecto Pontifice ad judicia publica pertrahant: proinde ſtatuimus hoc de cætero non præſumi ſed ſi quis hoc facere præſumpſerit & cauſam perdat & à communione habeatur extraneus.*

3. Can. XXIII. *Exterminanda omnino eſt irreligioſa conſuetudo quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit ut populi qui debent officia divina attendere, ſaltationibus & turpibus invigilent Canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed & religioſorum officijs perſtrepentes. Hoc etenim ab omni Hiſpania depellatur: Sacerdotum & judicum à Concilio ſancto Cura committatur.*

Canonis hujus obſervantia neceſſaria prorſus eſt ut exterminentur ludicræ prorſuſque indecoræ ſaltationes & ridiculæ geſticulationes per omnes propemodum Hiſpaniarum Eccleſias & in proceſſionibus & intra ſacra limina ad præſentiam etiam diviniſſimi Sacramenti uſitatæ quibus aſtantium animi à Dei veneratione ad riſus & ineptias divertuntur, ſed ſi quis iſtis auderet reclamare, libertatem ſalutemque propriam grave in diſcrimen apud populum & fidei Catholicæ inquiſitores adduceret, adeo abuſus invaluit.

## CONCILIUM NARBONENSE anno Chriſti 589.

1. ANno regni Recaredi quarto cui non ſolum Hiſpaniarum Provinciæ, ſed etiam Gallicana Provincia Narbonenſis prima obtemperabat Chriſti vero 589. Pelagio ſecundo Pontifice, octo Epiſcopi ad Provincialem Synodum Narbonæ convenerunt ſub præſide ac Metropolitano Narbonenſi Antiſtite Migetio.

2. Can. I. *Hoc regulariter definitum eſt ut nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat quæ ad jactantiam pertinent mundialem non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente ita & oſtendatur in corpore.*

Jam inſederat animis nonnullorum Clericorum id vanitatis genus, ut præ reliquis modeſtioribus inſigniri affectarent aliquo coloris fulgentioris privilegio, ſive prava conſuetudine uſurpato, ſive à ſuprema ſede emendicato.



Digitized by Google

3. Can. III. *Nam & hoc ſecundum Priſcorum cenſuram Canonum finitum ut nullus Clericus, Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, in plateis reſideat: Certè nec in plateis & ſtare & fabulis diverſis commiſceri, quod ſi quis facere præſumpſerit repellendum omnino ab officio & execrandum, ſi non emendaverit & à communione & officio privetur.*

Concilium Carthaginenſe quartum pari ſollicitudine conſtituerat can.47. *Clericus per plateas & andrones niſi certa & maxima officij ſui neceſſitate non ambulet.* Ejuſmodi circumforaneis Clericis illud ex Evangelio exprobrari poteſt. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?*

4. Can. VI. *Secundum Concilia Priſcorum orthodoxorum decrevit fraternitas ut quicumque fuerit culpabilis inventus Clericus aut honoratus de Civitate & ad Monaſterium fuerit deputatus, ſic Abba qui eſt Præfectus cum illo qui dirigitur agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correptione fuerit ordinatum: aliter ſi Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod ſuſpendatur: quia ob hanc cauſam dirigitur ut emendetur non paſſim ferculis diverſis ſaturetur.*

Multis ſæculis obſervatum in Eccleſia fuit ut pravi ac delinquentes Clerici in Monaſteria ad pœnitentiam amandarentur: perfectiores vero Monachi ex Monaſterijs ad obeunda Eccleſiæ miniſteria educerentur. Hinc Hieronymus epiſt. 4. Ruſticum Monachum ſic adhortatur. *Ita ergo age & vive in Monaſterio ut Clericus eſſe merearis, ut adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules.*

Can. X. *Hoc maximè definitum eſſe ut nullus audeat Clericorum ordinationem ſui Epiſcopi contemnere: ſed ubi ordinatus fuerit ambulare debeat cum gratia & obedientia, & quæ injuncta fuerint agere. Quod ſi ſub cothurno ſuperbiæ neglexerit implere, non ſolum à ſtipendio, ſed uno anno à communione privetur.*

5. Can. XIII. *Hoc regulariter ſecundum priorum ſtatuta Canonum finitum eſt, ut tam Subdiaconus quam oſtiarius & reliqui, ſervitium ſanctæ Eccleſiæ conſuetum abſque ulla deſidia impleant, & ſenioribus vela ad oſtia ſublevent. Qui contempſerit facere, & adimplere Subdiaconos verbis corripiendos, & ſi non emendaverint ſtipendio privandos, reliquos flagris coërcendos.*

De velis ſermo eſt quæ appendi ſolent ad oſtia tum in Eccleſijs ut in Epiphanij epiſt. ad Ioan. Jeroſolymitanum *inveni ibi velum pendens in foribus Eccleſiæ.* Et in Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice *Deneardus præ velo eſt & petit ingredi:* tum etiam in cubiculis ut apud Athanaſium Apolog. 1. αὐτὸς γὰρ ἑστήκει πρὸς τῷ βήλῳ de Eugenio magiſtro ad velum adſtante cum Athanaſ. Conſtantem alloqueretur. Et Lampridius de Alexandro Severo ſcribit: *Cum amicis tam familiariter vixit ut ſalutaretur quaſi unus de Senatoribus patente velo admiſſionalibus remotis.* Prætendebantur etiam vela Secretarijs atque auditorijs Magiſtratuum: ideoque acta proconſularia de Chriſtianorum Martyribus à Baronio collecta tom. 2. Annal. an. 285. n. 8. referunt: *Lyſias Proconſul obduxit velum introgreſſus, & poſt exiens, ex tabella recitavit ſententiam.* Quam judiciorum ex velo conſuetudinem Baſilius quoque commemorat epiſt. 79. ad Euſtachium. Edicitque Conſtantinus l. 1. Cod. Theod. de officio rectoris Provinciæ. *Non ſit venale judicis velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus Secretarium.*

# ECCLESIÆ SEPTIMI SÆCULI HISTORICA SYNOPSIS.

1. HUJUS ſæculi primordia magni Gregorij Pontificatus occupat, quemadmodum & præcedentis exitum, quippe qui ad univerſalis Eccleſiæ regimen aſcendit anno 590. rexitque ad præſentis cujus hiſtoriam teximus ſæculi annum quartum, quo è vivis exceſſit, ejus ad Apoſtolicam Sedem promotio ſimul concurrit cum Imperij Mauritij anno quinto. Multiplices Italiam per id tempus calamitates infeſtam habebant, hoſtiles Longobardorum graſſationes, extrema annonæ penuria, aquarum eluviones ac inundationes, quales à viventium memoria nullæ viſæ fuerant, ſimulque atrociſſima peſtilentiæ clades. Longobardorum irruptio jam inde à regno Juſtini ſecundi qui erat Iuſtiniani Auguſti ex ſorore Vigilantia nepos ortum habuit. Gentem illam Narſes Eunuchus præſtantiſſimus belli dux in excidium excivit Italiæ ſi Anaſtaſio in vita Ioannis Papæ tertij & Paulo Diacono l. 1. c. 5. & Varnefrido c. 25. fides habenda ſit, tametſi Baronius illis fidem abroget ob quaſdam rationes aliorum pariter eruditorum judicio non admodum urgentes: Et quia in unum confundit tres diſtinctos Narſetes qui eodem floruere ſæculo. Narſes inquam poſtquam devicto interemptoque Totila receptaque de Gotthis univerſa Italia ut nulla ſpes ſalutis illi genti niſi in ſubjectione ſupereſſet, Longobardos quorum armis in debellandis Gotthis uſus fuerat in Pannoniam remiſit. Sed dum Narſes res Italiæ pro ſolita prudentia & juſtitia componeret ejus æmuli ſuſpectam Iuſtino Imperatori tanti ducis potentiam & fælicitatem reddiderunt; ut vitum revocaret. Sed & Imperatrix Sophia exilis atque impotentis animi fœmina injuriam ſuperaddit atrocem, ſcriptis ad ipſum Narſetem litteris mandans ut quam citiſſimè ad Regiam properaret; ſe namque ipſi convenire & debitum officium (erat enim Eunuchus) in aula deſtinaſſe, lanarum penſa puellis ſuis diſtribuendi, at ille tam indigna contumelia læſus talem ſe illi telam ordiri reſpondit quam nec ipſa neque vir ejus retexerent: eoque animo Longobardos ad invadendam accerſivit Italiam; qui ſub proprio Rege Alboino regnante Romanis Iuſtino ſecundo, Ciſalpinam Galliam cum Mediolano & Ticino in qua urbe regiam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus conſtituit, ſubjugavit; Liguriam deinde reliquamque Italiam præter Romam & Ravennam occupavit. Hic primùm affinitatem cum Clodovæi filio Clotario ducta in matrimonium ejus filia Cloteſinda junxit, ut prodit Gregorius Turonenſis l. 4. c. 35. eaque defuncta ſecundas inivit nuptias cum Roſemunda Cunicmundi Gepidarum Regis filia, quem in acie ſuaptè manu in Pannonia interemerat. Deinde rerum ſuarum ſucceſſu inſolens in medio convivio temulentus, Pincernam ad uxorem eidem accubantem menſæ dimiſit; eamque coëgit de patris Calvaria auro obducta & in pateram efformata vinum bibere. Eâ contumeliâ acriter irritata Roſemunda Alboinum haud multò poſt per Hermigem percuſſorem trucidavit, cum quo abreptis Alboini theſauris Ravennam ad Exarcham Longinum ſe recepit. Cujus conſilio cum in balneo adultero ſuo Hermigi venenum propinaſſet, iſteque hauſta parte venenum ſenſiſſet, eamque ſtricto gladio reliquum bibere compuliſſet, uterque nefarij parricidij pœnas morte luit. Narſes Gothorum regni everſor eodem anno perijt quo Alboinus ſcilicet 572. ut ex narratione Anaſtaſij in Ioanne tertio facile colligitur; eodemque deceſſit Ioannes Papa tertius. Florebat iiſdem temporibus opibus & aulæ gratia Narſes alter, juxta Procopium l. 1. de bello Perſico p. 25. & l. 2. de bello Gotthico p. 230. ex eadem Perſarmenorum gente oriundus, ex qua prodierat Eunuchus Gotthorum debellator; & ut admodum veriſimile eſt eidem conſanguineus. Qui cum fratre ſuo Aratio & matre ſua defecit ad Romanos regnante Iuſtiniano: fuitque liberaliter à Narſete Eunucho exceptus, cujus ſic meminit Corippus de ſecundo Iuſtini poſterioris Conſulatu.

*Comptus Cæſarie formaque inſignis & ore*
*Aureus omnis erat.*

Quæ ſanè verba non poſſunt de priore illo Narſete intelligi qui utpotè vetuſtate provectus Spado, non poterat niſi rugoſo glapro

bro & aniliter deformi eſſe vultu: imò verò neque de ſecundo Narſete Aratij germano qui anno Iuſtiniani quarto ad Romanos à Perſis defecerat;ſcimus quippe quam prolixum fuerit Iuſtiniani Imperium, ſed de tertio Narſete hujus poſterioris filio ad quem extat Sancti Gregorij Pontificis epiſtola 6. l. 1. quem Phocas poſtea vivum comburi fecit:vehementerque errat Conſtantinus Manaſſes qui putat hunc tam crudeliter habitum fuiſſe Gotthorũ domitorem quem longè ante deceſſiſſe prodit Anaſtaſius, & qui cum ineunte Iuſtiniani Imperio ſummus belli dux extitiſſet non potuerat ad uſque adeò decrepitam ætatem vitam prorogaſſe.

2. Juniore extincto Juſtino ſinguli ordine in Imperium ſucceſſerunt Tiberius ſecundus, deinde Mauricius. Cujus edicto prohibenti milites nondum completa militia, & rationibus publicis implicatos, ſive ad Monaſticam ſive ad Clericalem profeſſionem admitti, obſtitit Gregorius Pontifex, illudque ad hanc moderationem reduxit ut milites antequam Monaſtico habitu induerentur primum triennio in habitu ſæculari probarentur, & ſi poſt probationem idonei judicarentur Monachi fieri poſſent, tametſi nondum expleto militiæ autoramento: obnoxios vero rationibus publicis arcendos eſſe à Clero aut à Monaſterijs, donec rationes legitimè reddiderint, quibus ſoluti Clericali aut Monachali demum militiæ aſcribi poſſint. Legenda Epiſtola ejus eſt undecima l. 7. ad complures Metropolitanos & alios Epiſcopos ditionis Imperialis quæ ſic incipit *Legem quam pyſſimus imperator dedit.*

3. Mauricius ex Arabiſſo Cappadociæ oppido ducens originem, privatus adhuc miſſus adverſus Perſas belli dux à Tiberio Auguſto egregiam de illis victoriam reportavit, eoſque ad reſtituenda oppida & arces quas Romanis ſub Juſtiniano Principe abſtulerant compulit. Promotus deinde ad Imperium cum initam ſub Tiberio pacẽ Hormiſda Perſarum Rex abrupiſſet, eoſdem Mauricius miſſis ducibus Romano & Philippico ſemel & iterum prælijs attrivit. Quæ cauſa fuit irato Hormiſdæ muliebrem veſtẽ Baramo duci ſuo per vituperium tranſmittendi. At motus contumeliâ iſtâ Baramus ab illo cum exercitu deficiens, in Coſroën ejus filium omne regnum tranſtulit: qui patrem excæcavit, nec imprecandi quaſcumque in filium diras deſiſtentem fuſtibus necavit. Sed odio hujus parricidij à proprijs ſubditis regno pulſus, ad Mauricium confugit à quo liberaliter exceptus eſt. Et Narſetis Patricij operâ victis rebellibus qui ſibi Baramam præfecerant, reſtitutus eſt in regnum. Finito proſperè bello Perſico ſucceſſit impari ſucceſſu bellum Avaricum. Chaganus Avarorum Rex Thraciam infeſtis armis incurſabat, junctis ſibi Sclavinorum & Bulgarorum copijs. Miſſus adverſus eum Commentiolus commiſſo prælio rem infeliciter geſſit. Cumque decem millia Romanorum captivorum Chaganus remittere offerret unius nummi per ſingula capita pretio tantum, ut impenſis parceret homines ſibi inutiles alendi, Mauricius tantillum redemptionis pretium ſolvere recuſavit. Quapropter Chaganus hanc ejus avaritiam deteſtatus,captivos omnes trucidari juſſit. Neque moratus eſt Mauricius ſuam illam plenam inhumanitatis culpam agnoſcere, ſibi tot ſubditorum internecionem profuſis lacrymis imputare, Deoque nocte dieque ſupplicare ut tantæ immanitatis pœnas à ſe in hac potius vita quam poſt mortem repoſceret. Iſtud votum Deus ſupplicanti indulſit. Phocas enim audax & facinoroſus Centurio adverſus Mauricium exercitum concitavit, à quo tumultuariè ſalutatus eſt Imperator; atque in regiam irrumpens quinque Mauricij liberos quorũ priorem natu Theodoſium pater Auguſtum creaverat ante oculos paternos trucidavit; Fratrem quoque Mauricij Petrum; & præcipuos amicos & proceres qui ei cohærebant: nulla vox in tanta ſuorum carnificina ex ejus ore prodijt præter iſtam *Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum:* quinetiam unum ex ejus filijs infantem occultante nutrice ſuumque pro illo ad necem filium objiciente fraudem iſtam Mauricius detexit, nec alienum paſſus eſt occidi. Ipſe demum poſt Liberos jugulatus eſt anno Chr. 602. vigeſimo primo Imperij ſui anno.

4. Phocas Romanum Imperium pari qua invaſerat immanitate adminiſtravit. Interea Coſroës Perſarum Rex in ultionem necis Mauricij magnificè de ſe meriti collectum copioſum exercitum in Romanorum Provincias immittit,concitante quoque adverſus nefarium uſurpatorem & Imperatoris parricidam Phocam Narſete, qui temporibus illis Edeſſæ Præfecturam habebat, ſed eum dolo & perfidia in ſuam redactum poteſtatem vivum comburi præcepit anno Imperij ſui tertio: hoc maximè dolens quod Romanum exercitum cui ducem Leontium præfecerat Narſes pro Perſis dimicans profligaſſet.

5. Interea cum Phocas erga hoſtes impunè Imperium lacerantes ſegnis, erga ſubditos autem crudelis & truculentus Principum cædibus ſimul & infamibus libidinibus indulgeret, Heraclius Africæ Præfectus

inſtructa

Digitized by Google

inſtructa claſſe inde ſolvens, Conſtantinopolim occupat & Phocæ ſupplicio Mauricio Auguſto parentat, debitaſque perſolvit inferias anno à Chriſto ſexcenteſimo-decimo. Nec minus Coſroës proſperè cæptum adverſus Phocam bellum felici ſucceſſu proſequitur adverſus Heraclium, Palæſtinam, Ægyptum, Libyam populatur: captiſque anno 614. Jeroſolymis venerandam inde Crucem cum incredibili captivorum multitudine in Perſidem aſportat. Perſæ duce Saë torrentis erumpentis inſtar ulterius excurrentes Cappadociam, Phrygiam, Bithyniam, reliquaſque Aſiæ Provincias ferro & flammis vaſtant: ipſamque Calchedonem quæ brevi freto ab Conſtantinopoli dirimitur obſidione cingunt. Chagano interea Avarorum rege Thraciam hoſtilibus armis infeſtante. Tantis perculſus calamitatibus Heraclius pacem ſupplex à Coſroë petit, at ille nullam fore pacis conditionem ſuperbè reſpondit niſi Crucifixo abnegato Deo, Heraclius una cum ſuis Solem adoraret. Heraclius ſuam omnem fiduciam in Deo reponens, ejuſque ſupplicibus precibus invocato præſidio, pacem utcumque cum Avaribus firmat, aſcitiſque in auxilium Turcis, Caucaſi ad portas Caſpias accolis quidquid copiarum colligere potuit in Aſiam tranſportavit anno 621. Cum Coſrois ducibus ſæpius acie dimicavit ſucceſſu adeò felici, ut priſtinis omnibus receptis Provincijs in Perſidem irruperit. Coſroës in ſumma rerum deſperatione Medarſem juniorem natu filium regno deſtinat. Id verò moleſtius ferens major Siroës cum Perſarum primoribus in patrem conſpirat, multiſque affectum ludibrijs poſt jugulatos reliquos in ejus conſpectu filios, ſagittis confici juſſit. Tum demum pax Heraclium inter & Siroëm inita eſt captivi libertati reſtituti, Crux ſalutifera Heraclio perhonorificè reddita reparatæ ſalutis anno 628. Eamque inſequenti vere Heraclius ſuis humeris Jeroſolymam tranſportavit.

6. Heraclio regnante Mahometus exitialem ex Judaïſmo, Arianiſmo & Ethniciſmo ſectam conflavit Sergio Monacho ad ſtruenda impia dogmata uſus, cum eſſet ipſe planè illiteratus. Cumque dæmone morboque comitiali correptus frequens corrueret, uxori cæteriſque perſuaſit ſe Angeli Michaëlis conſpectu & colloquio ſic conſternari. Cumque ſectam iſtam enixè propagare conaretur, inſurgente ob id perſecutione fugam arripuit anno Chriſti 622. Julij menſis die 16. is eſt annus primus Hegiræ hoc eſt perſecutionis quæ Arabum cæterarumque Mahometicarum gentium certam epocham conſtituit veterator iſte ex infima ſorte primùm ſervus & camelis paſcendis addictus, prorſuſque litterarum inſcius locupletis heræ ſuæ effectus conjux, deinde Pſeudoprophetes poſtremò Princeps atque Legiſlator ipſo etiam Heraclio Imperante Palæſtinam, Syriam & Ægyptum, cum ſuis Saracenis occupavit.

7. Perſico bello perfunctus Heraclius numinis iram in ſe provocavit dum Monothelitarum hæreſis patrocinium pertinacius aſſumit. Cum enim anno 630. Hierapoli verſaretur accedentem ad ſe ſalutandum Athanaſium Iacobitarum Patriarcham hæreticum Eutychianum benignè excipiens, in ſpem erexit potiundi Patriarchatus Antiocheni ſi Calchedonenſem Synodum complecti vellet. Ea compellatione allectus Athanaſius qui jam per ambitionem ſibi Patriarchæ nomen apud hæreticos Iacobitas indebitè aſſeruerat, & Calchedonenſem Synodum ſe ſuſcipere duaſque in Chriſto naturas ſimulatè dixit; rogavit autem Heraclium an duplex admittenda eſſet in Chriſto voluntas & operatio an una dumtaxat? ille ſciſcitatur à Cyro Alexandrino & Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopis quid ſit in hac quæſtione ſentiendum? quibus reſpondentibus unicam eſſe in Chriſto voluntatem & operationem hiſque aſſentiente Pſeudopatriarcha Athanaſio, in eundem aſſenſum pertractus ſimul eſt Heraclius: tamque obfirmato animo hujus hæreſis fautor evaſit ut anno 639. publico edicto quam Ecthesim vocant ut certum fidei Chriſtianæ articulum omnibus amplectendum & prædicandum propoſuerit: quæ fuit deinceps multarum in Eccleſia perturbationum origo. Moritur demum infelix Heraclius trigeſimo primo Imperij ſui anno qui fuit Chriſti 641. ex aqua intercute alioque morbo fœdiſſimo quo nuptias inceſtas cum Martina Mariæ ſororis ſuæ ex marito Martino filia ut refert in ſua brevi hiſtoria Conſtantinopolis Patriarcha Nicephorus luit. Miror Petavium poſt editum à ſe Nicephori breviarium quo Martina ſororis Heraclij filia proditur hujus immemorem ſcripſiſſe, deinde in rationario fuiſſe ipſam fratris Heraclij filiam, at Baronius qui numquam illud breviarium legerat, utpotè ſuo tempore nondum à Petavio editum ſed in obſcura Bibliotheca abditum cautius ſcripſit neptem Heraclij, nihil de fratre aut ſorore adjiciens utpotè re adhuc incomperta.

8. Teſtamento ſuo Heraclius liberos duos Conſtantinum ex Eudoxia priore uxore & Heraclium ex Martina poſterius ſuſceptum æquo jure Imperij hæredes inſtituit, mandans utrique ut Martinam tanquam matrem & Imperatricem coleret: verum Conſtantinus quarto menſe à noverca Martina perimitur. Heraclius junior qui ab alijs Heracleonas dicitur, cum Martina matre ſex menſibus exactis Imperio dejicitur Senatus decreto, quo etiam matri lingua præciditur Heracleoni nares. Hiſque relegatis Conſtans Conſtantini filij nepos, Imperio ſolus præficitur. Hic Religionis cultu à patre orthodoxo degener avum maluit imitari, Heraclij enim Ecthesim promulgato ſuo typo cui omnes ſubſcribere voluit confirmavit. Martinus tranſmiſſum ad ſe à Conſtante typum ut eum ſua cæterorumque Antiſtitum ſubſcriptione firmaret, convocato Romæ Concilio ſimulque Monothelitarum hæreſim damnavit. Ideoque excandeſcens furore impius Conſtans ſanctiſſimum Pontificem per Exarchum Calliopam Româ Conſtantinopolim abripuit, atque inde Cherſonam relegavit. Quo in exilio confectus ærumnis mortalem vitam immortalitate commutavit anno 655. Maximum quoque eximium fidei Catholicæ propugnatorem lingua manuque abciſſis exilio relegavit. His offenſus ſceleribus Deus ultores Saracenos ſuſcitavit à quibus inſignes inſulæ Cyprus & Rhodus occupatæ ſunt; effractúſque æneus ille ſolis Coloſſus quem Chares Lyndius conflaverat à Mauvia Saracenorum Principe utriuſque inſulæ invaſore, Ægyptijs mercatoribus divenditus eſt. Navali etiam prælio Conſtans contra Saracenos infœliciſſimè certavit anno 654. Pertæſus tandem Conſtantinopolis in Italiam numeroſum ducens exercitum trajecit commiſſoque cum Longobardis certamine victus & furore barbarico incenſus Romam publicis privatorumque opibus, & omnibus quæ auferre potuit ornamentis expilavit, tranſmiſitque in Siciliam: ubi cum ſex annis omnibus inviſus hæſiſſet Syracuſis in balneo à ſuis anno Chriſti 668. eſt interfectus.

9. Conſtantinus audita patris Conſtantis morte atque ab interfectoribus novum electum Imperatorem Mezentium Armenum, illicò Conſtantinopoli ſolvens in Siciliam contendit tyrannúmque Mezentium unà cum ijs qui adverſus patrem conjuraverant è medio tollit. Rebuſque ibi compoſitis Conſtantinopolim regreditur nomenque Pogonati ſeu Barbati adipiſcitur, quia cum inde imberbis exiſſet eodem reverſus eſt barbatus, Princeps fuit patri diſſimilis fidei Catholicæ addictus & juſtitiæ ſtudioſus. Saracenos Conſtantinopolim obſidentes fortiter repulit quos poſt magnam ſuorum jacturam remeantes tam atrox tempeſtas invaſit ut tota eorum claſſis diſperierit. Aliunde Mardaitæ Libani montis incolæ infidelem gentem domeſtico bello diſtinebant. His cladibus attriti Saraceni pacem à Romanis ſub annui tributi præſtatione impetrant. Eo bello Callinicius Mathematicus invento à ſe Græcanico igne cujus ea vis eſt ut in ipſis undis ardeat pleraſque Saracenorum naves exuſſit. Saracenico perfunctus bello Conſtantinus diſparem in Bulgarico bello ſucceſſum habuit. Bulgari amnis Volgæ accolæ ripis quas incoluerant excedentes, tunc primum in Thraciam excurrerunt, Sclaviſque ſubactis Iſtrumque * trajicientes, in ejus citimis ripis ſuas fixere ſedes; à quibus pacem Conſtantinus & locorum conceſſione & annui tributi penſitatione redimere coactus eſt anno Chriſti 677.

10. Sedatis bellis Imperator operam navavit in promovenda ſexta œcumenica Synodo, adnitente in primis Agathone Romano Pontifice cujus Legati in ea præſederunt. Habita verò eſt Conſtantinopoli in Secretario Palatij Regij quod Trullum vocabant anno inchoata 680. deſijtque ſequenti. Hujus decretis damnati ſunt Conſtantis typus & Heraclij Ecthesis, definitumque duas in Chriſto voluntates & actiones divinam & humanam totidem eſſe quot ſunt in eo naturæ diſtinctæ & inconfuſæ: dictumque anathema in Sergium Pyrrhum Cyrum Paulum, & alios qui ſecus docuerant aut docturi eſſent. Obijt Conſtantinus anno Domini 685. eodemque filius ejus ſucceſſit Juſtinianus ſecundus cui poſtea Rhinotmeti nomen inditum à naribus præciſis. Hic præcipitis ferociſque animi levitate Imperium labefactavit. Mardaitas Libani incolas unicum Saracenorum terrorem & robur Imperij, de ſuis ſedibus detractos aliò tranſtulit. Pacem cum Saracenis initam ſtolido conſilio abrupit, Sclavorum fretus auxilijs à quibus mox deſtitutus partam victoriam turpi fuga corrupit. In ſuos vero crudelis & rapax omnium in ſe odia concitavit. His fretus populorum odijs Leontius Patricius apprehenſum Juſtinianum naribus præciſis deformatum anno 695. in Cherſonam relegavit. Sed alius inſurgens tyrannus Abſimarus Leontium deturbavit, parique

ac

Digitized by Google

ac ille Juſtinianum ſupplicio affecit: ipſe verò Juſtinianus Bulgarorum armis adjutus, recepit Imperium, deque Leontio & Abſimaro ſumpto ſupplicio adeò priora vitia non emendavit, ut crudelior calamitate factus nováque proſperitate redditus inſolentior novis cumularet ſceleribus.

11. Tyranno Imperante Leontio dum Juſtinianus apud Cherſonam exulat Saraceni ulterius in Africam provecti Carthaginem expugnant anno 698. ad quam recuperandam Leontius ingentem claſſem miſit, ſed exercitus accepta clade rediens & Leontij veritus offenſionem, Abſimarum ad Imperium provexit. Saraceni verò nemine prohibente dominationem ſuam in Africa uſque in Oceanum proferunt & univerſa Mauritania potiuntur.

12. Verſus hujus ſæculi finem ſedente Romæ Sergio Pontifice Pipino Hereſtallo Principe Franciæ Præfecto, enixo ſtudio ad Borealium Provinciarum à Paganiſmo ad Chriſti religionem incumbente, magno incremento aucta eſt Eccleſia per duos præſertim Apoſtolicos viros Sunibertum & Villebrodum quorum hic Romam adijt & à Sergio Papa prædicandi gentibus miſſionem & Epiſcopalem conſecrationem accepit. Svnibertus autem in Anglia fuit à Vvilfrido Merciorum Antiſtite ordinatus Epiſcopus. Horum prædicatione atque ſtupendis miraculis Friſones, Hollandi, Vveſtphali, Dani, alijque finitimi populi abjecto idolorum cultu Chriſti fidem ſuſceperunt quam hiſtoriam deſcribit Marcellinus Amborum Comes & fidelis collaborator in vita Suniberti & Beda l. 5. hiſt. Angl.

13. Anno 692. exiſtente Romano Pontifice Sergio, imperante Juſtiniano ſecundo coactum fuit Conſtantinopoli in Trullo Conciliabulum dictum quiniſextum à Sergio Papa ut teſtis eſt Beda rejectum ac reprobatum tanquam ſchiſmaticum.

14. Septimò ineunte ſæculo Hetychius Jeroſolymitanus Epiſcopus ſcripſit in Levit. Libros ſeptem quibus præclarè myſteria reſerat ſub cæremoniarum Moſaïcarum cortice latentia. Joannes Moſchus ſcripſit ad Sophronium Jeroſolymitanum Epiſcopum utilem admodum librum pratum ſpirituale qui laudatur in ſeptima Synodo. Leontius Joannis cognominati eleemoſynarij Alexandrini Epiſcopi vitam admirabilem ſcripſit, ut etiam Jonas ſive Anglus ſive Hybernus Sancti Columbani vitam: qui omnes hoc ſæculo floruerunt. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus hoc eodem ſæculo multa luculenter ſcripſit. Sæculum iſtud illuſtravit ſanctitate pariter & doctrina Maximus Monachus, & Martyr, ſub Conſtantis Imperatoris hæretici Monothelitæ perſecutione. Extat ejus diſputatio contra Pyrrhum Monothelitam. Liber etiam de Eccleſiaſtica Myſtagogia & ſcholia in libros Dionyſij Areopagitæ. Ildefonſus Toletanus Epiſcopus inſignes edidit in laudem Dei genitricis Mariæ tractatus atque ob ſuſceptum ejus adverſus hæreticos patrocinium, alba Sacerdotali veſte cælitus allata ab ea donatus eſt. Obijt anno Domini 667. Iulianus Epiſcopus Toletanus tres libros edidit adverſus Iudæos, totidemque alios de futuro ſæculo quos Prognoſticon vocavit.

## *CONCILIUM PARISIENSE quintum anno Chriſti 615.*

1. NOVA hæc Synodus (ait Sirmondus) à Clotario II. Rege tum indicta cum poſt Theodeberti & Theodorici mortem illorum quoque regno ſucceſſiſſet univerſumque ſicut Clotarius alter ipſius avus Francorum ex aſſe Imperium adeptus eſſet. Quo factum ut maximo ad eam numero Epiſcopi convenerint: Septuaginta novem adfuiſſe proditum eſt in vetere quadam collectione quot in nullo antea Francorum Concilio fuiſſe memorantur. Eadem propterea generalis Synodus appellatur in Concilio Rhemenſi can. 3.

Can. I. *Primo in loco ut Canonum inſtituta ab omnibus conſerventur & quod per priora temporum ſpatia præceptum eſt vel deinceps perpetualiter obſervetur, hoc eſt ut decedente Epiſcopo in loco ipſius ille in Chriſto propitio debeat ordinari, quem Metropolitanus à quo ordinandus eſt cum Provincialibus ſuis Clerus vel populus Civitatis, abſque ullo commodo vel datione pecuniæ elegerint. Quod ſi aliter aut poteſtate ſubrepat, aut quacumque negligentia, abſque electione Metropolitani Cleri conſenſu vel civium fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta Patrum irrita habeatur.* Require ſuperius canonem 4. Nicæni Concilij cum annotatis ibidem & Concilij Aurelianenſis V. can. 12.

Can. II. *Vt nullus Epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat, nec qualiſcumque perſona illo ſuperſtite locum ipſius ſub quocumque argumento vel ingenio adoptare præſumat, nec à quoquam debeat ordinari niſi certæ conditiones extiterint ut Eccleſiam ſuam & Clerum regere non poſſit.* Vide ſuperius quinti Aurelianenſis Concilij can. 12.



2. Can.

2. Can. III. *Vt ſi quis Clericus quolibet honore munitus contempto Epiſcopo ſuo ad Principem vel ad potentiores homines vel ubi & ubi ambulaverit, vel ſibi patronos elegerit non recipiatur, præter ut veniam debeat promereri. Quod ſi fecerit qui ipſum poſt admonitionem Pontificis ſui retinere præſumpſerit noverint ſe utrumque priorum Canonum ſententiâ damnandos.*

Canon iſte multas ſanctiones complectitur quas ſuperius obſervavimus à multis Concilijs conſtitutas ut ſunt ne à proprio Epiſcopo excommunicati aliâve cenſurâ notati abalijs in communionem fidelium admittantur. Ne ſine dimiſſorijs proprij Epiſcopi ordinentur. Ne in alijs Diœceſibus ſine proprij Antiſtitis litteris formatis admittantur. Ne liceat proprij Prælati juriſdictionem declinare aut juſſionibus refragari citra legitimas formas vel canonicas appellationes. Huc ſpectat lex Deuteronomij cap. 17. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio morietur homo ille & auferes malum de Iſraël.* Et de Epiſcopis in perſona Apoſtolorum ait Chriſtus Luc. 10. *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Et Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Can. IV. *Vt nullus judicum neque Presbyterum neque Diaconum vel Clericum ullum aut juniores Eccleſiæ ſine ſcientia Pontificis per ſe diſtringat, aut damnare præſumat: quod ſi fecerit ab Eccleſia cui injuriam irrogare dignoſcitur tandiu ſit ſequeſtratus quandiu reatum ſuum corrigat & emendet.* Citatur c. 2. de foro comp.

Can. VIII. *His etiam conſtitutionibus adnecti placuit ut defuncto Epiſcopo vel Presbytero vel Diacono, vel quoquam junioris ordinis Clerico, non per præceptum neque per judicem neque per quamcumque perſonam vel Eccleſiæ vel eorum propria quouſque aut teſtamentum vel qualemcumque obligationem fecerit cognoſcatur, à nullo penitus ſupradictæ res contingantur, ſed ab Archidiacono vel clero in omnibus defenſentur & conſerventur. Quod ſi quis immemor hujus definitionis temerè aliquid exinde auferre præſumpſerit, aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit, & de dominatione Eccleſiæ abſtulerit, ut necator pauperum communione privetur.* Similia repetuntur hujus Concilij canon. 10.

3. Can. X. *Et quia multæ tergiverſationes infidelium Eccleſiam Dei quærunt collatis privare donarijs, ſecundum conſtitutionem præcedentium Pontificum id convenit inviolabiliter obſervari, ut teſtamenta quæ Epiſcopi Presbyteri ſeu inferioris ordinis Clerici vel donationes aut quæcumque inſtrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Eccleſiæ aut quibuſcumque perſonis conferre videantur, omni ſtabilitate ſubſiſtant: ſpecialiter ſtatuentes ut etiamſi quorumcumque religioſorum voluntas aut neceſſitate aut ſimplicitate faciente à legum ſæcularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconvulſa manere, & in omnibus Deo auſpice cuſtodiri. De quibus rebus ſi quis animæ ſuæ contemptor aliquid alienare præſumpſerit uſque ad emendationis ſuæ vel reſtitutionis rei ablatæ tempus, à conſortio Eccleſiaſtico vel à Chriſtianorum convivio habeatur alienus.*

Canon iſte ijſdem verbis depromptus eſt ex can. 2. Concilij ſecundi Lugdunenſis anni 567. ſub Ioanne Papa III. & huc pertinent Carthaginenſis Concilij IV. can. 95. & Vaſionenſis ſeu Vaſenſis can. 4. & Arelatenſis II. can. 47. & Matiſconenſis I. can. 4. & c. qui oblationes 13. q. 2.

Can. XII. *Illud etiam unanimi conſenſu convenit quod ſi quis Monachus aut Monacha in Congregatione poſiti religioſam converſationem elegerint, & poſtea aut ad parentes aut ad propriam quamcumque ſubſtantiam ſe de congregatione ipſa ſubtraxerint, & ab Epiſcopo ſuo per Epiſtolam admoniti ad ſepta Monaſterij ſui redire diſtulerint, ſint uſque ad exitum vitæ à communione ſuſpenſi: nec prius ad Euchariſtiæ gratiam admittantur quam ad ovile ſuum de quo ſe vagationis inſolentiâ viſi ſunt ſubtraxiſſe, cum humillimæ ſupplicationis debeant ſatisfactione reverti.* Repetitur iſte Canon l. 7. capitul. c. 256.

4. Can. XIV. *Inceſtas verò conjunctiones ab omni Chriſtianorum populo cenſuimus ſpecialiter reſecari: ita ut ſi quis relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinam, ſobrinam vel relictam item patrui atque avunculi, vel in religionis habitu deditam conjugij crediderit conſortio violandam, tandiu à communionis gratia ſegregetur, quandiu ab illicitis conjunctionibus ſequeſtratione manifeſtiſſima debeat abſtinere.*

Has eaſdem conjunctiones ut inceſtuoſas prohibuerat Concilium Epaonenſe can. 30. & cum utrobique damnentur ſobrinorum conjunctiones, multo magis damnaſſent inter patruos aut avunculos cum neptibus ex fratre vel ſorore, ideoque ut referunt Nicephorus Patriarcha in breviario Zonaras & Cedrenus gravem apud fideles omnes incurrit offenſionem Heraclius Imperator quando Martinam ex ſorore ſua neptem ſibi ſumpſit uxorem, una enim generatione minus diſtant patruus & neptis quam conſobrini.

5. Singulos hujus Concilij canones Clotarius ſecundus rex ſuo edicto roboravit. Ad canonem vero 4. qui eſt de Clericorum à judicijs ſæcularium officialium exemptione hæc conſtituit Rex Clotarius. *Vt nullus judicum de quolibet ordine Clericos de civilibus cauſis præter criminalia negotia per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi convincitur manifeſtus excepto Presbytero aut Diacono. Qui vero convicti fuerint de crimine capitali juxta Canones diſtringantur, & cum Pontificibus examinen*

Digitized by Google

*examinentur. Quod ſi cauſa inter perſonam publicam & homines Eccleſiæ ſteterit, pariter ab utraque parte præpoſiti Eccleſiarum & judex publicus in audientia publica poſiti ea debeant judicare.* Concilium Remenſe anni 625. can.3. de Canonibus hujuſce Concilij ſic decernit: *Vt capitula Canonum Pariſijs acta in generali Synodo, in Baſilica Sancti Petri Clotarij regis ſtudio Congregatâ omni firmitate cuſtodiantur.*

## *CONCILIVM TOLETANVM anni Chriſti 633.*

1. VRgente pijſſimo Hiſpaniarum Rege Siſenando qui & Concilio interfuit, ſedente Romæ Honorio Pontifice Æra Hiſpanica 661. anno Chriſti 633. celebratum eſt Toleti ex univerſa Hiſpania & vicinia Galliæ Concilium ſexaginta duorum Epiſcoporum, præter Vicarios ſeptem abſentium Antiſtitum. Sex interfuerunt Metropolitani ex quibus qui præſedit fuit Iſidorus Hiſpalenſis, ſecundus Selva Narbonenſis, tertius Stephanus Emeritenſis, quartus Julianus Bracarenſis, quintus Juſtus Toletanus, ſextus audax Tarraconenſis Metropolitani omnes.

Can. II. *Vt nullus Epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat.*

Vide ſuperius can.12. Concilij quinti Aurelianenſis cum noſtris ibidem ſcholijs.

2. Can. III. *Nulla pene res diſciplinæ mores ab Eccleſia Chriſti depulit quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis univerſaliter definitum eſt ut quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporum fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur: ita tamen ut ſi cauſa fidei eſt, aut qualibet alia, Eccleſiæ generalis totius Hiſpaniæ & Galliæ Synodus convocetur; ſi vero nec de fide nec de communi Eccleſiæ utilitate tractabitur, ſpeciale erit Concilium uniuſcujuſque Provinciæ ubi Metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autem qui cauſas adverſus Epiſcopos aut judices aut potentes aut contra alios quoſlibet habere noſcuntur ad idem Concilium concurrant, & quæcumque examine Synodali à quibuſlibet pravè uſurpata inveniuntur, Regij executoris inſtantia, juſtiſſimè his quibus iura ſunt reformentur: ita ut pro compellendis iudicibus vel ſæcularibus viris ad Synodum, Metropolitani ſtudio idem executor à Principe poſtuletur.*

Obſerva in cauſa fidei aut communis Eccleſiarum diſciplinæ nationalem eſſe Synodum convocandam. Præterea in Synodis etiam Provincialibus audiri & dirimi querelas ſingularium adverſus Epiſcopos. Imò etiam adverſus judices & potentes ſæculares qui per Regios executores compellendi ſunt ut coram Synodo cauſam dicant, de quibus accuſantur. Item convocandas eſſe Provinciales Synodos ad minus ſemel ſingulis annis.

3. Can. IV. Forma celebrandi Concilij præſcribitur ut ante ſolis ortum omnes ab Eccleſia eliminentur per oſtiarios: deinde ingrediantur Epiſcopi, deinde ſeorſim Presbyteri, poſtremo Diaconi: profuſiſque in commune precibus Epiſcopis ſuis in ſedibus ad figuram coronæ diſpoſitis conſideant, atque ab eorum tergo Presbyteri quoque ſedeant, Diaconi vero ſtent in conſpectu Epiſcoporum.

4. Can. VI. Poſtquam expoſitum fuit trinam in baptiſmo immerſionem, aut unam & ſimplicem uſu in diverſis Eccleſijs approbari, & ſacra myſteria in his involui, ut tamen in uno ritu omnes Hiſpaniarum Eccleſiæ conveniant, decernit unicam fieri deinceps per omnes Hiſpaniæ Eccleſias immerſionem, prout Sanctus Papa Gregorius à Leandro Hiſpaniarum primate conſultus eidem conſuluerat l.1. epiſt.41. & habetur de conſecrat. diſt.4. c. de trina merſione. Trinam autem exigunt immerſionem can. Apoſtolorum 50. Tertul. 6. adverſus Praxeam c.26. Ambr. l.20. de Sacram. c.7. Hieron. adverſ. Lucif. Chryſoſt. hom.24. in Ioan. alijque veteres Scriptores.

5. Can.9. Præcipit per omnes Hiſpanici regni Eccleſias in pervigilio Paſchæ novum ignem & cereum benedici. Hujuſce ritus qui nocte ipſa quæ Dominicā Paſchæ diem antecedit circiter dimidiū noctis ſolemniter peragebatur mentio quoque eſt apud Albinum Flaccum ſive Alcuinum lib. de div. Officijs ſub tit. de Sabbato ſancti Paſchæ. Meminere pariter Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis lib. de Eccleſiaſ. offic. cap.118. & Valafridus Strabo de reb. Eccleſiaſt. cap.30. Rabbanus Maurus lib.2. de inſtit. Cleric. cap.38. Qui omnes autorem iſtius ritus commemorant Zoſimum Papam. Hoc etiam addunt Alcuinus & Fortunatus Trevirenſis cereo iſto Paſchali igneam ſignificari columnam quæ Iſraëlitis poſt celebratum Paſcha ad tranſitum rubri maris illuxit ea nocte qua Pharaonis exercitus aquis ante diviſis in priſtina redeuntibus eſt ſubmerſus. Præſertim vero cereus iſte myſticus Chriſtum refert ex tumulo redivivum profligatis triumphatiſque inferni poteſtatibus, ipſo fulgente divinitatem & cera humanitatem redemptoris ſignificantibus ut ijdem etiam autores exponunt.

6. Can. XXIII. *Non aliter placuit ut quemadmodum Antiſtites, ita Presbyteri atque Levitæ quos fortè infirmitas aut ætatis gravitas in conclavi Epiſcopi manere non ſinit, ut ijdem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine ita & meritis teneant.*

Hinc collige Presbyteros & Diaconos ſolitos antiquitus in iiſdem habitare cum Epiſcopo ædibus quæ conſuetudo in Gallia quoque viguit juxta Aurelianenſis ſecundi Concilij can. 9. *Nullus Presbyterorum ſine permiſſione Epiſcopi ſui cum ſæcularibus habitare præſumat. Quod ſi fecerit ab officij communione pellatur.* Ea firmatur priſca conſuetudo teſtimonio Auguſtini in ſerm.22. de communi vita Clericorum & ſerm.36. ad Presbyteros, ejuſque in vita Poſſidius refert c.52. *Communi menſa in conclavi cum Presbyteris & Clericis, uti ſolitum Auguſtinum.* His aſtipulantur duo Concilia Pontifice Leone tertio, & Imperatore Carolo Magno

Magno habita in primis Moguntiacum can. 9. ſic ſtatuit: *In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas decrevimus ut Canonici clerici Canonicè vivant, obſervantes Divinæ ſcripturæ doctrinam & documenta Sanctorum patrum: Et nihil ſine licentia Epiſcopi ſui vel magiſtri eorum compoſite agere præſumant in unoquoque Epiſcopatu. Et ut ſimul manducent & dormiant ubi his facultas id faciendi ſuppetit. Vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt & in ſuo clauſtro maneant & ſingulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam vero ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones ſuis magiſtris exhibeant.* Sub ijſdem pariter celebratum Concilium Turonicum tertium paria decernit.

7. Can. XXV. *Canonici & Clerici civitatum qui in Epiſcopiis converſantur conſideravimus ut in Clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimúlque in uno reficiantur refectorio quo faciliùs poſſint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & converſatione ſua admoneri & doceri: victum & veſtimentum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi per diverſa vagari ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur: dimiſſoque Eccleſiaſtico officio incipiant indiſciplinatè vivere & propriis deſervire voluptatibus.*

Nec tantum erat Canonicorum ac presbyterorum vita communis ſed etiam minorum clericorum qui in ſeminariis inſtituebantur ut ex iſtius Concilij Toletani quarti Canone ſequenti perſpicuum fit.

8. Can. XXIV. *Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum prov. 30. Nihil enim incertius quam vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituendum oportuit, ut ſi qui in clero puberes aut adoleſcentes exiſtunt omnes in uno conclavi atrij commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori quem magiſtrum Doctrinæ & teſtem vitæ habeant. Quod ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt à Sacerdotali tutela foveantur, ut & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res eorum ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultaverint Monaſteriis deputentur, ut vagantes animi & ſuperbi ſeveriori regula diſtringantur.*

Concilium generale Lateranenſe tertium ſub Alexandro tertio Pontifice can. 18. jubet ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopi curent Scholas erigi in eiſque Magiſtrum conſtitui cui beneficium aliavè emolumenta pro victu aſſignent à quo Clerici ejuſdem Eccleſiæ, & pauperes ſcholares gratis doceantur. Poſtremò Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 18. pleniore circa ſcholas & ſeminaria Eccleſiaſtica conſtitutione providit.

9. Can. XXV. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere Sanctas Scripturas admonentur, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheum intende lectioni exortationi Doctrinæ, ſemper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas & Canones ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat atque ædificent cunctos tam fidei ſcientiâ quam operum diſciplinâ.*

Huc refertur Oſeæ 4. verſ. 6. *quia tu ſcientiam repuliſti repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et Malac. 2. verſ. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Eccleſia magnopere ſollicitudinem gerit ut Clero addicti ſcientiis Eccleſiaſticis imbuantur. Ideoque approbat ut beneficiis ac præbendis proviſi ab Eccleſiis ſuis abſint ut ſtudiis informentur: Nec minùs percipiant ſuos fructus præbendarum C. ſuper ſpecula de Magiſtris. Et quod attinet ad Gallicanas Eccleſias concordatum Bononienſe in Concilio ultimo Lateranenſi approbatum in gratiam cujuſlibet Clerici propter ſtudia convenienter abſentis ſic decernit tit. de collat. ſſ. 1. *Et ut liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit à Divinis habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat, quem in locum hoc ſcribit commentator Rebuffus & ſic nec diſtributiones anniverſarias, nec aliud adventitium amittere debent, per hoc verbum nihil perdat, quod etiam ſuadetur per iſtum textum qui fingit eum præſentem in Divinis. Tantum enim operatur fictio in caſu ficto quantum veritas in caſu vero. L. filio quem pater ff. de liberis & poſthu. l. ſi filius familias ſi cert. peta. c. cum dilectus. Et c. ad audientiam de clero non reſid.* item in Gallia ex amore ſcientiæ multæ reſervantur præbendæ tam ſimplices quam curatæ, perſonis graduatis per pragmaticam ſanctionem, atque concordatum. Denique Canon iſte Toletanus citatur c. ignorantia mater diſt. 38.

10. Can. XXVI. Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur Libellum Officialem à Sacerdote ſuo accipiant; ut ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi accedant, ne per ignorantiam etiam Divinis Sacramentis offendant: ita ut quando ad Litanias vel ad Concilium venerint rationem ſuo Epiſcopo reddant qualiter ſuſceptum officium celebrant vel baptizant. Habetur c. quando presbyteri diſt. 38. ſic etiam Concilium Aurelianenſe tertium can. ult. *Canones ſuos* (inquit) *nec ignorare quemquam nec diſſimulare id eſt præterire permittitur. Et Concilium Aurelianenſe quartum can. 6. Parochiani Clerici à Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi vel populi quæ pro ſalute eorum decreta ſunt excuſent poſtmodum ignoraſſe Poſſidius in vita Auguſtini ſcribit c. 8. ſategit Auguſtinus ut Concilijs conſtitueretur Epiſcoporum, ab ordinatoribus debere ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam defferri.*

11. Can. XXVIII. *Epiſcopus Presbyter aut Diaconus ſi à gradu ſuo injuſtè deiectus in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat niſi gradus amiſſos recipiat co-*

*ram*

*rum altario de manu Epiſcopi orarium , annulum , & baculum : ſi Presbyter orarium & planetam : ſi Diaconus orarium & albam, ſi Subdiaconus patenam & calicem ; ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant , quæ cum ordinarentur perceperunt.*

Sicut per depoſitionem vel degradationem non adimitur Sacri Caracteris poteſtas , ita nec per iteratam ordinationem reſtituitur. Nulla igitur hic decernitur reordinatio , ſed ſolemnis quædam Cæremonia Sacramento vacua præſcribitur in priſtinum miniſterium reſtitutionis , ei qui injuſtè fuerat exautoratus ſeu gradu motus , qualia diverſa ſuppeditat exempla Eccleſiaſtica antiquitas. Concilium quidem Nicænum in ſuis Synodicis ad Ægyptios litteris eos qui ordinati fuerint à Meletio Lycopolitano Epiſcopo Schiſmatis auctore , ſi ad unitatem Eccleſiæ unde ſe ſubtraxerant revertantur permittit in clero perſiſtere , atque acceptorum ordinum miniſteria exequi ; hac tamen præmiſſa conditione μυστικωτέρα χειροτονία βεβαιωθέντας dummodo ſanctiore manuum impoſitione confirmati fuerint. Quo eodem ſenſu can. 8. Nicænus de Catharis Clericis ad Eccleſiam redeuntibus χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ impoſitis eis manibus ſic in clero maneant. Verum tamen ſacra Eccleſiæ diſciplina neque rebaptizationes , neque reordinationes fieri permittit , ut conſtitutum refert Ambroſius in epiſt. 78. & 79. in Capuana Synodo ſub Siricio Papa & nominatim allegatur & confirmatur à Concilio Carthaginenſi tertio can. 38. his verbis illud autem ſuggerimus mandatum nobis quod etiam in Capuenſi plenaria Synodo videtur ſtatutum non liceat fieri rebaptizationes , & reordinationes , vel tranſlationes Epiſcoporum. His conſonat Auguſtinus in l. 2. contra Epiſtolam Parmeniani c. 13. dicens utrumque ſacramentum eſt , & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur iſtud cum ordinatur : ideóque in Catholica Eccleſia utrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte etiam præpoſiti pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt , & ſi viſum eſt opus eſſe ut eadem officia gererent quæ gerebant non ſunt rurſus ordinandi , ſed ſicut baptiſmus in eis ita & ordinatio manſit integra. Baſilius his conformatur in epiſt. 1. ad Amphilochium can. 1. in fine, allegatis enim duorum Epiſcoporum exemplis qui ab hæreticis conſecrationem acceperant, atque ad Pontificium miniſterium ſine nova ordinatione intra Eccleſiam Catholicam fuerant poſt ejuratam hæreſim admiſſi ; hoc idem concludit circa alios quoſcumque ab hæreticis ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatos , ſi eos judicet Eccleſia miniſterio idoneos. Idemque epiſt. 198. dicit novum prorſus & horrore dignum eſſe quod Euſtathius Epiſcopus etiam manum denuò quibuſdam imponere præſumpſerit, quam rem ( inquit ) nemo umquam ex hæreticis feciſſe videtur. Patres ergo Nicæni per ſanctiorem illam manuum impoſitionem & Toletani iſti per hanc inſtrumentorū & ſacrorum inſignium ad altare redhibitionem non reordinationem invehere intendunt , ſed pias Cæremonias per quas ſuſpenſis ab exercitio confertur poteſtas non quidem validè ſed tantum licitè ordinis poſthac exercendi. His accedat Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis præclare dicens in epiſt. 15. quo pacto id in Eccleſia ſuo tempore fieri ſoleret. *Rebaptizationes* ( ait) *& reordinationes fieri Canones vetant. Propterea depoſitum non reordinabitis , ſed reddetis ei ſuos gradus per inſtrumenta & veſtimenta quæ ad ipſos gradus pertinent , ita dicendo: reddo tibi gradum oſtiarij in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Noviſſima autem benedictione lætificabis eum ſic concludendo benedictio Dei Patris & Filij & Spiritus Sancti , ſuper te deſcendat ut ſis reſtitutus in ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias.* His affatim illuſtratur Canon Toletanus.

12. Can. XXXII. *Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam ſibi à Deo curam non ambigant. Ideóque dum conſpiciunt judices & poteſtates pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos Sacerdotali admonitione redarguant : & ſi contempſerint emendare eorum inſolentiam regiis auribus intiment , ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam regalis poteſtas ab improbitate coërceat. Si quis autem Epiſcoporum neglexerit Concilio reus erit.*

Epiſcopalis conſtantiæ adverſus magnatum violentiam & injuſtitiam illuſtria ſuppeditant exempla. S. Nicolaus Myræ Antiſtes in Euſtachium Aſiæ proconſulem, ut in ipſius actis legitur. Athanaſius Alexandrinus in præfectum Lybiæ ex Cappadocia oriundum, quem etiam ab eodem communione fidelium præciſum Baſilius Cappadociæ Metropolita declaravit Cæſareæ à fidelium conſortio extorrem, epiſt. 47. ad Athanaſium. Idémque Baſilius pari virtutis laude Modeſtum præſidem coërcuit. Nota eſt Ambroſij erga Juſtinam Auguſtam , deinde erga Theodoſium magnanimitas quem ob promiſcuam Theſſalonicenſium cædem ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Nec minus perſpecta eſt Joannis Chryſoſtomi erga Eudoxiam Auguſtam animi conſtantia. Synæſius etiam Ptolemaidis Epiſcopus Andronicum Provinciæ Pentapolitanæ præfectum virum crudeliſſimum & rapacem , ſimulque flagitiorum ejus conſcium & adminiſtrum thoantem fruſtra præmonitos & obſtinatos à cætu fidelium excluſit , atque ad pœnitentiam demum adegit ut in ſuis ipſe refert epiſtolis 57. 58. 72. 89. Nec prætermittendus Auguſtinus qui præpotentem Africæ comitem ſibique ſingulari neceſſitudine devinctum Bonifacium excommunicavit, eo quod hominem qui ad Eccleſiam confugerat ſceleratum & morte dignum violata loci Sacri aſylo abſtrahi juſſiſſet , ut liquet ex appendice epiſt. 6. & 7. Idémque Auguſtinus epiſt. 159. Marcellinum Africæ præfectum ita compellat : *Quoniam Chriſtiano loquor maximè in tali cauſa non arroganter dixerim audire te Epiſcopum jubentem convenit , Domine eximie & merito inſignis atque chariſſime fili.* Huc denique pertinet Arelatenſis primi Concilij can. 7. *De præſidibus qui fideles ad præſidatum proſiliunt placuit , ut cum promoti fuerint litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias : ita tamen ut in quibuſcumque locis geſſerint ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur. Et cum cœperint contra diſciplinam agere , tum demum à communione excludantur. Similiter & de his qui rempublicam agere volunt.*

Can. 34.

Digitized by Google

Can.XXXIV. *Quicumque Epiſcopus alterius Epiſcopi Diœceſim* (hoc loco nomine Diœceſis pars territorij aut aliqua ſpecialis Eccleſia comprehenditur) *per triginta annos ſine aliqua interpellatione poſſederit quia ſecundum jus legis ejus jam videtur eſſe Diœceſis, admittenda non eſt contra eum ratio repoſcendi, ſed hoc intra unam Provinciam extra verò nullo modo: ne dum Diœceſis defenditur Provinciarum termini confundantur.* His adde can.ſeq.

13. Can. XXXV. *Sicut Diœceſim alienam tricennalis poſſeſſio tollit, ita territorij conventum non adimit. Ideoque Baſilicæ quæ novæ conditæ fuerint ad eum proculdubio Epiſcopum pertinebunt cujus conventus eſſe conſtiterit.*

Citatur apud Gratianum c.poſſeſſio 16. q.2. & c.ſicut Diœceſim 16. q.3. exemplum ſit Epiſcopus Bononienſis habet quidem jus patronatus in Eccleſia quam vel ipſe vel ejus majores ædificarunt in Diœceſi Mutinenſi: non tamen poteſt hoc ipſo habere juriſdictionem in populum vel Clerum ad eam confluentem, neque illam conſecrare, aut Pontificalia intra illam exercere, niſi ex permiſſu Epiſcopi Mutinenſis in cujus eſt territorio. Hoc ipſum Sanctus Papa Gregorius ſic definit l.11.epiſt.19. *Lator præſentium Ioannes frater & Coepiſcopus noſter indicavit nobis quod quidam Exuperantius Epiſcopus auſu temerario in Diœceſi ipſius oratorium conſtruxerit, idque ſine præcepti authoritate contra morem præſumpſerit dedicare, miſſaſque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum ſumma te celebritate ac diſtrictione convenit emendare, nec ulterius tale aliquid attentare permittas.* Non enim licitum eſt oratorium aut Eccleſiam ædificare ſine venia Epiſcopi in cujus Diœceſi conſtruitur. Cur autem Calchedonenſis Synodi canon 17. & iſti Canones Toletani quadragenariæ in rebus Eccleſiæ præſcriptionis non meminerint, quam Juſtinianus introduxit; ratio eſt quia Juſtinianum tempore præceſſit Synodus Calchedonenſis & quia ex lege Alatici Viſigothorum Regis Hiſpaniarum populi Codicis Theodoſiani conſtitutionibus ab Aniano collectis regebantur. Require ſuperius Canonem illum 17. Calchedonenſem cum ibidem per me annotatis ſcitu dignis.

Can.XXXVI. *Epiſcopum per cunctas Diœceſes Parochiaſque ſuas per ſingulos annos ire oportet, ut exquirat pro unaquaque Baſilica an reparatione ſui indigeat. Quod ſi ipſe aut languore detentus aut alijs occupationibus implicatus id explere nequierit, Presbyteros probabiles aut Diaconos mittat qui & reditus Eccleſiarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.* Habetur c. Epiſcopum 10.q.1.

14. Can.XXXVIII. *Præbendum eſt à Sacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus, & maximè his quibus reſtituenda viciſſitudo eſt, quicumque ergo fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt, ſi fortè ipſi aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant. Si enim Clericis vel Monachis ſeu Peregrinis aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus pro ſolo religionis intuitu in uſum res Eccleſiaſticæ largiuntur, quanto magis his conſulendum eſt quibus retributione juſta debetur.*

Citatur c. quicumque fidelis 16. q.7. hoc ex fonte jus manat patronorum ut ijſdem egentibus alimenta præbeantur ab Eccleſia c. contra & c. ſeqq. 16.q.7. & c.nobis fuit de jur. patr.

Can. XL. *Vnum orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero propter quod orat, id eſt prædicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat.* Citatur c. unum orarium diſt 25.

15. Can. XLI. *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant: non ſicut hucuſque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis ut laici comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent: ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque hæreticorum fuit. Vnde oportet ut pro amputando Eccleſiæ ſcandalo hoc ſignum dedecoris auferatur, & una ſit tonſura vel habitus ſicut totius Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit fidei Catholicæ reus erit.*

En ut comam in quocumque Clerico ſcandalum & dedecoris ſignum ſanctiſſimi & ſapientiſſimi Patres vocant. Anicetus Papa epiſt. ad Cler. Gall. ſic ait. *Clerici comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Citatur c.prohibet diſt.23. Concilium Carthaginenſe IV. can. 44. *Clericus neque comam alat neque barbam.* Citatur c.Clericus diſt.42. Iſidor.l.2.de divinis Officijs c.4. inſtitutam ab ipſis Apoſtolis docet Clericorum tonſuram & coronam ad Nazareorum imitationem; tanquam indicium & peculiarem profeſſionem addictionis ad cultum Dei. Quorum etiam ritu Paulus Jeroſolymis comam attondit & purificatus in templo fuit Act.Apoſt.21. rem ſcribit mirificam Gregorius Turonenſis in vita SS. PP. c.17. *S.Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore deſignatus eſt Clericus. Nam cum partu fuiſſet effuſus omne caput ejus ut eſt conſuetudo naſcentium infantium à capillis quidem nudum cernebatur in circuitu vero modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Ex tonſura quoque ortum habuit conſuetudo rogandi & obteſtandi Epiſcopum per ipſius coronam. Hier. namque ad Auguſtinum epiſt. quæ eſt apud Auguſtinum 26. ita dicit: *Fratres tuos Dominum meum Alypium & Dominum meum Evodium ut nomine meo ſalutes precor coronam tuam.* Ipſeque Auguſtinus ad Proculianum Epiſcopum epiſt. 147. *Per coronam noſtram nos adjurant veſtri, & per coronam veſtram vos adjurant noſtri.*

Can.XLV. *Clerici qui in quacunque ſeditione arma volentes ſumpſerint, amiſſo ordinis*

*nis ſui gradu in monaſterium pœnitentiæ contradantur.* c. clerici qui 23. q. 8.

Can. XLVII. *Præcipiente Domino atque excellentiſſimo Siſennado rege id conſtituit Sanctum Concilium ut omnes ingenui Clerici pro Officio Religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes : ut liberi Deo ſerviant nullâque præpediti neceſſitate ab Eccleſiaſticis Officiis retrahantur.* Vide ſuperius Chalcedonenſes Canones 3. & 7. cum annotatis.

16. Can. XLIX. *Monachum aut paterna devotio aut propria profeſſio facit : quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum.* c. Monachum 20. q. 1.

Monaſticæ vitæ olim multi ſola parentum oblatione ac voluntate ad totam vitam aſtringebantur. Hac de re vide inferius Concilij Vormatienſis can. 22. & quæ ibi congeſſi. Hujuſce Toletani Concilij eadem ingeruntur can. 55. æquales facientes pueros & puellas à propriis parentibus ad religioſam vitam detonſas, cum illis qui ſeipſos ſponte religioni devoverunt.

Can. LIV. *Hi qui in diſcrimine conſtituti pœnitentiam accipiunt nulla manifeſta ſcelera confitentes ſed tantum peccatores ſe prædicantes hujuſmodi ſi revaluerint poſſunt etiam pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos pervenire. Qui vero ita pœnitentiam accipiunt ut aliquod mortale peccatum ſe perpetraſſe publice fateantur, ad clerum vel ad honores Eccleſiaſticos pervenire nullatenus poterunt quia ſe confeſſione propria notaverunt.*

Can. LX. *Iudæorum filios vel filias ne parentum ultro involuantur erroribus ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputatos aut Monaſteriis aut Chriſtianis viris ac mulieribus Deum timentibus, ut ſub eorum converſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti tam in moribus quam in fide proficiant.* c. Iudæorum filios 28. q. 1.

17. Can. LXIII. *Iudæi qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent admoneantur ab Epiſcopo civitatis ipſius ut ſi cum eis permanere cupiunt Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint ſeparentur : quia non poteſt infidelis in eius permanere coniugio quæ iam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem, filij autem qui ex talibus exiſtunt nati fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris Chriſtianam ſequantur religionem, non Iudaicam ſuperſtitionem.* c. Iudæi qui Chriſtianas 28. qu. 1.

Canonem iſtum Toletanum reſtrinxit poſtmodum Innocentius Papa III. ad duos caſus nimirum ſi velit conjux infidelis eo divertere qui fidem ſuſcepit : aut ſi velit quidem cohabitare ſed non citra injuriam & offenſam Dei. c. quanto, & c. gaudemus de divor. His ſuffragatur Apoſtolus 1. Cor. 7. *Si quis frater habet uxorem infidelem ; & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam quod ſi fidelis diſcedit diſcedat : Non enim ſervituti ſubjectus eſt frater vel ſoror in hujuſmodi :* Satis innuens eo eventu poſſe fidelem ad alias nuptias progredi ex conjugis infidelis diſceſſione. Cæterum in terris Pontificiæ ditionis ex quo una ſeorſim regione concludi cœperunt judæi inſtaurata eſt proviſio Canonis hujuſce Toletani, neque permittitur converſo judæo convivere cum conjuge non converſa, quia nec iſti permittitur inter Chriſtianos habitare neque illi inter Hebræos. Quo circa Sanchez cum quibuſdam aliis obnixè contendit non poſſe converſum ex paganiſmo vel Iudaiſmo cohabitare deinceps cum conjuge, niſi convertatur, etiamſi ſpondeat nullatenus obſiſtere profeſſioni ac religioni ejus qui converſus eſt, obſervandum vero impedimentum diſparitatis cultus quo matrimonium dirimitur non eſſe divino jure ſed tantum Eccleſiaſtico introductum, neque primævæ antiquitatis eſſe. Licitum quippe affirmat Aug. l. de fide & operibus c. 19. fidelis cum infideli connubium. Quin etiam Matrem ſuam Monicam ab infantia Chriſtianam nupſiſſe viro gentili ipſe teſtis eſt l. 9. conf. c. 9.

18. Can. LXXV. Sacrum Concilium Anathemate percellit ſubditos in regem perduelles, aut ejus vitæ inſidias molientes. Simili fere Anathemate Concilium Conſtantienſe obterit quoſcumque regum parricidas. Ibidem decernunt Toletani Patres ut defuncto in pace Rege, Primates regni una cum regni ſacerdotibus communi conſenſu ſucceſſorem in regem pronuncient. Deinde præſentem Siſennadum regem admonent rogant & enixè adhortantur ad manſuetudinem & charitatem erga ſubditos, ad religionem Deique cultum, ad juſtitiam, ad morum integritatem, ad animi moderationem, ut ei placeant qui eos populis præfecit & cui rationem adminiſtrationis reddituri ſunt exactiſſimam. Denique anathema intorquent æternámque maledictionem pronunciant adverſus flagitioſos & impios ſi qui futuri ſunt reges, fauſtáque omnia optimo regi Siſennado adprecantur. Concilium iſtud decorarunt eximij doctrinâ & morum ſanctitate Antiſtites, ex quorum numero ſex iſti Sanctorum Albo inſcribi & publica venerationi coli meruerunt Iſidorus Hiſpalenſis, Stephanus Emeritenſis, Juſtus Toletanus, Nonnitus Geaundenſis, Conantius Palentinus, Braulio Cæſaraugustanus.

## *CONCILIVM CABILONENSE anni à Chriſto 650.*

1. DUÆ ſunt in Gallia civitates Epiſcopales quæ vulgari nomine *Chalons* indigitantur : harum una Latinè Catalaunum in Campania Galliæ, Fluvio Matronæ adjacens *Chalons en Champagne ſur la riviere de Marne* Metropoli Rhemenſi ſuffraganea, in qua initum fuit Concilium ſub Paſchali Papa ſecundo anno 1115. altera

vero latinis dicitur Cabilo in Ducatu Burgundiæ ad amnem ararim ſita *Chalons ſur ſaone* hæc vero Lugdunenſi Archiepiſcopo ſubjacet, in hac vero multa legimus indicta Concilia inter quæ hoc præcellit celebritate, iſtud vero indictum fuit ſub rege Clodovæo ſecundo ſedente Romæ Martino Pontifice Chriſti Epochæ circiter 550. anno. Convenientibus Epiſcopis 38. una cum Vicariis ſex abſentium Epiſcoporum præſeditque Candericus Lugdunenſis.

2. Can. IV. *Vt duo in una civitate penitus uno tempore nec ordinentur nec habeantur Epiſcopi, ne res Eccleſiæ ſæva diviſione debeant partiri.*

Non permittit Nicænus Canon 8. geminos eſſe unius civitatis ſimul Epiſcopos. Cujus etiam meminit Auguſtinus epiſt. 110. ita dicens, *adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ patre & Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum & ſedi cum illo, quod Nicæno Concilio prohibitum fuiſſe nec ſciebam nec ipſe ſciebat.* Denique frequens præſentium temporum uſus hic eſt ut per diſpenſationem ſummi Pontificis inſtituatur viventis Epiſcopi coadjutor cum certa ſucceſſione prioris ac titularis Epiſcopi, ſi hic præmoriatur. Vide ſuperius quæ adnotavi ad Nicænum can. 8. & ad Concilij Aurelianenſis V. can. 12.

3. Can. V. *Sæculares vero qui necdum ſunt ad clericatum converſi res Parochiarum vel ipſas Parochias minime ad regendum debeant habere commiſſas.*

Hodiernus uſus eſt ut certi conſtituantur æditui quos matricularios vocant ex ordine laicorum qui pecunias pro confraternitatibus corrogent ad Eccleſiæ cultum aut inſtaurationem inſumendas, quarum rationem tum recepti tum expenſi coram clericis Eccleſiæ præfectis reddere ſint aſtricti. Sed plerumque fit ut iſti laïci receptatores ſacram pecuniam in ſuos uſus vertant quod ſacrilegium proximè ſequenti canone vetatur.

4. Can. VI. *Vt nullus ante audientiam (ſcilicet reddendarum rationum) res quarumlibet Eccleſiarum invadere aut auferre præſumat: quod qui fecerit ut necator pauperum habeatur.*

Rerum Eccleſiis debitarum ſacrilegam expilationem multa pridem Concilia diſtrictè prohibuerant Carthaginenſe quartum can. 95. Vaſionenſe canon 4. Arelatenſe ſecundum can. 47. citatus apud Gratianum c. qui oblationes 13. qu. 2. Concilium etiam Matiſconenſe primum Canon 4.

5. Can. VII. *Vt defuncto Presbytero vel Abbate nihil ab Epiſcopo auferatur vel Archidiacono vel à quocumque de rebus parochiæ vel Xenodochij vel monaſterij aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit juxta ſtatuta canonum debeat coerceri.* Concilium Calchedonenſe can. 22. ſtatuit pariter de rebus Epiſcopi demortui. *Non licere clericis poſt obitum ſui Epiſcopi res ad eum pertinentes diripere ſicut antiquis eſt quoque canonibus conſtitutum. Quod ſi hoc facere tentaverint, graduum ſuorum periculo ſubjacebant.*

Claromontanum pariter ſeu Aluernenſe Concilium generale cui præſedit Vrbanus Papa II. tit. penult. ſic decernit. *Ne aliquis clericus res Epiſcoporum vel clericorum vel in vita vel poſt mortem eorum diripiat vel in uſus proprios conferat. Quod ſi quis fecerit anathema ſit: & dictum eſt ab omnibus fiat.* Vide in decreto c. de laïcis & ſequ. 12. quæſt. 2. Innocentius etiam XI. in Concilio Lateranenſi cap. 4. ſancit ut diripientes defunctorum Epiſcoporum aut quorumvis clericorum bona excommunicationi ſubjaceant.

6. Can. VIII. *De pænitentia vero peccatorum quæ eſt medela animæ utilem omnibus cenſemus: & ut pænitentibus facta confeſſione à Sacerdotibus indicatur pænitentia univerſitas patrum noſcitur conſentire.*

Concilium Laodicænum his conſonat can. 2. *His qui diverſorum peccatorum lapſui incurrunt & inſtant orationi, confeſſioni, ac pænitentiæ, malorum ſuorum perfectam converſionem demonſtrantes, pro qualitate peccati pænitentiæ tempus tribuendum eſt.* Concilium item Carthaginenſe III. can. 31. ſtatuit. *Vt pænitentibus ſecundum peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio pænitentiæ tempora decernantur.* S. Leo Papa epiſ. 80. alias 136. ad Epiſcopos Campaniæ ait: *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem quam nuper audivi à quibuſdam illicita præſumptione committi modis omnibus conſtituo ſubmoveri: ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur; cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta.* Publica enim exomologeſis ſeu confeſſio minimè facienda erat niſi de crimine publice noto At vero de privata exomologeſi ſic loquitur Tertullianus tract. de pœnit. *Pleroſque hoc opus* (exomologeſis) *ut publicationem ſui ſuffugere aut de die in diem differre præſumo pudoris magis memores quam ſalutis velut illi qui in partibus verecundioribus contracta corporis vexatione conſcientiam medendi vitant & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.* (Et ſubinde per ironiam hæc ſubjungit.) *Grande planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur: Videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus proinde & Deum celabimus. Adeóne exiſtimatio hominis & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere quam palam abſolui?* Ibidémque de confitentibus ſecreto ſic loquitur, *Presbyteris advolui aris Dei aggeniculari.* Item, *Cum te ad fratrum genua protendis Chriſtum exoras.* Fratres ibi vocat Presbyteros. Aut ſi etiam alios quoſcumque fratres ibi comprehendas non de ſpeciali confeſſione

Digitized by Google

confeſſione ibi loquitur ſed de ſupplicationibus pœnitentis exorantis ut pro ſe alij preces Deo fundant. Quod ibidem his verbis exprimit, *Omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.* His accedit Origenes homil. 7. in Pſal. 37. *Vide* ( inquit ) *quid edocet nos ſcriptura divina quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſe enim ſicut ij qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam aut humoris vel phlegmatis ſtomacho graviter & moleſte imminentia, ſi vomuerint relevantur: ita qui peccaverunt ſi occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe accuſator ſui fiat, dum accuſat peccatum & confitetur ſimul evomit, & delictum atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo diſpice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum cui debeas cauſam languoris exponere qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam.* Quibus verbis convincitur ſermonem illi eſſe de privatis pœnitentiis & confeſſionibus. In publicis enim nulla erat eligendi libertas; ſolus enim proprius Epiſcopus illas indicendi & in his abſolvendi poteſtate pollebat. Nec ſilendus Chryſoſtomus qui lib. 3. de Sacerdotio poſtquam poteſtatem Sacerdotibus à Chriſto collatam ligandi atque ſolvendi animas magnifice amplificavit hæc demum ſubjicit, *Corporis lepram purgare ſeu verius dicam haud purgare quidem ſed purgatam probare Iudæorum ſolis Sacerdotibus licebat. Neque neſcis quanta cum ambitione quanto cum ſtudio & concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram verum animæ ſordes non dico purgatas probare ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Inſtituti mei metas tranſilirem ſi alia permulta huc pertinentia ex ſanctis hauſta Patribus luberet congerere ſed teſtium veritatis claudat agmen Auguſtinus ſic prædicans homil. 48. *Nemo ſibi dicat occulte ego apud Deum pœnitentiam ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt. Quæ ſolveritis in terra ſoluta erunt & in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt datæ claves Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium fruſtramus verba Chriſti.*

7. Can. IX. *Pietatis eſt maxima & religionis intuitus ut captivitatis vinculum omnino à Chriſtianis redimatur. Vnde ſancta Synodus noſcitur cenſuiſſe ut nullus mancipium extra fines vel terminos Domini Clodovæi Regis* ( is erat ejus nominis ſecundus ) *penitus debeat venundare: ne quod abſit per tale commercium aut captivitatis vinculo, vel quod pejus eſt Iudaica ſervitute mancipia Chriſtiana teneantur implicita.*

Concilium Matiſconenſe 1. can. 16. conſtituit pretium redemptionis cujuſcumque Chriſtiani mancipij Judæo ejus Domino perſolvendum cui refragari Judæus ipſe non poſſit, & ſi refragetur poſſit ipſum mancipium quaſi libertati vindicatum aliò quocumque libuerit divertere. Poſtquam vero redempti fuerint ab eorum dominio Chriſtiani prohibet eis poſt hac habere Chriſtiana mancipia. Huc etiam pertinet Concilium Toletanum quartum can. 58. & c. plerique de conſecr. diſt. 4. Item c. Judæi & c. Judæorum & c. ſæpe & c. nullus 28. q. 1. Item c. mancipia Chriſtiana qui eſt Sancti Papæ Gregorij diſt. 54.

8. Can. XI. *Pervenit ad ſanctam Synodum quod judices publici contra veteranam conſuetudinem, per omnes parochias & monaſteria quæ mos eſt Epiſcopis circuire, ipſi illicita præſumptione videantur diſcurrere. Etiam & clericos vel Abbates ut eos præparent, invitos atque diſtrictos ante ſe faciant exhiberi. Quod omnimodis nec religioni convenit, nec canonum permittit autoritas. Vnde omnes unanimiter cenſuimus ſentientes ut deinceps iſta debeant emendare: & ſi præſumptione vel poteſtate qua pollent excepta invitatione Abbatis vel Archipresbyteri in ipſa monaſteria vel parochias aliquid fortaſsè præſumpſerint, à communione omnium ſacerdotum eos convenit ſequeſtrari.*

Similes querelæ fuerant ad Lateranenſe Concilium ſub Leone Papa X. delatæ quæ mox compoſitæ fuerunt judicibus meliora in poſterum pollicentibus, qui utique ordinarias parochialium Eccleſiarum & monaſteriorum viſitationes quas attentaverunt, & quas quotannis inter ſeſe partiri conſueverant deinceps non ſunt aggreſſi, ingenue agnoſcentes iſtud officium ad ſolos Epiſcopos & ad regulares Prælatos pertinere. Concilium iſtud quamvis noviſſimorum ſæculorum idcirco primum quam breviſſime protuli, quia præcipua quæ in eo fuerat ventilata querimonia quamvis nec aliæ deeſſent ad viſitationes Eccleſiarum, attinebat quod habet cum iſto Cabilonenſi canone conformitatem. Jam vero Antiquiorum Conciliorum decreta proſequar ſuccincta brevitate. In primis obſervanda eſt Synodica œcumenici Sardicenſis Concilij ad Eccleſiam Alexandrinam epiſtola omni veneratione digna quam integram refert beatus Athanaſius in ſua ſecunda apologia ſic vero ſcribunt ſancti illi patres. Διόπερ ἀνηνέγκαμεν καὶ ἠξιώσαμεν τοὺς εὐσεβεστάτους καὶ θεοφιλεστάτους βασιλέας, ὅπως ἡ φιλανθρωπία αὐτῶν καὶ τοὺς ἔτι κάμνοντας τε πιεζομένους ἀνεθῆναι κελεύσῃ, καὶ προστάξωσι μηδένα τῶν δικαστῶν οἷς μόνον τῶν δημοσίων μέλειν προσήκει, μήτε κρίνειν κληρικοὺς, μήτε ὅλως τοῦ λοιποῦ προφάσει τῶν ἐκκλησιῶν, ἐπιχειρεῖν τι κατὰ τῶν ἀδελφῶν. Quamobrem preces noſtras ad religioſiſſimos & amantiſſimos Dei Imperatores retulimus ut illorum humanitas eos qui adhuc graviter laborant & affliguntur relaxari jubeat, conſtituátque ne quis judicum qui publica ſolum curare debent, aut clericos judicet, aut ulla ratione in poſterum ſub prætextu Eccleſiarum quidquam contra fratres moliatur.

9. His alterum conſentit generale Concilium atque adeo ex his quatuor unum quæ ſancta Eccleſia

eleſia Dei pari cum quatuor Evangeliis cultu venerari ſemper eſt profeſſa. Iſtud eſt Calchedonenſe cujus Canon IX. hæc mandat : *Si clericus adverſus clericum habeat negotium, non relinquat ſuum Epiſcopum & ad ſacularia judicia non concurrat. Sed prius negotium agitetur apud proprium Epiſcopum. Vel certe ſi fuerit judicium ipſius Epiſcopi apud arbitros ex utraque parte electos audiatur negotium. Si quis vero contra hac fecerit, canonum ſubjaceat correptionibus. Et ſi clericus adverſus ſuum vel alium Epiſcopum habeat cauſam, apud audientiam Synodi provinciæ ejus conquiratur.* Quando canones Calchedonenſes editi ſunt aderat in ipſo Synodi loco ampliſſimus Senatus qui ſæpe interloquebatur, nullatenus vero interloquutus eſt quando Synodali decreto prohibitum eſt clericis apud ſæculares judices litigare. Alia pariter Gallicana Concilia permulta his ſuffragantur. Matiſconenſe primum can. 7. & 8. Agathenſe can. 8. quo ſimul communionis fidelium redduntur exortes tum judex ſæcularis tum clericus qui ſe illius juriſdictioni ſubmiſit. His cohæret Concilium Aurelianenſe quartum can. 20. Et Andegavenſe can. 1. Romanum ſane ſub Sylveſtro Pontifice Concilium, *vetat ne clericus coram laico judice cauſam dicat.* Idémque ſub gravibus pœnis diſtrictè prohibet Carthaginenſe tertium Concilium can. 9. Toletanum pariter tertium easdem iterat prohibitiones & pœnas can. 13. Plures adhuc canones collegit Gratianus in cauſa 11. q. 1. Similia edicunt c. clericis de judiciis, c. ſi diligenti de foro comp. aliique quos miſſos facio.

10. Sacris canonibus ſuffragantur veterum Chriſtianorum Imperatorum leges quos inter effulgent qui religione præcipui, ſapientiæ laudibus præ reliquis inſignes, partiſque de hoſtibus victoriis illuſtriſſimi, quique Magnorum nomina non aulicis adulationibus ſed ampliſſimis virtutum meritis apud poſteros adepti ſunt, Conſtantinus primus, Theodoſius primus, & eximium Francorum decus & religionis columen Carolus primus Rex & Imperator. In primis neminem latet Conſtantini magni reſcriptum ad Ablavium Præfectum prætorio decernens quamcunque cauſam in judicium ſæculare deductam debere etiam poſt litem conteſtatam ad judicium Epiſcopale devolui ſi pars una ex litigantibus hoc requirat altero etiam collitigante invito : atque ut univerſi judices quidquid Epiſcopus judicaverit ratum habeant l. 1. Cod. Theod. de Epiſc. judic. Præterea Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Claudium Urbis præfectum ita reſcribunt. *Quoniam Chronopius ex Antiſtite idem fuit qui fuerat in ſeptuaginta Epiſcoporum judicio antea damnatus, & eam ſententiam provocatione ſuſpendit, à qua non potuit provocare argentariam mulctam quam hujuſmodi ſanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem fiſco noſtro nolumus accedere, ſed his qui indigent fideliter erogari.* L. quoniam 20. Cod. Theod. quorum appellat. non recip. Porro ſanctio illa generalis cujus eſt in iſto reſcripto mentio temporum injuriâ intercidit : partem tamen illius quæ magni momenti eſt ad nos tranſmiſit Sanctus Eccleſiæ doctor Ambroſius epiſt. 13. ad Valentinianum juniorem Auguſtum his verbis : *Nec quiſquam contumacem judicare me debet cum hoc aſſeram quod auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolum ſermone reſpondit ſed etiam legibus ſuis ſanxit. In cauſa fidei vel alicujus Eccleſiaſtici ordinis eum judicare debere qui nec munere impar ſit nec jure diſſimilis. Hæc enim reſcripti verba ſunt : hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.* Hactenus Ambroſius. Præterea lex clericos 41. Cod. Theod. de Epiſc. & cler. & l. quicumque de reſidentibus 35. Cod. Theod. eod. tit decernunt clericos quos Epiſcopi ſententiâ damnaverit nullatenus eſſe Principis autoritate vel reſcripto reſtituendos. Præterea Imperatores Valentinianus & Theodoſius dictus magnus cujus etiam ſollicitudine prodiit Codex iſte Theodoſianus ſic inquiunt. *Clericos quos indiſcretim ad ſæculare judicium deduci debere infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus.* l. ult. Cod. Theod. de epiſc. & cler. Ille vero præſumptor infauſtus hac lege præſtrictus Maximus tyrannus extitit Gratiani optimi Imperatoris parricidio infamis, qui novis etiam & ſacrilegis reſcriptis cultum reſtituerat idolorum quem religioſiſſimi Principes Valentinianus & Gratianus cœperant edictis ſuis velle abolere. Denique Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius l. graviter 3. Cod. Theod. de Epiſcoporum judiciis ſanciunt Epiſcoporum & Sacerdotum judicia non niſi coram Epiſcopis eſſe agitanda quantum ad Eccleſiaſticas cauſas attinet. Cætera vero negotia eſſe penes judices publicos terminanda. Alia tribunalis Eccleſiaſtici ex Imperatorum Chriſtianorum declarationibus munimina & præſidia ſuppeditat in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria Rufinus lib. 1. cap. 2. & Sozomenus lib. 6. cap. 7.

11. Supereſt demum ut Caroli verè magni Franciæ Regis ac Imperatoris inter omnes laudatiſſimi ſenſum exploremus. Eum vero ipſemet uſque adeo dilucide exprimit ut nullus dubitationi locus relinquatur. Etenim lib. 5. capitularium prolato in primis ſenſu & exemplo magni Conſtantini his ipſis quæ leguntur cap. 315. verbis Conſtantinus Imperator Epiſcopis dixit : *Deus conſtituit vos Sacerdotes & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi : & ideo nos à vobis recte judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari, propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium, veſtra jurgia quæcumque ſint ad illud divinum revocentur examen, vos etenim nobis à Deo dati eſtis dij; & conveniens non eſt ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga Deorum in medio autem Deos dijudicat.* Idem Carolus magnus latius ſe diffundit in explicanda tribunalis Eccleſiaſtici contentioſi amplitudine & in coërcenda reſpectu Eccleſiæ ſæcularium quorumcumque juriſdictione lib. 6. cap. 98. & 301. & 313. Sed ne longius evagemur ita edicit memorati libri 6. cap. 390. *Sancitum eſt ut nullus Epiſcopum aut Sacerdotem vel Clericum apud judices publicos accuſare præſumat ſed apud Epiſcopos. Habetur ſimiliter apud Iulianum Anteceſſorem Novella 131. cap. 10.* Sed præſtat ejuſdem Caroli hanc conſtitutionem ſubtexere ex lib. Capitularium 5. cap. 5. *Nemo audeat Clericum aut Monachum aut Sanctimonialem fœminam ad civile judicium convenire.* Quo nihil expreſſius dici aut allegari poteſt. Quia verò præcipuum meum in hoc opere

opere inſtitutum verſatur in perquiſitione veterum ac indubitatorum Eccleſiæ canonum, & his conformium Principum edictorum mei propoſiti non eſt perquirere aut indagare quæ novo jure ſunt introducta.

12. Can. XII. *Vt duo Abbates in uno Monaſterio eſſe non debeant, ne ſub obtentu poteſtatis, ſimultas inter Monachos & ſcandala generentur. Verumtamen ſi quilibet Abbas elegerit ſucceſſorem, ipſe qui eligitur de facultatibus ipſius Monaſterij ad regendum nullam habeat poteſtatem.*

Simili ex cauſa Concilium Nicænum primum vetat duos eſſe in una civitate conſtitutos Epiſcopos can. 8. Pari etiam ratione Concilium Pariſienſe quintum can. 1. & 2. & Toletanum quartum can. 2. ſuſcipi prohibent eum quem Epiſcopus vivens ſibi elegerit futurum poſtquam obierit ſucceſſorem, quod iſte Cabilonenſis canon de electo à vivente Abbate prohibet. Inviſe ſuperius Aurelianenſis Concilij can. 12. & quæ ibidem adnotavi.

13. Can. XIII. *Vt nullus alterius Clericum retinere præſumat, ſicut priſcis eſt Canonibus ſtatutum: nec ad ſacrum ordinem ſine voluntate Epiſcopi ſui penitus promovere.*

Id pridem proviſum fuerat Sardicenſis œcumenicæ Synodi canonibus 16. 18. & 19. & Apoſtolorum canonibus 15. & 16. & 32. & primi Carthaginenſis Concilij ſub Julio Pontifice habiti can. 15. ne quis alterius Epiſcopi Clericum, ſine commendatitijs ab eodem literis ſuſciperet. Multoque magis ne quis alienum ordinaret abſque dimiſſorijs quod fieri prohibent Nicænæ primæ Synodi can. 16. & Arelatenſis primæ can. 22. & Sardicenſis can. 15. & Antiochenæ can. 22. & Carthaginenſis primæ can. 5. quemadmodum & hujus Cabilonenſis præſenti canone. Notæ ſunt veteres querimoniæ Demetrij Alexandrini adverſus Alexandrum Jeroſolymitanum à quo fuerat Origenes ordinatus, & Joannis Jeroſolymitani adverſus Epiphanium à quo fuerat Paulinianus Presbyter ordinatus & Auguſtini Hipponenſis adverſus Severum eo quod Timotheum Subdiaconatu initiaſſet.

Can. XV. *Vt Abbates & Monachi, aut agentes Monaſteriorum patrocinio ſæculari penitus non utantur: nec ad Principis præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant. Quod ſi fecerint, à ſuis Epiſcopis excommunicentur.*

14. Can. XVI. *Vt nullus Epiſcopus, neque Presbyter, vel Abbas, vel Diaconus per præmium ad ſacrum ordinem amodo penitus accedat. Quod qui fecerit ipſo honore quem præmijs comparare præſumpſerit omnino privetur.*

Synodus Calchedonenſis can. 2. Epiſcopum pretio vel ordines conferentem aut aliquam per pecuniam Eccleſiam ſimulque eum qui ſic ordines aut Eccleſiam ſuſceperit gradu moveri jubet; ſimulque eum qui mediator horum intervenerit ſi ſit Clericus: ſi verò laicus exiſtat aut Monachus ſancit eſſe à communione extorrem. Braccarenſe Concilium ſecundum can. 3. declarat circa munera pro Clericorum ordinationibus hanc eſſe priſcam Sanctorum Patrum conſuetudinem & definitionem ut anathemate ſimul involvantur, & qui dat & qui recipit. Idemque ſancitum in Toletano Concilio VIII. can. 8. Eodem collimat Lateranenſis Concilij generalis ſub Innocentio III. canon 63. qui eſt in Decretalibus c. ſi pro certo de Simonia. Concilium denique Trident. ſeſſ. 21. c. 1. huic delicto indicit pœnas à jure inflictas ipſo facto, & abſolutè interdicit quidquam pro quorumcumque ordinum collatione, aut pro Clericali tonſura, aut pro dimiſſorijs, vel pro teſtimonialibus literis ne quidem pro ſigillo, aliave quacumque ex cauſa etiam ſponte illata recipi ab Epiſcopis ſive eorum miniſtris. Permittit verò Notarijs pro dimiſſorijs, aut pro teſtimonialibus literis ſingulis decimam ad ſummum unius aurei partem recipere modo non ſit ſalarium aliunde conſtitutum. Tota hæc Tridentina Sanctio ſtabilita in Gallijs fuit, inſertaque edictis Comitiorum Blæſenſium art. 20. Cæterum pro Beneficiarijs proviſionibus quæ, vocantur in forma dignum, aut viſa, aut literæ beneficiales eadem Blæſenſia Comitia art. 12. permittunt aureum unum Ordinarijs, ſed nihil amplius accipere.

Can. XX. *Agapium verò & Bobonem Epiſcopos Dinienſis urbis pro eo quod ipſos contra ſtatuta Canonum in multis conditionibus erraſſe vel deliquiſſe cognovimus, ipſos juxta tenorem canonum ab omni Epiſcopatuum ordine decrevimus degradare.*

## CONCILIUM EMERITENSE *anni 666. à Chriſti epocha, Æra vero 704.*

1. EMERITA Auguſta Romanorum colonia à Cæſare Auguſto condita totius olim Luſitaniæ Metropolis tum civilis tum Eccleſiaſtica cujus à Mauris everſæ nihil ſupereſt niſi parietinæ, & rudera olim nobilitata Sanctæ Virginis Eulaliæ natalitio & martyrio, de qua Prudentius canit in ipſius Hymno:

Carmine nobilis Eulalia
Mortis & indole nobilior:
Emeritam ſacra Virgo ſuam
Cujus ab ubere progenita eſt
Oſſibus ornat, amore colit.

Ejus verò dirutæ Metropoliticum jus Calliſtus ſecundus Papa in Compoſtellanam Eccleſiam tranſtulit. Concilium iſtud habuerunt duodecim Epiſcopi præſide Proficio Emeritenſis Eccleſiæ Metropolite. Auſpicati ſunt Patres à Symboli Conſtantinopolitani profeſſione in quo Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere diſertè confitentur.

2. Can. XII. *Si priorum Canonum ſententia*

*tentia hunc rectè tenet ordinem, ut Epiſcopus ab alio Epiſcopo ſi indigentiam habuerit Clericum ad ordinandum petat & accipiat : cur qui in Diœceſi ſua habet eos quos pro Dei officio, & ſuo juvamine dignos repererit ad ſuam principalem Eccleſiam non perducat & habeat ? Pro hujus rei cauſa hoc elegit unanimitas noſtra ut omnes Epiſcopos Provinciæ noſtræ ſi voluerint de Parochianis Presbyteris atque Diaconibus Cathedralem ſibi in principali Eccleſia facere maneat per omnia licentia. Hi tamen qui fuerint traducti, humilitatem dignam Epiſcopo ſuo teneant, & eo honore, & reverentia habeantur, & venerentur in Cathedrali Eccleſia ſicut hi quos conſtat fuiſſe ordinatos in ea. Et quamvis ab Epiſcopo ſuo ſtipendij cauſa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab Eccleſijs tamen in quibus prius conſecrati ſunt vel à rebus earum extranei non maneant; ſed Pontificali electione Presbyteri ipſius ordinatione, Presbyter alius inſtituatur qui ſanctum officium peragat, & diſcretione prioris Presbyteri victum & veſtitum rationabiliter illi miniſtret, ut non egeat : aut ſi quæſierit qui ordinatur ſtipendium à ſuo Presbytero accipiat, quantum dignitas officij eum habere expetat. Clericis verò quos ad ſerviendum ei dederit per diſcretionis modum quæ neceſſaria ſunt miniſtret. Si quis ſententiæ hujus ordinem implere diſtulerit prout ratio permiſerit, excommunicandum ſe eſſe noverit.*

Hunc unum canonem præ cæteris hujus Synodi decretis quæ exigui ſunt momenti conſultò ſelegi, quia primus omnium quos noſſe potuerim formam refert hodierni Eccleſiarum miniſterij quo Cathedralium Eccleſiarum canonici, & curam habent Parochialium Eccleſiarum, & jus nominandi Parochos qui eis ſubſunt ut accedente Epiſcopi proviſione præficiantur miniſterio Parochiarum. Ipſi verò qui ad Cathedralis Eccleſiæ capitulum ſunt promoti ita decimas Parochialium Eccleſiarum Parochis eorumque miniſtris pro laborum ſtipendijs, & convenientibus alimonijs aſſignetur parſque inſuper altera in Parochialis Eccleſiæ reparationes & ornatum inſumatur.

## *CONCILIUM TOLETANUM undecimum anni à Chriſto 675.*

1. VAmbæ Hiſpaniarum Regis anno quarto, Adeodato Papa ad clavum ſedente Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ, dum agebatur à reparata generis humani ſalute annus ſexcenteſimus ſeptuageſimus quintus, convenit in Toletana civitate novemdecim Epiſcoporum Synodus ; in qua factam tradunt legitimam quæ deinceps prævaluit Hiſpanicarum Eccleſiarum diviſionem Hiſpanici Scriptores. Quæ tamen res Baronio perſuaderi non potuit ; quia ad cauſam quæ univerſæ Hiſpaniæ conventum exigebat nationalem, non credit ſolius Carpetanæ Provinciæ Præſules ſufficere potuiſſe, quantumvis rem illam præſens Rex Vamba premeret ac urgeret.

2. Can. III. *De his qui contra Apoſtoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ placuit huic ſancto Concilio ut Metropolitanæ ſedis auctoritate coacti uniuſcujuſque Provinciæ Pontifices rectoreſque Eccleſiarum unum eumdémque in pſallendo teneant modum quem in Metropolitana ſede noverint inſtitutum. Nec aliqua diverſitate cujuſcumque ordinis vel officij à Metropolitana ſe patiantur ſede disjungi. Sic enim juſtum eſt ut unuſquiſque ſumat inde regulas miniſterij unde honoris conſecrationem accepit, ut juxta maiorum decreta, ſedes quæ unicuique Sacerdotalis mater eſt dignitatis ſit unicuique etiam Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Abbatibus ſanè indultis officijs quæ iuxta voluntatem ſui Epiſcopi regulariter illis implenda ſunt. Cætera officia publica id eſt Veſperam, Matutinum ſive Miſſam aliter quam in principali Eccleſia celebrare non liceat.* Refertur in c. de his quæ contra diſt. 12.

Hæc eadem pridem conſtituta fuerant à Concilio Toletano quarto can. 2. & à Concilio I. Bracarenſi can. 1. & à Venetico can. 15. & ab Epaonenſi can. 4. & à Gerundenſi can. 1. Conſtat ex lib. 1. Capitularium Caroli Magni cap. 74. ordinatum fuiſſe primum à Pipino Francorum Rege deinde ab ejus filio Carolo Magno ut abolito Gallicano ritu, & cantu peragerentur etiam à Monachis divina Officia ritu & cantu Romanis uſitato. Denique ſtatutum fuit in Tridentino Concilio, ut Miſſale & Breviarium diſponerentur ea ratione qua deinceps Romana Eccleſia cæteræque toto orbe diffuſæ Latinæ Eccleſiæ uterentur. Idque mox præſtitit Pius Papa V.

3. Can. IV. Decernit Sacerdotum diſcordantium oblationes & ſacrificia nullatenus eſſe permittenda, niſi poſtquam in concordiam redierint duplicatum fuerit tempus interdictionis à ſacro quod perduravit à tempore diſcordiæ uſque ad initam de novo concordiam. Quod idem extendit decretum ad inferiorum Clericorum, nec non laicorum ſacram communionem. Meminitque canon ſimilis antiquæ conſtitutionis, quia nimirum Carthaginenſis quarti Concilij can. 9. ſic ſancit *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.*

Can. VI. *His à quibus Domini Sacramenta tractanda ſunt judicium ſanguinis agitare non licet. Et ideò magnoperè talium exceſſibus prohibendum eſt, ne indiſcretæ præſumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum eſt ſententia propria agitare præſumant, aut truncationes quaſlibet membrorum quibuſlibet perſonis aut per ſe inferant, aut inferendas præcipiant. Quod ſi quiſquam horum immemor præceptorum aut Eccleſiæ ſuæ familijs (alias famulis) aut in quibuſlibet perſonis tale aliquid fecerit, & conceſſi ordinis honore privatus & loco ſuo, perpetuo damnationis teneatur religatus ergaſtulo :*

*Cui*

Digitized by Google

*Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda eſt propter Domini miſericordiam, qui non vult peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat.* Habetur c. his à quibus 23. q 8.

4. Can. XIII. *Bene quidem majorum regulis definitum eſt ut dæmonijs alijſque ſimilibus paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat: Cui præcepto conſenſu rationis adhibito id communiter definivimus, ut nulli de his qui aut in terram arrepti à dæmonibus alliduntur, aut quolibet morbo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſſos ſe divinis ingerant Sacramentis: Exceptis illis qui varijs corporum infirmitatibus dediti ſine hujuſmodi paſſionibus in terram approbantur illiſi. Qui tamen & ipſi tandiu erunt officij ſui ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi, inveniantur ab incurſu dæmonum alieni.*

Concilium Illiberitanum hæc ſtatuit can. 29. *Energumenus qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum ut ſua manu in Eccleſia miniſtret.* Can. Apoſt. 78. *Si quis* (inquit) *dæmonium habeat ne fiat Clericus ſed neque cum fidelibus precetur: purgatus autem recipiatur & ſi ſit dignus fiat.* Verumtamen Canon maritum diſt. 33. illum qui in furiam aliquando verſus inſanivit, illum etiam qui diabolica afflictione vexatus fuit, perpetuæ ne umquam ordinari poſſit ſubjicit irregularitati. Atque iſto poſteriori jure utitur Eccleſia. Canoni autem prædicto Toletano qui antea ordinatis præfigit unius anni arreptitia infirmitate liberi ſpatium, ut poſſit re ab Epiſcopo explorata, reſumere ſuſcepti ordinis exercitium, videtur contradicere c. nuper 7. q. 2. quo Gelaſius Papa dies tantum triginta requirit ad explorandum Epilepticum morbum, ut poſſit Clericus priſtino reſtitui miniſterio. Sed Gloſſa rectè ambos Canones conciliat ut requiratur annus ubi certò conſtat de præterito Epileptico caſu: ſi verò non conſtet ſed ſolum dubitetur, ſufficiat exploratio triginta dierum liberorum & immunium: ipſe namque Canon *nuper* diſertè exprimit rem eſſe in ambiguo & aſſeveranter ab illo negari circa quem lis agebatur. Quibus verò nondum ordinatis ejuſmodi caſus contigêre perpetua irregularitate ab ordinibus deinceps excluduntur, juxta d. c. maritum, ſaltem ſi vel ſemel ceciderint poſt inchoatos pubertatis annos, ut ex Medicis obſervationibus rem tractavimus in noſtra praxi Canonica.

Can. XIV. *Et illud divini oraculi monentis ſingulis præcaventes quo ſcribitur væ ſoli, quia cum ceciderit non habet ſublevantem, ſummopere cavendum eſt & curandum nobis ne horis illis atque temporibus quibus Deo pſallitur & ſacrificatur, unicuique divinis ſingulariter officijs inſiſtenti pernicioſa paſſio vel corporis quælibet valetudo occurrat; quæ aut corpus ſubito ſubrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat: pro hujuſmodi ergo caſibus præcavendis, neceſſarium duximus inſtituere, ut ubi temporis vel loci vel cleri copia ſuffragatur habeat ſemper quiſquis ille canens Deo atque ſacrificans poſt ſe, vicini ſolaminis adiutorem; ut ſi aliquo caſu ille qui officia impleturus accedit turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, à tergo ſemper habeat qui ejus vicem exequatur intrepidus.* Citatur c. illud divini 7. q. 1. & repetitur in palea ut illud de conſecr diſt. 1.

## CONCILIUM BRACARENSE *quartum Chriſtianæ epochæ anno 675.*

1. EODEM quo præmemoratum Concilium Toletanum anno, regnante Hiſpanis Vamba Romanam ſedem tenente Adeodato, convenit iſtud Bracarenſe Concilium in Luſitaniæ Provincia. Quo pleriqne inſignes errores & pravæ conſuetudines quæ in illa Provincia inoleverant repreſſæ ac emendatæ ſunt. Alicubi enim Sacerdotes in divinis ſacrificijs loco vini lac offerebant: alibi intinctam Euchariſtiam populo ad communionem porrigebant: quidam in ſacrum Calicem ad vinum aquam non infundebant: quidam etiam ad plebis communionem botros uvarum loco vini conſecrati porrigebant: nonnulli etiam eo licentiæ procedebant ut in profanis convivijs vaſis ſacris abuterentur. Mirum eſt tantam ignorantiam & irreligioſitatem apud Chriſti Sacerdotes gliſcere potuiſſe. Hæc omnia fieri diſtrictè prohibentur can. 2. quem etiam profert Gratianus c. cum omne crimen, de conſecr. diſt. 2. Cyprianus l. 2. epiſt. 3. Auguſtinus l. 4. de doct. Chriſt. c. 21. alijque Sancti Doctores tradunt ex Chriſti inſtitutione ad ſacrificium myſtici altaris vinum eſſe aquâ permiſcendum. Eadem pariter ſanxerunt Romani Pontifices & Concilium Carthaginenſe tertium can. 24. conſtat non tantum damnatos fuiſſe Hydroparaſtas ſeu aquarias de quibus Epiphanius hære. 30. & 41. & Auguſtin. hæreſi 44. ſed etiam Armenos de quibus Concilium quiniſextum can. 57. qui ſolum & impermixtum aquâ vinum ſacrificijs adhibebant. Denique Concilium Trid. ſeſſ. 22. can. 9. ita edicit. *Si quis dixerit aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, & quod ſit contra Chriſti inſtitutionem anathema ſit.* Eccleſiæ fides ab initio fuit prophetiam eſſe de ſacratiſſima Euchariſtia verba illa quæ Proverb. c. 9. enunciantur de ſapientia *miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam.* Et venite *comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Vide inferius can. 32. Synodi quiniſextæ cum ibi annotatis.

2. Can. 4. Jubetur Sacerdotibus ut non modo cum ſacrificant, ſed etiam quoties Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini ſumunt, orarium utroque humero circumpoſitum geſtent; quod ſignum Crucis in pectore formatum præferat, ſub excommunicationis pœna. Et refertur diſt. 23. c. Eccleſiaſtica.

3. Can. 5. Antiquam prohibitionem cohabitationis Clericorum cum fœminis extendit etiam ad proprias ſorores ſolamque permittit cum matre habitationem: etiamſi verò Nicenæ Synodi can. 3.

Digitized by Google

can.3. & Carthaginenſis tertiæ can.17. cohabitatio cum quibuſdam fœminis cognatione vel affinitate remotioribus permitteretur. Auguſtinus tamen teſtante in ipſius vita Poſſidonio c.26. nec cum ſorore quidem ſanctiſſima vidua conſenſit habitare ob periculum quod naſci poterat occaſione famularum aut aliarum ad eam adventantium fœminarum.

4. Can.6. Pravam quorumdam Epiſcoporum conſuetudinem abolet qui religionis prætextu faſtum fovebant in ſe ipſis intolerabilem ut nimirum Levitarum albis indutorum humeris in ſella ſublimi geſtarentur, dum ſacras collo ſuo impoſitas Sanctorum reliquias deferebant, approbat igitur ut reliquias arca incluſas Levitæ ſuppoſitis humeris ſolemnibus quibuſdam diebus geſtent & ſi libeat Epiſcopo reliquias ac ſacra Lipſana per ſe deferre, non aliter id præſtet quam proprijs pedibus progrediendo.

## *SYNODUS OECUMENICA SEXTA Conſtantinopolitana tertia adverſus hæreſim Monothelitarum anno Chriſti 680.*

1. POſtquam Catholica fides Eutychianorum procellâ graviter concuſſa eſt, altera ſucceſſit non minus exitioſa tempeſtas ab hæreſi Monothelitarum unicam in Chriſto quemadmodum perſonam (quæ quidem aſſertio Catholica eſt) ita (quod huic hæreſi proprium fuit) voluntatem dumtaxat unam atque actionem profitentium. Primus hujus hæreſis architectus & author fuit Theodorus Pharanita Epiſcopus, à quo iſta contagio ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum & ad Cyrum Phaſidis tunc Epiſcopum, & ad Athanaſium Jacobitarum Patriarcham derivata fuit, qui omnes & communis patriæ Syriæ, & procacium ingeniorum ſimilitudine, atque conſpirationis ſocietate conjunctiſſimi erant. Quæ demum peſtis hac occaſione in apertum erupit, & Eccleſiam ingenti exitio infeſtavit. Poſtquam Heraclius Imperator tunc temporis orthodoxus, Perſico bello feliciſſimè perfunctus, Romanas Provincias à Perſis per vim occupatas recuperavit, ſuiſque victorijs illorum dominationem ultra Tigrim coërcuit, dum ex bello rediens Hierapoli verſatur, ipſum officio & gratulandi ſtudio convenit Athanaſius qui ſe Patriarcham Jacobitarum nuncupabat, quorum ſecta ſurculus & propago hæreſis Eutychianæ erat. Hunc ejuſque aſſeclas adhortatus eſt Heraclius ut ejurato Eutychetis dogmate Synodi Calchedonenſis decretis obtemperarent. Sed res aliter ac Imperator ratus erat ſucceſſit Athanaſius vafer homo rem quæ petebatur in aliam quæſtionem divertit, rogatque viciſſim unamne an duas eſſe Chriſti voluntates & actiones exiſtimet? Imperator Sergium Conſtantinopolis Antiſtitem abſentem & Cyrum Phaſidis Epiſcopum de propoſita quæſtione conſuluit, perſuaſerunt ambo unam voluntatem unamque actionem Heraclio; qui eam ſententiam edicto pervulgavit cui nomen Ecthesis inditum, & Cyrum in ſceleris præmium in locum demortui Georgij Alexandrini Patriarchæ ſuffecit. Sergius coacta ſibi ſubditorum Epiſcoporum Pſeudoſynodo novam hæreſim quanta potuit ope ſtabilivit, ſimulque Ecthesim Heraclianam Græcorum Præſulum ſubſcriptione roboratam univerſo ſpectante populo pro foribus Baſilicæ Sophiæ affixit. Eadem omnia Cyrus Alexandriæ præſtitit. Atque his protinus turbis univerſus oriens concuſſus eſt.

2. Iſtis Patriarcharum ſacrilegis novitatibus Imperiali authoritate fultis magna Conſtantia fideique ardore quaſi Eccleſiæ ſanctæ murum & propugnaculum oppoſuit ſe Sophronius Monachus, qui poſtmodum prævalentibus in Palæſtina orthodoxis ad infulas Jeroſolymitanæ Eccleſiæ provectus fuit, Synodumque convocavit quæ Monothelitarum hæreſim anathematizavit. Cæterum priuſquam ad Epiſcopatum promoveretur Sophronius contra iſtam inſurgentem hæreſim ad Cyrum ſcripſerat. Ad Sergium etiam ex Palæſtina profectus fuit poſtquam ſcriptis ad eumdem pro aſſerenda Catholica fide litteris nihil profecerat. Quin etiam idem ſtrenuus atque indefeſſus fidei athleta jam antea ijſdem de rebus litteras Romam ad Pontificem Honorium tranſmiſerat: quæ ſæpius in hac ipſa ſexta Synodo cum laude lectæ ſunt, & quarum mentio quoque fit à Photio Biblioth. c.131. Cum igitur magnanimus ille Sophronius quaſi Tobias alter concurrentibus catervatim Epiſcopis & populis ad vitulos aureos quos Rex Jeroboamus erexerat, ſolus in ſancta civitate Jeruſalem cultum vero Deo debitum exhiberet, ſeque belli ſacri quaſi alter Mathatias ſtrenuum atque intrepidum ducem præſtaret, Sergius ille perfidus perſpecta Honorij Romani meticuloſa indole litteras ad hunc ſcripſit, quibus de Sophronio conqueritur qui Cyrum Alexandrinum impugnabat per ſuam geminæ voluntatis atque operationis Chriſti prædicationem, importuneque deſtruebat quæ Cyrus ſapientiſſimè per Ægyptum & Lybiam conſtituerat. Sergio reſcribit privatis dumtaxat nec ullatenus ex Petri Apoſtolico ſolio profectis litteris Honorius, quæ iſta concluſione deſinunt. *Hæc nobiſcum veſtra fraternitas prædicet ut ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus, hortantes vos ut unius vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſcum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vivi Deum veriſſimum in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus fide orthodoxa & unitate Catholica prædicetis.* Ecthesis quidem Heraclij vetat duas aſſeri voluntates & actiones ſed unam ſolam jubet prædicari. At Honorij epiſtola tam unam quam geminas annunciari prohibet: geminas quidem voluntates Neſtorianum, unicam verò Eutychianum virus redolere: neque aliam admittit aſſertionem quam unius volentis & operantis in Chriſto perſonæ. Ambæ Sergij & Honorij epiſtolæ referuntur integræ in actione 12. præſentis Synodi. Suffragatur verò Conſtantis typus huic Honorij epiſtolæ, prohibendo tam unam quam duas Chriſti voluntates & actiones prædicari.

3. Poſt Honorium Romanus creatus eſt Pontifex Severinus à quo primùm Heraclij damnata eſt Ecthesis, ut videre eſt in Secretario tertio Lateranenſis ſub Martino Papa Concilij. Severino defuncto ſubrogatus Joannes Papa quartus anno 640. coacta Romæ Synodo Monothelitas anathemate mulctavit, ut à Theophane proditum eſt. Joanni ſucceſſit Theodorus anno 641. quo tempore Pyrrhus Conſtantinopolis Epiſcopus ſibi conſcius mortis Conſtantino Imperatori pio & Catholico

Digitized by Google

Catholico per veneficium ab ejus noverca Martina illatæ, ut tanti ſceleris commeritum ſupplicium evitaret in Africam ſpontaneâ fugâ conceſſerat, ibidemque habita cum Monacho ſanctiſſimo diſputatione convictus, indidem Romam Profectus Monotheliſmi hæreſim in manibus Theodori Papæ publicè ejuravit: à quo ſub titulo Conſtantinopolitani Epiſcopi intra gremium Eccleſiæ admiſſus fuit. Interea Paulus Monothelita quem Conſtans Imperator poſt Pyrrhi fugam in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ thronum promoverat Conſtanti author fuit novi Edicti ſub nomine typi promulgandi, quo unius aut duarum Chriſti voluntatum profeſſio peræquè vetabatur. Quem typum ad ſe tranſmiſſum Theodorus Papa convocatâ Romæ Synodo Epiſcoporum præſcripſit atque damnavit, quatenus duarum voluntatum & actionum Chriſti fidem veram perinde atque Monotheliſmi hæreſim ſupprimebat, Pyrrhus verò Ravennam ab Olympio exarcha accitus dataque ſibi ſecuritate magnam ineundi penes Conſtantem Auguſtum gratiam ſi quam ediderat Romæ profeſſionem fidei abrogaret ac revocaret, hoc ipſum perfidiosè præſtitit, indeque Conſtantinopolim reverſus eſt. Quam perfidiam ut Theodorus reſcivit convocato in Baſilicam Petri Apoſtolici Clero, Pyrrhum communione fidelium excluſit. Refert verò Theophanes à Theodoro ſcriptam fuiſſe anathematis ſententiam mixto attramento cum tremendo ex ſacro Calice inſtillato ſanguine Chriſti. Conſtans vero poſt Pauli Pſeudopatriarchæ mox ſecutum interitum, Pyrrhum fidei deſertorem atque relapſum in ejus ſedem ſuffecit.

4. Theodoro Papâ vitâ functo Romanã ſedem anno 649. Martinus obtinuit: à quo eodem anno Congregata eſt Lateranenſis Synodus ad refellendum ad ſe tranſmiſſum Conſtantis typum. In hujus Secretario ſeu actione 3. Inter alia Sanctorum Eccleſiæ Doctorum pro Catholica fide teſtimonia proferuntur duo Dionyſij Areopagitæ loca, unum ex libro de nominibus divinis, alterum teſtimonium ex ejuſdem ad Gaium epiſtola. Non ita pridem fidelibus innotuerunt hujus Sancti Doctoris ſublimia ſcripta: temporibus enim Juſtiniani ſenioris ſedente Romæ Joanne Papa ſecundo anno Chriſti 533. ventilata Conſtantinopoli fuit nobilis Catholicorum cum Severianis collatio in qua primum legimus allegatum à Severianis hæreticis Dionyſij Areopagitæ pravè intellecti locum. Reſpondent orthodoxi ſibi eſſe prorſus incognitos Dionyſij Areopagitæ libros. Verumtamen inſequente ſæculo magis innotuerunt: adeò ut rerum potiente Conſtante Imperatore poſt annos ſex ſupra centum Lateranenſe Concilium ſub Martino Pontifice ad convincendos Monothelitas teſtimonia protulerit Dionyſij hujus actio. 5. quin etiam multis ante iſtud Concilium annis Pontifex Gregorius Magnus homil. 34. in Evang. Dionyſium Areopagitam citat auctorem. Deinde poſt Martinum Pontificem Deique martyrem, Agathon Papa in ſua ad Conſtantinum cognomine Pogonatum epiſtola quæ perlecta & approbata fuit in hac œcumenica ſexta Synodo actione 4. Et Dionyſij Areop. teſtimonio hæreſim refellit Monothelitarum. Et jam dudum Maximus ſanctiſſimus ſub Conſtante perſecutore martyr libros Dionyſij eruditis Commentarijs illuſtraverat. Abrahamus Echellenſis Maronita multiplici rerum ſcientiâ & Linguarum Orientalium peritiâ inſignis in ſua ad Joannem Morinum Oratorij Jesu Presbyterum epiſtola fidem facit Joannem Epiſcopum Darenſem Syrum ſcripſiſſe quarto ſæculo Commentarios in utramque Dionyſ. Areopagitæ Hierarchiã. Iſaacum præterea Syrum Sancti Ephremi diſcipulum qui floruit ſæculo tertio ad quartum vergente libros elucubraſſe de Angelis in quibus teſtimonio Areopagitæ frequenter utitur. Affirmat verò Echellenſis rem eſſe ſibi planè compertam, cum libros iſtorum Syriacè ſcriptos ſæpius perlegerit. Sanè nulla eſt habenda ratio quod nominatim Areopagitæ legatur mentio in quadam Homilia in 1. cap. Ioan. Origeni adſcripta, nec non in libro quæſtionum ad Antiochum quorum primus Arianorum meminit, qui diu poſt Origenem exorti ſunt. Secundus verò Scriptores citat Athanaſio longè poſteriores, atque hæc obiter de Areopagitæ ſcriptis. Photius in Bibliotheca meminit libri cujuſdam Theodori Presbyteri propugnantis Dionyſij libros germanos ac legitimos eſſe; & ad quatuor in oppoſitum objecta reſpondentis: ejus tamen reſponſa quæ fuerint Photius non indicat.

5. Morte impij Conſtantis divina Providentia filium ejus Conſtantinum ad ſolium Imperiale promovit, optimum & religioſiſſimum Principem, ad eluendam parentum quaſi hæreditariam labem natum. Hic ſecum ad Imperium fratres accivit Tiberium & Heraclium: idemque fidei & pacis Eccleſiæ impensè ſtudioſus litteras ad Donũ Romanum Pontificem direxit invitantes ad convocandum tertium Conſtantinopoli univerſale Concilium, cui vel ipſe vel miſſi ab ipſo legati præeſſent, ſed exempto rebus humanis Dono, in manus qui eidem ſucceſſit Agathonis devenerunt, qui tam juſtæ petitioni libentiſſimè conceſſit: & confeſtim coacta Romæ centum viginti Epiſcoporum Synodo, quæſtionem fidei ea ratione qua fuerat à præceſſoribus Romanis Pontificibus definita diremit ac reſolvit. Inde ſelecti Legati Apoſtolici ab Agathone, qui mox celebrando univerſali Concilio præſiderent; Theodorus & Georgius Presbyteri, Joannes item Diaconus, & Conſtantius Hypodiaconus. Nomine autem Romanæ Synodi miſſi pariter fuere Joannes Portuenſis, abundantius Paternenſis, & Joannes Rhegienſis Epiſcopi, & cum his Theodorus Presbyter loco Theodori Ravennatis Epiſcopi, qui poſt diuturnum Ravennatis Eccleſiæ ſchiſma ſe lubens Agathoni ſubmiſerat, pacemque cum Romana Eccleſia iniverat ut ex Lateranenſi ſub Agathone Concilio, & ex Anaſtaſio in Agathonis vita liquet.

6. Itaque ſexta generalis Synodus anno 680. indictione 9. menſe Novembri regia in urbe intra Palatij Imperialis Secretarium cui Trullo nomen erat cœpta eſt, annoque inſequente terminata. Præſens interfuit Conſtantinus Imperator cum primarijs aulæ Comitibus. Præſederunt Theodorus & Georgius Presbyter, & Joannes Diaconus Agathonis Romæ Pontificis Legati Apoſtolici. His aſſedit Georgius, quem Conſtantinus Imperator amoto Theodoro Monothelita Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfecerat: Deinde Petrus Presbyter vicem gerens Alexandrini Antiſtitis. Macarius Theopolis ſeu Antiochiæ Epiſcopus. Georgius Presbyter Vicarius Epiſcopi Jeroſolymitani, poſt quatuor Patriarchas in ſingulis actionibus recenſentur Epiſcopi Joannes Portuenſis, abundantius Paternenſis, & Joannes Rhegienſis Vicarij Sancti Concilij Romæ habiti centum viginti



Digitized by Google

ginti Epiſcoporum. Cum verò Macarius Antiochenus Epiſcopus in ſuſpicionem adductus eſſet hæreſis Monothelitarum hujus Synodi actione 8. Cauſa ejus diſcuſſa eſt, proprioque ore ſcriptiſque convictus, fruſtraque Patribus diſputando, admonendo, exhortando, rogando connitentibus virum contumacem ab errore revocare, omni demum dignitate, Sacerdotio & fideliũ ſocietate dejectus eſt actio.9. ejuſque in locũ ſubrogatus eſt Theophanes qui deinceps poſt Alexandrinũ ſedit & ſubſcripſit.

7. In hujuſce Synodi actio.15. Polychronius Sacerdos & Monachus ſuam in tantopere illuſtri theatro dementiam prodidit. Cum enim eſſet hæreticus Monothelita, eique Cacodæmon ſuis præſtigijs illuderet, vehementer expetivit in ſacrum conſeſſum introduci, habere ſe aſſerens rem ſummi momenti Patribus proponendam, poſtquam verò intromiſſus fuit, ſibi divinitus mandatum aſſeverat ut Imperatori & univerſæ Synodo veram fidem enunciaret, ſpemque ſalutis æternæ in hoc verſari, ut quotquot adſunt ſincerè definiant, & profiteantur unicam exiſtere Chriſti J e s u voluntatem & actionem. Ut autem ſibi fides adhibeatur certo ſpondet mortuum hominem à ſe ad vitam revocatum iri univerſo ſpectante populo ſtatim atque cadaveris capiti admoverit ſcriptam fidei ſuæ profeſſionem. Viſum eſt Epiſcoporum cœtui oblatam conditionem experiri, ne illâ rejectâ Polychronius cæterique hæretici jactarent, ac inſultarent Patres ſuæ cauſæ diffiſos, occaſionem uſque adeò expertu facilem ſponte oblatam maligno animo recuſaſſe. Adducitur in medium forum humanum cadaver cui Polychronius ſcriptum ſuum ad caput & ad pectus iterum iterumq; admovet, mortuique auribus inſuſurrat, nec tamen movetur demortuũ corpus. Omnis circumſtans populus uti juſſum fuerat ſilens quieſcit, & ridiculum fabulæ exitum præſtolatur : ille verò mortuorum ſuſcitator jam tremebundus non ſecus ac præſens cadaver expalleſcit, tandemque fateri cogitur non poſſe à ſe mortuum ſuſcitari. Effuſus omnis populi riſus & conclamatio ſuboritur. Miſerum tamen & confuſione dejectum Polychronium Patres omni opera conantur ab hæreſi revocare, ſed inflexum & obſtinatũ Sacerdotio movent & anathemate percellunt.

8. In hac demum ſancta Synodo quinque approbatis, quæ præceſſerant, œcumenicis Synodis, decretum eſt duas eſſe in Chriſto Domino voluntates, totidemque actiones divinam & humanam : iſtamq; divinæ per omnia ſubditam & cõſentientẽ, & qui ſecus docuerãt pro hæreticis dãnati Sergius, Cyrus, Pyrrhus, Paulus, alijque quibus adjungunt Patres in actis Concilij ſæpius repetitum Honoriũ Romanum Epiſcopum. Quidam tamen nullo veteri ſcripto ſubnixi affirmant, & contendunt in hujus Synodi pluſquã duodecim locis pro Theodoro fraudulenter oblitterato à Græcis Latinorũ æmulis fuiſſe ſuppoſitum Honorij nomen : ſed fatendum eſt illam de falsò inſcriptionem nullo exemplari antiquo, nullo veteri de hac prætenſa falſitate niti teſtimonio. Præterea ſi potuiſſet illa toties repetita falſitas obrepere, potuiſſet in exemplar, quod Conſtantinopoli ad futuram memoriam reſervabatur: at non in alia quatuor quæ pro quatuor alijs Patriarchalib. Eccleſijs ſcilicet Alexandrina, Antiochena, Jeroſolymitana, præſertim vero pro Romana deſtinabantur. Præſertim verò præſentibus pleriſque Latinis: ex quorum numero quatuor Legati Apoſtolici Synodo præſederant, & quorum ductu & auſpicijs omnia ibi gerebantur, & quorũ officij erat intendere ne qua fraus in re tanti momenti ſubnaſceretur. Nihil ſanè expreſſius eſſe poteſt his quæ in hac ipſa Synodo actio.18. referuntur. *Sancta Synodus dixit, petimus à Domini poteſtate inſtructa à Deo ad majorem orthodoxæ fidei ſtabilitatem & confirmationem, ut ſubſcripta exempla definitionis relectæ præſente veſtra ſereniſſima poteſtate edantur quinque Patriarchalibus ſedibus una cum veſtra pia ſublimatione.* Exemplarium utique facta lectio & ſubſcriptio, ad religioſiſſimi præſentiam Imperatoris, qui omnibus Synodi actis interfuerat : ejuſque Regiæ manus atteſtatio, cautio erat omni exceptione major. His adde quatuor Apoſtolicorum Legatorum Synodi Præſidum præſentiam & ſollicitudinem neceſſariam ! adjunge his tres Epiſcopos Romani Concilij Legatos, inſuper & Ravennatis Epiſcopi Vicarium, Latinos omnes, quî fieri potuit ut iſti præ reliquis electi tanta omnes animi vel ſtupiditate, vel alienatione fuerint ut præſentes fraudem toties repetitam non adverterint ? hæc quoque proſequitur eadem actio 18. *Piiſſimus Imperator exempla definitionis cum ſubſignatione manſuta ejus ſerenitatis præbuit quinque Patriarchalibus ſedibus.* Porro Leo Papa II. ſanctorum albo meritiſſimè aſcriptus, qui Agathoni Papæ immediatè ſucceſſit, & primus Synodum iſtam Apoſtolica authoritate roboravit, non modo iſtam quæ prætenditur falſitatem emendare aut corrigere, vel delere neglexit, ſed etiam in iſtis ſuis ad Conſtantinum Auguſtum litteris, quibus hanc Synodum approbat & confirmat hæc referre non eſt veritus, quæ nullis argutijs declinari poſſunt. *Anathematizamus novi erroris inventores Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Paulum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ inſidiatores magis quam Præſules; nec nõ & Honorium qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrinâ illuſtravit, ſed prophana traditione immaculatam maculari permittit.* Idemque Leo epiſt.2. ad Epiſcopos per Hiſpaniam conſtitutos, ſic ait : *Æterna damnatione mulctati ſunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non (ut decuit Apoſtolicam authoritatem) incipientem extinxit, ſed negligendo confovit.* Idem iterum epiſt.5. ad Ervigium Hiſpaniarum Regem. *Et una cum eis Honorius Romanus qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam quam à prædeceſſoribus accepit maculari permiſit.* Certè non modo Synodus hæc ſexta, ſed etiam ſeptima & octava, præſentibus nec diſſentientibus Apoſtolicis Legatis in ſuis de fide orthodoxa decretis Honorium cæteris Monothelitarum ſigniferis ac ducibus accenſent. Quin & actione 7. octavæ adverſus Photium Synodi legitur iſta Hadriani Papæ II. notatu digna declaratio *Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio poſt mortem ab Orientalibus anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus : propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtere, vel pravos ſenſus liberè reſpuere.* Nicephorus Conſtantinopolis Patriarcha & glorioſus Chriſti Confeſſor & Martyr, in ea quam plenam fidei & in Apoſtolicam ſedem obſervantiæ ad Leonem tertium Pontificem Romanum ſcripſit epiſtola inter

hæreticos

Digitized by Google

hæreticos Monothelitas Theodorum Pharanitam Epiſcopum, deinde Honorium, tertio Cyrum commemorat. Fueritne an non fuerit Honorius hæreticus nihil præjudicatur ad Petri Cathedram, cujus, in rebus fidei numquam fallit aut fallitur definitio, non enim ad hanc pertinet privata cujuſquam Romani Epiſcopi ad privatam alicujus Epiſtolam reſponſio. Deinde iſtæ illius ad Sergium litteræ quantumvis aliquam quæ tum agitabatur quæſtionem fidei ac veritatem diſſimulent, ac ſilentio indebito premant, nihil tamen niſi orthodoxum exprimunt qua diſſimulatione ac ſilentio nihil contra internam fidem delinquitur, ſed contra externam, & ex officio tunc temporis profeſſionem fidei; contra quam etiam Liberium Pontificem in Sirmienſi Concilio, & Marcellinum Papam coram Ethnico Magiſtratu, imo & ipſum Eccleſiæ fundamentum Petrum in triplici negatione peccaſſe apud omnes in confeſſo eſt. Cui tamen Chriſtus Dominus paulò ante aſſeuerat *rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, neque deſijt intus eſſe orthodoxus, dum negavit exterius. Nec ſi idem Apoſtolorum Coriphæus & Princeps atteſtante ad Coloſſenſes Paulo fuit reprehenſibilis dum Antiochiæ ad fratrum ex Judaïſmo converſorum adventum, paulo ultra quam deceret addictiorem ſe legalibus obſervantijs exhibuit, ideò aliquis ei calumniam intentaverit proditæ religionis aut defectionis, atque transfugij ad Judaïcam ſuperſtitionem: cum certum ſit numquam à Chriſtiana profeſſione defeciſſe. Sic neque Honorium planè Monothelitam ac hæreticum fuiſſe affirmare auſim, tametſi Petro Apoſtolo multo reprehenſione digniorem; quatenus agens cum nequiſſimo hæreſiarcha per puſillanimitatem ea utitur verborum textura, quæ hæreſiarchæ adblandiebatur, quando ex officio incumbebat erumpentem hæreſim, ejuſque injuſtas adverſus Monotheliſmi fortiſſimum debellatorem Sophronium querimonias retundere.

9. Fæliciſſimo ſucceſſu diremptâ ſextâ Synodo Imperator & Synodi Patres ad Agathonem mittunt, rogantes ut quæ ſancita erant Apoſtolicâ authoritate roboret. His edictum accedit Conſtantini mandans univerſis ut Concilij decretis morem gerant, propoſitis in refractarios pœnis. Cæterùm priuſquam Synodicæ litteræ Romam delatæ eſſent ſupremum Agatho diem obiverat. Ejus verò ſucceſſor Leo ſecundus ſanctitate illuſtris, Synodum Apoſtolicis edictis quæ ſuperſunt comprobavit. Has tamen litteras œcumenicæ Orientalium Synodi approbatrices ideoque ampliſſimæ, Sedis Romanæ majeſtati & gloriæ quam maximè conducentes, aliaſque Sanctiſſimi ejuſdem Pontificis auro & topazijs Romanæ Tiaræ longè pretioſiores, prætextu notarum aliquot numeralium, quæ operarum celeritate, incuriâque exſcriptorum, atque typographorum, multis præſertim intercurrentibus ſæculis ſunt inevitabiles, Annalium ſcriptor & poſt eum nonnulli geſtientes omnia quæcumque Honorium perſtringunt abolere monimenta, ſuppoſitionis & falſi conantur arguere. Arguant per me licet, ſi poſſunt tria generalia Concilia & præſentibus & præſidentibus pluribus Apoſtolicæ ſedis Legatis celebrata ſextum, ſeptimum & octavum: arguant ſi lubet Pontifices non tantum dignitate ſed vita etiam moribuſque ſanctiſſimos Leonem II. & Hadrianum II. quorum iſte Romano Concilio præſidens Honorium non ut ego puſillanimitatis & ſimulationis, ſed hæreſis Monothelitarum apertè damnavit. Criminentur inſuper Anaſtaſium Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarium Synodorum ſuis temporibus habitarum ſeptimæ & octavæ ex Græco in Latinum tranſlatorem, qui Honorij damnationem quam in Græcis legebat ex ſua Latina verſione non expunxit. Quinetiam in Leonis ſecundi vita idem aſſerit Honorium una cum Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo, Petro atque Macario fuiſſe in ſexta Synodo damnatum. Ipſe inſuper ſanctus Papa Leo ſextam Synodum in Latinum vertit, nec in ſua verſione Honorij damnationem ſuppreſſit. Præfatus quoque Anaſtaſius in octava quam tranſtulit Synodo conſedit, itaque optimè reſcivit quid in eadem Synodo de Honorio fuiſſet conſtitutum: & hujus octavæ tranſlationem ſuam Hadriano ſecundo Pontifici dedicavit. Deinde ſuam ſeptimæ tranſlationem quâ ſimiliter damnata eſt Honorij memoria Joanni octavo Romæ Pontifici conſequentibus annis lucubratam inſcripſit. Damnent denique ampliſſimos & meritiſſimos tum maximorum Pontificum, tum Romanorum Conciliorum Legatos qui uſque adeò perditas in Honorium à ſacris Synodis irrogatas calumnias & falſa convicia, tam ſegni & flagitioſo ſilentio approbarunt. Et ſi hæc omnia nec damnare auſint, nec ſupprimere poſſint, advertant demum ſe in abolenda re quæ tam multiplicibus tamque venerabilibus nititur teſtimonijs immoderato affectu ſtudioque fruſtra laborare. Cum verò teſtimonia domeſticorum vel quæ quis de ſeipſo profert quantumvis honeſtæ vitæ ſit nullam in jure fidẽ faciant, ſuſpectæque habeantur omnes ſive domeſticæ, ſive in propria cauſa teſtificationes, id quod ex maximi diſputatione deſumitur Joannis teſtimonium qui tunc Secretarij fungebatur officio ſub Honorio Pontifice, parum convincit utpotè utraque ſuſpicione laborans, & domeſtici quia de rebus proprij Domini, ſimulq; inſignis benefactoris agitur: Et in propria cauſa, quia Joannes ipſe grave incurrebat vituperium eo ipſo quod inviſam illam epiſtolam propria manu deſcripſerat. Et ita Honorianæ prævaricationis delictum in ipſum Joannem ut conſcium & cooperatorem refundebatur. Quis porrò auſit aſſerere hoc uno in propria cauſa necnon Domini & benefactoris proprij officioſo mẽdacio, ad grande utriuſque probrum amoliendum adhibito, inſimulari debere flagitioſæ impoſturæ aut ſtolidæ credulitatis tot ampliſſima Concilia, Pontifices, Romanos Legatos, & venerandos Antiſtites? parum verò juvat quod Agatho Pontifex in ſua ad Conſtantinum Epiſtola ſcribit ſedem Apoſtolicam numquam defeciſſe aut deficere, ſuorumque prædeceſſorum neminem in fide aberraſſe. In primis enim de ſede Apoſtolica numquam erraſſe, neque futurum ut erret contra fidem orthodoxam Catholici omnes ultro fatentur, ſed & omnibus in confeſſo eſt ad Apoſtolicam ſedem non pertinere quidquid Sum. Pontifex privatim vel ſcriptis vel ore profert. Quo in genere collocanda eſt illa Honorij privata ad privatam Sergij epiſtolã reſpõſio. Inſuper accuratè hoc ipſum quod ſupra dixi perpendendum eſt ne in illa quidem privata Honorij epiſtola quidquam contineri quòd hæreſim apertè ſapiat vel doceat: Etiamſi hoc ſimul verum ſit verborũ ambiguitate per animi metum ſuam (ut ego exiſtimo) rectam & Catholicam fidem Honorium non auſum tunc manifeſtare. Non ignorabat Agatho Papa quid

ante Honorium duobus alijs Romanis Pontificibus Marcellino & Liberio contigiſſet: quorū prior per puſilli animi vitium idolis formidine mortis litaverat. Poſterior verò ſimili metu cum aviditate recuperandæ priſtinæ dignitatis conjunctò, in Conciliabulo Arianorum Sirmienſi & Athanaſiū præcipuam orthodoxæ fidei columnam & columen damnaverat, & ſuppreſſioni conſubſtantialitatis quæ militantis Eccleſiæ adverſus Arianos certiſſima erat teſſera ſua manu ſubſcripſerat, quibus expenſis circunſtantijs facile intelligitur utrumque verum eſſe & quod Honorio per puſillanimitatem culpabilem contigit, & quod Agathonis epiſtola perhibet neminem præceſſorum ſuorum à Catholica fide deviaſſe; quamvis Marcellinum & Liberium ab illa propoſitione minimè excipias; quorum animi propoſitum numquam à fide alienum fuit etiamſi contra debitam ejus profeſſionem non per definitionem ex Apoſtolica ſede, ſed per privatam ſimulationem deliquerint.

10. Inter Apoſtolicos Legatos maxima illorum ratio habebatur qui ad Concilia Orientalia præſertim verò œcumenica Romana ex urbe mittebantur, præcipui enim momenti res erat unitatis Eccleſiarum conſervatio quæ minimè conſiſtere poteſt niſi duobus vinculis inter ſeſe mutuò connectantur unitate fidei, & unitate capitis: unitas fidei dirimitur per hæreſim, unitas verò capitis per ſchiſmata, & rebelliones erigentes ſe adverſus conſtitutum à Deo caput Eccleſiæ. Quia verò diabolus ſemper advigilat ad utramque vel alterutram ex duabus unionem diſſolvendam præſertim ubi coëunt diverſarum Provinciarum à ſe invicem remotiſſimarum Concilia, ſapientiſſimo conſilio jam inde à prioribus Eccleſiæ ſæculis proviſum eſt, ut poſt indictas in Oriente ineundas Synodos quò pauci ex Occidente confluere poſſunt Romanus Pontifex convocato apud ſe Occidentalium Epiſcoporum Concilio Synodis in Oriente congregandis præludat, quæſtiones fidei diligenter exploret omniaque ſolicitè præparet ad utramque commemoratam unitatem & pacem conducentia. Ex his verò ſive Romanis ſive Lateranenſibus Concilijs certæ & eximiæ delegantur ad Orientalem Synodum perſonæ, aliæ quidem ex Latere Romani Pontificis: his verò ſolis incumbebat præeſſe Synodo ante quoſcumque Patriarchas alioſque Antiſtites, atque ante omnes decretis ſubſcribere, ſi non opponebantur literis quas à Summo Pontifice referebant commonitorijs. Cæteris verò Romani Concilij Legatis munus incumbebat, ut conventa inter Romanum Pontificem ejuſque Concilium executioni fideliter mandarentur. Atque iſti quidem cum prioribus in idem officium conſpirabant, non tamen ut primi illi præſidebant, ſed tamen ſeſſio illis poſt Patriarchas honoratior ſervabatur. Id verò perſpicuè in iſta tertia œcumenica Conſtantinopoleos Synodo quemadmodum & in alijs pleriſque cernimus obſervatum. Præſident enim qui Summi Pontificis vices gerunt, primique proponunt & ſubſignant tametſi non eſſent Epiſcopi, Theodorus Presbyter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Georgius Presbyter S. R. E. Joannes Diaconus S.R.E. ſequuntur quatuor Patriarchæ Georgius Epiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ. Petrus Presbyter & locum ſervans ſedis Alexandriæ. Theophanus Epiſcopus Theopoleos id eſt Antiochiæ. Georgius Presbyter locum gerens ſedis Jeroſolymorum. Hos deinde ſequitur Joannes Epiſcopus Theſſalonicenſis & Apoſtolicæ ſedis Romæ Legatus, alijque deinceps Epiſcopi numero quinque ſedis Apoſtolicæ veteris Romæ Legati.

## CONCILIABVLVM QVINISEXTVM *Conſtantinopoli in Trullo habitum anno Chriſti 692.*

1. DUodecim exactis à ſexta œcumenica Synodo annis Juſtiniano cognomine Rhinotmetis Conſtantini Pogonati filio rerum potiente, ad clavum autem Eccleſiæ ſedente Sergio Pontifice, Chriſtique anno 692. habitus eſt Conſtantinopoli Orientalium Præſulum conventus in Trullo Imperialis Palatij Secretario ſupernè fornicato qui duos ſupra centum Canones condiderunt: quem conventum πενθέκτην, id eſt, quiniſextam Synodum nuncuparunt, ut ei quintæ ſextæque Synodorum authoritatem conciliarent: quaſi canones ſupplenti quales duæ illæ Synodi ſolis fidei definitionibus intentæ non ediderunt, quibus ſtabiliri poſſet Eccleſiaſtica diſciplina. Hoc ipſi Trullani Patres prætexunt in ſua ad Juſtinianum Principem prochariſtica oratione. Ducenti viginti ſeptem convenerunt Epiſcopi quos inter non plures tribus & quadraginta recenſentur ex his qui ſexta in Synodo conſederunt. Neque verò cœtus iſte cenſeri aut dici poteſt œcumenicus, cui nulli ut par erat præſederunt Apoſtolici Legati, non magis quam Pſeudoſynodus illa cui Dioſcorus præfuerat, de qua expoſtularunt apud Calchedonem Apoſtolici Legati Dioſcorum his verbis initio quartæ Synodi accuſantes: *Perſonam judicis Dioſcorus ſibi aſſumpſit quam non habebat Synodum auſus cogere præter Apoſtolicæ ſedis authoritatem quod numquam factum eſt nec fieri licitum.* Similiter ſecunda Synodus Nicæna in actione ſexta Conciliabulum damnans adverſus ſacras Imagines à Copronymo coactum, præfixum eidem œcumenici Titulum ideò refellit quoniam non interfuere Occiduarum Eccleſiarum Epiſcopi neque Romani Epiſcopi Vicarij, ut Conciliorum lege præſcriptum eſt. Quin etiam ſchiſmaticus iſte congreſſus non eſt veritus Romanam damnare Eccleſiam eique leges quas ab ea recipere debuerat auſu temerario præfigere. Quamobrem ſententiam damnationis ut Beda de ſexta ætate in Juſtiniano minore, atque Anaſtaſius in Sergio referunt, Sergius Pontifex in hanc Pſeudoſynodum dixit. Baſilius porro Gartiniorum in Creta Epiſcopus qui promiſcuè in turba Epiſcoporum conſedit & ſubſcripſit, locum ſe Romanæ Synodi tenere ſcribens, non à Romanis miſſionem habuit, ſed à Conciliabulo Trullano dicis cauſa & in ſpeciem dumtaxat illam nactus eſt denominationem ac titulum.

2. Can. 2. Clementis Papæ Conſtitutiones rejicit utpotè ab hæreticis additione multarum rerum à pietate alienarum adulteratas. Et quidem ut alia omittam parum ſincera l. 3. Conſtitut. c. 2. quartas nuptias vocant apertam fornicationem l. 5. c. 6. Mariam Magdalenam à ſorore Lazari diſtinguunt & c. 10. abſolutè prohibent laïcis baptizare. Et l. 6. c. 15. baptizatos ab hæreticis rebaptizari jubent eam ob cauſam quia hæretici non ſunt Sacerdotes.

cerdotes. Jam verò dixerant c. 7. ejuſdem libri Philippum qui Simonem Magum in Samaria baptizavit fuiſſe Chriſti Apoſtolum, quod eſt evidenter falſum. Et l.7.c 24. jubent ſervari dies Sabbati & Dominicæ. Et l.8. c.4. negant Jacobum fratrem Domini fuiſſe Apoſtolum. Et c.26.27.28. manum imponi volunt Subdiacono & Lectori & Diaconiſſæ dum ordinantur. Et c.32. negant ordinari Exorciſtas, & c.38. aſſerunt ancillam ſoli Domino obſequentem recipiendam ad Sacramenta, ſi cum alijs congreſſum habeat rejiciendam.

3. Can.6. Prohibet Hypodiaconis, Diaconis & Presbyteris uxorem ducere. Canon tamen 13. ſchiſmaticæ hujus Pſeudoſynodi non modo permittit ex uxoratis aliquos ad ordines Hypodiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum promoveri verum etiam hoc ſtatuit ut maritali affectu & uſu cum uxoribus cohabitent, ſolo excepto tempore quo ſacro Miniſterio functuri ſunt. Et Romanæ Eccleſiæ vitio vertit quod à promovendis ad ſacros Ordines perpetuæ continentiæ exigat promiſſionem. Videndus eſt Nicænus can.3. cum Scholijs noſtris itemque Ancyranus can.10. cum noſtris ad eum obſervationibus. Prohibet nihilominus Trullanus can. 12. Epiſcopos ſeu generalius Eccleſiarum Prælatos τῶν διαφιλευέντες προέδρυς ullo umquam tempore uxoribus copulari etiam ante conſecrationem ductis. Cæterum cum Trullani cælibatum impugnent Eccleſiaſticum prætextu Canonis Apoſtolis attributi qui tamen peræquè meminit Epiſcoporum ac Presbyterorum atque Diaconorum, fateantur neceſſe eſt ſe Canonem illum apertè infringere, dum id quod Presbyteris permittunt & Diaconis, hoc ipſum Epiſcopis prohibent. Sic verò decernit attributus Apoſtolis can.5. *Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus uxorem ſuam ne rejiciat religionis prætextu, ſin autem ejecerit ſegregetur, & ſi perſeveret deponatur.* Verumtamen longè aliter exponendus eſt ille Canon, ut nimirum ablata prorſus tori ſocietate curam uxoris gerat Sacer Clericus & ſollicitudinem, in omnibus ſalutem illius tum animæ tum corporis concernentibus. Sic enim Sanctus & magnus exponit Pontifex Eccleſiæque Doctor Gregorius l.7. epiſt.39. nam Carthaginenſe Concilium nomine ſecundum quod vulgo Siricij Papæ temporibus attribuitur cum tamen ſit ordine poſtremum atque ad Cœleſtini tempora referendum can.3. Presbyterorum & Diaconorum omnimodam continentiam ad Apoſtolorum refert inſtitutionem hiſce verbis. *Vt quod Apoſtoli docuerunt & ipſa ſervavit antiquitas nos quoque cuſtodiamus.*

4. Can. quiniſextus 32. Armenos reprobat vinum aquâ non permiſcentes in ſacro Altaris miniſterio. Damnat præterea hæreticos hydroparaſtas ſeu aquarios qui ſolam in Calice aquam ad Altare offerebant: quos etiam perſtringit ſcribens in Matthæum Chryſoſtomus. Eoſdem Concilium Carthaginenſe tertium pariter damnat can.24. atque his omnibus antiquior Cyprianus martyr ep.63. Trullanus iſte Canon vino permiſcendam eſſe in ſacro Calice aquam teſtimonijs confirmat Jacobi Apoſtoli & Baſilij. Vide can.2. de Conſecr. diſt.1. vetuſtiſſimus præterea ſcriptor Juſtinus martyr Apol.2. verſus finem de fidelium communione ſic ait μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Participare de pane Euchariſtico & vino & aqua ſcilicet quâ vinum ante conſecrationem dilutum fuit. Vide ſuperius can.2. Concilij Bracarenſis quarti cum ibi annotatis.

5. Can.42. Statuit vagos & per urbem diſcurſantes Eremitas compellendos ut vel in communibus Monaſterijs cum Monachis profiteantur, vel ad ſolitudinem retrudantur, quò reipſa exequantur quod nomine Eremitarum hoc eſt deſerti incolarum præ ſe ferunt. Require ſuperius circa vagos Monachos Calchedonenſem can.4.

Can. XLV. *Quoniam intelleximus in nonnullis mulierum Monaſterijs mulieres quæ ſacro illo amictu ſunt induendæ, prius ſericis & omnis generis veſtibus, præterea autem & mundis auro & gemmis variatis ab ijs qui illas ducunt exornari: Et ſic ad Altare accedentes exui tanto opum apparatu, & ſtatim in illis fieri habitus benedictionem, illaſque nigro amictu indui: ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſt ut quæ jam propria voluntate omnem vitæ jucunditatem depoſuit, & eam quæ ſecundum Deũ eſt vitæ agendæ rationem amplexa eſt, firmiſque ac ſtabilibus rationibus eam confirmavit, & ita ad Monaſterium acceſſit, per eum qui interit ac fluit mundum, quorum jam oblitæ erat memoriam revocet. Et ex eo anceps reddatur eiuſque anima perturbetur inſtar exundantium fluctuum hucque & illuc verſantium: ut nec nonnunquam lacrymam emittens cordis per compunctionem oſtendat, ſed etſi exigua aliqua ut eſt conſentaneum lacryma exilierit, non magis propter affectionem quam habet propter exercitatorium certamen, quam propterea quod mundum & mundana relinquant eam videntibus profluxiſſe putetur.*

Can. XLVII. *Neque mulier in virorum Monaſterio neque vir in mulierum dormiat. Extra offendiculum enim & ſcandalum fideles eſſe oportet, & ad id quod decorum & honeſtum Deoque gratum eſt vitam componere. Si quis autem hoc fecerit, ſive Clericus ſive Laicus ſegregetur.*

5. Can. LII. *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunij diebus præterquam Sabbato & Dominica & ſancto Annunciationis die fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium.*

Γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία. Iſte notandus Græcanicæ Eccleſiæ ab antiquo ritus ut ferijs Quadrageſimæ ſacra Miſſa nequaquam celebretur; ſed tantum præſanctificata offerantur, ut moris apud nos eſt ſancto Paraſceves die. Balſamon in hunc locum inquit: *Præſanctificatorum Liturgiam non intelligimus ſacrificium incruentum, ſed adductionem ſeu oblationem ſacrificij jam antea peracti & oblati.* Atque hanc iſtius Canonis rationem perhibet, quia per ſacrificium gaudium & Eccleſiæ ſolemnis exultatio celebratur, quæ minimè convenit diebus pœnitentiæ & luctus. Idcirco Laodiceni Concilij can.49. oblationes fieri ac feſta Martyrum iiſdem diebus celebrari prohibet. Et Laodicenus pariter can. 51. ſtatuit feſta

hæc & oblationes tunc occurrentes in Sabbata vel Dominicas ejuſdem Quadrageſimæ transferri.

7. Can.55. Sabbatorum jejunia etiam in diebus Quadrageſimæ reprobat, uti & reliquis anni partibus, diverſum damnans Eccleſiæ Romanæ uſum cui etiam arroganter & ſtolidè jubet ut inviolabiliter ſervet Apoſtolorum can.65. prohibentem Sabbatorum & Dominicarum jejunia. Quidquid ſit de primis Quinquaginta ſub nomine Apoſtolorum canonibus, ſancta Dei Eccleſia reliquis hunc numerum excedentibus omnem derogat authoritatem: & qui primus canones ſub nomine Apoſtolorum compilavit Dionyſius Abbas non plures quam quinquaginta tradidit. Cæterum de jejunijs Sabbatorum inveſtiga quæ tractavi ad Laodicenum canon.50.

8. Can.63. Legi vetat falſas & confictas martyrum hiſtorias,ſed igni tradi jubet. Balſamon in hunc locum fidem & diligentiam Simeonis Metaphraſtis commendat qui ex antiquioribus Sanctorum vitis pleraque falſa & commentitia quæ irrepſerant eliminavit, edito hac de re libro caſtigatiore. Laudem quidem eo nomine meretur Metaphraſtes ſed non integram. Haud enim pauca ſpuria & fabuloſa ſuam in hiſtoriam nimia ex credulitate congeſſit ſpongiâ lituràque digna, ut eruditi advertunt, & paſſim Baronius admonet.

9. Can. LXIX. *Nulli hominum liceat qui ſit in laicorum numero intra ſepta ſacri Altaris ingredi; nequaquam tamen prohibita ab eo poteſtate & authoritate Imperiali, quandoquidem voluerit dona Deo offerre ex antiqua traditione.*

Balſamon privilegij hujus Imperatoribus Byſantinis indulti cauſam refert ad Imperatoriam unctionem quâ dicit illos Imperio ſimul & Clero inaugurari. Cæterum iſta unctio non erat ex divina inſtitutione orta qualis erat Regum Iſraëlitici populi,& qualis eſt Regum Franciæ,ſi habeatur fides Hincmaro Rhemenſi & Flodoardo, ſcripto tradentibus delapſam cælitus ampullam fuiſſe quando primus Chriſtianus,Francorum Rex Clodovæus baptiſmum de manu Remigij Rhemenſis Epiſcopi ſuſcepit. Quæ Rhemis etiam nunc religioſè aſſervatur & quâ inungi ſolemne eſt Franciæ Reges quum regnum auſpicantur, qua peracta unctione mirifica ſtrumas ſeu ſcrofulas ſolo ſuo contactu curandi poteſtate pollent deinceps, ut quotannis in hominum millibus eo morbo correptis experientia firmat. Quæ ſanè curandi ratio ſupra communes naturæ vires aſſurgit. Mirum tamen eſt Gregorium Turonenſem qui ſuas in hiſtorias miracula quævis congerere ſolet nihil iſtius ampullæ cælitus delatæ meminiſſe. Circa Rhemenſem Regum Galliæ unctionem,hiſtoriam prodigioſam ſcribit Flodoardus,Heribertum Aquitaniæ potentiſſimum Comitem omni opera connixum fuiſſe ut filius ſuus crearetur Rhemenſis Epiſcopus, ad hunc finem ut poteſtate ungendi Regem penes Rhemenſem Antiſtitem conſtitutâ,non alius Gallorum Rex ungeretur vel haberetur, quam is quem ipſe electum & unctum vellet. Miniſtri verò Comitis moræ omnis impatientes Sculfum Rhemenſem Epiſcopum veneno flagitioſiſſimè ſuſtulerunt. Quo facto filius Heriberti Comitis necdum quinquennis electus & conſecratus eſt in Rhemenſem Archiepiſcopum Joannis Papæ decimi ſcandaloſâ planè diſpenſatione, qui munia interim Epiſcopalia in ea Eccleſia Epiſcopo Sueſſionenſium Abboni delegavit. Hæc refert Flodoardus l.4. hiſt.Rhem.c.19.

10. Ut autem ad Conſtantinop. Imperat. regrediamur. Poſterioribus ſæculis tanta hic ambitione ſupra omnem ſacroſ. Eccleſiæ dignitatem ab ipſis Græcanici ſchiſmatis exordijs ſe efferebat,ut intra Templi ſacrarium ea celſitudine ſolium ſuum ſic elevaret,ut Patriarchæ Cathedra ad ejus pedes demiſſa eſſet. Qua de re Innocentius Papa tertius Conſtantinopolis Imperatorem admonet, liberéq; coarguit c. ſolitæ de majorit.& obedien. Nicetas Choniates in Andronico Comneno refert hunc ipſum Imperatorem pro mercede ſibi conceſſæ à Patriarcha indebitæ circa nuptiarum ex affinitate impedimentum diſpenſationis, permiſiſſe ut Cleri ſubſellia tollerentur altius quatenus lateri Imperiali Patriarcha quodammodo aſſideret, univerſaque Cleri ſeries. Verum poſt ſolemnem eo nomine pronunciatam Imperatori gratiarum actionem in qua Davidicum illud Imperatori applicabant *oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum*: ipſum Andronicum poſtridie cum inſigni totius Cleri pudore ac diviſione juſſiſſe ut ad priſtinam menſuram Patriarchæ Clerique ſedilia rurſus deprimerentur: quin & in hoc ipſo Conciliabulo Juſtinianus Rhinotmetus Imperator primus ante omnes Patriarchas Canonibus ſubſcripſit à Conſtantino Pogonato patre degener, qui poſt omnes Epiſcopos ſextæ Synodo nec niſi his rogantibus ſubſcripſerat.

11. Locus hic eſt veterum teſtimonia congerendi circa Clericorum ſupra quoſcumque Laïcos etiam Imperatores orbis in locis præſertim ſacris præceſſiones, quæ hac noſtri ſæculi fæce tanta indignitate violantur. Scribit Theodoritus l.5.hiſt. Eccl.c.17. magnum Theodoſium cum Mediolani verſaretur,ex medio Templi gremio ad altare proceſſiſſe offerendi causâ,factaque oblatione conſtitiſſe poſt Cleri conſeſſum intra Sanctuarij cancellos. Hoc ut advertit Ambroſius Epiſcopus miſſo Diacono Theodoſium admonuit ſolis fas eſſe Sacerdotibus & Diaconis in Sanctuario conſiſtere, mandavitque ut inde ad Laïcorum loca digrederetur: purpuram enim facere Imperatores, ſed non Sacerdotes. Reſpondit Theodoſius excuſando ſe non per ambitum intus conſtitiſſe, ſed ſola conſuetudine adductum quam Conſtantinopoli didicerat, habere verò ſe gratiam Epiſcopo Ambroſio pro hac admonitione paterna: ſimulque morem geſſit & exivit,regreſſus poſtmodum Conſtantinopolim cum ſolitam oblationem ad Altare contuliſſet, memor hujus moniti ſe extra Presbyterium ad populi ſtationem recepit. Tum Nectarius Epiſcopus rogatum miſit ut priſtinam ſedem reſumeret: at Imperator hoc demum didici (ait) quantum ſit inter Imperatorem & Sacerdotem diſcriminis, & vix tandem reperi ſincerum unum veritatis Magiſtrum Ambroſium, quem ſolum Epiſcopum hoc dignum nomine cognovi.

12. Gregorius quoque Nazianzenus orat. ad cives timo. percul. ſic præfectum alloquitur. *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque Imperio ac throno lex Chriſti ſubjicit. Imperium enim nos quoque gerimus addo etiam praſtantius & perfectius: niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem ſis acc*epturus

*cepturus in optimam partem, ut potè ſacri gregis mei ovis ſacra, magnique paſtoris alumna.*

13. Apoſtolici vir ſpiritus & ætatis Ignatius Epiſt. ad Philadelphios his etiam altiora ſapit & docet ita loquens: *Præfecti obediant Cæſari, præfectis autem milites, Diaconi quoque ſacerdotibus, & ſacerdotes ſimul & Diaconi & reliquus Clerus omniſque populus, milites quoque & præfecti, & Cæſar obtemperent Epiſcopo. Epiſcopi vero Chriſto, ſicut & Chriſtus obtemperavit Patri, & ita unitas à cunctis ſervabitur.*

14. His convenientia prædicat Joannes Chryſoſtomus in Mat. hom. 83. ſacros ſic alloquens Eccleſiæ miniſtros: *Si quis dux militiæ, ſi præfectus, ſi Princeps diademate coronatus indignè accedat prohibe: majorem illo habes dignitatem, propterea vos Deus hoc tali honore inſignivit ut talia diſcernatis.*

15. Carolus magnus laicos indebitum ſibi locum vendicantes, optimates ſic reprimit lib. capitularis c. 290. *Si quis indebitum ſibi locum uſurpaverit nulla ſe ignoratione defendat, ſitque planè ſacrilegij reus qui hoc attentaverit.*

16. Huc pertinet præallegatum caput ſolitæ de majorit. & obed. quo Innocentius tertius Imperatorem admonet Epiſcopum præeſſe principibus debere utpotè in altiori dignitatis & poteſtatis gradu conſtitutum, quantò Cæleſtia terrenis, ſpiritualia & divina corporalibus humanis antecellunt. Nota hiſtoria eſt Sancti Martini Turonenſium Epiſcopi apud Severum Sulpitium & alios, ut ſe geſſerit in menſa Imperatoris Maximi. Quin etiam Valerius Maximus de religione populi Romani quamvis falſorum ac inanium Deorum cultui addicti, & præterea innumeris triumphis & ampliſſima dominatione ſuperbi, ſic teſtatur l. 1. c. 1. *Omnia poſt religionem ponenda ſemper noſtra civitas duxit, etiam in quibus ſummæ majeſtatis decus conſpici voluit: quapropter non dubitavit ſacris Imperia ſervire, ita ſe rerum humanarum habitura regimen exiſtimantia ſi divinæ potentiæ bene & conſtanter fuiſſent famulata.*

17. Can. 79. vulgarem illorum temporum & abuſivam conſuetudinem reprimit quo certis quibuſdam ritibus colebantur Virginei partus ſecundinæ: declarátque Deiparæ partum fuiſſe ἀλόχευτον immunem à ſecundinis & ſupervacaneis eluvionibus. Addit etiam abſque ſemine ullo τόκον ἀσπόρως συστάντα.

18. Can. 82. Jubet Chriſtum ſub humana figura repræſentari & coli: vetat autem ſub agni figura. Hadrianus Papa in ſuo ad Carolum Magnum pro imaginibus libello Trullanum iſtum Canonem profert, non ut Pſeudo Synodo huic authoritatem conciliet quam præceſſor Sergius Papa reprobarat; ſed ut Schiſmaticos & Græcos Iconoclaſtas alióſque his conſentientes propriis ipſorum armis debellet, quemadmodum Goliathem Philiſtæum David educto ejus Gladio capite truncaverat. Cæterum illa imaginum Chriſti ſub agni ſpecie repræſentati prohibitio ſcripturis divinis injurioſa eſt, à quibus plerúmque ſub agni tum denominatione tum effigie Dominus Jeſus repræſentatur; ut patet in Iſaia, in teſtimonio Joannis Baptiſtæ, apud Evangeliſtas, & in Apocalypſi, primáque Petri Epiſtolâ. Religioſus etiam primitivæ uſus Eccleſiæ nihil habuit hujuſmodi effigie frequentius quæ paſſim viſitur in antiquiſſimis quæ Romæ etiam nunc extant Baſilicis & in ſubterraneis cæmeteriis, aliiſque vetuſtiſſimis monimentis tum ſculpto, tum muſivo teſſelatóque opere. Denique Antiquus liber Ordo Romanus ex priſco receptóque olim uſu hæc tradit. *In eadem dominica poſt albas intra civitatem Romanam dantur agni Cerei ab Archidiacono in Eccleſia poſt Miſſam & Communionem populo.* Quæ adhuc quotannis Romæ conſuetudo ſervatur.

19. Can. 84. *Canonicos Patrum ritus ſequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inveniuntur firmi teſtes qui eos abſque dubitatione ulla baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de tradito ſibi myſterio aptè reſpondere poſſint, debere abſque ulla offenſione baptizari, ne forte hujuſmodi dubitatio eos ejuſmodi purificationis ſanctificatione privet.*

Simile huic decretum longè præceſſerat Concilij Carthaginenſis quinti can. 6. quem ſuperius ſuo loco vide una cum ſcholiis noſtris, in quibus illuſtria Sancti Gregorij Papæ, necnon Sancti Raimundi de dubiis etiam confirmationibus, Eccleſiarum conſecrationibus & ambiguis clericorum ordinationibus.

20. Can. LXXXXVI. *Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt.*

Sententia hæc omnium. Chriſtianorum cordi infixa eſſe debet οἱ χριςὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐνδυσάμενοι τὴν ἐν σαρκὶ αὐτοῦ πολιτείαν μιμεῖσθαι καθωμολόγησαν. Præclare de baptiſmo loquitur Apoſtolus Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.*

21. Can. C. Picturas prohibet quæ ad turpes libidines illiciunt & earum opifices excommunicari præcipit. Hoc enim habet vox ἀφορίζεσθαι non vero ut transfert latinus interpres deponi, quam depoſitionis pœnam ſolis clericis ſolent Græci Canones infligere per vocem καθαιρεῖσθαι.

22. Can. C I. Minimè permittit communicantes Euchariſtiam aliquo vaſculo excipere ſed ſolis manibus in crucis figuram conformatis. Hoc idem ſuadet Cyrillus Jeroſolymitanus Cathe. Myſtago. 5. quem etiam veterem communicandi ritum ſic exprimit l. 3. de ſacerdotio Chryſoſtomus ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος ταῖς ἁπάντων κατέχεται χερσί. Qui cum patre ſurſum ſedet omnium manibus continetur. Alicubi tamen mulieres ſacratiſſimam hoſtiam linteamine excipiebant ut docet Auguſtinus ſerm. 252. Maximus Martyr & Monothelitarum generoſus debellator admonet communicaturos viros ut prius manus alluant mulieréſque ut linteamina mundiſſima deferant, quibus Chriſti Corpus excipiant. Denique Concilium Antiſiodorenſe præcipit can. 36. *Non liceat mulieribus nuda manu Euchariſtiam ſumere.* Vocátque idem Concilium can. 42. Dominicale linteum illud quo mulieres jubet ad hoc uti.

ECCLESIÆ

# ECCLESIÆ OCTAVI SÆCULI
## HISTORICA SYNOPSIS.

1. DESINENTE ſeptimo ſæculo & octavo ineunte Chriſti fides borealibus regionibus illuxit. Suvibertus & Vuillebrordus ſancti Sacerdotes ambo ex Anglia profecti & authoritate Apoſtolica præmuniti divinum Evangelium Batavis, Friſijs, Saxonibus, & Danis prædicarunt. Permultiſque miraculis vaſtiſſimas illas Provincias ab idolorum cultu ad Chriſtum converterunt. Sub his feliciſſimis auſpicijs partitiſque utriuſque laboribus cum jam illis in regionibus Eccleſia radicata floreſceret, Vuillebrordus Romam ad Sergium Pontificem profectus, donatus eſt ab eo Archiepiſcopali pallio, & Romæ in Archiepiſcopum Trajectenſem conſecratus. Inde Trajectum regreſſus magna gratulatione, & gaudio à Suviberto exceptus eſt convocataque ampliſſima Synodo apud Trajectum rebus Eccleſiæ communicatis conſilijs ſapientiſſimè providerunt. Suvibertus quem ut ducem & caput ſalutiferæ hujus miſſionis Vuilfridus Epiſcopus gentis Nordhumbrorum conſecraverat, Trajectenſis civitatis Antiſtitem, authoritate Apoſtolici Legati quâ ipſum Agatho Papa decoraverat, poſtquam fuerat Romanum in Concilium ſub eodem Pontifice præſens admiſſus, Suvibertus inquam vocabatur Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Vuillebrordus autem ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus, quippe qui pallio cum hac denominatione fuerat à Sergio Romæ inſignitus ut ſcribit dignus utriuſque collaborator & comes Marcellinus in Suviberti vita, & ex illo Baronius ad annum 695. n. 6. & 7. ex Vuillebrordi diſciplina inſignis prodijt diſcipulus Vuinfridus Sacerdos alter Germanorum Apoſtolus, qui Evangelium in ulteriores quoque Germaniæ Provincias propagavit, aſcitoque novo Bonifacij nomine conſecratus eſt Moguntinenſis Archiepiſcopus: ſed poſt obitum Vuillebrordi cui Sergius Papa nomen Clementis ſimiliter indiderat, ſtabilitus fuit ſecundus Trajectenſis Archiepiſcopus, ut illam quoque regeret Præfecturam ut prodit idem Marcellinus. Ad harum gentium converſionem permultum contulit, illuſtris Princeps & major domus ſub Franciæ Regibus Clotario, Dagoberto, atque Dux Neuſtriæ Pipinus dictus Hereſtallus, qui fuit avus alterius Pipini genitoris Caroli Martelli, & proavus Pipini qui primus ejus ſtirpis & nominis ſceptrum Francici regni tenuit. Cum enim Radbodus Friſonum Rex naſcentem in illis locis Eccleſiam extinguere conniteretur Pipinus illum Francicis armis Trajecto & Friſiâ expulit, atque ad remotiorem quamdam inſulam fugere coëgit, præcepitque ſubditis ſibi Paganis ne quis prædicantibus Chriſtum quidquam moleſtiæ inferret, quodcumque verò potuit præſidij ad hæc Eccleſiarum primordia liberaliſſimè contulit, hortante ſpontaneum Itta conjuge religioſiſſima & ſanctiſſima ex qua tres ille liberos ſuſcepit Grimoaldum, Gertrudem & Beggam, ex Beggæ vero & Anſegiſi matrimonio editus eſt Pipinus junior, ejus nominis ſecundus, ex hoc Pipino Hereſtalli Pipini nepote & Elpaide concubina ortus fuit Carolus ille Martelli cognomine inſignis, à quo progeniti ſunt Carolus alter, & Carolomanus qui Monachiſmum apud montem Caſſinum ſub Abbate Petronacte profeſſus eſt, & Pipinus tertius qui Franciæ regnum eſt adeptus. Hanc illuſtrem genealogiam ex Abbate Stephano refert Baronius anno 631. n 6. porro Itta Pipini ſenioris vidua cum Gertrude filia Monaſticæ vitæ ſe addixit.

2. Byzantinum Imperium ſimulque Catholicam in Oriente religionem nequitia Juſtiniani Rhinotmeti ejuſque ſucceſſorum peſſumdedit. Philippicus poſtquam Rhinotmetum ejuſque filium Tiberiū jugulavit Imperiumq; aſſumpſit, ſceleſtum & hæreticum hominem Regiæ urbis Patriarcham fecit annoque 712. ſextam Synodum proſcripſit, hæreſimque Monothelitarum ſopitam reſuſcitavit. Theodoſio Adramytteno rerum potiente Muſalmas Saracenorum Princeps in Aſiam excurrit, & Cappadociam invadit. Depulſo Theodoſio Iſauricus Leo genere natus obſcuro, Imperium capeſſivit: ſub cujus primordio Saracenos Conſtantinopolim obſidentes gravi eorum clade profligavit anno 717. idemque Bezoris ex Chriſtiano Mahumetani conſilijs addictus anno 726. bellum in Sanctorum imagines excivit: quo per ſatellites ſuos æneam Chriſti ſtatuam dejecit.

dejecit. Germanum Conſtantinopolis Patriarcham edicto contra Imagines ſubſcribere renuentem dignitate removet, ſubrogato illius in ſedem Anaſtaſio: omni furit immanitate adverſus quoſcumque impietatem illam averſantes, venerabile Studitarum Collegium Religionis columen, ſcientiarum promptuarium, dubitantium & conſulentium refugium & oraculum, una cum inſtructiſſima Bibliotheca injectis flammis concremavit. Joanni Damaſceno per calumniam, dexteram quâ præſtantiſſimos pro ſacrarum Imaginum defenſione libros ſcripſerat amputari fecit. Sed vir Sanctus Dei genitrice coram ipſius imagine invocatâ præciſam manum ſtupendo miraculo recuperavit.

3. Scelerato parenti nequior ſucceſſit proles Conſtantinus dictus Copronymus, quia dum baptizabatur ſacrum lavacrum ventris ſordibus conſpurcaverat: qua occaſione ſpiritû Prophetico qui eum baptizabat vaticinatus eſt Germanus Patriarcha, futurum aliquando ut Eccleſiam ille ſuæ ſordibus impietatis fœdaret. Iſte verò ad Paternam adverſus pias imagines perfidiam, Sanctorum in Cœlo regnantium venerationem, atque adeò Virginis Matris quam prohibebat Dei Matrem appellari, ſacrarum etiam Reliquiarum cultum quantis potuit viribus exterminavit. Pſeudoſynodum trecentorum triginta octo Antiſtitum coëgit, cujus decreto adverſus pias Imagines conclamatum eſt anno 754. per triginta quatuor regni ſui annos vix umquam crudelia & atrociſſima ſupplicia intermiſit. Tandem dum adverſus Bulgaros exercitum movet interno viſceraque depaſcente igne conflagrans, vociferanſque divina ſe ultione cremari, ob contemptam & dehoneſtatam Matris Dei dignitatem, æternoque ſe damnatum incendio miſerrimam animam efflavit Septembri menſe anno Chriſti 775. Succeſſorem regni & impietatis filium habuit Leonem quartum, qui pro Imaginibus evertendis omnem adhibuit ſollicitudinem, annoque demum Imperij quinto priſtina flagitia ſacrilegio cumulavit. Coronam enim pretioſiſſimis lapillis emicantem quam Mauricius olim in primario Templo dedicarat, inde raptam præ gemmarum ſtudio, dum capiti ſuo applicat, carbunculis igneis è capite tumeſcentibus ex quibus ardens exorta febris, inter graviſſimos dolores conſumptus eſt, decurrente Chriſti anno 780.

4. Filius huic ſucceſſit Conſtantinus ſub matris Irenes tutela: qui cum matre annos ferè decem Imperavit: Irenes exordia pietas & fortitudo illuſtrarunt, Nicephorum enim Conſtantini patruum Imperij cupidum, prælijs fractum Græciâ fugavit. Taraſium quoque pietate inſignem virum Regiæ urbis Patriarcham fecit: Eoque hortante Synodum œcumenicam curavit convocari, eaque de re ad Hadrianũ Papam una cum filio ſcripſit. Id verò negotium felici exitu perfectum eſt, quamvis gravibus occurrentibus obſtaculis: ex Occidente Apoſtolici Legati, ex Oriente autem omnium ſedium Patriarchalium Legati Conſtantinopolim advenerunt, coëuntibus pleriſque Epiſcopis. Cæterum hæreticorum factione res ad ſeditionem deducta eſt: quamobrem in annum dilata res eſt, relictaque Conſtantinopoli ſeditioſis tum militibus tum civibus referta Nicæam convenere Antiſtites Chriſti anno 787. numero trecenti quinquaginta, præſidentibus Romani Papæ Legatis Petro Preſbytero, alteroque Petri Sanctæ Sabæ Abbate, cum Taraſio, atque aliorum Patriarcharum Vicarijs. Hæc eſt ſeptima Synodus œcumenica Nicææ in Bithinia habita, in qua Iconoclaſtarum condemnata hæreſi, piarum imaginum inſtauratus eſt cultus.

5. Felicem iſtum rerum decurſum interpellavit ambitio. Tutelæ & adminiſtrationis maternæ pertæſus Conſtãtinus, neque Stauracij, cujus conſilijs omnia gerebantur, potentiam ferre valens, Irenem matrem in ordinem redegit, & cuſtodiâ ſepſit, Stauratium in carcerem truſit. Dum autem juvenis per ſe aſſentatorumque conſilij res Imperij peſſimè adminiſtrat, & innoxios adulatorum delationibus & calumnijs perſuaſus afficit ſupplicijs, uxori quoque repudium mittit quam Monaſterio includit, eaque vivente Theodotam ſibi ementito nuptiarum nomine jungit, ipſo connivente Taraſio, metu ne quod juvenis minabatur libidine percitus, abrogata Nicæna Synodo Patrum ſuorum hæreſes revocaret, & Catholicos ad illorum imitationem omni vexationum genere inſectaretur, quæ res Orientis Eccleſias diſſenſionibus replevit: duobus ſanctiſſimis magnæque authoritatis viris Platone & Theodoro ſtudita, non modo à Joſephi Abbatis, qui has ſacrilegas nuptias junxerat, ſed etiam ab ipſius Taraſij communione recedentibus. Dum denique Conſtantinus Nicephorum patruum & Alexium Ducem oculis orbat, fortuniſque omnibus exuit, tantum in ſe odium juvenis præceps concitavit ut nemine pro eo ſtare auſo facile fuerit matri & Stauracio Imperij geſtionem, & priſtinam poteſtatem reſumere: atque comprehenſo Conſtantino oculos effodére, qua calamitate infelix haud multò poſt expiravit. Ejus mor-



Digitized by Google

tem ſecuta eſt dierum ſeptemdecim horrenda caligo. Irene porro anno ab hoc facinore ſexto, & Chriſti 802. ab Nicephoro fortunis omnibus exuta in Leſbon deportata vivere deſijt.

6. Annus à Chriſti ortu 712. Æræ autem Hiſpanicæ 750. Hegiræque Arabicæ 91. Hiſpaniæ funeſtus accidit. Rudericus profligato ſuis armis & excæcato Vitiſa Hiſpanorum Rege moribus perditiſſimo, regnum ejus ad ſe tranſtulerat, hic in libidines effuſus Juliani Comitis vel uxorem vel ut alij produnt filiam conſtupravit. In hujus ultionem injuriæ Julianus Saracenos clam ex Africa in ſuam patriam excivit, ſuam eis operam ubicumque offerretur occaſio pollicitus. Illi tranſmiſſo freto Gaditano primiſque arcibus & oppidis occupatis, ulterius per vim provehuntur, occiſoque in acie Ruderico à ſuis deſerto univerſam Hiſpaniam invadunt, præter illum Pyreneum tractum qui Provincijs Aſturiæ Cantabriæque continetur. Eò namque Gotthorum confugientes reliquiæ ulteriorem Barbarorum excurſionem armis ſuis, & rupium munitionibus coërcuerunt Pelagio duce: qui primus celeberrimo conflictu victis Mauris Legione regnum condidit, ex quo poſteri gradatim progreſſi, plura in Hiſpanijs regna infideli gente victa & depulſa conſtituunt.

7. Nec verò Saraceni ſe Pyreneis montibus continuerunt, in Gallias enim effuſi illas tyrannicæ dominationis jugo ſubjeciſſent, niſi Dei providentia Pipino hujus nominis ſecundo genitum Carolum illis oppoſuiſſet innumeris victorijs inclytum ducem. Hic Pipino patre rebus humanis exempto, in cuſtodiam ab noverca Plectrude conjectus indeque dilapſus, Paginfridum Palatij Regij præfectum quem ætas illa majorem domus vocabat laceſſere auſus, primo illo tirocinio victus eſt: ſed Carolus quaſi novus Antæus è caſu fortior ſurrexit, hoſteſque victoriâ præfidentes & minus cautos adortus magna ſtrage concîdit: novaſque accumulans victorias, Saxones, Alemanos, Bajoarios, Noricos & Eudone fugato Aquitanos profligavit. Eudo ut fama eſt rebus ſuis accîſis præſidium Maurorum implorat, eoſque in Galliam evocat, qui Galliæ potiundæ ſpe adducti collectum ex Africa & Hiſpania copioſiſſimum exercitum Abderamo Duce in Galliam effundunt; quâcumque progrediuntur promiſcuus furor ferro & ignibus graſſatur impunè, Occitaniam vaſtant, urbeſque citra & ultra Rodanum ſitas invadunt; Aquitaniam cum Burdegala hoſtilē in modum diripiunt: quæ cauſa fuit Eudoni ſociorum quos exciverat perfidiam experto confugiendi ad Carolum, & quantas colligere potuit vires ad illius exercitum conjungēdi. Progreſſis ingentibus barbarorum ad Ligerim uſque copijs, Carolus prope Turones occurrit dato pugnæ ſigno, Eudo ut erat conſtitutum ex improviſo caſtra hoſtium adortus eſt, Carolus alia ex parte fulminis inſtar in confertos Saracenorum cuneos advolat, & quidquid obvium occurrit magno impetu disjicit; horrendaq; edita ſtrage, hoſtium ordines diſturbat. Abderamus fortiſſimè dimicans inter ſuorum acervos occiditur. Cæſa ſunt eo die ad trecenta ſeptuaginta quinque hoſtium millia ut fidem facit in Gregorio II. Pontifice Anaſtaſius. Ex Francis tantummodo mille quingenti ceciderunt an. 727. Eodemque Burgundiam & Lugdunum Carolus recepit in poteſtatem: annoque ſequenti Eudone vita functo Aquitaniam pulſis Saracenis invaſit. Nec tamen his victorijs prorſus debellatum eſt. Saracenos enim ad ulciſcendam ſuorum ſtragem Galliam iterum incurſantes ingenti numero delevit an. 731. Et Avenionem ab illis interceptam recepit. Narbonem etiam cum omni Occitana Provincia quam Saraceni cum Hiſpania cui Provincia illa jampridem contributa erat occupabant, ſub Francorum dominationem reduxit internecione cæſis qui ad opem ferendam ſæpius occurrerāt Barbarorū copijs.

8. Tantus denique terror & veneratio Caroli Martelli exterarum etiam gentiū animis inſederat, ut rogatus à Gregor. Papa III. quem Luitprandus Longobardorū Rex acri bello premebat, ſolis ad ipſum miſſis litteris Luitprandus abſterritus, quaſcumque occupaverat Eccleſiæ terras & opes ſine mora reſtitueril. Poſtquam viſus eſt Carolus Martellus humani faſtigij culmen exceſſiſſe vitâ demum exceſſit an. Chr. 741. quatuor ſuperſtites relinquens filios Carlomannum cui Auſtraſiam ſeu Orientalem Franciam, Pipinum cui Neuſtriam ſeu Occiduam Franciam, quaſi hæreditariam reliquit; Ægidium etiam quem ſacris addictum ad Rotomagenſis Epiſcopatus inſulas promoverat & Grifonem natu minimum ſpiritu præferocem qui indignè ferens ſe in nullam hæreditatis partem admiſſum, ſtatuit hortāte matre Sunichilde quam Martellus ex Bavaria petitā ſibi ſecundis nuptijs copulaverat, partem ſucceſſionis fratribus præripere, quam pater fratrum ex priore connubio ſuſceptorū arbitrio reliquerat. Itaque collectis furtim militibus Laudunum arcem tunc munitiſſimam intercipit. Sed inde fratrum armis pulſus eſt in cuſtodiam miſſus ex eaq; dilapſus, nunc in Bavariam, nunc in Saxoniā, nunc in Aquitaniā violentus irrumpit, ſæpius tamen debellatus

debellatus, dum utrâque Franciâ excluſus Italiam petit res novas moliturus, novaque bella inſtauraturus, in Alpium tranſitu perimitur.

9. Carolomannus Orientalis Franciæ Rex poſt debellatos Saxones, & perdomitos à ſe Alemannos, compoſita in omni ditione ſua pace, divino æſtuans amore in flore conſtitutus ætatis, ſuiſque ad ſummæ proſperitatis cumulum provectis rebus, regnum quo potiebatur ampliſſimum, regno longè ſublimiori per rerum omnium fluxarum atque mortalium deſpicientiam commutavit. Permiſſis ergo Pipino fratri fortunis, atque ditionibus ſuis Monachum profeſſus eſt primùm in eremo montis Soractis ædificato illic cœnobio. Verum qui videbatur in tanto Principe conſummatæ jam virtutis cumulus, ulterius properanti gradus fuit. Se nimium hominibus præſertim magnatibus notum eſſe, ſuamque illorum occurſibus & ſalutationibus interturbari quietem indoluit. De ſeceſſu igitur ſecretiſſimo capeſſendo cogitavit, in quo degeret univerſis hominibus incognitus. Ad cœnobium montis Caſſini unico fidiſſimo ſocio cum quo ſecreti fidem jurejurando pactus fuerat adhibito, clam & cunctis ignotus conceſſit; atque infimis precibus obtinuit ab Abbate Petronace ſui ad Monaſterium admiſſionem. In curam trucis & ferociter ruſticani Culinarij traditus, ejuſque juſſis in viliſſimis & laborioſiſſimis culinæ muniis obſequentiſſimus Carolomannus, præfecti tamen illius culinarij quotidianis non tantum conviciis, ſed frequentibus etiam verberibus afficiebatur; ejuſque invicta patientia laceſſebatur: donec poſt diuturnum ejuſmodi tyrocinium de culina ad caulas & ovile Monaſterij tranſlatus eſt. Quo in officio dilectæ ſolitudini, divinæque contemplationi vacans cum cælitibus, & ſuis pecudibus ſeorſim converſabatur. Eodem pariter tempore in idem Monaſterium ſeceſſit vitamque cœleſtem exorſus eſt Longobardorum Rex Rachiſius, abdicato quo potiebatur Longobardiæ regno in Aſtulfi fratris ſui manus: quia tamen cognitus inter Monachos admiſſus eſt non æquè duris ac Carolomannus exercitationibus probatus ac inſtitutus fuit.

10. Carolomanni abdicatione, & Griſonis morte traductis in unum Pipinum Martelli opibus, poteſtate, & amicis quos ampliſſima beneficia recepta devinxerant, aut futura in ſpem erigebant. Cum nihil ex Chilperici ſocordia vel commodi ſperaretur aut privati damni timeretur, publicæ verò calamitates prævidenrentur innumeræ ſive ab inteſtino civilique bello, ſive à devictarum gentium rebellione, quas unius Pipini virtus in officio continebat, ſive à Saracenorum incurſu, ſi Pipinus jam prole felix, ſed quæ per ætatem nondum erat regendis populis, aut optimatum ambitione vel diviſionibus reprimendis ſatis idonea, rebus humanis atque Sceptri ſucceſſione eximeretur; cogitari cœptum eſt de Chilperico cui nihil erat Regium præter inane nomen abdicando, Pipinoque ejus in regnum ſufficiendo. Diſpoſitis jam dudum eam in rem omnium animis curat Pipinus totius regni comitia convocari, in his omnium conſenſu deliberatum eſt uni Pipino regnum eſſe deferendum, atque in ejus liberos ingentis ſpei Principes regni transferendam ſucceſſionem. Eò denique res proceſſit ut omnibus deſpectus Childericus regno cedere coactus ſit, ut in Pipinum ſuprema poteſtas transferretur, anno Chriſti 752.

11. Qui Zachariæ vitâ functo ſucceſſit Stephanus ſecundus, non ultra quatriduum ſedem Romanam tenuit. Huic ſuffectus Stephanus tertius qui bello ab Aſtulfo Rege appetitus, poſtquam ille captâ Ravennâ cum Exarchatu omni, ejectiſque inde Græcis cum Exarcha Eutychio, & potentiâ & ſuperbiâ multum increverat, in Franciam ad Pipinum confugit qui tranſcenſis Alpibus, & disjectis quæ montium clauſtra inſederant Longobardicis præſidiis, incluſum Regia gentis urbe Ticino, quæ & Papia vocatur, Aſtulfum jurare compulit cuncta ſe quæ Romanæ ditionis erant redditurum. Sed Francorum diſceſſu metu ſolutus non modo promiſſis non ſtetit, verum etiam Romam cum Pontifice arcta obſidione cinxit. Pontifex in has redactus anguſtias, Pipinum ſuppliciter evocat duabus ad commiſerationem compoſitis Epiſtolis, tum proprio nomine, tum Principis Apoſtolorum. Pipinus his commotus pari celeritate tranſgreſſis Alpibus hoſtem acie adoritur, profligat, Romamque obſidione ſolvit, Aſtulfum fugientem ſeque mœnibus Ticini includentem obſidet, inque ſuam redigit poteſtatem. Atque Ravennæ Exarchatum quam Romaniam vocant, & Pentapolim nempe Anconam, Ariminum, Piſaurum, Auximum & Urbinum, aliaque oppida & arces, quas ab Aſtulfo Græcis Imperatoribus ereptas Conſtantinus Copronymus à Pipino per Legatos fruſtra repetebat, Romano Pontifici tradidit perpetuoque addixit anno 756.

12. Pipinus extremum diem Pariſiis obiit Chriſti anno 768. Eodem Carolus cum



Digitized by Google

cum Carlomanno paternum regnum partitus eſt, ſed hoc intra triennium extincto, ſolus regnavit Carolus. Qui anno 773. advocatus ab Adriano Papa ejus nominis primo, quem Deſiderius Longobardorum Rex divexabat, paternas victorias inſtauravit. Veronam hoſti præripit fugato inde Adelgiſio Deſiderij filio, ipſum verò Deſiderium qui ſe intra validiſſimam Ticini urbem incluſerat, cum urbe obſeſſa in ſuam redigit poteſtatem: Eumque amiſſa cum regno libertate una cum uxore & liberis Leodium Eburonum cuſtodiendum mittit. Sicque gentis Romano Pontifici infeſtæ regnum prorſus extinctum eſt, poſtquam ducentis circiter & ſex annis ab Alboino fundatore in Italia floruit. Carolus vero non modo quæcumque à Pipino patre Pontifici Romano donata erant rata eſſe voluit, ſed & multa his adjecit, ſcilicet Sabinenſe territorium, Spoletinum Ducatum, & Beneventanum, quæ ab Anaſtaſio in Adriano referuntur, iiſque Venetiarum & Iſtriæ aſcribuntur Provinciæ cum inſula Corſica. Portus Lunæ quem Adriano Papæ Carolus Magnus dono dedit in illo Liguſtico ſinu ſitus erat in quo extat Lerice ad Occidentem Macræ fluvij; qui Liguriam ab Etruria diſterminat. Cumque poſt interjectos aliquot annos à Deſiderij Regis captura, expeditionem alteram ad fines uſque remotiores Italiæ Carolus Magnus adverſus Beneventanum Ducem Arichiſum ſuſcepiſſet, nova terrarum acceſſione Romanam Eccleſiam locupletavit, quâ Silarus amnis & oppidum Sipontus continebantur: quidquid igitur ab hoc Orientali limite per oram Mediterranei maris Lericem uſque protenditur, id omne Caroli Magni beneficentiâ Eccleſiæ Romanæ temporali dominationi acceſſit. Conſtat verò ex Adriani ipſius ad Carolum Magnum epiſt. 86. de donatione Beneventini Ducatus. Itemque ex ejuſdem ad eumdem Epiſtolis 73. 88. & 92. de donatione Capuæ, & Campaniæ. Sed fuſius & prolixius has omnes donationes probat & explicat noſter Joannes Morinus Oratorij apud Pariſios Presbyter parte 3. operis de ſuprema Papæ dominatione temporali c. 20.

13. Ex anno 772. inchoatum eſt Caroli Magni adverſus perduelles Saxones bellum, quod tres & triginta duravit annos, ob continuas & pertinaciter iteratas gentis rebelliones, ejus à quo ſæpius devicta fuerat clementiâ abutentis, quæ non aliter perdomari potuit niſi tranſlatione gentium illarum Albis fluminis ripas incolentium in Galliam, & deductione coloniarum Gallicanarum in eas regiones. Sclavos præterea & Bajoarios cum duce ſuo Taſſilone quem demum captum in Monaſterium truſit, ad obſequium reduxit. Bellum inſuper cum Avaribus ſive Hunnis ea rebellantium ſtrage confecit, ut vix ſupereſſent à quibus agri colerentur. Saracenos quoque facta in Hiſpaniam tranſmiſſione ingenti clade fudit & fugavit. Cæſaraugustam & omnem circumquaque regionem ſubjugavit. Pampelonam expugnavit, ejuſque muros disjecit. Perdomitiſque Celtiberorum & Cantabrorum Provinciis, dum per Pyreneos in Galliam regreditur, Vaſcones extremum per anguſtias agmen adorti Francos pleroſque ceciderunt, interque hos Rutlandum fortiſſimum Ducem Britannicæ oræ præfectum, impedimentaque exercitus diripuerunt.

14. Carolus octingenteſimo Chriſti anno creatus eſt Occidentis novus Imperator, quum poſt Adriani obitum in ſacram Petri ſedem Leo tertius provectus eſſet. Contigit ſceleratorum quorumdam factione novus Pontifex comprehenſus, effoſſis oculis abſciſſâque linguâ, & multis plagis ſaucius & cruentus, in tetrum carcerem conjectus ſit. Sed Deo execrandum ſcelus emendante reſtitutis oculis & linguâ mirificè ſanatus eſt, atque adventante Vinichio Spoletano Duce vindicatus in libertatem Sanctus Pontifex, Spoletumque adductus & tantiſper recreatus, ſe ad Carolum contulit Saxonico tunc bello implicitum, qui Romam ipſum per Legatos reduci curavit, & in ſedem reſtitui Apoſtolicam; applaudentibus Clero populoque Romano. Ipſe verò Carolus cum primum per Saxones licuit Romam cum Pipino filio & exercitu contendit: exceptuſque eſt ſummâ omnium lætitiâ. Convocata Epiſcoporum Synodo cauſam Pontificis dijudicari mandavit; at verò perfidi ſicarij qui ex affinibus erant defuncti Papæ Adriani, ut facinus admiſſum aliquo prætextu diminuerent, multas in Leonem accuſationes impegerant. Cæterum nullo accuſatorum comparere auſo, nec enim probare conficta crimina poterant; Synodo verò conteſtante quod olim in cauſa Marcellini, deinde in cauſa Symmachi Pontificum fuerat ab aliis Synodis pronunciatum, nemini de Summo Pontifice judicandi præter ipſum ſolum competere in terris poteſtatem; Leo ambone conſcenſo adhibito jurejurando, ſe illorum criminum quorum falſo accuſabatur profeſſus eſt innocentem, favente fauſtis acclamationibus omni populo. Poſt hæc de inſtaurando in occidente Romano Imperio in perſona Caroli cujus erant ampliſſima in Eccleſiam merita,

Digitized by Google

merita, quando Imperatores orientis omni ope & ſtudio ſanctam religionem peſſumdare atque Romanam Eccleſiam evertere contendebant, ſuum iſtud propoſitum conſcio nemine atque inſcio Carolo ipſo, paucis poſt diebus perfecit. Ipſo natalis Dominici die in Vaticana principis Apoſtolorum Baſilica Carolum piis precibus intentum inopinus invadens, capiti ejus coronam imponit: Elatáque voce Imperatorem Romanorum ſalutat & proclamat, ſuccLamante atque applaudente omni multitudine. Ipſeque Nicephorus Orientis Imperator cum Carolo fœdus iniit, ut orientis alter, alter Occidentis Auguſtus diceretur. Vittichindus belli Saxonici fax, cujus molitionibus & ductu toties bellum illud recruduerat, abdicatis idolis Chriſtianos ritus cum baptiſmo ſuſcipit. Eique Carolus non veniam tantum ſed etiam Angrianum ducatum dedit. Ab hoc plerique originem Capetiorum regum arceſſunt. Ludovicus Caroli filius quem pater Aquitaniæ regem dixerat in Hiſpaniam profectus Saracenos rebellantes collatis ſignis profligavit, Barcinonem aliáque Cataloniæ oppida expugnavit. Duobus etiam navalibus prœliis Francorum virtus enituit. Semel ad Sardiniam, iterúmque ad Baleares inſulas quibus Saracenorum Claſſes Mare latrociniis infeſtantes inſignibus victoriis deletæ ſunt, multis eorum navibus partim interceptis, partim depreſſis, reliquis in fugam verſis. His aliiſque ſucceſſibus quos dinumerare longum eſſet, Caroli magni & Francorum ſub illo virtutem & gloriam divina providentia in altiſſimum apicem evexit.

15. Idémque Princeps ubique magnus Chriſtianam religionem quácumque protenditur Europa longè latéque propagavit, Eccleſiam continua ſollicitudine ditavit, auxit, amplificavit. Eccleſiæ diſciplinam ubique ferè collapſam permultis convocatis Epiſcoporum Synodis reſtituit & mirificè ſtabilivit. Idem quoque ingenio præſtans & diſciplinis excultus, litteras & litteratos viros inſigniter ſtuduit promovere, tandémque Aquiſgrani diem clauſit extremum an. Chriſti 814. ætatis 72. regni 47. imperij 14. In Hiſpania rem Chriſtianam inſigniter promovit Gallæciæ Rex Alfonſus cognomine caſtus, tum quia cum uxore Berta Caroli magni ſorore continenter vixit, tum etiam quia ſuis de Saracenorum gente victoriis regnum ſuum infami tributo quinquaginta nobilium virginum & totidem plebeiarum quotannis exoluendo liberavit quod ejus præceſſor Maurogatus conſenſerat, liberavit an. Chr. circiter 784.

16. Sæculum illud ſcriptis illuſtrarunt Germanus Conſtantinopolis Patriarcha. Qui multa propter ſacras imagines & fecit egregiè & pertulit fortiter, theoriam ſcripſit rerum ſacrarum, aliáque nonnulla, mortem obiit in exilio pro Catholica fide anno 730. Joannes Damaſcenus Sanctitate & eruditione præſtans multa egregiè ſcripſit, quatuor de fide Orthodoxa libros in quibus univerſam Theologiam primus recta methodo complectitur, tres quoque doctiſſimas orationes pro ſacris imaginibus variáque opuſcula: ab Iconomachis Imperatoribus Leone Iſaurico & Conſtantino Copronimo plurima perpeſſus eſt. Venerabilis Beda presbyter Anglus multa egregiè lucubravit tum hiſtorica, ut ſunt Anglicanæ hiſtoriæ libri quinque, plurium ſanctorum vitæ, & Martyrologium, tum expoſitiones in multos ſacrorum ſcriptorum libros, tum ſermones tum tractatus diverſos. Hadrianus Papa primus præter diverſas epiſtolas eruditum edidit librum pro ſeptimæ Synodi defenſione, atque reſponſionem ad librum ad ſe à Carolo Francorum rege miſſum ex Concilio Francofordienſi. Paulus Diaconus à ſecretis erat Deſiderij Longobardorum Regis, everſóque per Carolum magnum illo regno ſeceſſit in Caſſinenſe Monaſterium, in quo Monachus piè & religioſe vitam duxit, ut tradit Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi l. 2. c. 17. Libros ſex procudit de Longobardorum geſtis & alia. Paulinus Aquileienſis Epiſcopus ſub Caroli magni regno auctor fuit libri adverſus Felicem & Elipandum de Sancta Trinitate. Albinus Alcuinus Anglus Bedæ diſcipulus in Gallias à Carolo magno acceſſitus ob eximiam eruditionem, ſcripſit librum de divinis officiis aliáque diverſa, Diaconi ordine contentus, recuſato per humilitatem ſacerdotio è vivis exiit anno 804. Floruit deſinente octavo & ineunte nono ſæculo Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui Chronicum ſeu brevem hiſtoriam à Mauricij Auguſti cæde ad Leonis & Irenes uſque nuptias perductum conſcripſit. Uſuardus Monachus natione Gallus Alcuini diſcipulus, juſſu Caroli magni accuratum ſatis & celebre Martyrologium in lucem emiſit. Marcellinus presbyter vir Apoſtolicus ſancti Suiberti cui comes & collaborator aſſiduus fuit vitam edidit; ad cujus relationem Suibertum Leo Papa tertius Canoni ſanctorum aſcripſit.



Digitized by Google

## *OECUMENICA SEPTIMA SYNODUS Nicæna ſecunda anno Domini 787.*

1. POSTQUAM à tribus Iconomachis imperatoribus Leone Iſauro, Conſtantino Copronymo & hujus Filio Leone continuis quinquaginta annis fædiſſimè vaſtatæ ſunt Orientales Eccleſiæ, & poſtquam tertius hic interiit ejus viduam Irenem Orthodoxam & Religionis amantem fœminam ſuſcitavit Deus, quæ ruinas Eccleſiæ repararet. Efferatum Graſſantémque Iſauricum Leonem Gregorius Papa ſecundus boni ſollicitíque Paſtoris munus obiés,à nefariis cæptis per litteras revocare conatus fuit, ſed impius Leo adverſus Pontificem ſuis nefariis conatibus adverſantem excandeſcens, Marino primùm Romanæ Civitatis Præfecto, deinde Paulo Patricio & Exarchæ, ſemel atque iterum in mandatis dedit ut Gregorium interficerent. Verùm comperto iniquiſſimo conſilio exercitus ipſi quos Imperator in Italia ſub ſtipendiis habebat non modo fortiter obſtiterunt, ſed etiam rebellionem Italiæque defectionem adverſus impium principem machinari ſunt. Optimus tamen Pontifex nihil intentatum reliquit ut Romam & reliquam Italiæ partem quam Longobardi non ſubegerant ſub officio & poteſtate Imperij contineret, ut Latini ejus ſæculi ſciptores fidem faciunt Paulus Diaconus, & Anaſtaſius, ipſæque luculenter probant Epiſtolæ Gregorij ad Urſum Venetiarum Ducem atque ad Leonem Auguſtum, ut obſervat Baronius ad annum 726. Cui hac parte major habenda fides quam Cardinali Bellarmino, qui Græcorum duorum quos profert Cedreni & Zonaræ ſcriptis deceptus, quibus Theophanes quoque adjungi potuit,affirmat l. 5. de Romano Pontifice c. 8. Gregorium II. ab Imperio Græcorum Italiam ſubtraxiſſe, eiſque ulterius tributa impendere vetaſſe. Cæterùm Græci hæretici pariter & Schiſmatici qui nec ea cernebant quæ in Italia gerebantur à Romano Pontifice, & defectionem tamen Italiæ experiebantur ad quam populos illos veſana Leonis pertinacia invito etiam Pontifice quem dirè inſectabatur adigebat, ſibi & aliis quibúſcumque perſuaſum eſſe volebant rebellaſſe Occidentem inſtigante Romæ quem averſabantur Epiſcopo. Leo ipſe hac defectione efferatus; collecta ingenti Claſſe & Pontificis & Italiæ molitur exitium: ſed Claſſem cum omni apparatu ad Adriaticum littus violenta exorta tempeſtas alliſit, aliíſque per multis calamitatibus ejus ferociam divina ultio repreſſit, Saracenorum deprædationibus, provinciarum rebellionibus, fame, penuriáque, peſtilentiis, & horrendis terrarum motibus eo uſque ut regiæ urbis ædes pene omnes publicæ privatæque integri anni aſſiduis concuſſionibus corruerint, ipſáque urbis mænia ſolo æquata fuerint: ipſéque tot malorum autor Leo diris excruciatus viſcerum torminibus infelicem tandem animam exhalavit.

2. Nec tamen ejus interitus atrocibus malis finem dedit, ejus quippe filius & regni ſucceſſor Conſtantinus Copronymus totum ſe magicis præſtigiis,Cacodæmonum invocationibus, & animarum evocationibus, & flagitiis execrandis, piorum quorumcumque inſectationibus addixit. Dei genitricis aliorúmque Sanctorum & imaginum ſacrarum cultum feralibus edictis,omníque crudelitate inhibuit. Ejus impietate & immanitate irritati populi Conſtantino rebellant, affinémque illius Artabaſdum Curopalatem deſignant Imperatorem. Nefarium Beſerem tot malorum authorem ſuaſorémque obtruncant, ſacráſque imagines priſtinis locis reponunt. Attamen comparato numeroſo exercitu Copronymus Conſtantinopolim terrâ marique obſidet, faméque ad extrema redactam ad deditionem compellit. Artabaſdo Curopalati oculos eruit, ejus liberos omnes trucidat, ne quis ex illa inviſa progenie ſcelerum ſuorum & ſacræ religionis vindex poſſet emergere, in reliquos perduelles crudeliſſimè ſævit. Quin etiam poſt excarnificatos immaniſſime cives ridiculum ſuæ veſaniæ ſpecimen erga ſibi ſemper fidum Pſeudopatriarcham Anaſtaſium quamvis ejuſdem ſecum impietatis fautorem exhibuit. Hunc enim aſello præpoſterè impoſitum & flagello per urbis compita cæſum, in thrónum Patriarchalem denuo collocavit.

3. Cum vero Romani Pontifices Concilia diverſa per Occidentem diverſis locis cogerent, ut malum in religionis exitium erumpens cohiberent, Copronymus Pſeudoſynodum trecentorum & triginta Præſulum Conſtantinopoli indixit qua in ſacras imagines conclamatum eſt.Interea Conſtantinus Monachus Pſeudopatriarcha ſucceſſor Anaſtaſij, ſatellitio Imperatoris ſtipatus, per forum,per Eccleſias,per omnis ſexus Monaſteria,per privatorum ædes concurſans imagines ubique ſcrutatur, quotquot ſuperant diripit, abradit, dejicit, effringit; eoſque qui habebant verberibus & carceribus mancipat, ſanctorum reliquias loculis erutas cum venerandis imaginibus, & Catholicorum libris, per fora ſucceſis rogis incendit. Ipſe vero Copronymus aliquot ſenatores & clariſſimos viros eo quod imagines coluiſſent aut occultaſſent duriſſimis nervis in medio foro cædi ad necem juſſit: Monachos etiam & Sanctimoniales raptari & excarnificatos trucidari. Qui vero cædibus ſuperfuerunt Monachos compulit pallio & cucullo exutos inire inceſta connubia, ſordidiſque artibus victum quærere. Inter milites diſtributa ſunt Monaſteria ne quod ſancti inſtituti veſtigium ſupereſſet, prædia vero & opes Monaſteriorum fiſco ſuo addixit.

4. Conſtantinum vero Pſeudopatriarcham tot ſcelerum facem & incentorem divina ultio proſecuta eſt. Cum enim nefarius Copronymus arcanum illi ſuum de abroganda Chriſti divinitate aperuiſſet, nec ille rem ſilentio occultaſſet, juſſus eſt per urbis vicos flagellari atque in ſordidiſſimo loco jugulari. Par etiam ultio in Copronymum incubuit cui pedes ardentibus anthracibus intumuerunt,tantóque æſtu totum ejus corpus exarſit ut vociferaretur infelix ſe inextinguibili traditum igni ob violatum Virginis Deiparæ nomen & cultum, cúmque eamdem honorifice coli juſſiſſet ſera tamen illius minime veniam meruit pœnitentia, ſed acerbiſſimo & horrendo interitu ad quæ migraret ſuplicia demonſtravit.

5. Succeſſorem Copronymus habuit Leonem Filium, qui Catholicum ſe initio ſimulavit, ubi vero ſuum ſtabili fundamento firmatum credidit Imperium, in apertam hæreſis profeſſionem ſe proripuit. Cum enim gemmarum cupiditate carbunculis

bunculis radiantem coronam quam in templo Mauricius Auguſtus olim Deo dedicaverat, inde ereptam capiti ſuo impoſuiſſet, eruperunt ex ſacrilego capite venenati carbunculi, ex quibus ardens exorta febris illum brevi extinxit, ut Theophanes, & miſcellæ hiſtoriæ ſcriptor Paulus Diaconus referunt.

6. Hic hæredem poſt ſe reliquit Conſtantinum ex Irene uxore ſuſceptum filium decennem, cujus mater Auguſta regimen ſuſcepit Imperij, cujus ſapienti regimine immanibus demum diuturniſque procellis diſcuſſis, pax optata novaque lux Orientis Eccleſijs refulſit. Catholicæ namque religionis ſtudioſiſſima Irene nihil antiquius habuit quam ut illam jacentem ſuſcitaret, regiamque civitatem multiplici anathemate involutam, & à reliqua Eccleſia divulſam reduceret. Cum autem Paulus abdicato Patriarchatu ſe ad ſpontaneam pœnitentiam in Monaſterium abdidiſſet, tam inſignis mutationis cauſam ſciſcitantibus Auguſtis reſpondit, quia Copronymi conciliabulo quo procuſum fuit adverſus venerandas imagines decretum, ſuam adjeciſſet ſubſcriptionem, & niſi pœnitentiâ ſcelus elueret, æterno foret ſupplicio damnandus. Qua permoti reſponſione Imperatores de optimo eligendo Patriarcha ſolliciti, Taraſium promovendum curarunt. Ille porro graviſſimum onus detrectabat, nec prius urgentibus Auguſtis acquievit quam fore pollicerentur ut legitimam Synodum ex Romani Pontificis conſenſu indicendam curarent.

7. Scripſit ergo literas ad Adrianum primum ejus nominis Papam Taraſius, quibus de piarum imaginum veneratione piè & eruditè diſſerit. Scripſere pariter ad eundem Conſtantinus & Irene rogantes ab eo Synodum indici, ad quam ſuos de more Legatoſ deſignaret. Jucundius Pontifici nullum afferri poterat nuncium. Itaque Petrum Archipresbyterum Baſilicæ Divi Petri, & alterum Petrum Abbatem Sancti Sabæ committit qui ſuo nomine Synodo præſint. Cæterùm adeo Conſtantinopoli hæreſis invaleſcebat ut ibi tumultus incredibiles iconomachi excitarint quos nec potuere ipſi Imperatores compeſcere. Igitur Nicææ habita eſt ſacra Synodus quæ Metropolis eſt Bithiniæ, priore omnium œcumenico Concilio jampridem celebris. Præſederunt Apoſtolici Legati, quibus aſſedit regiæ civitatis Patriarcha Taraſius, duoque monachi Joannes & Thomas cæterarum ſedium Orientis Patriarcharum Vicarij: cumque his trecenti quinquaginta Epiſcopi, multique cum delectis à ſe monachis Archimandritæ, conſeſſum Patrum Sanctitatis doctrinæque ſplendoribus decorantes, miſſique ab Imperatore compl[u]res Senatores. Geſta hæc ſunt anno Chr. 787. Coacta jam Synodo multitudo advenit Epiſcoporum, à quibus ſupplices oblati ſunt libelli veniam & reconciliationem rogantes, eo quod Copronymi Pſeudoſynodum approbaſſent: In his erat Gregorius Neocæſarienſis qui nefariæ Synodo interfuerat ut præſes & anteſignanus. Utramque in partem vibrata diu ſententia titubavit, ſed mitior demum prævaluit, quâ cunctis condonatum eſt, permiſſumque ut priſtinum unuſquiſque gradum & dignitatem obtineret. Lecta primum eſt Adriani epiſtola, cui honorificè ab omni Patrum cœtu acclamatum eſt.

8. Placuit ſubinde ut ex Sanctorum Eccleſiæ Doctorum libris depromptæ palam legerentur clara voce graviſſimæ ſententiæ & exempla, quibus religioſa imaginum veneratio aſſeritur, tanquam à ſanctiſſimis Patribus tradita, jam inde ab exordijs Eccleſiæ, continuoque Chriſtianorum uſu recepta, plurimiſque miraculis confirmata hæreditas. Quapropter omnium Patrum ſuffragijs ſancitum eſt ut in cunctis Eccleſijs alijſque honeſtis locis Chriſti Domini Sanctorumque imagines collocentur, ad piam memoriam, virtutumque imitationem in animis excitandam, tum etiam ut ipſi ſuis in imaginibus debito cultu honorentur: quandoquidem his delatus honor ad prototypum & exemplar refertur, quod illæ noſtris oculis & memoriæ repræſentant. Decretum pariter ut fideles debita veneratione Sanctorum reliquias proſequantur. Hiſque contradicentes hæretici declarantur, & anathemate feriuntur.

9. His ſanctiſſimè conſtitutis placuit in medium proferri Salvatoris effigiem & ab omnibus ſuppliciter procumbentibus adorari. Perlecta etiã ne quid deeſſet, examinataque ſedulò fuit Copronymi Conſtantini Synodus, ejuſque futiles rationes veriſſimis alijs & ſolidis everſæ, & quantum opus erat expoſita divinarum literarum teſtimonia, quibus gentium idola redarguuntur, & perſpicuè oſtenſum illa nihil cum ſacris imaginibus habere commune. Proinde damnata illa Synodus omnium conſenſione fuit, & pronunciatum anathema in Anaſtaſium, Conſtantinum, & Nicetam Pſeudopatriarchas. Ad ultimum alios duos & viginti canones pro conſtituenda Eccleſiæ diſciplina procudit. His ritè peractis Taraſius tranſmiſſis ad Adrianum literis rerum in Synodo geſtarum rationem reddidit, & confirmationem petijt. Ipſe vero Adrianus non modo Apoſtolica autoritate Synodum communivit ac approbavit, verum etiam ſcripto ad Carolum Magnum Occidentis Imperatorem libro ab aliorum criminationibus defendit.

10. Hujus Nicenæ Synodi canone 1. confirmantur ſex œcumenicæ quæ præceſſerant Synodi, ab eiſque damnatæ hæreſes iterum damnantur. Deinde can. 2. decernitur eum qui eſt ordinandus Epiſcopus certo promittere debere ſe ſacros Canones ſervaturum, & populo divina eloquia traditurum: & niſi firmiter hic promittat, nullatenus eſſe ordinandum. Chriſtus Jeſus Epiſcopis omnibus in perſona Apoſtolorum debitum præſcribit officium dum eos admonet eſſe debere lucem & ſal terræ. Quemadmodum enim fax accenſa dum alijs prælucet ſeipſam conſumit, & ſal ut à corruptione præſervet ſeipſum deſtruit & abſumit; ita debent Epiſcopi cæterique animarum paſtores proprijs renunciare commodis ut aliorum ſaluti invigilent, exemplum imitando ſupremi animarum paſtoris qui pro ſalute gregis ſui ſanguinem proprium vitamque ſacrificavit. Gregor. Nazianz. brevi ſententia Epiſcoporum munus concluſit. *Οὗτος ὅρος πάσης πνευματικῆς προστασίας, τὸ πανταχοῦ τὸ καθ' ἑαυτὸν παρορᾶν, πρὸς τὸ τῶν ἄλλων συμφέρον.* Hic omnis præfecturæ ſpiritualis finis eſt, ubique propria commoda negligendo, aliorum utilitati inſervire. S. etiam Papa Gregorius magnus homil. in Evang. Joannis 10. ad hæc verba: *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Primum* (inquit) *nobis eſt exteriora noſtra miſericorditer ovibus Chriſti impendere. Poſtremum vero ſi neceſſe ſit, etiam mortem noſtram pro eiſdem ovibus mini-*

*ſtrare. Sed cum incomparabiliter longè ſit melior anima quâ vivimus, quam terrena ſubſtantia quam exterius poſſidemus, qui non dat pro ovibus ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus eſt animam ſuam? Et ſunt nonnulli qui dum plus terrenam ſubſtantiam quam oves diligunt, meritò nomen paſtoris perdunt.* Hactenus Gregorius.

Can. III. *Omnem electionem quæ fit à magiſtratibus Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi irritam manere ex canon.3. Apoſt. dicente: Si quis Epiſcopus ſæcularibus magiſtratibus uſus per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur & ſegregetur, & omnes qui cum eo communicant. Oportet enim eum qui promovendus eſt ad Epiſcopatum ab Epiſcopis eligi, quemadmodum à Sanctis Patribus Nicææ decretum eſt in can.4. qui dicit Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Provincia conſtitui: Si autem hoc difficile fuerit vel propter urgentem neceſſitatem, vel propter viæ longitudinem, tres omnino eòdem convenientes, ijs quoque qui abſunt ſimul ſuffragium ferentibus & aſſentientibus per literas, tunc facere electionem: eorum autem quæ à ſe fiunt confirmationem dari in unaquaque Provincia Metropolitano.*

2. Can. IV. *Præco veritatis Paulus divinus Apoſtolus quemdam veluti canonem Epheſiorum Presbyteris imponens, vel univerſæ potius Sacerdotali multitudini ſic liberè dixit: Argentum vel aurum vel veſtem nullius concupivi, omnia vobis oſtendi quod oportet ſic laborantes infirmos ſuſcipere, dare beatum exiſtimans. Quocirca ab eo edocti ſtatuimus ne turpis lucri gratia Epiſcopo in mentem veniat, quærenti excuſationes in peccatis, aurum vel argentum vel ullam aliam ſpeciem, ab ijs qui ſibi ſubſunt Epiſcopis vel Clericis vel Monachis exigere. Dicit enim Apoſtolus: injuſti regnum Dei non poſſidebunt, nec debent liberi parentibus theſaurum parare, ſed parentes liberis. Si quis ergo per auri exactionem, vel cujuſvis alterius ſpeciei, vel propter propriam aliquam affectionem à miniſterio arcere inventus fuerit, vel ſegregare ſuorum Clericorum aliquem, vel venerandum templum claudere ne in eo divina fiant miniſteria, ad id quod non eſt ſenſu præditum ſuam inſaniam immittens, eſt revera ſine ſenſu & talionis legi obnoxius erit, & labor ipſius in caput ejus redibit, ut qui ſit mandati Dei & Apoſtolicarum traditionum tranſgreſſor. Præcepit enim & Petrus ſuprema Apoſtolorum ſummitas: Paſcite gregem Domini, Epiſcopatum gerentes non per vim ſed ſponte ac voluntarie ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed promptè & alacriter: nec ut dominatum Cleri habentes, ſed gregis exemplaria exiſtentes: & cum ſummus Paſtor apparuerit, quæ nec corrumpi nec marceſcere poteſt gloriæ coronam referetis.*

Hoc idem ſtatutum fuerat Calchedonenſi canon. 2. ſupervacaneum foret alios iſtiuſmodi ſimoniam damnantes canones referre, multiplices & innumeros. Eamdem proſequitur diſciplinam qui proximè ſequitur canon 5.

Can. V. *Eſt peccatum ad mortem quando peccantes aliqui manent incorrigibiles. Hoc autem eſt deterius quando & erecta cervice adverſus pietatem & veritatem inſurgunt, mammona Dei obedientiæ præferentes, & ejus canonicas inſtitutiones non ferentes. In his ergo non eſt Dominus Deus niſi fortè humiliati à ſuo delicto reſipuerint. Oportet enim eos magis Deo ſupplicare, & cum corde contrito hujus peccati remiſſionem & condonationem petere, & non de illicita donatione ſe jactare; Deus enim prope eſt ijs qui ſunt contrito corde Pſalm.33. Eos vero qui per auri dationem ſe fuiſſe in Eccleſia conſtitutos gloriantur, & in ea improba conſuetudine ſpem habent quæ à Deo & ab omni Sacerdotio alienat; & ideo impudente vultu & ore aperto, probroſis & contumelioſis verbis, eos qui propter actam ex virtute vitam à ſancto Spiritu ſelecti ordinatique ſunt præter auri dationem, proſcindunt ac vilipendunt; primum quidem eos qui hoc faciunt ultimum proprij ordinis gradum ſumere, ſin autem perſeveraverint inflictâ pœnâ corrigi quoque decernimus. Si quis autem in ordinatione hoc quandoque feciſſe viſus fuerit, fiat ut vult canon Apoſtolicus cap.38. qui dicit: Si quis Epiſcopus pecunijs ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in emptionem deduxerit, vel Presbyter vel Diaconus deponatur, & ipſe & qui ordinavit, & exſcindatur à communione, ut Simon Magus à me Petro. Et ſecundus Canon Sanctorum Patrum qui Calchedone convenerunt, qui dicit: Si quis Epiſcopus pecunijs ordinationem fecerit & non venalem gratiam in emptionem deduxerit, & pecunijs ordinaverit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in Clero enumerantur, vel pecunijs promoverit œconomum, vel defenſorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone turpis lucri gratia: qui hoc aggreſſus eſſe convincitur, proprij gradus id faciat periculo, & qui ordinatur, ex ea ordinatione vel promotione, quæ pretio dato inſtar mercaturæ facta eſt, nihil adjuvetur, ſed ſit alienus à dignitate vel munere ſeu curatione quam pecunijs aſſecutus eſt. Si quis autem rebus adeo turpibus & lucris illicitis interceſſor ſeu ſequeſter apparuerit, hic quoque ſi ſit quidem Clericus à proprio gradu excidat, ſin autem laicus vel Monachus ſegregetur.*

Can. VI. *Quoniam Canon Nicænus 5. dicit bis in anno in unaquaque Provincia per Congrega*

Digitized by Google

*congregationes Epiſcoporum fieri oportere quæſtiones Canonicas. Propter vexationem, & quod itineri perficiundo minus ſufficerent qui cogebantur, ſtatuerunt ſancti ſextæ Synodi Patres can.* 8. *ea omnino & quâcunque poſtpoſitâ causâ, ſemel in anno fieri, & delicta corrigi. Hunc ergo canonem nos quoque renovamus: & ſi quis Magiſtratus hoc prohibere inventus fuerit, ſegregetur. Si quis autem Metropolitanus hoc fieri non curaverit, preterquam vi vel neceſſitate & juſta aliqua de cauſa, canonicis pœnis ſubjiciatur. Cum autem de Canonicis & Evangelicis rebus fiat Synodus; opus eſt ut congregati Epiſcopi magnam curam & diligentiam gerant, ut divina & vivifica mandata ſerventur. In eis enim ſervandis eſt retributio multa: quoniam lucerna eſt mandatum, lex vero lux & via vitæ, probatio & diſciplina, & præceptum Domini illuminans oculos. Ne liceat autem Metropolitano ex ijs quæ ſecum affert Epiſcopus vel jumentum vel aliam rem petere. Si enim hoc feciſſe deprehenſus fuerit, reddet quadruplum.*

12. Can. VII. *Ait Paulus divinus Apoſtolus, quorumdam hominum peccata ſunt manifeſta, nonnullos autem conſequuntur. Præcedentibus autem peccatis alia quoque ea ſequuntur. Impiam ergo hæreſim eorum qui Chriſtianos accuſant, alia quoque impia ſequuta ſunt. Quemadmodum enim venerabilium Imaginum aſpectum ex Eccleſia ſuſtulerunt, alios quoque mores reliquerunt, quos quidem oportet renovari, & tam ex jure ſcripto quam ex non ſcripto ſic obſervari. Quæcunque ergo Templa conſecrata ſunt abſque ſacris reliquijs Martyrum, in his fieri ſtatuimus reliquiarum depoſitionem cum conſuetis precibus. Epiſcopus autem poſthac Templum conſecrans ſine Sanctis reliquijs, deponatur: ut qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreſſus eſt.*

Hæretici Iconoclaſtæ præter abolitionem ſacrarum Imaginum, eamdem ſibi quoque licentiam ad verſus venerandas Martyrum aliorumque Sanctorum reliquias indulſerunt. Vigilantium contra Sanctorum reliquias inſultantem refellit edito adverſus illum inſigni libro Sanctus Hieronymus. Vigilantij dogmata inſtauravit Conſtantinus Copronymus Iconomachus, qui ut ſcribit Suidas omnes ſacras Reliquias ubique deleri juſſit, & ſacra Martyrum lipſana è loculis & thecis eruta ignibus abſumpſit. Claudium quoque Taurinenſem Sanctorum reliquijs & imaginibus ſimul bellum indixiſſe perhibet Jonas Aurelianenſis lib. 1. de cultu Imaginum. Quâ utrâque dementiâ Vvicleffus, Lutherus, Calvinus alijque novatores præcipites aguntur.

13. Ad ſacrum venerandarum Reliquiarum cultum aſſerendum vetera Concilia aliaque Sanctorum Eccleſiæ Doctorum teſtimonia unanimiter conſpirant. Iſtud ipſum quod explicamus Nicænum Concilium ſecundum actione 3. vocat reliquias fontes ſalutares ex quibus permulta Dei in homines beneficia diffunduntur. Et actione 7. jubet deponi Clericum, & Laïcum excommunicari qui reliquias Martyrum deſpectui habet nec ut rei ſacræ religioſum honorem defert. Similiter Concilium Carthaginenſe V. can. 14. jubet ut nulla altaria vel memoriæ dedicentur niſi ſint ibi aliquæ Martyrum reliquiæ; utque aliter dedicata evertantur. Concilium item Gangrenſe can. ult. anathema intorquet in eos qui Martyrum memorias, id eſt, loca in quibus exiſtunt Martyrum reliquiæ averſantur. Concilium Bracarenſe III. can. 5. ſancit in communibus ſupplicationibus thecam qua Sanctorum pignora includuntur manibus Epiſcoporum aut aliorum Sacerdotum publicè geſtari, populi parte præcedente & alia ſubſequente. Concilium Epaonenſe can. 25. vetat reliquias Sanctorum in Eccleſia collocari, ubi non ſunt Clerici qui ſacris pignoribus pſallendi frequentia famulentur. Simili vero pompâ & apparatu Hieronymus contra Vigilantium, fidem certam facit tempore magni Conſtantini tranſlatas Conſtantinopolim Sanctorum Andreæ, Lucæ & Timothei ſacras reliquias; & Imperante Arcadio tranſlata fuiſſe Samuelis oſſa tanto honore ut in vaſe aureo Epiſcoporum humeris geſtarentur, tanta comitante populorum frequentia ut à Palæſtina Calchedonem uſque jungerentur populorum, & pſallentium Clericorum examina. Auguſtinus lib. 9. Confeſſio. cap. 7 & lib. 22. de Civitate Dei cap. 8. Se præſente & inſpectore refert ab Ambroſio per divinam revelationem educta fuiſſe Sanctorum Chriſti Martyrum Gervaſij & Protaſij quæ diu in obſcuro & incognito loco delituerant: & inſpectante magnâ populi frequentiâ cœcum hominem viſum recepiſſe. Quo eodem loco innumera miracula refert palam edita per ſacras Stephani martyris reliquias in Africam ex Palæſtina delatas. Res quoque eſt teſtatiſſima, & extra omnem dubij aleam poſita quam referunt Rufinus lib. 2. cap. 33. Chryſoſtomus homil. contra Gentiles de Reliquijs ſancti Babylæ martyris, & Sozomenus lib. 7. cap. 10. Cum enim in Antiocheno ſuburbio Dæmon oracula ad populos decipiendos redderet, tum demum Chriſtianis viſum eſt ſancti Babylæ oſſa eòdem transferre: quo facto cacodæmon oracula fundere deſijt: quod indignè ferens perfidus fidei Chriſtianæ deſertor Julianus Imperator juſſit Martyris ſacra oſſa inde in urbem Antiochenam tranſportari; hoc ſibi perſuadens fore ut oracula quæ ad Martyris præſentiam ſiluerant reſtituerentur. At contra factum eſt, cœleſti namque igne de ſurſum lapſo, & fanum & idolum abſumpta ſunt. Alia ſuppetunt innumera Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ nullius quantumvis ſedula diligentia exhaurire poſſit. Sufficiet pro coronide quæ de duobus alijs martyribus Sanctus refert Eccleſiæ Doctor Ambroſius ad finem ſerm. 93. de duobus Sanctis Nazario & Celſo martyribus. *Quod ſi dicas mihi, quid honoras in carne jam reſoluta atque conſumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate*

*rennitate virtutis, honoro per confeſſionem Martyris ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina æternitatis, honoro corpus quod mihi oſtendit Dominum diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro? honoro itaque corpus quod Chriſtum honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cœlo.*

14. Canon VIII. *Quoniam Hebræorum religionis quidam errantes Chriſtum Deum noſtrum ſubſannare viſi ſunt, ſeſe Chriſtianos eſſe fingentes, ipſum autem clanculum & occultè negant, Sabbata obſervantes, & alia Iudaica facientes: ſtatuimus ut neque ad communionem, neque ad orationem, neque ad Eccleſiam admittantur, ſed apertè ſint ſecundum ſuam religionem Hebræi; & neque filios eorum baptizari, neque ſervum ab eis emi vel poſſideri. Sin autem ex pura & ſincera fide quis eorum converſus, & ex toto corde confeſſus fuerit, eorum moribus & rebus inſultans, veluti triumphum agens, ut & alij refellantur & corrigantur; tum recipi & baptizari & ejus liberos, & cautos reddi ut ſe ab Hebræorum ſtudijs & inſtitutis abſtineant. Si autem non ita ſe gerant, eos nullo modo admitti.*

Sanctus Papa Gregorius occaſiones captans infideles ad Chriſtianam religionem pelliciendi conqueritur de Januario Caralitano Epiſcopo hac de re, quod ruſticos adhuc Paganiſmum profitentes permittat eſſe prædiorum Eccleſiæ quæ in Sardinia ſunt locatores & mercenarios colonos. *Et quid inquit vos admoneo ut ad Dominum extraneos adducatis qui veſtros ab infidelitate negligitis corrigere? Unde neceſſe eſt vos per omnia in eorum converſione vigilare. Nam ſi cujuſlibet Epiſcopi in Sardinia inſula Paganum ruſticum invenire potuero, in eodem Epiſcopo fortiter vindicabo. Iam vero ſi ruſticus tantæ fuerit perfidiæ & obſtinationis inventus, ut ad Dominum venire minimè conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.* Hæc epiſtola habetur 16. lib. 3. Pari etiam ratione agendum cenſebat erga Judæos ut ex ejus epiſtola liquet ad Cyprianum Diaconum, & rectorem patrimonij Siciliæ quæ eſt 6. libri quarti, in qua eum hortatur ut Manichæos qui poſſeſſiones Eccleſiaſticas colunt ſummopere perſequatur, & ad fidem Catholicam revocet. His iſta quoque ſubjungit de Hebræis: *Pervenit ad me eſſe Hebræos in poſſeſſionibus noſtris qui converti ad Dominum nullatenus volunt. Sed videtur mihi ut per omnes poſſeſſiones in quibus ipſi Hebræi eſſe noſcuntur, epiſtolas tranſmittere debeas, eis ex me ſpecialiter promittens quod quicunque ad verum Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum ex eis converſus fuerit, onus poſſeſſionis ejus ex aliqua parte imminuetur.* (Nec multo poſt) *Nec hoc inutiliter facimus, ſi pro levandis penſionum oneribus, eos ad Chriſti gratiam perducamus: quia etſi ipſi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de ijs nati fuerint jam fidelius baptizantur. Aut ipſos ergo aut eorum filios lucramur. Et ideo non eſt grave quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus.* Ab utroque tam à Gregorio Papa quam ab œcumenica Synodo laudabilis haud dubiè intenditur finis. Synodus quidem huc maximè collimat ne per ementitam & ſimulatam converſionem (ut non rarò fit) Judæi Eccleſiam decipiant, neve ſacrilegi & infideles ad Sanctorum communionem admittantur. Pontifex vero Gregorius de filiorum ab Hebræis natorum ſalute magis eſt ſollicitus, & cum de internis & cordium occultis Eccleſia non judicet, hoc tamen poſt debitam & ſufficientem explorationem parentum ſinceram mentem dum baptiſmum poſtulant, pleniоremque in Chriſtiana Eccleſia inſtitutionem, facilius præſumit eſſe ſinceram, nihilque ſubeſſe fraudis aut fictionis. Hoc ipſum quoque Gregorij inſtitutum laudat Joannes Diaconus ejus vitæ lib. 2. cap. 47. & 48.

15. Can. IX. *Puerilia omnia ludibria furioſaque ac inſana dicta & ſcripta quæ adverſus ſanctas Imagines edita ſunt oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut cum reliquis libris hæreticis reponantur. Si quis autem hæc celare inventus fuerit, ſi ſit quidem Epiſcopus aut Presbyter vel Diaconus deponatur: ſin autem laicus vel Monachus ſegregetur.*

Imperatores Theodoſius & Valentinianus l. damnato. Cod. de hæretic. & Manich. diſtrictè prohibent libros hæreſiarchæ Neſtorij haberi aut legi aut deſcribi, jubentque diligenti ſtudio requiri ac publicè comburi. Et ibid. l. ex Manichæo pœnas decernit in habentes Manichæorum libros, nec manifeſtantes ad hoc ut comburantur. Et Nicolaus Papa I. ad conſulta Bulgarorum Reſpon. 103. libros falſæ religionis haberi aut retineri vetat, ſed flammis tradi jubet. Huc ſpectat Tridentini Concilij decretum de indice librorum prohibitorum ſeſſ. 25. Refert Joannes Moſchus in ſua Lauſiaca hiſtoria ſe cap. 46. cum acceſſiſſet ad Cyriacum Presbyterum & Abbatem Lauræ ad Jordanis fluenta ſitæ, ſibi apparuiſſe Dei genitricem Mariam Auguſtiſſima ſpecie retuliſſe, extra cellam duobus ſibi adjunctis comitibus Joanne Baptiſta & Evangeliſta: cumque Abbas ſupplex rogaret ut intra cellam ſuam ingredi dignaretur, negaſſe illam eo quod adverſarium ſuum intus incluſum haberet. Tum vero Cyriacum animo graviter anxium cum ſolus in cella habitaret, formidaſſe num ipſe fuiſſet nomine adverſarij à ſanctiſſima Virgine deſignatus: cumque animo angeretur nec tamen recordari poſſet cujuſnam offenſæ reus apud eam eſſet, ad leniendum conceptum animo mœrorem cœpiſſe librum mutuo ante aliquot dies ab Heſychio Ieroſolymitanæ Eccleſiæ Presbytero acceptum, quem evolvendo invenit adjunctos duos impij Neſtorij libros; qua perſpecta re, credidit de hoc adverſario conqueſtam fuiſſe Virginem Mariam: neque diſtulit illum ad Presbyterum à quo acceperat, comportare, eique quid

quid ſibi accidiſſet enarrare. Quo audito ille ab eo volumine duos Neſtorij libros excidit eoſque igni tradidit dicens, non manebit in cella mea ſanctæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ inimicus.

16 Can. X. *Quoniam nonnulli Clerici canonicam conſtitutionem prætergredientes ſuâ relictâ parœciâ in alias parœcias excurrunt, ut plurimum autem in hanc à Deo cuſtoditam & imperatoriam urbem, & apud Principes aſſident, & in eorum oratorijs divina miniſteria faciunt, eos ſine proprio Epiſcopo non licet in quavis æde vel Eccleſia recipi: Si quis autem hoc fecerit & perſeveraverit, deponatur. Quicunque autem cum prædictorum Sacerdotum conſenſu hoc faciunt, non licet eis curas ſæculares & mundanas ſuſcipere, ut qui ſint à canonibus prohibiti hoc facere. Si quis autem eorum qui majores id eſt curatores appellantur, curationẽ obtinere deprehenſus fuerit, vel ceſſet, vel deponatur: potius autem ſe offerat ad docendos filios & ſervos legens eis divinas Scripturas. Ad hoc enim etiam Sacerdotium ſortitus eſt.*

Duæ res iſto canone prohibentur, primum ne injuſſu proprij Epiſcopi Clericus extra propriam diœceſim excurrat, aut ad Eccleſiaſtica miniſteria ullibi recipiatur. Alterum ne Clerici negociationibus aut profanis miniſterijs ſe addicant. Quod primum eſt de Clericorum excurſionibus abſque licentia proprij eorum Epiſcopi ſtatutum fuerat Nicæni primi Concilij canonibus 5. & 16. Itemque Sardicenſibus can. 18. & 19. aut ſecundum Græcam editionem can. 15. & 16. & Antiochenæ Synodi can. 3. & inſuper Calchedonenſis can. 5. can. 13. can. 20. & can. 23. Præterea que Laodicæno can. 42. relato in diſt. 5. de conſecr. c. non oportet 36. his accedat Apoſtolorum can. 13. & 15. Altera demum pars de ſæcularibus negotijs aut profanis miniſterijs quæ Clericis interdicuntur habetur Apoſtolorum can. 7. præterea can. Apoſt. 20. Clerici vetantur pro alijs fidejubere. Concilium quoque Carthaginenſe III. canone 15. hæc decernit *Item placuit ut Epiſcopi vel Presbyteri vel Diaconi vel Clerici non ſint conductores neque procuratores, neque ullo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant, quia reſpicere debeant ſcriptum eſſe ab Apoſtolo: nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſæcularibus.* Idem ſtatuitur Calchedonenſi can. 4. & Arelatenſis II. Concilij can. 14.

17. Can. XI. *Cum omnes ſacros Canones cuſtodire teneamur, & eum qui ſtatuit in unaquaque Eccleſia œconomos eſſe, inviolabilem modis omnibus cuſtodire debeamus. Et ſi quidem unuſquiſque Metropolitanus in ſua Eccleſia conſtituerit œconomum bene utique habet: ſin autem, ex autoritate propria Conſtantinopoleos Epiſcopo licentia eſt praeponendi œconomum in ejus Eccleſia: ſimiliter & Metropolitanis, ſi Epiſcopi qui ſub ipſis ſunt non ſategerint œconomos ſtatuere in ſuis Eccleſijs. Idipſum autẽ ſeruandũ eſt etiam in Monaſterijs.*

Porro loco iſto allegatus canon eſt num. 26. in Concil. Calchedonenſi cujus hæc ſunt verba: *Quoniam in nonnullis Eccleſijs ut ſæpe à nobis auditũ eſt, Epiſcopi abſque œconomo tractant res Eccleſiaſticas, placuit omnem Eccleſiam Epiſcopum habentem ex proprio Clero œconomum habere: ut nec ſine teſtibus ſit Eccleſiæ adminiſtratio, nec ideo res ejus diſſipentur, & probrum atque dedecus Eccleſiæ inuratur. Si autem hoc non fecerit, eum divinis etiam canonibus ſubjici.* Legitur etiam apud Gratianum c. quia in quibuſdam diſt. 89. Antequam Eccleſiarum œconomi fuiſſent inſtituti facillimum Epiſcopis erat proventus Eccleſiarum expilare. Siquidem Apoſtolis aſcriptus can. 8 . omniũ Eccleſiæ proventuum curam Epiſcopis addixit cujus hanc profert rationem, quia cum illis animarum cura committatur, non eſt eis diffidendum in temporalium adminiſtratione. Quæ eadẽ ſanctio & ratio iteratur per can. 24. Antiocheni ſub Julio Papa celebrati Concilij. Quia tamen periculoſum eſt ei qui nulli ſit rationi obnoxius opes Eccleſiæ credere, tutius & cautius poſterior Eccleſiæ diſpoſitio œconomos eligi voluit ad temporaliũ Eccleſiæ rerum curam & diſtributionem qui ſint ὑπεύθυνοι hoc eſt reddendis geſtionis ſuæ ratiocinijs obnoxij.

Can. XII. *Si quis Epiſcopus vel Monaſterij Præfectus inventus fuerit ex Epiſcopatus vel Monaſterij agris, in Principis alicujus manus alienare, vel alteri perſonæ tradere, nullius momenti ſit traditio, ut SS. Apoſtolorum vult can. 39. qui dicit. Omnium rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus curam gerat, & ea adminiſtret tanquã Deo intuente. Ne liceat autem ex eis quidquam ſibi vendicare, vel proprijs cognatis quæ Dei ſunt elargiri. Si ſint autem paupere., & pauperibus ſuppeditet: ſed non eorum prætextu res Eccleſiæ venundet. Sin autem detrimentum Eccleſiæ afferre cauſetur, ne quidquam ex agro emolumenti percipi, nec ſic quidem Principibus qui ſunt eo loco alienet prædium, ſed clericis vel agricolis. Sin autem improba aliqua calliditate utentur, & à clerico vel agricola princeps agrum emerit, ſic quoque nullius ſit momenti venditio, & Epiſcopatui vel Monaſterio reſtituatur. Porro Epiſcopus vel Monaſterij Præfectus qui hoc fecerit, exturbetur quidem Epiſcopus ab Epiſcopatu, Monaſterij vero Præfectus à Monaſterio, ut qui male diſſipent quæ non congregaverunt.*

Can. XIV. *Quod ordo in Sacerdotio verſatur eſt omnibus manifeſtum, & Sacerdotis munera exacte ſervare Deo gratum eſt: quoniam vero videmus nonnullos à pueris tonſuram Cleri accipientes nondum vero accepta Epiſcopi manuum impoſitione in cõgregatione e ſuggeſtu legentes, & id non canonice facientes, hoc à præſenti canone fieri non permittimus. Hoc ipſum autem etiam in Monacho ſervari, lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio Monaſterio tantum unicuique Monaſterij Præfecto facere, ſi ipſi Præfecto ſcilicet ab Epiſcopo adhibita ſit manus impoſitio ad Abbatialem dignitatem,*



Digitized by Google

*dignitatem, dum ſit & ipſe Presbyter. Similiter & ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos Epiſcopi permiſſu oportet lectores ordinare.*

Habetur etiam in c.quoniam diſt.69. hic obſerva vetus privilegium Abbatum conſecratorum circa Minorum Ordinum, erga ſubditos Monachos collationem.

18.Can.XV.*Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Eccleſijs non collocetur: hoc enim eſt negociationis & turpis lucri proprium & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Ab ipſa enim Domini voce audivimus non poſſe quempiam Dominis duobus ſervire, vel enim unum odio habebit & alterum diliget, vel unum ſuſtinebit & alterum contemnet. Vnuſquiſque ergo (ut vox eſt Apoſtolica) in eo in quo vocatus eſt debet manere, & in una Eccleſia aſſidere. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in Eccleſiaſticis negotijs, ea à Deo ſunt aliena. Ad hujus autem vitæ uſum ſunt diverſa ſtudia. Ex ijs ergo ſi quis velit ea quæ ſunt corpori ad uſum neceſſaria comparet. Dixit enim Apoſtolus uſui meo, & ijs qui mecum ſunt ſubminiſtraverunt manus meæ. Et hoc quidem in hac cuſtodita à Deo civitate. In ijs autem quæ extra ſunt locis propter hominum inopiam permittatur.*

Refertur à Gratiano c. Clericus 21. q.1. hoc idem ſanciverat Calchedonenſis Synodi can.10. interdicens ne quiſquam Clericus duarum civitatum Eccleſijs adſcribatur. Pari ratione cavetur in Concilio Agathenſi can.57. & in Epaonenſi can.9. & in generali Lateranenſi IV. ſub Innocent.III. can.29. & in Tridentino ſeſſ.7.cap.4. & ſeſſ.24.c.17.nec non in c.unum Abbatem 21.q.1. ne unus duabus Eccleſijs Clericus,& ne unus duobus Monaſterijs præficiatur Abbas. Jus quoque civile non permittit duplicem in uno militiam, ſeu duobus mereri cingulis aut ſtipendijs, l.his quidem C. qui militare non poſ. lib 12. ſed hanc ex re nata quæſtionem paulo dilucidius diſcutiamus.

19. Canonum periti duplicem norunt plurium præbendarum ſeu beneficiorum incompatibilitatem, primi ſcilicet generis & ſecundi. Incompatibilitas primi generis ea eſt ut ſecundo per pacificam poſſeſſionem obtento beneficio, primum reipſa vacet ſtatim, c. de multa de præben. & extrau. execrabilis eod. tit. in communib. & c.literas de conceſſ. præben. & c.cum in cunctis 7. §.cum vero de electio. Secundi generis incompatibilitas ea eſt qua ſimul nequeant licitè plura teneri beneficia niſi accedat rationabilis diſpenſatio Superioris, id eſt quæ juſtâ cauſâ nitatur: nec ideo tamen vacant priora beneficia per poſterioris adoptionem, quamvis nulla fuerit impetrata diſpenſatio; & præterea horum alterum poſſit congruum victum proviſo ſuppeditare. Etenim ſi ſingula non ſufficiant honeſtæ ſuſtentationi, poſſunt duo ſimplicia beneficia licitè citra diſpenſationem poſſideri juxta iſtud Tridentinum decretum ſeſſ.24.cap.17. *Statuit ſancta Synodus ut impoſterum unum tantum beneficium ſingulis conferatur: quod quidem ſi ad vitam honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliquod ſimplex beneficium? dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat eidem conferre.* Atque iſte ipſe quem exponimus Nicænus canon diſertè ea de cauſa extra urbem Imperialem poſſe pluribus Eccleſijs Clericum unum addici docet. Conſtantinopoli quippe facilius eſſe Clericis citra plurium præbendarum poſſeſſionem vitam honeſtè tueri, ſive ut indicat apud procerum familias ſacra miniſteria domi vel in agro ex venia Epiſcopi celebrando, ſive filiorum aut famulorum inſtitutioni tum ad bonas literas tum ad pietatem operam navando, excluſis tamen omnino ſæcularibus præfecturis aut vilioribus obſequijs, ſive demum aut publicè aut privatim honeſtas ſcientias & diſciplinas edocendo, ſive xenodochijs alijſque pijs domibus, aut etiam ſanctimonialium cœnobijs ſacram Præfecturam exercendo, ſive denique Apoſtolico Pauli exemplo proprijs manibus honeſtè laborando.

20. At vero ad primi generis incompatibilitatem pertinent duæ ſimul dignitates ut duo Epiſcopatus, duo Decanatus, aut unus Decanatus cum Præpoſitura ſimul vel cum Archidiaconatu. Item plures Parochiæ aliave curata Sacerdotia. Præterea plures in eadem Eccleſia perſonatus aut dignitates etiam citra curam animarum: Denique plures ſub eodem tecto uniformes præbendæ, ut ſunt duo Canonicatus quantumvis ſimplices c. literas de conceſ. præben. Iſta quoque incompatibilitas extenditur ad Epiſcopum qui ſtatim atque conſecrationem ſuſcepit & bonorum Epiſcopalium fructu gaudet (non enim hic Epiſcopi comprehenduntur merè titulares nec Epiſcopalium proventuum proprietate perfruentes) aut etiam elapſo tempore quod Canones conſecrationi Epiſcopali præfixerunt, amittit illicò jure ipſo quæcumque prius habebat beneficia, niſi Apoſtolicæ diſpenſatione Sedis fuerit præmunitus, c. cum in cunctis 7. §. cum vero de electio. Sed ſi pauper ſit Epiſcopus, poterit ei adhuc poſt conſecrationem ſimplex aliquod conferri beneficium. Tametſi enim quæ prius tenuerat amittat, non eſt tamen ad poſteriora ſimplicia inhabilis ut docent Martinus Navarra, Leſſius, alijque communiter. Nec tantum circa prædicta verſatur prima illa beneficiorum incompatibilitas inducens ipſo facto priſtini quo quis fuerat proviſus beneficij vacationem, ſed etiam circa Curatum beneficium cum alijs ſimul quæ quamvis ſimplicia ſint reſidendi tamen obligationem annexam habent; qualia ſunt quæ juriſdictionem annexam habent vel chorum,ut ſunt Canonicatus niſi his unita ſit Cura per Vicarium ab Epiſcopo approbatum & titularem exercenda. Verumtamen ſi contingat Curatum beneficium minimè ſufficere ad convenientem ejus qui proviſus fuit ſuſtentationem, poteſtatem habet collator abſque alia diſpenſatione conferendi ei qui proviſus eſt ſimplex aliquod beneficium reſidentiæ non alligatum juxta Tridentinam definitionem ſeſſ.24. cap. 17. Sapienter vero docet Angelicus Doctor Aquinas quodlib.9. artic.15. Quædam rerum genera eſſe ex ſe mala ut nullâ circunſtantiâ poſſint à malo excuſari, quale eſt adulterium. Alia mali quidem ſpeciem habentia

quæ

Digitized by Google

quæ tamen adhibitis debitis circumſtantijs bona ſint. Hujuſmodi eſt homicidium, quod tamen ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, id eſt neceſſariæ, aut in reipublicæ utilitatem & ſecundum leges, bonum eſt. Et ſub hoc genere collocat S. Thomas beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitatem. Alia denique neque per ſe mala ſunt neque mali ſpeciem habent ſed ſolam ad bonum aut ad malum indifferentiam, ut ambulare, loqui, dormire.

Can.XVI. *Omnis luxus & ornatus corporeus eſt à Sacerdotali ſtatu alienus; Epiſcopum ergo vel Clericos qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, corrigere oportet, ſin autem permaneant, pœnæ ſubjici: ſimiliter & eos qui ſunt unguentis delibuti. Quidquid enim non propter uſum ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur, in malitiæ reprehenſionem incurrit ut ait magnus Baſil. A ſuperioribus enim uſque temporibus, omnis vir Sacerdotalis cum moderato & honeſto veſtimento induebatur: Sed nec ex ſericis texturis variatam quis veſtem habebat, neque in extremis veſtibus adjecta erant alieni coloris addimenta. Ex divina enim lingua audierunt quod qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.*

Legitur in Decreto c. omnis inſtantia 2. q.4. Notiſſimus eſt Concilij Carthaginenſis IV. canon 45. *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu ſuo probet, & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Superius require can.1. Narbonenſis Concilij anni 589.

21. Can.XVII. *Quidam Monachi ſuis Monaſterijs relictis, ut qui imperare deſiderent & parere recuſent, oratoria ædificare aggrediuntur, cum ea non habeant quæ ad perfectionem pertinent. Si quis hoc ergo facere aggreſſus fuerit, prohibeatur ab ejus loci Epiſcopo.*

Licentia illa indiſcreta qua tunc temporis laborabant ambitioſi Monachi ſubeſſe renuentes, & præeſſe ambientes, jam noſtris temporibus ad Moniales ita pervaſit, ut cum nequeant Prælati pacem inter eas conciliare ac ſedare diſcordias & partialitates, quas mutua regendi æmulatio accendit, nullum aliud ſuperſit remedium, præter novas parthenonum fundationes, quas quotidie videmus peſſime ſuccedere, atque ad ſuppreſſionem terminari propter rerum omnium temporalium inopiam victuſque neceſſarij penuriam, quam auget mala temporalium adminiſtratio ac potius diſſipatio; vel etiam ob novas inter naſcentes regendi ambitiones, ob quas neceſſe judicatur eſſe remedium novas quærendi ſedes ne diſſenſiones in immenſum excreſcant; & ſic multiplicantur improvidæ fundationes, & verificatur Iſaiæ vaticinium *multiplicaſti gentem ſed non magnificaſti lætitiam.*

22. Can.XVIII. Sine offenſione eſſe etiam ijs qui extra ſunt inquit divinus Apoſtolus, 1. Cor. 10. Mulieres autem in Epiſcopijs vel Monaſterijs verſari eſt omnis offenſionis cauſa. Si quis ergo ancillam vel liberam in Epiſcopio poſſidere deprehenſus ſit, vel in Monaſterio ad miniſterium aliquod obeundum, puniatur: ſin autem perſeveret, deponatur.

Can.XIX. *Tanta execrabilis avaritiæ labes Eccleſiarum Præfectos invaſit, ut nonnulli horum virorum ac mulierum qui pij ac religioſi dicuntur Dominici mandati obliti fallantur, & eos qui ad Sacerdotalem ordinem aut ad vitam Monaſticam accedunt, pecunijs admittant: & quorum reprobum eſt conſilium, univerſum quoque rejiciendum efficitur ut ait magnus Baſilius; nec enim licet Deo ſervire & mammonæ. Si quis ergo inventus fuerit hoc facere, qui hoc facit ſi ſit quidem Epiſcopus, vel Monaſterij Præfectus vel ex Sacerdotali ordine vel ceſſet vel deponatur ut vult ſecundus canon Calchedonenſis Synodi. Sin autem Monaſterij præfecta, à Monaſterio extrudatur, & alij Monaſterio tradatur ad ſubjectionem. Similiter & Monaſterij Præfectus qui Presbyterij ordinationem habet. De ijs autem quæ dantur liberis à parentibus inſtar dotis: vel de rebus ſuis proprijs oblatis profitentibus ijs qui ea offerunt eſſe Deo conſecrata, ſtatuimus ut ſive maneant ſive exeant, ea in Monaſterio maneant, ut fuit eorum profeſſio, niſi is qui præeſt in culpa fuerit.*

Inferius requirito canones 63. & 64. Concilij quarti Lateranenſis generalis ſub Innocentio III. & ſubjectam eidem Concilio diſſertationem noſtram de pactionibus ſimoniacis in Monaſteriorum ingreſſu.

23. Can.XX. *A præſenti ſtatuimus non fieri duplex Monaſterium, quoniam hoc fit multis ſcandalum & offenſio. Si quis autem volunt cum cognatis mundo renunciare & vitam ſequi monaſticam, viros quidem oportet in virorum Monaſteria diſcedere, fœminas autem ingredi in mulierum Monaſteria: hoc enim eſt Deo acceptum. Quæ autem hucuſque duplicia fuerunt, ſerventur ſecundum canonem ſancti Patris noſtri Baſilij, & ſecundum ejus conſtitutionem ita regantur. In uno autem Monaſterio ne verſentur monachi & Monachæ. Adulterium enim media converſatione ineſt. Nec monachus liberè cum monacha, nec monacha cum monacho ſeorſum confabuletur, nec curet monachus in fœminarum Monaſterio, nec cum monacha ſeorſum comedat. Et quando quæ ſunt vitæ neceſſaria à parte virorum ad regulares fœminas deferuntur, extra portam hæc accipiant Monaſterij muliebris Præfecta cum aliqua anu monacha. Si autem eveniat ut aliquam velit cognatam monachus aſpicere, præſente Præfecta cum ea colloquatur exiguo & brevi ſermone, & mox ab ea recedat.*

Duplex Monaſterium canone iſto prohibitum duo comprehendebat contigua Monaſteria unum monachorum alterum monialium, inſtituto invicem mutuaque adminiſtratione ac directione colligatorum, in quibus contiguitas illa ſuperflua



Digitized by Google

colloquia, & eo periculoſiora quo erant occultiora fovere ſolebat. Magnus vero Baſilius Monaſticæ diſciplinæ pater ac legiſlator in hujuſmodi minimè neceſſaria diverſos inter ſexus colloquia quam rariſſima & breviſſima eſſe præcipit, atque ex his ſeu peſtiferis fontibus omnem depravationem morumque relaxationem ſcaturire admonet dicens in libro conſtitutionum Monaſticarum cap.3. *Quocirca fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congreſſiones ſunt & collocutiones: neque ad eas unquam accedendum niſi cum graviſſima nos aliqua ad eas neceſſitas impellit, ut aliter facere non poſſimus. Atque ipſa etiam ubi nos neceſſitas adegeris, ab ipſis non ſecus atque ab igne cavendum eſt, adeout quam ocyſſimè nullâ morâ ab iſtis nos extricemus. Animadverte enim quid de hac re ſapientia dicat: Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas ut non comburantur plantæ ejus?* Idemque cap.11. hujuſmodi converſationes non aliter metitur quam verborum ad virtutes parandas utilitate, aut rei opportunè gerendæ neceſſitate ἢ περὶ ἀρετῆς ἐν καιρῷ διαλεχθῆναι ἢ πρὸς τὸ ἐπισπεῦσαί τι καὶ κατεπείγουσαν χρείαν τοὺς λόγους ποιεῖσθαι. Qui autem in alio quovis genere ſermones verſentur, ij rejici tanquam ſupervacanei ac inutiles debent, τοὺς δὲ λοιποὺς ὡς περιττοὺς καὶ ἀνωφελεῖς παραιτεῖσθαι λόγους. Huc pariter ſpectant ad evitanda periculoſa conſortia regulæ iſtæ magni Baſilij, non habeat Monachus ad Monacham aditum, vel Monacha ad Monachum ſecretò ad colloquium. Et non cubet Monachus in muliebri Monaſterio, etſi contigerit ut aliquam propinquam ſuam videre velit Monachus, in præſentia præfectæ huic colloquatur per modica & compendioſa verba, & in brevi ab ea diſcedat. Videte ſuperius alia huc pertinentia, ad can.28. Concilij Agathenſis jubentem diverſorum ſexuum Monaſteria longè invicem eſſe remota. Similia huc pertinentia reviſe ſuperius ad can.6. Concil. Tolet. I.

Can. XXI. *Non oportet Monachum vel Monacham proprium relinquere Monaſterium, & ad aliud ſe conferre. Si hoc ipſum autem contigerit, ipſum ut hoſpitem accipi eſt neceſſarium: ſed eũ recipi ſine mente ejus Præfecti non convenit.*

## *DIATRIBA DE IMAGINIBUS & earum cultu.*

1. QUæcunque inſtituitur diſputatio à nominis de quo diſceptatur ſignificatione exordienda eſt, ne illius ignoratione aut confuſione res de qua diſceptatur in incerto ſit: ipſique diſputantes fruſtra temereque contendant, & quaſi genus illud gladiatorum qui obvelatis oculis in arena dimicabant, quoſque antiquitas vocabat Andabatas, gladios in incertum per aëra ventilent. In primis hoc tenendum longè diverſa eſſe ſignificata vocum imaginis & idoli. Tradunt enim Origenes homil.8. in Exod. & Theodoretus qu.38. in Exod, exponentes locum Exod. 20. non facies ſculptile quod interpretes 70. verterunt εἴδωλον, inter imaginem & idolum hoc eſſe diſcrimen, quod imago ſit vera rei repræſentatæ ſimilitudo, ut contingit in hominis aut leonis repræſentatione picta vel ſculpta: etymon enim imaginis eſt ab imitando. Idolum autem ſit falſa ſimilitudo id referens quod revera non eſt; ut cum gentiles ſtatuas repræſentabant Palladis aut Veneris quaſi numinum, illa ſigna non niſi idola erant, quia Deos fœminini ſexus effingebant quales nec Dij ſunt nec eſſe poſſunt. Quod enim non eſt, prorſus repræſentari non poteſt. Ex quo perſpicuum fit imagines Chriſti aut Sanctorum non eſſe idola. Sed neque Trinitatis aut Angelorum tametſi humanã referant figuram, non enim fiunt ad repræſentandam Trinitatis aut Angelorum naturam ſeu ſubſtantiam, ſed ad exprimendam formam in qua Sanctis olim patribus apparuiſſe ipſæ docent Scripturæ vel certè ipſorum proprietates.

2. Iſtud vocum diſcrimen aſtruitur inde quia Scriptura ſacra nuſquã idoli nomen attribuit veræ imagini, ſed ſolum gentilium ſimulacris falſos Deos referentibus. Sacra eloquia vocant filium Dei imaginem patris Sap.7. Coloſ.1. & Hebr.1. at nunquam idolum patris, & 3.Reg.7. dicitur feciſſe Salomonem ad ornatum templi imagines Cherubin ad ſimilitudinem ac effigiem hominum, prætereaq; imagines boum, leonum, palmarum malogranatorum, nec uſquam tamen vocantur idola, quia ſcilicet verarum rerum ſimilitudini conformabantur. Atque in veteri Teſtamento idola vocantur ordinariè אֱלִילִים hoc eſt nihilum ſeu res nihili; cujus radix ducitur à negativa אַל non, nequaquam, ne. Ut Levit.19. 26. & alibi: vel אֱוִנִים ab אָוֶן quod eſt vanitas, peccatum. Ut Num.23. Oſeæ 6. & alibi paſſim. Nonnunquam etiam שֶׁקֶר quo eſt falſitas, mendacium ut obſervat Hieronym. in Oſee 7. Denique Habacuch.2. dicit Scriptura: Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? ubi evidenter dicitur idolum imago falſa. Cui ſuffragatur Plato in Theetero cum ait ψευδῆ καὶ εἴδωλα περὶ πλείονος ποιησάμενοι τοῦ ἀληθοῦς mendacia & idola pluris facientes quam veritatem: quo loco idolum cum mendacio adjunxit oppoſuitque veritati. Tertullianus quoque lib. de idololatria docet idolum eſſe diminutivum à vocabulo εἶδος quod formam ac ſpeciem ſignificat, eſſeque idolum exilem formam ac tenuem non ſolum quantitate ſed etiam perfectione. Homerus quoque Odiſſeæ lib.11. & Lucianus in Dialogo mortui vocãt idola mortuorum ſpectra & umbras inanes, quæ cum apparẽtiam corporum exhibeant, nihil tamẽ ſolidi habent ſed inanes & vacuæ ſunt. Simile quid etiã habet vox ſimulacri. Sẽper enim ubi novi Teſtamenti text. Græcus habet εἴδωλα Latinus interpres reddit ſimulacra ut Actor.7.v.41. & 15.v.20. & 29. Item 17.v.23. Et Pauli Apoſtoli 1.Cor.12.v.2. & Coloſ.3.v.5. Item 1.Theſ.1.v.9. Itemque 1.Ioan.5.v.20. Et Apoc.9.v 20. Quinetiã disertè ait Paulus 1.Cor.8. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo.* Nam etſi ſit aliquid ſecundum materiam, nihil tamen eſt formaliter cum id repræſentet quod nihil eſt. Ipſa vero ſimulacra potius à voce ſimulandi quam à ſimilitudine deducuntur.

3. Vocabulum vero Hebraicum פֶּסֶל & quod Latinè idem exprimit ſculptile, indifferentem habet ſive in bonum ſive in malum ſignificationem: neque abſolutè in Decalogo prohibetur ſed tantum reſpectivè & ſecũdum quid פָּסַל enim quod eſt ſculpere & inde ductum פָּסִיל ſculptile non vetantur à Deo niſi reſpectivè ad ea quæ proximè præcedunt: Nõ erunt tibi Dij alij, & quæ proximè ſubſequuntur: Non adorabis ea neque coles. Alioqui enim illicitum eſſet ſculpere trabes, oſtia, feneſtras: Et prohibitionẽ Decalogi elevaret ac convelleret fabricatio Cherubinorum, boum, leonum, palmarum

Digitized by Google

rum in ipſo Tabernaculo & Templo; nec non ſerpentis ænei juſſu Dei à Moyſe fabricati, niſi prohibitio faciendi omnem ſimilitudinem eorum quæ in cœlo & in terra, & ſub aquis ſunt in Decalogo expreſſa, intelligenda eſſet ſecundum ea quæ præcedunt & ſubſequuntur ibidem verba idololatriæ ſeu falſorum Deorum prohibitiva, tum Exodi 20. tum Deuteronom. 5.

4. Hic jam quæritur liceatne coloribus, aut ſculptili, fuſilive opere Deum ſub humana figura repræſentare cùm id videatur Divinitati quæ nullatenus corporalis aut ſenſu corporeo eſt perſpicabilis, eſſe injurioſum: ipſaque divina Oracula multis locis videantur reclamare, ut Deuteron.4. *Memento quod Dominus loquutus ſit tibi in monte Horeb. Vocem verborum audiſti, imaginem nullam vidiſti: obſerva ergo teipſum ne forte deceptus facias tibi ſimilitudinem ullam.* Et Iſaiæ 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Et Iſa.46. *Cui ſimilem feciſtis me & adæquaſtis & comparaſtis me? qui confertis aurum de ſacculo & argentum de ſtatera ponderatis conducentes aurificem ut faciat Deum; & procidunt & adorant.* Denique Act.17. Paulus ſic admonet: *Genus ergo cum ſimus Dei non eſt exiſtimandum auro vel argento, vel lapidi artis ſculpturæ, & cogitationi hominum divinum eſſe ſimile.* Ad germanam horum locorum intelligentiam, ſciendum eſt Judæis fuiſſe à Deo prohibitum ne quas ſive publicè ſive privatim fabricarent divinitatis Imagines certò ſciente, quam proclivis eſſet gens illa ad idololatriam gentilium inter quos degebat imitandam, ad quam etiam illorum exemplo quam frequentiſſimè dilabebatur, ut ſacræ Hiſtoriæ compertum faciunt: cui ut obviaret periculo non ſolum voluit Judæis omnia eſſe interdicta quæ per ſe ac directè idololatriæ crimen involvebant, verum etiam occaſiones etſi de ſe non illicitas quæ rudi & inconſtanti populo viam ad idololatriam aperuiſſent, quo in genere fuit illa per humanam artem humanæ figuræ expreſſio ad repræſentandum divinum numen. At vero ubi nullum imminebat ejuſmodi periculum Sanctis Patribus & Prophetis, ſub humana effigie non dubitavit Deus crebro ſe manifeſtare: ſub hujuſmodi enim aſpectu primis parentibus needum à Paradiſo exulibus ſe conſpicabilem exhibuit deambulans ad auram poſt meridiem. Sic etiam ſcribitur Geneſ.12. apparuiſſe Abrahamo in convalle illuſtri juxta Sichem. Rurſum eidem apparuit Geneſ.17. ejuſque proni in terram cadentis adorationem ſuſcepit. Iterumque Geneſ.18. eidem ſe exhibuit ſub figuris humanis trium Angelorum quos ſanctus Patriarcha adoravit in terram. Exodi 33. Moyſi Deus poſteriora ſua, id eſt tergum oſtendit. Propheta pariter Iſaias cap.6. vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum inter alatos Seraphim dixitque *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Michæas etiam 3. Reg. cap. 22. ſic loquitur: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris.* Alias conticeſco viſiones qualis eſt Jacobi Deum videntis innixum ſummitati ſcalæ, Ezechielis cap.1. & 2. & Amos cap.9. dicentis: *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare.* Sed præcipua digna eſt obſervatione viſio Dei Patris Danieli manifeſtata cap.7. quem commemorat antiquum dierum, in throno ſedentem, cujus capilli cani erant, & veſtimentum ejus quaſi nix album ad quem acceſſit filius hominis (is ipſe eſt Chriſtus) cui antiquus ille dierum dedit poteſtatem, honorem, & regnum, ut omnes populi tribus & linguæ ipſi ſerviant. Ille ſcilicet Dei filius eſt de quo vaticinatus eſt David Pſal.2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodiè genui te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Certè convincit Auguſtinus viſionem illam Danieli exhibitam cap.7. non aliam fuiſſe quam perſonæ Patris lib.2. de Trinit. cap. ultim. Qui idem eodem lib. cap.11. aſſerit in illis tribus viris qui Abrahæ apparuere Geneſ.18. ſeſe exhibuiſſe tres divinas Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis.

5. Obſervandum modis duobus rem quampiam repræſentari poſſe. Primùm quidem ad exprimendam illius formæ ac naturæ ſimilitudinem. Atque hac ratione res ſolæ corporeæ repræſentantur quæ lineamentis & coloribus conſtant. Et ſi quis hoc modo Deum referre præſumeret is proculdubio idolum efformaret. Altero autem modo poteſt depingi exculpi aut conflari res merè ſpiritualis, non per propriam immediatamque ſimilitudinem, ſed per analogiam ac myſticas & metaphoricas ſignificationes; quomodo pinguntur Angeli juvenes, alati, formoſi in agili quaſi motu, nudiſque pedibus ad ſignificandum eos viribus eſſe vegetos, celerrimè moveri, gratijs & virtutibus eſſe præditos. Atque hoc modo ſimilitudo imperfecta inter Deum & hominem intercedit, qualis poteſt oculis noſtris repræſentari. Nec modo Deus & Angeli ſed ipſæ quoque virtutes, quæ mera ſunt accidentia, ſub humana figura effinguntur. Quinetiam in ſacris Scripturis ac præſertim in Apocalypſi Chriſtus ſub figura agni repræſentatur & apparuit. Atque in hac ipſa Synodo VII. actio. 2. Legitur Adriani Papæ ad Taraſium epiſtola approbans Chriſti Salvatoris imaginem ſub agni forma. Quæ eadem approbatio repetitur in actionibus 4. & 6. Spiritus quoque Sanctus apparuiſſe legitur Matth.3. ſub effigie Columbæ, & action.2. Spiritus ſanctus diſcipulis ſe viſibiliter manifeſtavit tanquam ignis. Eademque VII. Synodus act.5 approbat eumdem divinum Spiritum depingi ſub ſpecie Columbæ.

6. Jam vero de imaginum cultu ſeu veneratione præſupponendum eſt eam eſſe relationem ac ordinem imaginis ad exemplar, ut delata imagini ſive veneratio ſive contumelia ſub ea ratione qua imago eſt ad ipſum exemplar redundet. Itaque civilis aliquis imagini Regis debetur honor, quia perſonæ ipſi Regis debetur civilis cultus, unde & illud concluditur religioſum honorem imagini convenire cujus exemplari religioſus debetur cultus. Narrat Gregorius Nazianzenus orat.1. in Julianum, inſignem ejus fraudem iſtam: Cum enim eſſet in more poſitum ut imagines Imperatorum civili adoratione ab omnibus adorarentur, propoſuiſſe illum ſuam imaginem adorandam cum imagine Jovis de cœlo coronam & purpuram Imperatori deferentis, atque hinc inde Martem & Mercurium

ſtantes

cleſia eliminatur. Secundo Canone vitæ morumque integritas & prædicationis ſinceritas Paſtoribus injungitur. III. Victus ſobrietas indicitur. IV. Fœminarum cohabitatio etiam nullatenus ſuſpectarum Clericis interdicitur, ne harum velamine alijs quibuſcumque quæ ſuſpicionem & flagitij cauſam inducere queant, acceſſus aperiatur. V. Sæcularia omnia negotia Clericis prohibentur. VI. Iiſdem vetantur mundanæ dignitates, faſtus ſæculares, luſus indecori, venationes, & alij quam Eccleſiaſtici cantus. Deinde omnibus fidelibus clandeſtinæ nuptiæ interdicuntur: arcentur impuberum matrimonia. X. Adductis Sancti Doctoris Hieronymi verbis declaratur illicitum prætextu adulterij unius conjugum, quandiu pars adulterij rea vivit, alterum matrimonium. XI. Providet Monialium clauſuræ, ne quis Clericus aut etiam archimandrita prætextu viſitationis aut Divini Verbi prædicationis, niſi de licentia Epiſcopi clauſtra earum ingrediatur: neque ulli Moniali fas ſit etiam prætextu ſacrorum locorum inviſendorum pedes extra clauſtra efferre.

## *CONCILIVM FRANCOFORDIENSE anni* 794.

DUÆ ſunt in Germania hujus nominis civitates nimirum Francofordium ad amnem Oderam, & Francofordium ad fluenta Mœni. In iſta ad Mœnum civitate coactum eſt anno Chriſti 794. communi Zachariæ Pontificis primi & Caroli Magni conſpiratione celeberrimum iſtud Concilium. Huc enim ex toto Occidente Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ, & Angliâ trecenti confluxerunt Epiſcopi: cui præſens ipſe Carolus interfuit duoque Apoſtolici Legati Theophylactus & Stephanus, ut Ado perhibet in Chronico. Hujus convocandi cauſam dedit hæreſis Hiſpanos duos Epiſcopos habens autores Elipandum Toletanum & Felicem Urgelitanum quæ totâ Hiſpaniâ graſſabatur. Hi namque Neſtorianam hæreſim ab inferis reducentes duas in Chriſto Jeſu perſonas aſſerebant invicem diſtinctas, divinam ſecundum quam naturalis filius Dei erat, & humanam alteram cui dignitatem filij Dei abrogabant, nihil aliud eſſe aſſerentes quam filium Dei adoptivum ac aſcititium. Hæc eadem hæreſis paulo ante fuerat in duobus Concilijs proſcripta damnataque in Forojulienſi ſub Forojulij Epiſcopo & Patriarcha Paulino, cui Petrus aſſidebat Mediolani Archiepiſcopus anno 791. Deinde anno ſequenti in Ratiſbonenſi ad Danubium Synodo in qua Felix ipſe Urgelitanus pœnitentiâ ductus ſuam damnavit hæreſim, qui per Angilbertum Abbatem inde Romam deductus veniam & reconciliationem à Zacharia Pontifice recepit, & in civitatem regreſſus eſt Urgelitanam. Veruntamen iterum ab Elipando ſeductus quaſi ſus lota ſe rurſus volutabro immerſit, & vomitam hæreſim quaſi canis reſorbuit. Horum uterque cum ſequacibus ſuis primo ipſo Francofordienſi canone ſententiâ damnationis fuit inuſtus.

2. Secundus qui circumfertur Francofordienſis Canon circa Imagines uſque adeo mendacijs perplexus involutuſque eſt ut nullo Ariadneo filo, ex iſto labyrintho ſe quiſquam expedire queat. Conſtantinopolim quæ eſt in Thraciæ Provincia, collocat in Provincia Bithyniæ. Synodum Conſtantinopoli habitam decreviſſe refert, ut imaginibus Sanctorum eadem veneratio adhibeatur quæ deificæ Trinitati adhibenda eſt: quod eſt à vero alieniſſimum ſive intelligas de Synodo Conſtantinopolitana quæ ultimo fuerat habita quippe quæ uſum piarum imaginum penitus interdixit: ſive de Nicæna quæ pijs imaginibus eam voluit deferri venerationem, quæ tamen latriam utpote ſoli debitam Trinitati excluderet. Nemo etiam aſſequi valet qui fieri potuerit ut Francofordienſium Patrum iſtam adeo abſurdam facti celeberrimi inſcitiam præſentis Apoſtolici Legati circa Synodum ab eodem à quo miſſi fuerant Adriano ſuſceptam & gratanter approbatam facillima rei geſtæ admonitione non diſcuſſerint. Et tamen Ado Viennenſis Epiſcopus cujus memoria eſt tabulis Eccleſiaſticis conſecrata die 16. Decemb. hæc refert in ſuo Chronico ætate 6. *Habita eſt Pſeudoſynodus* (ſic enim vocat) *in Oriente quæ à Græcis vocatur Synodus ſeptima œcumenica pro imaginum cultu, quæ demum abrogata fuit in Synodo Francofordienſi ſub Carolo Magno regnante.* Hincmarus præterea Rhemenſis Archiepiſcopus in ſuo opere ad nepotem Laudunenſem Epiſcopum cap. 20. in hoc verſatur errore ut ſeptimam quæ Nicæna eſt Synodum non modo reprobet, ſed Conſtantinopoli & præter autoritatem Apoſtolicæ Sedis (quorum utrumque falſum eſt) habitam autumet his verbis: *Septima autem apud Græcos vocata univerſalis Pſeudoſynodus de imaginibus quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra vero pars intellectu ſano definiens, ſine authoritate Apoſtolicæ Sedis non longè ante noſtra tempora Conſtantinopoli eſt à quamplurimis Epiſcopis habita, & Romam Miſſa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit; unde tempore Caroli Magni Imperatoris, juſſione Apoſtolicæ Sedis, generalis eſt Synodus in Francia convocante præfato Imperatore celebrata, & ſecundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipſa Græcorum Pſeudoſynodus deſtructa, & penitus abdicata, de cujus deſtructione non modicum volumen, quod in Palatio adoleſcentulus legi, ab eodem Imperatore Romam eſt per quoſdam Epiſcopos miſſum.* Verè dixit miſſum non tamen compoſitum: & quidem quæ hujus voluminis ſuperſunt ingenium autoris produnt virulentum, procax, temerarium, & in omnem maledicentiam effuſiſſimum: ejus enim adverſus Nicænos Patres, & qui eis conſentiunt ſæpius iterantur hæc convicia: *Impudentiſſime, deliramento plena delirare, abſurdiſſime, magna temeritas, ingenſque abſurditas, dementiſſimum dictum, apocryphas & omni deriſione dignas nænias, ridicule & perverſiter dictum, ſtultiſſime putant, deliramentum errore plenum, inutile & cum dementia prolatum, riſu dignum, falſiſſimum, omni ridiculo dignum dictum; aliaque pleraque his paria.* Supereſt vero Carol-Mag. epiſt. ad hæreſiarcham Elipandum, in qua nulla vox contumelioſa legitur ſed quæ mitiſſimam charitatem & paternæ dilectionis præcordia ubique ſpirat. Sic autem exorditur: „Gaudet pietas Chriſtiana divinæ ſcilicet

atque

Digitized by Google

atque fraternæ per lata terrarum ſpatia duplices charitatis alas extendere, ut materno foveat affectu quos ſacro genuerat baptiſmate : & maxima eſt ſanctæ Matris Eccleſiæ exultatio ſuorum adunatio filiorum, ut ſint cōſummati in unum qui redempti ſunt ab uno, dicente eodem redemptore Domino noſtro Jeſu Chriſto, Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut omnes unum ſint ſicut & nos unum ſumus. Quis credat ſapientiſſimum & maximum Imperatorem qui tanta manſuetudine ſcripſit ad flagitioſiſſimum hæreſiarchā, tot effutiviſſe illiberales ſummaque majeſtate indignas contumelias in ſuis ad Summum Pontificem ſcriptis, qui cum ſumma devinctus erat, & neceſſitudine & obſervantiâ? miſit verò ad Hadrianum ut rationes in utramque partem expenderet, ejuſque judicium de his quæſtionibus quæ magna contentione ventilabantur exploraret.

3. Canon Francofordienſis ſecundus hæc ſciſcit juxta Sirmundi editionem : *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt : in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent anathema judicarentur. Qui ſupra ſanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.*

Liquido conſtat ex adductis paulo ante vicinorum illorum temporum relationibus ex Adone Viennenſi qui publicis Eccleſiæ tabulis in Sanctorum relatus eſt numerum, & Hincmaro Rhemenſi, præterea ex teſtimonio Anaſtaſij Bibliothecarij qui in ſua ad Concilium ſeptimum à ſe Latinè tranſlatum præfatione, Gallos ait alieno animo fuiſſe ab hac Græcorum Synodo, & ſacrarum Imaginum veneratione: quos tamen proprio ipſorum telo configit, cum enim Crucis imagines venerantes adorarent, metallo aut ligno aut lapide expreſſas, nefas tamen ducebant ipſius Chriſti effigiem adorare, aut potius Chriſtum ipſum ad ejus Imaginis præſentiam colere. Ex his inquam compertum ſit illorum temporum Gallos non quidem approbaſſe Iconoclaſtarum hæreſim, illas omni ex loco eliminantium & deſtruentium : illarum quippe uſum in Eccleſijs ad piam memoriam & rudium inſtructionem approbabant, ſed tamen averſo prorſus animo fuiſſe ab illarum etiam relativo cultu. Utrumque enim argumentum iiſdem ferè temporibus non tantum adverſus Græcos Iconomachos, ſed etiam contra Claudium Hiſpanum Taurinenſem Epiſcopum prorſus Iconoclaſtam tribus editis libris pertractavit Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, qui ſub Ludovico Pio & Carolo Calvo floruit. Iiſdem quoque Imperantibus ſuum de picturis & Imaginibus non adorandis librum publicavit Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis. Hunc eumdem ſenſum tenet Valafridus Strabo ut liber ejus de rebus Eccleſiaſticis c.8. fidem facit. Eamdem quoque ſententiam magna pertinacia propugnavit Synodus ſeu Conventus Pariſienſis ſub Ludovico pio Caroli magni filio, eo uſque ut cum Græcis Iconomachis juncta ſocietate, Legatos Gallicanos pro hac injuſta cauſa tuenda Romam miſerit, facilè itaque crediderim prudentiſſimo conſilio Hadrianum Pontificem, ejuſque Legatos conſenſiſſe ut Franci in ſua ignoratione & aliquatenus bona fide permanere ſinerentur, hoc prudenti circumſpectione prævidentes fore, ut ſi urgeretur Synodi ſeptimæ authoritas in re fidei, ejuſq; ab Hadriano Pontifice confirmatio, fore ut ex Francorum univerſæ Chriſtianitati dominantium pertinacia, Chriſti Eccleſia fœdiſſima & immedicabili conſciſſione laceraretur. Mirum profectò eſt Francos ea fuiſſe opinione imbutos de VII. Synodo ut parem Sanctiſſimæ Trinitati deferendam eſſe imaginibus adorationem ſanciverit, cum tamen eadem ipſa Nicæna Synodus definiat in oppoſitum ſacram illam & religioſam προσκύνησιν, ac venerationem quæ ſacris debetur Imaginibus nullatenus eſſe Latriæ cultum ſoli Deo debitæ. Quo eodem ſenſu Sanctus Papa Gregorius lib.9. epiſt. 9. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum conſentit non eſſe adorandas Imagines eodem ſcilicet qui Deo debetur cultu : idem tamen lib.7. epiſt.2. & 5. ad Januarium, & ad Secundinum debitam imaginibus venerationem & honorem perſpicuè confirmat.

4. Can. III. *His peractis de Taſſilone definitum eſt Capitulum, qui dum Baioariæ Dux eſſet fuerat ſobrinus videlicet Domni Caroli Regis. In medio ſanctiſſimi adſtitit Concilij veniam rogans pro commiſſis culpis, tam quas tempore Domni Pipini Regis adverſus eum & regnum Francorum commiſerat, quam & quas poſtea ſub tempore domni noſtri piiſſimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei ſuæ extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione viſus eſt poſtulaſſe; dimittens videlicet puro animo iram atque omne ſcandalum de parte ſua quæque in eo perpetrata fuiſſent, & ſciebat : necnon omnem juſtitiam & res proprietatis, quantum illi aut filijs vel filiabus ſuis in Ducatu Baioariorum legitimè pertinere debuerant, gurpivit atque projecit, & in poſtmodum omni lite calcanea ſine ulla repetitione indulſit : & filios ac filias ſuas in illius miſericordia commendavit. Et idcirco domnus noſter miſericordiâ motus, præfato Taſſiloni gratuito animo & culpas perpetratas indulſit, & gratiam ſuam pleniter conceſſit, & in ſua eleemoſyna eum in amore dilectionis viſus eſt ſuſcepiſſe, ut ſecurus de Dei miſericordia exiſteret inantea. Vnde tres breves ex hoc capitulo uni tenore conſcriptos fieri præcepit. Vnum in Palatio retinendum, alterum præfato Taſſiloni ut ſecum haberet in monaſterio dandum, tertium verò in ſacri Palatij capella recondendum fieri juſſit.*

Taſſilo ab ipſis Baioarijs accuſatus apud Carolum magnum quod ictum cum Carolo magno fœdus violaſſet, atque in ipſum populus ad rebellionem ſollicitaſſet, Avaros quoque adverſus eundem concitaſſet, vadimonium obire ad Conventum ſeu Synodum in villa Ingilenheim compulſus eſt: ibique convictus tandem & confeſſus judicio condemnationis ſuccubuit. Cumque capitalem in eum ſententiam omnes acclamarent, Carolus miſeratione conſanguinei ſui Taſſilonis ductus, obtinuit

Digitized by Google

tinuit ne moreretur : ſed ut reliquam vitam Monaſterio incluſus tranſigeret. Idque peractum eſt ſexennio ante Francofordinenſe Concilium.

5. Can. VII. *Definitum eſt à domno Rege & Sancta Synodo ut Epiſcopus non migret de civitate in civitatem, ſed curam habeat Eccleſiæ ſuæ. Similiter Presbyter & Diaconus maneat in Eccleſia ſua Canonicè.*

Tranſlationes in aliam Eccleſiam jampridem reprobaverunt Concilij Nicæni can. 15. & Sardicenſis can. 1. & primi Arelatenſis c. 21. & Apoſtolorum canones 16. & 17. & Antiochenus can. 3. & 21. Ea de re plures congeruntur in decreto canones 7. qu. 1. his adde Calchedonenſes canones 5. & 10.

6. Can. VIII. *De altercatione Vrſionis Viennenſis Epiſcopi, & Eliſanti Arelatenſis Epiſcopi lectæ ſunt Epiſtolæ Sancti Gregorij, Zoſimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt eo quod Viennenſis Eccleſia quatuor ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta præemineret: & Arelatenſis Eccleſia novem ſuffraganeas habere deberet, quibus ipſa præemineret. De Tarentaſia verò & Ebroduno ſive Aquis Legatio facta eſt ad ſedem Apoſtolicam, & quidquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ definitum fuerit hoc teneatur.*

*Quatuor Eccleſiæ Viennenſi ſubditas ac ſuffraganeas ſedes deſignat S. Leo Papa I. epiſt. 50. alias 109. vicinis* (inquit) *ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt Valentiæ & Tarentaſiæ & Genevæ & Gratianopoli ut cum eis ipſa Vienna ſit quinta, ad cujus Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat. Reliquæ verò civitates ejuſdem Provinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis authoritate & ordinatione conſiſtant.* Novem porro Cathedrales Eccleſias Arelatenſi conceſſas ex veteri Codice Lugdunenſi Sirmundus iſtas enumerat. Maſſilienſium, Albenſium, Deenſium (ſed hæc nunc temporis Viennenſi Metropolitæ ſubeſt) Tricaſtinorũ, Vaſenſium, Arauſicorum, Cavellicorum, Avennicorum, & Carpentoratenſium, ſed Avenione poſtmodum in Metropolim ab Joanne Papa XXII. erectâ Vaſenſes, Cavelliri, & Carpentoratenſes in hanc ultimam Metropolim acceſſerunt. Sedes porro Tarentaſienſis & Aquenſis quamvis intra Metropoles civiles cenſerentur, Tarentaſienſem tamen Vienna Allobrogum, Ebrodunenſem autem & Aquenſem invitas (quippe quæ aliarum Provinciarum capita erant) Arelatenſis Eccleſia ſibi vindicabat: Mirum eſt civitatum quarumdam quæ antea Metropolium dignitate decorabantur, mentionem inter id generis civitates vel nullam fieri octavo iſto ſæculo, aut quaſi ambigui juris recenſeri. Ejuſmodi ſunt Aquæſextiæ, Narbo, Ebrodunum, Tarentaſia. Doctiſſimus Ludovicus Tomaſſinus Oratorij Gallicani Presbyter ſubodoratus eſt cauſam diſciplinæ ſuæ Eccleſiaſticæ 3. p. lib. 1. cap. 7. n. 1. 2. & 3. quia ſcilicet erumpentes ex vicina Hiſpania Saraceni annis 738. & 739. effuſi in Provincias quæ citra & trans Rodanum ſunt, eas immaniter vaſtaverunt, Narbonam & Aquasſextias multaque circumjacentia oppida funditus everterant, quibus dirutis Provinciæ Eccleſiaſticæ quæ fuerant deletæ ſunt. Nec niſi poſt diuturnam vaſtitatem in integrum reſtitui potuere. Ipſe Carolus magnus in charta diſtributionis theſaurorum ſuorum quæ ſolet anno aſcribi 811. nullatenus meminit Narbonenſis Eccleſiæ, nec Aquenſis, ibi tamen Metropolibus Tarentaſiam & Ebrodunum accenſet, quamvis Concilium iſtud Francofordienſe anni 794. de tribus his Tarentaſia, Ebroduno & Aquisſextiis ſuũ ſuſpendat judicium, reſponſionem expectans Romani Pontificis quæ nullibi viſitur. Charta verò illa theſaurorum Metropolibus diſtribuendorum conjecturam firmat reſcripto Pontificio fuiſſe jus Metropoleon Ebroduno, & Tarentaſiæ conceſſum, ſed nondum Aquis ſextijs quia fortè neque urbs iſta neque illæ quæ fuerant ei ſuffraganeæ ex Saracenicis ſufficienter emerſerant. De Narbona quidem omnis removetur ambiguitas etiamſi charta illa quam diximus non exprimatur, quatenus Concilium Arelatenſe ſub eodem Carolo magno habitum an. Chr. 813. Nibridium dicit Narbonenſem Archiepiſcopum.

7. Anno deinde 829. Ludovicus Pius indicens quatuor Gallicarum locis ineunda Concilia, in unum horum ſcilicet Lugdunenſe convenire jubet quatuor Metropolitanos unà cum ſubjectis ſibi ſuffraganeis, Agobardum ſcilicet Lugdunenſem, Bernardum, Andræam, & Agericum quem Stephanus Baluſius in notis ad Capitularia fuiſſe ſcribit Aquiſextienſem Archiepiſcopum. Deinde Joannes Papa VIII. epiſt. 98. ſcribit Oteramno Archiepiſcopo Viennenſi, Aureliano Archiepiſcopo Lugdunenſi, Rotberto Archiepiſcopo Aquenſi, Teutranno Archiepiſcopo Tarentaſienſi, Sigibodo Archiepiſco Narbonenſi, & Ariberto Archiepiſcopo Ebrodunenſi, ut una cum ſuis ſuffraganeis ad Tricaſſinum ſecundum Concilium conveniant, quod poſtmodum anno Chriſti 878. celebratum fuit. Idemque Joannes epiſt. 191. ſcribit ad tres Archiepiſcopos ſimul Roſtagnum Arelatenſem, Sigibodum Narbonenſem, & Rotbertum Aquenſem. Qui idem legitur ſubſcriptus Concilio Mantalenſi in quo Boſoni nomen & inſignia regni Arelatenſis delata fuere anno 879. Aquenſem porro Antiſtitem fuiſſe ab, initio longeque ante hæc tempora Metropolitanum, inde convincitur quod in controverſia quæ inter Viennenſem & Arelatenſem Metropoles diſceptabatur, Leo Papa I. ut diximus epiſt. 50. aliàs 109. quatuor aſſignet Viennenſi Præſuli ſuffraganeas Eccleſias, inter quas Tarenteſia nominatur. Arelatenſi autem novem: nulla inter has recenſetur quæ Narbonenſem ſecundam Provinciam ſub Aquenſi Metropoli conſtituunt. Sirmundus verò novem illas recenſet ad fidem antiquiſſimi manuſcripti Lugdunenſis, ex quibus ad conſtituendam poſtea Avenionenſem Provinciam ademptæ ſunt quatuor: quinta quoque altera quæ eſt Deenſium Viennenſi accrevit: cæteræ Arelatenſem etiam nunc Metropolitanum agnoſcunt, Maſſilienſis & reliquæ cunctis notiſſimæ. Jam nunc quæritur quiſnam ab antiquo fuerit Metropolites, & caput Epiſcopatuum illorum celebrium jam uſque à prioribus ſæculis, atque in priſcis illis Concilijs commemoratorum Aptenſium, Regienſium, Forojulienſium, Vapincenſium, Siſtaricenſium. Ex dictis palam eſt neque ad Viennenſem ſive primam ſive ſecundam cui præerat Arelatenſis pertinuiſſe; ſed propriam conſtituiſſe Provinciam quæ ſecunda Narbonenſis indigitabatur. Sub quo igitur Me-

tropolitæ

tropolite? non enim Epiſcopi iſti erant acephali neque autocephali? Is non alius eſſe poteſt quam Aquenſis quem ex priſcis, & civilibus Romanorum monumentis conſtat caput fuiſſe Provinciæ ſingularis quam illæ quinque urbes ac oppida conſtituebant ſecundæ Narbonenſis.

7. Can. XVI. *Audivimus quod quidam Abbates cupiditate ducti, præmia pro introeuntibus in Monaſterium requirunt. Ideo placuit nobis & ſanctæ Synodo ut pro ſuſcipiendis in ſancto Ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur; ſed ſecundum regulam S. Benedicti ſuſcipiantur.*

Synodus œcumenica VII. æquiparat ſimoniam illam quæ fit pro admiſſione ad Monaſterium cum ea quæ fit pro ſuſceptione ordinum quam Synodus Calchedonenſis can. 2. ſub gravibus pœnis prohibuerat. Ait ergo can. 18. *In tantum inolevit avaritiæ facinus in rectores Eccleſiarum, ut etiam quidam eorũ qui dicuntur religioſi viri ac mulieres obliviſcentes mandatorum Domini decipiantur, & per aurum introitus accedentium tam ad ſacrum ordinem quàm ad Monaſticam vitam efficiant. Vnde fit ut quorum initium improbabile eſt, omnia ſint projicienda ut magnus ait Baſilius.* In hac tamen prohibitione non comprehendit ea quæ ſponte, & citra omnem pactionem Monaſterio conferuntur, ſic enim proſequitur idem canon 18. *Porro quæ filijs à parentibus dantur more dotis, vel ſi qua ex proprijs rebus acquiſita offeruntur profitentibus his qui ea offerunt, Deo dicata definiamus, ſive perſeveraverint ſive exierint, manere in Monaſterio, ſecundum repromiſſionẽ ipſorum, niſi fuerit culpa Prælati.* De ſimonia in religionis ingreſſu, & ad quid talis ſimoniacus obligetur vide conſtitutionem Papæ Clementis III. c. de regularibus Canonicis ſeu Monachis de ſimonia. Et conſtitutionem Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. can. 64. eaque habetur c. quoniam ſimoniaca eod. tit.

8. Can. XXVII. *De Clericis ut nequaquam de Eccleſia ad aliam Eccleſiam tranſmigrent, neque recipiantur ſine conſcientia Epiſcopi, & literis commendatitijs de cujus Diœceſi fuerunt.*

Eadem ſtatuta fuere Nicæno can. 15. & Calchedonenſi can. 20. quo tam Epiſcopus ſuſcipiens quam Clericus ſuſceptus privantur communione. Item Andegavenſe Concilium can. 1. Agathenſis pariter Concilij can. 52. excommunicantur Clerici qui ſine Antiſtitis ſui literis peregrè proficiſcuntur. Eôdem pertinent Apoſtolorum canones 16. & 17.

9. Can. XXVIII. *Vt non abſolutè ordinentur.* Nicænus can. 15. jubet Clericum qui aliò commigrarit reſtitui Eccleſiæ in qua fuit ordinatus. Synodus etiam Calchedonenſis can. 6. vetat quemquam abſolutè ordinari, ſed ab ordinatore certæ Eccleſiæ vel oratorio cui miniſtret addici. Citatur in c. neminem abſolutè diſt. 7. Primum quoque Arelatenſe Concilium can. 21. de gradu deponit Presbyteros & Diaconos qui in alias tranſgrediuntur Eccleſias quam quibus præfixi fuerant. Quem laudabilem ritum inſtaurat Trident. ſeſſ. 23. cap. 16. *Nemo ordinetur quin certæ Eccleſiæ adſcribatur: nec admittantur alieni Clerici ad divina officia celebranda ſine commendatitijs proprij ordinarij Epiſcopi.*

Can. XXX. *Et ſi fortè inter Clericum & laicum fuerit orta altercatio, Epiſcopus, & comes ſimul conveniant, & unanimiter inter eos cauſam definiant ſecundum rectitudinem.*

Prudenti iſta judicum junctione prævenitur qui exoriri poterat juriſdictionum conflictus.

Can. XL. *De puellis quæ à parentibus privatæ fuerint ut ſub Epiſcoporum & Presbyterorum providentia gravioribus fœminis commendentur, ſicut Canonica docet autoritas.*

Rectè ait S. Papa Gregorius lib. 2. epiſt. 21. *Officij noſtri eſt orbatis parentibus ferre conſultum.*

10. Can. XLI. *Vt nullus Epiſcopus propriam ſedem amittat alicubi frequentando, aut in proprijs rebus ſuis manere audeat amplius quam tres hebdomadas.*

Sanctio iſta ne amplius tribus hebdomadis abſit Epiſcopus, deſumpta eſt ex Illiberitano can. 21. & ex Sardicenſi 14. In hoc ipſo tamen Concilio can. 55. patres conſentiunt Caroli magni propoſitioni ut poſſit duos Epiſcopos Angilrhamum & Hildebaldum in ſuo habere aſſiduè Palatio propter Eccleſiaſticas utilitates; additque Rex Carolus ſe licentiam ejus rei ab Hadriano Papa obtinuiſſe. Credibile eſt proviſum fuiſſe de Coadjutoribus qui amborum abſentiam ſupplerent.

# ECCLESIÆ NONI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. INEUNTE hoc ſæculo Carolus Magnus Romæ de manu Leonis Papæ tertij coronam accepit Imperij. Sub hæc Danos rebellantes cum eorum rege Gedefrido perdomuit. Leo Papa tertius anno Chr. 804. in Germaniam cum ampliſſimo Epiſcoporum aliorumque Prælatorum comitatu commigravit, ut teſtis oculatus Sanctus Lugerus primus Monaſterienſis Epiſcopus ad Rixfrigidum ſcribit Epiſcopum Tuaietenſem, cumque Carolus apud Aquiſgranum magnificentiſſimè excepit, ſeque illi comitem adjunxit; cumque Verdam ſimul acceſſiſſent Caroli rogatu Sanctum Suvibertum poſt lectam ipſius vitam explorataque inſignia ejus miracula, poſt multas publicas preces & jejunia, de Epiſcoporum cæterorumque Hierarcharum conſenſu ſolemni ritu inter ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium Sanctorum Confeſſorum publicis Eccleſiæ tabulis adſcripſit. Feſtumque in ejus venerationem indixit, atque confluentibus ex devotione populis indulgentias promulgavit. Ut idem qui præſens adfuit Lugerus commemorat. Hanc primam legimus ſolemni ritu factam à Romano Pontifice canoniſationem, minori enim ſolemnitate antiquitùs hæc fiebant.

2. Anno deinde 806. Carolus magnus edidit teſtamentum diviſionis Provinciarum inter tres quos habebat filios. Quo Ludovico Aquitaniæ regnum à Turonenſi urbe ad Pyreneos uſque protenſum deſtinabat: eoque quàm primum profectus Ludovicus Eccleſiam & cultum valde provexit. Pipino alteri filio Italiam & Alemaniæ partem conceſſit, Carolo vero majori natu reliquas Galliæ, Germaniæque Provincias attribuit. Cæterum reliquis duobus vivo patente defunctis liberis, ſolus ſuperſtes Ludovicus paternam in ditionem ex aſſe ſucceſſit.

3. In Oriente dum agitur annus Chriſti 802. Legati Caroli magni Conſtantinopolim profecti ut nuptias Irenes cum Carolo magno conciliarent, eaque ratione duo Imperia in unum coaleſcerent, ſpectatores facti ſunt non fœderis nuptialis quod Irene quoque impenſe experiverat, ſed luctuoſæ tragœdiæ. Sub horum namque oculis Nicephorus Patricius & Logotheta, quem Irene ad authoritatis culmen provexerat, bene meritam de ſe Imperatricem Irenem in Leſbon inſulam ingenti ſatellitum manu ſtipatam deportavit: Imperiumque per tyrannidem invaſit; remiſſiſque Caroli Legatis alios ad Carolum ipſum cum locupletiſſimis donis tranſmittens fœdus cum illo junxit, ipſa vero Irene Auguſta anno inſequenti Nicephori crudelitate innumeris ærumnis in exilio confecta vivere deſijt.

4. Anno 813. cum Græcorum Imperator Michael Curopalates cogominatus Rhengabe Princeps & moribus & ſtudio religionis admodum commendatus adverſus Bulgaros infeliciter dimicaſſet: eaque de cauſa Leo Armenus exercitus Græcorum concitaſſet, ut abdicato Michaële ſibi purpuram cum diademate deferret, tametſi publicè ac ſpecie tenus inſignia Imperij recuſaret, conſilium cepit laude digniſſimum Michael prævidens ſi per illam exercitus defectionem res ad civile bellum deduceretur futurum ut victores & armati Bulgari debilitatum præſenti clade & inſuper civilibus armis Imperium in ultimum diſcrimen adducerent, ſponte ceſſit Imperio, Leonemque adhortatus eſt ut periclitanti Reipublicæ opem ferret. Atque ad removendam omnem ſuſpicionem ipſe unà cum uxore & liberis detonſis capillis Monaſtica induit veſtimenta: tum vero Leo à Patriarcha Nicephoro coronatus atque inunctus eſt: nec tamen paſſus Michaëlem tametſi inter Monachos profitentem intra urbis regiæ Monaſterium vitam exigere, ipſum & conjugem & liberos in inſulam Protam relegavit, duos quoque illius filios Theophylactum majorem natu & Ignatium qui poſtea Conſtantinopolis Patriarcha factus eſt caſtrari juſſit. At Bulgari victoriam proſequentes Hadrianopolim expugnarunt.

5. Sequenti anno 814. Carolus magnus vitâ exceſſit ſolo relicto ex conjuge Hildegardi ſuperſtite filio Ludovico: cui morti proximus ſanctiſſima pro morum honeſtate Imperijque adminiſtratione monita reliquit,

liquit, quæ commemorat Theganus illorum temporum ſcriptor, Princeps cui vix parem illum in omni virtutum genere ſive quæ præceſſerunt, ſive quæ inſequuta ſunt ſæcula pepererunt religione, juſtitiâ, clementiâ, prudentiâ, rebus maximis, bello, perpetuaque felicitate geſtis, ſcientiarum ornamentis, ſimulque zelo Eccleſiaſticæ tum diſciplinæ, tum propagationis; & in ſupremam ſedem obſervantia incomparabili, de cujus hoſtibus tot retulit triumphos, & quam magnificentiſſimis multarum Provinciarum donationibus locupletavit. Obijt Aquiſgrani anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo, regni quadrageſimo ſeptimo, Imperij vero decimoquarto.

6. Bernardus Italiæ Rex Pipini fratris Imperatoris Ludovici ex concubina filius in eundem rebellans Imperatorem, ejus deinde metu ad eum accedens veniamque ejus pedibus provolutus petens, oculis orbatur & triduo poſt moritur. Cujus in fratris filium ſeveritatis pœnitentiâ ductus, poſt aliquot annos voluntarias ex Epiſcoporum arbitrio pœnas dedit. Leo vero Armenus Orientis Imperator inſtaurata Iconomachorum hæreſi adverſum orthodoxos impiè furit: cujus ſe impietati Theodorus Studita conſtanter opponens, crebraſque literas quæ adhuc ſuperſunt in omnes orbis partes ad confirmandos fideles, & revocandos qui ceciderunt conſcribens, exilia, carceres & flagella, omniaque vexationum genera in ſe acceſſivit.

7. Annus agebatur Chriſti 824. quum Michael Balbus ejuſque filius Theophilus à patre in Imperium aſſumptus ambo Iconoclaſtæ, Legationem ad Ludovicum Pium miſerunt pacis cum eo ſtabiliendæ gratia: inter inſignia munera quibus Ludovicum demereri cupiebant, fuere ut ſcribit Hilduinus Abbas Monaſterij Sancti Dionyſij apud Pariſios libri authentici Græcè ſcripti Dionyſij Areopagitæ, quos idem Hilduinus juſſu Ludovici Latine vertit, additis quæ vocat Areopagiticis, in quibus refert eadem die qua ijdem recepti ſunt libri decem & novem diverſis & gravibus morbis affectos convaluiſſe per illius Sancti Martyris invocationem. Contendit vero Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum & martyrem non aliũ fuiſſe quàm Areopagitam, paſſumque fuiſſe anno Chriſti 96. ſub Domitiani perſecutione. Gregorius tamen Turonenſis lib. 1. hiſt. cap. 30. refert Decio & Grato Conſulibus qui fuit Chriſti 250. ſæviente Decij perſecutione Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum cum Ruſtico & Eleutherio mortem pro Chriſto ſubijſſe. Hoc verò præcipuè intendebant Græci Imperatores ut intervenientibus Francis apud Eugenium ſecundum Romanum Pontificem, imaginum cultus omnino aboleretur una cum ſeptima Synodo. Græci quippe Iconoclaſtæ omnem reſpuebant piarum imaginum uſum tanquam idololatriam, multorum vero Francorum mens erat jam inde à Francofordienſi ſub Carolo magno Concilio admittendas quidem eſſe ſed minimè colendas. At Romana Eccleſia & admittendas & colendas relativo ad prototypa his repræſentata cultu. Ludovicus Imperator audita Græcorum Legatione ex permiſſu Eugenij conventum Pariſienſem indixit, quo tandem deliberatum fuit remittendos Romam Græcorum Legatos, quibus Legati quoque ex parte Francorum adjungerentur, unà cum ſupplicibus ad Eugenium literis hortantibus ut in Synodi ſeptimæ, ſimulque imaginum venerationis reprobationem conſentiret. Selecti Francorum ad Pontificem Legati fuere Jeremias Senonenſis Archiepiſcopus, & Jonas Aurelianenſium Præſul, cujus extant tres libri adverſus Claudium Epiſcopum Taurinenſem hæreticum Iconoclaſtam. Omnis illa Romana Legatio fruſtra fuit, perſiſtente, Summo Pontifice in antiqua & Apoſtolica traditione, atque in ſanctiſſimis œcumenicæ Synodi ſeptimæ necnon Adriani præceſſoris ſui decretis inconcuſſis.

8. Sub Imperio Michaëlis Balbi Saraceni ex Hiſpanijs profecti Cretam invadunt anno 822. & ſubinde alij Saraceni ex Africa ſolventes anno 827. Siciliam ab Orientali Imperio ſubduxerunt.

9. In Occidente hactenus amplitudo majeſtaſque Francica ſtetit in apice. Mox initium malorum à domeſticis turbis & nefario Principum ſcelere prodijt, filijs adverſus optimum parentem conjurantibus. Ludovicus pius Irmingarde priore conjuge mortua Juditham Vvelphi comitis filiam in matrimonium duxerat, ex qua natus ei eſt Carolus cognomine Calvus. Cum vero tres liberi ex Irmingarde geniti Lotarius, Ludovicus, & Pipinus æquari ſibi Carolum ægrè ferrent; in patrem inſurrexerunt. Primum anno 830. dum Lotarius quem pater jam inde in Imperij conſortium ab anno 823. aſſumpſerat, quemque Auguſti nomine inſignitum Paſchalis Pontifex Imperiali diademate Romæ apud S. Petrum redimiverat, in Italiâ verſabatur; Ludovicus autẽ ſecundogenitus cui Pater Baioariam cum titulo regni conceſſerat, in moderandis transrhenanis Provincijs occupabatur, natu poſtremus ex Irmingardis filijs Pipinus Aquitaniæ Rex cum proceribus conſpirans, ingentem

Rr 2 manum

Digitized by Google

manum militum armat, primoque impetu Aureliam occupat, Imperatorem patrem in ſuam redigit poteſtatem, & Juditham novercam in Monaſterium includit, & velom monaſticum ſuſcipere cogit. Lotarius ex Italiâ ſuperveniens quæ geſta erant approbat, ſeque totius ejus belli & conjurationis ducem exhibet. Cæterum anno ſequenti Germanorum operâ Ludovicus recepit Imperium. Sed à parricidis filijs anno 833. inſtauratur rebellio: cui ut mederetur Gregorius Papa quartus ſe honorarium pacis arbitrum interponens in Gallias conceſſit. Sed cum à præferocibus conjuratis fratribus nihil moderatum impetraſſe valuiſſet, Romam triſtis re infecta repetijt. Poſt cujus diſceſſum corruptiſſimi Antiſtites inſtinctu præſertim Archiepiſcoporum Ebbonis Rhemenſis & Agobardi Lugdunenſis, Compendium ejuſdem anni menſe Octobri convenere, multaſque obtendentes ſcelerum ſpecies quorum nullum veritate nitebatur, ſola excepta Bernardi ex fratre nepotis excæcatione, propter quam Imperator publicam egerat pridem pœnitentiam, Ludovicum ad iteratam pœnitentiam, in flagitiorum conceptis ex ſcripto verbis confeſſionem publicam adegerunt, atque ad cinguli militaris cum enſe & Imperialis amictus ſupra ſacrum altare depoſitionem: coram quo amictus eſt cilicio, & pœnitentium indumentis, atque in Monaſterium ad omnem vitam detruſus.

10. Verum tanta rerum indignitate frementibus populis, Clotarius pudore ſuffuſus omnemque in Epiſcopos culpam refundens, in Italiam reverſus eſt, incluſo tamen & inſalutato patre relicto. Pipinum tamen & Ludovicum veniam petentes optimus pater complexus eſt, ſuamque recepit ex Monaſterij clauſtris Juditham uxorem cum filio impubere Carolo: imperijque convenientibus proceribus & populis, magna omnium exultatione anno 834. omnia in templo reſumpſit inſignia. Annoque ſequenti 835. ad Theodonis villam numeroſa Epiſcoporum confluxit multitudo: eoque in Concilio proſcripta damnataque ſunt quæcumque in Ludovicum, præſertim vero Compendij acta decretaque fuerant. Ebbo Rhemenſis hortantibus Collegis ſe reum criminis palam confeſſus eſt atque indignum Epiſcopatu, ſeque illo abdicavit. Quicunque etiam Compendij interfuerant exauctoratum injuſtè fuiſſe optimum & religioſiſſimum Imperatorem ſincere profeſſi ſunt, ſeque vi ac metu adactos excuſaverunt. Agobardus porro Lugdunenſis qui accitus in Concilium venire neglexerat, damnationis ſententiam accepit. De cæteris qui ad Italiam confugerant nihil decretum, quod ſcilicet viſi eſſent ad Apoſtolicæ judicium ſedis convolaſſe.

11. Lotarius qui pertinacius quam fratres in rebellione perſtiterat, poſt reditum in Italiam pari ingrati animi vitio in ſummum quoque Pontificem Gregorium perduellis extitit, connixus eidem Romanæ urbis cæterarumque ditionum quas illuſtrium majorum ſuorum pietas in Romanam Eccleſiam contulerat ſubripere dominatum, eoque fine hoſtilibus armis Romanos divexabat, ſed à Ludovico patre per nuncios acriter correptus invitus quievit. Sub idem tempus cum Normanni fines regni hoſtiliter incurſarent, Ludovicus pius in Phriſiam excurrens illorum graſſationes armis repreſſit, eorumque exercitus fudit. Annoque demum 840. propè Moguntiam diem obijt extremum. Ejus corpus frater ejus Drogo ex Carolo Magno, & concubina progenitus qui morienti aſtiterat Metenſium Epiſcopus, apud Mediomatricos magna pompa tranſtulit atque in S. Arnulphi Baſilica ſepelivit.

12. Qui ad pacem cum pio patre ineundam inflecti nequiverat, bellum eo mortuo Lotharius in fratres pacem quoque infimis precibus deprecantes movit, quibus partes à patre indictas invidebat, integræ ditionis avidus quam nactus fuerat vivens pater. Ludovicus itaque & Carolus in communis cauſæ diſcrimine belli adverſus Lotarium ſocietatem ineunt. Pipinus verò ejus Pipini filius quem Ludovicus pater Aquitaniæ Regem creaverat, quique primus violentas manus in patrem Imperatorem & novercam Juditham iniecerat, indignè ferens ſe per factam ab avo partitionem paterno regno excludi, regnum quidem paternum factione procerum & populorum qui Pipino patri obſequuti fuerant recuperavit. Sed Carolo ex ſecundis nuptijs nato infenſiſſimus omnem illi ſpem partem nanciſcendi exſcindere moliebatur: ideoq; ſuas omnes cum Lotario vires conjunxit. Itaque inter Lotarium & Pipinum ex una parte atque ex oppoſita parte inter Ludovicum dictum Germanicum & Carolum cui Calvo nomen inditum atroci prælio ad Fonteniacum vicum confligitur; quo cæſa ſunt hominum centum millia, victoria tamen penes Ludovicum & Carolum ſtetit. Sed neque tanta internecione ceſſit Lotarij pertinacia: novo enim contracto exercitu, collatis ſignis fratres ad Argentoratum adortus, magna denuo ſuorum ſtrage vincitur. Lotarius qui fratres ultro laceſſiverat, eoſdē nunc de pace

Digitized by Google

pace interpellat, eaq; demum ita cōcluditur; ut Lotario præter Imperium hoc eſt Italiam, pars ea Galliæ cedat, quæ Scaldi & Rheno continetur, adjuncta etiam Burgundia cæteriſque ad uſque Mediterraneū ſubjectis Provincijs, quæ à reliqua Gallia & ab Italia hinc Rhodano, & inde Varo amnibus diſterminātur. Ludovico Germania omnis à ſinu *Codano ſeu* Baltico uſque Rhenū ultráque hunc tres (vini habendi gratia) civitates *Moguntia*, Spira, & Vuormatia; Carolo Francia Occidentalis ab Moſa flumine ad Oceanum Aquitanicum, qui deinde fratris filios Aquitaniam ſibi vendicantes Pipinum & Carolū monachos fieri coëgit. Vix credas quantū filij Ludovici pij ab illuſtrium præceſſorum, quorum proſapia gloriabantur Pipinorum & Carolorum magnanimitate, juſtitiâ, probitate morum, & religione degenerarint, ſocordiæ, nequitiæ, voluptatibus, fallaciis & inertiæ addicti lupis, vulpeculis, & porcis, quam hominibus ſecundum rationem & honeſtatem viventibus ſimiliores.

13. Tres Lotarius liberos habuit inter quos diviſis omnibus quibus dominabatur provinciis ipſe in Prumienſi Monaſterio Monachus eſt factus; Ludovico Italiā cum Imperio reliquit; Lotario Provincias illas quæ ductâ ſive à Lotario primo ſive hoc ſecundo appellatione Lotaringiæ communi nomine cenſebantur, quæ nunc denominatio ad unam exiguámque earum partem contracta eſt. Carolo denique Burgundiam, Lugdunum, Viennam, & Provinciam maritimam impertivit.

14. Quartus Imperator Ludovicus ſecundus anno 855. Imperium inivit quo eodem anno ex hac vita migravit ejus Pater Lotarius, nec non Leo Pontifex quartus: Qui ne Vaticana Sancti Petri Baſilica Saracenorum incurſibus & direptioni exponeretur, collem Vaticanum cum ſacra Baſilica ducto muro urbi adjunxit; quæ nova adjunctio ab illius nomine urbs dicta eſt Leonina: jam enim Saracenorum Claſſis quæ ex Africa ſolverat ſub præceſſore Sergio ſecundo Pontifice anno 846 duo illa templa extra urbem ſita Petri & Pauli auro, argento, & gemmis opulentiſſima deprædata fuerat.

15. Lotarij primi Imperatoris Filius ſecundogenitus Lotarius legitimam uxorem Teutbergam Boſonis Filiam falſis criminibus impetitam repudiare inſtituit, ut pellicem Valdradam cujus erat blanditiis irretitus, nuptu acciperet. Qua de re ad Nicolaum primum Pontificem ſcripſit, quo cunctante reſpondere injuſtæ petitioni, ipſe Synodum Aquiſgrani cogit addictorum ſibi Epiſcoporum octo, quorum principes erant Guntarius Agrippinēſis & Teutgardus Trevirenſis à quibus novæ permiſſæ cum Valdrada nuptiæ. Quod iniquiſſimum decretum Nicolaus improbavit, alterámque Metis Synodum indixit quæ prioris decretum confirmavit, legatóſque Romam miſit eoſdem Guntarium & Teutgardum, quos Nicolaus dignitate movit, duáſque illas Synodos Lateranenſi Concilio damnavit. At illi Apoſtolica authoritate deſpecta ſe pro Epiſcopis gerere non deſtiterunt, inſtitit vero Pontifex ut alij eorum loco deligerentur. Lotarius demum poſt crebras ludificationes ab Imperatore Ludovico in auxilium contra Saracenos accitus, Romam petiit mortuo ante biennium Nicolao: & ab ejus ſucceſſore Adriano ſecundo per mendacium impetratâ veniâ, cum ſub communionem Dominci Corporis ſe Valdradâ poſt interdictum abſtinuiſſe pejeraſſet, hujus perjurij pœnas morte luit paucos poſt menſes, in reditu lethali morbo confectus Placentiæ. Regnum ejus inter ſe partiti ſunt Carolus calvus & Germanorum Rex Ludovicus. Anno poſtmodum 875. Carolus calvus Ludovici audita morte Romam advolans à Joanne Papa octavo Imperij coronam obtinuit, & triennio poſt è vita exceſſit. Poſt hujus exceſſum Carolus Craſſus Ludovici Germaniæ Regis Filius Imperator eſt proclamatus. Ludovicus enim Balbus Caroli Calui Filius non eſt Imperatoribus accenſendus, non enim coronam Imperij ſed ſolius Francici Regni à Joanne ſeptimo Pontifice accepit. Vitâ functo Ludovico duo eius ex Anſgarde filij Ludovicus tertius & Carolomannus in regnum Francicum diviſis Provinciis ſucceſſerunt. Ambobus defunctis, pervenit utriúſque regnum ad Carolum Craſſum Imperatorem qui utrique oneri impar ob animi ſimul & corporis valetudinem, adverſus Normannos re infeliciter geſta regno imperióque compulſus eſt ſe abdicare, eóque incidit calamitatis ut victum emendicaret ab Arnulfo Carlomanni Bavariæ Regis Filio mortuúſque eſt anno 888. Arnulfus iſte anno 896. à Formoſo Papa coronam accepit Imperij.

16. Sæculo iſto Flandria ex Francico regno divulſa in alium tranſlata eſt Principem hac de cauſa: Caroli Calvi filia Judith quæ fuerat Etelredo Angliæ regi nupta, poſt ejus mortem in Gallias reverſa à Balduino comite rapta eſt non invita, quamobrem Epiſcoporum ſententia damnatus Anathemate Balduinus ad Nicolaum Papam profectus eſt ut hac pœnâ levaretur, ejuſque interventu Regi Carolo reconcilia-

dem humani arbitrij libertatem ſive ad malum ſive ad bonum, quod tamen ad opera æternæ ſalutis flecti non poſſit niſi divinæ gratiæ motione & præveniatur & fulciatur. Aliud ejuſdem Eccleſiæ in cauſa Godeſcalci extat inſcriptum opus de tribus Epiſtolis quas refellit, ſcilicet Epiſcoporum Rabani Moguntinenſis, Hincmari Remenſis, & Venilonis Sueſſionehſis. Verumtamen Rabani ſumma eruditio & morum integritas nullatenus credere ſinunt ipſum Auguſtini intemeratam doctrinam ab hæreſi ſecernere nequiviſſe: multóque facilius crediderim Godeſcalcum quam Rabanum erraſſe. Et ſi vero Lugdunenſis Eccleſia Godeſcalci Patrocinium hujus non quidem hæreſi ſeducta ſed fraudibus & mendaciis illuſa ſuſceperit, non parum tamen habet autoritatis ejuſdem tunc Eccleſiæ Epiſcopus Amolo cujus extant adverſus Godeſcalcum tria non contemnenda opuſcula. Petavius horum ſub nomine Lugdunenſis Eccleſiæ librorum, quorum eruditionem laudat, eſſe Magiſtri Flori Lugdunenſis cenſet lucubrationes. Scripſere pariter hoc ſæculo nono Nicephorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus cujus extat breve Chronicon & Epiſtola prolixa ad Leonem Papam tertium, & opuſcula quædam contra Iconomachos. Uſuardus Alcuini diſcipulus juſſu Caroli magni Martyrologium ſcripſit. Eginartus Caroli magni Cancellarius ejus vitam ſcripſit, & Francorum hiſtoriam aliáque. Relictóque ſæculo Monachus & Abbas factus eſt. Multa ſcripſit Smaragdus Abbas nec non Claudius Scotus. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus & Dungalus Diaconus de imaginibus ſcripſerunt adverſus Claudium Taurinenſem Epiſcopum Theodorus Studites inter eruditos Græcorum ſanctiſſimus, & inter ſanctos eruditiſſimus, exilia, flagella, innumeráſque ærumnas ſuſtinuit dum fidem Catholicam conſtantiſſimè propugnat quamplurimas edidit Epiſtolas divino ſpiritu refertiſſimas aliáque opuſcula pietatem & eximiam doctrinam ſpirantia; Amalarius Fortunatus Trevirenſis Antiſtes quatuor edidit libros de Eccleſiaſticis Officiis. Rabanus Maurus Abbas primùm Fuldenſis deinde Moguntinus Epiſcopus, vir æque pius & doctus commentaria in omnes veteris novíque teſtamenti libros procudit. Hujus diſcipulus Strabus Fuldenſis Monachus in univerſa Biblia ſacram Gloſſam contexuit quæ ordinaria vocatur. Eulogius electus Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopus tribus libris deſcripſit hiſtoriam Cordubenſium Martyrum ſub Arabica perſecutione, ipſéque tandem Martyr occubuit. Haimo Epiſcopus Alberſtatenſis luculentas expoſitiones edidit in Pſalmos & in omnes Prophetas, omnéſque Pauli Epiſtolas, alióſque divinæ ſcripturæ libros. Paſcaſius Ratbertus Abbas Corbeienſis primus ex profeſſo Sacramentariis bellum indixit inſigni libro de Corpore & Sanguine Domini contra Bertramum Presbyterum qui cepit inter primos in dubium revocare utrum ſit idem in Euchariſtia Corpus quod natum de Virgine fuit. Simeon Metaphraſtes Sanctorum vitas ſcripſit in quibus ut admonet Cardinalis Bellarminus multa de ſuo addidit ingenio, aut ſaltem ex Apocryphis quæ præceſſerant relationibus mirabilia & incredibilia. Photius Pſeudoepiſcopus Conſtantinopolitanus magni vir ingenij ſed majoris nequitiæ ſcripſit nomocanonem qui extat, cum Scholiis Balſamonis & præclarum opus quod nomine Bibliothecæ inſcripſit; Nicetas David egregie Ignatij Epiſcopi Conſtantinopolitani vitam conſcripſit admirabilem, ſimúlque vitia & perditiſſimam Photij malitiam qui ſanctum Ignatium diriſſime vexavit. Anaſtaſius Bibliothecarius & Abbas Romanus Græcè Latinéque doctus vitas Romanorum Pontificum à ſancto Petro uſque ad Nicolaum primum delineavit, Nicænam quæ ſeptima eſt Synodum Latine tranſtulit: Latine vero Concilium octavum generale cui ipſe interfuit edidit. Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus paræneticam ſcripſit Epiſtolam ad Carolum Craſſum etiámque de bono Regimine ad Filios Ludovici junioris Imperatoris, vitam quóque ſancti Remigij Rhemenſis Epiſcopi. Opus præterea quinquaginta quinque capitulorum ad Hincmarum Laudunenſem. Joannes Diaconus libros quatuor de vita ſancti Gregorij Papæ primi accuratiſſimè elucubravit, & Joanni Papæ octavo dedicavit. Aimoinus Monachus hiſtoriam de geſtis Francorum edidit exorſus à primo Rege Faramundo quam uſque ad obitum Ludovici Pij Imperatoris proſequitur. Ado Viennenſis Epiſcopus de ſex ætatibus mundi Chronicum exorſus ab orbe condito deſinítque ad annum Domini 879. Huic Viennenſi tribuitur ab aliquibus Martyrologium quod alij Adoni Trevirenſi adſcribunt. Remigius Antiſiodorenſis Monachus Commentaria in Pſalmos ſcripſit & in duodecim Prophetas & volumen de divinis Officiis. Hunc Fulco Rhemenſis Epiſcopus qui anno 890. ſedebat Remos excivit ad Scholas inſtaurandas ut fidem facit in ejus vita Frodoardus.

## *SELECTA REGVM FRANCIÆ præſertim vero Caroli magni & Ludovici Pij Capitularia.*

1. CUM ſit exploratum ex Chriſtianiſſimorum veterum Franciæ Regum, præcipuè autem Caroli magni & Ludovici Pij Capitularibus, permagnam ad Eccleſiæ Dei regimen hauriri poſſe utilitatem in primis vero duos illos prænominatos non modo ſtudio religionis præcelluiſſe, nihílque ad ordinem & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinens ſanciviſſe, niſi ex ſupremæ Sedis & Epiſcoporum regni approbatione & conſilio, propoſui præcipua ex eis ſeligere quaſi flores vernantes & coruſcantes gemmas quibus Eccleſiæ ſponſæ Chriſti corona rutilet ac eximiè decoretur. Uſus vero ſum exactiſſima omnium editione quæ ſtudio & diligentia Stephani Baluſij egregie de Eccleſia & omnibus ſtudioſis meriti prodiit.

2. In primis Capitulum occurrit obſervatu digniſſimum Dagoberti Regis circa viduarum ſucceſſiones & fratrum, *Vidua* ( inquit ) *ſi poſt mortem mariti in viduitate permaneant, æqualem inter filios ſuos ideſt qualem unus ex filiis uſufructuariam habeant portionem & uſque ad tempus extremum vitæ ſuæ uſufructuario jure poſſideant. Quod ſi mater ad alias nuptias forte tranſierit, eadem die uſufructuariam portionem quam de bonis mariti fuerat conſequuta, filij inter reliquas res paternas qui ex eo nati ſunt conjugio vendicabunt.* Et ibidem : *ut fratres hæreditatem patris æqualiter dividant : ut quamvis multas mulieres habuiſſet, & totæ liberæ fuiſſent de genealogia ſua, quamvis non æqualiter divites, unuſquiſque hæreditatem matris ſuæ poſſideat. Res autem paternas æqualiter dividant.*

### Ex Libro I. Capitularium Caroli magni & Ludovici Pij.

3. CAP. I. *Sunt aliqui qui culpis exigentibus ab Epiſcopo proprio excommunicantur & ab aliis Eccleſiaſticis vel laïcis præſumptuosè in communionem recipiuntur, quod omnino ſanctum Nicænum ſimul & Calchedonenſe, necnon Antiochenum & Sardicenſe fieri prohibent.* Hactenus verba Capitularis.

Optandum eſſet ut hæ priſcæ conſtitutiones uſu nunc vigerent aut ut Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio quarto, cujus conſtitutio habetur in c. venerabilem de ſent. excom. in 6. decernens in cauſis appellationum à ſententia excommunicationis abſolutionem ad cautelam dilucide ſuam mentem expreſſiſſet, velitne hanc abſolutionem proviſionalem ſuſpendere omnes omnino excommunicationis effectus perinde ac ſi nulla præceſſiſſet cenſura, adeò, ut Presbyter à ſuo Epiſcopo excommunicatus poſſit interea libere & palam re nondum comperta miſſam celebrare, an vero illa cenſuræ relaxatio ad hoc unum valeat ex mente Concilij, ut appellans vocem habeat ſtandi in judicio. Alióqui enim ut ait canon per tuas litteras de ſentent. excommunic. non auditur appellans volens probare ſe injuſte fuiſſe excommunicatum niſi ad cautelam prius abſolvatur, ſecus ſi oſtendat errorem intolerabilem, ob quem ſententia ipſo jure nulla ſit. Idcóque c. ad præſentiam noſtram de appellat. Alexander Papa III. declarat Presbyterum qui poſtquam à ſententia Archiepiſcopi ad Papam appellaverat, fuerátque poſt appellationem excommunicatus, ideóque nulla prorſus erat excommunicatio, nullam incurriſſe irregularitatem aut pœnam. Sed ſi non arguatur excommunicationis ulla nullitas, ſed tantum prætendatur ab appellante fuiſſe injuſte latam, Lugdunenſe Concilium nihil decernit, utrum ante ſuperioris judicis ſententiam definitivam & cauſæ cognitionem abſolutio ad cautelam præmiſſa limitetur ad aliquem minorem effectum, ut eſt jus & poteſtas ſtandi in judicio, ſuæque cauſæ patrocinandi, aut etiam in cunctis exterioribus communicandi an vero divina etiam palam percipiendi & ſacrum celebrandi. Videmus enim nonnunquam procaces & indiſciplinatos clericos & Sacerdotes quorum ſcelera & ſcandaloſi actus proprium Epiſcopum ad ferendam cenſuram eámque juſtam compulerunt, ita poſt debitam excommunicationem in vim proviſionalis ad cautelam abſolutionis, re nondum judicata ſeu definita, propriis inſultare Prælatis, & divina quaſi per jactantiam & deſpectum publice ac præfidenter celebrare. Quod ſane prioribus illis defæcatioris diſciplinæ ſæculis grandem incuſſiſſet horrorem. Neque prorſus video qua ratione hoc poſſit cum inconcuſſis tametſi poſterioribus regulis juris accommodari. Per appellationem ſcilicet non ſuſpenditur excommunicationis ſententia, ſed tantum devoluitur judicium illius ad ſuperiorem c. ad reprimendam de offic. jud. ordin. & iſtud aliud juris axioma, poteſt judex qui ſententiam tulit excommunicationis, eum qui appellavit denunciare ne quiſquam cum illo communicet dum pendet appellatio, ſimúlque illum fructibus beneficij ſpoliare. c. paſtoralis. §. verum de appellat. At hæc concidant jure neceſſe eſt ſi reus excommunicatus ante cauſæ cognitionem, & antequam dirempta ſit lis appellationis ita in integrum reſtituatur, perinde ac ſi nulla culpa, nulláque cenſura præceſſiſſet.

CAP. III. *Item in eodem habetur Concilio Nicæno, necnon & Antiocheno, ſimul & in Calchedonenſi ut fugitivi clerici peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur ſine commendatitiis literis, & ſui Epiſcopi vel Abbatis licentia.*

CAP. IV. *Item in eadem Synodo interdictum eſt Presbyteris, & Diaconibus, & omnibus qui in clero ſunt, mulierem habere in domo ſua propter ſuſpicionem, niſi matrem aut ſororem aut alias perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt.*

CAP. XIII. *Renovatur ſanctio Nicæna & Calchedonenſis & Apoſtolorum canon ut provinciales*

*vinciales Epiſcopi cum ſuo Metropolitano bis in anno propter cauſas & Eccleſiæ Concilia celebrent.*

Cap. XIV. In Concilio Loadicenſi necnon & Africano præcipitur ut Monachi & Clerici tabernas non ingrediantur edendi & bibendi causâ.

Cap. XVI. Reprobat nomina aliorum Angelorum quam Michaëlis Gabrielis & Raphaëlis.

Cap. xix. *Item in Concilio Calchedonenſi quod non oporteat Epiſcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari, qui utique deponendi ſunt & qui ordinatur, nec non qui mediator eſt inter eos. Item de eadem re in canonibus Apoſtolorum : ſi quis Epiſcopus vel Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem dejiciatur & ipſe ordinator eius, & communione abſcindatur.*

Cap. xxiv. *In eodem Calchedonenſi Concilio, nec non in Sardicenſi ut nec Epiſcopus nec clerici tranſmigrent de civitate in civitatem.*

Cap. xxvi. *Item in eodem Concilio ut nullus abſolutè ordinetur, & ſine pronunciatione ſtabilitatis loci ad quem ordinatur.*

Cap. xxxviii. *Vt nemini liceat alium cogere ad bibendum.*

Cap. XXXIX. Ut mercatus die Dominico in nullo loco habeatur.

Cap. xl. *Item in Concilio Africano ut non liceat Epiſcopo principalem Cathedram ſuæ Parochiæ negligere & aliam Eccleſiam in ſua Diœceſi magis frequentare.* Habetur in Concilio Carthaginenſi V. can. 5.

Cap. lxxiv. *Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel graduale officium peragant, ſecundum quod genitor noſter Pipinus Rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum cantum tulit ob unanimitatem Apoſtolicæ ſedis & ſanctæ Eccleſiæ Dei pacificam concordiam.*

Cap. cxlvii. *Vt nullus Presbyter alterius Parochianum niſi in itinere fuerit vel placitum ibi habuerit, ad Miſſam non recipiat.*

Id ſancitur Concilij Nannetenſis can. 2. & citat Gratianus c. nullus Presbyter 9. q. 2.

Cap. cli. *Vt unus quiſque Presbyter res quas poſt diem conſecrationis acquiſierit propriæ Eccleſiæ relinquat.*

Allegat canonem iſtum Regino lib. 1. cap. 218. & Burchardus lib. 3. cap. 12.

## Ex Libro II. Capitularium.

Cap. xlvi. *Vt parentes filios ſuos, & patrini eos quos de lavacri fonte ſuſcipiunt erudire ſummopere ſtudeant : illi quia eos genuerunt & eis à Domino dati ſunt. Iſti vero quia pro eis fidejuſſores exiſtunt.* Concilium Arelatenſe VI. can. 19. Regino lib. 1. cap. 274.

## Ex Lib. IV. Capitularium.

Cap. xxxiii. *De falſa moneta jubemus ut qui eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui in hoc conſentit ſi liber eſt ſexaginta ſolidos componat, ſi ſervuus eſt ſexaginta ictus accipiat.*

Allegat Ivo p. 16. cap. 278. Vide inferius can. 15. Concilij 1. generalis Lateranenſis ſub Calliſto ſecundo.

## Ex Lib. V. Capitularium.

Cap. vi. *Si quis Baptiſatus eſt à Presbytero non Baptiſato, & ſancta Trinitas in baptiſmo invocata fuit, baptiſatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit. Impoſitione vero manus indiget.* Profertur ab Juone p. 1. cap. 175.

Cap. vi. *Si quis filiaſtrum aut filiaſtram ſuam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua, & alteram non accipiat. Similiter & mulier alterum non accipiat.*

Regino lib. 2. cap. 218. Burchardus lib. 17. cap. 22. Fulbertus epiſt. 33. Ivo p. 9. c. 80. Gratianus 30. q. 1. ex Concilio apud Vermeriam.

4. Cap. xxi. *Si quis homo habens mulierem legitimam, ſi frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel fœmina qui adulterium perpetraverunt interim quoad vivunt nullum habeant amplius coniugium : ille vero cuius uxor fuit, ſi vult poteſtatem habet accipere uxorem aliam.*

Regino lib. 2. cap. 218. Burchardus lib. 17. cap. 17. Ivo p. 8. cap. 256. Indubitatum eſt non ſolum ex hoc capitulo quod præfati canonum collectores allegant, verum etiam ex pleriſque aliis priſcis canonibus vulgatiſſimis qui proferuntur in omnibus Conciliorum collectionibus conceſſum fuiſſe alterum matrimonium conjugi innocenti, vivente altero conjuge cujus adulterio factum fuerat ut affinitas emerſiſſet, ob quam evaſerat deinceps illicita inter conjugatos nuptialis copula. Pipinus Caroli magni pater permultis convocatis ad Vermerienſe Concilium Epiſcopis ad iſtam elucidandam quæſtionem aliáſque regulas pro Eccleſiæ optimo ſtatu procudendas deciſum eſt Vermerienſibus canonibus 2. 10. & 11. licitum eſſe ſuperſtite qui ſic deliquerat altero conjuge aliud matrimonium innoxio conjugi. Eodem ſæculo Compendienſe Concilium ſub eodem Pipino Rege anno 757. pares edidit canones 7. 8. 13. Innocenti conjugi prohibet congreſſum cum conjuge inceſtuoſo, permittit vero vivente illo alterum inire connubium. Quin etiam ante hæc tempora S. Bonifacius Moguntinus Epiſcopus canones concinnarat quos poſtea Zacharias Papa I. probavit eóſque poſtmodū Iſaac Lingonenſis Epiſcopus in ſuo canonum libello publicavit. In his vero tit. 3. de adulteriis can. 1. declarat eum cujus uxor à proprio fratre compreſſa fuit non poſſe poſthac ſuam uxorem cognoſcere, ſed ipſi licitum eſſe alteram ducere uxorē. Hæc itaque ex bono & æquo ſæculo



Digitized by Google

partim permiſit, partim non damnavit Eccleſia. Nec tamen diu poſt hæc diſtulit etiam his eventis alteras prohibere nuptias ſuperſtite adhuc inceſtuoſa parte. Sicque verificatum eſt illud S. Auguſtini effatum lib.2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.3. *Ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel Provincias fiunt, pleniorum Conciliorum auctoritati quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambiguitatibus cedunt. Ipſaque pleniora ſæpè priora poſterioribus emendantur.*

CAP. XXVIII. *Clericum permanere oportet in Eccleſia cui ab initio ab Epiſcopo prætitulatus eſt, & revocari debere ſtatuimus in qua primitus ordinatus eſt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si quis hanc definitionem tranſgreſſus fuerit, decrevit ſancta Synodus à proprio gradu excidere:* Synodus Calchedonenſis can. 20.

5. CAP. CLXXIX. *Et hoc cavendum eſt ut Presbyteri vel Diaconi ſive Subdiaconi arma portare non præſumant; neque venationes aliquas exercere.*

Venationem Clericis inhibent multa Concilia ut Agathenſe can. 55. Epaonenſe can. 3. Matiſconenſe ſecundum can. 13. citatur quoque Concilium Aurelianenſe de Clerico venatore cap. 1. & 2. Concilium denique Nannetenſe anni 1264. can. 3. *Præcipimus ut Prælati ſoliciti ſint & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipuè Presbyteros & Religioſos de quibus majus ſcandalum generatur.* De vetitis apud Clericos armis ſimul & venationibus videri poteſt Concilium Mediolanenſe I. ſub Carolo Borromeo tit. de armis, ludis, ſpectaculis, &c. ubi dicitur *à venatione abſtinebunt.*

CAP. CCCXV. *Præcipimus atque jubemus ne fortè (quod abſit) aliquis circa Epiſcopos leviter aut graviter agat quod ad periculum totius Imperij noſtri pertinet. Et ut omnes agnoſcant nomen, poteſtatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem. Quod ex verbis Domini facile intelligi poteſt quibus Beato Petro cujus vicem Epiſcopi gerunt ait: Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum, & in cælis & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis. Et alibi diſcipulis generaliter dicit: Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Illud etiam ad exemplum reducendum erit quod in hiſtoria Eccleſiaſtica* (ſcilicet Rufini Aquileienſis lib. 1. cap. 2.) *Conſtantinus Imperator Epiſcopis ait: Deus conſtituit vos Sacerdotes & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi. Et ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium. Veſtra jurgia quæcumque ſint ad illud divinum revocentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis dij, & conveniens non eſt ut homo judicet Deos; ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos dijudicat. Sed & ad memoriam illis pariter reducendum eſt qualiter S. Proſper in libro quem de contemplativa & actuali vita ſcripſit, laudem Sacerdotum comprehendit: ipſis enim inquit* (ſcilicet lib. 2. cap. 2.) *Sacerdotibus propria curandarum animarum ſolicitudo eſt commiſſa qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes pro peccatis hominum velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo. Ac veluti quondam Aaron incenſum contriti cordis & humiliati ſpiritus offerentes quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis à populo, qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis judices Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, pravæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles & pravè ſibi conſcijs etiam ipſo viſu terribiles, vindices oppreſſorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cæleſtiũ præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipſi ſunt decus Eccleſiæ in quibus fulget Eccleſia, ipſi columnæ firmiſſimæ quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium, ipſi januæ civitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Chriſtum: ipſi janitores quibus claves datæ ſunt regni cælorum, ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia ſingulorum.*

Iſta quoque ſunt ijſdem verbis ex Concilio Pariſienſi VI. ſub Ludovico Pio can. 8. & 9.

CAP. CCCLXXXIX. *Ne decem anni neque vicennij, neque triginta annorum præſcriptio religioſis domibus opponatur, ſed ſola quadraginta annorum curricula: & non ſolum in cæteris rebus, ſed etiam in legatis & hæreditatibus.*

Hæc pariter habet Julianus Anteceſſor Novella 131. cap. 6. & Gratian. 16. q. 5. c. neque decennij.

CAP. CCCXC. *Sancitum eſt ut nullus Epiſcopum vel Sacerdotem vel Clericum apud judices publicos accuſare præſumat, ſed apud Epiſcopos.*

Habetur ſimiliter apud Julianum anteceſſorem Novella 131. cap. 10.

## Ex Libro VI. Capitularium.

CAP. XXVI. *Qui mæchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium fecerit cum conjuge proximi ſui morte moriatur & mæchus & adultera.* Hoc idem conſtitutum fuerat Levit. 20. v. 10.

CAP. CLXXXVI. *Doceant Presbyteri populum legitima quatuor temporum jejunia obſervare: hoc eſt menſe Martio, Iulio, Septembri, & Decembri, quando ſacri Ordines juxta ſtatuta Canonum diſtribuuntur.*

6. CAP. CLXXXVII. *Iterum admoneant Sacerdotes ut jejunia tria legitima agantur in anno. Id eſt quadraginta dies ante Nativitatem Domini,*

Digitized by Google

*Domini, & quadraginta dies ante Paſcha, & poſt Pentecoſtem quadraginta dies. Quanquam enim nonnulla ex his canonica priventur autoritate, nobis tamen ſimul omnibus propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum mores, hæc obſervare ut ſuperius eſt comprehenſum convenit. Et licet omnibus diebus orare & abſtinere conveniat; his tamen temporibus amplius jejunijs & pænitentiæ ſervire oportet. Præter autem legitima hæc tempora jejuniorum, omnis ſexta feria propter Paſsionem Domini jejunetur: ſed & Sabbati dies à pleriſque propter quod jacuit in eo Dominus in ſepulcro jejunio conſecratus habetur.*

Hactenus iſtud Capitulum: Sed & ipſe Carolus magnus inter Capitula Saxonica ſic edicit cap. 4. *Si quis ſanctum quadrageſimale jejunium pro deſpectu Chriſtianitatis contempſerit, & carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen conſideretur à Sacerdote ne fortè cauſa neceſſitatis hoc cuilibet proveniat ut carnem comedat.* Et verò ſanctionem prædictam de tribus integris, in anno quadrageſimis nuſquam alibi legitur apud Montaniſtas. Sed huic Gallicanæ atque orthodoxæ legi præiverat pia multorum Catholicorum conſuetudo.

Cap. cccIII. *Conſtantinus Imperator de accuſationibus Epiſcoporum ait: hæ quidem accuſationes tempus habent proprium, id eſt diem magni judicij, judicem verò eum qui tunc futurus eſt judicare omnes. Mihi ergo homini conſtituto de huiuſmodi rebus auditorium habere non licet, Sacerdotum ſcilicet accuſantium & accuſatorum ſimul, quos minimè convenit tales debere monſtrari qui iudicentur ab alijs. Imperator quoque Valentinianus de Epiſcoporum cauſis ſic ait: Supra nos eſt veſtrum negotium; & ideò vos de veſtris cauſis inter vos agite; quia ſupra nos eſtis.*

## Ex Libro VII. Capitularium.

7. Cap. XLIX. *Nulli Sacerdoti liceat Canones ignorare.* Idem decernit Papa Celeſtinus I. epiſt. 3. ad Epiſcopos Apuliæ iiſdemque verbis & hoc addens: *Nec quidquam facere quod patrum poſſit regulis obviare.* Refertur c. nulli Sacerdotum diſt. 38. Eadem ſtatuuntur Aurelianenſis Concilij III. can. ult. & Aurelianenſis IV. anni 541. can. 6.

8. Cap. LXXI. *Ne non vocati Epiſcopi extra ſuam diœceſim accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas.*

Idem ſanciverat Concilium Conſtantinopolitanum I. can. 3. quod refertur c. non invitati 9. q. 2. Item Concilium Antiochenum can. 22. & Arauſicanum I. can. 8. prohibens abſolutè ullum alienum Clericum ordinari, aut proprium Clericum in aliena Diœceſi, niſi accedente conſenſu Epiſcopi ad quem pertinet vel Clericus vel Eccleſia. Item Sardicenſe can. 15. & Carthaginenſe III. canon 20. & 21. & Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. & ſeſſ. 23. cap. 8. & 9. & Apoſtolorum can. 34. quo deponi jubentur Epiſcopi qui ſic intra fines alienos ordinaverunt & ſimul Clericos ſic ordinatos.

Cap. LXXVII. *Non oportet Sacerdotem vel Clericum ſine iuſſione ſui Pontificis proficiſci.*

Idem ſtatuitur in Synodo Laodicæna can. 42. aliiſque innumeris Synodis.

Cap. CXLVII. *Vt unuſquiſque Presbyter per ſingulos annos Epiſcopo ſuo rationem ſui miniſterij reddat, tam de fide Catholica quam de Baptiſmo atque de omni ordine miniſterij ſui.*

Citatur apud Burchardum lib. 2. cap. 155. & Ivonem p. 6. cap. 246. de ſubjectione Presbyterorum erga Epiſcopos, & ut eiſdem rationem miniſterij reddant tempore quadrageſimæ decernitur pariter hoc eodem lib. 7. cap. 130.

9. Cap. cxxIII. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere omnino prohibemus: niſi illis qui propter divinum miniſterium ad hoc electi ſunt. Profertur apud Burcardum lib. 1. cap. 118. & Ivonem p. 5. c. 332. Vide ſuperius capitulare 79. libri 5. Exſtat Baſilij magni canon: *Qui hoſtem occidit licet pietatis propugnator triennio non communicet.* Refert Cedrenus cum Nicephorus Imperator inſtaret ut quiſquis in bello pro patriæ Imperijque defenſione mortem oppetiviſſet pro martyre indiſcriminatim ab Eccleſia coleretur, obſtitiſſe Epiſcopos iſto Baſilij canone ſubnixos qui etiam ab Hermenopulo allegatur. Leo quidem Papa tertius ut ſcribit Eghinartus in vita & geſtis Caroli magni Francicum exercitum ſic eſt adhortatus: *Omni timore ac terrore depoſito contra inimicos ſanctæ fidei, & adverſarios omnium religionum agere viriliter ſtudete. Novit enim Omnipotens ſi quilibet veſtrum morietur: quod pro veritate fidei, & ſalvatione patriæ, ac defenſione Chriſtianorum mortuus eſt, & ideò ab eo præmium cæleſte conſequentur.* Et id quidem verum eſt ſi ſit defæcata intentio nec aliud quidquam obſiſtat. Certè quod attinet ad irregularitatem homicidij apertè declarat Honorius Pontifex III. c. petitio tua de homicidio, eam incurri etiam in bello aut conflictu contra fideles, etiam ab eo qui incertus eſt, & prudenter dubitat vtrum quemquam illorum peremerit. Quod idem commonuerat Zacharias Papa cujus adduco teſtimonium ad proximè ſequens Capitulum quo eadem urgetur prohibitio.

10. Cap. cxxIV. *Vt Sacerdotes neque Chriſtianorum neque Paganorum ſanguinem fundant.*

Citatur ab Ivone p. 10 cap. 45. Præter ea quæ ſuperiori canone allegavi, huc pariter ſpectat epiſt. Zachariæ Papæ ad Francos his verbis expoſtulans: *Habuiſtis peccatis facientibus nunc uſque falſos & erroneos Sacerdotes. Vnde & pagana gentes cuncta vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & Sacerdotes quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria datur ubi Sacerdotes una hora Dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis Dominicum porrigunt corpus pro animarum ſuarum redemptione: & poſtea Chriſtianos quibus hoc miniſtrare debuerant, aut Paganos quibus prædicare debuerant Chriſtum, proprijs ſacrilegiſque manibus necant?* Hactenus Pontifex Zacharias.



Digitized by Google

11. Cap. CXII. Tertiæ additionis ad præfatos ſeptem libros hæc edicit Carolus magnus : *Volumus atque præcipimus ſicut Synodali atque canonica autoritate à paſtoribus Sanctæ Eccleſiæ ſæpiſſimè admoniti ſumus,ut canonici Clerici qui in civitatibus vel in Monaſterijs degunt, qui beneficia habent unde victum & veſtitum habere poſſunt, ut hoc iuxta Apoſtolum contenti ſint, & ſtipendia fratrum unde pauperiores, & hi qui aſſiduè in prædictis locis Domino famulantur & excubant, atque aſſiduè divinum implent officium, nequaquam aſſumant ut in ſuis uſibus convertant. Scimus enim quia abſque periculo ac diſpendio animarum ſuarum hoc nullatenus facere poſſunt. Si quis hæc ſtatuta contempſerit, utriſque careat, id eſt & beneficio & præbenda; atque ſi gradibus fruitur Eccleſiaſticis, ipſis privetur.*

Ex Capitulo iſto liquet non ſolum in Eccleſijs quæ ſæculares vocantur,verumetiam in Monaſterijs, diſtinctos jam tunc extitiſſe beneficiarios à præbendatis. Beneficiarios quippe fuiſſe officiales amplioris præ cæteris dignitatis & gradus,quibus villæ ac prædia titulo beneficij ac officij ſic erant affectata, ut ex eorum cultura proventus ad vitam commodius tranſigendam perciperent : adeout nihil ipſis opus eſſet à communibus Monaſterij proventibus quidquam decerpere quibus cæteri fratres choro addicti, aut Eccleſiæ vel Monaſterio quotidiano labore famulantes alebantur, tum ex menſa communi tum ex modicis quæ ipſis attribuebantur ſtipendijs. Hæc verò ex communitate ad victum & amictum collata ſtipendia dicebantur præbendæ atque etiam (ut in priſcis quibuſdam chartis ac inſtrumentis ſcriptum legimus) provendæ. Eôdem refertur quid proximè ſequitur Capitulum CXIII. *Quod habet Eccleſia vel Monaſterium cum omnibus nihil habentibus commune habet, nec aliquid inde eis qui ſibi de ſuo ſufficiunt convenit erogare quando nihil ſit habentibus dare quam perdere.* His canonibus reprimitur Clericorum & Monachorum beneficiariorum avaritia qui cum copioſius proventibus inſtructi eſſent,his non contenti de ſubſidijs etiam tenuioribus ad victum eorum qui omne laborum & miniſteriorum pondus ſuſtinebant aliquid demere, ſibique aſſerere præſumebant ad provendatorum ſeu præbendatorum diminutionem quibus tenuiores parcius alebantur. Hæc ſcitè obſervat Baluſius.

## *CONCILIVM ARELATENSE VI. Chriſti anno 813.*

1. Studio ſuccenſus Carolus Magnus conſtabiliendæ per omnem ſuam ditionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ uno eodemque anno Chriſti 813. quinque indixit diverſis locis Epiſcoporum Concilia ut refert Eghinartus in Chronico, regni ſui anno 45.Pontificatus vero Leonis tertij 18.ſcilicet Arelatæ, Moguntiæ, Rhemis Turonibus & Cabilone. Arelatenſi Concilio præſedit Joannes Arelatenſis Archiepiſcopus, eique proximus aſſedit Nibridius Archiepiſcopus Narbonenſis, intra S.Stephani Proto-martyris Eccleſiam. Solitis igitur præmiſſis ad Deum precibus exaratum eſt in primis Chriſtianæ fidei Symbolum quod inter alia Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere profitetur.

2. Can.III. *Ignorantia mater eſt cunctorum errorum & maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim ſanctas Scripturas legere admonet Paulus Apoſtolus dicens ad Timotheum : attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas & Canones,at omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat,atque ædificent cunctos tam fidei ſcientiâ quam operum diſciplinâ.* His accedunt reliquæ Scripturæ Oſee 4. *Conticuit populus meus eo quod non habuerit ſcientiam. Et quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem de ore eius requirent qui Angelus Domini exercituum eſt.*

Canon hic Arelatenſis deſumptus eſt ijſdem verbis ex Toletano Concilio quarto cap.25.eſtque in decreto inſertus c.ignorantia diſt.38. de neceſſaria canonum peritia ſic habet Celeſtini I. epiſtola ad Calabriæ & Apuliæ Epiſcopos. *Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, ne quidquam facere quod Patrum poſſit regulis obviare.* Citatur c. Nulli Sacerdotum diſt.38. Concilium vero Aurelianenſe tertium can.33. ita ſciſcit *Canones ſuos nec ignorare quemquam nec diſſimulare id eſt præterire præmittitur.* Aurelianenſe deinde quartum can.6. *Parochiani Clerici à Pontificibus neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi vel populi quæ pro ſalute eorum decreta ſunt excuſent poſtmodum ignoraſſe.* Poſſidius in Auguſtini vita cap.8. *Auguſtinus fategit* (inquit) *ut Concilijs conſtitueretur Epiſcoporum ab ordinatoribus debere ordinandis vel ordinatis omnium ſtatuta Sacerdotum in notitiam deferri.* Ipſeque Auguſtinus epiſt.110. & à ſe & à Valerio ſimul in ſui ordinatione Epiſcopali violatum ignoranter fuiſſe Nicænum canonem vetantem duos ſimul eſſe civitatis ejuſdem Epiſcopos ultro fatetur. Idem quoque in Concilio Carthaginenſi ſexto Sardicenſem generalem Synodum cui Gratus Carthaginēſis Epiſcopus cum multis alijs Africanis interfuerat, prorſus neſcivit in qua Eccleſia de Ariana hæreſi triumphum habuerat; cum tamen Sardicenſe Concilium nihil aliud fuiſſe velit Auguſtinus quā Arianorum conventiculum. Adeò humanitatem quantumvis ſtudioſam & eruditam ſuperexcedit rerum omnium etiam Eccleſiaſticarum perfecta cognitio.

3. Can.VI. *Providendum neceſſe eſt unicuique Epiſcopo qualiter Canonici vivere debeant, necnon & Monachi, ut ſecundum ordinem Canonicum vel regularem vivere ſtudeant; ut ait Apoſtolus,unuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt in ea permaneat.*

Hic locus & occaſio ſuboritur jura tum divina tum Eccleſiaſtica congerendi quibus potiri Epiſcopi

copi

Digitized by Google

copi debent in proprias Eccleſias & clerum. Jus divinum ſuppeditant ſacræ litteræ Act.20. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Et ad Tit.1. *Hujus gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas & conſtituas per civitates Presbyteros ſicut ego diſpoſui tibi.* Præterea idem Apoſtolus 1. ad Tim.5. *Adverſus Preſbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus vel tribus teſtibus. Peccãtes coram omnibus argue ut cæteri timorem habeant.* Sanctus Ignatius Apoſtolorum coœvus & propago nihil adeo frequenter urget quam ut Presbyteri Diaconi, cæterique Clerici & Laici ſuis obtemperent Epiſcopis in ſcriptis ad Policarpum, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Philadelphienſes litteris. Additque ſcribens ad Smyrnenſes non licere in Eccleſia quidquam agere citra Epiſcopi veniam. Item Apoſtolorum can. 40. *Præcipimus ut Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ ejus fidei committendæ ſunt, multò utique magis oportuerit & de pecunijs mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur. Neque non cum timore Dei ſummaque ſollicitudine per Presbyteros ac Diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem & ipſe ſi modo indiget, quantum ad neceſſarios ſuos & hoſpitio exceptorum fratrum uſus opus habet.* Idem pariter ſtatuitur Antiocheni Concilij can. 25. S. Cyprianus epiſt.34. Clero ſuo populoque mandat ut ordinatis à ſe lectoribus Celerino & Numidico parem cum Presbyteris portionem erogent. *Cæterum*(ait) *Presbyterij honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Quam epiſtolam Cyprianus tempore ſuæ in perſecutione fugæ ſcripſit. Concilia Nicænum I. can.5. & Antiochenum can.5. & Sardicenſe can. 13. quoſcumque Clericos cenſuræ judicioque propriorum Epiſcoporum ſubjecerunt ut ab his excommunicari ſi commeriti fuerint valeant, eorumque cenſuris ligati permaneant in omnibus ad quaſcunque pertexerint aliorum Epiſcoporũ diœceſibus. Antiochenus can. 3. omnibus prohibet Clericis peregrè proficiſci abſque ſuorum Antiſtitum literis à quibus alioqui ſint depoſitione plectendi. Canones Apoſtolorum 15.16. & 32. & Synodus Sardicenſis can.16. 18. 19. vetant Presbyterum vel Diaconum vel Subdiaconum alterius Diœceſis ſuſcipi abſque proprij Epiſcopi commendatitijs literis, aut Clericum ſine dimiſſoribus ordinari. Eædem prohibitiones iterantur in Concilio Carthaginenſi primo ſub Julio Papa can.5. & in Agathenſi can.38. & 52. Calchedonenſis autem Synodi can.4. Monachis quibuſcumque interdicit Monaſteria vel Oratoria injuſſu Epiſcoporum erigere, juberque his eſſe ſubditos : quod idem decernitur canone Agathenſi 58. & à Juſtiniano in authen. de Eccleſiaſ. titu. §. ſi quis autem, & in authen. de Monachis §.1. & in authen. ut nullus fabricet domos Oratorij præter volun. Epiſc. §.1. conſilium ſimiliter Aurelianenſe tertium citatum c. nemo Eccleſiam de conſecr. diſt. 1. hoc idem diſponit, & c. autoritate de privile. in 6. etiam in exemptis quibuſlibet. Eadem ſancit Concil. Trident. ſeſſ.23. cap.3. de regular.

4. De inſumendis autem & applicandis Eccleſiarum oblationibus Nationale Concilium Aurelianenſe tertium anni 540. ſic ſtatuit can. 5. *Si quæ oblationes in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in civitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in ejus ſit arbitrio quid ad reparationem Baſilicæ aut obſervientium ibi ſubſtantiam deputetur. De facultatibus vero Parochiarum vel Baſilicarum in pagis civitatum conſtitutis ſingulorum locorum conſuetudo ſervetur.*

5. Quod verò ad perſonarum attinet correctionem ejuſdem Concilij can.10. ſic cavetur. *Si qui Clerici miniſteria ſuſcepta quacumque occaſione agere ſicut & reliqui detrectant, & excuſationem de patrociniis quorũcunque ne officiũ impleant prætendunt, ac Sacerdotes ſuos* (de Epiſcopis loquitur) *ſub hujuſmodi cauſa æſtimant per inobedientiam contemnendos, inter reliquos Canonicos ne hac licentia alij vitientur, nullatenus habeantur : neque ex rebus Eccleſiaſticis cum Canonicis ſtipendia aut munera percipiant.* Et Concilium generale Lateranenſe ſub Calliſto ſecundo anno habitum 1122. ſic conſtituit cap.4. *Secundum Apoſtolorum Canones omnium Eccleſiaſticorum negotiorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet.* Et cap.7. *Nullus* (inquit) *Archidiaconus vel Archipresbyter aut Præpoſitus aut Decanus animarum curam vel præbendas Eccleſiæ ſine judicio vel concenſu Epiſcopi alicui tribuat, imo ſicut ſanctis Canonibus conſtitutum eſt cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Gregor. magnus allegatus in c. ſi quis de major. & obed. jam ante ſic ſtatuerat. *Si quis venerit contra decretum Epiſcopi ab Eccleſia ejiciatur.* Huc ſpectat memorabilis illa Caroli IX. in comitijs Aurelianenſibus conſtitutio art.11. *Sancimus cunctos Canonicos & Capitula tam ſecularia quàm regularia Eccleſiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum, ſubjecta eſſe Epiſcopo diœceſano, nec ullo poſſe uti privilegio ad evitandam viſitationem, aut criminum pœnam.* Ipſaque ejuſdem Caroli mandata ſuis ad Concilium Tridentinum legatis hoc exprimunt art. 26. *Reſtituantur Epiſcopis intra omnem Eccleſiaſticam diœceſim Eccleſiaſtica juriſdictiones, & tollantur omnes exemptiones.* Ipſum verò Tridentinum Concilium ſeſſ.6. cap.4. de refor. confirmat his verbis; *Capitula Cathedralium & aliarum majorum Eccleſiarum illorumque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententijs, juramentis, concordijs, quæ tantum ſuos obligant auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint quo minus à ſuis Epiſcopis & alijs majoribus Prælatis, per ſeipſos ſolos vel illis quibus ſibi videbitur adjunctis, juxta Canonicas ſanctiones toties quoties opus fuerit viſitari, corrigi, & emendari, auctoritate Apoſtolica poſſint & valeant.* Vide quoque ſi lubet idem Concilium ſeſſ. ult. cap.6. de refor. ſtatuit vero c. cum non liceat de præſcript. *Subditum non poſſe præſcribere contra obedientiam & reverentiam Epiſcopi.*

6. Ipſe vero Feuretus tract. de abuſu lib.3. c.3. §.12. regulas generales præſcribens quibus ſecundum Gallicanam praxim diſcernantur legitimæ ab abuſu appellationes ab illegitimis, hæc ita effatur. *La dixiéme de ces regles eſt que l'exemption des Chapitres & des Reguliers de la juriſdiction des Ordinaires donne lieu aſſez frequemment aux appellations comme d'abus, comme eſtant le droit public de la juriſdiction des Ordinaires violé par ces exemptions*

*exemptions accordées contre l'authorité, puiſſance, & juriſdiction Dioceſaine. L'on a raiſon de qualifier ces exemptions du nom de privilege, parce qu'elles derogent au droit commun, qui ſoumet aux Eveſques les Chanoines, auſſi bien que les Religieux.* (& poſt pauca) *pourtant comme on a reconnu depuis que ces pretendus privileges & immunitez trop facilement accordées aux Colleges des Chanoines n'appartoient aucune utilité à l'Egliſe, au contraire qu'elles fomentoient les diviſions & procés ſans fin entre les Chapitres exempts & les Eveſques, les Cours Souveraines du Royaume ont tant qu'elles ont pû travaillé à maintenir les droits des Ordinaires contre les privileges.* Auctor quoque tractatus admodum docti de juribus, immunitatibus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ poſtquam multa protulit Senatuſconſulta regni quibus ſupremæ Curiæ adverſus hujuſmodi exemptiones Capitulorum & Canonicorum hierarchicum ordinem & conſtabilitam adeò juriſdictionem Epiſcopalem invertentium, his demum verbis concludit, *L'on reſtraint en France tant que l'on peut ces ſortes d'exemptions comme eſtant contre la liberté des Egliſes.*

7. Hos demum exemptionum abuſus prudenter advertit, & ad præcautionem hîc admonet Concilium Tridentinum ſeſſ.24. de refor. cap.11. *Quoniam* (inquit) *privilegia & exemptiones quæ varijs titulis plerumque conceduntur hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur.* Ideoque idem Concilium ſeſſ.6.cap.3.& 4. de refor. declarat nullis exemptionibus ordinarios præpediri quominus viſitare & criminalibus formis procedere poſſint adverſus ſubditos Clericos ſeculares ubicunque delinquentes. Nulla verò præſcriptione acquiri exemptionem adverſus Ordinarium poſſe definitur cap. cum non liceat de præſcript.

8. Can. VII. *Vt in Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ & ætatis provectæ viri ad quaſcunque earum neceſſitates & miniſtrationes permittantur intrare; ad faciendas vero Miſſas qui ingreſſi fuerint ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt: alias autem nec Monachus nec Clericus juvenis ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi aut paterna aut germana neceſſitudo probetur admittere.*

Moniales nullam habebant extra clauſtra Eccleſiam, ſed interius in quod conveniebant oratorium ad Miſſæ aſſiſtendum & pſallendum, ſic etiam in Turonenſi hoc eodem anno celebrato Concilio can.29. *Presbyteris Diaconibus cæteriſque Clericis intra Clauſtra in Monaſteriorum puellarum non ſit conceſſum habitare. Neque enim intrent Monaſteria niſi tempore quo Miſſarum ſolemnia celebranda ſunt, vel alia qualibet Eccleſiaſtica officia peragenda, quibus peractis ſtatim egrediantur ne ibi poſtea aliquam moram faciant. Similiter & alijs hominibus eadem Monaſteria frequentare importunè cupientibus omnis aditus præcludatur.* Similiter Concilium Forojulienſe anni 791. dum can.12. providet ne ullus Clericus, aut etiam Archimandrita ad prædicandum Monialibus Dei verbum Clauſtra illarum niſi de licentia Epiſcopi ingrediatur, ſatis arguit caruiſſe olim Eccleſijs externis Monaſteria ſanctimonialiū ex quibus ut nunc ſit illis prædicaretur. Eadem habentur in Concilijs eodem an.813. ſub eodem Carolo initis Turonenſi can.29. & Cabilonenſi ſecundo can. 16. deinde ſub Ludovico Pio in Aquiſgranenſi part.1. can.27.

9. Can. VIII. *Vt non amplius ſuſcipiantur in Monaſterio Canonicorum atque Monachorum ſeu etiam puellarum, niſi quantum ratio permittit & in eodem Monaſterio abſque neceſſariarum rerum penuria degere poſſunt.*

Eodemque anno Moguntinenſis can.19. *Vt plures non mittantur in Monaſteria Canonicorum & Monachorum, aut etiam puellarum quam ſufferri poſſit.* Ejuſdemque anni Rhemenſis can.27. *Vt in Civitatibus & Monaſterijs non major numerus ſervientium Deo mittatur quam poſſibilitas eis miniſtrandi fuerit.* Turonenſis ejus quoque anni can.31. *Vt in Monaſterijs Canonicorum, Monachorum, ſeu puellarum major hominum numerus non admittatur quam facultas Monaſterij poſſit ſufferre.* Idem ſtatuitur Concilij Tridentini ſ.25.cap.3. de regularib.

Can XVII. *Vt unuſquiſque Epiſcopus ſemel in anno circumeat Parrochiam ſuam noveritque ſibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impoſitam. Ideoque dum conſpiciunt judices ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, prius eos Sacerdotali adminiſtratione redarguant. Etſi contempſerint emendari, eorum inſolentia Regis auribus intimetur; ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, Regalis poteſtas ab improbitate coërceat.* Huic ſimilem iiſdem ferè verbis canonem 31. ediderat *Concilium Toletanum quartum anno 633.*

Can.XVIII. *Vt Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant chriſma & nulli ſub prætextu Medicinæ vel cujuſlibet rei donare præſumant. Genus enim Sacramenti eſt & non ab alijs niſi à Sacerdotibus contingi debet. Quod ſi fecerint honore priventur.*

Can. XIX. *Vt parentes filios ſuos & patrinī eos quos de fonte lavacri ſuſcipiunt erudire ſummopere ſtudeant. Illi quia eos genuerunt & eis à Domino dati ſunt, iſti quia pro eis fidejuſſores exiſtunt.*

Can. XXII. *Vt placita publica & ſecularia neque in atrijs Baſilicarum, neque in ipſis Baſilicis fiant dicente Domino domus mea domus orationis vocabitur.*

Vide c.1. de immunit. Eccle. & c. decet eodem in 6. Et quod ſequitur proximè Concilium Moguntinum c.40.

10. Can.XXV. *Vt ſi quis beneficium de rebus Eccleſiæ habet ad tecta ejuſdem Eccleſiæ reſtauranda vel ad ipſas Eccleſias ædificandas adjuvet.*

Hoc idem fuerat ſub Carolo quoque Magno conſtitutum in Concilio Francofordienſi Adriano Papa I. Pontifice can.26. *Vt domus Eccleſiarum & tegumenta ab eis fiant emendata vel reſtaurata qui beneficia exinde habent,* Repetita fuit eadem ſanctio in Concilio Moguntino ſub eodem Carolo can.42.

ratorem conſpirationis, deinde multis cruciatibus vexato, eo quod libellus renunciationis proprij Patriarchatus non potuiſſet ab ipſo extorqueri; Photium laicum & aulicum magnáque apud Cæſarem Bardam gratiâ pollentem in locum depoſiti ſubrogavit: eximij quidem hominem ingenij, ſed ambitionis & malitiæ perditiſſimæ. Hunc Gregorius Syracuſanus ab Ignatio in Concilio ob inſignia crimina damnatus & communione atque dignitate depoſitus, quam poſtea Ignatij ſententiam Benedictus Papa tertius confirmarat, Conſtantinopolitanum Epiſcopum conſecravit anno 858. qui fons & origo eſt graviſſimarum quibus deinceps Eccleſia Dei conflictata eſt calamitatum. Photius execratione verius quam conſecratione Patriarchicum invadens Thronum, nihil moratus eſt Conciliabulum Conſtantinopoli cogere quo Ignatium damnavit. Sed ipſe à Nicolao Papa damnatus auſus eſt viciſſim Nicolaum damnationis ſententiâ perſtringere. Miſit etiam in Italiam qui hanc Pſeudoſynodi ſententiam & Nicolai abdicationem publicarent. Quin etiam ſuam ulterius provexit audaciam, miſſis muneribus ſcriptiſque literis ad Ludovicum ſecundum Occidentis Imperatorem ejuſque conjugem Auguſtam, ut ſe ſuoſque populos à communione Nicolai hæretici ideóque œcumenicâ totius Orientis Synodo juſtè damnati ſubtraherent.

20. Cæterum Deus non diſtulit meritas pœnas de malorum primario authore ſumere; anno enim 867. Michaël Imperator Bardæ ſuperbiam peroſus, eíque diffidens, eundem per Baſilium Macedonem trucidari juſſit. Cujus cadaver fœde diſcerptum lacerúmque plebs per vicos & compita traxit. Baſilius Auguſti dignitate, à Michaële donatus eſt: quam integritate morum, juſtitiæque ſtudio, & bellicis de Saracenis & Manicheis ſucceſſibus illuſtravit. Photium vero ſede ejecit, ad eámque Ignatium honorificè revocavit. Cum vero Baſilius Michaëlem Imperatorem ejus nominis tertium aurigationibus, ſtupris & perpotationibus & ludis prorſus addictum, prudentibus admonitionibus ad meliorem frugem adducere ſtuderet, illius odium & inſidias in ſe excivit: quas ut anteverteret, cum præſertim remigi cuidam temulentus Imperium ſi ab ipſo Baſilius perimeretur promiſiſſet Michaëlem obrutum vino Baſilius interemit anno 867.

21. Inde Chriſti anno 869. ſtudio & curâ Baſilij & Ignatij octava & ultima Græcorum habita eſt Conſtantinopoli Synodus œcumenica cui præſederunt, Hadriani Pontificis hoc nomine ſecundi Legati à latere Donatus Epiſcopus Oſtienſis, & Maximus S. R. E. Diaconus, quibus tertium ſociavit Stephanum Epiſcopum Nepeſinum; in Concilio pariter interfuerunt (ut refert qui etiam interfuit Anaſtaſius) S. R. E. Bibliotecarius, legati duo à Ludovico ſecundo Occidentis Imperatore directi, actione quinta ſexta & ſeptima Photius invitus in Synodum juſſu Baſilij eſt introductus tanquam laïcus, qui cum baculo innixus ingrederetur, juſſus eſt à Maximo Apoſtolico legato illum dimittere, quod ſignum eſſet Paſtoralis quâ erat indignus authoritatis. Pluries interrogatus hoc unum impudenter reſpondit ſe Chriſti exemplo tacere cum judicaretur: A Patribus ergo approbata ſunt omnia Synodorum ſub Ignatio primùm, deinde ſub Nicolao Pontifice acta, omnéſque in Photium prolatæ ſententiæ. Geſta vero per Photium ejúſque Pſeudoſynodum abrogata & damnata qui Photio adhæſerant pœnitentes in conſeſſum admiſſi ſunt, & poſt injunctas quaſdam orationes & jejunia pacem Eccleſiæ ſolutis quæ contraxerant anathematibus acceperunt: Verumtamen anno demum 878. quo Ignatius vita ceſſit ſedem priſtinam Photius recuperavit à Baſilio revocatus. Hujus certe nullatenus excuſari culpa poteſt adverſus uſque adeo pernicioſum & inemendabilem Schiſmaticum qui tot mala perpetrarat & qui deinceps Eccleſiam Dei in multa ſæcula proſcidit atque peſſumdedit. Joannis pariter octavi Pontificis Romani facilitas jure redarguitur; qui miſſis ad ſe legationibus tum Baſilij tum Photij per ſibi fidiſſimum præſtigiatorem Theodorum Santabarenum conſenſit illum in Eccleſiæ communionem & in priſtinam Patriarchatus dignitatem recipi. Sequuta eſt Conſtantinopoli anno 879. Pſeudoſynodus Photiana quam Photius & hodierni Græculi voluerunt dici octavam & œcumenicam Synodum quâ ea quæ vere octava eſt præcedens ſub Hadriano ſecundo Pontifice adverſus Photium Synodus, una cum omnibus per Nicolaum & Hadrianum adverſus eumdem invaſorem actis & decretis abrogantur. Joannes vero Papa ſequenti anno iſtam Photianam Synodum reprobavit miſſo Conſtantinopolim legato Maximo qui ea quæ perperam legati Apoſtolici vel geſſerant vel diſſimulaverant, in irritum revocavit.

22. Multa quæ Baſilius inconſultè egit artibus & fallaciis inſignis magi & impoſtoris Theodori Santabareni Photio amiciſſimi ſunt attribuenda. Leo Baſilij Filius ægre ferebat Patrem ſuum divinis attribuere miraculis præſtigias diabolicas nequiſſimi viri, eumdem

Digitized by Google

## CONCILIVM MOGVNTINVM *anno* 813.

1. MOguntia ad Rhenum ſita primum habuit Archiepiſcopum Bonifacium Germanorum Apoſtolum. Hujus Præſul privilegio gaudet primi Electoris Imperij cui officium & ſollicitudo competit cæteros Electores convocandi, ad Imperatoris electionem. Civitas hæc ab antiquis, indiſcriminatim & Moguntia ſive Maguntia dici ſolet, Vulgo *Mentz*. Coactum iſtud Concilium fuit ſedente Romæ Leone tertio, regnante & Imperante Carolo magno qui hanc ſimul cum alijs quatuor Synodis eodem Chriſti Domini anno 813. propter morum reformationem & inſtaurandam Eccleſiæ per univerſum ſuum Imperium diſciplinam voluit convocari.

2. Can. IX. *In omnibus igitur quantum humana permittit fragilitas decrevimus, ut Canonici Clerici Canonicè vivant, obſervantes divinæ Scripturæ doctrinam & documenta Sanctorum Patrum, & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui vel Magiſtri eorum compoſitè præſumant agere in unoquoque Epiſcopatu. Et ut ſimul manducent & dormiant ubi his facultas id faciendi ſuppetit, vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt; & in ſuo clauſtro maneant, & in ſingulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones ſuis magiſtris exhibeant.*

Conſuetudo erat ab antiquis ducta temporibus ut propter Eccleſiam vel in ipſo Epiſcopio, vel in ædibus Epiſcopio contiguis Canonici clerici in commune viverent, perinde ac in cœnobijs communi utentes menſa, & in communi quieſcentes dormitorio. Ex Auguſtini ſancti Doctoris exemplo pervaſerat in diverſas regiones laudabilis iſta conſuetudo, de quo fidiſſimus ejus diſcipulus Poſſidonius hæc perhibet vitæ ipſius cap. 52. *Cum ipſo ſemper Clerici una etiam domo & menſa ſum ptibuſque communibus alebantur & veſtiebantur.* Hilarius etiam ex Monacho Lirinenſi ad infulas Arelatenſis Eccleſiæ promotus ſimilem inſtituit Clericorum congregationem, de qua Hilarij diſcipulus Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus ſic in ipſius vita refert cap. 7. *Congregationem ſubito inſtituit ſecreti cupidam, continentia virtute creſcentem, quam ſuo non minus bene imbuit exemplo quam formavit eloquio.* Morienſque Hilarius ad hanc Congregationem ſalubria monita effatus eſt quæ idem commemorat Honoratus cap. 20. Concilium Aurelianenſe ſecundum can. 9. providet ne Clerici cum ſecularibus habitent. Aquiſgranenſe ſub Imperatore Ludovico Pio Concilium can. 121. & 122. ſancit cunctis Clericis æqualiter cibos diſtribui ad menſam idemque can. 134. modum & formam præſcribit correctionis Clericorum in commune viventium huc pertinet Concilij Turonenſis tertij can. 23. & Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio eadẽ ſtatuit p. 1. can. 118. quin etiam can. 143. jubet præfici portæ Clericum laudabilem, qui Canonicorum portam competenti tempore claudat ac reſeret, ne cuiquam liceat abſque ſpeciali præfecti licentia ingredi vel egredi; & ut janitor expleto completorio, obſeratiſque portis claves ad præfectum deferat, quas poſtridie mane ab eodem reſumat.

3. Præter iſtam Canonicorum unâ viventium & cohabitantium congregationem, erant inſuper juniorum Clericorum ſcholæ ijſdem in ædibus communiter ſub Magiſtri educatione ac inſtitutione viventium, de quibus præcipit Concilij Toletani II. can. 1. *Iuvenes Clericos in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia per ſibi præpoſitum erudiri.* Qui duo Canones Toletani leguntur in decreto diſt. 28. c. de his & 12. q. 1. c. omnis ætas. Concilium præterea Toletanum IV. can. 24. conſtituit *ut puberes omnes & adoleſcentes Clerici in uno atrij Conclavi ſimul habitent, diſciplinis Eccleſiaſticis inſtituendi ſub ſenioris magiſtri probatiſſimi cura.* Præfatum etiam Concil. Aquiſgranenſe can. 135. regulam præſcribit & modum educationis & convictus puerorũ Clericorum. Similiter edicit Concil. Pariſienſe lib. 1. cap. 30. Denique Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 18. de refor. provideri jubet in ſingulis diœceſibus Seminaria & Scholas Clericorum pro eorundem inſtitutione. De his plenius Concilia & acta Mediolanenſis Eccleſiæ ſub Sanctiſſimo Præſule Carolo Borromæo.

4. Quod vero canon iſte Moguntinenſis præſcribit de lectione ad menſam, res eſt antiquioris inſtituti. Caſſian. lib. 4. de inſtitu. renunc. cap. 17. fidem facit Monachos in Cappa. Baſilius ipſe Cappadox & Monachorum pater ac inſtitutor, cum in regulis brevioribus hanc format interrogationem 180. *Cujuſmodi affectione atque attentione audienda ſint quæ nobis ad menſam accumbentibus leguntur.* Auguſtinus item in regula. *Cum* (inquit) *acceditis ad menſam donec inde ſurgatis quod vobis ſecundũ conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite.* Benedictus pariter in regula cap. 38. *Menſis fratrum edentiũ lectio deeſſe non debet.* Greg. Magn. lib. 2. ep. 37. deſcribens qualia eſſe debent Epiſcoporum convivia præcipit, *ne in eis inanes ſecularium negotiorum fabulæ, ſed verba ſacra lectionis audiantur.* Citatur à Gratiano c. convivia diſt. 44. his accedit Laurentius Juſtinianus lib. de diſcipl. & perfec. Mona. conv. cap. 10. *indignum prorſus eſt & à via ſpiritus alienum ut mens quæ nullo corporali eget alimento, corpore ſe reficiente jejuna permaneat: propter quod ſemper refectionis tempore aliquid de divinis Scripturis legendum eſt, quatenus interior homo habeat unde nutriatur, divina namque eloquia & lectio Scripturarum ſic animæ ſicut panis corpori tribuit nutrimentum, juxta Domini ſententiam dicentis: non in ſolo pane vivit homo ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quin etiam qui inter Ethnicos ſapientiores habiti ſunt, ſolliciti fuerunt animum lectione paſcere, dum corpus in menſa ſuo paſcebatur alimento. Cornelius nepos in vita Titi Pomponij Attici de hoc ipſo fidem facit: *nemo in convivio ejus aliud ἀκρόαμα audivit quam anagnoſtem; neque unquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt, ut non minus animo quam ventre convivæ delectarentur. Namque eos vocabat quorum mores à ſuis non abhorrerent.* Plinius junior de ſe ſcribit ad Fuſcum lib. 6. ep. 36. *Cœnanti mihi cum uxore & paucis liber legitur.* Quâ in re avunculi ſui Plinij ſenioris imitabatur exemplum de cujus Cœna iſte illius ex ſorore nepos hoc teſtatur lib. 3. epiſt. 5. *Super hanc liber legebatur.* Sed iſta tractatio Sancti alicujus exemplo ſicut eam cœperam

concludenda eſt. Scribens Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus Hilarij Arelatenſis præceptoris ſui vitam hoc inter alia commemorat. *Sedili menſaque appoſita liber ingerebatur qui præbebat animo cibũ.*

Can. XVII. *Nos autem qui relinquimus ſæculum id modis omnibus obſervare volumus, ut arma ſpiritualia habeamus ſecularia dimittamus. Laicis vero qui apud nos ſunt arma portare non præjudicemus, quia antiquus mos eſt & ad nos uſque pervenit.*

5. Can. XXVIII. *Presbyteri ſine intermiſſione utantur orarijs propter differentiam Sacerdotij dignitatis.*

Quidam ex iſto Canone occaſionem ſumpſere tertiam quandam orarij ſignificationem comminiſcendi, ut non tantum ſtolam Diaconicam aut Sacerdotalem connotet, ſed etiam longam ac talarem Eccleſiaſticam veſtem, ſed conjectores iſtos lubens interrogaverim an exiſtiment eam Concilij fuiſſe mentem ab veſtis talaris geſtamine ſacros Diaconos excludendi, cum velit hoc habitu Sacerdotes à quibuſcunque alijs Clericis diſcerni, *propter differentiam* (inquit) *Sacerdotij dignitatis.* Non igitur fas erit Diaconis veſtes deferre Clericales, quæ non aliæ cenſendæ ſunt quam talares. Conſtituti ergo in ſacris Clerici ſecundum præclaram iſtam diſciplinam ad ſecularium & gregariorum militum decurtatas veſtes redigendi erunt: idemque de inferioribus Clericis erit ſtatuendum; ne qua Sacerdotalis dignitatis fiat ab eis invaſio, cõtra conceſſũ jus iſtud ſolis Sacerdotibus inſigne. Atque ita eliminandus erit Concilij Matiſconenſis primi perpetuâ obſervantiâ digniſſimus Canon quintus ſic edicens : *Vt nullus Clericus ſagum aut veſtimenta vel calceamenta ſecularia, niſi quæ Religionem deceant induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem Clericus cum indecenti veſte aut cum armis inventus fuerit, à ſeniore ita coërceatur, ut triginta dierum incluſione detentus aquâ tantum & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.* In confeſſo eſt apud omnes ſagum eo quod brevius eſſet, fuiſſe indumentum militare à toga veſte Romanorum pacifica diſtinctum, quatenus toga quæ longior erat prolixitate ſua impedimento erat tum motuum celeritati, tum armorum tractationi. Habitus utique Clericalis fuit ſemper à laicorum indumentis diſtinctus, ideoque Religioſi habitus nomine honeſtatus. Sic Conſtantius Presbyter in vita ſancti Germani Antiſiodorenſis Epiſcopi de ejus tonſura & amictu Clericali hæc ſcribit. *Ipſe vero* (ſcilicet Amator Antiſiodorenſis Epiſcopus qui Germano Clericalem tonſuram & veſtem Clericalem indidit : ) *Glomerata ſecum turba Clericorum atque nobilium injiciens manus, Germanum apprehendit & invocato nomine domini cæſariem ejus capiti detrahens habitu Religionis rejectis ſecularibus ornamentis cum promotionis honore induit.* Sidonius lib. 4. epiſt. 24. de Maximo loquens ex Palatino facto Clerico ſic deſcribit illum: *Multum ab antiquo diſſimilis inceſſu, habitus viro & gradus, pudor, color, ſermo Religioſus fuit.* Pontificale Romanum in oratio. 1. de Clerico faciendo Clericalem veſtem vocat habitum Religionis, & addit Clericum ignominiam habitus ſæcularis deponere. Hoc igitur unum decernit noſter hic Moguntinenſis Canon debere à Sacerdote etiam extra Eccleſiæ ſepta deferri ſtola illa ſacra quâ in ſacris Miniſterijs utitur in ſuæ dignitatis inſigne, quo à reliquis Clericis ſimilẽ cum illo deferentibus Clericalem ac talarem veſtem diſcriminetur : tum etiam quia plerunque etiam ex inopinato contingit, ut ægrotis aut ſubito vulneratis, aliterve de vita periclitantibus, teneatur abſolutis Sacramentum extra Eccleſiam impendere : cui ſimilem ob cauſam jubet prima Synodus Arauſicana can. 2. ne unquam Sacerdos cui cura incumbit animarum, nimirum propter repentina & inopina vitæ diſcrimina, ut ſit in promptu paratus ad operam ferendam, ſine chriſmate progrediatur.

Can. XLV. *Symbolum quod eſt ſignaculum fidei & orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum, volumuſque ut diſciplinam condignam habeant, qui hæc diſcere negligunt, ſive in jejunio ſive in alia caſtigatione emendentur. Propterea dignum eſt ut filios ſuos donent ad ſcholam, ſive ad Monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant & orationem Dominicam ut domi alios edocere valeant : & qui aliter non potuerit in ſua lingua hoc diſcat.*

Can. XLVII. *Deinde præcipimus ut unuſquiſque compater vel proximi, ſpirituales filios ſuos Catholicè inſtruant.*

Can. LIV. *Contradicimus quoque ut in quarta generatione nullus amplius conjugio copuletur : ubi autem poſt interdictum factum inventum fuerit ſeparetur.*

6. Can. LV. *Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem : nec illam cujus filium aut filiam ad confirmationem duxerit ; ubi autem factum fuerit ſeparentur.*

Anteriores quidam Canones ulterius cognationis & affinitatis graduum impedimenta extenderant, ex quibus haud ſatis perſpectis innumeræ naſcebantur inceſtæ conjunctiones. Liquet verò ex Sancti Papæ Gregorij epiſtola ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum, & ex teſtimonio Aſidori Hiſpalenſis, atque reſcripto Alexandri ſecundi graduum prohibitionem quoad conjugia uſque ad ſeptimum generationum gradum fuiſſe protenſam. Vide congeſta illa teſtimonia in decreto Gratiani cauſa 35. q. 5. Gregorius porro epiſt. ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum quæ eſt 31. lib. 12. fidem facit ea quæ reſpondit Auguſtino ad ejus interrogationem 6. inquit 3. & 4. cognationis gradum non arcet à nuptijs, ſolos Anglos noviter converſos reſpicere ne ſeveriore diſciplina ipſi à fide deterreantur. Sed Lateranenſe ſub Innocentio tertio Concilium, & Tridentinum prohibitionem ad quartum gradum conformiter huic Moguntino decreto reſtrinxerunt.

7. Can. LVI. *Si quis uxorem viduam duxerit & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit : ſeu duabus ſororibus nupſerit, aut ſi qua duobus fratribus nupſerit, ſeu cum Patre & Filio, tales copulationes anathematizari, & disjungi*

jungi

Digitized by Google

*jungi præcipimus, nec unquam amplius conjugio copulari.*

Inceſtæ hujuſmodi ſupervenientes contracto jam matrimonio conjunctiones perplexam olim deſtinaverunt atque etiam nunc deſtinent Eccleſiam, adeò ut nonnulli magnæ authoritatis Patres ut Baſilius in epiſt. ad Amphilochium diſſolutionem rectè contracti matrimonij conjugi innocenti permiſerint, ut poſſit ad ſecundas nuptias convolare, uſu verò temerati illius per ſuccedentem inceſtum matrimonij utrique conjugi prorſus interdixerint, nec de diſpenſatione ad illius matrimonij uſum cogitarint, exiſtimantes ejuſmodi uſum fore deinceps contrarium juribus naturæ, ac deinde indiſpenſabilem ſaltem in primo gradu. Major vero pars veterum ſecundas ex parte innocentis conjugis nuptias minimè auſa eſt approbare, dicente Evangelio id quod Deus conjunxit matrimonium haud poſſe ab homine ſeparari, ſed ſola morte diſſolvi. Tertia demum his ſucceſſit poſterioris ſæculi opinio, matrimonium antea validum ſolo diſſolvi poſſe alterius conjugum interitu, ſed partem innocentem nullatenus excidere per alterius delictum jure exigendi debiti nuptialis. Proindeque teneri partem inceſtus ream petenti obtemperare: quin etiam poſſe hanc ipſam flagitij ream diſpenſationem ab ordinario impetrare, ut ſibi liceat partem innocentem interpellare propter urgens in tanta occaſione periculum incontinentiæ dum cohabitant ſimul: vide ſuperius admonitionis noſtræ caput quod ſubjeci poſt Nicænam ſecundam ac ſeptimam œcumenicam Synodum.

## CONCILIUM RHEMENSE II.

### Chriſti an. 813.

1. Eodem quo Arelatenſe & Moguntiacum anno 813. ejuſdem Caroli Magni juſſu Rhemenſem in civitatem quæ olim Durocottorum quoque vocabatur, diverſi confluxerunt ad Concilium Epiſcopi qui præſidente Vvsfario Rhemenſi Archiepiſcopo poſt indictas publicas ſupplicationes & triduanum jejunium (quod idem in Moguntiaco pariter Concilio factum fuiſſe memoratur) quatuor ſupra quadraginta Canones ediderunt.

2. Can. XVII. *Vt Epiſcopi & Abbates ante ſe loca turpia facere non permittant, ſed pauperes & indigentes ſecum adhibeant, & lectio divina ibi perſonet & ſumant cibum cum benedictione & laude Domini ſecundum Apoſtolum, ſive manducatis ſive bibitis omnia in laudem Dei facite.*

De lectione ad menſam vide ſuperius adducta ad Moguntinum can. 9. præcipitur proximè ſequenti Concilio Turonenſi can. 5.

3. Can. XX. *Vt Presbyteris de minore titulo ad majorem non liceat tranſmigrare.*

Hoc ipſum quoque inhibetur Turonenſis tertij Concilij quod proximè huic ſubjicietur can. 14.

Can. XXVI. *Vt Monachi & Canonici tabernas ad bibendum & edendum non ingrediantur ſicut in Concilijs Laodicenſi* (ſc. can. 24.) *& Africano* (ſc. can. 7.) *legitur eſſe interdictum.*

His adde Apoſtolorum can. 53. & paulo poſt ſequentis Turonenſis Concilij can. 20.

Can. XXV. *Vt diebus Dominicis ſecundum Domini præceptum nulla opera ſervilia quilibet perficiat, nec ad placita conveniat, nec etiam donationes, in publico facere præſumat, neque mercata exerceat.*

Vide in decreto 15. q. 4. & de conſecr. diſt. 3. & in decretalibus de Ferijs toto tit.

## CONCILIUM TURONENSE III.

### Chriſti anno 813.

1. Can. 1. & 2. enixè injungitur Epiſcopis ſacrarum paginarum lectio præcipuè vero Evangeliorum & Epiſtolarum Apoſtoli Pauli, & Sanctorum Patrum in divinas Scripturas expoſitiones. Can. 3. iiſdem cõmendat frequentem paſtoralis B. Gregorij Papæ lectionem & ſanctorum canonum. Can. 4. ut Epiſcopus ſit officio prædicationis intentus, vitæque ſuæ atque converſationis exemplis ſtudeat populũ ædificare. Can. 5. ne ſint in convivijs profuſi ſed parco & moderato victu contenti ſint. Can. 6. ut peregrinos & pauperes habeant convivas eoſque ſpiritualibus pariter reficiant alimentis.

Can. X. *Epiſcopi quidem maximam curam & ſollicitudinem circa pauperes habeant & res Eccleſiaſticas Eccleſijs collatas tanta circumſpectione diſpenſent quaſi Dei miniſtri, non quaſi turpis lucri ſectatores: illiſque ita utantur non ut proprijs, ſed ut ſibi ad diſpenſandum commiſſis.*

2. Can. XII. *Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc eſt ante trigeſimum ætatis annum. Sed priuſquam ad conſecrationem Presbyteratus accedat, maneat in Epiſcopio diſcendi gratia officium ſuum tamdiu, donec poſſint & mores & actus ejus animadverti: & tunc ſi dignus fuerit ad Sacerdotium promoveatur.*

Pulcherrimum inſtitutum ad explorandos mores, indolem, ac ingenium eorum qui ad ordines promoveri aſpirant: id nunc reſuſcitato Sacerdotali vigore ac ſpiritu in pleriſque Gallicani Regni diœceſibus obſervari conſpicimus, non quidem intra Epiſcopia, ſed intra fundata hunc ad finem Seminaria; nec tantum ad præparationem Sacerdotij, verum etiam inferiorum ordinum: quin etiã ad inſtitutionẽ ordinatorum pridem Sacerdotum, quoties & quandiu Epiſcopo viſum fuerit ejuſmodi ſeceſſum illis indicere. De ætate verò Presbyteri ne ante 30. annum conſecretur ſtatutum fuerat à



Digitized by Google

Concilio Neocæſareenſi can.11. *Presbyter ante triceſimum ætatis ſuæ annum nullatenus ordinetur licet valdè ſit dignus, ſed hoc tempus obſervet. Nam Dominus noſter triceſimo ætatis ſuæ anno baptizatus eſt & ſic cœpit docere.* Quem canonem renovavit Carolus magnus lib.1.capitul.49.& Concilium Francofordienſe can.49. Quibus ſucceſſit iſte Turonenſis canon.

Can. XIV. *De titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum ſit, ſed in eo permaneat ad quem ordinatus eſt. Quod ſi inventus fuerit contra ſtatuta id facere, eâdem feriatur ſententiâ qua Epiſcopus ſi de minore ad majorem tranſmigraverit ſedem.*

Vide Paulo ſuperius Rhemenſis Concilij ſecundi can.20. & Francofordienſis can.7. & inferiùs Meldenſis Concilij can.30.

3. Can.XXIII. *Canonici & Clerici civitatum qui in Epiſcopijs converſantur, conſideravimus ut in Clauſtris habitantes, ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur Refectorio, quo facilius poſſint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & converſatione admoneri ſuâ & doceri: victũ & veſtitum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diverſa vagari ac turpibus ſe implicare negotijs cogantur; dimiſſoque Eccleſiaſtico officio incipiant indiſciplinatè vivere & proprijs deſervire voluptatibus.*

Huic conformis eſt paulo ante notatus can.12. vide plenius de communi Clericorum vita & cohabitatione Moguntinum can. 9. Et quæcunque in eum ſuperius congeſſi. Et ne Romanæ ſedis hac de re decretum deſideres, adjungo prædictis habiti ſub Eugenio Papa ſecundo Romani Concilij an.Chr.828.canonem hunc 7. *Neceſſaria etenim res exiſtit ut juxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent. Itaque omnibus unum ſit Refectorium ac Dormitorium, ſeu cateræ officinæ ad uſus Clericorum neceſſariæ. Miniſtri vero poſt Epiſcopum ſuper eos tales eligantur quorum vita atque doctrina illos potius exornent quam dehoneſtent.* Hunc renovavit Leo Papa quartus, eundemque citat Gratianus 12. c. neceſſaria. Aliud præterea Romanum ſub Nicolao Papa ſecundo Concilium can.4. eodem collimat: *Præcipientes ſtatuimus ut ij prædictorum ordinum qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes caſtitatem ſervaverunt, juxta Eccleſias quibus ordinati ſunt ſicut oportet Religioſos Clericos ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſijs venit communiter habeant. Et rogantes monemus ut ad Apoſtolicam communem ſcilicet vitam, ſummopere pervenire ſtudeant.* Porro iſtud Romanum Concilium contigit anno Chr.1059.

4. Conterraneus ac popularis meus Ludovicus Thomaſſinus Oratorij Jesu Presbyter in præclariſſimo opere illo de diſciplina Eccleſiæ p.3. lib.1. cap.28. quatuor Seminariorum Eccleſiæ genera diſcernit. Horum enim quædam intra Epiſcopium ſeu ædes Epiſcopi inſtituta erant: quædam intra Monaſteria: tertia in ipſis communibus canonicorum ſimul conviventium habitaculis: quarta denique ſeorſum ab his in conſtitutis intra civitates contubernijs Clericorum inſtituendorum. Perſpicuus eſt iſte duodecimus Turonenſis canon, quo ſtatuitur ut qui ad Sacerdotium provehendi ſunt, per aliquod tempus in Epiſcopio maneant, ut eorum mores explorentur, & quæ ſunt Sacerdotalis officij addiſcant. Nec tantum in his inſtituebantur Presbyteri ordinandi, verumetiam Parochi cæterique Sacerdotes per Parochias diſperſi, qui per turmas aſſignatas ad Epiſcopum conveniebant, ſalutaribus monitis & doctrinis imbuendi circa mores & miniſteriũ. Sic enim decernitur lib.1.Capitular.Carol.magn.cap. 163. *Statutum eſt ut omnes Presbyteri Parochiæ ad civitatem per turmas & per hebdomadas ab Epiſcopo ſibi conſtitutas conveniant diſcendi gratia: ut aliqua pars in Parochijs Presbyterorum remaneat, ne populi & Eccleſia Dei abſque officio ſint, & aliqua utilia in civitate diſcant, ut meliores ad Parochias demum & ſapientiores, atque populis utiliores abſoluti revertantur. Et ibi ab Epiſcopo in civitate ſive à ſuis doctis miniſtris bono animo inſtruantur de ſacris lectionibus, & divinis cultibus, & ſanctis Canonibus quæ prædicare & facere debent, &c.* Canones plerique meminerunt domorum communium quas in commune incolebant Clerici ſeu Canonici ſub aliquo præfecto ſeu præpoſito, unâ eademque menſâ utentes, eodemque dormitorio, ſub ijſdem regulis & exercitijs, eademque inſtitutione & in unam redacti clauſuram, ex qua ſine præpoſiti venia pedem efferre non licebat. Sacra illa diſciplina viguit non in Gallia tantum & Germania, ſed præterea in Hiſpanijs. Etenim Concilium Toletanum univerſæ Hiſpaniæ nationale ordine quartum, anni 633. unde ſeptuaginta Epiſcoporum ſubſcriptionibus roboratum can.24. conſtituit: *Vt puberes omnes & adoleſcentes Clerici in uno atrij conclavi ſimul habitent, diſciplinis Eccleſiaſticis inſtituendi ſub Senioris Magiſtri probatiſſimi cura.* Et antea ſimiliter Toletanum Concilium ſecundum canone 1. conſtituerat juvenes Clericos in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia per ſibi præpoſitum erudiri: & habentur in decreto diſt.28. c.de his, & c.omnis ætas 12. quæſt.1. his adſtipulatur Moguntinum ſub Carolo magno Concilium communem etiam Canonicorum convictum ſtatuens, ſub ijſdem ædibus & contubernio, can.9. Et Aurelianenſe ſecundum can.9. providet ne Clerici cum ſæcularibus habitent. Aquiſgranenſe quoque ſub Ludovico Pio can. 121. & 122. ſancit Clericis cunctis æqualiter cibos diſtribui ad menſam. Canone vero 134.modum & formam præſcribit Clericorum correctionis in communi viventium. Et ſubinde can. 135. præcipit regulam & modum educationis & convictus puerorum Clericorum. Paria præterea edicit Concilium Pariſienſe lib.1. cap.30. Ne vero Italia tam ſalubri regimine excludatur, retuli paulò ante Romani ſub Nicolao Papa II. Concilij can.4. cum prædictis conſpirantem. Et ne Africa hoc etiam honore fruſtretur, de Auguſtino Hipponenſi perhibet ejus diſcipulus, & comes individuus vitæ ipſius ſcriptor Poſſidonius cap.52. *Cum ipſo ſemper Clerici una etiam domo & menſa ſumptibuſque communibus alebantur & veſtiebantur.*

5. In Monaſterijs non ſolum efformabantur juvenes ad monaſticam profeſſionem, ſed præterea ad Eccleſiaſticã pleriq; militiam Clerici & Canonici.

Cum

Cum de ſeipſo ſcribat Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus to. 2. pag. 304. *Qui in monaſterio ubi ab ipſis rudimentis infantiæ ſub canonico habitu educatus, indéque eductus, in palatio Domini Ludovici Imperatoris non modico tempore manſi. Converſis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in Monaſterio ſancti Dionyſij ubi nutritus fueram, in illud, ſæculum fugiens ſine ſpe vel appetitu Epiſcopatus aut alicujus prælationis diutius degui.* Pervulgata eſt etiam Caroli magni generalis epiſtola de ſcholis per ſingula Epiſcopia & Monaſteria conſtituendis, quæ legitur ſub finem tomi VI. Conciliorum Labbeanæ editionis. Denique Vernenſe Concilium anni 755. ſub Pipino Francorum Rege in Palatio Venno celebratum dilucide ſeminaria Epiſcopalia & Monaſtica diſtinguit, in quibus indiſcriminatim clerici virtutibus morum & Eccleſiaſticis ſtudiis inſtruebantur. Sic enim conſtituit can. 11. *De illis hominibus qui dicunt quod ſe propter Deum tonſuraſſent, & modo res eorum vel pecunias habent, & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in monaſterio regulariter vivunt; placuit ut in monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub ordine canonico. Et ſi aliter fecerint, & correpti ab Epiſcopo ſuo, ſe emendare noluerint, excommunicentur.*

Can. XXIV. *Simili modo & Abbates Monaſteriorum in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicite ſuis provideant canonicis ut habeant Clauſtra & dormitoria in quibus ſimul dormiant, ſimúlque reficiantur, horas canonicas cuſtodiant, victum & veſtimenta juxta quod poterit Abbas habeant, quo facilius ad Dei ſervitium poſſint conſtringi: ſintque Abbates ſibi ſubditis bene vivendo duces & prævij, viámque demonſtrent qua recte gradiendo ad meliorem vitam pervenire valeant.*

Can. XXV. *Monaſteria monachorum in quibus regula B. Benedicti Patris olim conſervabatur, ſed nunc forte qualicumque negligentia ſubrepente remiſſius ac diſſolutius cuſtoditur, vel certe penitus abolita negligitur; bonum videtur ut ad priſtinum revertantur ſtatum, & Abbates eorundem in eodem habitu & vita qua ipſa regula præcipit eos incedere, vivere ſtudeant.*

Can. XXXIII. *Comitibus & judicibus reliquoque populo expedit ut ſuis ſint Epiſcopis conſentientes & obedientes, propter Dei amorem ſúique gradus honorem: & ſemper ab eis utile quærant conſilium, illorúmque ſalubria non ſpernant monita; ſed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & Epiſcopi prædictas perſonas humiliter ſuſcipiant honorificéque erga eos in omnibus agant; Et ſic ſeſe mutuis ſublevare ſtudeant conſolationibus.*

Can. XXXV. *Nullus Chriſtianus pro quolibet placito vel judicio à qualibet perſona munera exigere aut accipere debet: quoniam id divina ſcriptura multis in locis magna interdicit authoritate: teſte ſcriptura quæ ait: munera excæcant oculos ſapientum & ſubvertunt verba juſtorum.* His conformatur ſequentis Cabilonenſis Concilij canon 21.

Can. XLIX. *Admonendi ſunt Domini ſubditorum ut circa ſuos pie & miſericorditer agant, nec eos qualibet injuſta occaſione condemnent, nec vi opprimant, nec aliorum ſubſtantiolas injuſte tollant, nec ipſa debita quæ à ſubditis reddenda ſunt impiè ac crudeliter exigantur.*

6. Can. L. *Vt ſi non frequentius vel ter laici homines in anno communicent, niſi forte quis majoribus criminibus impediatur.*

Majora crimina illa dicit quæ juxta veteres pœnitentiarum canones excludebant reos à ſacra communione etiam aliquando ad finem uſque vitæ. Canon attributus Fabiano Papæ & Martyri relatus in decreto c. & ſi non frequentius de conſecr. diſt. 2. & Agathenſis can. 18. Tria tempora aſſignant, Paſcha, Pentecoſtem, & natale Domini. Sæculo decimo tertio ſub Innocentio tertio Concilium Lateranenſe generale can. 1. qui incipit omnis utriuſque ſexus, omnem communicandi obligationem ordinariam reduxit ad tempus Paſchale.

## *CONCILIVM CABILONENSE ſecundum anni 813.*

1. CUm quatuor præcedentibus in ſimilia decreta conſpirat. Eſt unum quippe ex illis quinque quæ Carolus ad generalem populorum circa eorum mores reformationem, & ad ſanciendam Eccleſiarum diſciplinam uno eodémque anno 813. in diverſis provinciis celebranda indixerat.

Can. I. *Decrevimus juxta Sanctorum Canonum conſtitutionem & cæterarum ſanctarum ſcripturarum doctrinam, ut Epiſcopi aſſidui ſint in lectione, & ſcrutentur miſteria verborum Dei, quibus in Eccleſia doctrinæ fulgore ſplendeant, & verborum Dei alimentis animas ſibi ſubditas ſatiare non ceſſent. Et cum David quotidie Domino dicant, revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua. Ita videlicet ut illas ſcripturas nobiliſſimas habeant quæ canonicæ appellantur; & earum ſenſum per patrum tractatus inquirant, canones quoque intelligant, & librum Beati Gregorij Papæ de cura Paſtorali, & ſecundum formam ibidem conſtitutam & vivant & prædicent.*

Eadem primis canonibus præſcribunt Epiſcopis priores Canones Turonenſes.

2. Can. III. Providet ut juxta Caroli magni ſaluberrima monita Epiſcopi ſcholas in ſuis Diœceſibus inſtituant, in quibus litteras & ſacram diſciplinam clerici addiſcant, ad populorum doctrinam, & ad hæreſes refellendas.

Can. VI. *Imputatur quibuſdam fratribus eo quod avaritiæ cauſa hominibus perſuadeant, ut abrenunciantes ſæculo res ſuas Eccleſiæ conferant: quod penitus ab omnium mentibus eradicandum eſt. Animarum quippe ſalutem inquire-*



Digitized by Google

*re Sacerdos non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi neque circumveniendi.* (Et Paulo poſt) *Eccleſia ſancta non ſolum fideles ſpoliare non debet, quin potius in opibus opem ferre, ut debiles pauperes viduæ, Orphani & cæteri neceſſitatem patientes à ſanctâ Eccleſiâ ut à pia Matre & omnium gubernatrice ſubſidium accipiant, quia res Eccleſiæ quibus Epiſcopi non ut propriis ſed ut commendatitiis uti debent, pretia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viventium.*

3. Can. VII. Ipſos Epiſcopos & Abbates qui per avaritiam & turpe lucrum quoſlibet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione acceperunt & ſubripuerunt, pœnitentiæ ſubjacere decernit. Et accepta per circumventionẽ Dominis aut eorum hæredibus reſtitui jubet. Illis vero quos ita circumveniẽdo attonderunt libertatem adimit ad ſæculum revertendi. Notatu digna hæc ſunt quæ de Auguſtino prodit in ipſius vita Poſſidius Calamenſis Epiſcopus cap. 24. *Nam & aliquas eum hæreditates recuſaſſe novimus, non quia pauperibus inutiles eſſe poſſent, ſed quoniam juſtum & æquum eſſe videbat ut à mortuorum vel filijs vel parentibus vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt.*

Can. VIII. *Oportet etiam ut ſi Sacerdotes fruges vel quoſdam reditus terræ congregant & protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant & theſauros congregent, ſed ut pauperibus tempore neceſſitatis ſubveniant.*

Can. IX. *Queſti ſunt præterea quidam fratres, quod eſſent quidam Epiſcopi & Abbates qui decimas non ſinerent dari Eccleſiis ubi illi coloni miſſas audiunt. Proinde decrevit ſacer iſte conventus ut Epiſcopi & Abbates de agris & vineis quæ ad ſuum vel fratrum ſtipendium habent, decimas ad Eccleſias deferri faciant. Familia vero ibi dent decimas ſuas ubi infantes eorum baptiſantur, & ubi per totum anni circulum miſſas audiunt.* c. queſti ſunt. 16. q. 1.

Can. XX. *Si inter omnes fideles pax & concordia habenda eſt dicente Apoſtolo: ſequimini pacem & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum; multo magis inter Epiſcopos & Comites eſſe debet, qui poſt Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter ſe concordare debent ut alterutrum ſibi ad Dei ſervitium peragendum & miniſterium ſuum explendum non ſolum non noceant quin potius adminiculo ſint.*

Can. XXI. *Comitibus vero & judicibus hoc ſummopere obſervandum eſt ut juſtè judicent & nequaquam in judicio munera ſeu perſonas accipiant. Dicente Domino non accipies perſonam nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum & ſubvertunt verba juſtorum: ſed & miniſtros quos vicarios & centenarios vocant juſtos habere debent, ne forte eorum avaritiâ aut rapacitate populus gravetur.* Conſonat canoni 35. præcedentis Turonenſis Concilij.

Can. XLVI. *In perceptione Corporis & Sanguinis Dominici magna diſcretio adhibenda eſt. Cavendum eſt enim ne ſi nimium in longum differatur ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Si verò indiſcrete adhibeatur, timendum eſt illud quod ait Apoſtolus, qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit. Iuxta ejuſdem ergo Apoſtoli documentum probare ſe debet homo, & ſic de pane illo manducare & de calice bibere, ut videlicet abſtinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque ſuam, præparet ſe ad accipiendum ſanctum Sacramentum, exemplo David qui niſi ſe faſſus fuiſſet abſtinuiſſe ab opere conjugali ab heri & nudius tertius, panes propoſitionis nequaquam à Sacerdote accepiſſet.*

Can. XLIX. *In quibus locis & quo apparatu Miſſarum ſolemnia exceptis Baſilicis celebrari debeant, & utrum celebrari debeant in Concilio Laodicenſi ita ſcribitur, quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel à Presbyteris.* Vide quæ ſuo loco dixi ad Chalcedonenſem can. 58.

4. Can. LXI. *Non debere ſanctimoniales in propriis manſionibus cum aliquibus maſculis clericis, ſive laicis conſanguineis ſive extraneis bibere ſive comedere; ſed ſi quando id agendum eſt in auditorio agatur, & ubi auditorium deeſt fiat: & cum nullo maſculo eis colloquium habere liceat, niſi in auditorio, & ibi coram teſtibus.*

Auditorium locus eſt vulgo dictus *Parloir* quem locum Cabilonenſes Patres ubi non eſt conſtrui præcipiunt, ut rarior ſit externarum perſonarum introitus ad Clauſtra & Sanctimonialium penetralia.

## *CONCILIUM AQUISGRANENSE anni Chriſti 816.*

1. LUdovicus Pius Imperator peræque Paternæ Religionis ac Monarchiæ ſucceſſor, biennio à Patris Caroli magni obitu Concilium apud Aquiſgranum convocavit: cujus ampliſſima capitula pro majori parte ex Sanctorum Patrum Eccleſiæ Doctorum, & ex anteriorum Eccleſiæ canonum monumentis iiſdem expreſſa verbis duos complent libros. Quorũ primus circa communem Eccleſiarum diſciplinam, & omnium fidelium mores corrigendos & ſanctius inſtituendos centum & quinquaginta capita complectitur. Secundus vero qui eſt de inſtitutione ſanctimonialium octo & viginti capitula, alia admodum prolixa

Digitized by Google

prolixa continet. Celebrata hac Synodo Ludovicus pius eodem anno. 816. ſuum Aquiſgrani capitulare procudit Stephano quarto ſummo Pontifice. Anno verò inſequenti 817. idem Ludovicus eadem in urbe conventum Abbatum & inſigniorum Monachorum Francici Regni coëgit : in quo editis octoginta capitulis proviſum eſt de regulari diſciplina. In hoc poſteriore Aquiſgranenſi conventu anno 817. Paſchali exiſtente ſummo Pontifice,idem Ludovicus celebrem edidit conſtitutionem,qua provincias & ditiones à præceſſoribus Carolo magno Pipino Rege, & principibus avibus Carolo Martello & Pipino Heneſtallo munificentiſſima liberalitate Romanæ Eccleſiæ conceſſas confirmat. In quibus inſulas recenſet Corſicam, Sardiniam & Siciliam : ſed novis à ſe terris ſuperadditis Ravēnatis Exarchatus ditat. Deinde à jure Patribus ſuis à Romana ſede indulto decedit, factam novi Pontificis electionem ſuo conſenſu confirmandi & ratam faciendi, non vero ut quidam opinati ſunt propria authoritate eligendi ac nominandi. Huic munifico edicto poſt Ludovicum ſubſcripſere tres ejus filij cum Epiſcopis & Abbatibus & primoribus regni. Horum meminit Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinate. *Ultimo Abbatis Theodomiri anno Ludovicus Imperator Caroli magni filius quarto Imperij ſui anno, Aquiſgranis in palatio, cum pluribus totius Franciæ Abbatibus religioſiſque Monachis Concilium faciens, utiliſſima noſtri ordinis obſervationi 80. generalia capitula conſtituit, quæ omnia apud nos perinde fere ac regula ſancti Benedicti obſervantur. Hic pactum conſtitutionis & confirmationis fecit Beato Petro Apoſtolo ejuſque Vicario Domino Paſchali, parentes ſuos Pipinum & Carolum imitatus, manuſque ſua ac filiorum ſubſcriptione corroborans, &c.*

## *CONCILIVM MELDENSE anni 813.*

1. MELDÆ oppidum ad Matronam haud procul Lutetia vulgo Meaux ſuffraganea quondam Senonenſi Metropoli ſedes Epiſcopalis, nunc vero Pariſienſi Archiepiſcopo ſubdita. Huc in Concilium convenere anno Chr. 845. Sergio Papa ſecundo & Carolo calvo regnante, Imperium vero tenente Lothario Ludovici Pij filio, tres cum ſuffraganeis Metropolitæ, Venilo Senonenſis, Hincmarus Rhemenſis, & Rodulfus Bituricenſis, ut quo meliori modo poſſent Eccleſiarum ruinis, diſciplinæ collapſæ, procerum violentiis & tyrannidi mederentur, quæ bellorum licentia invexerat dum Normanni populationibus, direptionibus, incendiis & ſacrilegiis per Gallicanas Provincias effuſi graſſabantur. Hujus plerique canones Regem Carolum Calvum admonendo alloquuntur, ut paternam avitámque pietatem & virtutem exerat, ad coërcendas propriorum aulicorum & belli ducum ſacrilegas injurias, rerúmque Eccleſiæ invaſiones, de quibus à præcedentibus ad Theodonis Villam, & apud Lauriacum, & in Vernenſi Palatio, & apud Bellovacum Synodis, querelæ fruſtraneæ jam pridem apud Regiam Majeſtatem fuerant intentatæ. Calvus enim animo iners & moribus improbus evaſerat.

Can. VIII. *Quia bene noſtis ab illo qui ſolus Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe ut Pontificali authoritate & regali poteſtate gubernetur, & ſcriptum eſſe liquido pervidetis, ubi non eſt gubernator populus corruit, & tanto periculoſius, quanto anima plus eſt pretioſa quam corpus : Canonum etiam irrefragabilis auctoritas ſuper Epiſcoporum ordinatione evidentiſſime præcipiat : ferventiſſime Dei legatione fungentes monemus, ut quandocúnque Deo diſpenſante quilibet Epiſcopus ad Dominum migraverit, ſubmota funditus peſte ſimoniana hæreſeos, ſine dilatione juxta auctoritatem canonicam ſedes vacans Epiſcopum à vobis regulariter deſignatum, & gratia Sancti Spiritus conſecratum accipiat.*

Idem continetur canone 2. ijſdem fere verbis in Synodo anni 844. ad Theodonis Villam.

2. Can. 9. & 10. graviter expoſtulant quod laïcis Abbatiæ Monaſteriorúmque regimina conferrentur. Hos Abbates niſi deſiſtant, ſimúlque Monachos eis obtemperantes Anathemate feriunt, Epiſcopos vero in ſuis diœceſibus hæc ſegniter diſſimulantes à miſſis interdicunt.

Can. XI. *Occaſionem etiam & fomitem unde ordo Eccleſiaſticus & canonica forma atque monaſtica religio ſæpe à longe ſuperiori tempore, cum minus religioſos principes habuit titubavit, & pene collabens deperiit, & iterum cum devotos & zelo Dei ferventes & principes accipere meruit, reſurrectione quadam revixit & vigorem accepit, atque ſui proceſſus tempore ambulavit, quod non ſine gravi dolore & metu ultionis divinæ dicimus in veſtri regiminis tempore, in deſtructionem non in ædificationem ſicut Paulus docuerat accidiſſe conſpicimus ; quod & noſtris peccatis qui diſpenſatores & Paſtores Eccleſiarum eſſe debuimus veraciter imputamus. Et eorū quorū factione res iſta adeo male pullulavit & excrevit alia præcendentia peccata hoc meruiſſe, pro certo auctoritate divina eveniſſe cognoſcimus : ut qui nocebant, ſicut ſcriptum, nocerent adhuc, & qui in ſordibus erant ſordeſcerent adhuc, & unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, & ſanctos quos interceſſores pro ſuis peccatis habere debuerant infenſos haberent, & Sacerdotes ac viros religioſos ſeu Chriſti pauperes quos oratores & reconciliatores ſibi de ſuo promerere neceſſe fuerat, proclamatores adverſum ſe fieri irritarent, & ad cumulum ſuorum peccatorum etiam illa peccata unde in conſpectu Dei rationem in die terribilis judicij redderent, augerent, quæ illi commiſerunt qui eadem ipſa peccata per interceſſionem fideliſſimarum oblationum deleverunt, quibus Eccleſiaſticarum rerum pervaſores in conſultè & in perniciem ſui ſine reverentia abutuntur. Quod ita verum eſſe ut dicimus, Dominus proteſtatur dicens, peccata populi mei comedunt. Peccata enim populi comedunt qui contra auctoritatem*

Digitized by Google

*tatem divinam res Eccleſiaſticas indebitè pervadunt, & nec interceſſionis ope, nec prædicationis conſilio, vel quocunque Divino auxilio pro peccatis eorum qui eas dederant laborant, nec pio operi ad quod fides fidelium eas tradiderat inſervire permittunt. De quo periculoſo facto vos Principes Chriſtianiſſimi venerabiliter admonemus & devotiſſimè obſecramus, ut memores ſalutis veſtræ præſentis ſcilicet & æternæ, & memores largitatis etiam progenitorum veſtrorum erga ſanctas Eccleſias, propter quam, feliciter regnaverunt, & ſibi contrarios ſuperaverunt: memores ſiquidem cum quanta religione etiam ante Chriſti ſanguinem, & in tempore famis in Ægypto diſcretione ſancti Ioſeph apud nefandum Regem Pharaonem terra Sacerdotalis extitit: innumera quoque ſcripturarum exempla ut lacte Eccleſiæ nutriti, & ſcientiæ ipſius uberibus ſufficienter repleti, ante oculos reducentes tunicam Chriſti qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantocius reconſuite & reſarcite: & nec violenta ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione, res ab Eccleſijs vobis ad tuendum & defenſandum ac propagandum commiſſas auferre tentate: ſed ut ſanctæ memoriæ avus & pater veſter eas gubernandas vobis fautore Deo dimiſerant redintegrate, & præcepta regalia earundem Eccleſiarum conſervate & confirmate: ne ſicut intentavit Semeias Propheta ad Roboam filium Salomonis in conſciſſione pallij præſens regnum, quod abſit, vobis Patrum labore acquiſitum, & hæreditate relictum à vobis Chriſtus ipſe dividat & æternum regnum quod promiſit non tribuat. Nec contra Dei faciem iratas hominum facies conſideretis: quia ſi ad tempus illis diſplicueritis cum vos Deo placebitis, in vobis ille quod promiſit implebit: cum placuerint* (inquiens) *Deo viæ hominis, omnes inimicos ejus convertet ad pacem Prov.* 16. Deſumptus eſt iiſdem verbis ex Theodonvillano can. 4.

3. Can. XII. *Petimus tandem ut ordo Eccleſiaſticus in quibuſcunque ei fuerit neceſſe rigorem ſalutis humanæ exercere, per poteſtatem veſtram & per miniſterium miniſtrorum dominationis veſtræ ſecundum antiquam conſuetudinem ſuum vigorem recipiat, & populi generalitas una cum Eccleſiaſtica devotione judicium quod honor Regis diligit, & juſtitiam quâ thronus ejus firmatur per depoſitionem veſtram ſuſcipiat. Seu admonitione atque conſilio Sacerdotali, veſtra ſublimitas, & quiſque in quolibet ſtatu vel ordine de rapinis & cæteris quæ diſcordiæ malo acciderunt præteritis erroribus pœnitudinem gerat, & Domini reconciliationem expoſtulet: quam facile omnis qui quæſierit inveniet, ſi in loco diſcordiæ plantata fuerit charitas quæ cooperit multitudinem peccatorum; eùmque potius quam nos in conſilio non noſtro ſed Dei attendatis, qui dixit: qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Non enim vos eſtis qui loquimini ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

Eadem iiſdem verbis ſanciverat anno præcedenti Theodonvillanus canon. 6. Laudabilis imo & ad ſalutem animarum neceſſaria Epiſcoporum libertas, Reges ubicunque officio proprio deſunt ac religionem peſſundant non diſſimulanter commonentium, cum tam multis adulatoribus & perverſis conſiliariis obſideantur in ipſorum perniciem. *Exiguo enim* (ut Rex Salomon in Spiritu Dei proteſtatur ſap. 6.) *conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.*

Can. XVII. *Vt res Eccleſiaſticæ tempore principatus veſtri ablatæ ex integro præſentialiter reſtituantur, & reſtitutæ conſerventur, ſicut tempore avi & patris veſtri fuerunt & excepto ſuperpoſito quod ad uſus poſſidentium abſumptum eſt, quomodo tunc erant quando vos illas inde tuliſtis, ſine refragatione reddantur. Hinc enim in canone quinto Aurelianenſis quinti tit.* 13. *ſcriptum eſt: ne cui liceat res vel facultates Eccleſiæ vel Monaſteriis aut Xenodochiis pro quacunque Eleemoſyna cum juſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quod ſi quis fecerit tanquam necator pauperum canonum antiquorum ſententiis conſtrictus ab Eccleſiæ liminibus excludatur, quandiu ab ipſo ea quæ ſunt ablata vel retenta reddantur.* Eadem eodem anno conſtituta ſunt in Concilio Bellovacenſi. Can. 3.

Can. XVIII. *Vt præcepta illicita jure Beneficiario de rebus Eccleſiaſticis facta à vobis ſine dilatione reſcindantur; & ut de cætero ne fiant à dignitate veſtri nominis Regij caveantur.* Deſumptus eſt ex Bellovacenſi canone.

Can. XIX. *Vt ab Eccleſiis ditioni veſtræ ſubjectis indebitas conſuetudines & injuſtas exactiones de cætero non exigatis: Sed ita eas conſervetis ſicut ordo docet canonicus, & tempore avi & patris veſtri conſervatæ ſunt.* Sic etiam habet Bellovacenſis Canon 5.

Can. XXIV. *Vt contra deprædatores & oppreſſores Eccleſiarum, & rerum ad eaſdem pertinentium defenſores ſecundum Miniſterium veſtrum quantum Deus poſſe dederit exiſtatis: & præcepta quæ avus ac Pater Eccleſiis ditioni veſtræ ſubjectis fecerunt ac firmaverunt & ſtabilia confirmaverunt, quæque vos confirmaſtis, de cætero rata in omnibus conſervetis.* Repetitio eſt canonis Bellovacenſis 6.

4. Can. XXVIII. Regem admonet ut plenam Epiſcopis reſidendi intra proprias Diœceſes libertatem tueatur, neque committat propter diverſas perturbationes ad remotiora loca ſecedere, atque ita per abſentiam ſuum officium à Deo injunctum deſerere.

5. Can. XXX. *Vt ſi quis de ordine Sacerdotali contemptu minoris Eccleſiæ ambitioſè & improbe*

Digitized by Google

*probe ad potiorem aſpirare contenderit canonica erga eum definitio conſervetur.*

Repetitur in decreto 7. qu. 1. c. ſi quis de ordine. Concilium pariter Rhemenſe ſecundum can. 20. & Turonenſe tertium can. 14. anno Chriſti 813. hoc idem vetuerant. Et ante hos Synodus Antiochena can. 21. & Sardicenſis can. 1.

Can. XXXIV. *Vt canonum ſtatuta ſine præjudicio ab omnibus cuſtodiantur, & nemo in actionibus vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu ſed illorum autoritate ducatur. In exponendis etiam vel prædicandis divinis ſcripturis Sanctorum Catholicorum & probatiſſimorum Patrum ſenſum quiſque ſequatur, in quorum ſcriptis ut beatus dicit Hieronymus* (ſcilicet in epiſt. ad Lætam) *fidei veritas non vacillet. Sed & qui in ſuis Monaſteriis religioſè reſidere debent, & vocum novitates & ut innoteſcant ſtudio, proferre ſatagunt, acerrime ut præſumptores arguantur & comprimantur.*

Can. XXXVII. *Vt quicunque ex clero eſſe videntur arma militaria non ſumant nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ vocabulum Religioſis moribus & Religioſo habitu prabeant. Quod ſi contempſerint, tanquam Sacrorum Canonum contemptores & Eccleſiaſticæ ſanctitatis profanatores proprij gradus amiſſione mulctentur, quia non poſſunt ſimul Deo & ſæculo militare.*

Refertur à Gratiano 23. qu. 8. c. quicunque ex clero. Vide ſuperius Concilij Moguntini anni 813. can. 17.

6. Can. XL. *Admonenda eſt regia magnitudo de hoſpitalibus quæ tempore prædeceſſorum ſuorum & ordinata & exculta fuerunt, & modo ad nihilum ſunt redacta. Sed & hoſpitalia Scotorum quæ ſancti homines gentis illius in hoc regno conſtruxerunt, & rebus pro ſanctitate ſua acquiſitis ampliaverunt, ab eodem hoſpitalitatis officio funditus ſunt alienata, & non ſolum ſupervenientes in eadem hoſpitalia non recipiuntur, verum etiam ipſi qui ab infantia in eiſdem locis ſub religione Domino militaverunt & exinde ejiciuntur, & oſtiatim mendicare coguntur. Vnde pertimeſcenda eſt canonica ſententia & maximè decretalis Symmachi Papæ definitio, quia necator pauperum & Chriſti traditor Iudas idem qui hujus ſceleris auctor & perpetrator eſſe dignoſcitur, præſenti & perpetuo eſt anathemate feriendus. Qui reiculam inquit Symmachus Papa vel quidquid fuerit Eccleſiæ petunt à Regibus, & corrumpendæ pietatis inſtinctu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Eccleſiæ cuius facultatem auferre cupiunt excludantur. Item in Canone Aurelianenſi ſi quis quolibet tempore contra hanc conſtitutionem noſtram venire tentaverit aut aliquid de conſuetudine vel facultate Xenodochij abſtulerit, ut Xenodochium quod avertat Deus eſſe deſinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.*

Memorata Symmachi Papæ decretalis habetur in ejuſdem Epiſtola quinta ad Cæſarium Arelatenſem can. 1. Lapſu tamen memoriæ Meldenſis Synodus refert quaſi verba Symmachi, quæ tamen ejus non ſunt ſed Arvernenſis Concilij ſub Agapeto Pontifice can. 5. quæ vero verba refert ex Concilio Aurelianenſi concipi debent de Concilio quinto Aurelianenſi & ſunt in fine canonis 15. quod Concilium eſt anni 549. ſub Vigilio Pontifice.

Can. XLI. *Providendum eſt Regiæ Majeſtati ut Mònaſteria quæ ab hominibus Deum timentibus in ſua proprietate conſtructa prædeceſſores illius cauſa defenſionis & Mundeburdi ſuſceperunt, ut libera libertate, remota ſpe hæreditaria de illorum propinquitate, ibidem religio obſervaretur; & nunc in allodium ſunt data, quapropter omnis exinde religio funditus eſt everſa: qualiter vota fidelium inconvulſa permaneant, ne voces eorum contra ſe ante Deum clamantes adiuncto periculo de eorum perditione, qui in eiſdem locis neceſſitate naufragantur, condemnabiles ſentiat.*

Can. XLII. *Monenda eſt ſolertia Regia ut ſtrenuos & fideles miſſos per regnum ſibi commiſſum dirigat & inveſtigent ac diligenter imbrevient res Eccleſiaſticas quas per ſubreptionem atque ignorantiam quoruncunque, in allodium ipſe aut pater ſuus donavit: & conſulens periculo animarum ſuæ videlicet ac Patris ſui, hoc ad tempus corrigere ſtudeat, ne forte cum voluerit minimè poſſit.*

7. Can. LXII. *Hi vero qui ex rebus Eccleſiaſticis nonas & decimas perſolvere debent, etiam ſarta tecta Eccleſiæ ſecundum antiquam auctoritatem & conſuetudinem reſtaurare debent: & hoc non ſolum negligunt, verum & per contemptum dimittunt, atque clericos fame & penuria, Eccleſiaſtica quoque ædificia diſſolutione annullari permittunt, tandiu ab Eccleſiaſtica communione ſeparentur uſque dum diligentiâ emendare ſtudeant quod ſocordiâ neglexerunt. Quod ſi denuo iteraverint, regia poteſtate compulſi iuxta legale & antiquum dictum. Qui negligit cenſum perdat agrum.*

Poſſet alicujus animo ſubrepere ex canone iſto de omnibus quicumque ex propriis & avitis prædiis fructus ſub decimarum præſtandarum obligatione colligunt, ut ſcilicet ſi ſarta tecta Eccleſiaſticorum ædificiorum reſtaurare negligant, ipſa eorum prædia Eccleſiis addicantur in proprietatem. Id tamen ab iſto canone non intenditur cum de nonis ſimul & decimis loquatur. Illis enim temporibus hæc vigebat conſuetudo ut Eccleſiæ terras aliquas aliquibus etiam laicis largirentur excolendas & perfruendas, hac lege & cõditione ut de harũ fructibus duplices perſolverent decimas quas nonas decimas vocitabant, nunc etiam vulgo dicuntur neumes. Et inſuper ejuſmodi colonos ſeu beneficiarios aſtringebant ad hoc ut contribuerent ex parte ad Eccleſiarum ſtructuras inſtaurandas reparandáſque. Eodem ſpectat Arelatenſis Concilij VI. an. 813. can. 15. *Ut ſi quis beneficium de rebus Eccleſiæ habet, ad tecta ejuſdem Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſias ædificandas omnino adjuvet.* Hoc idem decernitur ejuſdem anni Concilio Moguntinenſi can. 42. *Qui-*

*cumque beneficium Eccleſiaſticum habent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas* (id eſt reficiendas) *omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant.* Scimus nonnunquam Eccleſiarum rectores ſimúlque Parochianos qui unius & ſimplicis decimæ ex paternis aut hæreditariis prædiis debitores ſunt in partem reparationis aut ſtructuræ Eccleſiarum à quibus ſacramenta ſumpturi ſunt vocari. Sed planè diverſi ſunt ab illis beneficiariis quorum fit in præfatis aliiſque hujus ſæculi canonibus quos multos proferre poſſemus mentio. Liquet præterea pleróſque duces & optimates terras Eccleſiaſticas ſibi nimiâ licentiâ à Carolo Martello ejuſque poſteris Principibus conceſſas poſſediſſe in proprietatem, quos ab exorato Rege compellendos decernit iſte canon, quia optimates illi Eccleſiæ juſſa ſpernebant eo prætextu, quia prædia & decimas feudales non ab Eccleſia, ſed propriis in bello meritis immediatè à Principe conſequuti eſſent. Ad iſtud pariter beneficiorum genus præcariæ antiquæ, quarum jam pridem uſus exolevit, referri poſſunt, per quas privatis quibuſdam Eccleſiaſticas terras ſub quibuſdam oneribus ſine ulla temporis præfixione ad libitum amovibiles ac reſumendas attribuebat, quæ nonnunquam ad poſteros tranſmittebantur, & per ſegniciem clericorum tractu temporis in familiarum dominium tranſibant. Iſtud ipſum Meldenſe Concilium meminit præcariarum c. 21. & 22. quas vel reſcindi jubet vel ad melius reformari.

8. Can. LXIII. *Vt ſecundum canonicam autoritatem & conſtitutionem Domni Imperatoris Ludovici de agro Eccleſiaſtico & manſo, & de mancipiis quæ ipſe ſuis capitulis conſtituit, vel ſi quilibet pro loco ſepulturæ aliquid largitus Eccleſiæ fuerit, neque de decimis & oblationibus fidelium, cuiquam Presbytero aliquem cenſum perſolvere cogat, nec quiſquam cujuſlibet ordinis vel dignitatis exinde quidquam ſubtrahat, aut redhibitionem quamcumque exigat temporalem. Quod ſi fecerit, communione uſque ad ſatisfactionem privetur, & regia poteſtate hoc emendare legaliter cogatur.*

Canon iſte inſertus eſt ab Ivone p. 3. cap. 56. Iſtud ipſum Concilium can. 11. in Eccleſiaſticæ immunitatis gratiam produxerat immunitatem terrarum Sacerdotalium in Ægypto tempore dominationis Joſeph ſub Rege Pharaone nec non tunicam inconſutilem figuram Eccleſiæ, quam nec ipſi crucifixores Chriſti dividere auſi ſunt inter ſe. Prætereaque conſciſſionem pallij Ahiæ Silonitis Prophetæ quâ portendebatur futura regni Judaici diviſio in pœnam profligatiſſimi Regis Salomonis. Carolus magnus & Ludovicus Pius hæc de immunitate Eccleſiaſtica ſanciunt lib. 9. Capitularium c. 148. *Volumus atque decernimus ut omnes intelligant non ſolum Clauſtra Monaſterij vel Eccleſiæ atque caſtitia Eccleſiarum ſub immunitatis defenſione conſiſtere, verum etiam domos, & villas, & ſepta villarum, & piſcatoria manufacta, & quidquid foſſis aut ſepibus, vel etiam alio clauſularum genere præcingitur eodem immunitatis nomine comprehendi.* Idque etiam firmant lib. 5. cap. 187. Placuit ne prædia cœleſtium ſecretorum dicata Deóque tradita, à quibuſdam aliqua occaſione vexentur aut invadantur, ſed ſub immunitatis tuitione, perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines eorum, & omnia quæ eis ſubjecta eſſe noſcuntur. Hanc vero ſolam immunitatis exceptionem admittunt lib. 6. cap. 107. *Poſſeſſiones* (inquiunt) *ad religioſa loca pertinentes nullam deſcriptionem agnoſcant, niſi ad conſtitutionem viarum, vel pontium, ſi tamen intra eadem loca habuerint poſſeſſiones. In aliis vero omnibus habeant integram immunitatem.* De novis tamen acquiſitionibus ſecus decernunt, ſi ante quam Eccleſiæ obvenirent tributariæ fuerant lib. 3. cap. 26. *Vt de rebus unde cenſus ad partem Regis exire ſolebant, ſi ad aliquam Eccleſiam tradita ſunt, aut reddantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit eumdem cenſum perſolvat.* Et lib. 4. cap. 37. *Quicumque terram tributariam unde tributum ad partem noſtram exire ſolebat, vel Eccleſiæ vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam ſuſceperit, tributum quod inde ſolvebatur omnimodo ad partem noſtram perſolvat: niſi forte talem firmitatem de parte dominica habeat, per quam ipſum tributum ſibi perdonatum poſſit oſtendere.*

9. Can. LXXII. *Vt nemo quemlibet mortuum in Eccleſia quaſi hæreditario iure, niſi quem Epiſcopus aut Presbyter pro qualitate converſationis & vitæ dignum duxerit, ſepelire præſumat. Nec quiſquam oſſa cuiuſlibet mortui de ſepulchro ſuo eiiciat, aut ſepulturam cuiuſquam temerario auſu quoquo modo violet: ſed unumquemque in loculo ſibi à Deo præparato atque conceſſo adventum iudicis ſui præſtolari concedat: maximè cum non ſolum divinæ leges ſed etiam & humanæ apud humanam rempublicam ſepulcrorum violatores reos mortis diiudicent. Sed & neque pro loco ſepulturæ ut verbis Sancti Gregorij utamur, pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet.* (Hæc ejus verba ſunt lib. 7. indict. 2. epiſt. 55.) *Si quando autem proximi vel hæredes ſponte aliquid offerre in Eccleſia voluerint, & in Eleemoſynam defuncti accipere non vetamus: peti autem aut aliquid exigi omnino prohibemus; ne quod valde irreligioſum eſt, aut venalis quod abſit Eccleſia dicatur, aut de humanis mortibus videamur gratulari, ſi compendium exinde ſtudemus modo quolibet quærere.*

Eadem ſtatuuntur c. queſta eſt & tribus ſequ. 13. qu. 2. & c. abolendæ de ſepult. & c. audivimus de Simonia. Require inferius Concilij Vermerienſis can. 16. Quæritur jam ſi quis ſibi ſuiſque hæredibus velit ſepulturæ locum ita proprium acquirere ut non ſit deinceps liberum aliorum fidelium corpora eò inferre, utrum paciſci liceat ob compenſandam ſervitutem illam quæ imponitur Eccleſiæ? Affirmative reſpondet Suarez de religione tract. 3. lib. 4. cap. 14. n. 18. eaque communis eſt ſententia & ubique fere recepta praxis de qua egi in noſtra theoria & praxi canonica. Porro jura pœnalia quæ innuit iſte canon Meldenſis require in titulis, ff. & C. de ſepulcro violato.

*CONCILIA*

Digitized by Google

## CONCILIA IN CAVSA *Goteſcalchi Monachi diverſis locis celebrata.*

1. GOTESCALCHUS Monachus & Presbyter Monaſterij Orbacenſis apud Sueſſiones, inquieti & ſuperbi ſpiritus homo, ſuo decedens Monaſterio Italiam, Dalmatiam, Pannoniam, Noricum, & Germaniam aviditate ſpargendi dogmata ſua peragravit: quæ cum fidei Ortodoxæ adverſantia pleriſque viderentur, horum examinandorum gratiâ Rhabanus Moguntinus ex Monacho Archiepiſcopus, vir eximiâ doctrinâ & pietate præditus Moguntiæ Concilium convocavit, coram quo citatus Goteſcalchus & interrogatus quæcúnque libuit haud diſſimulanter reſpondit in ſuarum defenſionem opinionum, quas accurate diſcuſſas Concilium judicavit hæreticas, communíque conconſenſu damnavit. Quia vero alienæ hoc eſt Rhemenſis Provinciæ tum origine, tum ordinatione, tum monaſtica profeſſione ſubditus erat juriſdictioni; poſtquam ejus reprobata eſt pernicioſa doctrina remiſſa eſt Goteſcalchi perſona ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum anno Chriſ. 848.

2. Sequenti anno 849. apud Cariſiacum Vulgo Creci coactum eſt Concilium, cui duo Metropolitani Venilo Senonenſium, & Rhemigius Rhemenſium cum multis Epiſcopis, Abbatibus & ſelectis Sacerdotibus interfuerunt, à quibus denuo diſcuſsâ diligēti examine Goteſcalchi doctrinâ, iterum damnata proſcriptáque fuit. Ipſe vero poſt iteratas exhortationes in ſententia pertinax aſperis verberibus caſtigatus ſuarum aſſertionum libros in ignem paratum projicere compulſus eſt. Si fides habenda ſit annalibus Bertinianis, eadem Goteſcalchi cauſa iterum ventilata eſt in altera Synodo Cariſiaca anni 857. Ejuſque Doctrina quatuor Articulis oppoſitis reprobata. Sed re plene ante quadriennium ab Epiſcopis Gallicanis exacta & diſcuſſa, ipſóque Goteſcalcho ad ergaſtulum perpetuúmque ſilentium retruſo, nulla erat cauſa idem judicium ſub incudem revocādi. Appellaverat quidem Goteſcalchus ad ſupremam ſedem ſed ei libertas omnis proſequendæ appellationis erepta fuit. Huic igitur uni Cariſiaco Concilio non vero alteri poſteriori quatuor illa capita contra prædeſtinatianum Goteſcalchum attribuenda & ſubijciēda cenſuimus abſque ulla verborum mutatione.

I. *Quod una tantum ſit prædeſtinatio Dei.*

3. Deus omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit & in paradiſo poſuit quem in ſanctitate juſtitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio male utens peccavit & cecidit & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & juſtus elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundùm præſcientiam ſuam quos per gratiam prædeſtinavit ad vitam, & vitam illis prædeſtinavit æternam. Cæteros autem quos juſtitiæ judicio in maſſa perditionis reliquit, perituros præſcivit, ſed non ut perirent prædeſtinavit. Pœnam autem illis quia juſtus eſt prædeſtinavit æternam. Ac per hoc unam Dei prædeſtinationem tantummodo dicimus quæ aut ad donum pertinet gratiæ aut ad retributionem juſtitiæ.

II. *Quod liberum hominis arbitrium per gratiam ſanetur.*

4. Libertatem Arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus & habemus liberum arbitrium ad bonum præventum & adjutum gratiâ: & habemus liberum arbitrium ad malum deſertum gratiâ; liberum autem Arbitrium habemus quia gratiâ liberatum, & gratiâ de corrupto ſanatum.

III. *Quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri.*

5. Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri licet non omnes ſalventur. Quod autem quidam ſalvantur ſalvantis eſt donum: quod autem quidam pereunt pereuntium eſt meritum.

IV. *Quod Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit.*

6. Chriſtus Jeſus Dominus noſter ſicut nullus eſt homo fuit vel erit cujus natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt fuit vel erit homo pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis ejus Myſterio redimantur. Quod vero omnes paſſionis ejus Myſterio non redimuntur non reſpicit ad magnitudinem & pretij copioſitatem, ſed ad infidelium & ad non credentium ea fide quæ per dilectionem operatur reſpicit partem: quia poculum humanæ ſalutis quod confectum eſt infirmitate noſtra & divina virtute, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non medetur.

7. Quinā porro fuerint Goteſcalchi errores colligitur ex Rabani epiſtola Synodali ad Hincmarū: notum ſit (inquit) dilectioni veſtræ quod quidam gyrovagus Monachus nomine Goteſcalc qui ſe aſſerit in veſtra parœcia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones & noxiā doctrinam de prædeſtinatione Dei introducens & populos in errorem mittens: dicens quod prædeſtinatio Dei ſicut in bono ſit ita & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam qui propter prædeſtinationem Dei quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes, & incorrigibilē eum reperientes annuēte atque jubēte piiſſimo Rege noſtro Ludovico, decrevimus eum cum pernicioſiſſima Doctrina damnatum mittere ad vos; quatenus eum recludatis in veſtra Parrochia unde primum inordinate receſſit, & non ſinatis eum amplius errorem docere, & ſeducere populum Chriſtianum, quia jam multos ut audivi ſeductos habet & minus devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei, quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem numquam illam evadam: ſi male autem egero, & prædeſtinatus ſum ad vitam, ſine ulla dubitatione ad æternam requiem vado. Hæc ergo paucis vobis ſcribimus intimantes qualem ejus doctrinam reperimus. Vos etiam valebitis de ore ejus quod ſentit plenius audire, & quid inde agendum ſit plenius decernere: Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram bene valentem & pro vobis orantem in æternum conſervare dignetur.

Qui plura de prædeſtinatianis noſſe volet, recurrat licet ad noſtrā de prædeſtinatianis diſſertationem quam ſuperius Concilio Arelatenſi tertio ſubjecimus.



Digitized by Google

## *DIVERSA CONCILIA CIRCA Ebbonem Rhemenſem, & factas ab ipſo poſt ſui depoſitionem ordinationes.*

1. EBbo Rhemenſis Archiepiſcopus ut rebellantium in patrem Ludovicum Pium hujus & Irmingardis filiorum trium gratiam iniret, Sibi quidem utili ut rebatur ſed injuſto prorſus Concilio, nihilque ſibi damni ſuſpicatus à Ludovico excluſo ab Imperio & captivo, aut à Carolo ultimo & impubere filio, omni humana ope deſtituto, Conciliabulo Epiſcoporum & procerum regni apud Compendium anno 833. menſe Octobri præſederat, omnemque adhibuerat operam ut Ludovicus declararetur Imperio prorſus indignus; & Monaſterio concluſus reliquum vitæ in pœnitentia degeret. Sed commotis poſtmodum tanta indignitate populis, probiſque omnibus tantum facinus deteſtantibus, ipſiſque perduellibus pudore ſuffuſis ob ſcelus admiſſum, quod in Epiſcopos ipſos refundebant, libertati & Imperio reſtituitur Ludovicus. Convocatoque ad Theodonis Villam magno Epiſcoporum & optimatum conventu, reſciſſum eſt Compendienſe decretum an. 835. cumque Ebbo argueretur à ſuis etiam conſcijs ac participibus totius mali auctor & incentor, ipſe ut minori famæ ſuæ damno, quod inevitabile prævidebat dignitate excideret, pœnitentis ſpeciem præ ſe tulit, ſeque ſponte coram Concilio, Epiſcopatu ſuam confeſſus indignitatem abdicavit. Diverſum cepit conſilium Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis unus inter præcipuos adverſus Ludovicum conjuratores: hic enim & Bernardus Viennẽſis acciti & citati ad Theodonis villæ Concilium comparere renuerunt, ſuiſque Eccleſijs facti ſunt extorres. Theodulfus quoque Abbas Floriacenſis gradu motus & Andegavi carcere detentus fuit. Ejuſdem reus conjurationis, ſed à Ludovico de carcere eductus & ad infulas Aurelianenſis Eccleſiæ provectus fuit.

2. Poſt Ludovici Pij obitum anno 840. Lotarius Imperator Ebbonem ſui cauſa depoſitum in priſtinam Rhemenſem ſedem reduci voluit, edicto hanc in rem in Palatio Engilenhemnenſi edito, cui viginti Epiſcopi ſubſcripſerunt, Quo tempore Carolus à Lotario pulſus ultra Sequanam profugerat. Qua uſus opportunitate Ebbo Rhemos redijt multaſque fecit ordinationes de quibus an validæ eſſent gravis poſtmodum agitata eſt controverſia. Cum verò reſumptis viribus Carolus in Belgiam adventaret, ſibi metuens Ebbo relicta ſede quam poſtliminio annum ferè tenuerat ad Lotarium remeavit.

3. Poſtquam regnum ſuum Carolus armis ſtabilivit, anno demum 845. in Concilio Bellovacenſi proſpectum eſt Rhemenſi Eccleſiæ, jam multis ab annis paſtore deſtitutæ, atque Antiſtitum conſenſu illi novus præfectus eſt Archiepiſcopus Hincmarus, olim Cœnobij Sancti Dionyſij prope Pariſios Monachus, ac poſtea Monaſterij Sanctæ Mariæ & Sancti Germani Abbas, Regi Carolo gratiſſimus, ingenio & eruditione clariſſimus, qui jam à Clero & populo Rhemenſi ut Flodoardus ait fuerat electus.

4. Anno porro 853. celebratum eſt Sueſſionibus Concilium cui præſens Rex interfuit unàque quatuor Archiepiſcopi Hincmarus Rhemenſis; Venilo Senonenſis, Paulus Rotomagenſis, Amalricus Turonenſis, cum alijs novem & viginti Epiſcopis, & aliquot Abbatibus, can. 1. proponente Hincmaro concluſum fuit neque Ebbonem potuiſſe legitimè à paucis quibuſdam & alienis Epiſcopis in priſtinam evehi ſedem, ex qua illum legitimum & numeroſum Concilium dejecerat, ipſo etiam id poſtulante in ſuæ conjurationis pœnam; & quas auſus eſt ordinationes poſt diſpoſitionem exercere damnabiles pronunciavit. Ebbonis depoſitionem Sergius Pontifex Romanus confirmavit, eumque ad laicam communionem reduxit ut fidem facit Flodoardus hiſt. Rhemen. lib. 3. cap. 11. Nicolaus deinde Papa primus rectè ordinatos ab Ebbone Clericos fuiſſe decernit, tum in ſua ad Concilium Sueſſionenſe tertium ipſius juſſu anno 866. convocatum epiſtola, tum in altera ad Hincmarum Rhemenſem increpatoria; de confirmatione autem depoſitionis Ebbonis, ſimulque damnationis ordinationum quas Ebbo fecerat, reſpondet prædeceſſorem Sergium nihil egiſſe aut decreviſſe quam quod Synodus Nicæna conſtituerat, ut ſcilicet quos ſive Synodus ſive unus aliquis Epiſcopus alicui cenſuræ ſubjecerat, ab omnibus alijs Eccleſijs & Epiſcopis à Miniſterio excluderentur, ſalva tamen pleniore diſcuſſione atque examine vel majoris Synodi, vel altioris Sedis ad quam poſſet appellatio devolvi. Sergium porro non ſuſcepiſſe illius Synodi Sueſſionenſis ſecundæ examen aut reviſionem, ideoque decreta illa Synodalia juxta Nicænum Canonem in ſuo vigore duraſſe.

## *SYNODI IN CAUSA RHOTADI Sueſſionenſis Epiſcopi habitæ.*

*Aliæque in cauſa junioris Hincmari Laudunenſis.*

1. HIncmarus Rhemenſis ingenij & eruditionis dotibus abundè cumulatus, & præterea Caroli Regis cognomine Calvi gratiâ & favore ſubnixus, in tantum ſuperbiæ faſtigium provectus fuit, ut ſuis voluntatibus non ſolum quemquam obſiſtere non ſuſtineret, ſed quanta valebat poteſtate crudeliter in quoſque ſibi obſiſtentes ulciſceretur. Hoc inſtinctu Rothadum Sueſſionum Epiſcopum ſuffraganeum ſuum optimum ſenem, eo quod Sacerdotem Sueſſionenſis Eccleſiæ moribus diſſolutum, & in ſtupro deprehenſum Sacerdotio abdicaſſet, convocata Synodo Sylvanectenſi anno 863. cui ipſe Hincmarus præſidebat, quamq; Hincmaro ſuaſore & perverſi illius Sacerdotis, quem Rothadus juſtâ depoſitionis ſententiâ perculerat amico & patrono, Rex ipſe Carolus celebrari juſſerat, Rothadum ipſum perverſo Coëpiſcoporum judicio & Hincmari & Regis offenſam metuentium Epiſcopatu depoſuerit, & degradatum in Monaſterium retruſerit, quamvis ad Roman. Pontificem appellaſſet eaque appellatione debuiſſet ſuſpendi adeò nefaria ſententia. Quin etiam alium protinus in Rothadi ſedem intruſit Epiſcopum. De his omnibus admonitus Nicolaus Papa judicium omne ad ſe evocavit, mandavitque ut interim libertas Rothado aſſereretur & utraque pars judicio

Digitized by Google

judicio Apoſtolico ſe ſiſteret. Nihil tamen Hincmarus aut ejus Pſeudoſynodus eorum quæ jubebat Pontifex exequi dignati ſunt, ſed pro omni excuſatione aſſeverarunt Rothadi appellationem Imperatoris Caroli ſcilicet Calvi ſanctionibus eſſe adverſariam : ipſumque Carolum cum Summo Pontifice adverſarium committere non ſunt veriti præſules indigniſſimi. Poſt multas demum tergiverſationes Rothado permiſſum eſt Romam proficiſci ; ſed ejus condemnatores juſſum vadimonium nullatenus obiverant, nec quiſquam eorum Romæ ad dicendam cauſam comparuit. Tandemque Nicolaus in Romano anni 865. Concilio Rothadum reſciſſis omnibus editis contra ipſum decretis in ſuam reſtituit Eccleſiam : pœnamque excommunicationis quibuſcunque refractarijs intentavit. Extant Nicolai Epiſtolæ una ad Carolum Regem, quâ rogat ut Rothado foveat ſuam Eccleſiam reſumenti ac ni pareat æquè ipſi excommunicationem comminatur : alijs rurſum literis Hincmarum Rhemenſem Rothadi perſecutorem acerrimis objurgationibus coarguit. Scribit & gratulatoriam ad Sueſſionenſem Eccleſiam quæ amantiſſimum erat receptura paſtorem. Rhemenſis vero Hincmarus judicio tandem Nicolai acquievit ſeque apud Nicolaum prolixâ & apologeticâ epiſtolâ excuſavit, quam refert integram Frodoardus lib.3. hiſt.Rhemenſis cap.13.

2. Vix ullum ab Apoſtolorum tempore ad noſtrum uſque ſæculum immunitatis infenſique animi unius Catholici Epiſcopi adverſus alterum pariter Catholicum exemplum reperire in toto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ decurſu quis poſſit tyrãnidi par, quàm Rhemẽſis Hincmar. erga propriũ nepotem Laudunẽſem Hincmarum exercuit. Epiſcopus in Epiſcopũ, Patruus in nepotem, injuſtus in innocentem, refractarius adverſus Apoſtolicam ſedem, in eum à quo illa reclamabatur. Hincmarus junior Laudunenſis Epiſcopus cum videret Patruum Rhemenſem Archiepiſcopum omnis impatientem ſubjectionis, jura Sedis Apoſtolicæ minuere & convellere conantem, ſcripta collegerat, quibus eadem roborare ſtudebat. Idem quoque Laudunenſis pro literis Apoſtolicis agens, conſenſum præbere noluerat excommunicationi quam Rhemenſis in Carlomanum promulgaverat Caroli Regis filium in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, quam Carlomanus appellaverat, quæque hujus cauſæ judicium ad ſe evocarat. Infenſum etiam Laudunenſi Carolum Regem Rhemenſis fecerat, eo quod Laudunenſis Normannum quemdam excommunicaſſet. Ideò quia bona Eccleſiaſtica in beneficium à Carolo accepta reſtituere recuſaſſet Eccleſiæ. Et ſanè Carolus hanc ſibi ſolitus erat licentiam vendicare, facultates Eccleſiarum in laicos transferendi, ut ſæpius conqueritur Meldenſe Concilium ſuperius adductum. Accuſabatur prætetea Laudunenſis ſcripſiſſe ad ſupremum Pontificem contra præſtitum Regi juramentum de crebra Eccleſiarum expoliatione, ſub obtentu Regiæ auctoritatis. Iſtiuſmodi accuſationes & querelas accuſator ſimul & judex Rhemenſis in nepotem ſtruxit primum in Concilio apud Vermeriam in agro Sueſſionenſi anno 869. ſed Laudunenſis factionem cernens quam adverſum ſe vindicta Regis & Patrui moliebatur, eorum utpote jure ſibi ſuſpectorum judicium prævenit, ſedem Apoſtolicam appellans, & admonitus eorum quæ gerebantur Adrianus Papa ſecundus mandavit illam ad ſe deferri accuſationem & vadimonium partibus indixit : ſed illi neque obtemperavit Rhemenſis, neque obtemperare valuit Laudunenſis à patruo detentus.

3. Secundum deinde ſubſequutum eſt adverſus Hincmarum Laudunenſem Concilium apud Attiniacum diœceſis Rhemenſis, preſente Carolo Rege anno 870. Præfuerunt Archiepiſcopi tres cum ſuis Comprovincialibus alijſque ſelectis Epiſcopis tres, qui præfuerunt Archiepiſcopi ſunt Remigius Lugdunenſis, Ardovicus Veſontienſis & Bertulfus Trevirenſis, coram hoc cœtu Rhemenſis ſuas adverſus Laudunenſem nepotem tum proprio tum Regis qui aderat nomine inſtauravit accuſationes. Sed nulla in toto regno ſpes Laudunenſi affulgebat obtinendi juris ſui accuſantibus tanto vindictæ atq; odij æſtu & Rege & potentiſſimo callidiſſimoque totius Regni aulico, quibus nullus diſplicere impunè poterat vel audebat. Inſiſtit igitur Laudunenſis ut ſibi liceat Romam pro defenſione proficiſci, mandante præſertim Summo Pontifice. Sed verè latrocinans illa Synodus nihil jura, nihil juſtam defenſionem, nihil Romanam provocationem, nihil Zachariæ Pontificis citationis edictum penſi habens, Laudunenſem ſuo dejectum Epiſcopatu in tetrum carcerem conjici mandat, ferreis onuſtum catenis. Expoſtulatio Laudunenſis Hincmari quam Joanni Papæ octavo in Concilio Trecenſi obtulit, meminit ſecundum quædam exemplaria facta hæc fuiſſe ſtatim à Concilio Attiniacenſi ut Baronius & Binius obſervant, ſecundum autem alia quædam exemplaria ad Duziacenſe Concilium referuntur.

4. Tertia demum inita eſt Synodus apud Duziacum Campaniæ Gallicanæ vicum (vulgo douzi) Rhemenſis diœceſis anno 871. hic perdurante Rhemenſis, & Caroli Regis implacabili vindicta & utroque fortiter accuſante, invitis quidem ſi ipſis tutum ac liberum fuiſſet, ſed gravi formidine adductis condemnatoribus iteratæ ſunt priſtinæ infelicis rei damnationes. Et quamvis Laudunenſis ſuſpectos ſibi judices conſtanter recuſaret, ſuique judicium extra duorum infenſiſſimorum & præpotentiſſimorum accuſatorum ditionem ex æquo fieri poſtularet, atque in ſua priſtina ad Summum Pontificem qui dudum iſtam criminis cauſam ſuum ad tribunal evocarat appellatione perſiſteret, ipſo præſente atque urgente Carolo Rege, Laudunenſis iterum damnatus & Epiſcopatus gradu ejectus eſt.

5. Defuncto Adriano ſecundo Pontifice (cujus ultimo ferè anno Synodus in Galliâ Duziacenſis habita eſt) datus ſucceſſor fuit Joannes octavus prædeceſſori ſuo longè diſſimilis. Cum enim Adriani ab omnibus ſcriptoribus laudetur invicta in rebus juſtis animi conſtantia, ex adverſo tum à Baronio tum ab alijs gravibus ſcriptoribus inſimulatur Joannes profuſioris facilitatis in obſequendo injuſtis potentiorum poſtulatis ex nimia formidine, & ut ait Baronius prudentia carnis, ob quam exiſtimatur occaſionem fabulæ de Joanna Papiſſa quam inanes aliqui Scriptores in hæc tempora intruſerunt præbuiſſe. Hic mortuo ſine liberis Ludovico ſecundo Imperatore cum ſucceſſio Imperij ejus fratri Germaniæ Regi alteri Ludovico non vero patruo Carolo deberetur : ſed plus à Carolo potentiore quam à Ludovico Joannes & formidabat & ſperabat. Simili poſtmodum facilitate Baſilio Græcorum Imperatori ſtatim ab Igna-

tij Patriarchæ obitu per Legatos peteti ut Photiū mortalium deterrimum, olim Ignatij viri ſanctiſſimi perſecutorem atrociſſimum ſediſque illius invaſorem, Romanæ Eccleſiæ perpetuò infenſum,& ſchiſmaticum, quem ſancti prædeceſſores Pontifices Nicolaus & Adrianus ſecundus anathemati ſubjecerant, quique ipſos viciſſim excommunicare præſumpſerat & quem iſte idem Joannes cum eſſet Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus cum ipſis Pontificibus publico adhibito jurejurando numquam eſſe recipiendum ſe obſtrinxerat,nulla præterea per Photium exhibita pœnitentiæ tantorum exceſſuum vel levi ſignificatione, conſenſit tamen ut ſacrilegus ille in Patriarchatum Conſtantinopolitanum promoveretur: additâ etiam in omnes Photio communicare renuentes excommunicationis pœnâ. Quæ veriſimilis cauſa eſt cur Anaſtaſius qui octavæ œcumenicæ Synodo Conſtantinopoli interfuerat, eamdemque in Latinum tranſtulerat quâ Photius ſacrilegus & invaſor diris devovebatur mollitiem Joannis averſatus, noluerit Joannis vitam ad præceſſorum quas conſcripſerat vitas adjungere. Nihil eſt igitur cur quis miretur ſi poſtquam Carolus Calvus Romam adijt quem Joannes Papa tam ſæpè repetitis literis ſollicitaverat ut Romanæ Eccleſiæ Sarracenorum armis vexatæ, atque in extremum diſcrimen adductæ ſuppetias ferret, tam mollis & meticuloſus Pontifex præſentis & armati Caroli Imperatoris implacabilis Laudunenſis adverſarij petitionibus nemine pro iſto ſtante defenſore, iſtud indulſit ut judicium Duziacenſis Concilij confirmaretur ſine ulla judicij forma, ad ſolius infenſiſſimi ſimul & potentiſſimi accuſatoris petitionem,& ab Joanne literas ad Rhemenſem quoque pertinacem adverſarium accuſatoremque extorſerit. Hanc ſolam tantæ facilitatis cauſam omni rationi & juſtitiæ adverſam & perverſiſſimi exempli, quia accuſator ſimul & adverſarius hoc aſſerit,ergo fides illi adhibenda, & reus indefenſus condemnandus, *Carolus* (inquit) *invictiſſimus Imperator à nobis diligentiſſimè percunctatus circumſtantiā judicij à beatitudine tua Coëpiſcopiſque tuis in Hincmarū dudum Laudunenſem Epiſcopum prolati, Apoſtolatui noſtro retulit: agnovimus juſtum omnino fuiſſe judicium: neque enim tantus princeps niſi veritate fultum quidquam poterat affirmare. Vnde nefas eſſe duximus ejus relationi non præbere incunctanter auditum.* Ita factum eſt ut Rhemenſis poteſtate ſibi facta quam conſtanter prædeceſſor Pontifex Hadrianus ſecundus & Regi Carolo & Conciliabulo & Rhemenſi enixè petentibus conſtanter recuſaverat, additis etiam ad iſtos maximè verò ad Rhemenſem literis, nunc incunctanter curaverit Hedenulfum in locum dejecti Epiſcopum creari Laudunenſem, ne qua dejecto ſpes reſtitutionis ſupereſſet.

6. Verumtamen Laudunenſi ad imam dejectionem depreſſo ſerenior demum lux arriſit,completumque in ipſo fuit divini Pſalmiſtæ oraculum: multæ tribulationes juſtorum & de omnibus his liberabit eos Dominus. Mortuo Carolo Calvo deſijt metuendi cauſa, multumque imminuta eſt tyrannica illa Rhemenſis dominatio: quapropter Joannes Papa in Galliam profectus, & à Rege Ludovico Balbo qua decebat veneratione exceptus, Synodum in civitate Tricaſſina indixit novem & viginti Epiſcoporum, cui ipſe trigeſimus præfuit. Inter hos ſedit Hincmarus Rhemenſis, ſed deficiente tyrannica poſt obitum Caroli Calvi formidine, nihil de conquerente palam Laudunenſi mutire eſt auſus, ne priſtinæ iniquitatis ſuæ myſterium in apertam lucem proferretur. Fuerat poſt Duſiacum Concilium Laudunenſis in carcerem truſus, ferrea catena vinctus, deinde crudeliter ſine judicij forma excæcatus, ſicque oculis orbus in miſerum exilium deportatus. Haſce omnes ærumnas nihil diſſimulans in autorem refert Rhemenſem Archiepiſcopum: ab Epiſcopis invitis imò etiam gementibus quorum multi in Concilio tunc Tricaſſino erant ſe damnatum dicit ac depoſitum: nec tamen quiſquam eorum huic Laudunenſi expoſtulanti contradixit. *Iudicium* (inquit) *præfatus Archiepiſcopus ſuper me impoſuit ut ab Epiſcopali removendus eſſem officio. Sed alij gemebant flebantque,inter quos nullum merebar pati inimicum. Scripta quidem ab eodem Archiepiſcopo ipſis impoſita manibus tenentes, ſed ore proferre nolentes, inviti vix verba ſingultiebant, aditum tamen ad Sedem Apoſtolicam minimè ſperantes mihi poſſe denegari. Vnde ſalvo per omnia Sedis Apoſtolicæ judicio ipſi finem lectionis terminavere. Poſt hæc tranſmiſſus ſum in exilium in quo per duos annos ſanus, ſed aliquanto tempore ferro vinctus cuſtoditus ſum. Duobus annis fermè peractis inſuper cæcatus ſum, & uſque modo retentus ad vos & ad veſtræ ſerenitatis piiſſimam præſentiam mox ut venire dimiſſus potui protinus acceſſi.* Aimoini hiſtorica continua lib.5.cap.37.refert non conſenſiſſe Pontificem, aliquorum Epiſcoporum petitioni ut Laudunenſis priſtinam ſedem reſumeret, ne proprio decreto adverſaretur cum aliqua famæ ſuæ diminutione, quia inſiſtenti Carolo Calvo Imperatori non fuerat auſus diſplicere: Cujus amicitia ad coërcendos hoſtes totâ Italiâ graſſantes ſibi erat neceſſaria; ideoque Hedenulphus ſic extorto Joannis conſenſu creatus Laudunenſis Epiſcopus, quamvis abdicari humiliter peteret, in ſua conſervatus eſt dignitate.Quidquid verò potuit Laudunenſi Hincmaro concedi libens Joannes indulſit, ut ſibi liceret tametſi cæco Miſſam celebrare, veſtibus amictum Pontificalibus, & proventuum Epiſcopalium parte potiri. Quanta verò eſſet Epiſcoporum in ipſum benevolentia manifeſtè apparuit quia & Metropolitani & Provinciarum Epiſcopi ſine præceptione Papæ perindè ac ſolent famulantes Clerici Hincmarum ſacris veſtibus induerunt, & lætitiâ geſtientes in præſentiam Summi Pontificis deduxerunt, indeque ſublatum cantantes in Eccleſiam illum duxerunt,& ſignum benedictionis ad populum dari fecerunt. Quam evidenter quæ hactenus breviter protuli calumnioſa mendacia coarguunt quibus ſcatet illud additamentum quod noviſſimè Conciliorum collectioni acceſſit ad calcem tomi octavi? Illud numero ſecundum Tricaſſinum ſeu Trecenſe Concilium anno Chr.878. Joanne octavo Papa, regnante Francis Ludovico Balbo celebratum eſt. Laudunenſis porro Epiſcopi excæcationis juremerito damnatur Rhemenſis, ſive juſſione Caroli Regis quem omni ſtudio & opera Rhemenſis in odium Laudunenſis concitaverat, & fortaſſis occulto conſilio ſuaſerat & fraudulento, ut à ſeipſo illius ſacrilegæ immanitatis depelleret vituperium apud homines. Si verò ſcelus iſtud ipſo Rhemenſi Antiſtite apertè jubente perpetratum eſt, id non eſt ab ejus moribus alienum; quippe qui paulo antea nullatenus infringere veritus canones mutilationem

Digitized by Google

tionem humani corporis ſub gravibus pœnis prohibentes, ipſemet Presbyterum innocentem & inculpabilem Sueſſionenſi Epiſcopo ſubditum, per vim ſuum in conſpectum pertractum, proprio juſſu fecerit genitalibus non ſine vitæ periculo truncari, exſatiandi implacabilis odij causâ quo erat adverſus ejus Epiſcopum incenſus, ut ex Sueſſionenſis Epiſcopi Rothadi ſcriptis hac de re ad Nicolaum primum Pontificem literis perſpicuè conſtat.

## *CONCILIUM UUORMATIENSE anni Chriſti 868.*

1. Vormatia civitas Vangiorum ripæ Rheni ad dexteram verſus Galliam adjacens, in hac ſub Hadriano Papa ſecundo, Imperatore Ludovico ſecundo, anno 868. habitum eſt iſtud Concilium.

Can. 3. *Placuit quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſias Epiſcopus invitatur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirat, ſed ſi ipſe quidem aliquid ex ſuo voto obtulerit, non reſpuatur. Attamen unuſquiſque Epiſcopus meminerit ut non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non levis eſt iſta temeritas ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum qui ibidem ſerviturі ſunt, tanquam domus privata conſecretur Eccleſia.*

2. Can. 5. Qui prolixus eſt decernit Baptiſmum, ſive ſub trina, ſive ſub unica immerſione conferatur, dummodo tres ſigillatim trinitatis Perſonæ invocentur, peræquè ratum ac validum eſſe. Probátque teſtimonio Gregorij Magni Pontificis lib. 1. epiſt. 41. ad Leandrum Epiſcopum quod etiam refertur in decreto de conſecra. diſt. 4. c. de Trina.

Can. VIII. *Igitur Presbyteris quamvis cum Epiſcopis plurima myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam Novellis & Eccleſiaſticis regulis prohibita ſibi noverint. Conſecratio ergo Virginum, & benedictio vel unctio altaris à Presbyteris minimè fiat. Similiter non liceat illis Eccleſias conſecrare, nec per impoſitionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate Baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publice quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare: hæc enim omnia Presbyteris illicita eſſe cognoſcuntur, quia Pontificatus apicem non habent, quæ tamen omnia Epiſcopis auctoritate Canonum conceduntur.*

Sunt & aliæ multæ benedictiones, conſecrationes, & unctiones Presbyteris vetitæ quæ in Pontificali exprimuntur. Canon iſte falſo attribuitur à Gratiano c. quamvis diſt. 68. epiſtolæ cuidam Leonis Papæ I. quæ ab eruditis ſpuria cenſetur.

Can. XXII. *Si pater vel mater filium filiamque intra ſepta Monaſterij in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, non liceat eis poſtquam ad pubertatis pervenerint annos, egredi & matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum eſt, quia nefas eſt ut oblatis à parentibus Deo filijs voluptatis fræna laxentur. Igitur ut prædiximus non liceat eis ſuſceptum habitum unquam deſerere: ſed convicti quod aliquando tonſuram aut Religioſam veſtem habuerint, in Religionis cultu habituque velint nolint permanere cogantur.* Huic conſonat qui ſequitur.

3. Can. XXIII. *Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proindeque huic ad mundum revertendi interdicimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus.*

Canon iſte ijſdem erutus eſt verbis ex can. 49. Concilij Toletani quarti celebrati anno Chriſti 33. cui præſidente Iſidoro Hiſpalenſi ſeptuaginta Epiſcopi aut abſentium Vicarij ex omnibus Hiſpaniarum Provincijs interfuere. Habetur quoque 20. qu. 1. c. Monachum. Hoc idem conſtituit Gregorius ſecundus in ſua ad Bonifacium Moguntinum Epiſcopum epiſtola. Iſidorus pariter allegatur, c. quicunque 20. q. 1. Idem iteratur decretum in Concilio Triburienſi quod citatur in c. quem progenitores 20. q. 1. Alexander Papa tertius hoc idem firmat de oblatis in Monaſterio à parentibus liberis in parte 50. appendicis ad Concil. Lateran. cap. 10. poſtquam Clemens Papa tertius hanc eandem confirmat diſciplinam & uſum c. cum virum de regularib. Itaque ſeptingentos fere annos uſque adeò effuſa Patrum in liberos nondum ſui per ætatem compotes, poteſtate uſa eſt Eccleſia: quam poſtmodum majori jure & æquitate coërcuit. Urgebant fortaſſis exempla Samuelis quem mater Infantem tabernaculi obſequijs conſecrarat, & Jephte votum quo filiam unigenitam immolavit. Quinimò favore Religionis Monaſticæ ulterius etiam progreſſi ſunt olim Eccleſiæ Canones. Ex quo enim aliquis & adultus & ſui juris, nec tamen mentis compos, aliena voluntate fuerat in ægritudine Monaſtico cucullo amictus, ſi deinde convaleſcebat obſtrictus indiſpenſabiliter permanebat ad reliquum vitæ in Monachali veſte atque inſtituto traducendum. Adeò ut Hiſpaniæ Rex Vamba & inſigni pietate & bellica laude, & relatis de Saracenorum gente victorijs inclitus, cum in morbum incidiſſet alienatus à ſenſibus, ab Epiſcopis & proceribus regni pro conſuetudine tunc temporis vigente, Monaſtica veſte indutus, & deinde convaleſcens ſe aſtrictum Monaſticis inſtitutis agnoſcens, regnum ſuum in Ervigium tranſtulerit, & in Monaſterium quamvis nihil tale animo propoſuiſſet, ſe alieno ligatus facto abdiderit; ut liquido conſtat ex Concilij Toletani XII. cap. 1. cujus etiam ſecundus Canon generali ſanctione decernit neminem qui in ægritudine quantumvis in deliriũ ac phreneſin lapſus, habitu fuerit Monaſtico per alium indutus, poſſe niſi per crimen & damnabilem Apoſtaſiam habitum ita ſuſceptum dimittere, & eſſe ad Monaſtica inſtituta compellendum. Pœnam nihilominus excommuni

Digitized by Google

communicationis in Sacerdotem decernit qui non petenti ægroto monachicum amictum indiderit. Id Concilium anno Chr 681. initum fuit vivente in Monaſterio Vamba & Ervigio regnante.

4. Poſterioribus ſanè Canonibus majore tum prudẽtiâ, tum æquitate prorſus oppoſitum cautum fuit, quibus omnis irrita Monaſtica profeſſio decernitur, ſi non fuerit libera & ſpontanea, & ſi non præceſſerit integer minimùm probationis annus. His quoque proviſum eſt ut omnis profeſſio quæ pubertatem præceſſerit hoc eſt completos duodecim annos in fœmina, & in maſculo quatuordecim itidem completos, ſit irrita & inanis, c. ſignificatum, & c. cum virum de regularibus: quibus Lateranenſe Concilium generale eamdem profeſſioni regulari præfigit ætatem, quæ requiritur pariter ad validum & inſolubile connubium. Succeſſit demum Concilij Tridentini receptiſſima ſanctio ſeſſ. 25. de regul. cap. 15. exigens ad profeſſionem Religioſam in utroque ſexu completos ſexdecim annos. Idemque Concilium pœnam excommunicationis parentibus & alijs quibuſcunque infligit latæ ſententiæ, quicunque per vim aut metum ad Religionem quemquam adegerint vel ad id cooperati fuerint, d. ſeſſ. 25. cap. 17. & 18.

Can. XXIX. *Sæpè contingit ut quis dum operi neceſſario inſiſtens arborem incîdit, aliquis ſubtus ipſam veniens deprimatur: & idcirco ſi voluntate vel negligentiâ incidentis arborem factum eſt, ut homicida debet omnino pœnitentiæ ſubmitti. Quod ſi non voto, non incuriâ illius, non denique ſcientiâ contingit; ſed dum ille operi neceſſario fortaſſis incumberet, iſte inſperatus occurrens ſub arborem improviſus advenit, & ſub ipſa nemine valente penitus adjuvare ſuppreſſus eſt, inciſor arboris homicidæ procuIdubio non eſt comparandus.* Citatur c. ſæpè contingit dum quis diſt. 50.

## *DIVERSA CONCILIA IN CAVSIS nuptiarum illegitimarum à Francis Regibus initarum, tum Carolinæ tum Capetianæ ſt.rpis.*

1. LOTHARIUS Lotharij primi Imperatoris ſecundus natu filius, mortuo patre cum Ludovicus major natu Imperio potiretur, regnum pro ſua parte obtinuit Orientalis Franciæ quæ Auſtraſia jampridem dicebatur, deinde Lotharingia vocata eſt deducto nomine ſive à Lothario patre, ſive ab ejus de quo loquimur filio, quod regnum multas Rheno & Moſâ fluvijs interclusas Provincias cõplectebatur, tũ Belgicas, tum Palatinatum tractum, & Alſaciam, & quæ reſtricto nunc admodum ſignificatu Lotharingiæ ducatus appellatur, & Sequanos Burgundos, deinde Lugdunum cum toto ſuo tractu, Sabaudiamq; & Helvetios, Valleſios & Rhœtos aliaſque dictiones. Iſte itaque Lotharius uxorem Rheutbergam Boſonis filiam falſis oneratam accuſationibus repudiavit, & Valdradam pellicem quam efflictim deperibat in matrimonium aſſumere voluit. Hac de re cum ad Nicolaum I. Pontificem miſiſſet, iſteque reſpondere cunctaretur, ſperans hâc potius morâ quàm prompta contradictione illum tenſim ad officium rediturum; Lotharius omnis impatiẽs dilationis, Concilium octo Epiſcoporum Aquiſgrani cogit an. 862. quorum adulatione novæ illi cum Valdrada permiſſæ ſunt nuptiæ. Id verò Nicolaus indignè tulit, alterumque Concilium apud Mediomatrices indixit, ſed pari prius ac illud eventu: ſimulque Legati eo ex Concilio Romam directi ſunt qui fuerant utriuſque Conciliabuli Principes, Guntarius Agripinenſis & Teutgardus Trevirenſis Archiepiſcopi: ſed Nicolaus in Lateranenſi Concilio ambos dignitate movit, ſimulque Synodos Aquiſgranenſem atque Metenſem reprobavit. At illi Pontifici rebelles pro Epiſcopis nihilominus ſe geſſerunt. Nicolaus vero inſtitit ut alij eorum loco Epiſcopi crearentur.

2. Lotharius perpetuò tergiverſatus tandem à fratre Ludovico Imperatore rogatus ut ſibi ſuppetias in Italiam contra Sarracenos ferret, Romam contendit anno 869. extincto ante biennium Pontifice Nicolao. Atque per fraudem & mendacium ab ejus ſucceſſore Hadriano ſecundo veniam exoravit, cum ſub Dominici corporis communionem Valdrada ſe pellice abſtinuiſſe poſt interdictum Nicolai, atque in poteſtate Pontificis ſe fuiſſe dejeraſſet. Cujus perjurij pœnas mox in reditu dedit. Eodem quippe anno Placentiæ lethali morbo confectus eſt. Hæc referuntur ab Othone Friſingenſi, à Reginone, ab Anaſtaſio in Nicolao primo & alijs.

3. Philippus ejus nominis primus Franciæ Rex repudiata legitima uxore Bertha Comitis Hollandiæ filia, ex qua etiam filium Ludovicum cognomine Craſſum qui patri in regnum ſucceſſit, ſuſceperat, illegitimo ſibi thoro Bertradã aſcivit cognatam ſuam, Fulconis Comitis Andegavenſis adhuc viventis conjugem. Hiſce nefarijs auſis Urbanus Papa ſecundus ſe conſtanter oppoſuit, quamvis gravem metuendi cauſam haberet, hoſtem patiens infenſum Henricum Imperatorem, & ab hoc intruſum Antipapam Guibertum; immineretque grave periculum ſi Rex hac irritatus oppoſitione ſchiſmati ſe adjungeret, ſuumque in illud traheret regnum. Ergo Legatum ſuum Urbanus in univerſo regno Ugonem deſignavit Lugdunenſem Archiepiſcopum, qui ſine mora Concilium nationale Gallicanorum Antiſtitum in oppido indixit, quod hujus ſcriptor hiſtoriæ Bertoldus Oſtionem vocat, quod multi eſſe rentur Auguſtodunum ſeu Eduam Gallicè *Autun* in Burgundiæ Ducatu. In hac Synodo ſincerè geſta ſunt omnia. Rex Philippus in proprio regno à ſubditis Epiſcopis communione fidelium exciſus eſt an. 1094. cumque nihilo ſecius ille in contumacia perſiſteret, ipſe demum Urbanus ortu Gallus in Galliam profectus, aliud Concilium univerſalius Claromonte in Arvernis coëgit ducentorum & quinque Antiſtitum, in quo Philippus denuo cum pellice Beltrada excommunicatione à fidelium cœtu fuit reſecatus. Ad poſtremum Rex idem reſipiſcens Bertradam longè à ſe amovit. Ipſa verò Regina Bertha præcedente anno procul à Regia è vivis exceſſerat ut liquet ex Chronico Cœnobij Sancti Petri Vivi diœceſis Senonenſis ijſdem temporibus conſcripto à Clario Monacho. Obſervatu dignum eſt quod Petrus Matthæus ſub finem hiſtoriæ Sancti Regis Ludovici refert ex veteri Codice

Abbatis

Digitized by Google

Abbatis Nogentini Guilberti ſcripto ſub regno Ludovici Craſſi quem Philippus ex Bertha filium & ſucceſſorem habuit, Philippum initio regni complures ſtrumis morbidos ſuo contactu curaſſe, ſed iſtud amiſiſſe privilegium neque poſt hac dum vixit recuperaſſe, ex quo ejus mores per luxuriam & inceſtuoſos Bertrudæ amores in deterius verſi ſunt.

4. Porro Claromontanum iſtud Concilium celebratum fuit anno à Chriſto 1095. quo Urbanus ſacram indixit expeditionem pro Syria de manibus Mahumetanorum recuperanda, quæ quidem expeditio ſola ferè inter tam multas alias Felicem nacta eſt exitum duce ſtrenuo & religioſiſſimo Gotofrido Bullonio qui an. 1099. Jeroſolymam expugnavit, omniumque ſuffragijs Principum qui Comites ei adhæſerant regnum illud ſuſcepit. De celebri hac Synodo plenior erit nobis tractatio ad ſæculum undecimum.

5. Sequenti ſæculo Franciæ Rex Philippus cognomine Auguſtus in ſimilem injuſti divorſij & illegitimi matrimonij ſcopulum impegit: ſuam iſte uxorem Gerbergam Danorum Regis filiam repudiavit, eaque ſuperſtite Moraviæ Ducis filiam Mariam ementito matrimonij nomine duxit, prætexens aliquam dirimentem cum dimiſſa affinitatem. Tunc Celeſtinus Papa III. binos in Galliam Legatos tranſmiſit, qui collecta Divione in Burgundia Synodo, cauſaque ſedulò exploratâ Regem admonitum & admonitionibus immorigerum & contumacem regnumque univerſum Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciunt an. Domini 1197. id Rex iniquo admodum animo tulit, ſed exactis aliquot in iracundia & murmure menſibus ad officium tandem redijt, Mariamque ad ſuos dimiſit & Gerbergam revocavit. Franciæ quædam hiſtoriæ hoc addunt hoc ſtante interdicto, non fuiſſe pro recepta conſuetudine in publicis tabulis ſcriptum *Regnante Philippo*, ſed *Regnante Chriſto*.

## *SYNODVS OECVMENICA OCTAVA ſeu Conſtantinopolitana quarta an. 869.*

1. HUjus novæ Synodi hiſtoriam quam exactiſſimè deſcribit Nicetas Paphlagonius David hujus ætatis ſcriptor in vita S. Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolis. Nicephorus Græcorũ Imperator filiam ſuam propriam Michaëli Curopalatæ dederat in matrimonium ex quo natus eſt Nicetas cum alijs liberis. Poſt Nicephori exceſſum conſenſu omnium Michaëli defertur Imperium, Principi pietatis ſimul & juſtitiæ cæterarumque virtutum ornamentis ſpectatiſſimo, qui biennium imperavit, donec Leo Armenus cui Michael præfecturam exercituum Orientis crediderat, in ſuum Principem & benefactorem perduellis regnum occupat, Michaëlem cum conjuge & liberis in diverſas inſulas ablegat, & Monaſterijs includit, Regios liberos caſtrari jubet atque in his Nicetam, cui caſtrato & in Monachum detonſo Ignatij fuit inditum nomen. Leo qua tyrannide perfidiaque regnum invaſerat eâdem adminiſtravit; & olim à Synodo ſeptima everſam Iconoclaſtarũ hæreſim magna Eccleſiarum clade, piorumq; omnium dira inſectatione reſtituit, non minori rabie furens quam Leo ille Iſauricus à quo fuerat primum excitata. Verum exacto Imperij ſeptennio divina ultione interemptus eſt à Michaële Balbo pariter Iconoclaſta: quem poſt annos Imperij octo filius excepit Theophilus paternæ impietatis æmulator, qui annos aliquos potitus Imperio tranſmiſit illud ad filium Michaëlem ſub Theodoræ matris tutelâ, Religioſæ viriliſque animi fœminæ quæ filium Catholica Religione imbuendum curavit, inſtauratoque ſacrarum Imaginum cultu, Methodium virum Sanctiſſimum quem in profeſſione orthodoxa conſtantem & invictum Michael Balbus exilio damnarat revocavit, atque in regia civitate Patriarcham conſtituit: qua dignitate præclarè quadriennio perfunctus abijt in cœlum.

2. Tum verò ejuſdem Theodoræ ſtudio Ignatius, Michaele Curopalate natus in eamdem promotus eſt ſedem. Hoc præſule Eccleſia Orientalis fidei ſinceritate & morum commendatione refulſit, tranquillaque pace integros undecim annos potita eſt. Sed tam felicem rerum ſtatum Cæſaris Bardæ ipſius Theodoræ fratris ambitio turbavit. Hic Imperatori perſuaſit ut matrem rerum gubernaculo ablegaret, Monaſterioque includeret: atque ex Michaëlis vecordia fiduciam ſumens omnem Imperij poteſtatem in ſe unum tranſtulit: Erat præterea Bardas infenſiſſimo in Ignatium animo, qui paſtoralis officij & conſtantiæ ſpecimen dederat, quando poſt ſæpius admonitum fruſtra Bardam ut ſtupri conſuetudine quam cum propria nuru gravi omnium ſcandalo & offenſione habebat deſiſteret, ad ſacram Euchariſtiæ ſinaxim ſolemni Epiphaniorum die accedere auſum, palam repulit & ad pœnitentiam eſt exhortatus. His acceſſerat ut cum ſuaſu Bardæ Michaël accito Ignatio mandaſſet ut Theodoram invitam attonderet, Monaſterioque includeret, id præſtare ut rem indignam & Eccleſiæ legibus adverſantem recuſaverit: quocirca Bardas Ignatium apud Imperatorem majeſtatis reum poſtulavit, ſimulque in inſulam deportari fecit, & Photium Eunuchum in ejus ſedem intruſit.

3. Erat Photius vir laicus natalibus illuſtris, dignitate Protoſpaturius, primuſque à ſecretis; homo ambitionis immenſæ, veterator, ingenio ad univerſa verſatili tantaque humanarum diſciplinarum peritiâ, ut vel ipſo Niceta Davide teſte non modo ſui ævi princeps haberetur, ſed etiam cum præſtantiſſimis veterum quorumcunque ingenijs decertare poſſet. At eximias naturæ & artis dotes animi ejus improbitas & incredibilis ambitio perfidiaque obſcurabant. Vix credat aliquis quàm implacabili crudelitate, quàm impudentibus calumnijs, & quàm immanibus corporis cruciamentis, Imperatorij ſanguinis Patriarcham eximia vitæ ſanctitate venerandum, ætate etiam provectum divexaverit ſceleſtiſſimus Photius, quandiu Bardas ſuperſtes fuit.

4. Ad poſtremum interimitur à Baſilio Macedone Protoſtatore juſſu ipſius Michaëlis Imperatoris Bardas: occiſor verò in Imperij ſocietatem aſciſcitur: nec multo poſt Michael ipſe vino temulentus trucidatur. Cum enim illũ novus Imperator Baſilius ab infamia morum ad meliorem reducere frugem ſtuderet, ejus tantum in ſe odium concitavit ut remigi quoque obtulerit Imperium ſi Baſilium interimeret, ſed Michaelem temulentum Baſilius antevertit & occidit.

5. Solus itaque Imperio potitur Baſilius, qui cum eſſet juſtitiæ & Religionis amantiſſimus publicam rem Michaëlis vecordiâ nequitiaque per-



Digitized by Google

ditam reparavit. In primis Ignatium dejecto Photio revocavit. Eaque de cauſa Synodum œcumenicam octavam Conſtantinopoli coëgit,aſſentiente Adriano Papa ſecundo Nicolai primi ſucceſſore, qui etiam per Legatos ſuos Stephanum & Donatum Epiſcopos, & Marinum Diaconum ſanctæ Synodo præſedit anno Chr.869. jam Photium Baſilius de throno in Monaſterium depulerat, etiamque Regiæ claſſis Drungarium cum dromone id eſt celoce Imperiali pretioſis ornamentis inſtructo, cum magnifico ſplendidoque comitatu præmiſerat ad reducendum ea qua par erat honoris pompa Ignatium. Reducem ab exilio Patriarcham ordo Patritius occurrens exceperat, & frequens lætitiaque geſtiens populus veneratus atque in templum triumphali apparatu & fauſtis acclamationibus proſequutus fuerat, antequam Synodus indicta eſſet.

6. Synodo interfuerunt ut ſcribit Nicetas Epiſcopi duo ſupra centum. Antiſtites vero & Sacerdotes qui à ſanctiſſimis Patriarchis Methodio & Ignatio conſecrati fuerant,& poſtmodum ad Photij communionem abrepti, libellis pœnitentiæ porrectis ad Synodi pedes procubuere, lacrymis effuſis veniam ſupplicantes.Mitius cum his actum eſt, impoſitaque brevi pœnitentiâ ad confeſſium tandem Synodi & priſtinam dignitatem admiſſi ſunt. Photius citatus reus ad Synodi conſpectum adducitur, de proprijs ſceleribus interrogatus adduci non potuit ut aliud reſponderet quam iſtud Davidicum, poſui ori meo cuſtodiam & quod ſequitur ipſi legitote hæc nimirum intelligi volens, cum conſiſteret peccator adverſum me. Inſtant Legati hoc obſtinato ſilentio non evaſurum damnationis judicium. Quibus ille neque Jeſus tacendo evaſit damnationem. Blandè rogatur ut ſe juſtificet de ſibi objectis accuſationibus. Reſpondit hypocrita juſtificationes meæ non ſunt de hoc mundo. Suadetur ut pœnitentiam exhibeat, quâ ſolvatur anathemate. Ille pertinaciter ſilet ſeque è conſpectu ſubducit.

7. Nicolaus Papa I. Photium jam olim in Romano Concilio damnaverat anathemate & violentum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ invaſorem. Photius verò coacto Conciliabulo in ipſum Nicolaum anathema regerere auſus fuerat. Quinetiam non dubitavit Pſeudoſynodi ſuæ acta multis ſuppoſitis falſis & calumnioſis additamentis ementitiſque veteratorijs Epiſcoporum ſubſcriptionibus tranſmittere ad Ludovicum pronepotem Caroli Magni, Lotharij filium, & quartum à magno illo Carolo Imperatorem Occidentis, unà cum literis & munuſculis ad uxorem ejus Ingelbergam eam ſollicitantibus ut conjugi Ludovico ſuaderet à Nicolao Epiſcopo Romæ diſceſſionem,utpote Canonicè auctoritate Concilij œcumenici depoſitum, eumque procul in exilium relegaret, quæ tamen ſcripta fuerunt intercepta, & in hanc Synodum octavam & legitimam ab Imperatore Baſilio producta. Porro hujuſce Ludovici Franciæ Orientalis Regis Legati quemadmodum & Michaëlis Bulgarorum Principis actioni novæ Synodi hujus interfuiſſe memorantur: alijs verò actionibus nulla horum mentio legitur.

8. Neque vero à ſolo Nicolao, ſed præterea ab Hadriano Papa II. in alia Synodo in qua eadem iterum ventilata cauſa fuit, anathema Photio irrogatum fuit. Tertiumque demum anathematis telum in eûdem contorſit hæc octava Synodus, rem miram perhibet in Ignatij vita Nicetas, damnationi Photij ſubſcriptum ab œcumenicæ iſtius Synodi Patribus calamis non ſolum atramento, ſed etiam tremendo Chriſti ſanguine delibutis in Sacramentum infuſo. Simili ſubſcriptione permixti atramēto ex ſacro Calice divini ſanguinis à Theodoro Papa ſignatam fuiſſe Pyrrhi Monothelitæ relapſi damnationem fidem facit Theophanes. Octava hæc Synodus aliquot edidit Canones qui recenſentur in Græcis exemplaribus numero quatuordecim, ut verò in Latina editione Anaſtaſij ſeptem & viginti.

9. Can.1. Edicitur ſervandas atque tenendas eſſe Apoſtolicas traditiones non ſcriptas, perinde ac divinas Scripturas: & ad hoc firmandum profert iſtud Pauli ad Theſſal. *State & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per Sermonem ſive per Epiſtolam noſtram.* Traditionibus hujuſmodi parem cum divinis Scripturis adhibendam eſſe fidem ſcribunt quoque priſci Eccleſiæ Doctores ac PP. Baſil. ad Amphilochium de Spiritu ſancto c.29. Epiphanius hære.61. Chryſoſt.hom.4. in 2.ad Theſſal. ut in Græca Synodo Latinos Patres ſileam.

10. Can.2. Novæ pondus auctoritatis adjicitur ad Synodicas Nicolai & Adriani Pontificum definitiones, pro Ignatio contra Photium.

Can. III. *Sacram Imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & omnium liberatoris & Salvatoris æquo honore cum libro ſanctorum Evangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per ſyllabarum eloquia quæ in libro feruntur ſalutem conſequimur omnes, ita per colorum Imaginum operationem & ſapientes & idiotæ cuncti ex eo quod in promptu eſt perfruuntur utilitate: quæ enim in ſillabis ſermo,hæc & pictura quæ in coloribus eſt prædicat & commendat: & dignum eſt ut ſecundum congruentiam rationis & antiquiſſimam traditionem, propter honorem quia ad principalia ipſa referuntur, etiam derivativè icones honorentur & adorentur æquè ut ſanctorum Sacer Evangeliorum liber, atque typus pretioſæ Crucis: ſi quis ergo non adorat iconem Salvatoris Chriſti, non videat formam ejus quando veniet in gloria paterna glorificari & glorificare Sanctos ſuos, ſed alienus ſit à communione ipſius & claritate. Similiter autem & Imaginem intemeratæ matris ejus & genitricis Dei Mariæ: inſuper & icones ſanctorum Angelorum depingimus quemadmodum eos figurat verbis divina Scriptura: ſed & laudabiliſſimorum Apoſtolorum & Prophetarum & Martyrum & Sanctorum ſimul omnium & honoramus & adoramus. Et qui ſic ſe non habent anathema ſint à Patre & Filio & Spiritu ſancto.* Canon iſte in Græco conciſior eſt.

Can.IV. *Vt ambitionem veluti quamdam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jus faſque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Chriſti inſiſtentem, orbemque terrarum perturbationibus complentem, nunquam antea Epiſcopum fuiſſe neque nunc ulla ratione eſſe juſto decreto declaramus.*

digna

Digitized by Google

*δικαίῳ λόγῳ ἀποφαινόμεθα μηδέποτε γεγονέναι πρότερον ἢ νῦν ἐπίσκοπον, nec ab illo creatos in Sacerdotij gradu in quem ab eo promoti ſunt manere. Præfectis quoque Monaſteriorum ab eo provectis præfecturam abrogamus. Dicit enim univerſorum Deus : quoniam tu ſcientiam repuliſti & ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi.*

His addit Anaſtaſianus Canon. *Sed & Eccleſias quas ut putatur tam Photius quam ij qui ab ipſo conſecrati ſunt dedicaverunt vel ſi commotas menſas* (id eſt Altaria) *ſtabilierunt, rurſus dedicari & inthronizari & ſtabiliri decernimus.*

11. Can. 5. Decernit juxta Apoſtolum 2. Timoth. 3. & antiquos Canones non eſſe ullatenus neophytos ad Epiſcopatum aſſumendos : nec tantum neophytos in fide, ſed etiam in Clericorum ordine. Arcet quoque illos qui ab Imperatoria poteſtate intruduntur. *Ἔτι δὲ κοινῶς τούτων ἀπαγορεύομεν οἱ ἀπὸ βασιλικῆς ἐξουσίας εἰς τοῦτο συνωθεῖσθαι.* Quorum utrumque in Photio contigerat. Præſcribit quoque ut Lector ſaltem annum in eo exerceat officio, priuſquam Subdiaconus ordinetur : & hic biennium expectet, ante quam ad Diaconatum aſcendat : Diaconus porro in ordine triennium compleat antequam Sacerdos conſecretur. Et ut nullus in Epiſcopum aſſumatur niſi poſt exactum in Sacerdotio quadriennium. Permittit tamen ut poſſint Epiſcopi ex juſta cauſa in his interſtitijs diſpenſare. Concilium denique Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 11. conſtituit annum interſtitij ac miniſterij à ſuſceptione ultimi ex minoribus ordinibus ad Subdiaconatum, & ex hoc alterum annum ad Diaconatum, alterum item ad Sacerdotium, niſi neceſſitas aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat. Id enim intelligendum eſt per hæc verba : *Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoveantur.* Ubi minores Ordines non abſolutè ſed reſpectu habito ad Superiores ſignificantur. Diſtrictè autem prohibet cap. 13. duos eodem die ſacros Ordines cuiquam conferri, ſed ibidem à Subdiaconatu ad Diaconatum annum interſtitij præfigit. Deinde cap. 14. alterum annum à Diaconatu ad Sacerdotalem ordinationem. Ita definit Concilium Trident.

12. Can. X. *Cum vetus novaque lex teſtamenti doceat unicam Domini eamque ratione & intelligentia pollentem eſſe animam : eamdemque ſententiam Dei locorum omnium Patrum & Doctorum Eccleſiæ doctrina confirmet, ſunt tamen qui duas homini eſſe animas aſſerant, & quibuſdam vitioſis ratiocinatiunculis ſuam hæreſim ſtabiliant. Itaque ſancta hæc & œcumenica Synodus hujus impietatis conditores cum tota ſecta ſua magna voce anathematizat. Qui verò poſthac contraria dicere auſus fuerit anathema eſto.*

Hæc fuit veterum quorumdam Philoſophorum necnon Manichæorum hæreſis, præter animam rationalem exiſtere quoque in nobis animam diſtinctam ſenſitivam, ex qua promanant omnes concupiſcendi actus, eamque Manichæi aſſeverabant propriâ naturâ malam eſſe, & à malo principio exortam. Adverſus errorem iſtum diſputat Auguſtinus tum alibi tum in libro de duabus animabus contra Manichæos. Præclarè docet Ariſtot. lib. 1. de Anima text. 66. & 91. unam duntaxat eſſe in homine animam eamque rationalem, quæ tamen ſit eminenter ac virtute ſenſitiva & vegetans. Suffragatur his ratio phyſica. Alioqui enim nõ eſſet homo unum aliquod ens per ſe, ſed multa entia aggregata, quemadmodum plures ſimul homines dicuntur unus populus, pluresque arbores una ſylva, & complures lapides unus acervus. Forma namq; ipſa eſt quæ determinat eſſe cujuſque rei ; ſicque multiplices animæ ac formæ plura entia conſtituunt. Ratio etiam Theologica ſuffragatur : cum enim omnia in Chriſto fuerint quæ ad humanæ ſubſtantiæ integritatem pertinent ſi ad eam diſtinctæ formæ vegetans & ſenſitiva pertinerent, verbum incarnatũ ſimul eſſet homo brutũ & planta. Deinde in triduo mortis vel duæ ultimæ iſtæ animæ diſperijſſent : at quod verbum ſemel aſſumpſit numquã dimiſit, vel manſiſſent ſeorſim à corpore, atque ita duæ materiales formæ contra phyſicam rationem fuiſſent per ſe ſubſiſtentes ab omni materia remotæ. Deinde quorſum abijſſent ? an ex honoris atq; obſervantiæ officio animæ rationali ſe pediſſequas adjunxiſſent? an vero procul ab illa divagatæ fuiſſent ? neque vero à ſeipſo Ariſt. diſſidet dum lib. 2. de generat. animal. cap. 3. affirmat embryonem hominis prius vivere vitâ plantæ, deinde vitâ bruti, & ad ultimum vitâ hominis. S. quippe Thomas in ſum. p. 1. q. 118. art. 2. ad 2. mentem hanc docet eſſe Ariſtot. formas illas in embryone nunquam ſimul ſed ſucceſſivè ineſſe, atque abſcedente vegetativa ſuccedere ſenſitivam, & hac deſinẽte infundi à Deo rationalem quæ ſimul non quidem formaliter ſed virtute ſeu eminenter ſit vegetans & ſenſitiva ; à nonnullis tamen reſpuitur illa animæ ſenſitivæ præceſſio in illo imperfecto humano fœtu: volunt enim primum quidem animari fœtum formâ vegetativâ cui proximè ac immediatè ſuccedat divinitus creata formâ ſeu anima rationalis, quæ tamẽ operetur primùm ſecundum facultatem vegetativã ac ſenſitivam, non verò ſecundũ rationalẽ gradum, niſi poſt unum aut alterum à nativitate annum.

13. In eodem pariter verſabatur errore Apollinaris Laodicænus Epiſcopus qui tres in ſingulis hominibus animas conſtituebat, eoque jacto veluti fundamento aſſerebat binas in Chriſto animas vegetantem & ſenſitivam rationalem vero ab eo removebat. Aſſerebat enim Verbum in aſſumpta humanitate animam præveniſſe rationalẽ illiuſq; vicem ac locũ occupaſſe. Qua ex aſſertione ſequebatur abſurditas duplex in primis aſſumptum eſſe ab æterno Verbo non hominem ſed brutũ ac animal rationis expers. Præterea ſolam animam ſenſitivam contuliſſe in Chriſto ad hominis redẽptionem, qui tamen non niſi per libertatem ſive propriam ſive primi omniũ patris Adami deliquerat. Eſt autem libertas animæ rationalis propria. Hæc Apollinariſtarum hæreſis dãnata primum fuit an. 362. in Concil. Alexand. præſide magno Athanaſ. poſtquam Juliani Cæſaris edicto exules Epiſcopi ab Arianis ſub Conſtantio pulſi poſtliminio revocati fuere. Et rurſum ab œcumenica ſecunda Synodo ſub Damaſo Papa Conſtantinopoli celebrata can. 1.

Can II. *Quia divinâ gratiâ ad munus Epiſcopi evocantur, eos ut qui imaginem ac figuram Sanctorum cœleſtium hierarcharũ gerant, ab omnibus*



Digitized by Google

*nibus ſive Principibus ſive ſubjectis omni veneratione colendos ſancimus : nolumuſque eos aut ducibus bellicis, aut alijs dynaſtis longius à ſuis Eccleſijs obviã procedere, neq; ex equis aut mulis venerationis cauſa ſupplices & metu timoreque abjectos deſcendere, procumbere, aut adorare. Si quis vero Epiſcopus poſt hoc editum ſanctæ Synodi decretum debitum ſibi honorem neglexerit, aut contra ſanctionem hanc quidquam fecerit, fierive permiſerit per annum ſeparetur : Princeps autem ſeu dux ille per biennium à ſanctis Sacramentis arceatur.*

Can. XII. *Perlatum eſt ad nos non poſſe ſine Principum præſentia Concilium agi. Atqui nuſquam ſacri Canones ſanciunt ut ad Synodos ſingulares principes cogantur, ſed ſoli dumtaxat Epiſcopi, quare nec aliàs reperimus eos alijs niſi œcumenicis Concilijs interfuiſſe. Neque enim fas eſt ut ſeculares Principes rerum quæ Dei Sacerdotibus contingant ſpectatores fiant.*

14. Can. XIII. Obſervatu dignus in eoſque Concilia etiam œcumenica cum Summo Pontifice temerè committere atque in diſſidium trahere præſumunt. *Si quis tanta efferatus audacia quemadmodum Photius & Dioſcorus, ſive ſcripto ſive non ſcripto inſanias quaſdam contra Cathedram Coriphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare, eamdem atque illi damnationis ſententiam accipiat. Si quæ verò œcumenica Synodo collecta de Romana etiam Eccleſia controverſia extiterit, licebit eum decenti reverentia de propoſita quæſtione percunctari, reſponſumque admittere, vel utilitatem admittere vel dare : non tamen audacter contra ſenioris Romæ Pontifices ſententiam dicere.*

Exemplum hujus moderationis ſuppeditat Concilium plenarium Carthaginenſe ſextum cui præſedit ſapientiſſimus Valerius & interfuit Sanctiſſimus Auguſtinus, cum nondum res utrimque perſpecta ſatis eſſet de commonitorio Zoſimi Pontificis. Vide etiam inferius Triburienſem canon.

15. Can. XIV. *Sancimus ut deſignati ad ſuperhumeralia geſtanda Epiſcopi certis ſtatiſque temporibus & locis ea geſtent, ne hujuſmodi cultu per faſtum aut ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore divini Officij. Eos etiam qui poſt vitam Monaſticam ad Epiſcopatus honorem ſunt provecti, ut religioſam ſuam vitam habitumque Monaſticum ſervent ſtatuimus : nulluſque per faſtum animique jactantiam hujuſmodi habitum exuere audeat ne ſuas inde quas ſibi præſcripſit leges violet. Quod ſi quis Epiſcopus præter deſignata ſibi ſcripto ſeu ſine ſcripto tempora Homophoron tulerit, aut Monaſticam veſtem abjecerit, vel corrigatur vel deponatur.*

De pallio Pontificio plura ſuperius require ad can.6. Conſtantinopolitani primi Concilij. Vide pariter in decretalibus de autor. & uſu pallij ubi ſtatuitur cap.1. intra quamlibet Provinciæ ſuæ Eccleſiam poſſe Archiepiſcopum uti pallio. Deinde c.3. non eſſe quem vocandum nomine Archiepiſcopi tametſi conſecratum, niſi à Romano Pontifice pallium ſuſceperit : & conferri per illud plenitudinem officij paſtoralis. Et c.4. ſoli Papæ licitum eſſe pallium ubique geſtare. Et c.6. in qualibet Provinciæ ſuæ Eccleſia poſſe Archiepiſcopum ſolemnibus diebus Miſſam celebrando pallio uti. Quo ſignificari ovem quam bonus Paſtor diu requiſitam & ab errore revocatam ſupra ſuos humeros reportat, alibi poſt Iſidorum Peluſiotam docuimus. De habitu vero Monaſtico non dimittendo ab Epiſcopo Monachiſmum olim profeſſo confirmatur pariter can.16. Lateranenſis generalis ſub Innocentio tertio Concilij citato in c. Clerici officia de vit. & hon. Cleri.

16. Editionis Anaſtaſianæ can.19. Metropolitis jus adimit viſitandi Suffraganeorum ſeu Comprovincialium Eccleſias. Hic verò Anaſtaſius Romanæ Bibliothecarius Eccleſiæ huic Synodo quã etiam Latinè edidit interfuerat. In Occidente autem Summi Pontifices & Concilia viſitationum univerſæ Provinciæ jura Metropolitis aſſeruerunt, ut ex multis reſcriptis perſpicuum eſt. Quale eſt Lucij tertij ad Epiſcopum Ravennatem viſitantem Diœceſim Epiſcopi Bononienſis c. Sopitæ de cenſibus in 6. & ante hunc Innocentij tertij ep.85. regeſti 15. qui idem in c. cum officij 16. de præſcript. Abbatem condemnat Sancti Maglorij ad ſolvenda procurationis jura Archiepiſcopo Senonenſi Abbatiam viſitanti : at illa Abbatia eſt in ſuburbio Pariſienſi. Epiſcopus vero Pariſienſis nondum Archiepiſcopali dignitate præfulgebat, ſed tunc ſuberat Metropolitano Senonenſi. Similiter Bononienſis Eccleſia nondum erat in Metropolim erecta, quod poſtea factum eſt. Cæterum quia proclive admodum erat naſci rixas & ſimultates occaſione viſitationum inter locorum Epiſcopos & Metropolitas, uno abrogante aut reprobante quod alter probaverat vel ſtatuerat : & quia inſuper impenſæ atque onera Parrochiarum multiplici viſitatione augebantur, idcirco demum à Concilio Tridentino ſancitum eſt ſeſſ.24. cap.3. non poſſe ab Archiepiſcopo Suffraganeorum Eccleſias viſitari, niſi ex cauſis in Synodo Provinciali approbatis.

17. Denique Anaſtaſianus can.22. occaſione intruſionis Photij per Imperialem auctoritatem, prohibet ſub anathemate laicis Principibus alijſque potentibus autoritatem ſibi in Epiſcoporum promotione arrogare, ſed Eccleſiã ſuæ libertati & juri permitti jubet. Iſto deinde canone Sum. Pontifices uſi ſunt adverſus Epiſcopatuum inveſtituras, quas ſibi Occidentis Imperatores arrogant & citatur apud Gratianum c.1. diſt.63. Græcæ verò editionis hujus octavæ Synodi can.5. poſtquam edixit de Neophytis ad Epiſcopatum non provehendis hoc adjungit. Ἔτι δὲ μάλιστα τοῦτον (νεόφυτον) ἀπωθοῦμεν εἰ διὰ βασιλικῆς ἐξουσίας εἰς τοῦτο εἰσωθεῖται. Maximè verò Neophytum repellimus ſi per Regiam intruſus fuerit poteſtatem.

18. Exacto ab œcumenica Synodo iſta octava decennio, translatóque in cœleſtem beatitudinem Ignatio, Photius rurſus ad Patriarchale faſtigium aſpiravit, ſolitiſque artibus Baſilium Imperatorem ſuæ fautorem ambitionis nactus eſt, eoque rem provexit tranſmiſſis Romam Imperatoris Legatis, propriiſque literis quarum gerulus fuit inſignis

ſignis dolorum artifex Theodorus Santabarenus, ut Joanni octavo Pontifici perſuaſum ſit, ut ſceleſtiſſimi Photij Romanæ hoſtis Eccleſiæ, juſtiſſimis anathematis à prædeceſſoribus Nicolao & Hadriano ſecundo illaqueati, ad ſolium Patriarchicum promotioni, miſſis etiam Legatis ad rem fortius peragendam ad Baſilium, una cum gratioſis epiſtolis nimia certè facilitate conſenſerit. At ſeductor Photius ſibi præter jus faſque gratificantis Joannis famæ peſſime conſuluit: literas enim hujus multis partibus falſificavit, legatos quoque Romanos blanditijs & muneribus corrupit, ut ad ſuum & Imperatoris libitum omnia peragerent itaque quaſi ex conſenſu ſed ſuppoſito & per calumniam efficto Joannis Papæ, Synodus quam dicebant œcumenicam colligitur, præcedentis veræque œcumenicæ octavæ omniúmque adverſus Photium actorum damnationem continens, quæ prætextu falſæ & calumnioſæ conſenſionis Joannis Papæ, atque conciliandæ perpetuæ inter occidentalem novámque Romam charitatis & pacis, anathema dixit in eos qui verbum *filióque* ad Symbolum addiderant, aut poſt hac additum vellent. Statutum præterea ut quos Romani Pontifices excõmunicationi ſubdidiſſent ab Eccleſijs quoque Orientalibus pro excommunicatis ſine controverſia haberentur: & viciſſim quos Patriarcha Conſtantinopoleos ſimili cenſura aliáve canonica pœna perſtrinxiſſet, à Romana quoque Eccleſia rejecti eſſent. Qua veteratoria arte & Patriarchæ Regiæ urbis jus ſupremum & indeclinabile aſſectabatur atque Romano Epiſcopo jura detrahebantur appellationum. Huic præterea Pſeudoſynodo Photius ipſe præſedit ſupra Romanos legatos, violato uſu & ordine qui in omnibus præcedentibus Conciliis fuerat ſine controverſia uſitatus. Reprobatum eſt legitimum & generale Concilium cui Papa per ſuos legatos præfuerat, ſimúlque anathemata omnia quibus laudatiſſimi Pontifices Nicolaus & Hadrianus ſecundus Pſeudopatriarcham, Romanæque infenſum Eccleſiæ Photium cum fautoribus obtriverant. Exorſumque ſchiſma eſt exitioſiſſimum totius Orientis quod coaleſcere deinceps cum occidentis Eccleſiis nunquam potuit. Hoc unum legatis ſuis Joannes mandaverat & in commonitorio injunxerat ut Photium nomine ſuo in ſolium Patriarchale promoverent, atque ut Eccleſiæ Bulgarorum ad Romanam Eccleſiam redintegrarentur. Cætera omnia perfidiâ Photij Imperatoris Baſilij gratiâ & poteſtate freti, concurrente legatorum prævaricatione, Joanne Papa inconſulto perfecta fuerant. Ipſa vero Bulgaria ſubjecta remanſit Conſtantinopolis Eccleſiæ, Joannes vero ut ſe perfidiosè circumventum illuſumque reſcivit & deplorando eventu dimiſſas Romana ab ſede Orientis Provincias non ſine gravi culpa ſua ſenſit; compertis demum Photij fraudibus omnibus ambonem conſcendit (ut teſtatum reliquit Formoſus Pontifex epiſt. ad Stylianum) atque in Photium anathema pronunciavit. Photiana ita Pſeudoſynodus inita eſt. Deſinente anno 876. & dirempta ineunte ſequenti anno.

19. Julianum Cæſarinum S. R. E. Cardinalem jure merito Baronius coarguit, eo quod diſputans in Concilio Florentino adverſus Marcum Epheſinum Metropolitem dum adhuc Ferrariæ concertationes cum Græcis agitabantur ſeſ. 6. forſitan diffidentem poſſe Epheſini mendacia convinci ac refelli, manus dederit de non connumerando inter œcumenicas ab Eccleſia receptas, octava iſta ſub Hadriano ſecundo contra Photium Synodo; non animadvertens impoſturas Photianæ Pſeudoſynodi octavam quæ præceſſerat abrogantis, atque mentientis Joannem Papam ſcriptis literis in ejus abrogationem conſenſiſſe. Cum tamen in hoc unum conſenſiſſet tum in ſuis litteris, tum in commonitorio ad hoc unum ſpe pacis cum Orientalibus ſtabiliendæ, ut Photius vita functo Ignatio ſufficeretur. Et ſi quid præterea actum fuerit ipſe in ſuis Epiſtolis 250. & 251. ſuo injuſſu id factum & proteſtatur & abrogat. Harum prior eſt ad ipſum verſipellem Photium, penes quem tamen vix audet muſſitare; formidans credo ne iſto exaſperato res in deterius caderent. Altera eſt ad Baſilium Auguſtum Latinorum pro Græcis æmulatorem & Photij atque Santabareni artibus faſcinatum. Ipſe tamen Photius in ſuo de Synodis libro non eſt auſus aliam Synodum ultra ſeptimam Nicææ celebratam commemorare: non octavam legitimam utpote ſibi ignominioſam, neque ſchiſmaticam cujus ipſe fuit autor, ne per illam ſuæ impoſturæ vulgarentur. Nilus vero Schiſmaticus Rhodi Metropolites in ſuo de Synodis libello Photianam obtruſit nomine octavæ, & præcedentem quæ Catholica eſt ſuppreſſit.

## CONCILIVM MANTALENSE *anni* 879.

1. ISTUD ideo referendum duxi quia novum per illud in Gallia Regnum inſtitutum eſt, confertque plurimùm ad hiſtoriæ notitiam Gallicæ, Provincialis quoque, atque etiam Italicæ: Cum ex hoc novo Regno tres Principes ad Italiæ Regnum acciti & provecti fuerint, Ludovicus Boſonis Regis ex Irmingarde filius, deinde Hugo, & ad poſtremum Hugonis filius Lotharius. Fuit Boſo Princeps Carolo Calvo Imperato r acceptiſſimus præ cunctis Regni Gallicani proceribus, ipſique affinitate conjunctiſſimus. Boſonis enim ſororem Richildem mortua priore conjuge Hermentude Carolus Calvus ſibi matrimonio copulavit: Atque ad gratiæ cumulum novæque affinitatis nexum Hirmingardem neptem ſuam, Imperatoris Ludovici ejus nominis ſecundi Lothario Imperatore nati filiam eidem Boſoni conjugio copulavit. Nec minori gratia decoratus eſt Boſo à ſummo Pontifice Joanne VIII. à quo fuit in filium adoptatus, cujus tantæ neceſſitudinis non tantum Haimoinus hiſtoricus, ſed ipſe etiam Joannes apertam fidem facit epiſt. 119. hujus enim interventu Joannes Papa omnes ſibi ſuppetias adverſus Saracenos, atque adverſus ſibi Italiæ regulos immaniter graſſantes pollicebatur. Boſoni Calvus Imperator præfecturam Provinciæ aliarumque finitimarum regionum contulerat. Mortuo vero Calvo (quæ mors contigit nonis Octobris anno 877.) regnante in Gallia Occidentali ejus filio Ludovico Balbo, in Orientali autem Carolomanno, convenere Mantalam Caſtrum in Vienneſi territorio ſitum Arelatenſis Provinciæ Antiſtites & Proceres, unanimi de conſilio defendi Boſoni illarum Provinciarum Proregi novum Arelatenſe Regnum. Vrgebat grande hoc negotium, non tantum Boſonis ambitio & uxoris



Digitized by Google

quæ tot Imperatorum elata progenie comitiſſæ appellationem dedignabatur, ſed præterea Joannis Pontificis paternus in adoptatum à ſe Boſonem affectus. In hoc igitur Conventu conſpirantibus unà Epiſcopis & optimatibus idibus Octobris anno 879. deſpecta Regum Ludovici Balbi & Carolomanni utraque & corporis & animi infirmitate, (Carolomannus enim ſequenti anno 880. e vivis abiit) eligitur in novum Arelatenſe Regnum Boſo: ad eumque conſulto abſentem mittitur legatio quâ rogabatur oblatum Regnum ut ſuſciperet. Subſcripſere Concilio ſex cum ſuis ſuffraganeis Archiepiſcopi Ottrannus ſcilicet Viennenſis, Aurelianus Lugdunenſis, Teutrannus Tarentaſienſis, Rotbertus Aquenſis, Roſtagnus Arelatenſis, Theodoricus Veſontionenſis, iſtud ergo Regnum complectebatur cum Provincia quæ Rhodano & Varo fluminibus diſterminatur, Delfinatum, Breſſiam, Sabaudiam, Lugdunenſem ditionem, & Burgundiæ comitatum, cum civitatibus cis Ararim Matiſcona & Cabilone, quarum etiam Epiſcopi ſubſcripſerunt quemadmodum Epiſcopi ultra Rhodanum Vivarienſis, Agathenſis & Vcetienſis; eoſdem ſex Archiepiſcopos nominatim anno præcedenti Joannes VIII. ad Concilium Trecenſe convocaverat, additis duobus alijs Archiepiſcopis Sigibodo Narbonenſi & Eriberto Ebrodunenſi epiſt. 98. Ipſe porro Joannes exacto in Pontificatu decennio mortem obiit anno deſinente 88● decimo octavo calendas Januarij.

## CONCILIVM TRIBVRIENSE *anni* 895.

1. TRIBVRIAM hujus præfatio Concilij Villam dicit Regiam in terra Francorum conſiſtentem. Trithemius in Chronico Hiſaurgienſi refert ſitam ad Rhenum inter Maguntiam & Oppencinum cujus nihil ſuper eſt præter parietinas & rudera anno Chr. 895. Formoſo Pontifice habitum eſt illud Concilum ſub Arnulfo Romanorum Rege non vero Imperatore ut multi exiſtimarunt, numquam enim Imperij coronam ſed Regni Germanorum ſuſcepit. Ideoque habita ſub eo Germanica aut Francica Concilia numquam illum Imperatorem ſed tantum Regem appellant, ut Moguntiacum anni 888. In præfatione & duobus primis Canonibus, Metenſe in præfat. & can. 13. Et iſtud Triburienſe in Synodica præfatione.

2. Can. II. *Si quis clericus quamvis niminum coactus homicidium fecerit, ſive ſit Presbyter ſive Diaconus deponatur.*

Quovis tempore qui aggreſſorem injuſtum occidit habitus fuit & delicti reus & pœnæ obnoxius, ſi moderamen exceſſit inculpatæ tutelæ: ſed ſi nullus propriam tuendi vitam ſupererat modus niſi aggreſſoris injuſti interfectione, oppoſitæ prorſus ſunt veterum & recentiorum Eccleſiæ Doctorum ſententiæ, nec non veteris cum nova Eccleſiæ exterior diſciplina. Prima namque Doctorum Eccleſiæ Doctrina hæc fuit nulla ratione licitum eſſe privato quem violentus latro armis infeſtis adoritur propriam tueri vitam aggreſſoris nece, quamvis nulla ratio alia occurrat diſcriminis evitandi. Hæc eſt Ambroſij ſententia Libro tertio officiorum cap. 4. his verbis. *Mihi non videtur quod vir Chriſtianus & juſtus & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat, utpote qui etiam in latronem armatum incidat ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defendit pietatem contaminet.* Auguſtinus huic ſuffragatur ſententiæ dicens in epiſt. 154. *De occidendis hominibus ne ab eis quiſque occidatur non mihi placet conſilium, niſi forte ſit miles aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipſe eſt accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ.* Et allegatur in c. de occidendis 23. q. 5. idem Auguſtinus epiſt. 163. eamdem inſinuat doctrinam Hilderbertus qui duodecimo ſæculo florebat hanc acriter propugnat ſententiam epiſt. 60. ad Carnotenſem Epiſcopum. Sacerdos quidam quem latro cum armis adortus nitebatur occidere, ſtudio tuendæ in tanto diſcrimine vitæ ſuæ lapidem correptum in caput aggreſſoris impegit, & latronem peremit. Sacerdotem Epiſcopus Carnotenſis toto ſeptennio in pœnitentia & ſuſpenſione detinuit, quo jam deſinēte cōſiliū ab Hildeberto Turonum Archiepiſcopo exquirit num ſat pœnarum Sacerdos ſubierit, poſſitque illum ad communionem admittere qua tot annos privatus fuerat? Reſpondet Hildebertus nefas eſſe id ſcelus tam exiguo tempore expiari, cum ne laico quidem liceat propriam vitam morte aggreſſoris redimere. Miror Hildebertum tam ſevere in miſerum Sacerdotem animadverti voluiſſe qui tantum ſibi ipſi indulſit innumerorum canonum prævaricatori, laica etiam communione ad omnem vitam Epiſcopos privantium, qui à minori Epiſcopatu ad majorem ſe transferri conſenſiſſent: ipſe vero relicto Cenomanenſi Epiſcopatu ad Turonenſes ac Archiepiſcopales infulas lubens transferat.

3. Sed eodem quo Hildebertus vixit ſæculo rigidior illa & juri naturali, ut plerique volunt adverſaria, ſalutique etiam æternæ illius periculoſa, quem latro nefarius imparatum ad tremendum judicium occidendo tranſmitteret, ſenſim exoleſcere opinio cæpit tantumque paulo poſt in univerſa Eccleſia prævaluit ut prior illa nullum habuerit defenſorem, ſed omnes impugnatores in quibus recenſetur Theologiæ lumen doctor irrefragabilis Alexander Alenſis. p. 3. quæſ. 345. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. aliique ſancti Doctores Bonaventura, Raimondus, Antoninus & ante doctores iſtos Pontifex ſapientiſſimus Alexander tertius qui anno 1160. Romanam regebat Eccleſiam perſpicue decrevit c. ſi vero de ſent. excom. *Si vero clericum vim ſibi inferentem vi quis repellat vel lædat, non debet propter hoc ad ſedem Apoſtolicam tranſmitti, ſi in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant.* Favet c. jus naturale diſt. 1. & c. ſignificaſti. Cujus eſt auctor Innocentius III. de homic. Concilium deinde generale Viennenſe definit eum qui vim vi repellendo, aggreſſorem cum aliter ſe tueri non poſſet occidit, nullam incurrere irregularitatem Clement. ſi furioſus de homicid. His denique ſuffragatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. de refor. Non auſim ego inter tot directè contraria invicem jura adeoque Sanctimoniæ ſummæque conditionis laude florentes Pontifices & Eccleſiæ doctores aperte diſſidentes ſedere arbiter. Satis mihi videor meo functus officio

abſque

abſque ullo ex me præjudicio utriuſque partis jura & autoritates præcipuas recenſuiſſe.

4. Can. XII. *Sacroſanctum Baptiſmi myſterium ſciant omnes in Chriſto regenerati, non niſi præfixis & legitimis in anno celebrari temporibus: cum hoc ſibi privilegium ut in epiſtola Siricij Papæ legitur capite ſecundo; & apud nos & apud omnes Eccleſias ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Dominicum Paſcha defendit: in quo ut legitur in Epiſtola Leonis Papæ capite nono orta eſt & virtus muneris & ſpecies actionis.*

Apud Conſtantinopolim & vicinas Eccleſias his duobus feſtis addebatur aliquando feſtum quod vocabant luminum, quia ſcilicet primitiæ gentium Chriſto Infanti dedicatæ in Magorum perſona fuerunt, & eodem anniverſario die Chriſtus de manu Joannis Baptiſtæ in Jordane Baptiſmum ſuſcepit. Idque teſtimonio aſtruitur Gregorii Nazianzeni orat. 40. in Sanctum Baptiſma in perſona differentium ad Baptiſmum accedere ſic prætexit; *μένω τὰ φῶτα, τὸ πάσχα μοι τιμιώτερον, τὴν πεντηκοστὴν ἐκδέχομαι* luminum diem expecto, Paſchatis feſtum pluris facio, Pentecoſtem expectabo. Sed non multo poſt Siricius Pontifex diem luminum ſeu Epiphaniorum ſuppreſſit, alioſque certos dies in Hiſpanijs uſitatos, ſoliſque Baptiſari permittit citra neceſſitatem Paſchæ & Pentecoſtes diebus epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem, cap. 2. quin etiam Leo Magnus epiſt. 4. ſeu juxta Queſnellianam editionem 16. ad Epiſcopos Siciliæ conſuetudinem quæ in Sicilia inoleverat ſolemniter in Epiphania Baptiſandi expreſſa prohibitione revocat cap. 1. & in ſequentibus id licitum aſtruit ſolis Paſchæ & Pentecoſtes diebus. Sed cap. 5. quandocunque premit neceſſitas Baptiſandum eſſe monet. Et qui his ſucceſſit Gelaſius ſic ſcribit ad Epiſcopos Lucaniæ epiſt. 9. cap. 10. *Baptiſandi ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum & Pentecoſtes venerabile Sacramentum: excepto duntaxat graviſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt ne morbi creſcente periculo ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præventus abſcedat.* Habetur de conſecr. diſt. 4. c. Baptiſandi: idem pariter ſtabilitum pleriſque Concilijs ut Gerundenſi ſub Hormiſda can. 4. Antiſſiodorenſi can. 18. Matiſconenſi ſecundo can. 3. & hoc denique Triburienſi. Sequentibus demum ſeculis ad præveniendum omnia improviſa pericula, quinetiam propter infirmitatem ipſorum qui in vitæ diſcrimine conſtituti metu & horrore conſternantur ad hujuſmodi nuncium quò fiebat ut aſtantium incuriâ vel formidine nonnulli ex hac vita ſine ullo Sacramento migrarent. His omnibus obviam ire pia mater Eccleſia intendens, perſpicienſque Sacramenta propter homines inſtituta à ſponſo ſuo Chriſto eſſe & non viceverſa: liberiorem laxavit poteſtatem à Deo neceſſarium ad ſalutem æternam Sacramentum quovis tempore adminiſtrandi.

5. Can. XIII. *De decimis Auguſtinus doctor mirabilis ſub brevi ratiuncula rem ſatis dilucidaſſe videtur cum ait, decimæ ex debito requiruntur. Quid ſi diceret Deus nempe meus es homo, mea eſt terra quam colis, mea ſemina quæ ſpargis, mea animalia quæ fatigas, meus eſt ſolis ardor, & cum omnia mea ſint, tu qui manus accommodas, ſolam decimam merebaris, ſed ſervo tibi novem, da mihi decimam. Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si dederis mihi decimam, multiplicabo novem, Si ergo quærit aliquis cur decimæ dentur, ſciat quod ideo dandæ ſunt ut hac devotione Deus placatus largius præſtet quæ neceſſaria ſunt: & ut miniſtri Eccleſiæ exinde relevati liberiores fiant ad ſpiritualis ſervitij expletionem: & ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, nec non ſecundum ſtatuta canonum in ſuſtentationem pauperum, & reſtaurationem Eccleſiarum proficiant. Quatuor enim fieri partes juxta canones judicamus de decimis & oblationibus fidelium: ut una ſit Epiſcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta reſtaurationi Eccleſiarum ſervetur: ſicut in Epiſtola Gelaſij Papæ capite vigeſimo ſeptimo legitur.*

Prolatus Auguſtini locus deſumptus eſt ex ejus de tempore ſermonibus ad Dominicam duodecimam qui inſcribitur de reddendis decimis. In quo illud peculiari obſervatione dignum habetur decimas non ſolum fructuum terræ ſed præterea proprij laboris & artificij eſſe perſolvendas, hæc enim adjungit: *Quod ſi decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcumque te paſcit ingenium, Dei eſt, & inde decimas expetit unde vivis: de militia, de negotio, de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra dependitur aliud pro uſura vitæ penſatur.* Et Ambroſius in ſerm. quadrageſimæ cujus initium eſt, Ecce nunc tempus. *Quicumque recognoverit* (inquit) *in ſe quod fideliter non dederit decimas ſuas modo emendet quod minus fecit. Quid eſt fideliter decimas dare? niſi ut nec pejus nec minus Deo offerat aut de grano ſuo, aut de vino ſuo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipſa venatione ſua.* Denique Clemens Papa III. in c. ex tranſmiſſa de decimis generaliter ait. *Fidelis homo de omnibus quæ licite poteſt acquirere decimas erogare tenetur.* Verum tamen in ſolutione decimarum ſtandum eſt locorum conſuetudini juxta c. cum ſint homines eod. tit.

6. Quæſitum eſt præterea quidnam juris ſit in terris quarum decimis potiebatur Eccleſia vetuſtior contingat novam ædificari Eccleſiam, utrum huic novæ an potius antiquiori Eccleſiæ decimæ illius territorij ſolvendæ ſint? Definit Concilium Moguntinum ſub Leone Papa III. & Carolo magno celebratum jus illud penes vetuſtiorem Eccleſiam permanere can. 41. *Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis nec alijs poſſeſſionibus priventur, itaut novis oratorijs tribuantur.* His conformia conſtituit Carolus magnus tum alibi tum lib. 2. Capitularium cap. 36. Niſi de novo conſtructa eo loco ſit Baptiſmalis Eccleſia, huic enim decimæ debentur c. de decimis & c. ſtatuimus 16. q. 1. & in decretalibus c. fin. de Parochijs & c. cum contingat. de decimis ubi ſtatuitur hæc regula: *Perceptionem decimarum ad Parochiales Eccleſias de jure communi pertinere, etiam novalium agrorum.* Octavo vero & nono ſæculis invaluerat potentiorum audacia qui

qui ædificando novas Eccleſias ſe illarum Dominos conſtituebant, ſibique decimas eo prætextu quaſi jure debitas invadebant: quorum avaritiam & ambitionem & Regia Caroli Magni, Ludovicique Pij Capitularia & Synodorum ejus temporis canones coërcere ſatagebant.

7. Can. XVI. *Abhorrendus & Chriſtianis omnibus devitandus mos iniquus ſubrepſit ſepulturam mortuis ſub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere, cum hoc nuſquam ſub Evangelica gratia meminerimus nos inveniſſe vel legiſſe. In Eccleſiaſtico namque libro ſcriptum eſt: mortuo non prohibeas gratiam, ſciens quia omnes morimur. Et item: Omnia quæ de terra ſunt in terram convertuntur. Quid terra terram vendis? memento quoniam terra es & in terram ibis, & quoniam mors tibi futura eſt, appropiat & non tardat. Recordare quoniam non hominis eſt terra, ſed ut pſalmiſta commemorat Domini eſt terra & plenitudo ejus & qui habitant in ea. Si terram vendis invaſione alienæ rei reus teneberis. Gratis accepiſti à Deo gratis da pro eo. Quare interdictum ſit omnibus omnino Chriſtianis terram mortuis vendere, & debitam ſepulturam denegare. Niſi forte proximi & amici defuncti propter nomen Domini & redemptionem animæ hominis gratis aliquid donare velint.*

Vide ſuperius huc pertinentem Concilij Meldenſis can. 72. Nec omittenda regula eſt tradita in fine canonis Triburienſis 15. ubi nihil aliter diſpoſitum eſt *ubi decimam perſolvebat vivus ſepeliatur mortuus.*

8. Can. XVIII. *Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria Calices ſunt & patenæ de quibus Bonifacius martyr & Epiſcopus interrogatus ſi liceret in ligneis vaſculis Sacramenta conficere? reſpondit quondam Sacerdotes aurei vaſculis ligneis utebantur, nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus. Zephyrinus Papa vitreis Calicibus Miſſas celebrari conſtituit. Deinde Vrbanus primus omnia ſacri Miniſterij vaſa fecit argentea, ligneorumque vaſorum uſum ab altaribus eliminavit.* C. vaſa in quibus ſacroſancta de conſecra. diſt. 1.

Hieronym. epiſt. ad Ruſticum ſic teſtificatur de ſibi contemporaneo Exuperio Toloſatium Epiſcopo, *Nihil illo ditius qui Chriſti corpus in caniſtro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.* Eccleſiæ quippe ſacra vaſa pretioſa in redemptionem Captivorum diſtraxerat. Quod idem præſtitere Auguſtinus in Africa tempore irruptionis Vandalorum, ut refert in ejus vita ſcriptor Poſſidius c. 24. & in Italia Paulinus Nolanus Epiſcopus. Ipſe quoque de ſe teſtatur Ambroſius lib. 2. offic. c. 28. *Nos aliquando in invidiam incidimus qui confrigerimus vaſa myſtica, ut Captivos redimeremus, quod Arianis diſplicere poterat nec tam factum diſplicere, quam ut eſſet quod in nobis reprehenderent.* Cyprianus in vita Cæſarij Arelatenſis ait: *An non in vitro habetur ſanguis Chriſti?* pretioſa tamen vaſa jam inde à primis ſeculis ſacris myſterijs adhibebantur. Damaſus in vita Sancti Urbani Papæ & Martyris refert ipſum ſtatuiſſe ut eſſent omnia ſacrata Miniſterij vaſa argentea. Prudentius in Synodo de Laurentio martyre à quo vaſa ſacra repetebantur ſic interpellantem introducit gentilem Magiſtratum.

> Hunc eſſe veſtris orgijs
> Moremque & artem proditum eſt,
> Hanc diſciplinam fœderis,
> Libent & Auro Antiſtites
> Argenteis ſcyphis, ferunt
> Fumare ſacrum ſanguinem,
> Auroque nocturnis ſacris
> Adſtare fixos cereos.

Auguſtinus epiſt. 165. ex Proconſularibus actis refert Chriſtianos ſub Diocletiani perſecutionem habuiſſe Calices aureos duos & argenteos ſex. Gregorius Turonenſis de gloria Martyrum cap. 38. ſcribit Diocletianeæ infeſtationis tempore vaſa ſacra argentea in cryptis in quibus Chriſtiani deliteſcentes ſacra peragebant effoſſa eſſe innumera. Omitto ſacrorum ex auro vel argento vaſorum exempla ſub Imperatoribus Chriſtianis.

9. Can. XXII. *Si quis fidelis libertate notabilis, aliquo crimine aut infamia deputatur utatur jure juramento ſe excuſare. Si vero tanto talique crimine publicatur, ut criminoſus à populo ſuſpicetur, & properea ſuperjuretur aut confiteatur & pæniteat aut Epiſcopo vel ſuo miſſo diſcutiente per ignem candenti ferro caute examinetur.*

Tam probationum quam purgationum aliæ cenſentur Canonicæ quæ ſacris Canonibus ſaltem poſterioribus approbantur: aliæ vulgares quæ vulgari quidem in uſu erant, non tamen ullo recepto ſancitæ aut probatæ: cujuſmodi erant deficientibus alijs probationibus duellum, ferri candentis contrectatio, aqua fervens, aqua frigida, & id genus alia quæ aliquando à Canonibus auctoritatem habuerunt, ſed alijs poſterioribus Canonibus prohibitæ ſunt hinc tituli decretalium *de purgatione Canonica & de purgatione vulgari*, quibus ſubjecta capita interdicunt & abrogant hujuſmodi purgationes, quas etiam per judicum Eccleſiaſticorum ſententias rei ſubire compellebantur ſecus condemnandi. Innocentius III. Epiſcopum deponit tum ob ejus alia delicta, tum ob ejus judicium per ferrum candens probationem indicens, c. ex literis de excell. Præla. & in decreto Stephanus V. prohibet candentis ferri & ferventis aquæ probationem & purgationem. Nicolaus verò Monomachiæ probationem c. conſuluiſti, & c. Monomachiam 2, q. 4. inſuper S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. illicita eſſe docet illa examina, quibus tentatur Deus ad miraculum operandum.

10. In lege quidem veteri probabatur uxorum pudicitia per aquam zelotypiæ in quam Sacerdos maledicta congeſſerat. Sed nihil de peccato periclitabatur ubi de divina conſtabat inſtitutione. Nume. 5. nihilominus iſtiuſmodi purgationum genera non tantum Longobardorum legibus leguntur introducta, ſed etiam in Capitularibus Caroli magni præſcripta, congeſta ex Synodalibus Antiſtitum illius temporis conſtitutionibus lib. 4.

Capitular.

Digitized by Google

Capitular. hujuſmodi examine perhibentur uſi diverſi Germanorum Imperatores ut Lotharius circa ſibi ſuſpectam adulterij Teutbergam conjugem teſte Reginone chron. lib. 2. voluit duos milites Monomachia decernere. Sancta & Virgo Imperatrix Cunegundis ſe apud ſanctum conjugem pariter virginem Henricum ſuſpicione male concepta nudis plantis ſuper ardentes laminas incedendo liberavit, quaſi aurum per ignem examinata, ut ejuſdem temporis ſcriptor vitæ ejus apud Surium 3. Mart. prodit. Otho III. Mariam uxorem Aragonum Rege natam flammarum ſupplicio addixit adulterij accuſatam, poſtquam hujus accuſatrix vidua illibati ſanctiſſimique cujuſdam comitis Palatini, qui ſtuprum Imperatricis à qua efflictim fuerat ſollicitatus metu offenſæ Dei conſtanter recuſarat, ideoque falſis ab illa apud Othonem adulterij attentati, ſed ab Auguſta qua decuerat indignatione rejecti accuſationibus delatus à nimis credulo Imperatore fuerat neci addictus. At vidua à viro ſub vitæ finem præmonita judicij præproperi retractationem poſtulans examinari cauſam & per laminæ ardentis contrectationem petiit, cujus in ſe experimentum ſemel & iterum illæſa fecit, Imperatrix vero pari quod refugiebat experimento convicta tandemque ſcelus ſuum confeſſa flammis crimen expiavit in Mutinenſi urbe, ut referunt Gotfridus Viterbienſis & Albertus Crantzius.

11. Vulgares haſce probationes Ivo Carnotenſis paſſim reprobat & diſſuadet epiſt. 74. & 205. & 252. Approbat nihilominus his conditionibus ſi aliæ non ſuppetunt idoneæ probationes nec deſunt probabiles gravis delicti præſumptiones, atque præcedit poſt juridicam accuſationem ſententia judicis rem ita examinari decernens, ſic enim conſultus reſpondet Epiſt. 252. ad Radulſum Rhemenſem Archiepiſcopum, *Non negamus tamen quin ad divina aliquando recurrendum ſit teſtimonia, quando præcedente ordinaria accuſatione omnino deſunt humana teſtimonia non quod lex hoc inſtituerit divina, ſed quod exigat incredulitas humana.* Qui plura hiſce de rebus circa Monomachiæ ſeu duelli, vel aquæ frigidæ vinctorum corpora vel ſuſtentantis ad Innocentiæ argumentum, vel demergentis ad ſceleris convictionem, vel aquæ ferventis in quam pedes & manus immergebantur, vel ferri candentis aliaſque id genus priſcis uſitatas probationes, examina, ac explorationes atque etiam ex vetuſtiſſimis manuſcriptis exorciſmos aquæ frigidæ vel calentis, aliaſque ſolemnes preces & ritus quibus Sacerdotes his examinibus præibant ſcire deſiderat, annotationes conſulat eruditas Franciſci Jureti ad Ivonis Carnotenſis Epiſt. 74.

Can. XXVIIJ. *In Nicæno ſancto & univerſali Concilio continetur, propter multam perturbationem & ſeditiones quæ fiunt, placuit conſuetudinem omnimodis amputari, ita ut de civitate ad civitatem non Epiſcopus, non presbyter, non Diaconus transferatur &c. In Chalcedonenſi capite vigeſimo clericos in Eccleſia miniſtrantes in alterius civitatis Eccleſia ſtatutos fieri non oportet. Si quis Epiſcopus poſt hanc definitionem ſuſceperit clericum ad alium pertinentem, ſuſcipiens & ſuſceptus communione priventur donec is qui migraverat ad propriam fuerit regreſſus Eccleſiam. Item in Synodo Sardicenſi capite octavo ut nulli liceat Epiſcopo alterius Epiſcopi miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare & in ſuis Parrochiis ordinare. In Africani capite vigeſimo primo ut clericum alienum nullus ſibi privet Epiſcopus præter ejus arbitrium cujus fuerit clericus, &c. Item in decretis Papæ Leonis alienum clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet niſi forte ex placito Charitatis id inter dantem accipientemque convenerit. Quibus conſtitutis Sanctorum Canonum operam dantes & veſtigiis Patrum inhærentes hoc ſecundum præfixos Sanctos Canones ſtatuimus & juſtum eſſe decernimus.*

Can. XXX. *In memoriam Beati Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam & Apoſtolicam ſedem, ut quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Magiſtra Eccleſiaſticæ rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ſervandum ab illa ſancta ſede imponatur jugum, conferamus & pia devotione toleremus. Si vero quilibet quod non decet ſive Presbyter ſive Diaconus aliquam perturbationem machinando & noſtro miniſterio inſidiando redarguatur falſam ab Apoſtolico detuliſſe Epiſtolam, vel aliud quid quod inde non convenerit: ſalva fide & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas utrum eum in carcerem aut in aliam detrudat cuſtodiam, uſque quo per Epiſtolam aut per idoneos ſuæ partis legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, ut potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere quid de talibus juſto ordine lex Romana ſtatuat diffinire, ut & is corrigatur & cæteris modus imponatur.*

12. Can. XL. Declarat irritum matrimonium inter eos qui ante conjugis mortem ſimul mœchati fuerant cum futurarum nuptiarum pollicitatione, ſi conjunx cui hæc inferebatur injuria prædecederet. Eſt unum ex impedimentis matrimonium etiam contractum dirimentibus, refertur in c. relatum 31. q. 1.

13. Can. XLI. Edicit ut ſi frater fratris uxorem vitiarit à neutro deinceps illa contingi poſſit propter evitandum inceſtum; addit tamen ſi urgeat incontinentiæ periculum Epiſcopum poſt mulieris pœnitentiam ſuo præſcripto peractam eiſdem conjugatis uſum matrimonij debere diſpenſare, *Ne* (inquit) *dum ſperantur ad alta ſublevari corruant in cœnum.* Hinc liquet poſſe per Epiſcopum diſpenſari in impedimentis contracto legitimo matrimonio ſupervenientibus, etiam in primi gradus inceſtu, ut docet Thomas Sanchez de Matrimonio lib. 8. diſp. 11. n. 16. quem Bonacina alijque ſectantur.

14. Can. XLVIII. *Illud etiam nec canonica inſtitutione definimus nec introductione aliqua*



Digitized by Google

*aliqua refutamus ſed propter eos qui diverſe de eo ſentiunt aliquid commemoramus : ſi quis ſuæ commatris ſpiritualis filiam fortuito & ita contingente rerum caſu in connubium duxerit, conſilio maturiore ſervato habeat, atque honeſte legitimo conjugio operam det.*

Secundum jus à Concilio Tridentino ſtatutum d. ſeſ.25.cap.2. diſtinguendum eſt inter commatris fil os de ſacro lavacro ſuſceptos & non ſuſceptos; de ſuſceptis enim non poteſt eſſe ullum cum Patrino conjugium ſed poteſt aliis Commatris filijs ſive Compater ſive Commater Nuptijs copulari. Canon iſte manifeſte aſtruit in ambiguis morum quæſtionibus utrimque probabilibus atque aſſertis à gravibus & probatis Doctoribus (quales in praxi caſus occurrunt innumeri nullo evidenti ac recepto jure definiti) licitum eſſe dum ad ſit bona fides,nec qui operatur oppoſitam partem eſſe credat probabiliorem ad unam ex duabus ſe determinare. Hujus enim Concilij Patres nihil auſi in propoſita de matrimonio quæſtione (ut ipſimet proteſtantur) definire, conſilium tamen dant alteram è duabus ſequendi cui ſe aliquis antea cum bona fide addixerit.

15. Can. LI. *Illud vero communi decreto ſecundum canonum inſtituta diffinimus & præjudicamus,ut ſi quis cum uxore alterius vivente eo fornicatus fuerit, moriente marito Synodali judicio aditus ei claudatur illicitus ne ulterius ei conjungatur matrimonio quam prius polluit adulterio:nolumus enim nec Chriſtianæ Religioni oportet ut ullus ducat in conjugium quam prius polluit per adulterium.*

Non ſervatur iſte canon ſi intelligas de invaliditate matrimonij poſt conjugis mortem inter adulteros initi, niſi ad adulterium præcedens acceſſerit,vel mutua fides de contrahendo poſt conjugis mortem matrimonio, aut ipſi adulteri in mortem conjugis conſpiraverint. Imo ſufficit amborum conſpiratio ſine adulterio dummodo fuerit ſequuta occaſio, quin etiam nec requiritur amborum ad occaſionem conſpiratio,ſed unius eorum machinatio cum effectu alterâ inſcia parte, ſed eo caſu requiritur utriuſque adulterium. Vide tit.per totũ de eo qui duxit in matr.quam poll.per adult.

## *CONCILIUM NAMNETENSE*

### *Epochæ incertæ.*

1. NAMNETES ſeu Namnetæ urbs ad ligerim Epiſcopalis ſub Turonenſi Metropolitano.

2. Can. I. *Ut Dominicis & feſtis diebus Presbyteri antequam miſſas celebrent plebem interrogent ſi alterius Parrochianus in Eccleſia ſit qui proprio contempto Presbytero ibi miſſam velit audire. Quem ſi invenerint ſtatim ex Eccleſia abiiciant & ad ſuam Parrochiam redire compellant. Similiter interrogent ſi aliqui diſcordantes ſint qui inter ſe litem implacabilem habeant, & ſi inventi fuerint ſtatim reconcilientur. Quod ſi tenuerint pacem ſuſcipere ab Eccleſia rejiciantur uſquequo ad charitatem reddant; non enim poſſumus munus vel oblationem ad altare offerre donec prius fratri reconciliemur* (Matth.5.) *his ita peractis Sacerdotes Miſſarum ſolemnia ritè peragant.*

His conſentit can.31. Concilij Arelatenſis ſecundi. *Hi qui publicis inter ſe odijs exardeſcunt,ab Eccleſiaſticis conventibus ſunt removendi, donec ad pacem recurrant.* Prior vero hujus Namnetenſis canonis pars de audiendo ſacro in propria Parochia iteratur in 2.canone ſequenti ut nullus Presbyter alterius Parochianum niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit ad Miſſam recipiat. Eodem ſpectat Concilium Tridentinum ſeſſ.24. c.4. de ref. his verbis. *Moneatque Epiſcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe ubi commodè id fieri poteſt ad audiendum verbum Dei.* Cum his conſpirant pleræque conſtitutiones à ſanctiſſimo præſule Carolo in Mediolanenſibus Concilijs editæ. His tamen derogat perpetua totoque propemodum orbe Chriſtiano recepta conſuetudo in oppoſitum.

3. Can.VI. *Præcipiendum ſecundum Canonum auctoritatem ut de ſepulchris & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant, niſi fortè qui ſepelitur vivens juſſerit, Eccleſiæ in cujus atrio ſepelitur de ſuis aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius quibus commiſſum eſt ejus eleemoſynam facere de rebus illius dare aliquid ſponte voluerint, tamen à Presbyteris nullatenus exigatur, ſive ab illis qui vicis & locis præſunt,prohibendum etiam ſecundum majorum inſtituta ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur,ſed in atrio aut in porticu aut extra Eccleſiam; infra Eccleſiam verò aut prope altare ubi corpus Domini & ſanguis conficitur nullatenus habeat licentiam ſepeliendi.*

Serius in uſum Eccleſiarum receptum fuit ut fidelium cadavera intra templorum ambitum ſepelirentur,præterquam martyrum aliorumve quos Eccleſia publico cultu veneratur. Cæterorum autem fidelium in publicis cœmeterijs aut atrijs templi condebantur. Epiſcopos tamen intra Eccleſias tumulari mos fuit ut teſtatur Sozomenus lib.2.cap.ult. in quo ſcribit quoque Conſtantinum fuiſſe in Baſilica Apoſtolorum Conſtantinopoli conditum quam vivens à fundamentis excitaverat. Verum non in alia templi parte quam in veſtibulo, quod idem cenſendum pariter exiſtimo de Epiſcopis. Liquet verò ex Chryſoſtomi verbis homil.26. in 2.Corinth. Conſtantius Auguſtus Conſtantinum magnum ingenti honore ſe affectatum exiſtimavit,ſi in veſtibulis collocaret piſcatoris. Quod enim in Regijs janitores ſunt Regibus id in ſepulchro Reges ſunt piſcatoribus, & præclarè ſecum agi putant ſi janua ipſis aſſignetur veſtibularis.Concil.Bracarenſe I. anni 572.can.36. prohibet intra Baſilicas ſepeliri fidelium cadavera. Inſuper Concilium Varenſe citatum in decreto c. præcipiendum 13.q.2. jubet extra Eccleſias ſepulturæ mandari fideles defunctos. Sed vel in porticu vel in atrio vel in exhedris quo nomine hic intel-

ligito

ligito loca illa quæ vulgo Clauſtra vocantur. Idem injungit Concilium Triburienſe can. 17. his verbis *ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum & experimenta prohibemus & præcipimus ut deinceps nullus laicus in Eccleſia ſepeliatur.* Idem ex Concilio Moguntiaco Gratianus 13. q. 2. c. nullus. *Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur niſi Epiſcopi aut Abbates aut digni Presbyteri aut fideles laici.* Huc pertinet l. 2. c. de ſacroſ. Eccleſ. & divi Auguſtini tractatus ad Paulinum de cura pro mortuis gerenda; at ſancti Gregorij magni jam invaluerat conſuetudo communis intra Eccleſiam ſepeliendi ut perſpicuum fit lib. 2. dialog. cap. 23. & lib. 4. cap. 51. 52. 53. 54. perhibet Gregorius Turonenſis Clodovæum primum Chriſtianum Francorum Regem (qui anno Chr. 511. mortem obiit) ſepultum fuiſſe in Sanctorum Apoſtolorum à ſe fundata Baſilica.

4. Can. VIII. *Sicut enim Epiſcopus non plus poteſt habere quam unam civitatem, & vir unam uxorem, ita Presbyter unam tantum Eccleſiam. Itaque nullus Presbyter plures præſumat habere Eccleſias, niſi forte alios Presbyteros ſub ſe in unaquâque habeat qui nocturnum atque diurnum officium adimpleant ſolemniter & miſſarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis.*

Ex fine hujus canonis compertum ſit jam tunc fuiſſe admodum relaxatam Eccleſiarũ diſciplinam cum uni Sacerdoti permittat duarum ſimul Eccleſiarum præfecturam, præfectus autem Eccleſiæ reſidentiæ adſtringitur ut ſubditos clericos & ſuo dirigat exemplo ſuaque præſentia & admonitionibus in officio vitæque honeſtate contineat, eorumque defectibus & infirmitatibus per ſeipſum ſuppleat. Prover. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui tuoſque greges conſidera.* Sapienter ait Sanctus Papa Gregorius lib. 2. epiſt. 52. *Quæ enim poteſt eſſe Paſtoris excuſatio ſi lupus oves comedit & Paſtor neſcit.*

Can. IX. *Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & conſecrationi ſuperſunt, vel de panibus quos afferunt fideles ad Eccleſiam, vel certe de ſuis Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, ut poſt miſſarum ſolemnia qui communicare non fuerunt parati eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant, & illa unde eulogias Presbyter daturus ante in hac verba benedicat, Domine ſancte, &c.* Vide ad ſecundam noſtram de Eulogiis diſſertationem.

# ECCLESIÆ DECIMI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

QUIA nonnulli inſequentium ſæculorum ſcriptores craſsâ rerum quæ contigerant ignorantiâ, & fabularum affectatione pro ſuorum temporum barbarie adducti, nomina ſummorum Pontificum antea prorſus ignota commenti ſunt & aniles fabulas ſcriptis ſuis reſperſerunt, ut Marianus Scotus, Martinus Polonus alijque nonnulli, viſum eſt ſinceram Pontificum in quibus erraverunt enumerationem, qualis ex autoribus antiquioribus & quaſi oculatis, ac præſentibus teſtibus & utique multo gravioribus & ſapientioribus prætexere, Luitprando Ticinenſi, Anaſtaſio Romanæ Eccleſiæ Bibliothecario, Fulcone Remenſi Archiepiſcopo qui proximus Hincmaro ſucceſſit, amborumque hiſtorico Flodoardo, Græcoque ijſdem temporibus edito Romanorum Pontificum Catalogo à Baronio ſcientiſſimo & diligentiſſimo Annaliſta prolato. Igitur poſt Nicolaum primum ſedit in Romana Eccleſia Hadrianus II. deinde Joannes VIII. cui defuncto anno Chr. 882. ſuffectus eſt Maximus & iſti ſubrogatur Hadrianus III. qui ſucceſſorem habuit Stephanum V. hunc proximus excepit Formoſus quem Anaſtaſius in Nicolao magnæ Sanctitatis Epiſcopum nominat, quem Luitprandus ſapientiſſimus illorum temporum hiſtoricus Ticinenſis Epiſcopus laudatiſſimum teſtatur, tum religione, tum morum integritate atque doctrinâ, cuique honorificum admodum perhibet teſtimonium apud Flodoardum Hincmarus Rhemenſis ejus ſanctitatem & ſcientiam mirifice commendans, ejuſque amicitiam expetens, datis ad ipſum Formoſum literis, cum nondum ad Romanam Cathedram aſcendiſſet. Formoſum deinde vitâ perfunctum ſubſequutus eſt longe illi diſpar Stephanus VI. præceſſori ſuo infenſiſſimus.

2. Hadriano III. ſupremo exiſtente Pontifice anno Chr. 884. ut ſcribit Leo Oſtienſis celeberrimum Caſſinenſe monaſterium à Saracenis occupatum, expilatum, incenſumque barbarica immanitate fuit multis trucidatis Monachis, & cum his ſancto Abbate Berthario. Fatiſcente apud Germanos Romano Imperio, novum in Italia inſtauratum eſt Romanorum Imperium anno 892. quo Formoſus Pontifex Vidonem corona Imperiali redimivit: cum alioqui pluribus antea annis privata uſurpatione ſe Imperatorem geſſiſſet atque appellaſſet, filiumque Lambertum ſibi in Imperio ſucceſſorem deſignaſſet. Quo eodem anno Germania Normannorum graſſationibus miſerabiliter devaſtata eſt, & ab illis nobile Prumienſe Monaſterium (intra quod depoſito ſponte Imperio Lotharius primus vitam finierat) direptum ac pene everſum fuit, ut eorumdem ſcriptor temporum & qui eodem in Monaſterio monachatum profeſſus fuerat Regino ſcriptis prodit.

3. Idem pariter annus inſignis in Gallia fuit inunctione & coronatione Caroli cognomine ſimplicis, qui ſolus ex regia proſapia ſupererat, rejecto Odone Comite Pariſienſi qui Franciæ Regis titulum tyrannice ſibi vendicarat. Facta igitur Epiſcoporum Synodo ſimulque frequentibus Franciæ procerum apud Durocottorum Rhemorum comitijs, ibidem conſtitutum eſt non alium poſſe legitimum eſſe Francorum Regem quam Ludovici Balbi nuperrimi Regis filium Carolum, quandoquidem Francorum inviolabili lege quam diutina conſuetudo jam inde ab initio Monarchiæ firmarat, non alium poſſe Regem ſuſcipi quam quem ſanguine proximum prædeceſſor ſibi ſuperſtitem reliquiſſet; proindeque Odonem ſine ullo jure nec alio quam Tyrannicæ invaſionis titulo potiri regno. Itaque Carolus quatuordecim tantum annorum puer Rex eſt proclamatus. Quod ut firmius ſtabiliretur idem Fulco ſedulus tantæ rei promotor in rei geſtæ defenſionem literas miſit ad Arnulfum Germaniæ Regem, & ad Vidonem Imperatorem, atque ad Romanum Pontificem Formoſum iteratas, ut ſe eorum quæ Remis facta fuerant approbatores & fautores exhiberent, ut Frodoardus in hiſtoria Remenſis Eccleſiæ ſub Fulcone fidem facit. Unde ſtatim ortæ inter Provincias Regni mutuæ diſſenſiones civiliaque bella cum Odo ejuſque partibus addicti in oppoſitum armis contenderent.

4. Deficiente aut ad inertiam prolapſa Caroli magni progenie innumeris cladibus conflictata eſt Italia per Saracenorum graſſationes

ſationes quibus acceſſit tyrannorum ambitio pro Italiæ regno & Imperij corona mutuò contendentium, ad ultimum populorum diverſas in partes diviſorum exitium & internecionem, & quod caput malorum eſt, nefarij ſceleſtique Pontifices ſcortis in illorum temporum hiſtoriâ famoſiſſimis palam addicti, omnia ex illarum arbitrio gerebant. Stephanus alijs VI. recenſitus, alijs vero Papa VII. odio exitiali adverſus præceſſorem Formoſum Pontificem furens, ejus è tumulo erutum cadaver ad ſe in Epiſcoporum conceſſum adductum pronunciato degradationis judicio, Pontificalibus indui juſſit, ornamentis quibus illum feralibus verbis, & execrabili violentia ſenſim expoliavit: & ſic denudatum cadaver ſacris pollicibus & indicibus amputatis, in tyberim trahi & projici fecit. Nec ſatis habuit cætera omnia Formoſi acta reſcindere, ſed eodem quoque malignantium conſilio & decreto ſub gravibus pœnis edixit, ut quotquot Eccleſiaſticos ordines ab illo aut illis quos Formoſus Epiſcopus conſecrarat ſuſcepiſſent, ſe iterum ordinandos præſentarent. Hæc tam nefaria contigere an. 896. Joannes deinde nonus longè moderatior Pontifex acta & ſancita ab hoc Romano Concilio reprobavit, Formoſique memoriam honorificè reſtituit, in Ravennatenſi Synodo anno ut ſcribit Sigonius 898. ut autem aſſerit Baronius anno 904. ſucceſſit poſt hæc Sergius Papa tertius pari cum Stephano VII. impietate inſignis, à quo damnatum Romæ fuit iſtud Ravennæ initum Concilium, inſtauratum verò quod ſub Stephano præceſſerat Romanum. Refugit animus alia commemorare vel cogitatu horrenda quæ à gravibus iſtius ſæculi ſcriptoribus Luitprando Cremonenſi Epiſcopo, à Reginone Abbate alijſque referuntur; quæque fusè proſequitur Baronius in Annalibus ſuis, Carolus Sigonius de Regno Italiæ & alij.

5. Omni ſublimior laude Annalium conditor Baronius, atque Genebrardus digniſſimus Aquarumſextiarum Archiepiſcopus vir in omni literaturâ profundiſſimè verſatus, hæc & alia quæ ſciens prætermitto conſcribentes, ſapienter admonent nihil cauſæ eſſe cur Eccleſiæ Romanæ vitio verti poſſit hujuſmodi Pontificum promotio, morumque perverſitas. Non enim libera vel canonica Romani Cleri electione, (ut ante fieri conſuetum fuerat) ſed intruſione Principum nefariorum Romanam Eccleſiam quamvis invitâ dira tyrannide opprimentium Apoſtolicum ſolium iſti conſcenderant. Hi fuerunt in primis Principes Italici qui ſuprema uſurpata Romæ dominatione & Italiam pro ſuo regentes arbitrio, abolitis electionum canonicarum formis, ambitioſos Prælatos altiore pretio & infamibus obſequijs & pollicitationibus licitantes ad Romanam ſedem promovebant. Cæteraſque Eccleſiæ dignitates venales habebant: quorum poſtmodo veſtigijs inſtitere plerique Germanorum Reges ac Imperatores. Nihil eſt igitur quod miremur ſi his pravis artibus provecti Pontifices pravè turpiterque vixere. Sanè alioqui nulla toto orbe Eccleſia tot illuſtres Pontifices publicaque veneratione colendos in cœlum tranſmiſit ut Romana.

6. Jam inde ſuperſtite adhuc & Imperante Carolo Craſſo cum liberis careret, duo quidam præcipui Italiæ dynaſtæ Vido Dux Spoletinus & Berengarius Forojulij & Veronæ Dux, diviſâ in factiones Italiâ regnum Italiæ Romanumque Imperium, ut paulo ante dictum eſt certatim ambiebant: obtinueruntque ab Adriano Papa ſecundo decretum ut defuncto ſine liberis Carolo, regnum Italiæ Romanumque Imperium non alijs niſi alicui Italiæ Principi deferretur. Accepto demum de morte Caroli nuncio ut ſcribit Luitprandus lib. 1. cap 6. Guido certus de Pontificis Formoſi propenſo in ſe animo Romam convolavit, ab eoque acceptis omnibus Imperij inſignibus inunctus eſt Imperator, anno Redemptoris octingenteſimo nonageſimo ſecundo, quod probat Baronius ipſis Formoſi ad Fulconem Rhemenſem literis quarum meminit Frodoardus lib. 4. hiſt. Rhem. cap. 2. At verò Berengarius Vidonis æmulus ante triennium ipſo quo deceſſerat Carolus Craſſus anno 888. ſe Italiæ Regem proclamari fecerat & in Tirinenſi civitate ab Anſelmo Mediolani Archiepiſcopo pro Rege inungi. Stephanus enim ſextus, quo Romana in ſede conſtituto Carolus Craſſus mortem obijt, tot populorum & Principum in diverſa diſtractis ſtudijs refugerat ſe implicare, Germanorum, Francorum, & Italorum. Carolus Craſſus ad quem devolutum fuerat & Romanum Imperium & Franciæ regnum, Ludovici Germaniæ Regis filius, Imperij Coronam Romæ de manibus Joannis Papæ octavi ſumpſerat anno 881. ſed multis à Normanorum gente cladibus acceptis, corpore animoque infirmus, omniſque agnitus regiminis incapax, ab omnibus etiam domeſticis famulis deſertus, utrâque infeliciſſimus princeps Coronâ excidit. Franci enim illo abdicato Eudonem Comitem ſibi Regem præfecerunt. Germani vero proceres communi aſſenſu Arnulfum Carinthiæ Ducem Carolomanni ex magni Caroli progenie Principis illegitimum ac nothum filium Ger-

manorum Regem proclamaverunt, à quo deinceps Carolus Craſſus proh regnorum indigniſſimas vices! victum precarium habuit, anno demum 896. Arnulfus injurias quibus Formoſus Pontifex à Romanis vexabatur ulturus, copioſo ſuccinctus exercitu Romam acceſſit, uxoremque Vidonis Imperatoris quæ Romanam civitatem præſidio continebat, inde coëgit excedere ut ſcribit Regino: multoſque Romanorum Principes decollari præcepit, ex quibus facile conjicitur graves illas quibus Formoſus à Romanis affligebatur vexationes non aliunde quam ex ingrati & ab eodem Pontifice coronati Vidonis factione proceſſiſſe, Romam aliaſque ditiones eidem per vim ſubtrahentis quibus olim Francorum Reges Romanam Eccleſiam locupletarant. Itaque viventibus etiam nunc Vidone ejuſque filio Lamberto quos Formoſus Imperatores inauguraverat, idem Pontifex Arnulfum in Petri Apoſtoli æde coronâ Imperiali decoravit eodem Chriſti anno 896. quo deſinente ipſe Formoſus è vita diſceſſit.

7. Nec verò ſilendus eſt ridiculus eventus cujus occaſione in Arnulfi poteſtatem Roma venerat. Dum Germani obſeſſam urbem impugnabant lepuſculus militum clamore territus urbem verſus fugere cœpit, quem militum manus per ludum inſequuta eſt, altera verò manus fugienti beſtiæ in occurſum veniens ejus curſum intercludere conabatur; perſtrepebat undique militum obſidentium clamor, quo etiam Romani de muro ſpectantes perterrefacti ſunt, cumque lepuſculum non viderent exiſtimarunt ab hoſtibus impreſſionem muris imminere, cujus formidine murum incuſtoditum ſuo abſceſſu reliquerunt. Hac re conſpecta Germani locum ſibi datum aggrediendæ urbis rati, ſubito ſarcinas muro admoverunt eiſque ad juſtam altitudinem coacervatis, extemplo alij muros conſcenderunt, alij portam ariete perfregerunt, & urbe potiti ſunt: qua occupata Arnulfus Sergianos Formoſo Pontifici infenſos intervenit. Sergius verò fugâ ſibi conſuluit. Sicque factum eſt ut Martij illa civitas per meticuloſum lepuſculum expugnata ſit quæ quondam per anſeres Capitolij ſervata fuerat, adeò nonnunquam ex leviſſimis eventibus maxima rerum momenta dependent. Arnulfus inde digreſſus conſpirantib. per æmulationem Imperij adverſus eum quantumvis alioqui inter ſeſe mutuò infenſis Lamberti & Berengarij factionibus ex Italia trans Alpes evaſit.

8. Inter hæc Italia ſuorum factionibus fœdiſſimè lacerabatur. Mortuis Vidone ejuſque filio Lamberto Spoleti ducibus in eorum adverſarium Berengarium Forojulij ducem devolutus eſt Italiæ Principatus: qui tamen non fuit ipſi diuturnus, res novas adverſus eum moliente Adelberto Tuſciæ (ut eum vocat Luitprandus) Marchione qui ex Tranſalpina Provincia Ludovicum ſpe Italiæ potiendæ excivit. Erat hic Ludovicus Boſonis Arelatenſis Regis & Hermingardis filius, qui fuſo fugatoq; Berengario à Stephano Papa ſeptimo Romæ donatus eſt Imperij coronâ Salvatoris anno 901. Cæterum vix Imperij ſui exacto triennio proditus ab eodem qui vocarat Adelberto, in manus cecidit Berengarij qui eum oculis & Imperio privavit. Nec tamen hoc ſublato rivali, quiete frui licuit Berengario: Adelbertus enim Eporediæ Marchio quæ nunc Inurca dicitur in partibus Longobardiæ cum alijs Italiæ Principibus Berengarium pertæſis Rodulfum Burgundiæ Regem ad Italiæ regnum capeſſendum accerſivit. Quibus ille acquieſcens novum regnum felicibus auſpicijs exorſus eſt, acie fuſis Berengarij copijs, qui haud multo poſt Veronæ per inſidias eſt interemptus: filiam habuit Ghiſelem cum qua inito matrimonio Adelbertus prædictus Eporedienſis Berengarium ſecundum progenuit, qui regno poſtmodum Italiæ potitus eſt.

9. Mortuo Berengario Rodolfus quaſi fato Italiæ Regibus illigato eadem facilitate ac inconſtantia qua fuerat expetitus mox repulſus eſt, inclinantibus ad Hugonem Provinciæ Comitem Italorum animis: qui adventans in Italiam Rodulfum in fugam compulit anno 926. anniſque viginti ſceptrum tenuit. Maroſia illuſtriſſima meretricum Romam tunc temporis tyrannide premebat duobus potentiſſimis freta filijs, Joanne quem ex Sergio Papa tertio enixa fuerat qui matris operâ factus Romanus deinde Pontifex fuit ejus nominis undecimus: & Alberico quem eadem Adelberto Tuſciæ Marchioni pepererat. Cum Maroſia Hugo nuptias fecit ex eaque dotalem Romæ vicinarúmque arcium Principatum recepit, ſed mox ortâ Hugonem inter & privignum Albericum ſimultate, Româ ejectus Hugo Lotharium filium in regni ſocietatẽ excivit.

10. Berengarius ſecundus Adelberti Eporedienſis filius Berengarij primi ex matre ſua Ghiſela nepos, cum res novas adverſus Hugonem & Lotharium moliretur, adactus in fugam ad Othonem Germaniæ Regem ſe recepit anno 939. ſed reverſis in ejus gratiam Italorum ſtudijs, in Italiam remeavit. Annoque 945. ita cum Hugone convenit, ut hic cum Lothario filio, Regis nuncupatione contentus regimen omne Berengario permit

Digitized by Google

permitteret. Hinc Hugo in Provinciam eſt regreſſus relicto in Italia Lhothario filio, cui pridem nupſerat Adelaïdis Rudolfi Burgundiæ Regis filia. Moritur demum Lotharius quo morte ſublato Berengarius Regis Italiæ titulum ſumpſit anno 950. una cum Adelberto filio, cui cum Adelaidem Lotharij viduam dare uxorem vellet, illa Othonem Germaniæ Regem in Italiam evocavit, eique an. 951. nupſit. Berengarius viribus longè impar Italiæ regnum precario ab Othone obtinuit, regnavitque annos circiter duodecim donec Itali ejus tyrannide oppreſſi ad Othonem denuò confugère, qui accitus ſecundam in Italiam inſtituit profectionem; & ab Joanne duodecimo Pontifice Alberici filio coronam ſumpſit Imperij anno 962. Berengariumque in Bavariam abduxit: qui anno demum 966. diem clauſit extremum. Duravit iſtud Italicum regnum atrociſſimis civilibus bellis fœdum & immanibus crudelitatibus & perfidijs inſigne annos ad Othonis uſque Imperium duos & ſeptuaginta.

11. In Oriente vero primis hujuſ ſæculi annis gravis eſt orta concertatio ob quartum Leonis Imperatoris, cui Philoſopho nomen, matrimonium; qui ante aliquot annos edictum promulgaverat canonicis pœnis ſubjiciens quicumque ad tertias nuptias convolarent, maximè cum Neocæſareenſes canones 3. & 7. bigamos ad pœnitentiam adigant & Sacerdotes horum convivijs nuptialibus intereſſe prohibeant. His aſtipulatur Baſilius epiſt. ad Amphilochium can. 40. ipſe tamen Leo cum ex tribus priſtinis conjugijs liberos ſuſtuliſſet quartum cum Zoe contraxit Quia vero Nicolaus Patriarcha cognomento myſticus has nuptias benedicere recuſavit, & qui benedixerat Sacerdotem ordine depoſuit & perdiu rogatus ab Imperatore, ipſum tamen aditu prohibuit. Ideò à Leone in Monaſterium relegatus eſt cujus loco ſuffragijs Cleri ſublectus eſt Euthymius, qui fuerat depoſiti Nicolai Sincellus. Hanc fuſius proſequitur hiſtoriam Curopalates, ex Zoe verò filium Leo ſuſcepit Conſtantinum Porphyrogenitum quem habuit Imperij ſucceſſorem.

12. Anno 905. virtute Adelfonſi Galæciæ Regis cognomento magni res Chriſtiana magnopere aucta eſt, ingenti Arabum fuſo exercitu, duceque ipſorum Alcainan in acie occiſo, ut refert Ambroſius moral. Chron. Hiſpa. lib. 15. cap. 28. qui idem c. 30. ejuſdem Adelfonſi factum æterna dignum laude ſcribit. Cum enim primogenitum ejus Garſiam Longævi paterni regni tædium cæpiſſet, adjuvantibuſque fratribus conſpiraret in patrem, Adelfonſus bello ſtrenuus & juſtitiâ ſuæ cauſæ ſubnixus, maluit tamen jure omni cedere, quam pro tuendo jure ſuo rem Chriſtianam & publicam pacem diſcrimini per bella civilia objicere; qua occaſione res infidelium admodum invaluiſſet. Licet vero ſe magnum victorijs de infideli gente relatis exhibuiſſet, major tamen & maximus cenſendus eſt cum ſeipſum ſuperans ſponte filio ceſſit, & ſub filio Rege nobiles alias de Sarracenis victorias diverſis prælijs reportavit.

13. In Germania ineunte decimo ſeculo moritur ultimus pediculari morbo ex Caroli magni ſtirpe Imperator Arnulfus. Hujus verò filius Ludovicus procerum conſenſu anno 900. Germaniæ regnum capeſſivit: idque annos duodecim tenuit, ſed Imperij coronam non ſumpſit neque titulum habuit: in ipſoque obeunte anno 911. Carolorum progenies in Germania extincta eſt. Conradus ejus loco Dux Franconiæ in regnum Germaniæ ſubrogatur. Qui proximus morti cum annis ſeptem regnaſſet, primoribus mandavit ne alium ſibi ſucceſſorem eligerent quam Henricum Othonis Ducis Saxoniæ filium qui ex Vitichindi Saxonum Regis, quem Carolus magnus acie ſuperatum ad Chriſtianam fidem perduxerat, ſtirpe ortum ducebat. Itaque Henricus ab aucupij ſtudio cognomine Auceps an. 919. regnum inijt, inſignibus de Hunnis Germaniam vaſtantibus victorijs relatis.

14. Henricum ex hac luce ſubtractum anno 936. Otho filius ejus excepit, regnavitque annis 37. & re & appellatione magnus. Slavos ſeu Bohemos perdomuit, Belgas & Lotharingos præliis attrivit, Ludovicum Francorum Occidentalium Regem victum in fugam adegit, eaque victoriâ Lotharingiam ſuæ aſſeruit poteſtati. Profectus deinde in Italiam Adelaidis accitu, quam Berengarius in ultimas redegerat anguſtias, & hanc ſibi conjugem ſociavit, & Berengarium à ſe victum, & captum abduxit, inſigniaque Imperij ab Joanne duodecimo Pontifice recepit anno 962. Italos denuò rebellantes cum Adelberto Berengarij filio acie fudit. Ulteriuſque progreſſus in Calabriam & Apuliam bellum movit, Græcoſque exinde expulit annoque demum 973. mortem obivit. Hujus filius Imperiique ſucceſſor Otho ſecundus diſparem patri fortunam habuit, anno enim 982. adverſus Græcos Sarracenorum auxilio Apuliam & Calabriam repetentes infeliciſſime dimicavit cæſis ad internecionem copiis ſuis, ipſeque clam dilapſus vix hoſtium manus effugit: qua ex clade tantum mœrorem capit ut anno 983. Romæ languore extinctus ſit.

Hujus

Digitized by Google

Hujus uxor Theophania Conſtantini Græcorum Imperatoris filia ex oppoſito tantum lætitiæ concepit ex popularium ſuorum victoria, ut Latinis ea de cauſa inſolentius inſultaret, ut Dithmarus lib. 3. prodit.

15. Sæculi hujus anno 12. Normanni qui latrocinijs & excurſionibus omnem Europam infeſtaverant ad poſtremum ſub proprio Duce Rollone, abjecto idolorum cultu, ſuſceptoque baptiſmo pacem cum Chriſtiana Religione colere cœperunt. Horum ferocia præcedenti anno validiſſimè repreſſa retuſaque fuerat. Cum enim Autricum Carnutum admotis copijs obſidione premerent, Francorumque exercitus ad Normannorum caſtra Ricardo & Roberto Ducibus opis ferendæ oppidanis cauſa conſiſteret, pium inſedit Carnutenſibus conſilium in extremo diſcrimine ſanctiſſimæ Deiparæ præſidium implorandi; ejuſque quod penes ſe aſſervabant induſium, inter ſolemnes & publicas preces circumferendi, quæ cum ab eis fierent tantum pavoris Normannis repēte injectum eſt, ut in fugam ſe præcipites dederint. Quod cernentes Francorum copiæ horribilem Normānorum confuſis ordinibus palantium edidere ſtragem. Poſt hæc Franconis Rotomagenſium Epiſcopi ſedula opera Rollo cum præcipuis Ducibus ſuorumque multitudine Chriſtiana ſacra ſuſcepit, fœduſque cum Carolo Simplice ictum, conceſſa Rolloni ejuſque ſucceſſoribus in dominium ſub fidei clientela Regibus Franciæ deinceps præſtandæ, ampliſſima illa Neuſtriæ Provincia, quæ poſthac Normannia dicta; & quò ſtrictius utraque gens jungeretur Giſlam Carolus filiam ſuam Rolloni nuptu collocavit. Hæc Dudo lib. 2. & Floriacenſe Chronicum alijque illorum temporum ſcriptores memoriæ prodiderunt.

16. Carolo Regi ſua quæ ei peperit nomen ſimplicitas multum obfuit. Cum enim Haganonem mediæ ſortis hominem ad ſummam potentiam evectum, interioribus conſilijs adhiberet, ea res æmulationem procerum excitavit fecitque rebelles: hos inter præcipui eminebant Robertus Andium Dux equitum regni præfectus, & frater Eudonis illius qui medius inter Carolos duos Craſſum & Simplicem in Francia regnarat. Alter erat Heribertus immenſæ ambitionis Veromanduorum Comes cujus ſororem Robertus duxerat. Horum conſpiratione Robertus Carolo abdicato Rex eligitur, eductis partium copijs in Sueſſionibus acriter dimicatur: quo prælio Robertus perimitur, ſuos tamen relinquens victores anno 923. Haud multo poſt ab iiſdem proceribus quaſi ad vacuum regni ſolium accerſitus Rodulfus Burgundiæ Dux. Heribertus verò ſpecie conciliandæ pacis credulum nimis Carolum nihilque ſuſpicantem mali, Peronam abducit in arctam cuſtodiam in qua Rex infelix vitâ deceſſit anno 929.

17. Accepta Caroli Regis captivitate uxor ejus Eadgina Alſtani Regis Anglorum filia, cum filio quem ex Carolo ſuſceperat ad patrem in Angliam profugerat. Ibique hæſit quandiu Rodulfus Burgundus in Francia regnavit. Hunc Rodulfum Urſpergenſis Abbas erronée confundit cum altero Rodulfo Burgundo qui tempore præceſſit, qui Rex Italiæ fuit, quem Hugo Italiæ regno depulit, & cujus filiam Adelaidem filio ſuo Lothario in matrimonium dedit. Iſte porro qui Francis regnavit Rodulfus patre Ricardo natus Roberti ejus gener fuit quem paulo ante vidimus in prælio contra Carolum Regem apud Sueſſiones cecidiſſe: ejus quippe filiam Emmam Hugonis magni à quo poſtea ortum duxit Capetiorum regia familia ſororem ſibi matrimonio ſociaverat. Hic igitur Hugonis ſororis & Heriberti factione in Franciæ regnum accitus, è Burgundia Rodulfus regnum inijt anno 923. Normannos in Aquitania graſſantes magna ſtrage profligavit; ſuumque regnum ad annum quo mortuus eſt 936. prorogavit. Quo eodem Henricus Auceps in Germania deceſſit. Eodem pariter anno ab Hugone revocatus eſt ex Anglia ut regnum Franciæ capeſſeret Caroli Simplicis filius Ludovicus, inde nomen tranſmarini ſortitus. Hic Lotharingiam quā deſperatis rebus ſuis Carolus ejus pater Henrico Germaniæ Regi ceſſerat armis repetens, ab Othone Henrici filio depellitur an. 939. cum quo Hugo iterum rebellis belli ſocietatem inierat, ducta in matrimonium Othonis Germaniæ Regis ſorore.

18. Heribertus ne quiſquam ſe invito in Franciæ Regem inaugurar etur, rem molitus eſt indigniſſimam quam Frodoardus qui eodem vixit tēpore Rhemenſis Eccleſiæ Preſbyter prolixius refert in ejuſdem Eccleſiæ Rhemenſis Chronico lib. 4. Convenit cum Seulfo Rhemenſi Epiſcopo ut ſuus filius adhuc infans Rhemenſi præficeretur Eccleſiæ, in qua liquor aſſervatur quo liniri ſolent Franciæ Reges. Sed miniſtri Comitis præ moræ longioris impatientia Seulfum veneno propinato necaverunt: eoque patrato ſcelere puer Heriberti necdū quinquennis, Rhemenſis eligitur Epiſcopus; quale monſtrum necdum fuerat in Eccleſia viſum. Rodulfus Rex ne à ſe alienū haberet Heribertū hanc electionem ratam habuit: quodque deterius eſt Joannes X. innumeris flagitijs infamis eandē ſua approbatione firmavit, & Abboni Sueſſio

Sueſſionum præſuli Rhemenſis Eccleſiæ curam & miniſterium delegavit. Heribertus demum turbarum omnium auctor quibus regnum horrendè divexatum fuerat, ex hac vita migravit anno 943.

19. Rex obijt Ludovic. Transmarinus an. 954. dum lupum venatu inſequitur, equo liberius admiſſo dejectus & lapſu obſtrictus & Durocottos Rhemorum ſepultus eſt, duobus relictis Liberis, Lothario & Carolo. Exactoq; inde biennio mortuus eſt Hugo, cui nomē aſcivere magni & sūma poteſtas, qua plerumq; abuſus fuerat & civilis, ſed parum Chriſtiana prudentia, & illuſtres affinitates Regū & ſummorum Principum, & altiſſima propaginis nobilitas à Pipino Hereſtallo Auſtraſiæ & Tungrorum Principe ducta, à quo exorta ſecunda Franciæ Regum progenies, & gloriæ avitæ ſplendor, ejus quippe avus Robertus Francici exercitus Dux adverſus Normannos pro Religione & patriæ ſalute dimicans in acie glorioſè occubuerat an. 867. duobus relictis liberis Odone qui poſt Carol. Craſsū Rex electus Francorum multis regnavit annis, & altero Roberto qui ex Eriberti quam duxerat ſorore Hugonē iſtum cognomine magnū genuerat; iſte vero ex Hoctuide Othonis Imperat. ſorore tres reliquit ſibi ſuperſtites filios Hugonē Capettum, qui poſtmodum ad regale faſtigium evectus, tertiæ Regum progeniei autor fuit, Othonem, & Henricum, filiamq; Emmā quæ Ricardo Normannorum Duci nupſit. Eidem Hugoni magno nomen quoq; Abbatis inditum quia proventus Abbatiarum invadebat.

20. Lotharius in paternū regnum ſucceſſit hic bellum adverſus Imperat. Othon. II. movit quo Lotharingiā vi ſubactam regno Franciæ redintegravit, ipſumq; Othonem ex improviſo Aquiſgrani adortus conjecit in fugam. Quam ignominiam ut aboleret Otho collecto numeroſiſſimo exercitu regnum Pariſios uſque late populatus, ſed iterum victus, & à Lothario fugatus ad colloquium cum Othone Lotharius venit, quo Lotharius tametſi victor Lotharing. victoriarum ſuarum fructum & præmium remiſit Othoni: hic verò eidē Provinciæ Carol. Lotharij fratrē præfecit: quā ſocordiā Lotharius Principum & populorū animos à ſe alienos fecit ſibiq; contemptum aſcivit omnium. Mortuo patre Lothario filius Ludovicus in regnum ſuffectus eſt, qui brevi regno vitaque fūctus, nulla relicta prole ſepultus eſt Cōpendij an. 987. ſolus ex ſtirpe Carol. Magn. ſupererat Carol. Lotharing. Dux, cui jure ſucceſſionis utpote ſecundo Ludov. Transmarini filio & Lotharij fratri ſceptrum Francicum debebatur; ſed hujus cunctatio ac inertia, odiumq; multorū quod incurrerat dum ſpreta Francia Germanorum partes ſectabatur, & aliunde Capeti ſtrenua diligentia ſibi regnum aſciſcentis id tandem effecerunt; ut abjecto Carolo regnum Frāciæ Principum populorumq; ſuffragijs & comitijs Hugoni Capeto delatū tributumq; fuerit. Carolus tamen ſerius quā decuerat arma movit, & quamvis Laudunum magni tunc momenti urbem armis invaſerit, & obſidentem Hugonem eruptione facta depulerit, caſtriſq; exutum in fugam egerit, atq; exinde Durocottorum Rhemorum proditione Adelgarij Preſbyteri occupaverit eaq; in urbe Arnulfum Epiſcopum conſtituerit Lotharij fratris ſui ex concubina filium, ab Alberone Epiſcopo capto & Laudunum abducto, ubi paulo poſt in vinculis mortuus eſt. Hugo novis contractis copijs Carol. Lauduno cū uxore incluſum proditione ut ferunt Aſcelini Epiſcopi occupata noctu civitate, in ſuam redigit poteſtatē, tranſmiſſumq; Aurelianos Carolum turri incluſit, in qua diē egit extremū. Idemq; operā dedit Hugo ut Arnulfus Rhemenſis in Concilio Epiſcoporum apud Rhemos coacto ſede ulla deturbaretur, cumque Aurelianis in cuſtodia tribus annis detinuit: atq; Gerbertū filij ſui Roberti præceptorem eidem Eccleſiæ præfecit anno 992. Cæterum Joan. Papa XV. Epiſcopis omnibus qui id fecerant ſacris interdixit; ſummotoque Gerberto Arnulfum priſtinam ad ſedem revocavit, ut ſcribit Aimoinus. Illā depulſus ſede Gerbertus in Germaniam ad Othonem tertium commigravit, à quo creatus eſt Ravennæ Archiepiſcopus, approbante Gregorio V. Pontifice. Cui deinde vitā functo proximè in Romana & Apoſtolica ſede ſucceſſit idem Gerbertus, mutato in Sylveſtrum ſecundum nomine anno 999.

21. Rex Hugo primarias dignitates regni à ſuis majoribus poſſeſſas utpote Regibus ipſis formidandas & inſidioſas abolevit, Ducum Franciæ, & Comitum Pariſienſium, quod idē fecerant Carolini Reges de majorū ſeu præfectorū Palatij officio. Ut verò proceres regni ſibi conciliaret, paſſurus alioqui adverſarios, ijs præfecturas indulſit quas ſummo jure ſub titulo Ducū aut Comitū & gererent & ad poſteros hæreditaria ſucceſſione tranſmitterent, uno dumtaxat regiæ fidei & clientelæ nomine Regibus devincti. Hinc orti Britanniæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ Duces, Comiteſq; Flandrenſis, Toloſanus, Andegavenſis, Campaniæ. Sed divinā Providentiā factū videmus ut hæ Provinciæ quæ diſtractæ adverſus regnum plerumque conſpiraverant in unum Monarchiæ corpus coaluerint. Calamitatibus etiam præcedentium Regum cautior factus qui ad nutum procerum inſtituebantur & deſtituebantur, regnum nō tantum ſibi ſed etiam primogenito ſuo Roberto aſſerere voluit, quum ipſum ſe vivo vegetoq; additis etiam & magnatum & populariumſuffragiis comitiiſque, in regni ſocietatē & inſignia

an.988. aſſumpſit: obijtq; an.997. Robertus princeps fuit eximia pietate, prudẽtiâ & ſcientiâ præditus. Initio quidem labem aliquã vitæ ſuæ aſperſerat, contractis cum Berta inceſtis nuptiis, ſed his Greg. V. Pontificis interdicto diremptis, Conſtantiã duxit Guillelmi Provinciæ Comitis filiã corpore ſpecioſam, ſed animo audacem & ultra modũ ambitioſam: quæ viri ſapientiſſimi patiẽtiam indeſinenter exercuit, eo uſq; ut regimẽ ipſa ſibi aſciſceret, invidiaq; flagraret ſi rex alterius cujuſquã conſilio uteretur: qua de cauſa Ugonẽ Bellovarenſem prudentiſſimum cõſiliarium, cujus fidei & conſiliis Rex acquieſcebat, à ſicariis in venatu ſub ipſius regis oculis juſſit trucidari, nulla ſequuta ſceleris pœna vel patrati vel juſſi, Rege mirâ patientiâ pacem à muliere implacabili factioſa & ad extrema quæque parata redimẽte.

22. Eodem hoc ſæculo exortus eſt Cluniacenſis Ordo ex quo velut alveari fœcundiſſimo Monachorum multa examina per Galliã, Italiam, Germaniam, & Hiſpaniam ſe propagarunt, & primum Benedictinorum fervorem ac ſpiritum paſſim remiſſum & tepeſcentem, denuò accenderunt ac inſtaurarunt. Præclaro inſtituto dedit exordium Berno ex potentiſſimo Comite Monachus, deinde Abbas Gigniacenſis, qui in regione Burgundiæ & agro Matiſconenſi ex bonis aviæ ſuæ Comitiſſæ Monaſterium extruxit, in quod multos Monachos reformationis ſtudioſos collegit & excoluit. Bernoni ſucceſſit Abbas Odo, Odoni Heimardus, huic Maiolus, quem ſequutus eſt Odilo, egregia omnes ſanctitate conſpicui. Berno ad Deum migravit anno 912.

23. Sarmatæ Sclavorum gens quæ nunc Polonia dicitur ab idolorum cultu Chriſtianam ad fidem felici converſione traducta eſt an.965. etiamſi olim Chriſti Evangelium ad Sarmatas penetraſſe ſcribat Tertullian. contra Judæos, ſed iiſdem ad priſtinam idololatriam reverſis, Chriſtiana jampridem religio apud illos defierat. Hoc vero ſæculo Meiſcon gentis illius Dux ut perhibent Ditmerus lib. 4. & Chromerus lib.3. in matrimonium duxit Dabravam ſeu Dobberam Boleſlai primi Bohemorum Ducis filiam, ea lege ut Chriſtianus fieret. Quod fideliter præſtitit, idemq; à ſubditis præſtari ſtudioſè curavit. Miſſiſque ad Joan. Papam XIII. oratoribus id obtinuit ut in eam regionem mitteretur Legatus à latere Negiduas Tuſculanus Epiſcopus, qui omnia perfectè ſtabilivit diverſoſq; erexit Epiſcopat.

24 In Hiſpaniis Arabica perſecutio diverſos Martyres fecit, inter quos eminent Eugenia, & Pelagius: uterque Cordubæ paſſi ſub imperio Regis Habdarrhagman qui ſibi titulum Amomiramolim hoc eſt regis credentium ſumpſerat, acta Eugeniæ interciderunt. Æternâ memoriâ digniſſimum eſt Pelagij Martyrium; hic puer annorum duntaxat tredecim in Gallia natus, cum ab Ermoigio Epiſcopo à Saracenis capto cujus ſobrinus erat obſes datus, & Cordubam adductus eſſet elegantis formæ, ab Habdarrhagman Rege de turpitudine ſimul & fidei abnegatione fruſtra tentatus, ab excandeſcente tyranno diriſſimis eſt addictus ſuppliciis: & poſt ambas manus ferro amputatas, reliquo corpore gladiis crudeliter conciſus glorioſum Martyrium Chriſtum jugiter reclamans conſummavit. Quo eodem ſæculo Ramirus Legionenſis Rex inſignem de Saracenis victoriam reportavit an. 938. ut Ambroſ. Moral. lib.14. Chron. Hiſp. teſtatum reliquit. Conſpirantes Saracenorum Reges ex univerſa Hiſpania & ex Africa formidabilem eduxerant exercitum, centũ quinquaginta millium peditum, & equitum quinquaginta millium, in Chriſtianorum excidiũ. At iſtis præmiſſis jejuniis & aſſiduis ad Deũ ſupplicationibus ductore Ramiro hoſtibus occurrunt Chriſtiani, qui prævios ſibi Cœli Angelos ſub forma equitum vident, certum futuræ victoriæ præſagium, commiſſoque prælio cædũtur ab ipſis octoginta Saracenorũ millia, Regem Cæraauguſtæ & Ceſtiberiæ nomine Abenã captivũ abducunt, Rex vero Cordubæ & Andaluſiæ Habdarragman vix equi pernicitate elapſus eſt, reliqui omnes fugâ diſperſi.

25. Hoc ſæculo fœdiſſimas Eccleſiæ maculas aſperſit profligatiſſima innumerorũ Epiſcoporum vita, nec tantum Romanorum Pontificum, ſed & aliorũ diverſis locis. Romanus Orientis Imperator cum tres haberet liberos priores quidem duos inſignibus Imperij decoravit, tertium autẽ nomine Theophylactũ à Patriarcha tonſum Clericali profeſſioni addixit, & ſyncelli dignitate auxit, quæ ſecunda erat à Patriarchali. Defunctoq; Conſtantinopolis Patriarcha Stephano ejus loco ſuffectus eſt Theophylactus annum agens ætatis 16. dato ei adjutore Triphone; quo tandem ſubducto Theophylactus conſecratus eſt ætatis an.25. Nemo turpius illo vixit, tantâ morum infamiâ ut eorum fœditatem exprimere nefas eſſe ſcribat Curopalates. De cæteris autem ejuſdem nequitiis hæc idem hiſtoricus teſtata reliquit venales palam propoſuiſſe quoſvis Eccleſiaſticos ordines & Epiſcoporum conſecrationes, itemque in ſacris & publicis celebritatibus introduxiſſe cantinelas indecoras, Sathanicas ſaltationes, effuſos riſus, indecoras vociferationes, ſcurrilia ſpectacula pro matutino Officio & ſacris Eccleſiæ Hymnis. Venationibus & popinis ultra omnem modum fuiſſe addictum; equorum vero amore ſic inſanuiſſe ut ſupra duo millia equorum aleret, undequaque magniſque expenſis conquiſita, illiſque alendis non fœnum aut bordeum, ſed pinorum fructus & amygdala

&

Digitized by Google

& piſtaria, prætereaque caricas, dactylos ſelectas mollioreſque uvas paſſas odoratiſſimo vino miſcuiſſe in equorum cibos, adhibito etiam croco, cinnamomo, balſamo aliiſq; aromatis. Denique dum temerè equitat, ad murum quemdam illiſus ſanguinem ex ore exſpuit, & biennium morbo affectus in hydropiſim quæ ultimum illi attulit exitium incidit. Contigit aliquando cum Feria quinta magnæ hebdomadis ſacra officia in Pontificali Eccleſia perageret, præfectum ſtabuli ad aurem illi publicas pronuncianti preces jucundiſſimum nuncium ſignificaſſe phorbantem equam peperiſſe: quo accepto ille quanta potuit celeritate ceptam orationem concîdit & abſolvit, ac protinus in ſtabulum abſceſſit, viſoque exploratoque pullo rediijt ad interruptum officium.

26. Manaſſes Arelatenſis Archiepiſcopus ſua non contentus Eccleſia, fretus gratiâ & affinitate Hugonis Italiæ Regis, Epiſcopatus quinque Eccleſiarum Mantuæ, Veronæ, Tridenti & ad poſtremum Mediolani contra fas ſibi vendicavit. Cujus Archiepiſcopatus obtinēdi gratia in partes tranſijt Berengarij. Adeò infida eſt malorum hominum ſocietas, hæc prodit Luitprandus.

27. Jam inde à Pontificatu Formoſi Romana Eccleſia innumeris flagitijs & perturbationibus concuſſa fuit, quarum nonnulla ſuperius facta mentio, Joan. X. Theodora amaſium, eadem impudiciſſima meretrix quæ Romam ſuæ tyrannidi ſubjecerat, quò ejus amore potiretur ex Ravennatenſi Archiepiſcopatu in Romanam ſedem potenti ſua factione tranſtulit an. 912. ſed qui per infamem Theodoram amaſiã ſuam Pontificatũ inierat, per Maroſiam æquè impudicã Theodoræ filiam ejuſque maritũ Vidonem Tuſciæ dominantem & dejectus ſede, & in carcerem truſus, occiſo quoque ante ejus oculos fratre Petro, ipſe paulo poſt in carcere perijt. Interjectoque brevi Leonis VI. & Stephani VIII. Pontificatu, ab eodem Vidone ejuſque conjuge Maroſia intruſus in ſedem Apoſtolicam fuit an. 931. Joan. XI. Sergij infamiſſimi Papæ tertij ex dicta pellice Maroſia Nothus filius ut referunt Luitprandus, Flodoard. & alij ex quo colligit Baron. fuiſſe hunc Joannem provectum juvenili ætate ad Apoſtolicam ſedem, quippe cujus mater adhuc amoribus apta eſſet & pulchritudine florens.

28. Poſt Agapiti II. Papæ laudabilis exitum, Romanam invaſit ſedem Octavianus Alberici illius quem Maroſia ex Adalberto Tuſciæ Marchione genuerat filius, petulans juvenis qui vix 18. agebat ætatis annũ, quando Romanum Pontificatum inijt: ſibi ille ſumpſit Joannis XII. nomen, ob memoriam patrui ſui Joannis Papæ XI. Ab Octaviano Joanne Otho Germanorum I. Imperator in Italiam profectus an. 962. Imperij coronam Romæ accepit. Sed illo digreſſo Adalbertum Berengarij filium Romam evocavit. Contra quos reverſus Otho cũ exercitu fugatis ambobus conventum Epiſcoporum Romæ celebravit, quo citatus Joannes loco vadimonij adverſus omnes qui convenerant decretum excommunicationis tranſmiſit. Illi nihiloſecius crimina Joanni objecta judiciario proceſſu diſcutiunt, & ipſum Pontificatu abdicant, Leonemque dictum octavum eius loco ſufficiunt Chr. 963. anno. Leo vero in eodem conventu præſente & acceptante Imperatore decretum edidit à Gratiano relatum. c. in Synodo diſt. 63. quo defertur plena authoritas Othoni ejuſque in regno Italiæ ſucceſſoribus eligendi ac nominandi deinceps Summum Pōtificem; quamcunq; vero Papæ electionem à Clero populoq; invito Imperatore factam pronũciat irritam, & qui ſic elegerint excommunicatione percellit: ſancit præterea cujuſcunque alterius Epiſcopi electionem & ordinationem habendam eſſe pro inani & invalida, niſi ex conſenſu prædictorum Othonis & ſucceſſorum quibus jus attribuit conſenſus intervenerit, & inveſtituræ neceſſariæ, dum pretium nullum interveniat. Dici non poteſt quantas ſchiſmatum & bellorum clades ſchiſmaticum iſtud decretum invexerit. Joannes ſoluto illo conventu & Othone abſente Romam ex improviſo regreditur novamque cogit Synodum qua prioris acta decretaque omnia abrogantur. Leo deponitur & urbe profugus ad Othonem refugit. Joannes reſtitutus ſuppliciis ſævit in quoſcunque poteſt apprehendere adverſarios, in quibus Joannem Cardinalem Diaconum linguæ narium, duorumque digitorum abſciſſione mulctat. Horum accepto nuncio ſine mora Otho Romam advolat. Sub his Joannes morbo decumbit & moritur an 964. & in illius vicem Romanus Clerus & populus Benedictum VIII. eligunt. Haud multo poſt Imperator Romam obſidione premit & expugnata urbe conventum alterum cogit, cuius decreto Benedict. & deponitur & omnibus ſacris exautoratur, Leo vero in ſolio conſtituitur Apoſtolico. His peractis Otho in Saxoniam remeat captivum abducens Benedictum qui tandem in eo exilio interiit: hæc tradunt Regino, Luitprandus & Ditmarus.

29. Otho II. poſt patrem Othonē magnũ Imperavit annos novēdecim ſeptemq; menſes, obiitque an. 983. cui filius eius Otho III. in regnum Germaniæ ſucceſſit. Eum Joannes Papa XV. qui per tyrannidem Creſſentij Numentani qui ſub titulo Romani Conſulis arcē S. Angeli occupaverat, reliquamq; urbē dominatione premebat, in auxilium acceſivit.

cerſivit. Quod ut præſtaret Otho in Italiam adventavit, cumque Ravennæ aliquantiſper conſiſteret, mortuo ejus urbis Archiepiſcopo, Gerbertum in ejuſdẽ ſubrogavit olim Rhemenſem Archiepiſcopum; inde Romã cum exercitu proficiſcitur quo tempore mortuo Joanne Pontifice in ejus ſolium promotus eſt Greg. V. natione Germanus, à quo ille Imperatoris titulum & coronam accepit an. 990. Creſcentium verò in munitione inexpugnabili ſe continentem juramenti fide promiſsâ vitâ, inde eduxiſſe referunt Petrus Damiani & Leo Oſtienſis, ſed violata fide capitis truncatione ſupplicium de illo ſumpſiſſe. Cujus perfidiæ expiandæ cauſa, ex præſcripto S. Romualdi quem ipſe Claſſenſi Monaſterio apud Ravennam præfecerat nudis pedibus, ad Garganum Apuleiæ montem templo & miraculis S. Michaëlis celebrem peregrinatus eſt, & tota quadrageſima Claſſenſi Monaſterio incluſus rigidam pœnitentiam egit.

30. Anno Chr. 996. Greg. V. & Imperator Otho tertius ambo cõſanguinitate juncti animum adjecerunt ad convocandũ Romæ Concilium cujus acta interciderunt. Aſſerit verò Sigebertus ad an. 1002. Othonem tertium dũ Romæ verſaretur tractaſſe quæ ad regni jura pertinent. Res autem Romæ concluſæ tanti momenti, non privata ſed publica declaratione, qualis eſt indicti Concilij pertractandæ erant. Porro cum nemo dubitaret tranſlationem Imperij à Græcis ad Germanos ex mera Romani Papæ, qui tũc erat Leo tertius, autoritate dimanaſſe, incõſulto etiam nihilque tale cogitante, quem ille ad Imperij apicem promovit, Carolo magno, cum ſit pariter perſpicuum in vim decreti Leonis Papæ octavi fuiſſe Othoni I. Teutonico Regi ejuſque ſucceſſoribus collatam poteſtatem ſibi ſucceſſorem eligendi, quod ita fuiſſe factum nemo ambigit ad uſque Othonem tertium. Hic verò cum nullum haberet filium, nec ſe habiturum ſperaret an regni Germanici relinqueret ſucceſſionem, certumque foret vacuo relicto Imperij ſolio univerſam Germaniam bellis civilibus ex diverſorum Principũ ſtudijs & diſſidijs laceratum iri; proſus neceſſe erat tanti negotij pondus ad Principum Germaniæ Comitia referri, cumque tanto eſſent & ſanguinis nexu & patriæ Teutonicæ ſocietate, & animorum concordia conjuncti, Gregorius & Otho; non aliunde quã ex utriuſque conſenſu dimanaſſe credi poteſt decretum electionis per convitia Germanica futuri Germanorũ Regis, quẽ Summi Pontificis ſequens approbatio conſtitueret Imperatorẽ, ipſeque ſtatim ſecutus eventus uſu continuo ab Othonis tertij exitu firmatus in ſequentibus ſæculis, jus iſtud à ſuprema ſede profectum extra omnem ambiguitatis aleam collocat. Liquet ex hiſtoriis & veterum Romæ Pontificum literis pertinuiſſe primum illam electionem ad Principes univerſos Imperij Germanici feudatarios, tandemque ſæculis poſterioribus ad ſolos ſeptem electores fuiſſe reſtrictam, nimirum in Concilio Lugdunenſi ſub Innocentio IV.

31. Quamvis neſcio quo infortunio ſæculo iſto decimo, tam multi Pontifices & Epiſcopi ad perditiſſimam nequitiam deflexerint, mirari ſatis nemo queat fuiſſe ferax hoc ipsũ ſæculum tam multorum ſæcularium principum præcipuæ ſanctitatis pluſquam alia ſæcula multò feliciora cenſita. Hoc enim vixere S. Henricus Imperator qui Othoni tertio datus eſt ſucceſſor, S. Eduardus Rex Angliæ, S. Heraldus Rex Daniæ, S. Stephanus Rex Hungariæ, duoque alij Reges tametſi publico invocandorum Sanctorum albo non adſcripti, ſanctitate nihilominus & miraculis illuſtres, Robertus Rex Frãciæ, & Adelfonſus Rex Galleciæ. Sæculum iſtud Ordini Cluniacenſi dedit initium ſub Bernone Abbate cui ſucceſſit Odo.

32. Inter hujus ſæculi ſcriptores commemorandus eſt Leo ſextus Græcorum Imperator, cui ſapientis juſtè inditum nomen, hujus ſupereſt præclara ad Regem Saracenorũ de Chriſtianæ fidei veritate epiſtola, deque Mahumetana impietate. Ubi diſertis verbis Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere affirmat; extant ejuſdem diverſi pij tractatus ac orationes. Rhegino Prunienſis Abbas duos Chronicorum libros ſcripſit ab adventu Chriſti ad annum uſque 98. Id opus proſecutus eſt Anonymus aliquis uſq; ad an. 967. Radulfus Flaviacenſis in Gallia Monachus libros viginti elucubravit in Levit. commentarios etiam in omnes Pauli Apoſt. Epiſtolas. S. Odo ex Canonico Eccleſiæ S. Martini Turonenſis Monachus & Abbas Cluniac. Diaconus deinde Cremonẽſis Epiſcopus, vir prudens & eruditus Legatione functus nomine Berengarij Imperat. ad Cõſtantinum Orientis Imperatorem anno Domini 946. Sex hiſtoriarum ſui temporis libros edidit Vittichindus Monachus Corbrienſis eodẽ ſæculo tres de rebus Saxonicis libros cõtexuit, quibus res geſtas Othonum Imperatorum deſcribit. Stephanus Eduenſis Epiſcopus librũ ſcripſit de Sacramento altaris. Flodoardus Eccleſ. Rhemenſis Presbyter author Chronici ab anno Domini 919. ad annum 966. librorumque quatuor hiſtoriarum Eccleſiæ Rhemenſis. Eodem floruit ſæculo pietate eximius Rhaderius Epiſcopus Veronenſis cuius diverſos tractatus Baron. ad an. Chr. 954. cõmemorat.

Decimum hoc ſæculum Concilijs peculiari nota dignis vacat. Idcirco hinc ad undecimum progrediendum eſt.

ECCLESIÆ

Digitized by Google

# ECCLESIÆ VNDECIMI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. VNDECIMUM ſæculum, ſecundo ſui Pontificatus anno Sylveſter ſecundus auſpicatus eſt, Gerbertus anteà dictus, qui primum Rhemenſis Eccleſiæ promotus ad ſolium, indeque à Joanne XV. Pontifice dejectus, Ravennas creatus eſt Archiepiſcopus; quo ex gradu ad ſummum provectus eſt Pontificatum, anno 999. in quo mutato nomine, Sylveſter ſecundus dictus eſt, Romanum moderante Imperium Othone tertio, qui mox anno 1002. menſe Januario, vacuam Imperij ſedem Henrico reliquit Bavariæ Duci, ejus nominis ſecundo, ab Aucupe germanorum Rege, ſed Imperatorij tituli primo, cui Chriſtiana pietas ſancti nomen peperit. Hic virginitatem perpetuam cum uxore Cunegunde ſervavit, & affinitatem cum Stephano Hungarorum Duce inivit, collocatâ in matrimonium ſorore ſua Giſlâ: cujus hortatu Stephanus ablegato idolorum cultu Chriſtiana ſacra ſuſcepit; quæ tantis virtutum meritis excoluit, populo quoque ſuo ad Chriſti fidem traducto, ut ſancti nomen ac venerationem meruerit.

2. Hoc ſæculo Normannorum ex Gallia Oriundorum, mirifica præfulſit, in bello Italiço, virtus, quæ iiſdem amplam & opulentam peperit dominationem Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ, quibus partim Græci, partim Saraceni, prout ſors armorum tulerat, Dominabantur: quos inter bellum atrox exardebat. Saracenis Salernum obſidione prementibus, quadraginta equites Normanni, ex Jeroſolimitana peregrinatione redeuntes, Salernum habitu peregrino appellunt, anno 1002. & Gaimaro urbis defenſioni præfecto ſuam contra infideles operam pollicentur, acceptiſque ab illa armis & equis, tantâ vi irruptionem fecerunt in hoſtes, ut iis tum peremptis tum in fugam actis, urbem obſidione liberarint. Gaimarus miſſis ad Normannorum gentem muneribus & legatis, auxiliares copias tam ſtrenuæ gentis depoſcit, ad reliquum belli peragendum. Giſelbertus Baterius unus ex Normannorum proceribus, ſe hujus expeditionis ducem offert, cui ſe alacres plerique ex eadem gente adjungunt, & Salernitanos legatos ſequuti, unà cum aliquot Italicis cohortibus, Græcos adoriuntur: qui ante annos triginta Romanis Pontificibus, Apuliam, Hydruntum, Calabriam, & Campaniam eripuerant. Normanni Italum Ducem Melum ſequuti, tribus atrociſſimis præliis, numeroſiſſimos ab Imperatore Baſilio ſecundo immiſſos exercitus Græcorum, magna ſtrage fundunt. Sed quarto demum conflictu, Græcorum aſtu circunſcripti Normanni, ad Cannas Apuliæ oppidum Romanorum olim ab Annibale inflicta clade inſigne, magna ſtrage cæduntur. Melus ordinatis utcumque poterat Apuliæ rebus, ad Henricum Imperatorem iter intendit, ad comparanda adverſus Græcos auxilia; qui ipſe ingentibus copiis è Germania & Italia collectis in Apuliam contendit commiſſâque adverſus Græcos acie memorabilem de illis victoriam reportavit, anno 1022. multaque de eis oppida recepit; Normannoque Rainulfo Giſelberti quem ſupra memoravimus fratri Averſam cum comitatus titulo conceſſit. Ipſeque in Germaniam redux, Bambergæ ſancto fine quievit an. 1024. & perpetuum cum Cunegunde conjuge ſervatum virginitatis florem in cœlum extulit. Hæc quæ ſuperius dicta, referuntur ab eorundem temporum hiſtoricis, Leonis Oſtienſis, Glabro, & aliis.

3. Nec ſilendum eſt memorabile Chriſtianæ humilitatis ac mutui obſequij exemplum, inter Henricum Imperatorem, & Robertum Franciæ Regem; cum enim emensâ Italiâ ad Amnem Moſam, quo Imperium & Francia diſterminantur accedere pararet; tum Robertus, officij gratiâ, eundem in locum proficiſcitur, poſtridie mane trajicere parabat, atque ex improviſo Henricum ad oppoſitam ripam convenire: hic vero omnem Regis diligentiam antevertit, & vix illuceſcente diluculo ad oppoſitam ripam navigavit. Dici non poteſt quàm fuerit ille congreſſus inter magnos Principes animo & omni virtute conjunctiſſimos mirificus, lætus, & obſequioſus: ſimul ſacræ Synaxi interfuerunt, ſimul pranderunt, ſimul amantiſſimè de promovendo Dei cultu, de Eccleſiæ amplificatione, de Chriſtianorum ubique conſtabiliendâ pace ſermones contulerunt,



Digitized by Google

Rege ubique præcedentiam Imperatori deferente, hoc vero conſtantiſſime recuſante, congreſſuſque omnes ad mutuam ſaltem æqualitatem reducente. In diſceſſu nihil ſincerius, nihil amantius, excogitari poteſt, magnificentiſſima utrinque oblata munera, ſed utrinque recuſata, paucis exceptis cimeliis, ac munuſculis religioſis. Rodolfus Glaber lib. 3. cap. 2.

4. Berengarius ſuam ſpargere cepit Hæreſim, regnante Roberto, excludentem ab Euchariſtiæ Sacramento, corporalem Chriſti præſentiam. Primus adverſus hunc Hæreſiarcham ſcripſit Durandus Leodienſis Epiſcopus, deinde Adelmannus poſtea Brixenſis Epiſcopus, qui fuerat olim Berengarij ſub magno Fulberto in Academiâ Carnotenſi condiſcipulus, hic porro Hæreſiarcha Eccleſiæ Andegavenſis Archidiaconus, Brunonem ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum, in eandem veſaniam egit præcipitem. Cumque multis Conciliis damnatus ſæpius ſuam ejuraſſet Hæreſim; iterumque Protheo inconſtantior in eandem relapſus fuiſſet, obiit tandem in catholica profeſſione, ut ſcribit Vvillelmus Malmesburienſis anno 1088.

5. Poſt ſancti Henrici obitum, Conradus Princeps ex ducibus Vuormatiæ ortum ducens, quem in ætatis primordiis, à propriis conſanguineis deſpectum, Burchardus Vvormatienſis Epiſcopus, quaſi adoptivum ſuſceperat, magnâque ſedulitate inſtituerat, electus eſt Archiepiſcoporum aliorumque Germaniæ Principum ſuffragiis Rex Germanorum anno 1024. Imperij vero coronam Romæ à Joanne Papa vigeſimo ſumpſit, ipſo Paſchatis die anno 1027. Conrado demum anno 1039. defuncto, ejus ſuffectus eſt filius Henricus in Regnum Germaniæ, dictus ejus nominis Regum tertius, Imperatorum vero ſecundus. Hic moritur anno 1056. relicto hærede filio Imperatorum tertio, Regum Germaniæ quarto: quinquennis puer regnum iniit, quòd maximo rei Chriſtianæ damno ad duos & quinquaginta produxit annos.

6. Anno 1041. magna rerum mutatio in Polonia contigit; ante aliquot annos Poloni per aliquorum rebellium Ducum factionem, poſt Mieſlai obitum, ejus filium Caſimirum adhuc puerum, ſub matris tutelâ regnantem, regno una cum Matre expulerunt, hæc in Germaniam aufugit, ille Pariſios delatus, literis ibidem operam dedit, unde Cluniacenſe Monaſterium adiens inter Monachos incognitus adlectus eſt, & ſacrum apud eos ordinem Diaconatus, hortatu Abbatis ſuſcepit. Interea Poloni, & bellis extraneis à finitimis laceſſiti, ſimulq; civilibus per procerũ ambitionem mutuamq; æmulationem conflictati, id conſilij ceperunt unanimes revocandum & regni gubernaculis admovendum Caſimirum. Neſciebatur quo loco degeret Caſimirus, legati gentis ab ejus Matre addiſcunt verſari apud Cluniacum, eo legati pergunt, & apud Abbatem Odilonem causâ legationis expoſitâ, ſummaque regni in ultimas anguſtias redacti neceſſitate, optimatum conſenſu & populi votis, veniam impetrant viſendi Caſimiri, qui diutinæ quieti aſſuetus, curiſque ſæculi prorſus abdicatis, voto duplici ſe tuetur, & Monaſticæ profeſſionis, & ſacri quo erat inauguratus ordinis. Abbas Odilo, conſulit aditum ad Supremam ſedem, ejuſque ſtandum eſſe judicio monet. Eo tempore Benedictus nonus annum agebat ſui Pontificatus octavum, illum legati conveniunt, & impenſe obſecrant, Caſimirum ſibi concedi, & cum eo de nuptiis diſpenſari, ne quando populi, ob regiæ prolis defectum, in eaſdem calamitates reciderent. Urgebat regni graviſſima neceſſitas, obſtabat tamen hujuſmodi ad matrimonium diſpenſationis novitas, cujus nullum hactenus ſuppetebat exemplum. Benedictus re mature expensâ fuſis ad Deum multiplicibus precibus, & nonnullis pro votorum commutatione piis conditionibus inventis, legatorum & totius Regni deſideriis acquievit, eaque res pacem & felicitatem in Regnum invexit.

7. Nec minor poſt biennium, ſub eodem Benedicto nono, facta in Regno Angliæ commutatio. Sciendum Danos ſæpius Angliam invaſiſſe, Anno enim Chriſti 874. ab eis multis victus præliis Boerredus Merciorum in Anglia pientiſſimus Rex, tandem Danis Regno cedere coactus eſt, eoque profugus Romæ obiit. Ticini autem Regina, quæ ipſum ſequuta fuerat, morte extincta eſt. Anno poſtmodum 1011. novam infeſtationem eamque graviſſimam à Danis paſſa eſt Anglia, qui omni crudelitate & libidine debaccati ſunt, Angloſque ad fœdus coëgerant, cujus ipſi perpetui & publici infractores fuere, uxores & filias virorum nobilium vi opprimentes, & ubique ludibrio tradentes, & privatorum bona diripientes. Quâ ex causâ Ethelredus Anglorum Rex, ſecretò literas ad omnes Regni fines ſcripſit, ut omnes Dani per univerſam Angliam diſperſi furtivo impetu interimerentur. Atque ita ab illorum tyrannide Anglia tantiſper reſpiravit. Annoque 1016. mortuo Ethelredo, ex Anglo-Saxonum ſtirpe Anglorum Rege, communi Anglorum conſilio vocatus eſt in Regnum Canutus Danorum Rex qui poſt Patrem Suenonem inſulam illam armis occupatam

cupatam poſſedit. Magna inter hos Reges contigit fortunæ viciſſitudo, Sueno enim Rex Danorũ Ethelredum Angliæ Regem cōpulit inſulâ excedere circa annum 1013. Ethelredus ergo victus ad uxoris ſuæ Emmæ fratrem Ricardum ſecundum Normanniæ Ducem cum duobus filiis ex ea ſuſceptis Alfredo & Eduardo confugit. Hujus auxilio poſt Suenonis mortẽ ejus filio Canuto in Anglia regnante, regnum recuperat Ethelredus, ſed ab Canuto poſtea ſuperatus moritur anno 1016. & Canutus demum ſublatis æmulis ſolido Regno fruitur. Cum vero Canutus fatis conceſſiſſet regnum Alfredo Ethelredi filio defertur & poſt hujus obitum ejuſdem fratri Eduardo: qui paternum Regnum recepit, fretus Goduini Angli poteſtate cujus Editham filiam conjugem accepit, cum qua tamen de mutuo conſenſu virginitatem in matrimonio ſervavit illibatam, vivens Eduardus beneficiorum à Ricardo Normanniæ Duce acceptorum memor filium ejus Guilielmum Nothum Normanniæ ſucceſſorem hæreditarium, ſui quoque regni ſucceſſorem elegit. Sed ſtatim atque in cœlum morte commigravit Eduardus, anno 1066. Haraldus Goduini filius fraterque Edhitæ Regnum ex improviſo occupat. Sed Guilielmus Nothus traductis ex Normannia validiſſimis copiis cum Haraldo conflixit ejuſque exercitum profligavit, in quo Haraldus ipſe fortiter pugnans occubuit. Quo ex tempore Normanni in Britannia longa hæredum ſucceſſione regnarunt.

8. Turcæ, gens ſcythica, montis caucaſi accolæ, quos referunt Nicephorus in Breviario, Theophanes & Cedrenus, ab Heraclio Imperatore olim conductos victoriam illi de Perſis peperiſſe, magna hoc undecimo ſæculo incrementa rebus ſuis addiderunt. Caſpiis quippe iterum egreſſis portis ſub Perſis ſtipendia meruerunt, à quibus Mahumethanam hauſere ſuperſtitionem ſub annum 1042. ſed mox converſis adverſus ipſos Perſas armis, eorundem ampliſſimas regiones ſubegerunt, indeque torrentis inſtar ſe in Bithyniam, Capadociam, cæteraſque minoris Aſiæ Provincias infuderunt. Primus eorum Sultanus, cujus ductu Perſidem occuparunt, à Græcis quibuſdam Gragolipix, ab aliis Gragolipax dicitur, quando Conſtantinus Monomachus Græcorum regebat Imperium.

9. Anno 1046. Henricus ſalutatus eſt Romæ hujus nominis ſecundus Imperator à Gregorio Papa VI. cui tamen negotium faceſſere non eſt veritus, hoc ſolo nomine, quia ſuus conſenſus in illius Pontificis creatione non fuerat expetitus. Ipſe Gregorius, prævidens hac de cauſa oriturum ſchiſma ſponte ſe Pontificio abdicavit, antiquam illam Gregorij Nazianzeni ſe Conſtantinopolitano Throno dimittentis moderationem imitatus. Tunc vero ab Henrico expetitus electus eſt Suidgerus, natione Germanus, Bambergenſis Epiſcopus, cui Clementis II. inditum nomen. Ea res deterrimum ſuppeditavit exemplum Henrici ſucceſſoribus, Hæreſimque dictam Henricianam conſtabilivit, ſacram & Eccleſiaſticam poteſtatem Principibus & Magiſtratibus laicis indigne ſubijcientem. Henricus poſtquam res Italiæ ad ſuum arbitrium compoſuit, metuens ne per ſuam abſentiam Clementis electio aliqua factione turbaretur, Gregorium abdicatum ſecum in Germaniam abduxit, cui Comes adhæſit Hildebrandus, qui in ea profectione Cluniaci in Gallia ſubſtitit, ibique monaſticum profeſſus eſt inſtitutum. Mortuo haud multo poſt Clemente, Henricus Romam miſit Popponem Epiſcopum Brixienſem ut Pontifex conſecraretur, qui omnium ſuffragiis approbatus, Damaſi II. nomen habuit. Sed hoc brevi defuncto, ne diutius Eccleſia indebito jugo cervicem ſubijceret, miſſa eſt à Romanis ad Henricum legatio, non ut ipſe Imperator Papam eligeret, ſed quem maxime utilem fore judicaret, Romam mitteret, ut ex more à Concilio Cardinalium in ipſa urbe eligeretur. Henricus maximo totius Eccleſiæ commodo Brunonem Tullenſium in Leucis Epiſcopum ex nobili Francorum proſapia oriundum Romam miſit, qui ſecum ex Tullenſi Eccleſia, eximij virum ingenij atque prudentiæ Humbertum, factum poſtmodum Cardinalem & Legatum, cujus opera in rebus arduis, Eccleſiæ ſummam contulit gloriam & utilitatem, adduxit. Cum vero Bruno aſſumptâ Pontificali purpurâ, iter proſequeretur & Cluniacum eſſet ingreſſus, reprehenſus eſt ab Hildebrando Monacho (cujus ſuperius mentio facta & inferius quoque ſub nomine Gregorij Papæ VII. facienda) quod inſignia ſupremi Pontificatus ferre anteverteret, perinde ac ſi jam eſſet à laica manu conſequutus. Bruno huic morem gerens Pontificiam purpuram ſine mora exuit, & Hildebrandum reliqui itineris comitem habere voluit, poſtquam autem Romam Bruno attigit, lætanter exceptus, atque legitimis ſuffragiis electus, confirmatuſque fuit nomen ſortitus Leonis IX.

10. Michaël Cærularius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, improbi vir ingenij Romanam Eccleſiam ſcriptis oppugnavit anno 1053. quem Leo Nonus erudite confutavit. Sequente anno legatos Conſtantinopolim miſit

miſit Humbertum, Silvæ Candidæ Epiſcopum, & Fridericum ambos Cardinales, cum Petro Amalphitano Epiſcopo, qui perbenigne excepti à Conſtantino Monomacho Imperatore. Humbertus oppoſitum ſibi Nicetam Cœnobij ſtuditarum Monachum cognomento pectoratum, qui adverſus Apoſtolicam ſedem ſcripta ediderat, tanta vi diſputando refellit, ut ad publicam palinodiam adegerit. Cerularium vero in errore pertinacem legati publicè damnarunt.

11. Normannus eques Tancredus Altavillanus ex duobus matrimoniis duodecim ſuſceperat liberos mares multaſque filias, cumque illius opes tam numeroſæ atque nobili proli non ſufficerent, ſolo retento domi primogenito, reliquis undecim ſuaſit ut fortunam armis in Apulia quærerent, in qua Normanni dudum gloriam inſignem adepti erant. Illi, aſſumptis ſecum multis amicis, eo perrexerunt. Iis temporibus contigit magna pro Normannis occaſio & ſeges gloriæ: cum Græcis enim tribus ſubinde generalibus præliis in Apulia & Calabria congreſſum eſt, Græcique Normannorum virtute ter profligati; victores Normanni creato ſibi Duce Guilielmo ſtirpis Altavillæ, utriuſque Provinciæ ſibi dominationem aſſeruerunt. Illi ſucceſſit Drogo frater, Drogoni Humfredus, pariter frater. Sub hæc Leo Papa bellum Normannis indixit, hoc jure quia Provinciæ quas occupabant ad Romanæ Eccleſiæ dominium pertinuerant, poſt Græcorum Iconomachorum Apoſtaſiam, ideoque Græcis invaſoribus iterum depulſis debere ad Romanæ ditionem Eccleſiæ reverti. Normanni ad illam ſupremi Eccleſiæ dominij reverſionem conſentiebant, hoc unum petentes ut quoniam ſua virtute & periculis Græcos exegerant, liceret ſibi eaſdem terras clientelæ ac beneficij jure; ſub tributi & obſequij præſtatione tenere. His rejectis Leo ingentes Germanorum copias ab Henrico impetrat, aliaſque ex univerſa cogit Italia, & in Normannos à ſe excommunicatos dux ipſe belli magno apparatu contendit. Acies conſeritur, Leonis copiæ grandi internecione profligantur. Leo ex acie fugiens in arcem munitam ſe recipit, ibique à Normannis obſeſſus & in extremas redactus anguſtias, de pace agit. At Normanni à quibus Leo multo graviora formidabat, id unum proponunt & rogant ut à Leone ſolvantur excommunicatione, poſſintque deinceps beneficiario jure, Romanæ ſedis quas armis ſubegerant terras, ſub cenſus obſequij obligatione poſſidere. His converſis Humfredus ad Leonis pedes ſe objecit, eumque honorifice Beneventum uſque deduxit. Hactenus, (inquit Baronius) ignoraverat Leo Pontifex, qui tanto æſtu Imperatorem utrumque Græcum & Germanum adverſus Normannos concitaverat, Dei conſilium eſſe, ut quos tantopere perſequebatur, haud multo poſt Catholicam fidem ſuis armis intra ipſam Schiſmaticam Græciam promoverent, & Imperatores Germanos internecino bello, & odio Romanum Pontificem perſequentes in turpem fugam cogerent, atque ab Italiæ cervicibus amolirentur. Mortuum Humfredum frater excepit Robertus Guiſcardus ſtirpis Altavillanæ præcipuum decus anno 1058. Hic in Apulia Troiam, Græcorum à quibus condita fuerat munitiſſimum propugnaculum, & in Calabria Rhegium multaque oppida & arces cepit, Græcoſque penitus Italiâ pepulit. Nicolaus Papa ſecundus, Roberto quæcunque ipſe fratreſque ipſius bello acquiſierant in dominium tradidit ſubalternum ſub annuo cenſu Romanæ Eccleſiæ pendendo, ſolâ ſibi reſervata omnimodâ Beneventi dominatione; inveſtituram eidem pariter indulſit Siciliæ à Saracenis detentæ, ad quam nondum Normanni pertigerant. His in Apulia ultro citroque conventis, Nicolaus inde excedens Robertum cum valido ejus exercitu adduxit, ejuſque viribus Romanam Eccleſiam à tyrannis à quibus tot inſignes contumelias & vexationes pertulerat vindicavit, ſolo æquatis illorum arcibus & munitionibus Comitum Tuſculanorum, Præneſtinorum, Nomentanorum, & Galeriæ anno 1059. prædicta referuntur à contemporaneis Scriptoribus Leone Oſtienſi Hermanno & Aragone.

12. Robertus Apuliâ excedens bellum in Siciliam infert anno 1060. terminatque anno 1072. quo pulſis omni parte Saracenis univerſam Inſulam ſubjugavit. Inde in Italiam reverſus, Græcos qui eo in Sicula expeditione occupato, rurſus Calabriam infeſtabant omni regione, omnibus illorum receptis oppidis fugavit, indeque tantis ferox victoriis, quietiſque impatiens arma in Campaniam, aliáque loca ad Romanam Eccleſiam pertinentia circumtulit. Qua ex cauſa Gregorius Papa VII. dictus olim Hildebrandus anathemate illum perculit. Quibus ſolis armis invictum alioquin Robertum ad officium & debitum reduxit obſequium.

13. Poſt hæc admiranda facinora nihil ille minus cogitavit quam atrociſſimum bellum in ipſa Græcorum Imperij viſcera inferre, & impiæ genti ereptam in ſe transferre Orientis dominationem: idque proculdubio præſtitiſſet, niſi ſtudium defendendi ab altero impio Imperatore ſummi Pontificis ipſum à feliciſſimis

feliciſſimis cœptis & victoriis avocaſſet. Alexius Comnenus qui famam bellicæ peritiæ, rebus ſub Nicephoro Botoniate ſe duce feliciter geſtis, comparaverat, ipſo demum Botoniate pulſo, Imperium per vim & fraudem occuparat. Adverſus eum Robertus molitur bellum, & claſſe inſtructâ, ſecundum Leonem Oſtienſem quindecim millium hominum, aut ſecundum Ordericum decem millium dumtaxat, ſoluit Hydrunte, atque in Macedoniam delatus Dirachium munitiſſimam urbem obſidet. Alexius in auxilium occurrit cum centum & ſeptuaginta millium exercitu: acie decernitur, cujus victoria penes Robertum ſtetit. Et Alexius poſt horrendam ſuorum ſtragem Conſtantinopolim fugâ ſe recipit. Novam ibi parat expeditionem ad ſoluendam Dirachij obſidionem, ſuas inſtaurat copias, & à Venetis Normannorum æmulis numeroſas copias impetrat: quibus præficiunt proprium principem ac ducem Sylvium. Robertus, collectis quantas potuerat viribus, aciem cum Græcis & Venetis confligit, & utriſque fuſis Dyrrachium occupat, ſimulque Sariſſam, Castorium, aliáſque urbes. Jamque muris Conſtantinopolis imminebat, cum literis à Gregorio Papa miſſis Romam accerſitur quam Henricus tertius Imperator occupabat, ipſumque Pontificem arctâ obſidione arce Sancti Angeli incluſum premebat. Gravis erat Pontificem inter & Imperatorem Henricum contentio, iſto Epiſcopos & Abbates propriâ authoritate, quinetiam quam ſæpiſſime pretio, conſtituente per vulgo dictam inveſtituram: illo id fieri per iteratas excommunicationes prohibente; initium Schiſmatis ortum eſt anno 1076. quo Gregorius Henricum communione fidelium excluſit. Interim Saxones ab Henrico deficiunt & Rodulfum Sueviæ ducem Regem eligunt, qui Henricum fuſo ejus exercitu in fugam compulit anno 1080. At ſecundo conflictu Rodulfus fortiter pugnans occubuit. Eôdem ſucceſſu elatus Henricus, Guibertum Ravennatem Epiſcopum à Gregorio ante triennium Anathemate damnatum, in ſuorum conciliabulo, Papam conſtituit, à quo, & Romæ in arce ſancti Angeli Gregorio intercluſo, Inſignia ſumpſit Imperij anno 1084. Alexius Comnenus magnâ pecuniæ vi cum Henrico pactus fuerat, ut imminentem Orientis Imperio Robertum bello diſtineret: Sed Henricus contra jurisjurandi fidem ad reconciliandos ſibi Romanorum animos largitionibus inſumpſit: collocavitque cum præſidio Guibertum in Lateranenſi palatio. Sed Henricum Roberti adventus ita perterruit, ut raptim Româ decedens, Germaniam contento curſu repetierit. Robertus ut rebelles cives ad trivia in armis ſtantes & repagulis communitos ad extinguendum incendium revocaret, flammis magnam urbis partem incendit; viamque hoc modo aperuit ad arcem, ex qua Gregorium ad extrema redactum eduxit, & Salernum abduxit, ubi mortem oppetiit, anno ſecundum Leonem Oſtienſem 1084.

14. Pio iſto Robertus officio perfunctus in Græcos iterum bellum apparat, cui Græci ſimul & Veneti copiis ingentibus occurrunt: ſed iterum virtute Roberti fuſi & in fugam verſi ſunt. Quam ejus poſtremam victoriam mors excepit, conditusque jacet Venuſij Apuliæ, in æde Trinitati ſacrâ. Hujus excepit ſeu potius invaſit ſucceſſionem Rogerius ejus minor natu filius, prior natu Boëmundus aberat, bello diſtentus contra Græcos. Inde gravia inter fratres orta diſſidia; donec hortatu principum ad ſacram expeditionem Godofredo Bullionio ductore proficiſcentium, ſe illis adjunxit, ſuâque virtute meruit omnium conſenſu Antiochiæ principatum.

15. Eſt vero memorabilis hoc ſæculo Romani Diogenis Imperatoris Conſtantinopolitani vita & fortuna. Anno 1068. diem obiit extremum Conſtantinus Ducas Imperator Græcorum, poſtquam eidem Eudoxia conjunx per Syngrapham in manum Patriarchæ Joannis Xiphilini depoſitam, interpoſito jure jurando pollicita eſt ſe in viduitate permanſuram, & filiis Imperium conſervaturam: Illa tamen amore Romani Diogenis victa, ejus nuptias appetiit, quas ut iniret vafrum quendam Eunuchum ad Patriarcham miſit, cui mentitus eſt Imperatrici cordi eſſe ipſius Patriarchæ Germanum Bardam in conjugem accipere, niſi Syngraphâ prohiberetur. Quod ut Patriarcha accepit ſummo ſtudio apud Senatores egit de infirmando Eudoxiæ juramento, iiſdemque in ſententiam ſuam adductis Syngrapham Eudoxiæ remiſit, cum diſpenſatione ad ſecundas nuptias. Illa vero, Patriarchâ deluſo, filijs ipſis conſentientibus, Romanum Diogenem virum accepit, ut refert Curopalates, ſugillans Patriarchæ ignaviam, quod privato commodo poſthabuiſſet religionem. Diogenes, accepto quaſi dotali Imperio bello adoritur Turcarum Sultanum Aſamuan,



Digitized by Google

quem pacem infimis precibus deprecantem Diogenes ferociter repellit, cumque Turcas ad noctem fuiſſet proſequutus, & ad poſtremam quam reſervarat aciem, rediret, copiæ illæ exiſtimantes concito curſu redeuntem, hoſtibus inſequentibus terga vertiſſe, ſe quoque in fugam dederunt: quâ bene occaſione uſi Turcæ victoriam adepti ſunt inſperatam, ipſumque Imperatorem captivum adduxerunt. Laudem ſummam meretur Sultani modeſtia, qui perbenigne accepto Imperatore, cum in menſâ eum Sultanus interrogaſſet, quid mihi feciſſes ſi me in tuâ habuiſſes poteſtate? Ille nihil diſſimulans multis plagis corpus tuum confeciſſem. At ego ait Sultanus, tuam crudelitatem non imitabor, audio namque veſtrum præcipere Chriſtum pacem, & oblivionem injuriarum, & præſtitit ex animo dux Barbarus quod promiſit. Inito enim cum Imperatore pacis perpetuæ mutuo ſervandæ fœdere, ipſum cum omnibus etiam captivis relaxavit. Sed qui tam mirabilem expertus fuit ab hoſte Mahometano quem bello provocarat humanitatem, paſſus eſt horrendam à ſuis crudelitatem. Perlato in urbem de clade nuncio, alius conſtitutus eſt Imperator Michaël ejus quem memoravi Conſtantini Ducæ filius, & Eudoxia Auguſta in Monaſterium detruſa. Michaëlis juſſu miſſus in occurſum Diogenis Andronicus, eundem captum nigrâque veſte indutum, muloque impoſitum perduxit, quem juſſit novus Imperator oculis confodi, & vulneribus non curatis cum ejus caput intumuiſſet, vermibuſque ſcateret, & velut oſtentum viſu horribile omnium expoſitus oculis, inter acerrimos dolores, quos tamen admirabili, planeque Chriſtianâ patientiâ toleravit, extinctus eſt. Hæc ſcripſere Zonaras, Glycas, & Conſtantinus Manaſſes: contigitque illius mors anno 1071.

16. Urbanus Papa ſecundus generale Concilium apud Clarum montem in Aluernis anno 1095. celebravit, in quo Chriſtianos ad ſacram Paleſtinæ expeditionem tanta vi exhortatus eſt ut collectis undique copiis ſexcenta Peditum, Equitum centum & amplius millia recenſita ſint. Rem mirifice urſit Petri Eremitæ nobilis Galli ex Paleſtina legatio, cum multis quas attulit literis Chriſtianorum ſervitute in Oriente oppreſſorum ad Principes Occidentis, qui pacem inter ſe inierunt aut inducias, ut omnes ad unum ſacrum bellum intenderent. Hoc veluti Claſſico tota Europa perſtrepente certatim hanc in militiam adſcripti ſunt magnanimi Heroes, deſiderio æſtuantes propagandæ Sacræ Religionis, aſſerendæ Chriſtianorum libertatis ſub jugo diræ ſervitutis toto Oriente gementium. Sacræ huic militiæ nomen dedere Principes præſertim inſignes nobiliſſimi ſanguinis & vitæ prodigi, felicitatis ſummæ loco ducentes omnes ærumnas, immenſoſque difficillimæ expeditionis labores ſubire, mortemque pro Chriſto glorioſam oppetere. Ex Gallia igitur, Italia, Germania, ( nam Hiſpani ſuis Mauris implicabantur, ) inter Principes conſcriptos eminebant Hugo Veromanduorum Comes Philippi primi Francorum Regis frater, Raimundus Comes Toloſanus, Robertus Comes Flandriæ, Robertus alter Normanniæ Dux, Stephanus Carnutum Comes, Godefridus Bullionius Dux Lotaringiæ qui in eam expeditionem Bullioniam toparchiam vendidit, regno Jeroſolymitano mox donandus in præmium, ejuſque duo fratres Balduinus & Euſtachius, Guillielmus Foriſienſis Comes, aliique proceres ultra ducenti. Quibus deinde adjuncti in Italia Boëmundus primogenitus Guiſcardi illius celeberrimi primogenitus & Tancredus. Rogerium Apuliæ occupatorem perculit fratris à ſe offenſi virtus, cum quo profeſſus eſt omnia in poſterum futura communia, lubenſque Tancredum filium generoſi ſpiritus adoleſcentem dedit patruo in conſortium periculorum & gloriæ. Superatis difficultatibus innumeris quas perfidioſus Græcorum Imperator Alexius Comnenus contra pactam fidem tranſeuntibus per Græciam tum commeatus & annonæ ſuppreſſione, tum nocturnis & in opinatis aggreſſionibus, tum diſpoſitis itinerum inſidijs, adverſus Latinos ſuſcitaverat, ubi trajecto Boſphoro in Aſiam perventum eſt, primus belli turbo Nicæam Bithyniæ urbem propugnaculis validis, & præſidijs munitiſſimam perculit. Solimannus Aſiæ minoris dominator ſexaginta Turcarum millibus proximos montes inſederat ſæpius cum illis dimicatum eſt, ſed nunquam ſine gravi Turcarum ſtrage. Urbs ipſa tandem poſt quinquageſimum oppugnationis diem deditione capitur. Poſt Nicæam expugnatam novoque munitam præſidio, commeatûs facilioris gratia duces exercitum partiuntur, Boëmundo partem unam, Godefrido alteram ducentibus. At Solimannus Sultanus nuſquam animum deſpondens ratus deleri poſſe diviſas copias totis viribus in Boëmundum impetum facit, dum caſtris poſitis militem feſſum reficeret; Et imparem haud dubie obruiſſet, niſi per celeres

nuncios

Digitized by Google

nuncios Godefridus certior periculi factus Hugone comite advolaſſet cum quadraginta equitum millibus. Acerrimum prælium nox diremit, & fuga Solimanni, cæſis quadraginta Turcorum millibus, victoriam Chriſtianis aſſeruit. Pari noſtrorum virtute & ſucceſſu ſubacta eſt poſt minorem Aſiam minor etiam Armenia & Cilicum ora. Inde in Syriam ventum eſt. Antiochiam ſedem Imperij & Syriæ caput duplici muro vallatam exercitus obſidione aggreditur. Ad ſeptimum menſem producta eſt oppugnatio, multis hinc inde cædibus nec vitæ parcitum magna utrinque pugnantium fortitudine: tandem urbs capta, & ejus cum circumſtantibus oppidis & arcibus dominium omnium conſenſu traditum Boëmũdo, arx ſupererat civitatis ſitu & præſidio munitiſſima quã Boëmundus impugnãs femur jaculo trajicitur. Aderat Corbanes Perſa cum ducentis hominũ millibus, neque ſervari urbs niſi per novam victoriã poterat. In dimicatione præferebatur lancea qua Chriſti in cruce ſacroſanctum latus fuerat perfoſſum nuper inventa Antiochiæ. Hoc redemptionis humanæ monimento incenſi noſtrorum animi irruptionem acerrimam in Perſas aggrediuntur, eo ardore ut cæſis centum millibus acies reliqua diſſipata ſit, & hoſtilia caſtra opulentiſſima direpta, noſtros penuriâ laborantes & fatigatos abunde refecerint, Raimondus in Cæſareæ obſidione ſtrenue hæret quæ tandem expugnata illi in præmium fortitudinis ceſſit. Godefridus Jeroſolymam ſanctam civitatem obſidet omni ope defenſam, primuſque murum tranſcendit, reliqui bellatores illum ſequuti vivido impetu in urbem irrumpunt, & capiunt. Bullionius Godefridus unanimi conſenſu Rex ſalutatur, quem titulum modeſtè recuſat, nec coronari ſe patitur in ea ut dicebat urbe in quâ Rex regum ſpineam coronam crudelemque & ignominioſam mortem ſubierat. Ægypti Sultanus ingentem conſcripſerat exercitum ex centum equitum millibus, multoque majore peditum numero, quo Chriſtianos ad viginti millia redactos conficeret ac exterminaret. Sed Godefridus ingenti animi robore confirmatum militem eduxit in aciem omnino palmariam; quâ occiſa centum hoſtium millia cæteris magna ex parte ſauciis in fugam actis, ac tota Palæſtina victori ſubdita & confirmata eſt, accurentibus terrâ marique novis militum ſupplementis ex Occidentis Provinciis. Fuit vero Hieroſolyma expugnata anno 1099. Julij 15. die feria 6. hora circiter diei nona ut obſervat Guillielmus Tyrius. Fuitque Godefridus Bullionius Euſtachij Bononienſis Comitis filius Ida matre Godefridi Gibboſi Lotharingiæ ducis ſorore, qui ſine liberis moriens cognominem ſororis filium inſtituit hæredem & ſuceſſorem.

17. Sæculum iſtud multis Cœnobiorum inſtitutis initium dedit, Camaldulenſium per Romualdum Abbatem, Vallis umbroſæ per Joannem Galbertum, Ciſtercienſium per Robertum Abbatem, inſuper cœnobitarum Sancti Antonij qui exorti ſunt anno 1095. Pontifice Urbano ſecundo approbante: quos poſtmodum Bonifacius VIII. diplomate ſuo in regulares canonicos erexit. Prodiit ſimul ordo Cartuſianorum per Brunonem, cujus initia Ordinis conſcripſerunt graves ejuſdem ætatis ſcriptores Petrus Cluniacenſis, rerum mirabilium ſtudioſus conquiſitor lib. 2. miraculorum c. 28. Guibertus Abbas Nongentinus, & Sigebertus, apud quos tamen nulla mentio canonici Pariſienſis, qui poſt obitum dum ejus exequiæ peragerentur damnationis ſuæ judicium nunciaverit.

18. Doctis ac piis ſcriptis hoc ſæculum illuſtraverunt Fulbertus Carnotenſis, & Burcardus Vvormacienſis digniſſimi ambo Epiſcopi. Abbates quoque Odilo Cluniacenſis, Berno Augienſis, Rodulfus, Glaber, Hermannus Contractus, Monachi, Leo Pontifex nonus, Humbertus Cardinalis Silvæ Candidæ Epiſcopus, & Petrus Damiani pariter Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Adelmannus Epiſcopus Brixienſis & Guitmundus Averſanus Epiſcopus. Hi tres adverſus hæreſim Berengarij pios & eruditione refertos ſcripſere libros. Anſelmus Cantuariæ Archiepiſcopus, alterque Anſelmus Laudunenſis author interlinearis Gloſſæ, & commentariorum in Cantica & in Apocalipſim: quamvis ob nominis ſimilitudinem attribuantur etiam Cantuarienſi, ſed Edinerus ferens Catalogum librorum Cantuarienſis nullius horum meminit. Item Bertoldus Conſtantienſis, Micrologus, Lambertus Scafnaburgenſis, Bruno Cartuſianus, Ivo Carnotenſis Epiſcopus, Marianus Scotus Monachus Fuldenſis. Ex Græcis Zonaras qui ſuam in Alexio Comneno hiſtoriam terminavit, Georgius Cedrenus, Joannes Curopalates hiſtorici. Præcipuam vero inter ſæculi ſcriptores Græcos meruit laudem Theophylactus Bulgarorum Archiepiſcopus.

## *CONCILIVM ÆNHAMENSE in Anglia circa Chr. an.* 1010.

1. INITUM fuit Joanne XVI. Pontifice circa Chriſti an. 1010. ſub Anglorum Rege Æteldredo, præſeditque Archiepiſcopus Eboracenſis.

2. Can. XI. præcipitur de cenſu Romæ debito ſeu denario Sancti Petri, ut quotannis ad feſtum Sancti Petri ad Vincula perſoluatur. Cenſum eundem confirmat in ſuis legibus Eccleſiaſticis Sanctus Rex Eduardus cap. 10. ut à ſingulis patribusfamilias per ſingulas domos pendatur, ſed ſi quis plures habet domos pro illâ ſoluat quam inhabitat: jam inde à Domini anno 740. Angliæ Occidentalis Rex Ina id tributum in honorem ſancti Apoſtolorum Principis, ſingulis Regni ſui domibus indixerat. Anno deinde 775. Offa Marciorum ſive Orientalium Anglorum Rex par tributum miſſis Româ queſtoribus exſoluendum ſuis ſubditis præſcripſit. Anno deinde 1213. Joannes vulgo ſine terrâ cognominatus, ut ab eôdem Papâ Innocentio tertio à quo fuerat diris devotus, præſidium adverſus impugnantem ſe Philippum Auguſtum impetraret, Franciæ Regem, quem ipſe Innocentius ad id bellum concitaverat, Angliæ, Hiberniæque Regna Romano Pontifici ſubjecit, quæ indicto annuo ſterlinorum mille tributo, beneficij loco, deinceps poſſideret.

Can. XIV. *Si corpus aliquod extra ſuam Parochiam quis poſuerit, ſoluat nihilominus pecuniam (quod Symbolum animæ dicitur) illi Eccleſiæ cui corpus famulabatur vivens.*

De funerariâ portione Parrochiali Eccleſiæ debitâ ſi corpus alibi ſepeliatur, vide c. cum ſuper c. certificari de ſepult.

## *CONCILIVM AVRELIANENSE anni* 1017.

1. SEDENTE in Romanâ Cathedrâ Benedicto Papâ octavo Chriſti ſalvatoris anno 1017. qui fuit Regni Roberti vigeſimus, deprehenſa fuit nefaria Secta quæ ſenſim ut cancer in Regno Franciæ ſerpebat, de qua ſcribunt Glaber, Rodulfus Hiſtoriæ ſuæ lib. 3. cap. 8. Ademarus Monachus, & Commentarij author quem ex Archivis Cœnobij Sancti Petri in valle prope Carnutum in lucem edidit Lucas Dechetius tô. 2. ſpicilegij. Fanatica quædam mulier Itala in Galliam peſtem hanc invexerat, duos quoque magni nominis Sacerdotes ſcientiâ & apparenti virtutum ſpecie inſignes, & apud Regem & aulæ proceres gratiâ provectos Liſoium, & qui Reginæ Conſtantiæ erat à confeſſionibus Stephanum Heribertum & Theodatum Eccleſiæ Aurelianenſis canonicum cantorem, ſapientiæ & Religionis exiſtimatione, & in pauperes munificentiâ celebres, illuſoriis Cacodæmonum oſtentis ita dementaverat, ut de uno trinoque Deo fidem abnegarent, mundum qualem nunc videmus ab æterno extitiſſe crederent, nullam voluptatum Carnalium pertimeſcendam eſſe in altera vitâ pœnam, nulla itidem laboribus & ærumnis pro virtute ſuſceptis præmia reſervari perſuaſum haberent; Nocturnos etiam conventus cum mulieribus celebrarent, in quibus Dæmon ſe viſibilem exhibebat: ipſi vero cum mulieribus dato ſigno abſque ullo cóſanguinitatis diſcrimine, candelis extinctis congrediebantur, partus vero ex nefario congreſſu editos poſt octavum diem igne crudeliter cremabant, eorumque cineres pro Euchariſtia venerabiliter aſſervabant, atque in communionem & in Viaticum ſuis gregalibus impertiebantur. Magna vero ſollicitudine cavebant ne ſecta ſua aliis quam ſodalibus innoteſceret. Hujus tamen ſodalitij fama percrebuit, Religioſiſſimumque Regem Robertum poſt accuratam perquiſitionem movit ad indicendum Aurelianis Concilium, ut hæc tanta pernicies extirparetur. Multum laboratum eſt ut rei ſuſpecti convincerentur, qui tandem poſt multiplices ludificationes confeſſi, nullâ ratione adduci potuerunt ut à ſuſcepto errore reſilirent, Theodati ante triennium mortui cadaver è tumulo erutum fuit. Liſoius & Heribertus Sectæ Principes cum aliis duodecim, cum in obſtinatione perſiſterent, ſolemni ritu de gradu Eccleſiaſtico dejecti, regiæque poteſtati traditi ſunt, quæ vivos flammis cremari juſſit, at illi Dæmonis arte ſeducti ſe ignibus applicari velle jactabant, nihil damni ſe inde ſenſuros aſſeverantes, ſeſeque ultro Lictoribus & Carnificibus offerebant. Tum Regina quæ in Concilio Regi Roberto ab horâ primâ diei ad veſperam uſque aſſederat, extra Baſilicæ valuas progreſſa ne concurſu populi executio ſententiæ interturbaretur, occurrenti Heriberto baculi quem manu tenebat extremitate, oculum confodit. Cumque extra urbem adducti accenſo rogo acerrimè præter ſpem à ſe conceptam cruciarentur, ſe arte diabolicâ peſſimè deceptos vociferabantur, ſe hactenus de Deo male ſenſiſſe, ideoque ſe temporalibus & mox æternis ignibus eſſe cruciandos. His auditis multi circumſtantium humanitatis ſenſu conati ſunt ſi quos poſſent ab ignibus eripere, ut ſpacium eis pœnitentiæ ſalutaris indulgeretur, ſed vindices flammæ illorum acceſſum prohibuerunt, & deſperantes reos abſumpſerunt.

## *CONCILIVM SALEGVSTADIENSE anni* 1022.

1. SALEGUSTADINUM Caſtrum aut Vicus in Provincia Moguntiæ quo convenere ad Synodum Aribo Archiepiſcopus Moguntinus, & alij plerique Germaniæ præſules, quos inter eminebat Burcardus Epiſcopus Vvormatienſis doctrinâ vitæque ſanctitate clarus, qui & Concilium iſtud ſuis decretorum libris intexuit, initum fuit anno ſalutis 1022. ſub Benedicto Papa VIII. Imperante Germanis Henrico primo, Franciſque Regnante Roberto.

Can. VIII. *Decretum eſt ut nemo gladium in Eccleſiam portet Regali tantum excepto.*

Can. IX. *Statuit etiam ſancta Synodus ut mala conſuetudo quæ jam apud omnes pene inolevit omnino prohibeatur: id eſt quod colloquia ſua in atrio alicujus Eccleſiæ conſtituunt habenda, & tunc ea in ipſa maxime exercent Eccleſiâ, ubi orationes & divina tantum fieri æquum eſt officia.*

Can. XII.

Can.XII. *Statutum eſt etiam ut ædificia laicorum quæ Eccleſijs adjuncta ſunt auferantur, & nulla in atrio Eccleſiæ ponantur niſi tantum Presbyterorum.*

2. Can.XIII. *Item decretum eſt ut nullus laicorum alicui Clerico ſuam commendet Eccleſiam præter conſenſum Epiſcopi: ſed eum prius ſuo mittat Epiſcopo vel ejus Vicario ut probetur ſi ſcientiâ, ætate & moribus talis ſit ut ſibi populus Dei commendetur.*

Fuerat hoc idem in Concilio Viennenſi ſtatutum ſub Formoſo Papâ & Eudone Francorum Rege anno 892. cujus can.4. ita ſancit: *Vt nemo ſecularium Eccleſias dare vel offerre abſque Concilio & voluntate Epiſcoporum, ad quos ipſæ Eccleſiæ pertinent, præſumat. Et ut nulli cenſus à Presbyteris loco muneris ad introitum ut dicunt Eccleſiarum exquirantur, aut vi aliqua extorqueantur.* Eadem de Patronis Eccleſiarum iteravit Concilium Bituricenſe anni 1031. can.22.

3. Can.XVIII. *Quia multi tantâ mentis ſuæ falluntur ſtultitiâ, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœnitentiam à Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maximè confiſi ut Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt Concilio ut talis indulgentia illis non proſit, ſed prius juxta modum delicti pœnitentiam ſibi datam à ſuis Sacerdotibus impleant & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam & literas ad Apoſtolicum ex eiſdem rebus deferendas accipiant.*

His adhuc temporibus perſtabat antiqua publicarum pœnitentiarum diſciplina, & diuturna communionis Euchariſticæ ſuſpenſio, cum auſteris jejunijs, alijſque corporis animique afflictionibus conjuncta, juxtà admiſſorum delictorum gravitatem. Neque obliterata erat omnino avita illa obſervantia, ne in ullis Eccleſijs admitterentur fideles niſi eſſent propriorum Epiſcoporum literis formatis præmuniti. Cumque ſub deterrimis Pontificibus quales paulo ante videbamus Romanam in ſedem intruſos, veterum Canonum vis aut elanguiſſet, aut obſoleviſſet, Patres in iſtud Concilium convenientes Canonem iſtum piâ intentione mori ediderunt. Eâdem mente Sanctus Cyprianus Carthaginenſis de Confeſſoribus Chriſti, quos Deciana perſecutio in carceres, ergaſtula & metalla protruſerat graves querimonias formaverat, eo quod nimiâ libellorum indulgendorum facilitate canonicarum pœnitentiarum vigorem nimis indiſcretè relaxarent, & peccatores ſeu lapſos non ſatis purgatos, ad ſacrorum participationem feſtinantius admitti poſtularent, ut ex ipſius multis epiſtolis liquet. Unde occaſionem ſumpſit Feliciſſimus Cyprianus implacabiliter infenſus, falſo pietatis prætextu, exitioſum ſchiſma adverſus canonem eum connotandi. Ultimis demum ſæculis prævalente Chriſtianorum inertiâ, disjectiſque canonum pœnitentialium repagulis, cum ſpes nulla ſupereſſet priſtinum uſum reſtituendi, compulſa eſt Eccleſia ad mitiora remedia recurrere, quod faciunt medici in ægris hominibus, quorum vident conſternatas vires, & efficaciorum medicaminum incapaces; Querimonia iſta de recurrentibus Romam peccatorum graviorum inconſulto proprio Epiſcopo renovata poſt decennium fuit in Lemovicenſi Concilio, in quo Patres communi conſenſu ſeſſ.2. hæc dixerunt. Jurene an injuriâ ipſi viderint non enim judicium hic ingero noſtrum.

*Non noſtrum inter eos tantas componere lites.*

Sed tantum fidelis relatoris officio hic fungor. Dixerunt, inquam, his verbis: *Inconſulto Epiſcopo ſuo ab Apoſtolico pœnitentiam & abſolutionem nemini accipere licet.* Nondum illis temporibus uſus inoleverat, quo ſubducti Epiſcoporum juriſdictioni certi caſus, cum cenſuris ſoli Apoſtolicæ ſedi reſervarentur; ſed cum ejuſmodi reſervationes ſi ſint moderatæ neque in exceſſum vergant, poſſint rationales eſſe ac juſtæ, non eſt juſta deinceps expoſtulandi cauſa ſi modum non excedant.

## CONCILIVM BITVRICENSE anno 1031.

1. SUB Romano Pontifice Joanne XVIII qui perperam vigeſimus ejus nominis nuncupari ſolet, regnante in Gallia Henrico I. Roberti primogenito, anno reparatæ humanæ ſalutis 1031. apud Bituringas convenere cum Aimone Metropolitano ſuffraganei Epiſcopi, multaque ad ſtabiliendam diſciplinam decreverunt.

2. Can.I. *In primis ut per omnes ſuarum diœceſum Eccleſias ſancti Martialis Doctoris Aquitaniæ nomen & memoria, non inter confeſſores ſicut negligenter à nonnullis fieri ſolitum erat, ſed inter Apoſtolos proponatur, ſicut à Romanâ ſede, & à pluribus antiquis Patribus ſecundum veritatem Spiritus ſancti definitum eſt.*

Eadem ſancivit habitum poſt quindecim ab iſto Concilio Lemovicenſe cui præſedit idem, qui & huic præfuit Bituricenſi Aimo Bituringum Archiepiſcopus, ijdemque interfuerunt Comprovinciales Antiſtites. Quod vero de Romanæ ſedis definitione Canon iſte commemorat, referendum eſt ad Summi Pontificis Joannis XVIII. prædicti Epiſtolâ de aſſerendo Apoſtolatûs honore Sancto Martiali, ad Jordanum Semovienſem, cæteroſque Galliarum Epiſcopos. Jordanus iſte Lemovicenſis conſedit in Lemovicenſi Concilio, quo de deferendo Martiali Apoſtoli titulo decretum fuit. Illa porro Joannis Papæ epiſtola hæc quæ ſequuntur commemorat. *Beatiſſimus quidem Martialis ſicut in geſtis ejus reperimus docente Chriſto in mundo, & præcipiente à Petro Apoſtolorum Principe baptizatus eſt, & tanto ſancti Spiritûs igne inflammatus, ut ex eo derelictis parentibus ſoli ipſi filio Dei adhæret, & hunc Magiſtrum & Dominum Petro Apoſtolo confirmante, cujus ſanguine cretus erat, deſiderares, quod & factum eſt. Nam in reſuſcitatione Lazari præſens aderat, in Cœnâ interfuit; in lavatione pedum miniſtravit; poſt paſſionem verò quando putabant ſe Spiritum videre; Palpare manus & latus Thomâ vidit, quando Apoſtolis dictum eſt euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, &c. accipite Spiritum*



Digitized

*ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, audivit; Aſcendentem in cœlum vidit; Spiritum ſanctum in linguis igneis deſcendentem & vidit & accepit, omnibuſque linguis eſt uſus. Deinde Principi Apoſtolorum adhæſit utpote carne propinquus & Baptiſmate filius, à quo præcipiente Christo ad prædicandum Provincijs Galliarum eſt deſtinatus, ubi infinitum populum à cultu idolorum removens Christo ſuâ doctrinâ dedicavit, quam piam ſanctamque tam gravitate & pietate morum, quàm reſuſcitatione mortuorum, curatione claudorum, cæcorum illuminatione, & omnium mirabilium perpetuatione confirmabat. Suam deinde epiſtolam his verbis concludit; ut autem reverentia & celebritas tanti Apoſtoli in toto terrarum orbe excelſius recolatur, ædificatum & dedicatum eſt à nobis in ejus honorem pulcherrimum altare in Baſilica Sancti Petri Apoſtoli Romæ ad Meridianam templi partem 4. idus Maij, ubi quotidie ipſius Sancti memoria devotiſſima veneratur, & præcipuè in die natalitij ejus quod eſt pridie Calendas Iulias quotidianis dulcius recolitur.* Vide paulo inferius Concilium Lemovicenſe.

Can. II. *Item quia corpus Domini per Eccleſias Paræcianas dicebatur nimia vetuſtate neglectum, ſtatuerunt Epiſcopi in eodem Concilio ut corpus Domini non plus ſervetur quam à Dominicâ in alteram.*

3. Can. III. *Item ut Epiſcopi de ſacris Ordinibus munus non accipiant, nec aliquis eorum neque aliquis de ſubjectis eorum, ſicut pro ſcribendis nominibus Ordinandorum ſolebant ſcriptores pretium accipere.*

De Simonia in collatione Ordinum aut Officiorum Eccleſiæ videndus can. 2. Synodi Calchedonenſis. Providit quoque Concilium Tridentinum tam circa Epiſcopos Ordinatores, Beneficiorum etiam Collatores, Electores, Patronos & eorum miniſtros, ne quâ Simoniæ labe aſpergantur ſeſſ. 23. cap. 1. de refor. & ſeſſ. 24. cap. 14. de refor.

Can. IV. *Vt Archidiaconatum nullus habeat niſi Diaconus efficiatur.*

4 Can. VI. *Vt Epiſcopi nullum amplius ad Subdiaconatus gradum ordinent niſi in præſentiâ Epiſcopi ante altare ſedentis Deo promittat nunquam ſe habiturum uxorem neque concubinam: & ſi tunc eam habuerit mox ei abrenunciet, quod linguâ Francorum eguerpire dicimus.*

Obſerva vetus Francicum verbum guerpire ſive vuerpire, eandem habuiſſe ſignificationem cum voce pragmaticis uſitatâ deguerpire, hoc eſt cedere, renunciare, abdicare, derelinquere, tradere, in alium transferre: ſic Aimoinus lib. 5. cap. 47. *Fulco Vvaſtinenſe ſicut promiſerat Regi vuerpivit,* id eſt tradidit, Renatus Chopinus lib. 2. de conſuetudinibus Andegavenſium profert vetuſtum inſtrumentum ex Tabulario Sueſſionenſis Eccleſiæ, in quo ter reperita vox vuerpire, nihil aliud quàm à ſe alienare, atque renunciare ſignificat. Theodulphus etiam eodem ſignificatu *Saxones* (ait) *aldem manibus guerpierunt*, id eſt dimiſerunt. Vetus quoque ſumma ruralis hæreditatem dicit venditam & guerpitam. Vetus præterea Flandrenſe Chronicon dicit cap. 98. *guerpir l'hommage du Roy,* pro refutare feudum Regium; *guerpir la Ville* pro urbe cedere; *guerpir la bataille,* pro ex acie fugere cap. 89. & 98. & in quibuſdam Picardiæ conſuetudinibus vidua dicitur *la guerpir*, id eſt derelicta. Fulbertus pariter qui ante iſtud quod exponimus Concilium vitâ exceſſerat, ſic ait epiſt. 34. *Petit licentiam ineundi conjugij novi dicens uxorem ſe guerpiſſe ſuamque pecuniam recepiſſe.* Chronicon denique Sancti Dionyſij refert Dagobertum Regem Reginam Demetriadem guerpiviſſe eo quod eſſet ſterilis, hoc eſt divortium cum ea feciſſe. Jam verò ex uſu forenſi verbum idem contrariam induit ſignificationem pro ſumere, aut inire poſſeſſionem.

Can. VII. *Vt Archidiaconi, Abbates, Prepoſiti, Capiſcholi, Canonici, Oſtiarij, & omnes qui miniſterium intra ſanctam Eccleſiam tractant, tonſuram Eccleſiaſticam habeant, hoc eſt barbam raſam & coronam in capite.*

Vide ſuperius canonem 40. Concilij Toletani quarti cum ibi notatis; Vide can. 44. Concilij Carthaginenſis quarti, & can. 20. Concilij Agathenſis.

5. Can. VIII. *Vt filij Presbyterorum, ſive Subdiaconorum in Sacerdotio, vel Diaconatu, vel Subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad Clericatum ſuſcipiantur, quia tales & omnes alij qui non de legitimo conjugio ſunt nati, ſemen maledictum in ſcripturis divinis appellantur, nec apud ſæculares leges hæreditari poſſunt, neque in teſtimonium ſuſcipi, & qui de talibus Clerici nunc ſunt ſacros Ordines non accipiant, ſed in quocunque gradu nunc ſunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur.*

Hæc eſt irregularitas ex defectu natalium cujus plenior haurienda notio ex c. 1. de filijs Presb. *Vt filij* (inquit) *Presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant vel in Congregatione Canonicâ regulariter viventes, prælationem vero nullatenus habeant: ſed neque ſervi niſi à dominis ſuis libertate donentur.* Vide etiam cap. vet. ſub eod. tit.

Can. IX. *Similiter nullus ſervorum vel collibertorum amodo Clericus fiat, niſi prius libertatem de Dominis ſuis habuerit ſub idoneis teſtibus.*

Huc ſpectat can. conſulit de ſerv. non ord. & d. c. 1. in fin. de fil. Presbyt.

6. Can. XI. *Ita ſtatutum eſt ut Epiſcopi quando fecerint Ordines vel Clericos audiente populo excommunicent, ut nullus eis offerat ad Clericatum filium Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque ſervos, neque collibertos aliorum, niſi libertate donatos; & ſi ipſi ſe per ſemetipſos obtulerint nullus ſcienter eos ibi celet. Et ſi cuipiam de talibus ſacrum Ordinem vel Clericatum ignoranter tribuerit Epiſcopus, mox ut cognitum fuerit Archidiaconus deponat eos,* quia

*quia irrita eſt illicita Ordinatio ſicut Sancti Patres dixerunt, & in talibus Eccleſia Dei deſpectui patet.*

Quod ait Canon iſte irritam eſſe illicitam Ordinationem. Vox irrita non hic ſumitur pro nullitate Sacramenti, neque opponitur ejus validitati; alioquin enim dicendum eſſet eum, qui ſcienter Ordinem ſuſcepit in ſtatu peccati mortalis nullatenus eſſe Ordinatum, nec poſſe unquam miniſtrare ſuumque Ordinem exercere, etiam poſtquam pœnitentiâ juſtificatus fuerit, ſed neceſſe eſſe eundem de novo ordinari; quod liquet eſſe falſiſſimum. Irritum itaque ibi ſignificat quod non poteſt ſine mortali ſacrilegio exerceri niſi poſt expiatam culpam cum cenſura & irregularitate. Et ſic intelligenda eſt iſta Canonis hujus expreſſio. *Irrita eſt illicita Ordinatio*, quia ejus eſt prohibitus uſus & cenſuræ obnoxius.

7. Hic jam ſolvenda eſt gravis difficultas quæ aliquoties ex ipſo facto mihi propoſita, utrum ſi ante Ordinationes Epiſcopus palam & altè proteſtatus ſit ſe nullatenus intendere illos ordinare qui falſo nituntur patrimonio, vel falſis Demiſſorijs, aut qui non ſunt ætatis competentis, aut alio quopiam ligati ſunt Canonico impedimento, utrum ſatis ſibi conſcius impedimenti ſi perſiſtat nec abſcedat, verè recipiat Ordinem. In meâ Theoriâ & praxi Canonici Iuris lib.3.cap.15.n.15. gravibus quas ibi profero rationibus adductus docui poſt Ludovicum Bail, talem Ordinis ſuſceptionem quamvis illicitam, eſſe nihilominus validam, quemadmodum docet S. Auguſtinus de Baptiſmate fictè hoc eſt illicitè ſuſcepto, quod non ideò dici poſſit invalidè ſuſceptum aut iterabile lib.1. de Baptiſmo contra Donat. cap.11. 12. & 13. ſimilem habet Gonetus reſolutionem circa validitatem Ordinis ab eodem Epiſcopo ſuſcepti, qui altè declaraverat nullam habere ſe intentionē ordinandi quicunque ſe offerret, cum tali, quale expreſſit Epiſcopus, impedimento vel defectu, etiamſi qui ſe obtulit & manus impoſitionem ſacrilegè accepit talis ſibi defectûs conſcius eſſet. Joan. Bapt. Gonetus de Sacramentis diſp.6.n.33.

Can. XII. *Nemo etiam pro Baptiſmo, neque pro pœnitentiâ dandâ, neque pro ſepulturâ accipiat niſi quod fideles ſponte dare vel offerre noluerint.*

Can. XIII. *Vt Presbyteri oblationes vel luminaria quæ eis ad manus offeruntur tanquam propria ſua habeant: & cereus Paſchalis ad illuminanda altaria remaneat.*

## CONCILIVM LEMOVICENSE anni 1031.

1. PAuci dies inter Bituricenſe & Lemovicenſe Concilia interceſſerunt. Eodem quippe anno & menſe Novembri celebrata leguntur: ſedente ad Clavum univerſalis Eccleſiæ Joanne XVIII. præcipua hujus Concilij cauſa fuit de aſſerendo Sancto Martiali Apoſtolatus per totam Galliam honore. Profitentur enim Patres Lemovicenſes *Eccleſiam Lemovicæ à Martiali fundatam, primam eſſe omnium Galliæ Eccleſiarum.* Et hoc addunt, *ſcit omnis Aquitanica Martialem eſſe primum illuminatorem Galliæ, cui contradicere nullus poteſt.* Seſſ. 1. & qui huic præſedit Synodo Provinciali Suffraganeorum Epiſcoporum Provinciæ, Bituricenſis Aimo Archiepiſcopus in ſuo Synodali edicto ſic enunciat. *Etſi Martialis reliquarum gentium Apoſtolus non eſt, totius tamen Galliæ ad Chriſtum convertendi princeps & Apoſtolus eſt.*

2. Eadem ſeſſ. 1. hæc pergunt commemorare. *Eſt carnaliter de genere Abrahæ, eſt diſcipulus Domini, eſt à Petro baptizatus Chriſto jubente, eſt in Sion in die Pentecoſtes Spiritu ſancto repletus, omnium Gentium loquelas novit, Diſcipulum virtute reſurrectionis de morte poſt ſex dies Petri bacterio tactum reſurgere fecit. In antiquis etiam Martyrologij voluminibus duos ejus diſcipulos Alpinianum & Auſtuclinianum ſcriptos eſſe adhuc reperimus Apoſtolos: ſic quippe legitur in quibuſdam. Pridie Calendas Iulij: Natalis Sancti Martialis Aquitaniæ Doctoris & Apoſtoli, cum duobus Apoſtolis Auſtucliniano & Alpiniano, quorum vita ſignis & miraculis admodum effulſit.* Negant Frontum, Saturninum, Dionyſium mortuum ullum ſuſcitaſſe; at de Martiali aſſerunt uno loco ſemel fuiſſe novem mortuos ſuſcitatos, alibi ſex alios, & alibi defunctam puellam. Negant ullibi fuiſſe ſub Apoſtolorum nomine invocatos Frontum, Saturninum, Dionyſium, Julianum, Auſtremonium, Urſinum, aliosque quos in Galliam non niſi poſt Martialem adventaſſe aiunt, & Martialem & in Gallia, & alibi affirmant Apoſtoli titulo decoratum. His adjungunt. *Martialis proculdubio unus eſt de illis ſeptuaginta duobus Diſcipulis; quando autem Diſcipulus Pauli Lucas acta Apoſtolorum ſcripſit, jam ante triginta annos Martialis apud Aquitaniam erat*; Adjungunt *Martialem ætatis quindecim annorum fuiſſe quando eum Dominus vocavit.* Sanè mirum eſt quindecennem puerum fuiſſe miſſum inter ſeptuaginta, & prædicaſſe cum eis per Judææ regiones, quis vero huic majori Anachroniſmo fidem adhibeat Martialem fuiſſe Petri aſſeclam, priuſquam ab eodem Petro ex urbe Roma miſſus; in Gallias Evangelium prædicaret apud Aquitanos: & tamen. *Quando Diſcipulus Pauli Lucas acta Apoſtolorum ſcripſit, jam ante triginta annos Martialem apud Aquitaniam fuiſſe.* Utrumque enim conſtanter affirmat Concilium Lemovicenſe. Cum vero ſedente Romæ Petro, & Martialis in Galliam profectus ſit, & Lucas eâdem in urbe, illo biennio quo Paulus Romæ ſub cuſtodiâ manſit, ſuum Actorum librum ſcripſerit, non potuit inter duos illos eventus exiſtere pluſquam triginta annorum intercapedo. Neque Petrus Romæ conſedit plus viginti quinque annis. Sed proh Deum immortalem! cuinam perſuaderi poterit hæc ibidem concionata fabula, Stephanum Galliarum Regem, ad Neronem Romam commigraſſe? Quiſnam Stephanum Galliarum Regem ſomniavit, quando univerſa Gallia ſoli Romano parebat Imperio.

3. Seſſione ſecundâ confirmata ſunt ea; quæ primâ ſeſſione de Sancti Martialis Apoſtolatu decreta fuerant, & commendata illius authoritas præ reliquis qui olim verbum Dei in Gallia diſſeminaverunt, non tantum quia Martialis illos omnes in Galliâ excolendâ tempore præceſſerat, verum etiam quia cum ex ſeptuaginta Diſcipulis à Chriſto

Chriſto electis unus fuiſſet, ſuam immediatè à Chriſto miſſionem & poteſtatem habuerat, antequam in Cœlum conſcenderet, & unà cum Apoſtolis poſt ejus aſcenſum Spiritum ſanctum ſub ſpecie ignis mirabiliter acceperat; cum tamen reliqui quos commemorant Lemovicenſes Patres his tantis prærogativis arcerent, ſcilicet Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis, Saturninus Toloſanus, Frontus Petragoricenſis, Auſtremonius Arvernenſis, Fidianus Cenomanenſis, Urſinus & ſi qui fuerint alij non à Chriſto proximè, ſed à Chriſti Diſcipulis inſtituti & miſſi fuerint.

4. Deinde Patribus viſum eſt incommodum eſſe præcedentis Concilij can. 2. ne ſervetur ulterius quam à Dominicâ in alteram proximè ſequentem; & pro Hebdomodis conſtituti ſunt ad Euchariſtiæ renovationem ſinguli menſes.

5. Poſtmodum ad querelam de quodam Monaſterio propoſitam cujus Abbas Eques erat ſecularis: accitus ille Abbas ſe illo indebito officio abdicavit, eique Monachus idoneus eſt ſuffectus.

6. Conceſſa poſt hæc poteſtas Monachis fuit à laxioribus Monaſterijs in alia obſervantiora commigrandis.

7. Definitum interea eſt privilegia Eccleſiæ Sancti Martialis, quæ in Lemovicis eſt, nullatenus eſſe infringenda; proclamatumque eſt *illam Beati Martialis Sedem Caput & Matrem eſſe omnium Galliæ Eccleſiarum, quia prima ante omnes alias in Galliâ extitit Deo conſecrata.* Actis hujuſce Concilij, qualia ſuperſunt. (Finis enim deſideratur) coronidem imponit iterata & fabuloſa de Stephano Galliarum Rege narratio. Stephanum iſtum totâ Galliâ uſque ad Pirenæos dominantem, Beatus Martialis ex idolorum cultu ad Chriſtianam Religionem converſum baptizaverat, eique pro Virginis Valeriæ interfectione, cæteriſq; delictis pœnitentiam injunxerat. Interea jubetur à Nerone copias Gallicanas Romam adducere. Eò cum veniſſet Stephanus Petrum Apoſtolum convenit, petijtque ab eo ſolvi peccatum quod virginem interficiendo contraxerat. Quid factum inde fuerit ab Apoſtolo. Synodi Patres non referunt diſertis verbis, ſolumque hæc verba ſubjiciunt. *Illa profectò Principis abſolutio à Beato Petro, confirmatio fuit illius abſolutionis & pœnitentiæ quam ei B. Martialis indixerat. Certè Beatus Petrus ſi ſciret illum eſſe à B. Martiali excommunicatione obligatum potius eum damnaret, quam abſolveret.*

8. Verior & recentis tunc memoriæ narratio non eſt omittenda, quam in eadem ſeſſ. 2. Epiſcopus Cadurcenſis Deus dedit, his retulit verbis. *Nuperrimè poſt Concilium Bituricenſe qui de Excommunicatis Eques in noſtra Diœceſi interfectus eſt, quem ego rogantibus amicis & propinquis ejus nullatenus ſolvere volui, ut cæteri metum haberent (gravem enim culpam prædantis habuerat) itaque ſine Sacerdotis obſequio à militibus apud quandam Eccleſiam Sancti Petri non me jubente ſepultus eſt. Mane autem facto corpus ejus longè extra Cœmeterium projectum & nudum ſuper faciem terræ inventum eſt: tumulus autem ubi ſepulturam habuerat intactus, ita ut dimiſſus pridem fuerat, repertus eſt; quem iterum milites aperuere, & nihil in eo aliud niſi veſtes quibus involutũ fuerat invenerunt. Rurſus ibidem cadaver ſepeliunt, & diligenter tumulum ſub enormi pondere terræ & lapidum claudunt: ſed die altero projectum cadaver & tumulũ intactum ut ante aſpiciunt. Quinquies ſepeliunt toties eôdem dejectum tenore continentur; tanto demum victi ſtupore corpus longè à Cœmeterio terrâ obruunt. Quo terrore perculſi Principes militiæ pacem nobis velut optabamus firmare nequaquã diſtulerunt.* Difficile imò impoſſibile fuerit conciliare quæ in duobus Concilijs Bituricenſi, & Lemovicenſi referuntur de Sancto Martiali, cum multo antiquioribus teſtimonijs Gallicanorum ſcriptorum Severi Sulpicij, & Gregorij Turonenſis. Horum primus loquens de Lugdunenſis adverſus Chriſtianos perſecutione, quæ ſub Marco Aurelio exarſit anno 177. hæc loquitur lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ. *Tum primum intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei Religione ſuſceptâ.* Alter vero lib. 1. Hiſt. Franc. c. 30. ſic refert. *Hujus* (ſcilicet Imperatoris Decij) *tempore ſeptemviri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt; ſicut Hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini enarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus* (horum vero Conſulatus in annum incidit à Chriſto nato 250.) *ſicut fideli relatione retinetur primum ac ſummum Toloſana Civitas ſanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt Turonicis Gratianus Epiſcopus; Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus; Narbonæ Paulus Epiſcopus; Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus; Arvernis Aſtremonius Epiſcopus; Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus diverſis pro Chriſti nomine affectus pœnis præſentem vitam gladio imminente finivit.* Saturninum refert furentis Tauri veſtigijs primùm alligatum & raptatum & mox de capitolio præcipitatum vitam finiſſe. Reliquos quinque Gratianum, Trophymum, Aſtremonium, Paulum atque Martialem poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, felici confeſſione in Cœlum migraſſe. Quæ vero nomine Martialis circumferuntur Epiſtolæ, tot tamque manifeſtis argumentis convincuntur ſuppoſitionis, ut Docti omnes eas Martiali abrogent. Videte Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

## *MULTIPLICIA IN CAUSA BERENGARIJ hæreſiarchæ habita Concilia.*

1. Undecimum ſæculum novum edidit monſtrum Berengarium hæreſiarcham. Hic ex Eccleſiæ matris ſinu erumpens quaſi vipereus fœtus, ejus viſcera nixus eſt lacerare. Cum igitur eſſet Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus hanc novam Hæreſim procudit, quæ negat Chriſti corpus reipsâ contineri ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Eodem delirio jam ante laboraverat, edito de Sacramento altaris libro, ſive Joannes Scotus, ſive Rathramus ſub Caroli Calvi regno, unus idemque libri ejuſdem autor, qui primùm ſub Joannis Scoti nomine, deinde ſub Rathrami pervulgatus eſt, ut probat Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus in ſuâ ad Lucam Dacherium epiſtola. Ipſe vero Berengarius in ſuâ ad Lanfrancum epiſtolâ profitetur ſe Joannis Scoti ſententiam ſequi, nimirum figoratè ac metaphoricè duntaxat Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramento adeſſe. Cum hæc Berengarij epiſtola intercepta fuiſſet, atque ad Leonem Papam nonum delata, coacta eſt ab eodem Romæ Synodus, quæ dogma iſtud ut hæreticum damnavit, coſque qui illud

confecta

conſectarentur cõmunionis Eccleſiaſticæ fecit extorres: abſentem vero Berengarium cujus nomen epiſtola præferebat ad proximè futurum Vercellenſe Concilium citavit, ut ibi reſponderet de ſua fide. Ea Romana ſub Leone Synodus an. Chriſti contigit 1050. ſequens vero Synodus Vercellenſis ejuſdem anni menſe Septemb. convocata fuit.

2. Sub hoc inter ambas Synodos intervallo, Berengarius in Normanniam conceſſit, cui tum Provinciæ dominabatur Guilielmus dictus Nothus ætate adhuc junior, ſed Religione & prudentia commendatus, qui poſtmodum Angliæ regnum adeptus eſt. Hæreſiarcha ad cœnobium Pratellenſe divertit, à cujus Abbate honeſtè fuit exceptus: Sed cum inter colloquendum multa impia deblateraret ab eodem graviter reprehenſus, inde digreſſus eſt, ipſumque Normanniæ Ducem adijt, attentans ipſum ſuis Hæreſibus irretire. Ipſe vero Princeps conſcriptis in occultò literis ad eos quos peritiores in ſua ditione judicabat, illis indixit ut ad certum diem Brionam locum maritimum ſe conferrent, quo erat idem ipſe conceſſurus ut eorum ſenſum circa Theologicas quaſdam quæſtiones exquireret. Berengarium vero callidè & ſenſim quaſi aliud agens Brionam ſecum adduxit eò ut ventum eſt in illum Sapientium conventum adductus Berengarius unà cum aſſeclâ & diſcipulo ſuo Clerico, cujus ingenio admodum præfidebat; adeò convictus fuit ut tandem quaſi mutus & elinguis remanſerit, eiſque urgentibus vel aſſenſum præſente principe præbuerit, vel certè formidine gravioris mali ſimulaverit.

3. Accedente Septembri Sum. Pontifex Leo IX. Vercellas ad Concilium indictum proficiſcitur comitem ſecum adducens Lanfrancum qui hæc refert: & ad id Concilium ſelectos & accitos ex diverſis orbis Chriſtiani conveniſſe viros, quibus præſedit ipſe Pontifex: Berengarium vero eo accedere non auſum, duos pro ſe reſponſuros Clericos miſiſſe, qui à primo congreſſu convicti confuſique fuerunt. Lectum ibidem Joannis Scoti de Euchariſtia librum & damnatum, ipſumque Berengarium contumacem pari damnationis ac anathematis ſententiâ perculſum.

4. Eodem anno 1050. menſe Octob. Rex Henricus, Berengarianæ luem Hæreſeos in ſuo regno propagari moleſtiſſimè ferens, Synodum Pariſijs eâ de cauſâ indixit, ut fidem facit Durandus Vroarnenſis, ad quam tamen citatus Berengarius malæ conſcientiæ terrore perculſus accedere non auſus, ſe abdidit cum Brunone Antiſtite Andegavenſi, quem ille in ſuam Hæreſim perduxerat. Producta ſunt diverſa Berengarij ſcripta, quæ ille ad familiariſſimum ſibi Paulum dirigebat per Verodarium, à cujus manibus Aurelianenſis Epiſcopus illa extorſerat. Horum lectio horrendis refertorum ſacrilegijs murmur & indignationem toto illo ampliſſimo cœtu, cui Rex ipſe intererat, excitavit. Hæc igitur omnia cum autore, omnibuſque fautoribus, ſimulque Joannis ſcripta impia damnata ſunt. Decretumque fuit ut Sectarij quocumque irent manu militari conquirerentur, loca in quæ confugerent obſidione premerentur, donec habitatores illos copiarum ductoribus traderent, ipſique Hæretici aut incorrigibiles morte afficerentur, aut converſi ſub cuſtodia & pœnitentia detinerentur. In ultimis Conciliorum collectionibus extat Theoduini Leodicenſis Epiſcopi ad Henricum Francorum Regem epiſtola de Brunone Andegavenſi Epiſcopo, Berengarij erroribus commaculato hortatoria, ut cum Summo Pontifice agat ad hoc, ut Brunonis judicandi & damnandi poteſtatem delegare dignetur; quia *Epiſcopum* (inquit) *non oportet damnationis ſubire ſententiam præter Apoſtolicam authoritatem.* (Et ſubinde) *plurimum veremur ſi illis miſerrimis & perditiſſimis viris audientia ſancti Concilij, ſicut ipſi de pœnâ ſecuri poſtulant, permittatur, cum de tanta præſumptione revicti puniri minimè concedatur, graviſſima ſcandala in omnium fidelium populo generari. Certè quos videbunt impunitos & nequaquam à ſui gradûs honore dejectos, eoſdem putabunt ab omni Concilio aut vinci non potuiſſe, aut juſtificatos eſſe, eruntque, ut ita dicam, noviſſima pejora prioribus.*

5. Leonem nonum Victor excepit ejus nominis ſecundus, qui Hildebrandum Subdiaconum in Galliam miſit autoritate Legati à Latere præmunitum, à quo indictum eſt anno 1055. Turonenſe Concil. In hoc Berengarius abjuratâ priſtinâ Hæreſi Catholicam profeſſus eſt fidem, & à Legato benignè ſuſceptus, ut ſcribunt Lanfrancus & Guitmundus Averſanus Epiſcopus. Attamen ſuperbus ille & inconſtans ſpiritus datam promiſſamque fidem mox effregit, & in Veritate non ſtetit. Deinde tamen Palinodiam iterum cecinit in manus Nicolai Papæ ſecundi ſedentis in Lateranenſi centum & tredecim Epiſcoporum Synodo, anni 1059. priſtinam deteſtatus eſt Hæreſim, fideique confeſſionem edidit quæ incipit. Ego Berengarius de conſecr. diſt. 2. quam Nicolaus ad populorum ædificationem in omnem Italiam, Galliam, Germaniam, promulgari juſſit. Cæterùm ad volutabrum quaſi ſus lota reverſus eſt, & ad vomitum quaſi canis, ſpretâque Petri cathedrâ rurſum relapſus eſt Berengarius, & fœdifragus adverſus ſuam Romæ factam profeſſionem & Romanam ſedem virulenta de novo ſcripta auſus eſt edere, quæ contrarijs ſcriptis Lanfrancus, Guitmundus Epiſcopus, & Algerus Monachus refutarunt; tandemque inveteratus malorum dierum octogenarius Hæreſiarcha Chriſti an. 1079. Gregor. Papa VII. (coram quo cum eſſet Apoſtolicus Legatus in Concilio Turonico ſuam primùm Hæreſim abjuraverat) ultimam ejus excepit in Romano Concilio abjurationem atq; Eccleſiæ ſanctæ reconciliavit, facta prohibitione ne quid unquam ſcriberet, prædicaret, aut diſputaret de hoc Sacramẽto in quod toties tamque infeliciter impegerat, niſi fortè ad eos convertendos quos in errorem traxerat. Ad poſtremum Nonagenarius interijt in profeſſione atque unione Catholicâ, die Epiphaniæ anno 1088. cujus Epitaphium contexuit vir eximiè doctus Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus. Refert Vvillielmus Malmesburienſis illum morientem producto gemitu dixiſſe, hodie in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus-Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam; vel propter alios ut timeo ad pœnam. Ab eodem Malmesburienſi hoc pariter refertur ſanctum Epiſcopum Fulbertum Carnotenſem an. 1028. extremo decumbentem morbo, & in mortis confinio poſitum advertiſſe inter circunſtantes diſcipulum olim ſuum, ſed ſanæ doctrinæ quâ illum imbuerat perfidum deſertorem, & quo poterat niſu contendiſſe ut expelleretur, dicendo ſe lateri ejus immanem aſſiſtentem Dæmonem cernere.

## *CONCILIVM ROMANVM anni* 1059.

1. HUjus paulo ante ſtrictim à nobis facta mentio eſt inter Concilia in cauſâ Berengarij habita. Nicolaus Papa II. ut præſentibus Eccleſiæ vulneribus provideret ex Schiſmate Mincij Romanæ Sedis invaſoris ſub nomine Benedicti, & ex peſtiferâ Berengarij hæreſi, ex morum præſertim Cleri, pravitate, atque ex Canonicæ diſciplinæ contemptu & neglectu, Concilium centum tredecim Epiſcoporum convocavit in æde Lateranenſi, anno Pontificatûs ſui primo, qui fuit Chriſti 1059. citatus ad illud Berengarius (quod ſuperius attigi) ſuum eſt deteſtatus errorem, & fidelium communioni reſtitutus quâ non multo poſt Carioſus Hæreſiarcha deſcivit. Schiſmatibus quoque ne deinceps emergerent occurſum eſt.

Can. I. *Primo, inſpectore Deo eſt ſtatutum ut electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit, ita ut ſi quis Apoſtolicæ Sedi ſine præmiſſâ concordi & Canonicâ electione eorum, ac deinde ſequentium ordinum Religioſorum Clericorum & Laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa vel Apoſtolicus ſed Apoſtolicus habeatur.*

Can. II. *Vt moriente Romano Pontifice vel cujuſcunque civitatis, nullus præſumat facultates eorum invadere, ſed ſucceſſoribus eorum reſerventur integræ.*

2. Can. III. *Vt nullus Miſſam audiat Presbyteri quem ſcit concubinam indubitanter habere aut introductam mulierem. Vnde etiam ipſa ſancta Synodus hoc Capitulum ſub excommunicatione ſtatuit dicens, quicunque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, poſt conſtitutum Beatæ Memoriæ prædeceſſoris noſtri ſanctiſſimi Papæ Leonis de caſtitate Clericorum, concubinam palam duxerit vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei autoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus & omnino contradicimus ut Miſſam non cantet, neque Evangelium, vel Epiſtolam, ac Miſſam legat, neque in Presbyterio ad Divina Officia cum ijs, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Eccleſia ſuſcipiat quouſque à nobis ſententia ſuper hujuſmodi Deo concedente procedat.*

Uſque adeò invaluerat perditiſſimis illis temporibus Clericorum incontinentia, ut Sacerdotes ipſi, uxorum nomine, fœminas ducerent omnibus adhibitis nuptiarum ſolemnitatibus, dotium conſtitutionibus, affinium & amicorum invitatu, & gratulantium concurſu, nec ideo minus ad Altare ſacrificarent. Qualem impudentiam & frequentem & publicam teſtatur deplorans Petrus Damiani horum temporum ſcriptor graviſſimus.

3. Can. IV. *Et præcipientes ſtatuimus ut ij prædictorum ordinum, qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes caſtitatem ſervaverunt, juxta Eccleſias quibus ordinati ſunt (ſicut decet Religioſos Clericos) ſimul manducent & dormiant, & quidquid eis ab Eccleſijs venit communiter habeant. Et rogantes monemus ut ad Apoſtolicam, communem ſcilicet vitam pervenire ſummopere ſtudeant.*

De communi Clericorum vitâ & convictu multa à nobis collecta ſuperius require ad Concilium Moguntinum ſub Leone Papâ tertio, & Carolo magno. Effrenis illa Clericorum incontinentia decimo & undecimo ſeculo regularium Canonicorum inſtitutum propagandi amplam præbuit occaſionem; appellabantur enim ad præcipuarum Eccleſiarum miniſteria, ex quibus neceſſe erat ſeculares Clericos ejicere non tantum ob ſcandala quæ invehebant, ſed etiam ne ulterius expilarentur Vaſa ſacra cæteraque Eccleſiarum ſupellectilia ad uxorum & liberorum uſum ac luxum. Quin & ipſa Eccleſiarum prædia & jura temporalia dolo parentum Sacerdotum, & liberorum, quaſi hæreditaria & patrimonialia, ſubtractis fundationum titulis, transferebantur.

Can. V. *Deinde ut Decimæ & Primitiæ ſeu Oblationes Vivorum & Mortuorum Eccleſiis Dei fideliter reddantur à Laicis, & ut in diſpoſitione Epiſcoporum ſint. Quas qui retinuerint à Sancta Eccleſiæ communione ſeparentur.*

4. Can. VI. *Vt per Laicos nullo modo quilibet Clericus aut Presbyter obtineat Eccleſiam nec gratis, nec pretio.*

Hæc prohibitio intelligenda ſi id fiat citra Epiſcopi proviſionem, nec interveniat Simonia. Hoc idem ſuperius annotavimus conſtitutum à Concilio Viennenſi anni 892. can. 4. & à Saleguſtadienſi anni 102. can. 13.

Can. VII. *Vt nullus habitum Monachi ſuſcipiat ſpem aut promiſſionem habens ut Abbas fiat.*

Can. VIII. *Nec aliquis Presbyter duas Eccleſias ſimul obtineat.*

Can. IX. *Vt per Simoniacam Hæreſim nemo ordinetur aut promoveatur ad quodlibet Eccleſiaſticum Officium.*

Can. X. *Vt cujuſlibet ordinis Clericos Laici non judicent.*

Can. XI. *Vt de Conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad generationem ſeptimam, vel quouſque parentela cognoſci poterit.*

Can. XII. *Laicus uxorem ſimul & concubinam habens non communicet Eccleſiæ.*

Vide Concilij Toletani primi canon. 17. ſeu can. is qui diſt. 34.

5. Can. XIII. *Vt nullus laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repente promoveatur, niſi*

Digitized by

*niſi poſt mutatum habitum ſecularem diuturnâ converſatione inter Clericos fuerit comprobatus.*

Hoc eodem in Concilio procuſum eſt edictum formam præſcribens electionis Romani Pontificis hujus tenoris. In nomine Domini noſtri, &c. *Decernimus atque ſtatuimus ut obeunte hujus Romanæ univerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractantes, mox ipſi Clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus Clerus ac populus ad conſenſum novæ electionis accedat, nimirum præcaventes ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat, & ideo religioſiſſimi viri præduces ſint in promovendâ Pontificis electione, reliqui autem ſequaces. Certus vero atque legitimus electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis diverſorum Patrum Regulis ſive geſtis etiam illa Beati Leonis prædeceſſoris noſtri ſententia recolatur, nulla inquit ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Comprovincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati: quia vero ſedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſijs, atque ideo ſupra ſe Metropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epiſcopi procuidubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Epiſcopum ad Apoſtolici culminis apicem provehant. Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio ſi reperitur idoneus, vel ſi de ipſâ non reperitur ex aliâ aſſumatur, ſalvo debito honore & reverentiâ dilecti filij noſtri Henrici qui impræſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus & ſucceſſoribus illius, qui ab Apoſtolicâ ſede perſonaliter hoc jus impetraverint. Quod ſi pravorum atque iniquorum hominum ita perverſitas invaluerit, ut pura ſincera atque gratuita fieri in urbe non poſſit Electio, Cardinales Epiſcopi cum Religioſis Clericis, Catholiciſque Laicis licet paucis, jus poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint. Planè poſtquam electio fuerit facta, ſi bellica tempeſtas vel qualiſcumque hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, ut is qui electus eſt in Apoſtolica ſede juxta conſuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen ſicut verus Papa obtineat autoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius, quod Beatum Gregorium ante ſuam Conſecrationem feciſſe cognovimus. Quod ſi quis contra hoc noſtrum decretum Synodali ſententia promulgatum, &c.*

## *CONCILIUM LONDONIENSE anni 1075.*

1. SEdente ad clavum univerſæ Eccleſiæ Gregorio ſeptimo, regnante in Anglia Guilielmo cognomento Notho, ejuſque regni anno nono, Chriſti Salvatoris 1075. congregatum eſt Londoniæ Concilium totius Angliæ Notionale, cui Lanfrancus præſedit Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & totius Angliæ primus in Eccleſiâ Beati Pauli Apoſtoli. Sic vero præfatur Concilium: *Et quia multis retro annis in Anglicano regno uſus Conciliorum aboleverat, renovata ſunt nonnulla quæ antiquis etiam noſcuntur Canonibus definita.*

2. Can. I. *Ex Concilio igitur Toletano quarto, Milevitano, atque Bracarenſi ſtatutum eſt ut ſinguli ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſedeant, præter eos qui ex antiqua conſuetudine ſive ſuarum Eccleſiarum privilegijs digniores ſedes habent. De qua re interrogati ſunt ſenes & ætate provecti quid vel ipſi vidiſſent, vel à majoribus vel antiquioribus veraciter ac probabiliter accepiſſent. Super quo reſponſo petitæ ſunt induciæ ac conceſſæ uſque in craſtinum, à craſtina autem die concorditer perhibuere quod Eboracenſis Archiepiſcopus ad dexteram Dorobernenſis ſedere debeat, Londonienſis Epiſcopus ad ſiniſtram, Vventanus ad ſiniſtram.*

Hoc primùm obſervandum eſt unam & eandem Eccleſiam ſub duobus eſſe nominibus Dorobernenſem & Cantuarienſem Primatis totius Angliæ ſedem, aut ut exprimit Concilium ipſum totius Inſulæ Britannicæ, ſub quo nomine Scotia pariter comprehenditur. Præterea primam Anglicanæ Eccleſiæ ſedem ab initio ſine controverſiâ fuiſſe Dorobernenſem ſeu Cantuarienſem, ſecundi verò loci, prærogativâ, Eboracenſem quæ nunc Yorc dicitur poſitam fuiſſe. Id liquet ex duabus Honorij Papæ primis epiſtolis relatis à Beda Venerabili lib. 2. Hiſt. Angli. cap. 17. & 18. quarum prior eſt, ad Eduinum Angliæ Regem ad quem duo pallia miſit, duobus Metropolitanis Regni ejus deſtinata Honorio Dorobernenſi, & Paulino Eboracenſi; ut uter amborum prior vitâ exceſſerit, ſuperſtes alter Epiſcopus ſucceſſorem ei ſufficiat, Apoſtolicâ authoritate ſibi ex tunc delegata. Secunda ejuſdem Pontificis Epiſtola dirigitur ad cognominem Honorium Dorobernenſem Epiſcopum, eandem iterans ſanctionem de ordinando ab amborum ſuperſtite utriuſque qui prior deceſſerit ſucceſſore; quia, ut inquit, *Longa terrarum mariſque Romam inter & Angliam intervalla, Pontificem ad hæc condeſcendere coëgerunt.* Extat etiã Formoſi Papæ ad Angliæ Epiſcopos epiſtola hæc decernens. *Et ſicut B. Gregorius Papa I. veſtræ Gentis Epiſcopo Auguſtino omnes Anglorum Epiſcopos eſſe ſubjectos conſtituit, ſic nos prænominato fratri Doroberniæ, ſive Cantorberiæ Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus legitimis eandem dignitatem confirmamus, mandantes & autoritate Dei & B. Petri Apoſtolorum Principes præcipientes, ut ejus Canonicis diſpoſitionibus omnes obediant.*

Can. II. *Ex Regulâ Beati Benedicti, Dialogo Gregorij & antiquâ regularium locorum conſuetudine ut Monachi ordinem debitum teneant: Infantum præcipuè & juvenum in omnibus locis, deputatis ſibi idoneis magiſtris cuſtodiam habeant, nocte luminaria ferant: generaliter omnes niſi à prælatis conceſsâ proprietate careant. Si quis vero aliquid proprij ſine præfatâ licentiâ habere in morte fuerit deprehenſus, nec ante mortem id reddiderit cum pænitentiâ & dolore peccatum ſuum confeſſus; nec ſigna pro eo pulſentur, nec ſalutaris pro ejus abſolutione Hoſtia immoletur, nec in Cœmeterio ſepeliatur. Vide inferius Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. can. 10.*

Can.III. *Ex Decretis Summorum Pontificum Damaſi videlicet & Leonis, necnon ex Concilijs Sardicenſi atque Leodicenſi in quibus prohibetur Epiſcopales ſedes in Villis exiſtere, conceſſum eſt Regiâ munificentiâ & Synodali authoritate præfatis tribus Epiſcopis de Villis ad Civitates tranſire Herimanno de Syraburna ad Sariſteriam, Stigando de Selengo ad Ciceſtum, Petro de Liciſeldo ad Ceſtum; De quibuſdam qui in Villis ſeu Vicis adhuc degebant dilatum eſt uſque ad Regis audientiam, qui in tranſmarinis partibus tunc temporis bella gerebat.*

Can.IV. *Ex multis Romanorum Præſulum Decretis, diverſiſque Sacrorum Canonum authoritatibus, ne quis alienum Clericum vel Monachum ſine commendatitijs literis retineat, vel ordinet.*

Can.V. *Ad comprimendam quorumdam indiſcretorum inſolentiam ex communi Decreto ſancitum eſt, ne quis in Concilio loquatur præter licentiam à Metropolitano acceptam, exceptis Epiſcopis & Abbatibus.*

Can. VI. *Ex decretis Gregorij Majoris nec non & junioris, ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoaduſque parentela ex alterutrâ parte ad ſeptimum gradum perveniat. Vt nullus ſacros Ordines ſeu officium Eccleſiaſticum quoad curam Animarum pertineat emat vel vendat. Hoc enim ſcelus à Petro Apoſtolo in Simone Mago primitus damnatum eſt, poſtea à ſanctis Patribus vetitum & excommunicatum.*

Can. VII. *Ne oſſa mortuorum Animalium quaſi pro vitâda animalium peſte alicubi ſuſpendantur, nec ſortes, vel Aruſpicia ſeu Divinationes, vel aliqua hujuſmodi opera Diaboli ab aliquo exerceantur. Hæc enim omnia ſacri Canones prohibuerunt, & eos qui talia exercent datâ ſententiâ excommunicaverunt.*

3. Can.VIII. *Ex Concilijs Eliberitano & Toletano undecimo, ut nullus Epiſcopus vel Abbas, ſeu quilibet ex Clero hominem occidendum vel membris truncandum judicet, vel judicantibus ſuæ autoritatis favorem commodet.*

Subſcripſere Concil. cum Lanfranco Dorobernēſi quatuordecim Epiſcopi, quos inter poſt Epiſcopos Dorobernenſem, Eboracenſem, Londonienſem, & Vvintonien. quinto loco ſubſcribit Gaufridus Cōſtantienſis Epiſcopus qui ſe ibidem dicit in ſubſcriptione unum de Angliæ terræ Primatibus. Solus Dorobernenſis ſe Archiepiſcopum ſubſcribit, Eboracenſis autem Epiſcopum. Conſtantienſis porro Epiſcopatus non in Anglia ſed in Normânia Galliæ conſtitutus eſt, etſi enim ejus Epiſcopus Gaufridus ut ipſum præfatur Concilium tranſmarinus eſſet Epiſcopus, quia tamen multas in Anglia poſſeſſiones habebat, cum Anglis Præſulibus in Concilio ſedit. Poſt Epiſcopos quatuordecim ſubſcripſit Anſchitillus Archidiaconus Dorobernenſis Eccleſiæ. Deinde unus ex viginti Abbatibus. Duo vero deſiderati ſunt Anglicani Epiſcopi Roffenſis, quia illa tunc vacabat ſedes, & Lindiſfarnenſis, qui & Dunelmenſis, quia Canonicam excuſationem habens intereſſe non potuit.

## CONCILIVM MELFITANVM anni 1089.

1. Melfia quæ urbs eſt Apuliæ Concilium habuit, cui Urbanus Papa ſecundus ipſemet interfuit non quidem anno ut putat Baronius 1090. ſed ut liquet ex Joannis epiſtolâ qui S.R.E. Diaconus & Cancellarius eidem Concilio interfuit ad Abbatem Moliſmenſem, alijſque certiſſimis argumentis, anno 1089. primorum canonum ſtatuta omittimus, quia eadem antea ex præcedentibus Concilijs ſæpius excerpſimus, ne toties eadem inutiliter repetantur.

Can.VII. *Nullus Abbas pretium exigere ab ijs qui ad converſionem veniunt aliqua occaſione præſumat.*

Can. VIII. *Illud ſummopere & Apoſtolicæ Autoritatis privilegio providentes interdicimus, ut nullus in Clericali ordine conſtitutus, nullus Monachus, Epiſcopatûs, & Abbatiæ, aut cuiuſlibet Eccleſiaſticæ dignitatis inveſtituram de manu Laici ſuſcipere audeat. Quod ſi præſumpſerit, depoſitione mulctetur.*

Idem ſtatuerat Gregorius VII. in Concilio Romano anni 1080. can.1.

2. Can. IX. *Quia novum hoc tempore Clericorum Acephalorum genus emerſit, qui morantur in Curijs, & viris & fœminis ad ſui Ordinis dedecus ſubditi ſunt, cum in canonibus cautum ſit ne quis ſine licentiâ Epiſcopi Clericus, nec Epiſcopus ſine Metropolitano Curiam adeat, præcipiendo præcipimus & prohibentes prohibemus ne quis retineat hujuſmodi. Sed proceres ab Epiſcopis animarum ſuarum proceres Clericos poſtulent ſi Epiſcopi juſſione pro tempore ac viciſſim in curijs converſentur. Ipſis itaque omnino interdicimus ne Clericis proceres ſine conceſſione ſui Epiſcopi abutantur.*

Canones Sardicenſes 8.9.10.11. & 12. accuratè provident ne in Comitatum Epiſcopus ullus accedat, ni approbatâ ex causâ per Metropolitanum, aut Synodum, aut Summum Pontificem, & hanc regulam reſtaurari mandavit per commonitorium Pontifex Romanus Zoſimus ad Concilium Carthaginenſe ſextum.

3. Can. X. *Præterea conſtituimus ne quis Epiſcopus aut primas Monachum quemlibet vagantem in ſuâ Diœceſi Provinciâve retineat, niſi Abbatis proprij fuerit literis regulariter commendatus.*

Huic olim malo providerat Synodus Calchedonenſis can.4. & quiniſexta in Trullo can.42. & c.quanto

Digitized by Google

c. quanto de offic. iud. ordin. & Carolus Franciæ Rex nonus in comitiis Aurelianenſibus art. 11.

4. Can. XIII. *Vtque omnia ſcandala omneſque occaſiones laicis ſubtrahantur, ſericis veſtibus clericos abuti ulterius prohibemus, & ne pompoſis induantur exuviis admonemus. Penſandum eſt namque quantum viris flagitij adſcribatur à quibus curavit Paſtor Eccleſiæ etiam fœminas prohiberi, dicens non in veſte pretioſâ* 1. Timo. 2. *quam Dominus ipſe vituperans nobiſque cavendam inſinuans ait qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.*

His conſentiunt Concilij Carthaginenſis canon. 45. *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet, & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Et Nicænæ Synodi ſecundæ can. 16. & apud Gratianum c. clericus profeſſionem diſt. 41. & c. omnis inſtantia 2. 8. 4.

Can. XIV. *Presbyterorum filios* (intellige illegitimos) *à ſacri altaris miniſteriis removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis aut in canonicis religioſe probati fuerint converſari.* Vide in decretalibus tit. de filiis Presbyt.

Can. XV. *A ſuis Epiſcopis excommunicatos ab aliis recipi magnopere prohibemus.*

Hoc idem ſtatuerat Nicænum Concilium primum can. 5. & Sardicenſe can. 13. & c. & ſervetur iſta ſent. 11. q. 2.

5. Can. XVI. *Sane quia inter cætera unum eſt quod maxime ſanctam perturbat Eccleſiam falſæ videlicet pœnitentiæ. Confratres noſtros Epiſcopos & Presbyteros admonemus ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat cum ſpretis pluribus de uno ſolo peccato pœnitentia agitur; aut cum ſic de uno agitur ut non diſcedatur ab alio: unde ſcriptum eſt qui totam legem ſervaverit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam: ſicut enim ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantum maneat, vitæ æternæ januam non intrabit. Falſa etiam fit pœnitentia cum pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quæ ſine peccatis agi ulla ratione non prævalent, aut ſi odium in corde geſtet, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat, aut ſi cum non offenderit offenſus non indulgeat, aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat.*

Eadem plane Concilium Romanum anni 108. ſub Gregorio Papa VII. ſigillatim de falſis pœnitentiis commonet, urgens etiam de eo qui cum aliena bona diripuerit, illa cum poſſit reddere vel reparare noluerit. Hæc pariter ſpectant quæ ſcribit Sanctus Gregorius Homil. 24. in Evang. *piſcatorem*, inquit, *Petrum Mathæum telonarium ſcimus, ut poſt converſionem ſuam ad piſcationem Petrus rediit, Mathæus vero ad telonei negotium non reſedit, quia aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud autem telonei lucris pecuniam augere. Sunt enim pleraque negotia quæ ſine peccato exhiberi, aut vix aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt ut poſt converſionem animus non recurrat.* His adjunge fœminæ aut viri cohabitationem quæ peccati frequens occaſio fuerit.

## *CONCILIVM PLACENTINVM anni à Chriſto 1095.*

1. Vrbanus Papa ſecundus infenſiſſimos patiens adverſarios Henricum Germanorum Regem tum à ſe, tum à præceſſoribus Pontificibus Gregorio ſeptimo, & Victore tertio communione pulſum, & Sovibertum Antipapam ab eodem Henrico obtruſum, qui ipſe viciſſim Henricum poſtquam Romanæ civitatis partem dictam Leoninam invaſerat Imperialibus Ornamentis apud Sancti Petri Baſilicam inſigniverat, Papa inquam Urbanus, flagrante ubique exitiali Schiſmate, indictam à ſe generalem Synodum in urbe Placentina quæ eſt Provinciæ Longobardiæ anno 1095. circa mediam quadrageſimam convocavit, eique præſedit. Eo confluxiſſe perhibentur ex Italia, Francia, Burgundia, Germania, Bajoaria, & aliis Provinciis quatuor clericorum millia, & pluſquam triginta millia laicorum, adeo ut cum nulla eſſet Baſilica tantæ multitudinis capax, neceſſe fuerit Synodum diebus aliquot in aperto & patenti campo ſub dio celebrare. Ut Bertoldus teſtis oculatus aliique ſcripſere.

2. In eâ Synodo Praxedes Regina quæ clam ab Henrico Germanorum Schiſmatico Rege, ſuoque marito, ob nefandas illius quas in ſe pati cogebatur libidines, diverterat, de ejus immunditiis, & ſpurcitiis quas ab eo pertulerat conqueſta, & abſoluta fuit de pœnitentiis injungendis, eo quod illas non tam commiſiſſe quam invitam tuliſſe certo conſtaret; quodque ejuſmodi facinus ſponte & publicè confiteri erubuiſſet. Galliarum Rex Philippus jam ante in Concilio Heduenſi ob ementitas & ſacrilegas cum pellice Bertrada nuptias, ejectâmque uxorem ſuam legitimam excommunicatus, nec dum tamen reſipuerat, allegatis tamen per legatos excuſationibus inducias petiit ad uſque Pentecoſtes ab Urbano & Concilio, & obtinuit.

3. Eâdem in Synodo auditi ſunt Oratores Alexij Comneni Orientis Imperatoris ſuppetias implorantis adverſus Turcas qui omnem Aſiæ Minoris regionem uſque ad Conſtantinopolis mœnia invaſerant. Urbanus omnem adhibuit operam ut poſtulatum auxilium tranſmitteretur.

Placentini Concilij Can. I. *Ea quæ à ſanctis Patribus de ſimoniacis ſtatuta ſunt nos quoque Sancti Spiritus judicio & apoſtolica authoritate firmamus.* Vide Calchedonenſem canonem 2.

Can. II. *Quidquid igitur in ſacris ordinibus vel in eccleſiaſticis rebus vel datâ vel promiſſâ pecuniâ acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus.*



Digitized by Google

Can. III. *Si qui tamen à ſimoniacis non ſimoniacè ordinati ſunt, ſiquidem probare potuerint ſe cum ordinarentur, neſciviſſe eos eſſe ſimoniacos, & ſi tunc pro catholicis habebantur in eccleſia talium ordinationes, miſericordiâ ſuſtinemus, ſi tamen laudabilis eos vita commendat.* Habetur iſte canon apud Gratianum c. ſi qui à ſimoniacis 1. q. 1.

Can. IV. *Qui vero ſcienter ſe à ſimoniacis conſecrari imo execrari paſſi ſunt, eorum conſecrationem omnino irritam eſſe decernimus.*

Præter Calchedonenſis Concilij can. 2. vide quoque c. erga ſimoniacos 1. q. 1. & c. cum deteſtabile in extrav. com. de ſimonia.

4. Can. V. *Quicunque ſane cupiditate parentum, cum adhuc parvuli eſſent Eccleſias, vel Eccleſiarum partes per pecunias adepti ſunt: poſtquam eas omnino dimiſerint, ſi canonicè in eis vivere voluerint, pro miſericordia ibidem eos eſſe concedimus: neque pro hoc facto à ſacris Ordinibus removemus, ſi aliàs digni inveniantur.*

Canonum Doctores de eo qui ſine ſua culpa, & plane inſcius de beneficio proviſus eſt, ſic diſtinguere ſolent, vel ſic proviſus ſimoniam pro ſe ab aliis factam ignoravit toto triennio, & ſic poteſt citra ullam diſpenſationem, aut reſignationem in ſuo perſiſtere beneficio. Juvatur quippe regula de triennali poſſeſſore, vel reſcivit hanc ſimoniam nondum completo triennio, quo eventu debet quidem illud reſignare beneficium, ſed à proprio diſpenſatus Epiſcopo illud ab eodem per novam collationem recipiet. Vide quæ dixi in noſtrâ canonicâ praxi lib. 5. tit. 8. n. 3. Quia ergo inamovibiles ſunt ſuſcepti Ordines Placentinum Concilium eos qui innocenter Ordines ſuſceperint permittit in iiſdem miniſtrare, cui etiam plane conformis eſt Canon *de ſimoniacè ordinatis.* Sed qui pari innocentiâ, aut facti ignorantiâ beneficium ſuſceperint, quo utique quivis ſe abdicare poteſt, intendit idem Concilium ut ſic proviſus reſignare teneatur, quod his perſpicuè verbis declarat. *Poſtquam eas omnino dimiſerint.* Sed propter bonam fidem ſinceriore mox collatione legitime reſumant, & deinceps teneant.

Can. VIII. *Ordinationes quæ à Guiberto Hæreſiarcha factæ ſunt poſtquam ab apoſtolicæ memoriæ Papa Gregorio & à Romanâ Eccleſiâ eſt damnatus, irritas eſſe judicamus.*

5. Can. IX. *Similiter etiam & eas quæ à cæteris Hæreſiarchis nominatim excommunicatis factæ ſunt, & ab eis qui catholicorum adhuc viventium Epiſcoporum ſedes invaſerunt, niſi probare valuerint ſe cum ordinarentur eos non eſſe damnatos.*

Exceptio iſta (*niſi probare valuerint*) convincens probatio eſt homines quantumvis excommunicatos & diris devotos characteris poteſtatem retinere, ut quamvis illicitè, validè tamen ac efficaciter *ordine* uti poſſint, ſive ordinando, ſive in miſſa ſacrificando.

6. Can. X. *Qui vero ab Epiſcopis quondam quidem catholicè ordinatis, ſed in ſchiſmate his ſuffragatur qui ſequitur can.* 10. *à romana Eccleſia ſeparatis conſecrati ſunt, eos nimirum cum ad Eccleſiæ unitatem redierint, ſervatis propriis ordinibus miſericorditer ſuſcipi jubemus, ſi vita & ſcientia eos commendat.*

Can. XI. *Amodo autem quicumque à prædictis Schiſmaticis ſanctæque Romanæ Eccleſiæ adverſariis ſe ordinari permiſerit, nullatenus hâc veniâ dignus habeatur.*

Can. XII. *Quamvis autem miſericordiæ intuitu magnâque neceſſitate cogente hanc in ſacris ordinibus diſpenſationem conceſſerimus, nullum tamen præjudicium ſacris canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur, & ceſſante neceſſitate illud quoque ceſſet quod factum eſt pro neceſſitate, ubi enim multorum ſtrages iacet ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut demus amplius charitati.*

7. Can. XIII. *Illud quoque præcipimus ut pro chriſmate & baptiſmo & ſepulturâ nihil unquam exigatur.*

Concilium Calchedonenſe prohibet can. 6. ullum clericum abſolutè ordinari, ſed ſimul miniſterio alicujus Eccleſiæ vel pagi vel monaſterij deſignari, & aliter ordinatos exercitio, ac uſu ſuſceptorum ordinum interdicit. Meminit Auguſt. epiſt. 140. & 241. ad Severum Epiſcopum, ſemel ordinatum etiam in Minoribus clericum, qualis erat ordo Lectorum, non modo alligari cuipiam Eccleſiæ ſed etiam jurejurando profiteri ſe inde injuſſu ordinatoris Epiſcopi nunquam diſceſſurum, nec poſſe alterum aliquem Epiſcopum, illius qui primum ordinavit injuſſu, illum clericum ſibi aſſerere aut ordinare.

## *CONCILIVM CLAROMONTANVM anni Epochæ Chriſtianæ 1095.*

1. PHILIPPUS hujus nominis primus Francorum Rex repudiatâ legitimâ uxore Berthâ Comitis Holandiæ filiâ, ex qua etiam filium Ludovicum cognomine Craſſum ſuſceperat, qui etiam in paternum regnum ſucceſſit, illegitimo ſibi toro, nomine matrimonij, cognatam ſuam Bertradam Fulconis Andegavenſis Comitis adhuc viventis uxorem, libidinis ſtimulis abreptus conjungere eſt auſus. Quia vero id flagitium non ſimplicis fornicationis aut ſtupri, aut etiam adulterij nomine cenſebatur, ſed erat apertum ſacrilegium, falſo ſacramenti nomine prætextum, atque ita religionem ipſam apertè impugnabat: idcirco Urbanus Papa ſecundus, natu Gallus, Legatum ſuum toto Galliæ Regno conſtituit Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, collatâ omni poteſtate, quâ tantum poſſet ſcandalum amoveri. Ille ſine morâ Concilium Epiſcoporum univerſi Regni Oſtione, ut vocat Bertoldus, & poſt eum Baronius collegit. Hæc eſt Auguſtodunum Heduorum

in Ducatu Burgundiæ vulgo *Autun*. Epiſcopos nullatenus labefactavit proprij Regis ſive gratia ſive metus, in hâc enim Synodo Philippus communione fidelium exciſus fuit, anno 1094.

2. Cum vero Rex nihilo ſecius in contumaciâ perſiſteret, ipſe demum Pontifex Urbanus in Galliam profectus alterum univerſale Concilium Claromonte apud Arvernos coëgit, in quo ducenti quinque Antiſtites conſederunt ſummo præſidente Pontifice. In hoc rurſus Philippus cum ſua pellice Bertradâ excommunicatus eſt anno 1095. ut teſtantur Bertoldus, Vvillelmus, Malmesburienſis, & Sigibertus. Ipſa vero Regina Berta jam è vivis procul à Regiâ exceſſerat, ut liquet ex Chronico Cœnobij Sancti Petri vivi, Diœceſis Senonenſis, eiſdem temporibus conſcripto à Clario Monacho.

3. In Claromontano Concilio Urbanus Pontifex Chriſtianos ad ſacram in Palæſtinam expeditionem mirificè adhortatus eſt, Petri Eremitæ Galli, qui ex Palæſtinâ urgendæ rei cauſâ venerat, oratione commotus. Quo Claſſico excitatus Occidens numeroſiſſimos ad eam militiam fudit exercitus. Eo quippe in Concilio pœnitentiæ omnes ſacra ejus belli expeditione commutatæ ſunt; Epiſcopis & Proceribus injunctum onus populos ſubjectos ad id bellum graviter exhortandi, ærumnas omnes longæ profectionis & militiæ futuras in cumulatam noxarum omnium expiationem, & mortem ſi contingat ceſſuram in Martyrij gloriam. Induciæ bellorum inter Chriſtianos ad plures annos compoſitæ. Receptis à terrarum Principibus militantium perſonis & bonis donec à ſacrâ expeditione reverſi eſſent, nequis litem intentare aut facultates abſentium invadere aut vindicare præſumeret ſub excommunicationis eo ipſo incurrendæ pœnâ, quæ non ante relaxari poſſit quam ablata reſtituantur & de illatis damnis congruè ſatisfiat.

4. Hac eâdem in Synodo confirmatum fuit jus primatûs Archiepiſcopo Lugdunenſi ſupra quatuor Provincias, tam in Metropolitanos earum quam in ſuffraganeos ſcilicet in Lugdunenſem, Rotomagenſem, Senonenſem, & Turonenſem, qua de re decretum extat Urbani ad ſuperius memoratum Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem, quâ auctoritate tum ipſe tum ejus futuri ſucceſſores potituri ſint.

5. Rem obſervatu dignam refert Vrbanus Papa in tertio ſermone quem habuit in Concilio Claromontano. *Neque equidem* (ait) *in Eccleſiâ Ieroſolymitana Deus hoc annuatim prætermittit facere miraculum, cum in diebus Paſſionis ſuæ extinctis omnibus, & in Sepulchro, & in Eccleſiâ circum circa luminibus, jubare divino lampades extinctæ reaccenduntur*, Guibertus quoque Abbas Nongentinus, qui iiſdem temporibus vixit, teſtatum reliquit Philippum initio regni complures ſtrumis morbidos ſolo contactu curaſſe, ſed iſtud amiſiſſe Coronæ Franciæ adnexum privilegium, neque poſthac dum vixit recuperaſſe, ex quo mores illius per luxuriam & inceſtuoſos Bertradæ amores in deterius verſi ſunt, ſed nunc Claromontani canones diſcutiendi.

6. Can. II. *Quicumque pro ſolâ devotione non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandum Eccleſiam Dei Ieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur.*

Olim quidem Pœnitentibus interdicta erat militia, ut fidem facit Siricius Papa epiſt. ad Himericum Tarraconenſem Epiſcopum cap. 5. ſanctuſque Papa Leo Magnus epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap. 12. quæ eſt 2. editionis Quæſnelianæ. Verumtamen apud Claromontanos Patres & inſecuta Concilia, nec non apud ſupremam Apoſtolicam Sedem tanti habita fuit in Orientem expeditio, ad liberandos earum partium præſertim Palæſtinæ Chriſtianos à Mahumetanorum impiorum tyrannide; prætereaque innumeræ clades, ærumnæ, labores, & expenſæ quæ tam longinquam excurſionem & militiam comitabantur, pœnitentiarum uſu receptarum ſeveritatem longo intervallo excedere viſæ ſunt, ut ea commutatio abundantius pœnis omnibus canonicis quævis ſcelera poſſet expiare.

7. Can. IV. *Ne aliquis clericus arma deferat, & Apoſtolus* 2. Cor. 10. *in carne ambulantes non ſecundum carnem militamus; nam arma militiæ noſtra non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.*

Et ſub Carolo Magno capitulare Aquiſgranenſe cap. 70. *Omnimodis dicendum eſt Presbyteris & Diaconibus ut arma non portent, ſed confidant magis in defenſione Dei quam in armis.* Et Concilium Cloveshoviæ in Anglia ſub Zacharia Papa ann. Chr. 747. *Interdicimus ſervis Dei ut pompatico habitu, vel ſago, vel armis utantur.* Et Concilium Budenſe in Hungariâ præſidente Philippo Legato Apoſtolico ſub Nicolao Papâ VII. anno Chr. 1279. celebratum, can. 11. *Diſtrictè præcipimus ne Sacerdotes vel clerici in quovis ordine conſtituti gladium vel cultellum quod vulgariter dicitur* bord, *portent, niſi eis manifeſti timoris cauſa ingruerit, nec tunc abſque licentiâ Prælatorum portent.*

Can. IX. *Vt nullus Sacerdos aut Diaconus aut Subdiaconus, ſed & nullus qui Canonicam* (hoc eſt Beneficium Eccleſiaſticum) *habet fornicationis ſibi copulam adjungat. Quod ſi quis fecerit à canonicâ omnino arceatur.*

Can. XI. *Vt nulli filij concubinarum ad ordines vel aliquos honores eccleſiaſticos promoveantur niſi monachaliter, vel canonicè vixerint in eccleſiâ.*

Hic eſt defectus natalium de quo videndum c. 1. de fil. presbyt.

8. Can. XII. *Vt nulli clericorum liceat deinceps in civitatibus duabus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non poſſit habere.*

Vide ſuperius Concilij Nicæni I I. can. 15. Maxime cum illis temporibus nullæ præbendæ ſine miniſteriis eſſent quibus ſimul, præſertim duobus invicem diſtantibus locis, ſatisfieri non poterat.

9. Can. XIII. *Vt omnis clericus ad eum titulum ad quem primum ordinatus eſt ſemper ordinetur.*

Cavetur Nicænæ prioris Synodi can. 15. ne Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus in alteram transferatur Eccleſiam.

Can. XIV.

Digitized by Google

Can. XIV. *Vt nullus deinceps in unâ Eccleſiâ geminos honores habeat.*

10. Can. XVI. *Interdictum eſt ne Reges vel alij Principes aliquam Inveſtituram de Eccleſiaſticis honoribus faciant.*

Synodus Græcorum VIII. Oecumenica ſub Hadriano ſecundo Pontifice, occaſione Ignatij ſanctiſſimi Conſtantinopoleos Patriarchæ ſolio ab Imperatore Michaële, ſuadente avunculo Barda, deturbati, & Photij in idem Patriarchale ſolium intruſi can.22. Anaſtaſianæ editionis anathemate ferit quoſcunque laicos, Principes, & quoſcumque optimates qui propriæ poteſtatis abuſu quemcunque citra canonicam & liberam electionem ad aliquem Epiſcopatum promoverint. Idemque inſtauratus eſt canon anno 1080. in Concilio Romano adverſus Henricum IV. Imperatorem can. 1. & 2. quo eodem Concilio abrogatum eſt eidem Henrico Imperium & in Rodulphum Sueviæ Ducem tranſlatum.

Can. XVIII. *Vt nullus Presbyter cappellanus alicuius laici eſſe poſſit abſque conceſſione ſui Epiſcopi. Vt nullus Princeps cappellanum habeat, niſi quem ſibi Epiſcopus ſuus aut Archidiaconus procuratorem animæ delectum conſtituat.*

11. Can. XIX. *Ne laici decimam partem de laboribus ſuis retineant.*

Nota eſt vulgaris decimarum diviſio in prædiales & perſonales, de quibus canon iſte 9. & c. ad audientiam & c. ad Apoſtolicam & c. paſtoralis de decimis; atque mixtas, ut ſunt fœtus animalium, c. non eſt, eod. tit. & c. quicunque, & c. omnes decimæ 16.qu.7.

12. Can. XXVIII. *Ne quis communicet de Altari niſi corpus ſeparatim & ſanguinem ſimiliter ſumat niſi per neceſſitatem, & per cautelam.*

Præceptum iſtud ſub utrâque ſpecie communicandi Eccleſia haud multo poſt revocavit graviſſimis adducta cauſis, & omnibus Miſſam actu non celebrantibus uſum calicis interdixit. Videri poteſt inferius eam in rem Conſtantienſis Concilij ſeſſio 13. Poteſt etiam canon iſte Claromontanus intelligi ut prohibens ſervari ulterius conſuetudinem communicandi uno eodemque actu utramque ſacramenti ſpeciem de cocleari per quod intinctus Chriſti ſanguine panis Euchariſticus ſingulis exhibeatur ore ſumendus. Concilium Bracarenſe quartum anni Chriſti 675. can. 1. eos damnat qui Euchariſtiam vino madidam credunt populis porrigendam. Micrologus Gregorio Papæ VIII. σύγχρονος, *Non eſt authenticum* (inquit cap.16.) *quod quidam Corpus Domini intingunt & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam ordo Romanus contradicit.* Qui uſus inſtitutioni Chriſti repugnat, qui ſeorſim corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis in Cœna diſtribuit, nec alij intinctum panem dedit quam Judæ pro indicio proditionis. Uſus porro utramque ſpeciem commiſcendi frequentatur etiam nunc à Græcis jam inde à multis ſæculis. Humbertus enim Silvæ Candidæ Cardinalis Epiſcopus, à Leone Papa nono ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem Græcorum miſſus anno 1054. Nicetæ Pectorato Abbati, diſputatione Conſtantinopoli cum eo habitâ, objecit peccari à Græcis hâc in re contra ritum à Chriſto inſtitutum, & ſane Græcorum ille ritus non erat ab antiqua Græcanicæ Eccleſiæ inſtitutione, ut enim vetuſtiora ſileam Græcorum Patrum teſtimonia, Joannes Damaſcenus porrecti poſt Euchariſticum panem ſingulis de populo communicantibus calicis meminit lib. 4. de fide orthod. cap. 14. Ivo tamen Carnotenſis Epiſcopus, qui Urbani ipſius ſecundi tempore floruit, vir grandi eruditione & pari pietate, cujus etiam extant ad Urbanum epiſtolæ ab hoc uſu non abhorruit, ſuam enim ſic aperit mentem in tractatu de Divinis Officiis. *Sacerdos juxta Concilij Toletani definitionem non intincto pane, non authoritate, ſed ſummâ neceſſitate timoris ſanguinis Chriſti effuſionis, permittitur communicare.*

# ECCLESIÆ DVODECIMI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. HEnricus tertius Imperator, à quo fuit Romana Eccleſia fœdiſſimè lacerata, qui ſummos Pontifices continuis bellis inſectatus eſt, qui Antipapas obtruſit Cadaloum Parmenſem Pſeudoepiſcopum adverſus Alexandrum ſecundum Pontificem, deinde Guibertum Ravennæ Archiepiſcopum, adverſus Gregorium VII. Victorem III. Urbanum II. & Paſchalem II. diverſis fluctibus abreptus, nunc Eccleſiæ implacabilis hoſtis, nunc adverſis urgentibus pœnitens & reconciliatus, deinde in deteriora lapſus multoties anathematibus fulguritus, perpetuas in caput ſuum calamitates ſua pertinaci nequitia accerſivit. Anno 1076. Gregorius ei ſacrorum communionem interdixit, Saxones & Suevi in Henricum rebellarunt, Principes Germani ab illo deſciverunt, Concilium Epiſcoporum, & Principum apud Triburiam cōventus communi conſpiratione regnum illi abrogarunt. Henrici aſſeclæ illo deſpecto certatim diverſis itineribus in Italiam contenderunt, ut veniam ab Gregorio humiliter implorarent. Ipſeque Henricus rebus ſuis deſperatis, derelictus & omnibus inviſus Canuſium advenit Comitiſſæ Matildis arcem qua ſe Gregorius incluſerat, & hyeme aſperrima inter duos quibus arx circundabatur muros, nudis pedibus in habitu pœnitentis triduo uſque ad veſperam impaſtus ſui ad Pontificem admiſſionem expectavit, qui tandem admiſſum, nexibus excommunicationis exſoluit. Sed inſequenti anno ſua inſtaurata factione, adjunctis ſibi Romanis proceribus adverſus Pontificem inſoleſcere aſſuetis, in priſtinos relapſus mores, reſumptoque in Gregorium bello, ſacris iterum eſt interdictus. Interim Germani ab Henrico deficiunt, & Rodulfum Sueviæ Ducem Regem eligunt, qui Henricum acie victum in fugam conjecit; alteroque commiſſo prælio iterum fugavit, ſed dum fugientibus acrius inſtat perimitur anno 1080. relictâ pœnes ſuos victoriâ. Catholici rurſus Principes Hermanno Lotharingo Regnum deferunt. Ad poſtremum Henrici ipſius filius nominis ejuſdem ſive zelo animatus Eccleſiæ tuendæ, ſive Regni excluſionem ob paternam impietatem reformidans, arma in Patrem movet, ſpoliatque Imperio: qui profugus & privatam ad ſortem redactus Leodij inquietam & infelicem vitam finiit an. 1106. hæc referunt Bertoldus, Otho Friſingenſis, Marianus Scotus.

2. Violento & ſacrilego patri haud melior ſucceſſit proles Henricus Regum Germaniæ quintus, & Imperatorum quartus. Iſte initio profeſſus ſummam erga Romanam ſedem venerationem & obſervantiam, cum univerſa Germania in patrem rebellaſſet, eundem armis eſt inſectatus: Cumque anno 1105. conventus generalis Epiſcoporum & procerum Germaniæ præſidentibus legatis Sum. Pontificis Paſchalis ſecundi celebraretur apud Maguntiam, Henricus ſenior extorris & omnibus inviſus ſe palam Imperio abdicavit, ejuſque inſignia in manus filij jam ab omnibus in Regem ſuſcepti & ab Apoſtolicæ ſedis legatis confirmati tradidit. Verum quia non ex animo ſed neceſſitate coactus ſe ita demiſerat, mox fugâ dilapſus Leodium venit, ubi benigne per commiſerationem receptus literas ſcripſit patentes & commotores, inſcriptas ad Regem Celtarum, quas ubique diſſeminari curavit, in quibus de ingrato & perduelli filio conqueritur, & de Paſchali Pontifice quem criminatur rebellionis ſuaſorem & belli injuſtiſſimi incentorem. Quin etiam uſus Paſchalis abſentiâ qui tunc Beneventi degebat, quemdam Pſeudoabbatem de Farfa in Romanam Cathedram intruſit, qui a plebe ignominioſe dejectus eſt. Ipſe vero Henricus divina ultione repentina morte poſt renovatum ſchiſma impœnitens corruit, cum cælitum ſimul & mortalium omnium execratione. Leodienſis porro ſchiſmaticus Epiſcopus qui occulte abſque exequiis corpus ejus in quodam Monaſterio mandaverat ſepeliri, non potuit in Eccleſiæ communionem reſtitui quam ſupplex impetrare conabatur, niſi poſtquam effoſſum cadaver extumulavit, quod inde Spiram delatum in ſarcophago lapideo loco profano concluſum fuit.

3. Anno ſalutis humanæ 1010. Henricus junior Germaniæ Rex poſt præmiſſam inſignem legationem ad Paſchalem Papam, quâ ſacrarum dignitatum inveſtituris renunciabat, æternamque fidem & ſubjectio-

nem ſupremæ ſedi ſpondebat, rogabat etiam ſe ab eodem Imperatorem conſecrari. His pactis utrinque conventis, Italiam cum ingenti exercitu petiit: annoque 1111. pridie idus Februarij extra urbem à Principibus viris & populo exceptus, in porta vero à clero, ad ſuperiores autem ſancti Petri gradus à Paſchali Papâ, cujus primum oſculatus eſt pedes, deinde poſt amplexus mutuos, Eccleſiam ſimul ingreſſi ſunt. Cumque Pontifex Henricum de adimplendis conventionibus, & ſpeciatim de renunciando inveſtituris Eccleſiarum ſollicitaret, iſte nõ tantum hæc renuit adimplere, ſed Pontificem aliter coronare recuſantem cum Cardinalibus captivum ſub militari cuſtodia detinuit ſexaginta & uno diebus apud quoddam in Sabinis Caſtrum, conatus multis minis & ærumnis ejus labefactare conſtantiam in tuendis Eccleſiæ juribus. Cæterum propoſitis Pontifici ab iis ipſis qui ei adhærebant reliquorum captivorum calamitatibus, & urbis ab exercitu Henrici graviſſimis periculis, & ſchiſmate nunquam aliter deſituro, ſuorum tandem lacrymis victus, juramento promiſit nunquam ſe Henricum excommunicaturum & quoſcunque ab ipſo profecturas inveſtituras toleraturum; eadem qui cum Papa detinebantur reliqui Epiſcopi & Cardinales jurare compulſi ſunt. Denique extortum à Paſchali ſcripto ſignato & ſigillato privilegium fuit, ut Henricus (canonice tamen & citra ſimoniam aut vim) electos regni ſui Abbates & Epiſcopos per annulũ, & virgã inveſtiret, atque ut electi non aliter quam præviâ inveſtiturâ regiâ conſecrarentur. Poſt hæc captivis in libertatem eductis Henricus à Paſchali coronatus & inunctus eſt. Sed poſtquam Henricus cum ſuis abſceſſit, & Paſchalis in campaniam ſeceſſit, Epiſcopi & Cardinales Romæ ſeorſum convenientes confirmarunt quæ à Gregorio VII. & Urbano ſecundo contra profectas à laicis quibuſcunque inveſtituras Eccleſiarum pluribus Concilijs ſtatuta fuerunt. Simulque decreverunt nullam obtinere vim quæcunque in oppoſitum à Paſchali Pontifice per vim fuerant extorta. Hæc memorant Otho Friſingenſis Petrus Diaconus & alij.

4. Anno ſuccedente 1116. Paſchalis generalem in baſilica Lateranenſi coëgit, univerſo ex orbe Chriſtiano Synodũ, in qua primùm ipſe ſemet accuſavit puſillanimitatis & neglecti officij, quando Henrico illicita & Eccleſiæ pernicioſa conceſſit. Conciliumque rogavit ut actu illicita reſcinderet, ſuaque errata providè reſarciret. Concilium laicas Eccleſiarum inveſtituras ſub anathemate dantem, recipientem prohibuit: Henricum ipſum ejuſque Conciliarios & fautores de communione fidelium reſecavit. Henricus anno 1117. cum exercitu Romam verſus contendit S. R. E. perduelles ſibi arctius aſtringit, eorumque Coryphæo Ptolomæo Comiti tuſculano filiam ſuam nuptu collocat. Paſchalis ejus ſe furori ſubducit, Beneventum ſecedẽs. Henricus Romam ſuperbo apparatu ingreditur & nefarium hominem Mauritium Burdinum Bracarenſem Archiepiſcopum ad ſolium provehit Apoſtolicum, à quo & coronam accepit, quam per vim à Paſchali extorſerat. Altera quoque expeditione Henricus Romam profectus ſummo tunc Pontifice Gelaſio ſecundo fugâ elapſo, eundem Burdinum denuo in ſedem Apoſtolicam protruſit, quo tempore Gelaſius in Galliam afflictorum Pontificum Romanorum aſylum ſe recepit. Parem ab Henrico inſectationem ſuſtinuit poſt Gelaſium Calliſtus ſecundus ad annum uſque Chriſti 1122. quo deſideratiſſima pax poſt tam diuturnas tempeſtates orbi Chriſtiano illuxit, interveniente generali Lateranenſi Concilio ejuſdem anni à quo miſſi in Germaniam legati, per quos Vvormatiæ conventus eſt habitus in quo diſcuſſæ ſunt & utrimque approbatæ pacis conditiones. Legati vero Henricum & quoſcunque alios ſchiſmatis reos veniam petentes in communionem Eccleſiæ nomine Calliſti Papæ reſtituerunt. Ipſeque Imperator legatos proprios cum legatis Apoſtolicæ ſedis Romam ad Calliſtum cum muneribus direxit.

5. Morte admirandi Godofredi anno milleſimo centeſimo Regnum Jeroſolymitanum ad ejus fratrem Balduinum devolutum eſt. Et huic defuncto ſucceſſit ejus affinis Balduinus ſecundus anno 1118. qui biennio poſt inſignem de Turcis victoriam eſt cõſecutus, ſed idem paulo poſt per inſidias ab hoſtibus captus eſt, eaque calamitate res Chriſtianorum iis in locis deperiiſſent niſi auxilio adventaſſet Venetorum Claſſis, quæ formidabilem Ægiptiorum Claſſem longe navibus ſuperiorem commiſſo prælio depreſſis multis eorum triremibus fudit. Annoque ſequenti opportuno Venetorum auxilio Tyrus inexpugnabilis civitas in Chriſtianorum redacta eſt poteſtatem. Balduinus ex captivitate redux anno 1131. Antiochiam ab irruentibus infidelibus liberavit. Eidemque eodem anno vitâ functo ſuffectus eſt in Regnum gener ipſius Fulco Turonenſium Comes, ſed tandem inertiâ Chriſtianorum Jeroſolimam Saladinus Babyloniæ Rex Guidoni Luſiniano ultimo ex Criſtianis Paleſtinæ Regi, cum pleriſque alijs urbibus eripuit anno 1187. hæc prolixius ab Vvilielmo Tyrio recenſentur.

6. Henricus

6. Henricus Imperator vivere deſiit 1125. nullo ſuperſtite filio: eique ſubrogatus Germanorum Epiſcoporum & optimatum comitiis longe melior & commodior Princeps Lotharius Saxoniæ Dux, Deo ita providente, ut à familia & progenie Eccleſiæ pertinaciſſimè infenſa tranſiret Regnum ad gentem Saxonicam, quæ hactenus à partibus Eccleſiæ adverſus Henricos ſteterat. Initio variis modis exagitatus eſt Lotharius ab æmulis Friderico & Conrado Henrici ultimi ſorore genitis: ideoque ambobus ob contumaciam Honorius ſecundus qui eodem quoque anno Pontificatum iniit ſacris interdixit. Eoſdem tamen Divus Bernardus Lothario primum, deinde Honorio reconciliavit.

7. Statim ab Honorij exitu grave in Eccleſia exortum Schiſma eſt inter Innocentium ſecundum & Petrum Leonis, qui ſe Anacletum dixit pariter ſecundum. Sanior Cardinalium pars ſolicite curabat ut quam primum fieret electio, ne ſcilicet Romæ laici proceres tyrannice ut conſuetum ipſis erat, Pontificis electionem interturbarent, quod ſæpius factum ab ipſis fuerat, cæſis etiam & in vincula conjectis ſummis Pontificibus legitimè jam electis, neve præſenti quæ facienda erat electioni pro ſuo more obſiſterent. Juſta vero iſta eludendi & præveniendi tyrannos deliberatio occaſionem ſchiſmati dedit, qui enim proxime moribundo Honorio aſtabant, non ignorantes novæ ambitioſæque factionis molimina illam ſincero ſtudio conati ſunt antevertere. Statim igitur ab Honorij nece priuſquam illa divulgaretur, Gregorium tituli Sancti Angeli Cardinalem elegerunt & conclamaverunt. Cæteri vero qui nec moniti nec vocati fuerant eodem ipſo mortis die pro ut ante ſtatutum fuerat ad Sanctum Marcum ſtatim, ut reſcierunt Pontificis obitum, convenere, atque publico concurſu Epiſcoporum & Cardinalium aliorumque Romæ clericorum ſimulque nobilium civitatis ad Petrum Leonis tituli Sanctæ Mariæ trans Tiberim cõſenſere, qui ſibi Anacleti nomẽ aſcivit. Uterque civis Romanus erat. Innocentius per Oſtienſem Epiſcopum ex more conſecratus eſt in Baſilica Lateranenſi. Anacletus autem in Vaticana. Ille ſtirpis ac natalium nobilitate & procerum gratiâ & conſenſu inferior æmulo ſuo Anacleto, hic vero natalium ſplendore, divitiarum copiâ, nobilium favore ac plebis inclinatione longe ſuperior, neutiquam tamen ad religionem morumque integritatem quibus Innocentius commendabatur accedebat. Sed ſpes præmiorum uberior & conſanguineorum factio, cui omnis fere nobilitas adhærebat, & pecuniis redempta plebis propenſio, multo plures ad Anacleti partes promovendas allexerat. Parte igitur quæ pro Anacleto ſtabat armatâ, totaque urbe furẽte, Innocentius cum ſuis Cardinalibus ad Frangipanum ſibi amicorum ampliſſimas ædes acceſſit, famulis & armis omnique commeatu abunde munitas. Erat tunc Romæ familia illa præcipua nobilitate & divitiis florens & inſignis. Anacletus porro ad pecuniam quam ex patrimonij opulentia & negotiis Eccleſiæ diu geſtis coacervatam habebat, ſimul aliam quoque nefarie comparavit. Siquidem occupatâ Apoſtoli Petri Vaticanâ baſilica coronas, calices & crucifixos aureos & argenteum ciborium quod primario altari pro laqueari ſuperſtabat, argenteis pariter ſuffultum columnis expilavit, aliaque urbis templa donariis pretioſiſſimis expoliavit, ex quibus conflatis ingentem pecuniæ vim coaceruavit. Itaque populus Romanus pravis illecebris Anacleti corruptus Innocentium & eidem addictos Cardinales, partemque illius non ſolum probris & conviciis inceſſere inſtitit, ſed etiam armis & omni telorum genere in eorum vitam conſpirare.

8. Quibus malis cum reſiſtere ſe non poſſe Innocentius cerneret, ſibi urbe cedendum exiſtimavit, ac relicto in Laterano Sabinenſi Epiſcopo Conrado paratis occulte navigiis, ſecundo Tiberi cum ſociis Cardinalibus ad mare, atque inde duabus Piſanorum triremibus Piſas acceſſit. Exceptus eſt à Piſanis tantis ſtudiis quantis verum excipi Pontificem decuit. Ibi proximorum Epiſcoporum conventu habito Anacletum partemque ejus devovit. Interim Legati ab eo in Franciam miſſi, Ludovicum Regem id obtinuere ut Stampis convocato Epiſcoporum Concilio, ad quod accitus eſt Bernardus Clarevallenſis Abbas, utriuſque Pontificis comitia ſub examen revocarentur. Bernardo vero, cujus ſanctitas & ſapientia cœleſtis omnibus venerationi erat, Innocentij cauſam graviter ac copioſe agente, haud ægre & Rex & Epiſcopi Innocentij partes conſectati ſunt, ac miſſis ad eumdem nuncijs ipſum in Franciam vocavere. Ita Pontifex rebus ſuis in Etruria conſtitutis, Piſis ſoluens in Franciam iter inſtituit. Ex itinere cum Genuam attigiſſet à civitate honorifice exceptus, inducias Genuenſes inter & Piſanos uſque ad ſuam reverſionem compoſuit. Profectus inde Genuâ ad littus Provinciæ acceſſit & per Decembrem menſem alterum Claromonte conventum habuit, atque iterum Anacletum ejuſque fautores damnavit.



Digitized by Google

9. Dum hæc ab Innocentio geruntur, Anacletus qui ſolus in Urbe remanſerat anathemata adverſus Innocentium ejuſque ſequaces intorquet, miſſiſque in diverſa Legatis & nuncijs cauſam ſuam apud exteros probare conatur. Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus ab Honorio communione fidelium reſecatus, ſe ſuoſque Mediolanſes Anacleto prorſus addixit, & pleroſque Longobardiæ Epiſcopos in eaſdem partes attraxit. Quinetiam Rogerius Siciliæ Comes atque Apuliæ & Calabriæ Dux cum Roberto Principe Capuano ſuos populos ad Anacletum traduxit, ſponſione accepta regij nominis ſibi ſuiſque poſteris ab Anacleto conferendi ſub fide ac feudo Romanæ Eccleſiæ. Quam occaſionem avide arripuit Anacletus, atque inde factum ut ipſius partibus Provinciæ illæ cum Antiſtitibus & populis & ipſo Caſſinenſi Monaſterio ſe adjunxerint. Guilielmus inſuper Aquitaniæ Dux & Pictavorum Comes ſuadente Engoliſmenſi Epiſcopo Girardo, ſe ſuoſque populos Anacleti cauſæ adjunxit. Sed non multo poſt divina virtus Bernardo Clarevallenſi affixa, ejuſque indefeſſa ſollicitudo Principes eoſdem eorumque Præſules & populos ad Innocentij partes mirifice traduxit. Innocentius Claromonte profectus Aurelianum acceſſit, ab Epiſcopis & Ludovico Rege ejus nominis ſexto, ejuſque filio qui poſt eum regnavit dictus junior & nomine ſeptimus, obviam progreſſis exceptus & legitime cultus fuit. Inde à Gaufrido Carnotenſi Epiſcopo Carnotum adductus, Henricum Anglorum Regem cum maximo Epiſcoporum Principumque ſuorum comitatu obviam habuit. Eo vero invitis Epiſcopis ſuis Innocentium recipere formidante, Bernardus qui aderat, Quid hæſitas? inquit an ne Deo diſpliceas & piaculum contrahas? cogita de alijs peccatis tuis quid ei ſis reſpōſurus: iſtud vero fac mihi relinquas quod in me ſuſcipio. Atque ita illum ad pedum oſcula impulit. Reverſus ex Germania Gerardus Cardinalis Legatus bonum Regis Germanorum Lotharij erga Innocentium animum retulit, ac præſtò eum ad Leodium fore nunciavit. Quo nuntio erectior ipſe factus haud tamen in præſens Leodium voluit adire, verum Franciam ante poſtulantibus ita populis perluſtrare. Itaque præſente Ludovico Rege Concilium Remis frequentiſſimum habuit, in quo Anacletum de integro condemnavit, filiumque Regis patre poſtulante regiâ coronâ ornavit anno 1131. Eo die qui erat Sabbati (inquit vetus Mauriniacenſe Chronicum) ſol clarior ſolito effulſit. Auſpicato enim celeberrimo Concilio cui Pontifex Innocentius præſedit eique Rex Ludovicus aſſedit, quò innumeri Epiſcopi ex omni Gallia & Germania confluxere, & inſigni celebritate præſente Rege & innumeris proceribus, ſummus Pontifex filium regis ſacro Remenſi oleo inunxit, eique coronam impoſuit; omnia fauſta longinquis ex Provincijs nunciata Pontifici ſunt. Ipſi enim per Magdeburgenſem Archiepiſcopum præſentatæ ſunt literæ à Lotario Germaniæ Rege, in quibus rurſus ei obedientia promittitur. Similiter aliæ ex parte Anglorum Regis per Hugonem Archiepiſcopum Rotomagenſem, plenum ei obſequiū fidē & obedientiam renovantes. Reges quoque Hiſpaniæ citerioris, ſenior Ildefonſus & Hiſpaniæ interioris Ildefonſus junior per Epiſcopos ſuarum Provinciarum ſeſe filios & obedientes denunciant, ſimulque auxilium contra Chriſtiani nominis inimicos regionum illarum invaſores Saracenos ſuppliciter efflagitant, aliæque diverſis ex partibus gratulatoriæ & obſequioſæ.

10. Sequenti anno qui fuit 1132. Innocentius Leodium prodiit, atque eòdem Lotarius cum omnibus ſacris profaniſque regni ſui proceribus & univerſa Germaniæ nobilitate, Rex ad pedes Pontificis procubuit. Cum vero propoſuiſſet Innocentio de reſtituendo inveſtiturarum jure quo Imperatores præceſſores uſi fuerant, Divus Bernardus qui nunquā à Pontificis latere diſcedebat, tanto animi vigore in oppoſitum peroravit, ut Lotarius eidem tanquam oraculo acquieverit, & petitionē ſine mora revocarit. Data itaque dextera pollicitus eſt ſe Innocentium Romam cum exercitu reducturum, atque Anacleto exacto incolumem in ſede Apoſtolica collocaturum, ex qua ſibi diadema Imperatorium de ipſius manu ſumeret, quam rem Pontifex eidem ſpopondit. Collatoque de tantis rebus gerendis conſilio, Leodio digreſſus Innocentius, ac Bernardi Clarevallenſis Monaſterio luſtrato, ſeſe in Italiam retulit, ac Genuam reverſus ibi Lotarij adventum ſibi expectandum eſſe conſtituit. Ut vero Genuenſium & Piſanorum erga ſe merita rependeret, utramque Eccleſiam Genuenſem & Piſanam in Metropoles erexit, eiſque ſuffraganeas attribuit æquis partibus diſtributas, Epiſcopales Corſicæ Eccleſias. Primus Archiepiſcopi Genuenſis dignitate ornatus Syrus fuit, cum antea Genuenſis Eccleſia Metropolitano Mediolanenſi ſubjaceret. Pacem deinde inter Genuenſes & Piſanos compoſuit.

11. Lotarius interea opportunus advenit, aſſumptoque Innocentio Viterbium, atque inde Romam perrexit. Ibi caſtris ad portam Sanctæ Agnetis locatis, Genuenſes & Piſanos claſſes ſuas littoribus Romanis admovere



Digitized by Google

admovere juſſit, tantumque Anacleto & fautoribus ejus urbem tenentibus terroris injecit ut in editas turres ſalutis ſuæ tuendæ cauſa conceſſerint. Qua re animadverſa ab amicis receptus ipſe cum Innocentio pacato agmine urbem ingreditur, cumque illum in Laterano repoſuiſſet ipſe Aventinum inſedit. Conatus eſt præſentem controverſiam cum Anacleto dirimere vel negotio vel armis; cumque Anacletus neque ullius colloquij, neque prælij copiam faceret, omne ſtudium ad Auguſtalia recipienda inſignia convertit. Anacletus Baſilicam Vaticanam tenebat operibus præſidioque firmatam, in qua moris fuerat diadema Imperatorium tradi. Sed ne diuturna huic ſolemni mora injiceretur, facta eſt coronatio illa in Baſilica Lateranenſi. Premebantur interea Germani duobus graviſſimis detrimentis, uno quod liberè vagari per urbem non poſſent, adverſariis ex turribus eos lapidibus, telis & ſagittis de turrium culmine laceſcentibus: altero quod æſtu Romani cœli Germanorum corporibus infeſtiſſimo graviter ſui afficerentur. Quorum utrique occurrere Lotharius cupiens urbe ceſſit, ac Longobardiam repetiit, indeque tranſmiſſis Alpium jugis in Germaniam tranſiit.

12. Anacleto tamen Romæ inhærente, tyranniceque in fautores Innocentij ſæviente, Rogerio quoque terras Eccleſiæ invadente & quotquot Innocentium ſequebantur crudeliter inſectante, Innocentius cogitur iterum Lotharij opem & præſidium implorare, qui tandem alteram in Italiam expeditionem decrevit, exercitumque multo quam ante majorem atque omnibus rebus inſtructiorem paravit, ſecumque adduxit Henricum generum Bavariæ Ducem, cui partem exercitus dedit ad comprimendum Rogerium Roberti Guiſcardi filium, à quo ſuperius vidimus Boëmundum majorem natu fratrem ſupplantatum, quique ab Anacleto Regis titulum & inſignia obtinuerat. Hunc Henricus bello perſequens omnibus ferè oppidis ſpoliavit Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, reliquiſque ditionibus, ita ut victus & extorris vix ullo loco tutò conſiſtere poſſet. Alteram exercitus partem ſibi aſſumens Lotharius, Longobardos perduelles & tumultuantes ad officium pacemque reduxit. Terras deinde Romanæ Eccleſiæ omni præſidio munitas quæ Anacleto obtemperabant Ravennam, Flaminiam, Picenum, Umbriam, Anconam, Spoletum; his confectis in Apuliam ingreſſus Barium urbem invaſit & ad deditionem adegit. Verumtamen regreſſo in Germaniam Lothario Rogerius ſemper in fovendis partibus Anacleti pervicax & obſtinatus, quæcunque amiſerat brevi recuperavit, prætereaque Capuæ principatum occupavit, mortuo ejus Principe Rainulfo. Qua invaſione irritatus Pontifex Innocentius copias adverſus Rogerium à ſe devotum & excommunicatum eduxit. Sed incautus & ſpecie tractandæ pacis eluſus in manus cadit Guilielmi filij Rogerij anno 1139. qui captum ad patrem adduxit. Jam fuerat poſt circiter octo annorum in ſchiſmate decurſum mortuus Anacletus. Ipſe vero Innocentius apud hoſtes captivus dira & indigna ſibi metuebat, ſed longè ſecus res tota ſucceſſit: Rogerius enim per quàm honorificè illum habuit omnique cultu proſequutus eſt & pacem ab eo ſupplex rogavit miſſis ad Pontificem oratoribus, quæ ita concluſa eſt ut Rogerius ejuſque ſucceſſores beneficiario ab Eccleſia jure & ſub Regis titulo ditionem Neapolitanam omnem, ſimulque Apuliam & Calabriam ipſumque Capuæ principatum poſſiderent, cum certi annui tributi Eccleſiæ Romanæ ſolvendi indictione. Rogerius ejuſque filius pedibus Innocentij procumbunt, perpetuamque fidem & clientelam Petro Apoſtolo & Innocentio ejuſque ſucceſſoribus jurejurando ſuper Sacroſanctis Evangeliis præſtito pollicentur. Innocentius indicem novæ inveſtituræ vexillum in manum utriuſque porrigit. Atque ita Principes illi Gallicani pulcherrimas Provincias innumeris laboribus & ſtupenda fortitudine à ſe ſubactas & de manibus Saracenorum & Schiſmaticorum Græcorum ereptas & vindicatas, in feudum Sanctæ Eccleſiæ & nobiliſſimam ſacri patrimonij Apoſtolici partem erexerunt.

13. Poſtquam vitâ ceſſit Lotharius Auguſtus abſque liberis regni Germanici ſedes aliquandiu vacavit, donec anno 1139. habito Confluentiæ Principum conventu, cui Theodinus Epiſcopus & Cardinalis Legatus Apoſtolicus interfuit, Conradus electus eſt Henrici quarti Imperatoris Sororius. Per hæc tempora Fulco Jeroſolymæ Rex inter venandum equo excuſſus interiit: relicta uxor & impuberes filij tanto gubernaculo inter hoſtes Saracenos erant impares. Edeſſam Noradinus Saracenus expugnaverat. Denique res Chriſtianæ in Oriente ad extremum diſcrimen adductæ Principum Occidentis opem implorabant. Bernardus ille omni preconio major ſcriptis literis & viva voce cruciatam expeditionem urgebat, approbatore Eugenio Pontifice. Regeſque Conradum Germaniæ & Ludovicum ſeptimum Galliæ ad Jeroſolymitanam profectionem excivit. Conradus ducens peditum ducenta equitumque ſeptuaginta millia poſt

acceptam

acceptam ab Imperatore Græcorum Manuele fidem, hujus tamen perfidiâ & invidiâ ingentem exercitus partem morte amiſit, & qui evaſerunt morbis debilitatos eduxit, præbito fraudulenter corrupto frumento & farinâ, gypſo & calce permiſta, quæ tamen enormi pretio vendebatur. Datis quoque fraudulentis ductoribus qui per devia & inacceſſa ducentes miſeros milites fatigabant, diſpoſitis per omnes itinerum anfractus prædonum inſidiis, qui fatigatos de ſublimibus & arduis locis telis vulnerabant. Cumque Germanorum & Francorum copiæ admodum imminutæ ad Palæſtinam appuliſſent, ob quorundam tum æmulationem tum perfidiam, nullum operæ pretium peregerunt, atque re infecta multis exhauſti calamitatibus Germani primum, & ſubinde Franci ad propria reverſi ſunt. Hæc referuntur ab Othone Epiſcopo Friſingenſi qui Conradum tota illa expeditione ſequutus fuerat, à Vuilielmo Tyrio partim etiam à Græco hiſtorico Nicæta Choniate.

14 Mirum eſt quantos ſuſcitaverit in urbe Roma tumultus Arnaldus Brixianus Petri Abaliardi diſcipulus, Romanis perſuadens ut ſe in priſtinam Reipublicæ Ethnicæ libertatem aſſererent, tributa & vectigalia imponerent, Magiſtratus crearent, Senatum à quo Regimen omne politicum adminiſtraretur erigerent, eique Patricium cum ſummo Imperio præficerent. Pontifici autem & Clero nihil præter Decimas & Primitias & cultum Eccleſiaſticum reſervarent. His ſeditionibus & armorum Civilium tumultibus ſæpenumero coacti ſunt Pontifices fuga evadere, Innocentius lecto decumbere, & præ animi mœſtitiâ mori: quali etiam mœſtitia & vulnere in capite à ſeditioſis accepto ejus ſucceſſor Lucius ſecundus interiit: exinde ſub Eugenio tertio eo uſque invaluit Arnaldiſtarum furor, ut nobilium Romanorum & Cardinalium domos à parte Pontificis ſtantium tota urbe ſparſas aduſque fundamenta diruerint & opes diripuerint, & quoſcunque tenere potuerunt illarum dominos verberibus & inſignibus contumeliis affecerint, atque in cuſtodias incluſerint, multoſque occiderint. Eugenius interim fugâ ſibi conſulens Viterbium ſe recepit. Qua occaſione Bernardus objurgatoriam ſcripſit ad Romanos Epiſt. 242. nec non 243. ad Conradum Regem quem hortatur, ut rebelles Romanos viribus armorum, ſi ſecus reprimi nequeant, ad officium redigat.

15. Conradus anno demum 1152. vitâ exceſſit, deinde Eugenius Papa anno 1153. quo eodem anno Bernardus ad ſuperos migravit, cujus olim fuerat Eugenius Monachus & diſcipulus. Conradus vicina morte regni Germanici ſucceſſionem teſtamento reliquit non filio Friderico, eo quod minoris eſſet ætatis, ſed fratris ſui filio nomine pariter Friderico & cognomine Ænobarbo Suevorum Duci, quam diſpoſitionem comitia Germanica mox approbarunt. Hic in Italiam profectus primo congreſſu cum Hadriano quarto Pontifice proſtratus humi ejus oſculatus eſt pedes, ſed ſolitum ſtratoris officium recuſavit exhibere: poſtquam vero poſtridie id officium à præceſſoribus commonſtratum eſt exhibitum, & qui præſentes aderant Principes exhibendum judicaſſent, alacriter eo functus eſt Fridericus: illumque præſtito de tuendis Eccleſiæ Romanæ Juribus ſacramento, Hadrianus Imperiali coronâ redimivit anno 1155. mox ſuſpicax & irrequietum Friderici ingenium rixarum anſam inde accepit, quia cum Londonienſis Epiſcopus Romana ex urbe in Angliam remeans per Friderici ditionem iter haberet, captus à quibuſdam impiis & ſpoliatus & peſſime habitus eſſet, adhucque in cuſtodia detineretur, Legatos ad Fridericum Hadrianus direxit cum literis quibus de execrabili facinore in perſonam ſacram ab impiis commiſſo, & ejus vindictâ à Friderico neglectâ rogans meminiſſet quam propenſo animo ſuprema ſedes illi plenitudinem poteſtatis contuliſſet, nec collati beneficij pœniteret, quin potius nova alia quæcunque liceret beneficia libentiſſimè collaturam. Officioſæ iſtæ literæ adeò ſiniſtrè ab Imperatore ejuſque corruptoribus circunſtantibus aulicis acceptæ ſunt, ut juſſi fuerint Legati poſtridie primo mane rectâ viâ Romam citiſſimè repetere, atque prohibiti ad aliquem Epiſcopum vel Abbatem divertere, nec moratus eſt Fridericus literas circulares ad Principes, Reſpublicas & Epiſcopos omnes tranſmittere, in quibus veram reticens Legationis Pontificiæ cauſam, expoſtulat Hadrianum ad ſe Legationem cum literis direxiſſe ad arroganter Auguſto exprobrandum, non aliunde quam à Summo Pontifice Imperium accepiſſe, declarans ſe per electionem Principum à ſolo Deo regnum & Imperium tenere: ſeque mortis pericula quævis ante ſubire paratum quam tantæ confuſionis opprobrium ſuſtineret. Edicto præterea ſubditis vetuit Romam peregrinari. Hadrianus proſpiciens Fridericum exitioſiſſimum ſchiſma apertè moliri, aliis quàm mitiſſimè literis illius animum efferatum conatus eſt delinire, declarantibus ſe in præſentibus vocē beneficij nullatenus pro feudo accepiſſe, ſed pro benevolo propenſi animi benefacto, nec dare coronam pro conferre pleno jure ſed pro imponere capiti. Verumtamen

tamen Friderico multa injuſta & facere & poſtulare non ceſſante, rixa prior quam citiſſimè recruduit cum ipſo Hadriano, quo paulo poſt ex hac vita ſubtracto anno 1159. eique ſuffecto Alexandro tertio Fridericus Octavianum Pſeudopontificem obtruſit, à duobus ſchiſmaticis Cardinalibus promotum, poſtquam Alexander eminentiſſimi vir meriti fuerat reliquorum omnium Cardinalium ſuffragijs electus. Nomen porro Victoris ſibi Octavianus ſumpſit. Quo apud Lucam Tuſciæ civitatem mortuo, à ſchiſmaticis ſubſtitutus eidem fuit Guido Cremenſis, quem Paſchalem tertium nominarunt anno 1164. ſequenti anno Alexander qui in Galliam ut in tutiſſimum refugium conceſſerat, Romanorum Legatione invitatus in ſuam ſe recepit Romanam Sedem.

16. At Fridericus anno 1167. in Italiam formidabilem duxit exercitum & Romam arcta obſidione cinxit, ſed qui terrorem, incendia & vaſtitatem circuntulerat, graſſante in exercitu ejus peſtilentia obſidionem ſolvit, & majori ſuorum parte amiſſa, vix incolumis in Germaniã evaſit. Alexander pertinacem Eccleſiæ perſecutorem Fridericum anathemate percellit omneſque ejus fautores, illum regno & Imperio deponit, aliaque omni ditione, & ejus pridem ſubditos omni juramento & ſubjectionis fide ſolvit, imitatus præceſſoris ſui Gregorij VII. exemplum, qui Henricum ſimilia patrantem ſimili ſententiâ in Concilio Romano damnaverat. Eodem anno qui erat Chriſti 1168. Mediolanenſes urbem ſuam quam Fridericus ante paucos annos everterat, magnâ diligentiâ inſtaurant & communiunt: Alexandria etiam nova civitas ſic à nomine Pontificis dicta, loco commodiſſimo à Cremonenſibus Inſubribus & Placentinis ædificatur, ut ſit adverſus Papienſes & Marchionem Montiſferrati fautores Friderici validiſſimum in Longobardia propugnaculum. Ipſe vero Fridericus altera in Italiam tentata expeditione, acie cum Mediolanenſibus congreſſus, amiſſis armatorum viginti quinque millibus, in fugam actus Papiam ſe recepit, rebuſque ſuis deſperatis aſſumpto famuli habitu cum alijs quinque famulis noctu abſceſſit, & vix ſoſpes Alemaniam repetijt. Tot igitur fractus cladibus & populis omni ex parte rebellantibus pacem expetere compulſus eſt: quæ anno demum 1177. Venetijs quo ſe Alexander receperat eo quoque accedente Friderico peracta eſt.

17. Orientis Imperium mortuo Alexio Comneno filius ejus Joannes ſeu Coloioannes capeſſivit, invita & renitente matre Irene, quæ in filiam Annam Cæſariſſam propenſior hujus gratiâ generum Briennium omnibus ſuis viribus & induſtriâ in Imperium provehere contendebat. Erat Cæſariſſa verſatilis & elegantis ingenij fœmina, ut ejus hiſtoria qua patris ſui actu perſecuta eſt ſatis probat, longè aſſurgens ſuprà temporis illius barbariem dignaque antiquiore & politiore Græcia. Sed ejus erat inexplebilis ambitio, eam tamen cum poſt irritas & temerarias molitiones Joannes frater poteſtate, honoribus & liberalitate cumulavit. Idem religione & bellicis virtutibus ita præſtitit ut neminem parem Byzantinum Imperium poſt ſeniorem Theodoſium habuerit. Scythas enim & Hungaros inſignibus victoriis fudit, & trans Iſtrum fugavit. Triballos debellavit. Deinde traductis in Orientem copijs Perſarmenos profligavit acie, atque innumeras hoſtium urbes & arces expugnavit, & Turcas in Aſia graſſantes victoriis ſuis repreſſit. Gloriam vero bellicorum facinorũ non ſibi ſed divinis præſidijs aſcripſit, atque in regiam urbem victor rediens triumphum religione inſignem indixit, albis quadrigis effigiem Dei genitricis impoſitam curru triumphali circunduxit, ipſe pedes incedens & crucem manu geſtans, templumque ſplendidiſſimè ornatum ingreſſus publicas Deo grates rependit. Princeps verè injuriarum & offenſarum obliviosus clemens & beneficus. Hanc tamen ſuis moribus labem aſperſit, quatenus ſibi conjunctiſſimo Chriſtiano Principi Raimundo Antiochiam invadit, cujus per dolum invadendæ ſpe fruſtratus ejus ſuburbia diripi à ſuis & agros vaſtari, juſſit, ſed ejus ambitionem pœna mox comitata eſt. Nam dum in venatione aprum ſuo venabulo transfixum urget, manus impetu feræ repulſa pharetram obliquè ſuſpenſam & venaticis ſagittis refertam evertit, quarum contactu ſauciata veneno ſerpente paucis diebus è vita ceſſit anno 1143. Imperium moriturus Manueli filio juniori reliquit poſthabito majori natu Iſaacio ut minus idoneo.

18. Manuel vafer & ſubdolus Princeps Chriſtianis rebus quæ ad Latinos ſpectabant infeſtus adeò fuit, ut cum Saracenis in illorum conſpiraret exitium. Hic eſt qui Conradi Germanorum & Ludovici Franciæ Regum florentiſſimos exercitus ad ſacrum bellum proficiſcentes omni perfidiarum genere diſperdidit. Filium reliquit impuberem Alexium Imperij hæredem, quem Andronicus Manuelis patruelis nondum abſoluto Imperij triennio perfide necavit. Sed biennio poſt omnibus ob immanes & quotidianas credulitates inviſus, dum Iſaacio Angelo molitur necem, populari exorto tumultu

multu comprehenſus, oculo effoſſo alteraque amputata manu, Camelo impoſitus perque urbem à furente plebe traductus multiſque modis excruciatus, Dei tamen miſericordiam aſſiduè reclamans eſt interemptus, in hoc deſijt Comnenorum progenies anno 1185.

19. Ejuſdem factione populi Iſaacius Angelus delatum ſibi Auguſti nomen accepit, Fridericum Ænobarbum per Thraciam & Aſiam in Palæſtinam properantem conatus intercipere, magno ſuo damno illius in ſe arma concitavit. Denique ab Alexio Angelo fratre cum oculis ereptum illi eſt Imperium anno 1195. Iſaacij Angeli filius & ipſe Alexij nomen habens, eluſis cuſtodibus carcere quo eum patruus incluſerat ac patriâ profugus, acceptis ab Occidentis Imperatore Philippo ad Francos & Venetos commendatijs literis, ut ipſorum operâ in regnum una cum patre reſtitueretur (habebat quippe Philippus in matrimonio Iſaacij filiam Irenem) Balduinum Flandriæ, Ludovicum Bleſenſium, Stephanum Perticenſium, Henricum Fanipaulini Comites, Henricum Dandulum Venetorum Principem, & Bonifacium Montisferrati Marchionem, qui omnes ad ſacram in Saracenos militiam nomina profeſſi fuerant, ad ſocietatem impulit belli adverſus Alexium invaſorem, qui Comneni nomen aſſumpſerat. Fœderatorum Claſſis in conſpectum Byzantij provecta eſt, factaque copiarum aliquot extenſione terra marique ampliſſima civitas à paucis obſidetur, expugnatur, diripitur, incenditur, tyrannus dilapſus Delbetum profugit anno 1203. Sequenti anno Alexius Ducas dictus à Græcis Murzuflus adverſus Iſaacium & Filium Alexium regnantes rebellat, Iſaacioque animam agente Alexium Angelum arte eludit & captum laqueo interimit anno 1204. quo eodem communi Principum fœderatorum conſilio Balduino Flandrenſi delatum eſt Conſtantinopolis Imperium. Supra dictæ hiſtoriæ fuſius perhibentur à Niceta Choniate Græco.

20. In Galliæ regno Ludovicus dictus junior ejuſque nominis ſeptimus, Alienoram Vvillielmi, qui poſtmodum in album Sanctorum aſcriptus eſt, Aquitaniæ Ducis & Pictavorum Comitis unicam filiam, cum dotali ampliſſimarum Provinciarum ſucceſſione acceperat uxorem, quamque in Orientem ſecum adduxerat: Pertæſus tamen ejus vitæ laſcivioris, regreſſus à ſacra expeditione poſtquam in Concilio Baugenciæ, ei exploratum fuit inter Ludovicum & Alienoram cognationis impedimentum, ut ſcribit Sugerius, Rex cum illa divortium fecit & Mariam Alfonſi VII. Hiſpaniæ Regis conjugem duxit, hoc divortio admodum debilitatum eſt Franciæ regnum & Anglis æmulis ac perpetuis hoſtibus ultra modum ſuccrevit, fatalis Gallico regno potentia, qui cum jam Normanniæ Ducatum & Andegavenſium Comitatum poſſiderent intra Galliam, Aquitaniæ & Pictavorum Provincijs ditati ſunt per nuptias quas Alieonorâ rejectâ anno inſequenti cum Henrico Normanniæ Duce & Pictavienſium Comite ejuſque nominis ſecundo Anglorum Rege contraxit. Unde atrox ingruit de Aquitaniæ poſſeſſione bellum inter ambos Reges. Hic Henricus ille eſt, qui graviſſimas adverſus Thomam Cantuarienſem Epiſcopum jura & immunitates Eccleſiæ conſtanter tuentem excitavit turbas, exilia, proſcriptiones, & cujus mortem à ſicarijs in Eccleſia illatam anno 1171. publicâ luit pœnitentiâ.

21. Anno 1118. inſtitutus eſt Templariorum militum Ordo, quorum erat habitatio prima juxta Porticum Jeroſolymitani Templi unde ſortiti ſunt nomen: officium autem in Palæſtinam peregrinantes deducere, atque à Saracenorum injuriis tueri. Ordo vero Hoſpitalariorum Sancti Joannis jam inde ab anno 1104. auctore Joanne Gerardo Provinciali ex oppido Marticenſi ortum duxit. Horum munus verſabatur in ſuſcipiendis Peregrinis Sepulchrum Chriſti adeuntibus, eiſque neceſſaria quæque ad victum ſuppeditando: qui Ordo latius propagatus ad ſuſceptionem peregrinorum adjunxit ſub Præfecto ac Magiſtro generali Raymundo à Podio Nobili Gallo munia militaria, ad reprimendam Infidelium vim. Hi primas apud Jeroſolymam ſedes Ordinis ſui conſtituerunt, ſed illa urbe à Saracenis expugnata Ptolemaidem munitiſſimum Palæſtinæ portum diuturno tempore magna virtute adverſus Saracenos propugnarunt. Attamen prævalentibus Infidelium armis & deficientibus Chriſtianorum auxiliis, inde Rhodum commigrarunt, in qua innumera virtutum & fortitudinis ſpecimina ediderunt, ſed Turcarum viribus inde quoque abſcedere coacti, Melitam tranſlati eo veluti propugnaculo immenſam hoſtium Chriſti potentiam coërcent. Sub Innocentio tertio Pontifice Teutonicorum militum ordo Cruce nigra ſuper alba veſte inſigni florere cœpit, ad quem non admittuntur alij quam nobiles Germani quibus ſe poſtmodum Livonienſes milites adjunxere.

22. Diverſi præterea Cœnobitarum Ordines

dines hoc ſæculum illuſtrarunt, inter quos celebrantur Præmonſtratenſes Canonici regulares ſtrictioris obſervantiæ, quos primum in Diœceſi Laudunenſi fundavit Norbertus poſtmodum Archiepiſcopus Magdeburgenſis. Ciſtercienſium Ordo pridem à ſæculo præcedenti ſua habuit exordia ex anno 1098. auctore Roberto Moliſmenſi Abbate, ſed eundem antea obſcurum mirificè propagavit & decoravit præſenti ſeculo Bernardus Abbas Clarevallenſis. Fontis Ebraldi utriuſque ſexus inſtitutum, in quo viri Religioſi ſub fœminæ Abbatiſſæ cura reguntur, hoc ſæculo prodijt in honorem Virginis Deiparæ cui Chriſtus è cruce Joannem ut matri filium commendavit. Ordinis autor fuit Robertus de Arbruſſellis Theologus Pariſienſis.

23. Eccleſiæ ſæculo duodecimo ſcriptis lucubrationibus præfulſerunt. Leo Oſtienſis Epiſcopus qui Chronicum ſcripſit Monaſterij Caſſinenſis exorſus à S.Benedicto ad uſque Deſiderium Abbatem, qui promotus deinde ad Apoſtolicam ſedem dictus eſt Victor III. Sigebertus Monachus Gemblacenſis temporibus vixit Gregor. VII. Pontificis, obijtque ſub Paſchali II. circa ann. Domini 1112. Henrico Imperatori ſchiſmatico addictus iniquior fuit Gregor. VII. de quo falſa non pauca perhibet. Duos etiam ſcripſit de viris illuſtribus libros inter quos ſe collocat ſuaque ſcripta enumerat, inter quæ meminit ſuorum opuſculorum contra epiſtolam Gregorij VII. & contra alteram Paſchalis II. quæ merito ab Eccleſia interdicta ſunt. Scripſit etiam librum quem ipſe commemorat contra eos qui calumniantur Miſſas conjugatorum Presbyterorum in quo ipſemet calumniatur, quaſi vetuiſſet Gregor. VII. Miſſas ejuſmodi concubinariorum audiri eo quod nullum ibi eſſet ſacrificium, ſed quia illi fœdiſſimi ſacrilegi Deum graviſſimè in illis ſacrilegis Miſſis offendebant, ideoque prohibitum erat fidelibus huic ſacrilegio quodammodo participare; eamque prohibitionem fide longè dignior Sanctus Anſelmus Cantuarienſis ſub ijſdem temporibus hæc ſcribendo juſtificat epiſt. 8. ad Guilielmum Abbatem: *Non quo quis ea quæ tractant concubinarij Sacerdotes contemnenda, ſed tractantes execrandos exiſtimet: ut qui Dei & Angelorum præſentiam non reverentur, ut hominum deteſtatione repulſi ſacra contaminari deſiſtant*: Goffridus Abbas Vindocinenſis creatus ab Urbano ſecundo, Cardinalis tit. S.Priſcæ ſcripſit epiſtolarum libros 5. Opuſcula item & ſermones. Berengoſius Abbas libros edidit de ſancta Cruce varioſque Sermones, floruit ſub Paſchali II. Rupertus Abbas Tuitienſis multa ingenioſè ſcripſit; ſed audaci temeritate hæreſim de impanatione Euchariſtica invexit Algerus, qui eodem ſæculo vixit lib. 1. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 6. ait tempore ſuo exortam novam hæreſim & abſurdiſſimam de impanatione, atque hunc aſſerit errorẽ Rupert. lib. 2. divin. Offic. cap. 2. & c. 9. & lib. 6. in Joan. & in Exod lib. 2. c. 10. quibus in locis perſpicuè docet panem in Chriſti corpus non converti per tranſſubſtantiationẽ, ſed aſſumi à Verbo divino dum conficitur Euchariſtia quemadmodũ aſſumpta eſt humanitas. Algerus Monachus Cluniac. ſcripſit Opuſc. de gratia & libero arbit. & de miſericordia & juſtitia ſed præcipuum ejus opus eſt de corpore & ſanguine Domini tribus comprehenſum libris contra Berengarium, de quo ſic teſtatur venerabilis Petr. Cluniacenſis initio libri ſui de Sacrificio, Lanfrancum ſcripſiſſe de ſacramento Euchariſtiæ benè, plenè & perfectè, Guitmundum melius plenius & perfectius, Algerum optimè, pleniſſimè & perfectiſſimè. Hildebertus primùm Cenomanenſis Epiſcopus, poſtea Turon. Archiepiſc. ſcripſit Epiſtolas eruditas & Sermones & Carmina ſacra: S.Bernardus Abbas Clarevallenſis vir planè Apoſtolici ſpiritus & vitæ, multa ſcripſit & mira devotione, & ſumma eruditione, & ſtyli jucunditate eximia, nec ſola ſcriptione atq; Verbi Dei prædicatione, verum etiã maximis pro Eccleſia & Principum unione & pace, laboribus & operibus, miraculorum præterea gloriâ & frequentiâ ſupra omnem commendationẽ illuſtris, obijt an. 1153 ætatis ſuæ 63. Petrus cognominatus venerabilis Abbas Cluniacenſis illuſtri inter Aquitanos proſapiâ natus, militiã primum profeſſus, deinde Monachus duos ſcripſit libros de temporis ſui miraculis, egregium quoque opus adverſus errores Petri de Bruis hæretici multos cõprehendentem tractatus, multaſq; præterea epiſtolas magnam redolentes ſapientiã auctoris. Hugo à S. Victore natione Saxo, profeſſione Monachus ad quem doctiſſ. Bernardi epiſtola de primitiva ſuſcipiẽdi Baptiſmi obligatione. Scripſit Hugo pleroſq; egregios tum Exegeticos in ſacram Scripturam, tum Aſceticos ad vitam ſanctè inſtituendã, tum Theologicos de Deo, de Chriſto, de Sacramentis, tum alijs de rebus didaſcalicos. Eodẽ tempore atq; in eodem cũ Hugone S. Victoris Monaſterio vixit Monachus ordinis Canonicorum regularium Ricardus à S. Victore, cujus extant præclari & devoti plerique tractatus, ejus acumen ingenij cum pietate referentes, una cum libris ſeptem expoſitionum in Joannis Apocalypſim. Guilielmus Malmeſburienſis Monachus Anglus rerum Anglicarum

narum tum Eccleſiaſticarum tum Profanarum cognitioni permultum ſuis hiſtorijs contulit. Gratianus temporibus Eugenij Papæ tertij & Conradi Imperatoris tertij claruit, patriâ Cluſinus, profeſſione Monachus Benedictinus, ſcripſit in Monaſterio Bononienſi decretum ſive concordiam diſcordantium Canonum, in quo tamen parum cautus in delectu auctorum extitit, quibus ſæpe ſpuria & indigna per ignorantiam, ſed non ex mala fide attribuit. Eodem inclaruit tempore Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis qui quemadmodum Gratianus canones, ita & iſte ſacrorum Theologorum ſententias collegit, unde ſibi Magiſtri ſententiarum & Theologorum Scholaſticorum nomen aſcivit. In quatuor libris ſententiarum hunc ſervavit ordinem, ut primus ſit de Deo uno & trino. Secundus de creatione, de Angelis & hominibus & de gratia Dei. Tertius de Incarnatione Verbi deque virtutibus & vitijs. Quartus de Sacramentis & de noviſſimis ſcilicet reſurrectione, judicio & æterna retributione. Otho Friſingenſis Epiſcopus, nobilitate inſignis, quippe qui conſanguinitate Imperatores proximè attigit, ſpretis mundi & aulæ illecebris Monaſticam profeſſus eſt vitam apud Ciſtercium, inde factus eſt Morimundenſis Abbas, dein Friſingenſis Epiſcopus, poſtremoque ad Ciſtercium mortalis vitæ dimiſit exuvias. Chronicon ſcripſit ab orbe condito ad an. 1146. autoris pietatem & ſapientiam ſpirans, & de geſtis Friderici I. Imperatoris cujus ipſe patruus erat, geminos libros, quibus duos alios adjunxit Radevicus Canonicus Friſingenſis. Petrus Comeſtor hiſtoriam ſacram à mundi primordijs ad finem uſque libri actuum Apoſtolorum. Hallucinantur qui fratres fuiſſe dicunt ex ſcorto natos Gratianum, Petrum Lombardum & Comeſtorem. Certè longè patriâ diſtãt, Gratianus Cluſij in Etruria natus, Petrus Lombardus Navariæ, Comeſtor Trecis in Gallia. Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonenſis qui diu Henrico II. Anglorum Regi familiaris & adminiſter fuit. Et Petrus Cellenſis primum Abbas, deinde Carnotenſis Epiſcopus varios eodem ſæculo tractatus & epiſtolas edidere. Guilielmus Tyrius Archiepiſcopus Tyri tribus & viginti libris hiſtoriam texuit de bello ſacro, exorſus ab anno 1093. & deſinens in an. 1180. neque defuerunt hoc ſæculo Eccleſiaſtici ſcriptores Græci. Oecumenicus & Olympiodorus Græci ſcriptores catenas ex antiquis Patribus compoſuerunt, ille in acta Apoſtolorum & in epiſtolas Pauli: iſte in Job, incertum tamen eſt ſæculum quo ambo vixere. Euthymius Zigabenus Monachus tempore Alexij Comneni ut ipſe initio Panopliæ teſtatur, Panopliam ſcripſit adverſus omnes hæreſes. Edidit præterea Commentaria in omnes Pſalmos & in quatuor Evangelia. Joan. Zonaras Monachus Græcus tres elucubravit Annalium libros ab orbe condito uſq; ad exitum Alexij Comneni qui obijt anno 1118. prætereaque Commentaria ad Nomocanonem Photij. Theorianus vir Græcus & doctus miſſus fuit ab Imperatore Manuele ad Armenos, ut eos ab Eutychetis erroribus revocaret. Eos quidem tum privatis tum publicis diſputationibus convicit, ſed gentem pervicacem ab hæreſis inolitæ profeſſione minimè reduxit. Extat pereruditus ejus Dialogus cum Patriarcha, quẽ generalem vocant, habitus. Theodorus Balſamon ſchiſmaticus Patriarcha Antiochenus, ſed inde per Latinos extortis, qui Antiochiæ & Palæſtinæ dominatu potiebantur duos Commentariorũ libros Xiphilino Conſtantinopolit. Patriarchæ dedicavit, quorum unum edidit in Nomocanonem Photij, & alterum in Canones variorum Conciliorum & Sanctorum Patrum.

## *CONCILIVM LONDONIENSE anni* 1111.

1. GEnerale fuit Epiſcoporum totius regni Anglici habitum ſub Paſchali Papa II. à quo etiam approbatum fuit, eique præſedit Archiepiſcopus Anſelmus Cantuariæ ſeu Dorobernia, quæ primatum univerſæ Eccleſiæ Anglicanæ, tenet.

Can. I. *Statutum eſt ne Epiſcopi ſecularium placitorum officium ſuſcipiat: & ut non ſicut Laici ſed ut perſonas religioſas decet ordinatas veſtes habeant: & ut ſemper & ubique honeſtas perſonas habeant teſtes converſationis ſuæ.*

Can. III. *Archidiaconi ſint Diaconi.* Hoc idem ſuperius conſtitutum vide à Concilio Bituricenſi anni 1031. can. 4.

Can. VII. *Vt filij Presbyterorum non ſint hæredes Eccleſiarum Patrum ſuorum.*

Hoc idem ſtatuitur c. Moyſes & c. ſeq. 8. q. 7. & c. ad extirpandas & c. dilectus de fil. Presbyt.

Can. XVI. *Ne Eccleſia ſacretur donec provideantur neceſſaria & Presbytero & Eccleſiæ.*

Hæc eadem decernuntur c. nemo Eccleſiam de conſecra. diſt.... & c. cum ſicut de conſecra. Eccleſiæ.

Can. XXII. *Vt fides inter virum & mulierem occultè & ſine teſtibus de conjugio data, ſi ab alterutro negata fuerit, irrita habeatur.*

Et poſt Tridentinum Canonem omnia clandeſtina matrimonia invalida ſunt & irrita.

2. Can. XXIII. *Vt Criniti ſi tondeantur &*

Digitized by Google

*& pars aurium appareat & oculi non tegantur.*

Canon iſte ad laicos pertinet de Clericis enim canone 12. iſtud Concilium jam providerat *ut Clerici patentes Coronas habeant.* De laicis pariter decernit Concilium Rotomagenſe anni 1096. Can. *Nullus homo comam nutriat, ſed ſit tonſus, alioquin excommunicetur.* Monet quippe Apoſtolus 1. Cor. 11. *Vir quidem ſi comam nutriat ignominia eſt ei, mulier vero ſi comam nutriat gloria eſt illi.*

Can. XXVII. *Ne quis illud nefarium negotium quo hactenus in Anglia ſolebant homines ſicut bruta animalia venundari, deinceps ullatenus facere præſumat.*

## *CONCILIUM LATERANENSE primum generale ſub Calliſto ſecundo Pontifice anno 1123. habitum.*

1. QUAMVIS generalis Synodus VIII. conſtituiſſet Can. 22. nemini Principum aut Potentium licere ingerere ſe Epiſcoporum electioni aut promotioni: quamvis etiam primus inter Chriſtianos Imperator Conſtantinus in ſua ad Epiſcopos qui Nicenæ Synodo non interfuerant epiſtola, quam referunt integram Theodoritus & Gelaſius Cyzicenus, hanc auream & omnibus ſeculis memorabilem ſententiam circa Conciliorum autoritatem tradidiſſet πᾶν ὅτι δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν ἐπισκόπων συνεδρίοις ἐπράχθη τοῦτο τὴν θείαν βούλησιν τὴν ἀναφορὰν ἔχει. Quidquid in ſacris Epiſcoporum conſeſſibus actum eſt, id omne ad Dei conſilium referri debet. Nonnulli tamen Germaniæ Reges ac Imperatores à Conſtantini pietate degeneres, jura Epiſcopatuum & Abbatiarum conferendarum ſibi aſſerebant, & cum fœdiſſimo ac ſimoniaco mercatu ſacras dignitates venales habebant, ideoque indigniſſimos viros ad eas aſſumebant, unde naſcebatur grandis morum & ſacræ diſciplinæ corruptela.

2. Huic peſti Romani Pontifices ex officio conati ſunt occurrere, atque omnium maximè Gregorius VII. dictus antea Hildebrandus. Cum enim poſt Damaſi II. obitum vacante Apoſtolica ſede Imperator Henricus, quem Itali ſecundum, Germani tertium hujus nominis recenſent, delegiſſet Papam Brunonem Tullenſiũ in Leucis Epiſcopum, eumque purpura Pontificali ornatum à ſe dimiſiſſet, & coram Cardinalium conſeſſu ſe ſiſteret acceptandum, & ad ſupremam Sedem aſſumendum: cumque hic per Galliam iter ageret atque ad Cluniacenſe Monaſterium deveniſſet, in quo tunc verſabatur Hildebrandus; correptus ab iſto fuit quod necdum à Romano Clero electus ſe pro Summo Pontifice gereret, ac ſi liceret à laico Principe ſupremæ in Eccleſia dignitatis apicem conſequi. Addit Hildebrandus ſe id præſtiturum ut nec Imperator cauſam ſuccenſendi haberet, neque jura Eccleſiæ detrimentum paterentur. Bruno illius ſuaſu purpuram exuit & iter proſequitur comitem ſecum adducens Hildebrandum: cujus deinde operâ & ſtudio Bruno Romæ à Clero Summus Pontifex eligitur ſub nomine Leonis noni qui fuit pietate, prudentiâ, charitate, Eccleſiarum ſollicitudine, cæteriſque virtutibus tantum ad faſtigium requiſitis eximius. Mirum eſt in tanta vitæ integritate ac innocentia quàm fuerit in ſe ipſum rigidus & auſterus, de quo ita ſcribit σύγχρονος ei Leo Oſtienſis. *Quamdiu Romæ remoratus eſt, omni tribus per hebdomadam diebus à Lateranenſi Eccleſia uſque ad Sanctum Petrum privato habitu nudiſque pedibus cum duobus aut tribus Clericis noctu pſallendo & orando pergebat.* Harum vero Baſilicarum intervallum tria milliaria excedit.

3. Functo vitâ Leoni ſubrogatur Victor II. precibus ſacri Cardinalium Collegij apud Henricum Imperatorem expetitus. Moritur paulo poſt Henricus, deditque operam Victor Pontifex ut in Imperium eligeretur quinquennis hujus filius Henricus tertius, qui grandior factus Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimus evaſit hoſtis. Mortuo ſubinde Victori ſufficitur Stephanus X. hunc excepit à Romano Clero ſublectus Nicolaus II. quem rogante Clero Henricus approbavit, iſte indicto in æde Lateranenſi Concilio ſanctionem edidit quam refert Gratianus c. in nomine Domini diſt. 23. quæ jubet Romanum eligi Epiſcopum à Clero & populo urbis: ſic tamen ut præſint Cardinales Epiſcopi adhibitis alijs Cardinalibus Clericis: atque ita reliquus cum populo Clerus ad conſenſum novæ electionis accedat, moxque iſta ſubjungit: *Salvo debito honore & reverentiâ dilectiſſimi filij noſtri Henrici qui in præſentia Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam conceſſimus & ſucceſſoribus illius qui ab hac Apoſtolica ſede perſonaliter jus hoc impetraverint.* Veruntamen tam inſigni privilegio ille ipſe Henricus & ejus ſucceſſores in animarũ perniciem abutentes, indigniſſimoſque viros per ſimoniam promoventes, & Eccleſiam infeſtis armis lacerantes, perditiſſimoſque Antipapas obtrudentes, privilegio tanto excidere meruerunt. *Privilegium enim omnino meretur amittere qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate c. privilegium 11. q. 3. & c. tuarum §. verum de privilegijs.* Nicolaum II. excepit Alexander II. Alexandrum Hildebrandus dictus Gregorius VII. in Etruria humili loco & patre fabro natus ingenij tamen & virtutum laude conſpicuus. Hunc Henricus legitimis ſuffragijs Romæ electũ approbavit & aliquandiu impenſe coluit, ſed ſubinde mutato in deteriora conſilio atrociſſimè divexavit, eique Guibertum Ravennæ Archiepiſcopum oppoſuit Pſeudopapam qui diu Eccleſiam laceravit ſub legitimis Pontificibus Gregorio VII. Victore III. & Urbano II. mortuus demum ſub Paſchali II. ſed alios huic Antipapas ſchiſmatici Henriciani ſubſtituerunt.

4. Henricum III. ſchiſmaticum Imperatorem Gregorius VII. in Concilio Laterani habito anathemate perculit, ſubditoſque illi populos ſubjectionis ſacramento ſolvit. Quam iteravere ſententiam adverſus eundem eique cognominem filium & ſucceſſorem Henric. IV. inſequentes Pontifices.

5. Prolatæ hujus ſententiæ cauſæ multiplices fuere, primùm uſurpatio dignitatũ & Prælaturarum Eccleſiæ, quas titulo inveſtituræ Imperatores conferebant. Deinde ſimonia quia pretium pro inveſtituris iſtiuſmodi exigebant. Poſtremo ſchiſma & aperta rebellio, quia face, & ferro Eccleſiaſticas & alias Eccleſiæ fidas Provincias vaſtabant, & Antipapas factionibus, & armis adverſum legitimos Pontifices promovebant.

6. Henric. IV. Paternæ imitator nequitiæ, poſtquã

Paſchalem II. perfida diſſimulatione in Vaticano veneratus eſt, ab eoque coronam ſumpſit Imperij, eundem improviſo capi juſſit, & carcere incluſum dies multos detinuit: neque prius reddidit libertati quã extorſerit præreptas ſibi & patri per Prælaturam inveſtituras, addito jurejurando. Paſchalis vero recepta libertate Concilium in Laterano coëgit, quo revocata eſt per vim extorta conceſſio, ipſeque Henricus ſacris omnibus interdictus.

7. Henricus Paſchalis demortui ſucceſſorem Gelaſium in Italiam cum validis copijs reverſus Româ exegit, & Burdinum Bracarenſem Archiepiſcopum in Romanæ ſolium Eccleſiæ per vim obtruſit. Expulſus Gelaſius in Galliam confugit, ibique diem clauſit extremum. Denique unanimi Cardinalium conſenſione, tam illorum qui Gelaſium comitati adhuc in Gallia verſabantur, quam eorum qui in Italia conſtiterant, Summus creatur Pontifex Guido Viennenſis Archiepiſcopus, cui Calliſti ſecundi nomen inditum. Hic ſtatim Rhemis Concilium habuit, quo ſimul Henrico & Burdino anathema dictum: inde Romam concedens Burdinum tandem in ſuam redactum poteſtatem Monaſterio concluſit. Quin & Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum Legatum ſuum per omnem Germaniam conſtituit, qui ſuo ſtrenuè defungens munere Epiſcopos & principes pro tuenda Eccleſia in legitimas partes pellexit, & validiſſimum eduxit exercitum: qui cum haud procul ab Henrici copijs caſtra poſuiſſet, confligere paratus magno Dei factum eſt beneficio, ut communicatis hinc inde conſilijs duodecim ex utroque exercitu Principibus electis de pace ineunda ſedulo actum fuerit, ſimulque conventum fuerit prorſus eſſe extirpandum exitiale ſchiſma, & expediendos eſſe ab Henrico ad Pontificem Legatos pacem ſuppliciter rogantes, quæ tandem generalis Concilij decreto firmetur. Aſſentitur Henricus, qui ſi detrectaret ab omnibus ſe deſertum iri, ſuaque omni ditione ſpoliandum prævidebat. Nihil vero jucundius Calliſto, nihil Eccleſiæ conducibilius poterat accidere, quàm ut extincto tam diuturno ſchiſmate, ſedatiſque atrocibus bellis quibus Italia & Germania tot annis conflagraverant pax deſideratiſſima ſuccederet, atque ad Eccleſiæ unitatem Imperatores redirent.

8. Itaque nonum iſtud inter œcumenica Concilium convocatur anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, ut rectè probat Gabriel Coſſardus annot. ad hoc Concilium, non vero ut ſcribit Baronius anno præcedente. Sugerius qui Abbas S. Dionyſij huic interfuit Concilio, teſtatur interfuiſſe trecentos amplius Epiſcopos præſidente Calliſto, & Henrico non quidem præſente ſed haud procul abſente, ut ejus reſponſis ſi qua difficultas naſceretur res citius & ſedatis animis componi poſſent. Abbas Urſpergenſis ex alterius cujuſdam teſtimonio ſcribit quadringentos viginti ſex Patres interfuiſſe. Itaque rem ultra modum augent Pandulfus in vita Calliſti, & Onufrius ex illo dum mille circiter Prælatos Concilio interfuiſſe referunt.

9. Hic fuerunt iſtæ pacis conditiones ſancitæ, ut Imperator liberas Clericis & Monachis ſineret Epiſcoporum & Abbatum electiones, & quæcunque Eccleſijs per ipſum aut patrem aut utriuſque Miniſtros & fautores ablata fuerant reſtitueret. Pontifex verò conceſſit Henrico & ſucceſſoribus ipſius, ut electi in Epiſcopos vel Abbates in terris Imperij regalia ab Imperatoribus ſumere aſtringerentur, dum omnis abeſſet pecuniaria contributio ac ſimoniæ labes.

10. Hoc eodem Concilio proviſum eſt de ferendis ſuppetijs Eccleſijs Orientis & Hiſpaniarum adverſus Saracenos, & renovatæ ſunt peccatorum remiſſiones ab Urbano ſecundo quondam indultæ fidelibus, qui cruce in veſtibus aſſuta Chriſtianis rebus præſidium contra Saracenos militando tulerint, eorumque domos & familias omniaque bona in Beati Petri & Romanæ Eccleſiæ protectione ſuſcipi, ut qui ea diſtrahere vel auferre tempore ſacræ expeditionis præſumpſerint, excommunicationis pœnâ plectantur. Et qui crucem ſuſceptam dimiſerint, injungit ut intra præſtitutum tempus iter ad ſacram expeditionem aggrediantur, ſubituri alioqui pœnam interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu.

11. Ordinationes etiam quas fecit Burdinus & Pſeudoepiſcopi per ipſum ordinati, à die qua publico Eccleſiæ Romanæ judicio ille damnatus fuit irritæ decernuntur.

Can. I. *Sanctorum Patrum exempla ſequentes & officij noſtri debita innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſia Dei vel promoveri autoritate Sedis Apoſtolicæ modis omnibus prohibemus. Si quis vero in Eccleſia ordinationem vel promotionem taliter acquiſierit, acquiſita prorſus careat dignitate.*

12. Can. II. *Nullus in præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum niſi Presbyter, nullus in Archidiaconum niſi Diaconus ordinetur.*

Superius vidimus hoc idem à Concilio Bituricenſi ſtatutum anno 1031. can. 4. & à Londonienſi an. 1102. can. 3. & à Toloſano anni 1119. cui idem Papa Calliſtus præſedit can. 2. iiſdem prorſus verbis.

Can. *Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpoſitus vel Decanus animarum curas vel præbendas Eccleſiæ ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat, imò ſicut ſanctis Canonibus conſtitutum eſt, cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hæc facere aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit ab Eccleſiæ liminibus arceatur.*

Can. VIII. *Ad hæc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones quietas ſervare per Dei gratiam cupientes præcipimus, & ſub diſtrictione anathematis interdicimus, ne aliqua perſona Beneventonam Beati Petri civitatem præſumat invadere aut violenter retinere. Si quis aliter præſumpſerit anathematis vinculo teneatur.*

Can. IX. *A ſuis Epiſcopis excommunicatos, ab alijs Epiſcopis Abbatibus & Clericis in communionem recipi proculdubio prohibemus.*

Idem hoc ſanxerat Nicenum primum Concilium Can. 5. & Sardicenſe can. 16.

Can. X.

Can. X. *Nullus in Epiſcopum niſi Canonice electum ad conſecrandum manus mittat, quod ſi præſumpſerit & conſecratus & conſecrator abſque recuperationis ſpe deponatur.*

Can. XIV. *Sanctorum Patrum canonibus conſona ſentientes, oblationes de ſacratiſſimo & reverendiſſimo altari B. Petri & Salvatoris, S. Mariæ Rotundæ, ac de aliis omnium Eccleſiarum altaribus ſive crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & ſub anathematis diſtrictione firmamus. Eccleſias à laicis incaſtellari aut in ſervitutem redigi autoritate Apoſtolica prohibemus.*

13. Can. XV. *Quicumque monetam falſam ſcienter fecerit, aut ſtudioſe expenderit, tanquam maledictus & pauperum oppreſſor & civitatis turbator a fidelium conſortio ſeparetur.*

Hæc pœna plene canonica eſt. Sunt & aliæ conſtitutiones de crimine falſæ monetæ pœnales ſcilicet Concilij Herbipolenſis anni 1287. can. 37. & generalis Concilij primi Lateranenſis ſub Calliſto II. Can. XI. Item Caroli magni lib. 4. capitularium cap. 33. allegato apud Ivonem parte 16. cap. 278. ſed pœna quam indicit non eſt canonica cum ſit amputatio manus. Inter Concilia quoque refertur Concilium Grateſeanum anni 929. cui Rex Angliæ Æthelſtanus interfuit, ſed exiſtimarim potius fuiſſe regni Comitia in quibus præter Epiſcopos major pars conſidet Officialiũ & delegatorum ſæcularium, decernit enim pœnam quæ à clericis infligi prohibetur. Etenim ita conſtituit : *Si monetariorum quiſquam nummos corruperit, ejus manus ſcelere violata præciditor, atque nummariæ fabricæ conſpicienda affigitor. Sin nummi adulterati aliquis poſtulatus criminis ſuſpicionem diluere, candentis ferri quæſtione manum ſceleris puram atque immunem oſtendito.* Sed ut ad ſpiritualem falſitatem deflectamus multa eſt adulteratæ monetæ cum falſa doctrina ſimilitudo, ut dicitur in actis Concilij Baſileenſis. In primis enim adulterantur nummi ſi reprobo aut impuro ex metallo cuduntur, ita & doctrina ſi falſa ſit & à Deo qui ſuprema veritas eſt, & ab ejus interprete Eccleſia deviet ac reprobetur. Adulterina quoque fit moneta quamvis ex probato auro vel argento procuſa ſit, ſi aliam quam Principis imaginem referat. Similiter & doctrina pro cujus confirmatione allegatur divina ſcriptura, quæ in pſalmis argento confertur igne examinato & ſeptuplum purgato, ſi præter mentem & ſenſum Eccleſiæ proferatur, quemadmodum diabolus verbis ſcripturæ Chriſtum tentavit ut ſe daret præcipitem. Et nulla eſt fuitque hæreſis, quam per malè intellectam ſcripturam firmare perverſi homines non ſint conati. Denique adulterina cuditur moneta ſi juſto careat pondere, ita & doctrina ad cujus munimen profertur ſcriptura, ſed mutilata & decurtata, ut quis vellet negare reproborum reſurrectionem & judicium per mutilata ſcripturæ verba. *Ideo non reſurgent impij in judicio,* quorum tamen intellectus à ſequentibus dependet. *Neque peccatores in Concilio juſtorum.*

Can. XVI. *Si quis Romipetas & peregrinos Apoſtolorum limina, & aliorum ſanctorum oratoria viſitantes capere, ſeu rebus quas ferunt ſpoliare & novis telenorum ſeu padagiorum exactionibus moleſtare tentaverit, donec ſatisfecerit communione abſtineat Chriſtiana.*

Can. XX. *Paternarum traditionum exemplis commoniti, Paſtoralis officij debitum perſolventes, Eccleſias cum bonis ſuis tam perſonis quam poſſeſſionibus clericos videlicet ac Monachos eorumque converſos, aratores quoque cum ſuis nihilominus rebus quas ferunt tutos & ſine moleſtia eſſe ſtatuimus; ſi quis autem contra hæc facere præſumpſerit, & poſtquam facinus ſuum recognoverit infra triginta dierum ſpatium competenter non emendaverit, à liminibus Eccleſiæ arceatur & anathematis gladio feriatur.*

Can. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam debere redigi, juxta ſacrorum Canonum definitionem judicamus.*

## CONCILIVM LONDONIENSE *ſeu Vveſtmonaſterienſe anni Domini 1125.*

1. ACTUM eſt Concilium iſtud ſub Honorio ſecundo Pontifice anno 1125. pro reformandis pravis Eccleſiæ moribus, convocatis ex univerſa Britanniæ inſula Præſulibus, authoritate Joannis Cremenſis Presbyteri Cardinalis tituli ſancti Chryſogoni Legati Apoſtolici, qui Concilio præfuit Regnante Anglis Henrico Guilielmi magni filio, Scotis autem Davide.

Can. II. *Interdicimus etiam ut pro Chriſmate, pro oleo, pro baptiſmate, pro pœnitentia, pro viſitatione infirmorum, ſeu unctione, pro communione Corporis Chriſti, pro ſepultura nullum omnino pretium exigatur.*

Can. V. *Sancimus præterea ne quis Eccleſiam ſibi ſive præbendam paterna vendicet hæreditate, aut ſucceſſorem ſibi in aliquo conſtituat beneficio Eccleſiaſtico. Quod ſi præſumptum fuerit nullas vires habere permittimus, dicentes cum Pſalmiſta, qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei: Deus meus pone illos ut rotam.*

Hoc idem conſtituit Concilium Londonienſe anni 1102. can. 7. & c. Moyſes & c. ſeq. 8. q. 7. itemque c. ad extirpanda & c. dilectus de fil. presbyt.

2. Can. VIII. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum niſi ad certum titulum ordinetur. Qui vero abſolute fuerit ordinatus ſumpta careat dignitate.*

Idem proviſum fuerat Chalcedonenſi can. 6. & habetur in decreto c. neminem abſolutè diſt. 7. quam laudabilem diſciplinam inſtaurare ſtuduit Concilium Trid. ſeſſ. 23. c. 16. dicens *nemo ordinetur quin certæ Eccleſiæ aſcribatur.*

3. Can. X. *Nullus Epiſcoporum alterius Parochianum præſumat ordinare aut judicare, unuſquiſque enim ſuo Domino ſtat aut cadit, nec tenetur aliquis ſententiâ non à ſuo judice prolatâ.*

Hoc idem cautum fuerat Sardicenſibus canonibus 16. 18. 19. ne Epiſcopi alienum Parochianum ordinent ſine proprij illius Epiſcopi dimiſſoriis. Nec non à Carthaginenſi Concilio primo ſub Julio Pontifice can. 5. aliiſque permultis Concilijs.

4. Can. XI. *Nemo excommunicatum alterius præſumat in communionem ſuſcipere. Quod ſi ſcienter fecerit & ipſe communione careat Chriſtiana.*

Eamdem ante biennium fecerat pohibitionem generale Concilium Lateranenſe primum can. 9. primum quoque Nicænum Concilium can. 5. & Sardicenſe can. 16.

5. Can. XIV. *Vſuram & turpe lucrum clericus omnibus probibemus. Qui vero ſuper crimine tali confeſſus fuerit aut convictus à proprio gradu dejiciatur.*

Nicænæ primæ Synodi can. 17. clericum uſurarium deponi jubet, his ſuffragatur Apoſtolorum can. 44. & Arelatenſis primi Concilij can. 12. & Laodiceni can. 5. & Carthaginenſis tertij ſub Siricio Papa can. 16. & Tarraconenſis anni 516. can. 3. & Lateranenſis generalis ſub Alexandro III. can. 25. quo uſurariorum pœnæ decernuntur. His adde antiquiſſimi Illiberitani Concilij can. 20. ut multa ſileam recentiora.

Can. XV. *Sortilegos ariolos & auguria quæque ſectantes eiſque conſentientes excommunicari præcipimus, perpetuaque notamus infamiâ.*

Huc ſpectat Agathenſis can. 42. relatus à Gratiano c. aliquanti clerici 26. q. 5.

6. Can. XVI. *Inter conſanguineos ſeu affinitate conjunctos uſque ad ſeptimam generationem matrimonia contrahi prohibemus, ſi qui vero taliter conjuncti fuerint ſeparentur.*

Ea fuit multis ſæculis Eccleſiæ diſciplina ut irritum eſſet matrimonium ad uſque ſeptimum conſanguinitatis gradum, ut conſtat ex collectis veterum patrum teſtimonijs apud Gratianum cauſa 35. q. 5. Hoc ipſum duo Romana Concilia conſtituere primum ſub Nicolao Papa II. can. 11. his verbis. *Vt de conſanguinitate ſua nullus uxorem ducat uſque ad generationem ſeptimam, vel quouſque parentela cognoſci poterit.* Poſterius autem anni 1063. ſub Alexandro Pontifice II. Sed ob innumera quæ quotidie emergebant inde ſcandala ſapienter providit generale ſub Innocentio III. Concilium ne graduum prohibitio ultra quartum prorogaretur gradum, quæ Lateranenſis conſtitutio habetur in c. non debet de conſang. & affin.

## *CONCILIVM LATERANENSE ſecundum generale ſub Innocentio ſecundo ſummo Pontifice anni 1139.*

1. POſtquam legitimis majoris partis Cardinalium ſuffragiis ſublectus fuit Honorio II. Calliſti II. ſucceſſori Innocentius II. reliqua pars Cardinalium Petrum Leonis Pſeudopontificem elegit, qui ſe Anacletum ſecundum nominavit. Imminente quippe Honorij obitu conventum inter Cardinales fuerat, ut poſtquam ille deceſſiſſet ſimul omnes ad ſanctum Marcum convenirent ſucceſſorem communi conſilio electuri. Cæterum qui familiaritate & aſſiduitate propinquiores Honorio fuerant (ut refert Suggerius Abbas Sancti Dionyſij in vita Ludovici VI. Franciæ Regis) ſtatim atque Pontifex Honorius expiravit, antequam populo innoteſceret illius obitus tumultuari aſſueto, concitante ſeditioſiſſimo Monacho Arnaldo Brixienſi, ideoque non auſi ad ſanctum Marcum convenire ne rei divulgatio factiones & arma popularia excitaret, ſine mora Gregorium Cardinalem Diaconum tituli ſancti Angeli elegerunt, qui poſtea Innocentij ſecundi nomen ſumpſit. Reliqui vero Cardinales & Epiſcopi qui cum majori procerum Romanorum parte Petro Leonis opibus & affinitatibus præpotenti adhærebant Cardinali Presbytero tituli S. Mariæ trans tiberim ad ſanctum Marcum eodem quoque die convenientes ipſum Petrum in Papam elegerunt. Qui ſtatim cognatorum & affinium poteſtate & clientum multitudine ſubnixus ædes Frangipanum ad quas ſe Innocentius receperat obſidet, ſed inde repulſus præcipuarum urbis Eccleſiarum theſauros & vaſa diripit ut his opibus ſuas partes promoveret.

2. Sibi etiam Petrus adjunxit Rogerium Calabriæ, Apuliæ & Siciliæ Ducem quem ut ſibi devinctum haberet titulo regis decoravit. At Innocentius Româ furtim excedere compulſus ſe in Galliam recepit. Eum Rex Ludovicus VI. cognomento Craſſus pedibus ejus procumbens & ſtratoris munere functus honorificentiſſime atque amantiſſime excepit. Schiſmati huic extinguendo Sanctus Clarevallenſis Abbas Bernardus diligentiſſimam & utiliſſimam navavit operam, primum apud Reges & Epiſcopos Franciæ & Angliæ, deinde apud Principes & Regem Germaniæ Lotarium Saxoniæ Ducem, qui etiam pollicitus eſt ſe Romam uſque Innocentium deducturum, ſuiſque armis Italiam & Romanã civitatem ad Innocentij obſequium compulſurum, idque ſedulo præſtitit. Innocentius Eccleſiarum Gallicanarum in ſui ſubſidium receptis collatitijs pecunijs ex Gallia in Italiam remeat. Lotarius eidem ſe Comitem cum numeroſo exercitu adjungit in Longobardia & Romam uſque proſequitur, ubi & coronam Imperij de manu Innocentij recepit, indeque in Apuliam copias traducens, Rogerio bellum intulit quo Apuliâ totâ, Campaniâque depulſo Rainaldum ibi Ducem conſtituit & Germaniam repetiit, relicto Romæ pro Innocentij tutela copioſo validoque præſidio.

3. Neque

3. Neque ſolum ſchiſmate per id tempus dilacerabatur Eccleſia, ſed hæreſibus quoque Petri de Bruis & ſeditionibus quas Arnaldus Brixianus Petri Abælardi diſcipulus concitabat, in id incumbens ut omnem regiminis politici authoritatem ad primates laicos & plebem revocaret, eiſque Pontifices & Eccleſiam ſubjiceret, quibus medendis malis Innocentius in Baſilica Laterana Concilium iſtud generale anno 1139. coëgit mortuo pridem Lotario Saxone, & Conrado tertio Germanis Regnante. Petrus vero Leonis mortem jam oppetierat, necdum tamen ejus factio extincta erat.

4. Can. I. Simoniace ordinatos gradu dejicit. Require can. 2. Synodi Chalcedonenſis. Hoc idem conſtituerat iſte idem Innocentius II. in Concilio Remenſi cui ipſemet præſederat anno 1131. can. 1. ſciendum eſt enim ab hoc Pontifice transfuſos fuiſſe iiſdem prope verbis canones Remenſes in iſtud Lateranenſe ut gravioris eſſent autoritatis, & ut ſuffulti generali Concilio per univerſas Eccleſias à cunctis fidelibus ſervarentur.

5. Can. II. *Si quis præbendam vel prioratum ſeu decanatum, aut honorem vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet ſacramentum Eccleſiaſticum, utpote Chriſma vel oleum ſanctum, conſecrationes altarium vel Eccleſiarum interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam acquiſivit, honore malo acquiſito careat, emptor atque venditor & interventor notâ infamiæ percellantur. Et nec pro paſtu nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante vel poſt à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam ſimoniacum eſt, ſed libere & abſque imminutione aliqua collata ſibi dignitate atque beneficio perfruatur.*

Statutum paulo ante fuerat de largitionibus ex conſuetudine aut ſtatuto peculiari fieri ſolitis in admiſſionibus ad Monaſteria, dignitates & canonicatus à Concilio Londonienſi ſub Honorio II. anno 1127. can. 3. his verbis, *exactiones certas pecuniarum pro recipiendis Monachis Canonicis & Sanctimonialibus condemnamus.*

6. Can. III. *A ſuis Epiſcopis excommunicatos ab aliis ſuſcipi modis omnibus prohibemus. Qui vero excommunicato, antequam ab eo qui eum excommunicavit abſolvatur, ſcienter communicare præſumpſerit, pari ſententiæ teneatur obnoxius.*

Hæc eadem prohibentur Apoſtolorum can. 12. alias 13. & in Nicæno can. 5. & in Sardicenſi can. 16. & in Lateranenſi ſub Calliſto II. can. 9. & in Londonienſi anni 1125. can. 11. quod vero canon iſte Lateranenſis 3. decernit de ſcienter communicantibus cum excommunicatis ut pari cenſura innodentur: Hoc duplici moderamine poſteriora jura temperarunt, primum ut communicans non majorem ſed minorem dumtaxat excommunicationem incurrat. Secundo ut nec ipſa minor excommunicatio locum habeat niſi communicando cum publicè denuntiatis, atque nominatim aut cum manifeſtis clericorum vel Monachorum percuſſoribus, juxta placitum Conſtantienſis Concilii à Martino Pontifice confirmatum. Olim vero major ex ea culpa irrogabatur excommunicatio per canonem 10. Apoſtolorum & per Antiochenum can. 2. & Concilii Carthaginenſis IV. can. 74. qui eſt in decreto Gratiani c. qui communicaverit 11. q. 3.

Can. IV. *Præcipimus etiam quod tam Epiſcopi quam clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis Deo & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura aut colore veſtium, nec in tonſura intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum: ſed potius quæ eos deceat ſanctitatem præ ſe ferant. Quod ſi moniti ab Epiſcopis emendare noluerint Eccleſiaſticis careant beneficiis.* Id deſumptum eſt ex Remenſi can. 2.

Can. V. *Illud autem quod in ſacro Chalcedonenſi conſtitutum eſt Concilio* (ſcilicet can. 22 Chalced.) *irrefragabiliter conſervari præcipimus. Ut videlicet decedentium bona Epiſcoporum à nullo omnino hominum diripiantur; ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui in libera æconomi & clericorum permaneant poteſtate. Ceſſet igitur de cætero illa deteſtabilis & ſæva rapacitas. Si quis autem amodò hoc attentare præſumpſerit excommunicationi ſubjaceat, qui vero morientium presbyterorum vel clericorum bona rapuerint ſimili ſententiæ ſubjiciantur.* Hoc habet iiſdem verbis canon Remenſis 3.

Can. VI. *Decernimus etiam ut ii qui in ordine ſubdiaconatus & ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant. Cum enim ipſi templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium Spiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſervire.* Iiſdem deſumptus verbis ex Remenſis can. 4.

Can. VII. *Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Gregorii ſeptimi, Urbani & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes præcipimus, ut nullus miſſas eorum audiat quos uxores vel concubinas habere cognoverit. Ut autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris ordinibus dilatetur, ſtatuimus quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſubdiaconi, regulares Canonici & Monachi atque converſi profeſſi qui ſanctum tranſgredientes propoſitum uxores ſibi copulare præſumpſerint ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati pro tantis exceſſibus condignam pænitentiam agant.* Idem habet Remenſis canon 5.

7. Can IX. Prohibet monachis & regularibus canonicis leges ſæculares & medicinam addiſcere, aut propter lucrum cauſarum Patronos agere, aut curationes corporum exercere. Ex Remenſi can. 6.

Can. X.

Digitized by Google

Can. X. *Decimas Eccleſiarum quas in uſu pietatis conceſſas eſſe canonica demonſtrat authoritas, à laicis poſſideri Apoſtolica authoritate prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis vel regibus vel quibuſlibet perſonis eas acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegij crimen committere & periculum æternæ damnationis incurrere. Præcipimus etiam ut laici qui Eccleſias tenent eas aut Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubjaceant. Innovamus aut præcipimus ut nullus in Archidiaconum vel Decanum niſi Diaconus vel Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero Decani vel præpoſiti qui infra ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur. Prohibemus autem adoleſcentibus vel infra ſacros ordines conſtitutis, ſed qui prudentia & merito vitæ clareſcunt prædicti concedantur honores. Præcipimus etiam ne conductitiis Presbyteris Eccleſiæ committantur & unaquæque Eccleſia cui facultas ſuppetit proprium habeat Sacerdotem.*

Habetur in decreto c. decimas 16. q. 7. Hæc omnia diſtinctis Remenſis Synodi canonibus.7.8. & 9.decernuntur. Concilium pariter Londonienſe anni 1127. can 4. caverat ut nullus in Decanum niſi Presbyter; nulluſque in Archidiaconum niſi Diaconus conſtituatur.

Can. XIII. *Porro deteſtabilem & probroſam divinis & humanis legibus per ſcripturam in novo & veteri teſtamento abdicatam, illam inquam inſatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, præcipientes ut nullus Archiepiſcopus, nullus Epiſcopus vel cujuſlibet ordinis Abbas, ſeu quivis in ordine & clero niſi cum ſumma cautela uſurarios recipere præſumat, ſed in tota vita infames habeantur, & niſi reſipuerint Chriſtianâ ſepulturâ priventur.*

Can. XIV. *Deteſtabiles autem illas nundinas vel ferias, in quibus milites ex condicto convenire ſolent & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ temerariæ congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula ſæpè proveniunt omnino fieri interdicimus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia & viaticum non denegetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.*

Iſte canon ijſdem deſumptus eſt verbis ex Remenſi can. 12. Et infra iteratur in Concilio Lateranenſi tertio ſub Alexandro III. can. 20.

Can. XV. *Item placuit ut ſi quis ſuadente diabolo hujus ſacrilegij reatum incurrit quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur & ejus mandatum ſuſcipiat. Præcipimus etiam ut in eos qui ad Eccleſiam vel cœmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat, quod ſi fecerit excommunicetur.*

Eſt apud Gratianum c. ſi quis ſuadente 17. q.4. Hoc idem ex Remenſi canone 13. huc derivatum fuit. Fueratque pariter decretum in Concilio Claromontano anni 1130. cui etiam præfuit hic idem Innocentius II. ut fidem facit Bernardus Guidonis in libello de Concilijs. Et habetur in decretis 17. q. 4. ca. Si quis ſuadente diabolo.

Can. XVI. *Indubitatum eſt quoniam honores Eccleſiaſtici, ſanguinis non ſunt ſed meriti, & Eccleſia Dei non hæreditario jure aliquem neque ſecundum carnem ſucceſſorem expectat, ſed ad ſua regimina & officiorum ſuorum diſpenſationes, honeſtas, ſapientes & religioſas perſonas expoſcit. Propterea authoritate prohibemus Apoſtolica ne quis Eccleſias, præbendas, præpoſituras, capellanias aut aliqua Eccleſiaſtica officia, hæreditario jure valeat vendicare, aut expoſtulare præſumat. Quod ſi quis improbus aut ambitionis reus attentare præſumpſerit debitâ pœnâ mulctabitur & poſtulatis carebit.* Idem cautum fuerat Remenſi can. 15.

8. Can. XVIII. Incendiarios eiſque conſilium aut auxilium ſcienter dantes excommunicat, & abſolui vetat niſi prius omni damno ſecundum facultates ſuas reſarcito & adhibito juramento nunquam poſthac incendia patraturos. Pœnitentiamque illis injungi jubetur Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei annum integrum permaneant. Hoc ipſum ſtatuerat Remenſis can. 17.

Can. XIX. *Si quis autem Epiſcopus hoc relaxaverit damnum reſtituat. Et per annum ab officio Epiſcopali abſtineat.*

Can. XXI. *Presbyterorum filios ( intellige illegitime natos ) à ſacri altaris miniſterijs removendos decernimus, niſi aut in cœnobiis aut in canonicis religioſe fuerint converſati.*

Can. XXII. *Sane quia inter cætera unum eſt quod ſanctam maximè perturbat Eccleſiam falſa videlicet pœnitentia: confratres noſtros & Presbyteros admonemus ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat cum ſpretis pluribus de uno ſolo pœnitentia agitur: aut cum ſic agitur de uno ut non diſcedatur ab alio. Vnde ſcriptum eſt qui totam legem ſervaverit, offendat autem in uno factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam, ſicut enim ſi peccatis omnibus eſſet involutus, ita ſi in uno tantum maneat æternæ vitæ januam non intrabit. Falſa etiam fit pœnitentia cum pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet: aut ſi odium in corde geſtetur: aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat: aut ſi offendenti offenſus non indulgeat: aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat.*

Habetur

Digitized by Google

Habetur de pœnit.diſt.5.c.8. Similem ſuperius annotavimus Concilij Melfitani anni 1089. canonem 16. de falſis pœnitentijs ex quo hic Lateranenſis ijſdem ferè verbis deſumptus eſt.

9. Can.XXIII. *Eos autem qui religioſitatis ſpeciem ſimulantes Domini Corporis & Sanguinis Sacramentum, baptiſma puerorũ, ſacerdotium & cæteros Eccleſiaſticos ordines & legitimarum damnant fœdera nuptiarum tanquã hæreticos ab Eccleſia Dei pellimus & damnamus,& per poteſtates exteras coërceri præcipimus. Defenſores quoque ipſorum ejuſdẽ damnationis vinculo innodamus.*

Editus eſt iſte canon ad reprimendam ſe ſe latius effundentẽ Petri de Bruis hæreſim cujus prava dogmata hic breviter inſinuantur,ſed latius exponit & refellit Petrus Cluniacenſis l.1. epiſt.1. & 2. illam vero extinctam & ſepultã ſectam Lutherus & Calvinus ab inferis reſuſcitarunt. Nec non Anabaptiſtæ qui cum Petro de Bruis negant parvulis infra intelligibilem ætatem baptizatis poſſe illum prodeſſe baptiſmum, aut aliena fide poſſe ſalvari.

10. Can.XXVI.Damnat ſub anathemate ſanctimoniales quæ à cõmuni & Cœnobitica vita abhorrentes ſibi privata domicilia conſtituunt, in quibus ſub hoſpitalitatis velamine viros contra ſacros Canones & bonos mores ſuſcipere non erubeſcunt.

Can.XXVII. *Simili modo prohibemus ne ſanctimoniales ſimul cum canonicis vel Monachis in Eccleſia in uno choro conveniant ad pſallendum.*

Can. XXX. *Ad hæc ordinationes factas à Petro Leonis , & alijs ſchiſmaticis & hæreticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.*

Quod ipſũ fuerat Gallicanis Concilijs Claromõtano,& Remenſi,atq; Stãpenſi paulo ante conſtitutũ.

## *CONCILIA QUÆDAM AQUENSIA ſecundæ Provinciæ Narbonenſis tum anni 1112. tum etiam anni 1306.*

1. Nihil prohibet ex una eademque fidelia ut eſt in proverbio duos parietes dealbari. Hoc itaque loco Concilia duo Aquenſia comprehendo:& quidem quod tempore poſterius fuit ſuccinctè paucíſq; inſinuo, ut inde ad alterum gravioris momenti digrediar,licet tempore longè præceſſerit. Anno à mundi ſalute milleſimo trecenteſimo ſexto Novemb. menſis die 8. Roſtagnus Archiepiſcopus Aquis-Sextijs Provincialẽ Synodum habuit, eique Suffraganei Epiſcopi conſederunt Gaufridus Vapincenſis, Jacob.Siſtericenſis,& Petrus Regienſis : cauſa convocationis hujus extitit ut cum Eccleſia Metropolitana Sancto Salvatori Chriſto dicata, Eccleſiæ confinis Sancti Præcurſoris Joannis Ieroſolymitani , plurimum reparatione indigeret ; clerus populuſque non ſolum Diœceſis Aquenſis , ſed etiam Comprovincialiũ Eccleſiarum liberalius expenſas faciendas ad id contribueret , cohortantibus & ſatagentibus locorum Præſulibus,propoſitiſque per omnes Diœceſes quadraginta dierũ indulgentijs quibuſcunque fidelibus qui pœnitentes & confeſſi pio huic operi manus adjutrices porrexerint. Hæc plenius habentur in Archivo Archiepiſcopali cum ſubſcriptionibus & ſigillis Antiſtitum.

Jam vero ad aliud Aquenſe Concilium digrediamur anni M.C.XII. Cui præſedit Petrus Aquenſis Archipræſul, interfueruntq; non ſolum Cõprovinciales Epiſcopi,verumetiã advenæ nõnulli ex Diœceſibus vicinis. Locus vero Synodi ut ipſamet initio declarat fuit Eccleſia B.M.V. quæ tunc Metropolitica erat dicta S.Maria de Sede,quæ nunc etiam vetus retinet nomen ab Epiſcopali ſede; eiq; nunc famulantur religioſi Ord.Minimorũ S.Franciſci de Paula. Ex mutuo civilis obſervantiæ officio quo ſæpè cõtingebat ut Metropolitæ à quibus Conciliũ cogebatur vicinarum etiam Provinciarũ Epiſcopos rogarent ut ſua quoq; præſentia,& ſapientibus monitis Synodum indictã dignarentur decorare;fiebat etiam nonnunquã ut externi Antiſtites ad id officij ſe ſponte offerrent cujuſmodi permulta exempla in priſcis leguntur Concilijs. Ita evenit ut Gibellinus Arelatenſis Metropolita cum ſuo Comprovinciali Petro Cavallicenſi Epiſcopo iſti quoq; Synodo interfuerint. Deſierat jampridem illa Eccleſiæ Arelatenſis priſca in Provincias Narbonenſes & Alpium maritimarum juriſdictio, neque unius Metropolitæ præ alio Metropolita dignitas aliunde quam ex ordinationis Põtificiæ antiquitate,aut ex mutua inter eos & ſpontanea demiſſione ac obſervantia dimetiebatur.Sic enim in Concilio Epaonenſi anni 517. præſidet Avitus Viennenſis,eique aſſidet & ſubſcribit Viventiolus Lugdunenſis.Similiter in Concilio Aurelianenſi III.an.538.præſidet Lupus Lugdunẽſis eique proximus aſſidet & ſubſcribit Pantagathus Viennenſis. Item in Aurelianenſi V. an.549. Sacerdos Lugdunenſis primus ſubſcribit,deinde Aurelianus Arelatenſis,tertius Eſychius Viennenſis. Porro in Concilio Lugdun.II. an.567. primus ſubſcribit Philip.Viennenſis, ſecundoq; loco Nicetius Lugd. At in Concilio Lugd.III.an.583. prima ſubſcriptio eſt Priſci Lugdunenſis,ſecunda Evantij Viennenſis. In Valẽtino II. an.584.primus ſubſcribit Sapaudus Arelatenſis, ſecundus Priſcus Lugdunenſis, tertius Evantius Viennenſis. In Matiſconenſi II. anni 58. præſidet priorq; ſubſcribit Priſcus Lugdun. dictus in præfatione Patriarcha,ſubſequitur Evantius Viẽnenſis;tum prætextatus Rotomagenſis.At in Concilio Mantalenſi an.879.ſubſcribitur hoc ordine Othramnus Archiepiſc. Viennenſis , Aurelianus Archiepiſc.Lugd. Teutrannus Archiepiſc.Tarantaſiẽſis,Rorbertus Archiepiſc.Aquenſis.Ad eoſdẽ alioſq; Metropolitanos cum Archiepiſcoporum denominatione frequentes ſcribit literas Joannes Papa VIII. quæ denominatio in Occidentalibus Eccleſijs fuerat antea inuſitata.

2. Can.I. *Anno Incarnationis Dñi M.C.XII. præſidente Domno Petro Archiepiſc. Aquenſi, una cum Laodegario Epiſcopo Aptenſi,Geraldo Siſtaricenſi,Fulcone Præpoſito,Hugone Archidiacono,Petro & Giraldo Archipresbyteris , præſentibus fratribus Presbyteris,Monachis totius Archiepiſcopatus, celebrata eſt Synod.Aquis-ſextijs in Eccleſia B.Mariæ, in qua communi conſilio, ſequendo regulas SS. Patrum definitum ac conſtitutum eſt, quatenus redituum omnium Eccleſiarum totiús Archiepiſcopatus, omnibus annis Aquenſis Eccleſia recipiat eam quartam partem quæ ad proprium jus Archiepiſcopi jure canonico pertinet.*

Neminem latent conſtitutiones de diſtribuendis in quatuor partes Eccleſiæ provẽtibus quarum una cedat Epiſcopo,ſecunda Clericis Eccleſiæ deſerviẽtibus, Tertia reparandis Eccleſijs, Quarta pauperũ ſubſidijs.Has recenſet ac obſervari præcipit Simplicius Papa ep.3. cujus pars huc pertinens habetur c. de redditibus Eccleſiæ 12.q.2.Eamdẽ præſcribit quadruplicem partitionem Pontifex Gelaſius epiſt.9.ad Epiſcopos Lucaniæ cap.27. ubi ſimul cũ redditibus comprehẽdit pariter quotidianas fideliũ oblationes



Digitized by Google

dicens: *Quatuor autem tam de reddititu quam de oblatione fidelium, prout cujuſlibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum* (nimirum à prædeceſſore Simplicio) *convenit fieri portiones. Quarum ſit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda.* Eandē quadripartitam diſtributionem fieri edicunt Carolus Magn. & Ludovicus Pius lib.7. Capitularium c.290. Primus vero iſte Aquenſis canon præſente & conſentiente Archiepiſcopo partem ipſi ex canonica diſpoſitione debitam refundit in ipſam Eccleſiā, quia Petrus proprijs ſeu patrimonialibus bonis copioſè proviſus, lubens ſua canonica parte ceſſerat, fueratque ea ceſſio illius in gratiam Eccleſiæ facta in acta publica redacta ann.103. Viſiturque eadem remiſſio ac ceſſio Petri in ſupra memoratis capituli Aquenſis archivis, ex quibus iſtud quoque Concilium depromptum eſt. Sed jam ad ejuſdem canonem 2. progrediamur.

3. Can.II. *Statutum & confirmatū eſt ut nullus Presbyter vel Clericus Eccleſiam regendam ſuſcipiat ſine conſenſu Archiepiſcopi vel Archidiaconi.*

Nulla hic Vicarij generalis Epiſcopi neque in antiquioribus canonibus mentio. Nondū enim ſibi Vicarios Epiſcopi deligebant. Omniaque Vicarij generalis officia Archidiaconis incumbebant. In Concilio tamen Saleguſtadienſi an.1022.can.16.ita ſciſcit: *Decrevit quoque ſancta Synodus ut nullus Romam eat niſi cum licentia ſui Epiſcopi vel ejus Vicarij.* De conſenſu Epiſcopi circa regimina Eccleſiarum neceſſario, ſapientiſſime decernit Concil. Lateranenſe II. ſub Calliſto II. can.7. *Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpoſitus, aut Decanus animarū curam vel præbendas Eccleſiæ ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat. Imo ſicut ſanctis canonibus conſtitutum eſt, cura & rerum Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hæc facere aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* S. Papa Gregorius ſtatuerat ſimiliter: *Si quis venerit contra decretum Epiſcopi ab Eccleſia abjiciatur.* Allegatur in c.ſi quis, de majorit. & obed.

4. Can. III. *Statutum & judicatum eſt ut nullus Clericus alterius Epiſcopatus ordinatus vel ordinandus aliquibus ordinibus in Eccleſia Aquenſi recipiatur abſque literis ſui proprij Epiſcopi, ſicut in canone continetur.*

Nulla uſque adeo frequens eſt inter ſacros canones conſtitutio ac iſta circa quam poſſent abſque hyperbolica locutione centum circiter canones allegari, præcipuæ vero ſunt autoritatis tres Nicenæ Synodi can.15.16.17.diſtrictè vetantes alienum clericum ſuſcipere, vel etiā ordinare citra proprij ejus Epiſcopi literas. Eadem iteratur prohibitio canonibus Sardicenſibus 16.18.19. & Apoſtolorum canonib.15.16. maximè vero 32. Prætereaq; Carthaginenſis Concilij I.ſub Julio Papa c.5. Et Trident. Concilio (ut alia innumera interjecta omittam). ſeſſ.33.c.16.Proſequitur vero idē Aquenſis Can.III. *Hanc conſtitutionem quamvis ad omnium Eccleſiarum ſecundum canonum decreta, jura pertineat; nullus tamen Domnus Archiepiſcopus poſt eum cum aliqua perſona ab Aquenſi Eccleſia divellat; quod ſi faceret officij ſui periculum pertimeſcat.* Tale hoc additamentum urſiſſe ac intenſius apponi poſtulaſſe veriſimile eſt Suffraganeos, metuentes ne (quod alias fortaſſe evenerat) aliquis Archiepiſcopus quaſi jure Metropolitani hoc deinceps attentaret in ſubditos Comprovincialium Antiſtitum.

5. Can.IV. *Si quis in ſolvenda quarta parte magis inobediens extiterit, poſt tertiam admonitionem officio ſuſpendatur. Si vero poſt quadraginta dies in contumacia permanſerit, ut raptor & ſacrilegus ab omni ordine deponatur. Eccleſiæ etiam in quibus hæc injuria facta fuerit divinis careat officijs.*

Hoc eſt, pertinax ille recuſator aditu Eccleſiæ prohibeatur: non enim de Eccleſia interdicenda ullus eſt ſermo vel juſta cauſa; niſi quando ipſa Eccleſia debet illud ipſum jus Epiſcopo, ejuſque ſolutionem obſtinatè recuſat. Eſt enim duplex quarta canonica ſecundum Canoniſtas; una quæ debetur Eccleſiæ Parochiali ex his bonis quæ Parochiani legant ſive relinquunt vel offerunt ratione funeris, cum quis alicubi extra Parochiam elegit ſepulturā c.cum ſuper, & c. certificari, de ſepult. & vocatur quarta Parochialis. Altera quæ dicitur quarta Epiſcopalis debetur ab Eccleſijs Epiſcopo ex omnibus bonis quæ ipſis Eccleſijs relinquuntur & obveniūt. De qua tractat gloſſa in c.officij, & c. requiſiſti, & c.ult.de teſtam. Debetur autem Epiſcopo tum ex omnibus quæ ipſis Parochialibus Eccleſijs legantur, ſive ex decimis, ſive ex oblationibus c.de quarta, de præſcriptio.c.conceſſa 12.q.2.c. de his 10.q.1. Idem à quibuſcumque Eccleſijs in Diœceſi conſtitutis non exemptis debetur Epiſcopo Cathedraticū ſeu Synodaticum c.conquerente, de offic.jud.ordin.

6. Petrus iſte ante novennium celebrationis hujuſce Concilij Pallium à Paſchali Papa II. ſuſceperat cujus hac de re viſitur reſcriptum eodem in Archivo lib. inſcripto Concordantia, his verbis: *Paſchalis ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Petro Aquenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis dignitas exigit ſua cuique jura ſervare, & ſic honoris à Domino conſtituti privilegium cuſtodire, ut fratribus dignis honoris conſortium non negetur. Idcirco venerabilis Petre Aquenſis Archiepiſcope fraternitati tuæ tuiſque ſucceſſoribus confirmamus quidquid Parochia vel Metropolis vel Epiſcopatus jure ad Aquenſē noſcitur Eccleſiam pertinere. Pallium præterea fraternitati tuæ plenitudinem videlicet Pontificij officij & Apoſtolicæ ſedis liberaliter concedimus, quo te intra Eccleſiam tantum ad Miſſarum ſolemnia, ſubſcriptis diebus induendum, id eſt nativitatis D.N. Ieſu-Chriſti, Epiphaniæ, Hypopanton, Cœnæ Domini, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, tribuſque ſolemnitatibus B. Mariæ Virginis, in feſtivitatibus SS. Apoſtolorum, commemoratione omnium ſanctorum, ſanctorum Mariæ Magdalenæ, Maximini Confeſſoris & Epiſcopi, & eorum Martyrum qui in Eccleſia Aquenſi requieſcunt, in conſecrationibus Eccleſiarum, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, & Anniverſario tuæ conſecrationis die, cujus nimirum pallij volumus te per omnia privilegiū vendicare. Hujus ſiquidem indumenti honor, humilitas atque juſtitia eſt, tota itaque mente fraternitas tua ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in adverſis ſi quando eveniant, cum juſtitia erectum, amicum bonis, perverſis contrarium, nullius unquam faciem contra veritatem recipiens, nullius faciem pro veritate loquentem premens, miſericordiæ operibus juxta virtutem inſiſtens ſubſtantiæ, & tamen inſiſtere ſupra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudijs collætans. Fraternitatem*

*nitatem tuam divina miſeratio per tempora multa conſervare dignetur incolumem. Amen. Datum Laterani per manus Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, 5.Calend. April.indict. X.anno Domini Incarnationis M.C.III. Pontificatus autem noſtri anno IV.* In hoc reſcripto tu obiter obſerva an.1103.S.Magdalenam ſanctúq; Epiſcopum Maximinum fuiſſe ſolemni & præcipuo cultu in Diœceſi Aquenſi honoratos ut primos Chriſtianæ fidei ſatores, per quos Evangelica doctrina & ſalus æterna his oris effulſit. Nec vero tunc primum ſpectabilis hæc illis collata eſt veneratio,ſed ab antiqua & conſtante traditione uſque ad id tempus derivata. Extat uſq; nunc humile atque ſpatio exiguum ſacellum intra baſilicã Chriſti Salvatoris incluſum,quod ſæculorum fama celebrat à S.Maximino uno ex ſeptuaginta diſcipulis ſeorſim à plebis frequentia conſtructum, ſæviente Gentilium perſecutione: intra quod vir verè Apoſtolicus primuſque Aquenſium Epiſcopus ſacroſancta myſteria coram primis à ſe converſis Chriſti cultoribus peragebat, intra quod Maria Magdalena morti vicina fertur divinum viaticum de manu Maximini recepiſſe: locum iſtum ſanctitate venerandum Maximinus erectâ intus arâ transfigurato Chriſto dedicavit. Eodem vero anno quo Petrum Archiepiſcopum Paſchalis ſummus Pontifex pallio Archiepiſcopali decoraverat,poſt quinq; tranſactos menſes idem Archiepiſcopus novam baſilicam quæ memoratum Sacellum intra ſui ambitum complectitur Chriſto Salvatori dedicavit, ſolemnique ritu conſecravit ut habent acta membrana conſcripta & verſicoloribus eleganter picturata in tabellario Aquenſis Eccleſiæ,his quæ ſubjicio verbis expreſſa.

*Anno Domini noſtri M.C.III. Petrus Aquenſis Archiepiſcopus convocatis quibuſdam comprovincialibus Epiſcopis apud Aquas,videlicet Domino Gibellino* (comprovincialis hic dicitur non quaſi ſuffraganeus Epiſcopus,ſed quia ejus Diœceſis intra unã eandemque civilem Provinciam propria nuncupatione à priſcis Romanis ita dictam,quæ intra ſe tres Eccleſiaſticas concludit Provincias Arelatenſem,Aquenſem,& Ebredunenſem) *Arelatenſi Archiepiſcopo,Petro Cavallienſi Epiſcopo,Berengario Forojulienſi, Augerio Regienſi,una cum Concilio canonicorum ſuorum,videlicet Fulconis Præpoſiti, Hugonis Archidiaconi,Bremundi ſacriſtæ, Archipresbyteri Gaufridi,& Petri,& canonicorum Hugonis, & Northerti, Vuilielmi,Gerardi,& aliorum, quorũ timendo moras nomina non enumeramus, ſtatuit conſecrare Eccleſiã S.Salvatoris hic naviter fundatam inter duas Eccleſias:videlicet verſus Septentrionem Eccleſiam Dei Genitricis,verſus meridiem vero Eccleſiam B.Ioannis Baptiſtæ poſitã. Oratorio quoque ejuſdem Domini noſtri Salvatoris Orientem verſus conſtructo. Hanc denique conſecrationem Domnus Petrus Archiepiſcopus tantorum virorum religioſorum quorum ſuperius nomina enumeravimus authoritate muniri voluit, quatenus venerabilis Eccleſia Glorioſi Salvatoris à venerabilibus viris conſecrata, in poſterum venerabilius veneretur.Sed quoniam earundem Eccleſiarum quas ſuperius enumeravimus B.Maximinus & B. Maria Magdalena primi fundatores extiterunt; In eadem Eccleſia Salvatoris à ſupradictis religioſiſſimis viris, in honorem B.Maximini & B. Mariæ Magdalenæ altare dedicatum eſt, cujus conſecrationis dies eſt VII. idus Auguſti, quatenus futuris temporibus abſque ulla dubitatione in Eccleſia iſta, dies iſte celebris annuatim celebretur.*En alterum de Maximino & Magdalena omni exceptione majus teſtimonium,fuiſſe illos advenas Aquenſes, qui ſalutaribus fidei radijs noſtras ab initio plagas illuſtrarunt. Veteres aliæ teſtificationes aliunde adduci poſſent,ſed quia à noſtro Conciliorum tractandorũ propoſito remotiores ſunt, & pereruditè ab alijs ſcriptoribus exploratæ ſunt ac diſcuſſæ, hic ſuperſedens, *Defigo tellure haſtas & ſcuta repono.*

## *CONCILIVM SENONENSE ADVERSVS hæreſes Petri Abælardi an.* 1140.

PEtrus Abælardus illuſtris nominis Philoſophus pluribus hæreſibus ſuos inſperſerat libros,quos ideo Legatus in Gallia Apoſtolicus juſta damnatione perſtrinxerat; ut enim ſcribit S.Bernardus ep.188. *Cũ de Trinitate loquitur ſapit Ariũ; cum de gratia ſapit Pelagium;cum de perſona Chriſti ſapit Neſtorium.* Superbus ille ſpiritu ſententiæ Legati nullatenus acquieſcens, quinimo magis inde exaſperatus,magnum ratus ſuæ cauſæ præſidium acceſſurũ ſi Bernardo Clarevallenſi ſuperior in diſputando evaderet,viro poſt expugnatum Leonis ſchiſma toto orbe celeberrimo. Victoriã vero ſibi haud fore difficilẽ tum fiducia proprij ingenij,tũ argutijs ſyllogiſticis continuoq; diſputandi uſu ſibi perſuadebat,cui nequaquam adverſarius quem provocabat erat aſſuetus Qua ſpe fretus inſtitit apud Joſelinum Senonenſem Metropolit. ut conventum quàm fieri poterat celeberrimum Prælatorum & inſigniũ DD. indiceret,Bernardumque adigeret ad publicè diſputandum. Vir ſanctus diu reſtitit,ſed urgentibus Senonenſi alijſque Epiſcopis in illã arenam prodijt, quò ſpectatores advenerant Rex ipſe Ludovicus, alijq; Principes viri,Metropolitani quoq; Senonẽſis & Remenſis,cũ pluribus Epiſcopis & Abbatibus,& accitis inſignioribus Theologis. Ubi ad rem ventũ eſt,Bernardus dogmata ea de ſcriptis Abælardi protulit quæ plane eſſe hæretica demonſtrare moliebatur. Abælardus vero inops animi non expectata diſceptatione quã tantopere expetiverat Synodus,ante omne præſentis Synodi judicium,neq; omnino congredi auſus provocavit ad Summi Põtificis judiciũ, indeque plenus confuſionis ſe ſubduxit ac evaſit, quãvis Bernardus quem tunc formidare ceperat fugientem comiter retinere conaretur. Non enim poterat reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui viri Dei, ipſeque ſuis confeſſus eſt ſibi ea hora memoriam excidiſſe, mentem caligaſſe, ſenſumque interiorem defeciſſe. Evaſio tamẽ ejus non impedivit quin Synodus ejus propoſitiones palã lectas examinarit condẽnaritq; perſonæ tamẽ autoris parcens nihil de illo pronunciavit. Synodicas tamen literas ad Innocentium II. Pontificẽ direxerunt referentes quæcunq; in Synodo geſta fuerant. Conſiderat hæreſiarcha haud paucos Romæ degere Prælatos quos olim habuerat diſcipulos. Veritas tamen prævaluit penes Apoſtolicam Cathedrã,cauſaq; accurate exploratã confirmata eſt Concil.Senonenſis ſententia, dogmataq; nõ modo damnata iterum fuere, ſed Abælardus quoque anathemate obtritus mandatumq; ut ille ejuſque diſcipulus Arnaldus Brixianus qui turbas innumeras & Romæ & in reliqua Italia præſertim Brixiæ patriæ ſuæ concitarat, in Monaſterijs diviſi arctã cuſtodiã concluderentur pœnitẽtiam reliquã vitã acturi: libri autem Abælardi quicunq; reperiri poſſent comburerentur. Hæc fuſius habent utriuſq; Cõcilij Senonenſis & Romani acta exacteq; referuntur à fideliſſimo rerum quæ ſuo tempore contigerunt hiſtorico Othone Friſingenſi l.1. de geſtis Friderici I. c.48.& 49. Abælardus ipſe dum verſum Romã iter intenderet,

intenderet, ſuam proſecututus appellationem, Cluniacum divertens ſe totum arbitrio Abbatis Petri Venerabilis dedidit, cujus operâ ſuos omnes errores ejuravit, Bernardum impensè coluit, Monachus apud Cluniacum effectus eſt, perfecteque pœnitens in profunda ſui deſpicientia, vitæque auſteritate ſancto demum fine quievit. Eundem poſtquam obijt Petrus ille Venerabilis ſcriptâ ad Eloyſam Abbatiſſam epiſtolâ magnifice laudavit. Hæc ejus quondã fuerat uxor doctrina pariter excellens, eximiæque pietatis, de viri quondam ſalute admodum ſollicita.

## *CONCILIUM REMENSE Anni* 1148.

1. Gilibertus Porretanus Pictavienſis Epiſcopus priuſquam ad eam dignitatem perveniret magnum ſibi nomen comparaverat, Philoſophiam publicè magnoque diſcipulorum concurſu docendo, firmavitq; pernicioſo exemplo illud vetus Tertulliani effatum: Philoſophos eſſe hæreticorum Patriarchas, id enim in priorum ſæculorum hæreſiarchis, qui ex Platonis ſchola prodierunt, comprobatum eſt Ebione, Baſilide, Apelle, Saturnino, Marcione, Origene, iſtoque de quo nobis ſermo eſt ſæculo in Philoſophis quos Ariſtotelis ſchola peperit Petro Abeliardo, Giliberto Porretano, Henrico, & alijs quos S. Bernardus zelo Dei æſtuans eſt inſectatus. Gilibertus proprio ingenio nimis confidens & contra Apoſtolicum monitum pluſquam oportet ſapere præſumens hæc publicè concionando, privatim colloquendo linguâ & ſcripto aſſerebat. I. Quod divina natura quæ divinitas dicitur Deus non ſit, *ſed* forma quâ Deus eſt, quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma quâ homo eſt. II. Quod cum Pater & Filius & Spiritus ſanctus unum eſſe dicuntur, non niſi una divinitate eſſe intelligantur, nec converti poſſit ut unus Deus, vel una ſubſtantia, vel unum aliquid Pater & Filius & Spiritus S. eſſe dicatur. III. Quod tres perſonæ tribus unitatibus ſint tria, & diſtinctæ proprietatibus tribus, quæ nõ ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres æternæ, & abinvicem à divina ſubſtantia in numero differentes. IV. Quod divina natura non ſit incarnata.

2. His oppoſitæ aſſertiones ſub Eugenio tertio Papa in Remenſi Concilio cui ille præſedit ſub nomine Symboli fidei confirmatæ ſunt. I. Credimus & confitemur ſimplicem naturam divinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari quin divinitas ſit Deus; & Deus divinitas. Sicubi vero dicitur Dei ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum eſſe, & alia hujuſmodi: credimus non niſi eâ ſapientiâ quæ eſt ipſe Deus, ſapientem eſſe; non niſi ea magnitudine quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe; non niſi ea æternitate quæ eſt ipſe Deus, æternum eſſe; non niſi unitate eſſe unum, quæ eſt ipſe; non niſi ea divinitate eſſe Deũ, quæ eſt ipſe: id eſt ſeipſo ſapientem, magnum, æternum, unum Deum. II. Cum de tribus perſonis loquimur Patre & Filio & Spiritu ſancto, ipſas unum Deum, unam ſubſtantiam divinam eſſe fatemur. Et è converſo cum de uno Deo, una divina ſubſtantia loquimur: ipſum unum Deum unam ſubſtantiam eſſe divinam tres Perſonas confitemur. III. Credimus & confitemur ſolum Deum Patrem Filium & Spiritum ſanctum æternum eſſe, nec aliquas omnino res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates, ſive unitates dicantur, vel alia hujuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. IV. Credimus & confitemur ipſam divinitatem ſeu ſubſtantiam divinam ſive naturam divinam dicas incarnatam eſſe, ſed in Filio.

3. Cum vero Pontifex Eugenius III. Romanorum factione ab Arnaldo Brixiano excitata coactus urbe excedere in Galliam proficiſceretur, duo Pictavienſes Archidiaconi Senis civitate Tuſciæ illi occurrerunt, illarum Epiſcopi ſui propoſitionum novitate offenſi quas à Sum. Pontifice in examen revocari poſtularunt, qui pleniorẽ cauſæ cognitionem in Gallia quò tendebat explorandam diſtulit. Tribus conventibus ab Eugenio indictis de propoſitionibus illis acriter inter Gilibertum ejuſque adverſarios diſputatum eſt Antiſiodori primum, deinde Lutetiæ Pariſiorum, excuſſiſq; hinc inde rationibus, ſumma reſervata eſt definitio ad Remenſe Concilium à quo damnatæ ſunt ut hæreticæ Giliberti aſſertiones, cui judicio ille prorſus ſe ſubmiſit. Bernardus Clarevallenſis permultum & diſputando & agendo huic victoriæ veritatis contulit, quam ob cauſam ab Othone Friſingenſi quaſi modum exceſſerit nonnihil perſtringitur in hiſtoria, ſed idem Otho ante ſuum obitũ ſollicitè curavit ut quæ ipſe de Bernardo incautius ſcripſerat obliterarentur, una cum his quæ nimio amicitiæ affectu in laudem Giliberti publicarat, ut memoriæ prodit ejuſdem Eccleſiæ Friſingẽſis canonicus, qui præſens Othoni in extremis decumbenti interfuerat. Ipſe Gilibertus poſtquam ſuos errores humiliter agnovit & proprio ore ſincere refutavit, quia etiam ab ipſo contentionis initio ſeſe judicio & correctioni Eccleſiæ ſubmiſerat in ſuam Eccleſiam pacificè remiſſus fuit, judicante Concilio ejus hæreticas fuiſſe aſſertiones, non tamen ipſum hæreticum, utpote pertinaciæ adverſus Eccleſiam expertem. Ut enim ex Auguſtini doctrina colligitur, errantem fidelem ſola in Eccleſiam pertinacia ab hæretico ſejungit lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. & lib. 18. de Civit. Dei cap. 51.

4. Iſtud Remenſe Concilium Otho Friſingenſis generale vocat: fuit enim celeberrimum tum præſentiâ Eugenij Papæ qui præſedit, tum etiam concurſu Antiſtitum & Abbatum toto ex orbe Catholico uſque ad mille & centum ut teſtatum reliquit Anſelmus Gemblacenſis, non ſolũ ex Gallia, Italia, Alemannia, Anglia, ſed etiam ex Hiſpania, ut conſtat ex Eugenij Epiſtolis ad Alfonſum Hiſpaniæ Regem, & ad Bernardum Epiſcopum Tarraconenſem. Editi ſunt in Concilio iſto canones 18.

Can. I. *Qui ab Epiſcopis ſuis anathematis ſententiâ condemnantur, quoniam à communione Eccleſiaſtica removentur, diabolicæ dignoſcuntur ſubjici poteſtati. Non enim eſt homo qui ligat ſed Chriſtus, qui hanc miniſtris ſuis exhibuit poteſtatem. Ideoque à ſuis Epiſcopis excommunicatos ab alijs recipi modis omnibus prohibemus. Epiſcopus autem qui ſententiam promulgaverit eam viciniis Epiſcopis enunciet. Qui vero excommunicato donec ab eo qui eum excommunicaverat vel autoritate ſedis Apoſtolicæ abſolvatur, ſcienter communicare præſumpſerit, eadem excommunicationis ſententiâ ipſum teneri cenſemus.*

Can. II. *Præcipimus etiam quod tam Epiſcopi quam Clerici neque in ſuperfluitate, neque in honeſta varietate colorum, aut ſciſſura veſtium, neque in tonſura intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed potius ita in ſuis actibus eam condemnent, ut amorem*

*amorem innocentiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit ordinis clericalis. Quod ſi moniti ab Epiſcopis ſuis intra quadraginta dies non obtemperaverint, Eccleſiaſticis beneficijs ſuis eorumdem Pontificum autoritate priventur. Epiſcopi vero ſi præfixam pœnam irrogare neglexerunt: quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt quam ad deſides negligenteſque rectores: tamdiu ab Epiſcopali officio abſtineant, donec pœnam à nobis conſtitutam clericis ſibi ſubjectis imponant; nec etiam niſi præcedente congrua ſatisfactione, relaxent.* 21. q. 9. c. ult.

Can. III. *Præterea quod à patribus noſtris propenſiori cura novimus conſtitutum, nos quoque præcipimus obſervari: ut qui in ordine ſubdiaconatus aut ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant.*

Can. IV. *Ad majorem autem domus Dei decorem adjcientes ſtatuimus, ut ſanctimoniales & mulieres quæ canonicæ nominantur & irregulariter vivunt, juxta beatorum Benedicti & Auguſtini rationem, vitam ſuam in melius corrigant & emendent: ſuperfluitatem veſtium recidant: & in clauſtro ſint aſſiduè permanentes: choro refectorio & dormitorio ſint contentæ, & relictis præbendis, & alijs proprijs, earum neceſſitatibus de communi provideant. Quod ſi uſque ad proximũ Apoſtolorum feſtum non adimpleverint, ex tunc in earum Eccleſijs, donec hoc noſtrum mandatum adimpleverint, divina prohibemus officia celebrari: & ſi qua ipſarum mortua fuerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ. Prohibemus etiam ne in earum collegijs aliqua quæ irregulariter victura fuerit recipiatur.* 18. q. 2. c. 25. perniciosam.

Can. V. *Decernimus etiam ut laici Eccleſiaſtica terminare negotia non præſumant: & Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Eccleſiarum prælati, de negotijs Eccleſiaſticis vel de alijs quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, aliquorum laicorum judicio non diſponant: nec propter eorum prohibitionem, Eccleſiaſticam dimittant juſtitiam exercere.* c. decernimus, de judic.

Can. VI. *Auctoritate quoque Apoſtolica prohibemus ut nullus advocatus præter jus & beneficium antiquitus conſtitutum ſibi aliquid accipere vel uſurpare præſumat. Subadvocatos vero & exactores eorum modis omnibus ab Eccleſiarum infeſtationibus removeri præcipimus. Quod ſi quis contra hanc ſententiam à nobis promulgatam de cætero attentare præſumpſerit, Chriſtianorum careat ſepulturâ.*

Can. VII. *Quia vero continentia & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſanctis ordinibus dilatanda eſt, ſanctorum Patrum & prædeceſſoris noſtri Innocentij veſtigijs inhærentes ſtatuimus quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſubdiaconi, regulares canonici, Monachi, atque converſi profeſſi qui ſacrum transgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem quam contra Eccleſiaſticam rationem conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ſeparati ab invicem, pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant. Idipſum quoque de ſanctimonialibus ſi quod abſit nubere tentaverint, obſervari præcipimus.* 27. q. 1. c. ut lex continentiæ.

Can. VIII. *Divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & ſanctorum Patrum decreta ſanxerunt, uti decimas Eccleſiarum quas in uſus pietatis conceſſas canonum demonſtrat autoritas, laici non debeant poſſidere. Nos quoque ne id fiat modis omnibus prohibemus: quia ſive ab Epiſcopis ſive à Regibus vel quibuſlibet perſonis acceperint, niſi Eccleſiæ reddiderint, ſacrilegij crimen committunt, & periculum æternæ damnationis incurrunt.*

Can. IX. *Illud etiam duximus annectendum ut nullus in Archidiaconum niſi Diaconus aut Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, decani, aut præpoſiti qui infra ordines prænominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, ſuſcepto honore priventur. Prohibemus etiam ne adoleſcentibus, vel infra ſacros ordines conſtitutis, ſed qui prudentiâ & merito vitæ clareſcunt, prædicti concedantur honores* diſt. 7. c. 3.

Can. X. *Præcipimus etiam ne Presbyteris conductitijs Eccleſiæ committantur: & unaquæque Eccleſia cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem: nec ab ejus regimine niſi Epiſcopi in cujus Parochia fuerit, vel Archidiaconi canonico judicio depellatur. Cui de bonis Eccleſiæ tantum beneficij tribuatur unde convenienter valeat ſuſtentari.* 1. q. 2. c. 5. & ult.

Can. XI. *Præcipimus quoque ut Presbyteri, clerici, Monachi, converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia cum quibus arant, & oves omni tempore ſint ſecuræ. Si quis autem hoc noſtrum ſtatutum violare præſumpſerit: Epiſcopus in cujus Parochia fuerit omni trepiditate ſepoſita, canonicam de ipſo juſtitiam faciat.*

Can. XXII. *Temerariam quoque militum audaciam qui ad deteſtabiles nundinas aut ferias ex condicto ſolent ad oſtentationem ſuarum virium convenire, unde mortes corporum & animarum ſæpius provenerunt; omnino fieri interdicimus. Quod ſi quis ibidem cæſus vel mortuus fuerit, pœnitentia ei & viaticum non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.* de torneam. c. 1.

Can. XXIII. *Nihilominus præſentis ſcripti*

*ſerie ſtatuta prædeceſſoris noſtri felicis memoriæ Papæ Innocentij confirmantes: decernimus ut ſi quis ſuadente diabolo tanti ſacrilegij reatum incurrerit quod in Clericum vel Monachum violentas manus mittat, anathemati ſubjaceat; & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere niſi urgente mortis periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* 17. q.4. c. ſi quis ſuadente diabolo.

Can. XIV. *Hac etiam conſona Sanctorum Patrum definitione ſancimus, ut in eos qui ad Eccleſiam vel Cœmeterium confugerint, nullus manus mittere audeat. Quod qui fecerit anathema ſit.*

Can. XV. *Innovamus etiam ut ſi quis malo ſtudio ſive pro odio ſive pro vindicta, ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur. Et ſi mortuus fuerit incendiarius Chriſtianorum careat ſepulturâ. Nec abſolvatur, niſi prius damno quod intulit ſecundum facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulterius ignem non appoſiturum. Pœnitentia ei detur ut in Ieroſolymis vel in Hiſpania in ſervitio Dei per annum permaneat. Si quis vero Archiepiſcopus vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum ab officio Pontificali abſtineat. Sane Regibus & Principibus facultatem faciendæ juſtitiæ non negamus.* 23. q.8. c. peſſimam.

Can. XVI. *Præcipimus etiam ut pro chriſmatis, & olei ſacri, & ſepulturæ acceptione nullum pretium exigatur.*

Can. XVII. *Illud etiam quod à prædeceſſore noſtro Papa Innocentio ſtatutum eſt innovantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & alijs ſchiſmaticis & hæreticis, evacuamus & irritas eſſe cenſemus.*

Can. XVIII. *Quia etiam Apoſtolica ſedes quod rectum eſt conſuevit attenta conſideratione defendere, & quod devium invenitur eſſe devitare: præſentis decreti autoritate præcipimus, ut nullus omnino hominum hæreſiarchas & eorum ſequaces qui in partibus Gaſconiæ aut Provinciæ.... vel alibi commorantur, manuteneat vel defendat: nec aliquis eis receptaculum in terra ſua præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiſcentes eorum errori conſentiens recipere fortè præſumpſerit, quo iratus Deus animas percutit anathemate feriatur; & in terris eorum, donec condignè ſatisfaciant, divina celebrari officia interdicimus.*

## CONCILIUM TURONENSE *anni* 1163.

1. POſtquam Hadrianus Papa IV. rebus eſt humanis exemptus. Alexander ejus nominis III. in illius ſedem eſt ſubrogatus omnium (exceptis tribus) ſuffragijs Cardinalium, patriâ Senenſis omnique virtutum genere conſpicuus, qua canonicè peracta electione tres reliqui Cardinales Friderico Ænobarbo gratificari volentes, ſeorſum convenientes Joannes Guido & Octavianus in hunc ipſum conſenſerunt, qui duobus ſubnixus ſuffragijs, introductaque copiosâ mercenariorum militum manu Victoris ſibi nomen aſſumpſit. Fridericus coactis Conciliabulis Octavianum intruſum violenter propugnavit, eidemque quaſi jure Imperij Pontificatum adjudicavit. Reges vero Franciæ & Angliæ cæteroqui inter ſe hoſtes coactis Epiſcoporum ditionum ſuarum Synodis Alexandri prout juſtum erat partes foverunt. Qui Româ ob ſchiſmaticorum factiones Italiâque, in qua omnia armis perſtrepebant in Galliam appulit, portu Magalonis exceptus, inde Monſpelium profectus maximo Prælatorum finitimorum procerumque concurſu eſt ſuſceptus an. 1162. Inde per Arvernos in civitatem Turonenſem rogatus à Rege Franciæ conceſſit. Interim Franciæ Rex Ludovic. VII. & Rex Angliæ Henricus II. ex condicto ſuper Ligerim amnem convenientes omni ſepoſita æmulatione ad Alexandrum qui ambos præſtolabatur perrexerunt, exhibitiſq; pedum oſculis, ſtratorum officio ſimul uſi ſunt, pedites dextrâ lævaque frænum equi ipſius tenentes, atque ad præparatum habitaculum perduxerunt, ut Robertus harum rerum teſtis oculatus prodit. Alexander vero pacem inter duos Reges conciliavit. His peractis Concilium Turonenſe inijt anno 1163. eique præſedit: interfuerunt Cardinales decem & ſeptem, Epiſcopi centum viginti quinque, è quorum numero fuit Thomas ille celeberrimus Cantuariæ Archiepiſcopus. In hoc illuſtri Concilio anathemate juſto perculſus eſt cum ſuis omnibus fautoribus Antipapa dictus Victor tertius. Editique ſunt decem qui ſequuntur canones.

2. Can. I. *Majoribus Eccleſiæ beneficijs in ſua integritate manentibus, indecorum nimis videtur ut minorum Clericorum præbendæ recipiant ſectiones. Idcirco ut in magnis ita quoque in minimis ſuis membris firmam habeant Eccleſiæ unitatem: diviſionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.*

Habetur c. majoribus 8. de præben. Et eſt titulus decretalium, ut beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur. Idem Alexander III. hoc idem decernit c. avaritiæ eod. tit. & confirmatur c. tuæ fraternitati, & c. cum cauſam, eod. Reſcribit tamen Innocentius III. c. vacante, eod. duas ſimul requiri conditiones ut poſſit una præbenda dividi, ſcilicet juſtam & rationabilem cauſam, & ſufficientiam proventuum convenientium pro utroque proviſo. Duas in corpore juris reperio dividendi cauſas, unam quidem ſi tanta excrevit populi multitudo, ut Presbyter unus olim conſtitutus

tus deinceps regimini nequeat ſufficere. 16. q. 1. c. præcipimus. Altera cauſa ſumitur ex nimia plebium aut Eccleſiarum diſtantia, ob quam neceſſe ſit unam de novo inſtitui præbendam, ut idem ipſe Alexander III. conſtituit c. ad audientiam de Eccl. ædif. Major plerumque occurrit ratio diviſas olim præbendas reuniendi. Quæ res permittitur à Tridentino Concilio ſeſſ. 21. de ref. c. 5. & ſeſſ. 24. de refor. c. 13.

Can. II. *Plures Clericorum, & quod mærentes dicimus, eorum quoque qui præſens ſæculum profeſſione, votis, & habitu reliquerunt, dum communes uſuras quaſi manifeſtius damnatas exhorrent, commodatâ pecuniâ indigentibus poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt ultra ſortem. Idcirco generalis Concilij decernit autoritas, ut nullus amodò conſtitutus in Clero vel hoc vel aliud uſuræ genus exercere præſumat. Et ſi quis hactenus poſſeſſionem alicujus datâ pecuniâ ſub hac ſpe in pignus acceperit, ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus jam recepit, abſolutè poſſeſſionem ſuam reſtituat debitori. Sin autem aliquid minus habet, eo recepto, poſſeſſio libera ad Dominum revertatur. Quod ſi poſt hujuſmodi conſtituta in Clero quiſquam extiterit qui deteſtandis uſurarum lucris inſiſtat: Eccleſiaſtici officij periculum patiatur, niſi fortè beneficium Eccleſiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videatur.* Habetur c. 1. de uſur.

Can. III. *Quamvis grave nimis & divini dignum animadverſione judicij habeatur, quod laici quidam quod Sacerdotũ eſt uſurpant in Eccleſiaſticis rebus: majorem id incutit formidinem ac dolorem, quod fomitem ſui erroris dicunt in ipſo Clero aliquoties invenire: dum quidam fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum aliorumque Prælatorum Eccleſiæ decimas eis & Eccleſiarum diſpenſationes indulgent, & in devia eos mortis impellunt, qui prædicatione illorum ad vitæ viam fuerant revocandi. De quibus dicit Dominus per Prophetam peccata populi mei comedunt & ad iniquitatem provocant animas eorum. Vnde ſtatuimus ut ſi quis alicui laico in ſæculo remanenti Eccleſiam, decimam, oblationemve conceſſerit, à ſuo ſtatu, tanquam arbor quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec ſe emendet, lapſum ſuum deflens, ſubjaceat dolore proſtratus.* Habetur c. quamvis, de decimis.

Can. IV. *In partibus Toloſæ damnanda hæreſis dudum emerſit, quæ paulatim more cancri ad vicina loca ſe diffundens, per Guaſconiam & alias Provincias quamplurimos jam infecit. Quæ dum in morem ſerpentis intra ſuas evolutiones abſconditur, quanto ſerpit occultius tanto gravius Dominicam vineam in ſimplicibus demolitur: Vnde contra eos Epiſcopos & omnes Domini Sacerdotes in partibus illis commorantes vigilare præcipimus & ſub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores, ne receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertire præſumat. Sed nec in venditione aut emptione aliqua cum eis omnino commercium habeatur, ut ſolatio ſaltem humanitatis amiſſo, ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi vero ſi deprehenſi fuerint per Catholicos Principes cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione mulctentur. Et quoniam de diverſis partibus in unũ latibulum crebro conveniunt & præter conſenſum erroris, nullam cohabitandi cauſam habentes in uno domicilio commorantur: talia conventicula inveſtigentur attentius, & ſi vera fuerint, canonica ſeveritate vetentur.*

Can. V. *Quoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra Sanctorum Patrum conſtitutiones invaluit, ut ſub annuo pretio Sacerdotes ad Eccleſiarum regimen conſtituantur, id ne fiat modis omnibus prohibemus. Quia dum Sacerdotium ſub hujuſmodi mercede venale diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur.* Vide ſimilem conſtitutionem Concilij Remenſis an. 1148. c. 10.

Can. VI. *Non ſatis utiliter in populo avaritia redarguitur, ſi ab his qui in Clero conſtituti videntur, & præcipuè qui contempto ſæculo religioſum nomen profitentur, & regulam, modis omnibus non cavetur. Prohibemus igitur ne ab omnibus qui ad religionem tranſire voluerint, aliqua pecunia requiratur: & ne Prioratus aut Capellaniæ quælibet Monachorum aut Clericorum, decimæ detractione vendantur: neque ab eo cui regimen ipſarum committitur pro earum commiſſione ullum pretium exigatur. Hoc autem ſimoniacum eſſe Sanctorum Patrum autoritas manifeſtè declarat. Vnde quiſquis de cætero hoc attentare præſumpſerit, tam qui dederit quam qui receperit, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro ſepultura quoque, chriſmatis & olei ſacri perceptione, nulla cujuſquam pretij exactio intercedat: neque ſub obtentu alicujus conſuetudinis reatum ſuum quiſquam tueatur: quia diuturnitas non minuit peccatum, ſed auget.*

Can. VII. *Quoniam in quibuſdam Epiſcopatibus Decani quidam vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum ſeu Archidiaconorum, & terminandas cauſas Eccleſiaſticas conſtituuntur ſub annuo pretio, quod ad Sacerdotum gravamen & ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare: id ulterius fieri diſtrictius prohibemus. Quod ſi facere præſumpſerit quiſquam, removeatur à Clero. Epiſcopus quoque qui hoc in ſua Diœceſi ſuſtinuerit, & Eccleſiaſtica judicia patitur ſua diſſimulatione perverti, Canonica diſtrictione*

Digitized by Google

*trictione plectatur.* Habetur c.2.& 3. ne prælati vices ſuas vel Eccleſias.

3. Can. VIII. *Quoniam ſupervenientibus novis morbis novas expedit invenire medicinas, & Eccleſiaſticæ libertati conſulere, & ſubditorum utilitati providere curantes, ſtatuimus ut Capellani caſtrorum & eorum vice miniſtrantes, hujuſmodi Sacramento aſtringantur, ut ex quo fuerit cognitum eis ut aliquid Eccleſiæ vel Cæmeterÿ vel Eccleſiaſticæ poſſeſſionis in caſtrum veniſſe, vel caſtrenſium violentiâ ablatum eſſe, conveniant Dominum caſtri, ſive illum qui primus ab eo dominatum habet, cujus poteſtate & conſilio res dirigi poſſit. Et ſi eorum commonitione præmiſſa, prædam non reddiderit, ſi adfuerit, vel ſi abfuerit de integra reſtitutione, intra octavum diem certam ſecuritatem non fecerit, ex tunc ab omni Eccleſiaſtico ceſſabitur officio, excepto baptiſmo, & confeſſione, & timore mortis communione. Quod in omnibus terris eorum proprÿs præcipimus obſervari, necnon & in illis in quibus integram exercent dominationem. Permittimus tamen ut ſemel in hebdomada, cauſa conficiendi corpus Chriſti, Miſſa in villa celebretur proxima, clauſis omnibus oſtÿs, & excluſis excommunicatis præter miniſtros Altaris. Quod ſi prædicti caſtrenſes poſt latam in eos ſententiã, incorrigibiles per quadraginta dies extiterint, Capellani ab eorum recedant officio, non amplius cum eis commoraturi, quandiu ſub anathematis vinculo teneantur: & ſub hac lege ſcriptores claudimus. Quod ſi Capellani vel quilibet officiales Clerici, ex ſuis poſſeſſionibus ſunt advocati ſervitÿ debitores, ultra tres menſes commorandi cum eis licentiam non adhibemus. Quod ſi gratia commonitionis eis concedatur, conveſcendi tamen & cohabitandi interdicimus participationem. Qui vero ultra præfixum terminum commorari cum eis præſumpſerit, officio ſimul & Eccleſiaſtico careat beneficio. Et ne fortè præda in dolo convertatur, aut Clericos caſtrorum excuſet ignorantia: egredi debent, obviare prædæ, audituri & ſolicitè inquiſituri, ſi quæ res ibi fuerunt Eccleſiaſticæ, vel eorum reclamatores. Si quis autem Clericus ob hujuſmodi receſſum propter juſtitiam, à Domino ſuo rerum ſuarum damna pertulerit: ipſe Dominus non niſi per integrã rerum omnium reſtitutionem meretur abſolvi. Si quælibet villa duos vel plures advocatos habuerit, in quorum aliquem lata ſit ſententia: non careant officio niſi qui ejus ſubſunt dominio. Quod ſi Eccleſia ſuæ advocationis fuerit, eadem eſſet & ſibi interdicta: licet alterius advocationis corpora ſepeliri, Miſſa tamen non celebrabitur. De mutandis autem caſtrorum Vicarÿs vel Clericis, ſtatuimus ut Archidiacono ſignificetur, ne alius ejus loco ſubſtituatur, donec eodem aſtringatur Sacramento. Mercatoribus autem & cæteris hominibus civitatum aut burgorum prohibemus ne aliquem nomine excommunicatum hoſpitem ſuſcipiant, nec in venditione vel emptione, ſeu aliqua participent accommodatione. Qui vero tranſgreſſores extiterint, à Sacerdote parochiano per tres dies vocentur: tribus autẽ alÿs diebus ad correctionem expectentur: Septimo autem die ſi incorrigibiles apparuerint, anathematis ſententiam ſubituri, nec ab Epiſcopo nec ab Archidiacono ſe noverint abſolvendos. Si vero à Domino aliove potente ad hoſpitandum excommunicatum, hoſpiti vim illatam cognitum fuerit: hoſpes reus non habeatur, ſed ejus qui violentiam intulit terra ſuſpendatur, cujus ſuſpenſionis reſtitutio Pontificali erit arbitrio reſervanda. In villis vero vel urbibus vel caſtellis, quæ Regis ſubſunt Dominio, in quibus conſtabularÿ ad tempus ſtatuuntur, ſi ipſum conſtabularium conſtiterit anathematis ſententiam ſubÿſſe: ipſo in villa ſtante, loco illo divina vacent: quo recedente eodem die reverſuro, alÿ divinum officium non omittant, ſuis domeſticis omnibus à Chriſtianitate ſuſpenſis. De Cæmeterÿs vero & Eccleſiis, ſive quibuſlibet Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, cenſuarias dari prohibemus: ne pro Eccleſiæ vel Cæmeterÿ defenſione, fidei ſuæ Clerici ſponſionem interponant: quod ſi præſumpſerint ordinis ſui & beneficÿ periculum incurrant. Qui vero Eccleſiam vel Cæmeterium contempſerit, vel ordinatis manus violentas impoſuerit, anathematis ſententiâ feriatur, nec ab alio niſi à domino Papa abſolutionem conſequetur niſi mortis interveniente periculo, diſpenſatio miſericorditer ſubveniat: data tamen pro ſe ſatisfaciendi ſecuritate ſi convaluerit pro abſolutione Papam aditurum. Si quis videns excommunicatum ex nomine hoſpitio ſuſceperit, vel ei pecuniam ſcienter accommodaverit: quia noſtri ſunt contemptores mandati, prohibemus ne Chriſtianus vel Chriſtiana ei ſerviat, donec inde ſatisfecerit. Præcipimus autem quòd Decani fide adſtringantur, quod ſi eis cognitum fuerit aliquem de Clericis hæc decreta non ſervaſſe: Epiſcopo ſi adfuerit vel Archidiacono denuncient. Prohibemus etiam ne Abbates, vel Monachi, vel Priores, vel Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ, de poſſeſſionibus Eccleſiaſticis cenſarias donent. Clericis autem & Laicis prohibemus ne quis ſcienter prædia Eccleſiæ emat, vel prædium Cæmeterÿ, vel cujuſlibet poſſeſſionis Eccleſiaſticæ: quod qui præſumpſerint anathematis vinculo feriantur.*

Huic decreto providè obſiſtenti rerum Eccleſiæ rapinis & ſacrilegis uſurpationibus: Prætereaque alienationib. quæ plerumque ex conſtitutione cenſus contingunt, quem ſuper rebus Eccleſiæ conſtitutum ſæpiſſimè evenit cauſam eſſe ut ſaltem progreſſu temporis, prædia Eccleſiæ alienentur & diſſipentur, vel poſſeſſorum ſucceſſoribus ad inopiam vergentibus, vel mala fide ſibi uſurpantibus, vel inſtrumentorum deperditione in profanas manus aſſertis, nunquam Eccleſiæ ex qua proceſſere poſthac

hac redintegrari, ipſamque Eccleſiam his privatam nihil habere reliqui niſi lites & inanes expenſas. Providet quoque rerum Eccleſiaſticarum immunitati ne à profanis hominibus ſervituti & indebitis oneribus ſubjiciantur. Huic tandem decreto adjungere operæpretium eſt decretum aliud Concilij Salegnſtadienſis an. 1022. cui præſedit Aribo Archiepiſcopus Moguntinus conſedentibus pleriſque Germaniæ Epiſcopis atque inter eos celeberrimo illo Burcardo Vormatienſi Epiſcopo, à quibus ſapienter proviſum eſt fabricarum Eccleſiæ tum dignitati tum immunitati: ne cui profanæ ſervituti per contiguas domos ſubjicerentur. Sic vero edicit Saleguſtadienſis canon 12. *Statutum eſt etiam ut ædificia laicorum quæ Eccleſijs adjuncta ſunt auferantur; & nulla in atrio Eccleſiæ ponantur niſi tantum Presbyterorum.* Sed uberius de immunitate Eccleſiarum infra pertractabimus ad quarti Lateranenſis œcumenici Concilij ſub Innocentio Papa III. can. 44.

## *CONCILIVM GENERALE LATERAnenſe tertium ſub Alexandro Papa III. anno Chriſti 1179.*

1. VITA functo Adriano III. ſucceſſor electus eſt à ſeptemdecim Cardinalibus Alexander III. à duobus vero dumtaxat Octavianus Romanus Friderici Ænobarbi ſtudioſus, qui duo de viginti annos adverſus Alexandrum per omnem Italiam bellum atrociſſimum geſſit: parte Italorum pro logitimo Pontifice, parte alia pro Imperatore & Antipapa dimicante. Tandem bello victus & profligatus Fridericus; & majori ſuorum parte tum apertè deficiente, tum nutante ac vacillante, reſipuit ſeque Venetijs ad Alexandri pedes abjecit, atque ita ſolutus anathematis nexu fuit. Sedatis bellorum fluctibus Alexander generale Concilium in Conſtantiniana Baſilica egit, ad providendum ne deinceps Eccleſia ſimili calamitate conflictaretur. His alia cauſa Catharorum ſeu Peterinorum aut Manichæorum hæreſis accedebat: quæ in Aquitania exorta latius in dies propagabatur, & Vaſconiam, Albegeſium, Toloſam, finitimaſque oras inceſſerat. Anno itaque 1179. Concilium iſtud inijt, trecentorum Epiſcoporum ut refert Guillelmus Archiepiſcopus Tyrius qui hac eadem in Synodo conſedit libro Belli ſacri 21. Cap. 2.

Can. I. *Statuimus ut ſi fortè inimico homine ſuperſeminante Zizania, inter Cardinales de ſubſtituendo Pontifice non potuerit concordia plena eſſe: & duabus partibus concordantibus tertia pars noluerit concordare, aut ſibi alium præſumpſerit ordinare, ille Romanus Pontifex habeatur qui à duabus partibus fuerit electus & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus quia rem non poteſt, ſibi nomen Epiſcopi uſurpaverit: tam ipſe quam qui eum receperint excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri Ordinis privatione mulctentur: ita ut Viatici eis etiam niſi tantum in ultimis, communio denegetur: & niſi reſipuerint, cum Dathan & Abiron quos terra vivos abſorbuit accipiant portionē: præterea ſi à paucioribus quam à duabus partibus aliquis fuerit electus ad Apoſtolatus officium, niſi major concordia interceſſerit nullatenus aſſumatur: & prædictæ pœnæ ſubjaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere. Ex hoc tamen nullū Canonicis conſtitutionibus & alijs Eccleſiaſticis præjudicium generetur, in quibus majoris & ſanioris partis debet ſententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, ſuperioris poterit judicio definiri; in Romana vero Eccleſia aliquid ſpeciale conſtituitur, quia non poteſt recurſus ad ſuperiorem haberi.* Inſertum eſt c. licet de electio.

Can. II. *Quod à prædeceſſore noſtro felicis memoriæ Innocentio factum eſt innovantes, ordinationes ab Octaviano, & Guidone hæreſiarchis, necnon à Ioanne Strumenſi qui eos ſecutus eſt factas, & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus adjicientes etiam ut ſi quis dignitates Eccleſiaſticas ſeu beneficia per prædictos ſchiſmaticos receperit, careat impetratis. Alienationes autem ſeu invaſiones quæ per eoſdem ſchiſmaticos, ſive per laicos factæ ſunt de rebus Eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad Eccleſiam ſine omni ejus onere revertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit excommunicationi ſe noverit ſubjacere. Illos autem qui ſponte juramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterint, à ſacris Ordinibus & dignitatibus decrevimus manere ſuſpenſos.*

Can. III. *Cum in cunctis ſacris Ordinibus & miniſterijs Eccleſiaſticis, & ætatis maturitas, & morum gravitas, & ſcientia litterarū ſit inquirenda; multo fortius hæc in Epiſcopo oportet inquiri, qui ad curā poſitus aliorum, in ſeipſo debet oſtendere qualiter alios in domo Domini oporteat converſari. Ea propter ne quod à quibuſdam ex neceſſitate temporis factum eſt in exemplum trahatur à poſteris, præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur niſi qui jam 13. ætatis annū egerit, & de legitimo ſit matrimonio natus, qui etiam ſcientiâ & vitâ cōmendabilis demonſtretur. Cum autem electus fuerit, & confirmationē electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorū adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrādis Epiſcopis à canonibus definito, is ad quem ſpectāt beneficia quæ habuerat diſponendi de illis liberā habeat facultatem. Inferiora etiā miniſteria utpote Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat; ſed nec parochialium Eccleſiarum regimen, niſi qui jam 25. ætatis annum attigerit, & qui ſcientia & moribus exiſtat commendandus. Cum autem aſſumptus fuerit ſi Archidiaconus in Decanum, & Decani & reliqui admoniti, non fuerint præfixo à canonibus tempore in Presbyteros ordinati; & ab illo removeantur officio, & alij conferatur qui & velit & poſſit convenienter illud implere: nec proſit illis appellationis diffugium, ſi fortè in tranſgreſſione conſtitutionis iſtius per appellationē voluerint ſe tueri. Hoc ſane non ſolum de promovendis ſed etiam*

*de his qui jam promoti ſunt ſi Canones non obſiſtant, præcipimus obſervandum. Clerici ſanè ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi poteſtate tunc privatos, & ab officijs Eccleſiaſticis triennio ſe noverint ſuſpenſos. Dignum eſt enim ut quos timor Dei à malo non revocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coërceat ſeveritas diſciplinæ. Epiſcopus autem ſi cui fecerit aut fieri conſenſerit contra hoc in conferendis prædictis, poteſtatem ſuam amittat : & per Capitulum aut per Metropolitanum ſi capitulum concordare nequiverit, ordinetur.*

Habetur c. cum in cunctis de electione & infra confirmatur in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. can. 13. & in Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de refor.

2. Can. IV. *Ne nimijs impenſis procurationum graventur Eccleſiæ, vetat ne Archiepiſcopi inter viſitandum, numerum quadraginta vel quinquaginta evectionum excedant, Cardinales vero ne viginti quinque, Epiſcopi ne viginti, Archidiaconi ne quinque aut ſeptem, Decani autem ut duobus comitantium equis ſint contenti. Et ne cum canibus venatorijs & avibus proficiſcantur.*

Ex illa ſanè per Concilium moderatione quæ nunc utique magnum (ſolis exceptis Decanis) gravamen haberet & exceſſum, colligere eſt quantus præceſſerat viſitantium Prælatorum luxus & ambitio. Prohibet inſuper viſitatoribus Prælatis, *ne ſumptuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant quod honeſtè & competenter fuerit illis miniſtratum. Et ne ſubditos ſuos tallijs & exactionibus Epiſcopi gravare præſumant.* Pars hujus Canon. habetur in c. cum Apoſtol. de cenſib.

Can. V. *Epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo de quo neceſſaria vitæ percipiat in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu neceſſaria ei ſubminiſtret donec in aliqua ei Eccleſia convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet. Niſi fortè talis qui ordinatur extiterit qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidiũ vitæ poſſit habere.*

Can. VI. *Reprehenſibilis valde conſuetudo in quibuſdam partibus inolevit: ut fratres & Coëpiſcopi noſtri, ſeu etiam Archidiaconi, quos appellaturos in cauſis ſuis exiſtimant, nulla penitus admonitione præmiſſa ſuſpenſionis vel excommunicationis in eos ferant ſententiam. Alij etiam dum ſuperioris ſententiam & diſciplinam Canonicam reformidant, ſine ullo gravamine appellationem objiciunt : & ad defenſionem iniquitatis uſurpant, quod ad ſubſidium innocentium dignoſcitur inſtitutum. Quocirca ne vel Prælati audeant ſine cauſa gravare ſubjectos, vel ſubditi pro ſua voluntate ſub appellationis obtentu, correctionem valeant eludere Prælatorũ, præſenti decreto ſtatuimus ut nec Prælati niſi Canonica commotione præmiſſa, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos : niſi fortè talis ſit culpa quæ ipſo genere ſuo ſuſpẽſionis vel excõmunicationis pœnã inducat. Nec ſubjecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam, ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationẽ terminus præfigatur. Infra quem ſi fortè proſequi neglexerit, liberè tunc Epiſcopus ſua authoritate utatur. Si autem in quocumque negotio aliquis appellaverit & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellaverit venire neglexerit ; ſi proprium quid habet convenientem ei recompenſationem faciat expenſarum, ut hoc ſaltem timore perterritus, in gravamen alterius non facilè quis appellet. Præcipuè vero in locis religioſis hoc volumus obſervari, ne Monachi ſive quicumque religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati ſui & Capituli diſciplinam appellare præſumant : ſed humiliter ac devotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua utiliter eis fuerit injunctum.* Habetur in c. reprehenſibilis de appellatio.

Can. VII. *Cum in Eccleſiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptũ eſt gratis impendi, horribile nimis eſt quod in quibuſdam Eccleſijs locum venalitas perhibetur habere : ita ut pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcumq; perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiã, nec non pro ſepulturis & exequijs mortuorũ, & benedictionibus nubentium, ſeu alijs Sacramentis, aliquid exigatur & ille qui indiget non poſſit iſta percipere niſi manum implere curaverit largitoris, putant plures ex hoc ſibi licere quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrãtur: non ſatis quia cupiditate cæcati ſunt attẽdentes quod tanto graviora ſunt crimina, quanto diutius animã infælicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat & vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducẽdis ad ſedem, vel Sacerdotibus inſtituendis, aut mortuis ſepeliendis, ſeu etiam nubentibus benedicendis, ſeu etiam alijs Sacramentis aliquid exigatur diſtrictius inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, portionem cum Gieſi ſe noverit habiturũ, cujus factum turpis muneris exactione imitatur. Probibemus inſuper ne novi cenſus ab Epiſcopis vel Abbatibus alijſve Prælatis imponãtur Eccleſijs, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumãt : ſed libertates quas ſibi majores deſiderant conſervari, minoribus quoq; ſuis bona volũtate conſervent, ſi quis autẽ aliter egerit irritũ quod fecerit habeatur.*

Habetur in c. cum in Eccleſiæ corpore de ſimonia. Ultima vero hujus Canonis Lateranenſis pars habetur in c. prohibemus de cenſib. require pariter ſuperius Lateranenſis Concil. II. can. 2.

Can. VIII. *Nulla Eccleſiaſtica miniſteria ſeu etiam beneficia vel Eccleſiæ alicui tribuantur ſeu promittantur antequam vacent ; nec deſiderare quis mortem proximi videatur in cujus locum & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum. Cum enim id etiã in ipſis gentilium legibus inveniatur prohibitum, turpe nimis eſt & divini plenũ animadverſione judicij, ſi locum in Dei Eccleſia futuræ ſucceſſionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipſi*

gentiles

Digitized by Google

*gentiles homines curaverunt. Cum vero præbendas Eccleſiaſticas ſeu qualibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, vel etiamſi modo vacant, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed infra ſex menſes perſonis quæ dignè adminiſtrare valeant conferantur, ſi autem Epiſcopus ubi ad eum ſpectaverit conferre diſtulerit, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad Capitulum electio pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit Epiſcopus, hoc ſecundum Deum cum virorum Religioſorum conſilio exequatur. Aut ſi omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundum Deum abſque illorum contradictione diſponat.*

Habetur in c. nulla de conceſ. præb. jus vero civile reprobat pactum de futura ſucceſſione l. ex eo inſtrumento C. de inutil. ſtipula. & l. ultima C. de Pactis.

3. Can. X. *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterio, non peculium permittantur habere, non ſinguli per villas & oppida ſeu ad quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias, ſed in majori Conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec ſoli inter ſeculares homines ſpiritualium hoſtium conflictionem expectent: Salomone dicente væ ſoli quia ſi ceciderit non habebit ſublevantem. Si quis autem exactus pro ſua receptione aliquid dederit ad ſacros ordines non aſcendat; is autem qui acceperit officij ſui privatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, niſi ei ab Abbate pro injuncta ei fuerit adminiſtratione permiſſum, à communione removeatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de diverſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas etiam qui iſta diligenter non curaverit, officij ſui jacturam ſe noverit incurſurum: prioratus quoque ſive obedientiæ pretij datione nulli tradantur, alioquin & dantes & accipientes à miniſterio fiant Eccleſiaſtico alieni. Priores vero cum in Conventualibus Eccleſiis fuerint conſtituti, niſi pro manifeſta cauſa & rationabili non mutentur: videlicet ſi fuerint dilapidatores, nec continenter vixerint, aut aliquid tale egerint pro quo amovendi merito videantur: aut ſi etiam pro neceſſitate majoris officij de conſilio fratrum fuerint transferendi.*

Eòdem pertinet ſupra relati Concilij Londonienſis anni 1075. can. 2. nec non relatio S. Greg. Papæ l. 4. Dial. c. 55. de Monacho cui Juſto nomen erat qui laborans extrema ægritudine, deprehenſus fuit occuluiſſe ſibi tres aureos; quem ipſe Gregorius à fratribus Monachis viſitari uſque ad mortem prohibuit, defunctum vero in ſterquilinio ſepeliri una cum tribus aureis fecit, unoquoque fratrum dum terra profana cadaver operiebatur dicente illi: pecunia tua tecum ſit in perditionem. Quia vero gravem in extremis de ſuo delicto in illa fratrum derelictione conceperat animi dolorem, ſolo ei adſtante carnali fratre artis Medicæ profeſſore, poſt ſexaginta ab obitu dies, eidem fratri apparens denunciavit ſe gravibus pœnis liberatum occaſione triginta Miſſarum quas Gregorius ipſe præpoſito Monaſterij clam cæteriſque inſcijs, pro ejuſdem refrigerio juſſerat offerre.

Can. XI. *Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti qui mulierculas ſuas in domibus ſuis incontinentiæ notâ tenuerint, aut abjiciant eas & continenter vivant, aut ab officio & beneficio Eccleſiaſtico fiant alieni. Quicumque incontinentiâ illâ quæ contra naturam eſt, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ, & quinque Civitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare, ſi Clerici fuerint ejiciantur à Clero, vel ad pœnitentiam agendam in Monaſterijs detrudantur. Si laici excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant prorſus alieni. Monaſteria præterea ſanctimonialium ſi quiſquam Clericus ſine manifeſta & neceſſaria cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit à beneficio Eccleſiaſtico videatur immunis.* Profertur in c. Monaſt. de vita & honeſ. Cler.

Can. XII. *Clerici in Subdiaconatu & ſupra, & in minoribus quoque ordinibus ſi ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtententur, coram judice ſæculari, advocati in negotijs fieri non præſumant; niſi propriam vel Eccleſiæ ſuæ cauſam fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus fortè perſonis quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt. Sed nec procurationes illarum aut juriſdictiones etiam ſæculares ſub aliquibus Principibus vel ſæcularibus viris, ut juſtitiarij eorum fiant, Clericorum quiſquam aſſumere præſumat. Si quis adverſus hoc tentaverit (quoniam contra doctrinam Apoſtoli eſt dicentis nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus) & ſæculariter agit, ab Eccleſiaſtico fiat miniſterio alienus: pro eo quod officio Clericali neglecto fluctibus ſæculi ut potentibus ſæculi placeat ſe immergit. Diſtrictius autem decrevimus puniendum ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum audeat attentare.* Allegatur in c. ſed nec procurationes ne Cler. vel Monachi ſæcul. nego.

Can. XIII. *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, dignitates diverſas Eccleſiaſticas & plures Eccleſias Parochiales contra ſacrorum Canonum inſtituta nituntur acquirere, ita ut cum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum; ne id de cætero fiat diſtrictius inhibemus. Cum igitur Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſum valeat exercere. Quod ſi aliter fuerit actum, & qui receperit quod contra ſacros Canones accepit amittat, & qui dederit largiendi poteſtate privetur.*

Can XIV. *Quia in tantum jam quorumdam proceſſit ambitio ut non duas aut tres, ſed ſex aut plures Eccleſias perhibeantur habere, nec duabus*



Digitized by Google

debitam poſſint proviſionẽ impendere, per fratres & chariſſimos Coëpiſcopos noſtros emendari præcipimus & de multitudine præbendarum Canonibus inimica, quæ diſſolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum qui Eccleſiis dignè valeant deſervire volumus Eccleſiaſticis beneficÿs indigentiam ſublevari. Præterea quia in tantum laicorũ quorumdam proceſſit audacia, ut Epiſcoporum authoritate neglecta Clericos inſtituant in Eccleſijs, & removeant, etiam cum voluerint: poſſeſſiones quoque atque alia bona Eccleſiaſtica pro ſua plerumque voluntate diſtribuant, & tam Eccleſias ipſas quam earũ homines tallÿs & exactionibus præſumant gravare: eos qui amodo iſta commiſerint anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem ſive Clericus qui Eccleſiam per laicos ſine Epiſcopi proprÿ authoritate receperit tenendam communione privetur, & ſi perſtiterit à miniſterio Eccleſiaſtico & ordine deponatur. Sanè quia laici quidam Eccleſiaſticas perſonas & ipſos etiã Epiſcopos ſuo judicio ſtare compellunt, eos qui de cætero id præſumpſerint à communione fidelium decernimus ſegregandos. Prohibemus etiam ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios laicos poſſint quodammodo transferre: ſi quis vero receperit, & Eccleſiæ non tradiderit, Chriſtianâ ſepulturâ privetur. Pars hujus Canonis habetur c. præterea de jure patr.

Can. XV. Cum in officÿs charitatis primo illis teneamur obnoxÿ à quibus nos beneficium cognoſcimus accepiſſe, è contrario Eccleſiaſtici quidã Clerici cum ab Eccleſijs ſuis multa bona perceperint, bona per Eccleſias acquiſita in alios uſus transferre præſumunt. Hoc igitur quia & antiquis Canonibus conſtat inhibitũ nos etiam nihilominus inhibemus: indemnitati itaque Eccleſiarum providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint ſive alÿs conferre voluerint, penes Eccleſias eadẽ bona præcipimus remanere. Præterea quoniam quidam in quibuſdã partibus ſub pretio ſtatuuntur qui Decani vocantur & pro certa pecuniæ quantitate juriſdictionem Epiſcopalem exercent, præſenti decreto ſtatuimus ut qui de cætero præſumpſerit officio ſuo privetur & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

Hinc depromptum eſt c. cum in officijs de teſt. Eo quoque pertinet rubrica Canonica ne Prælati vices ſuas vel Eccesias ſub annuo cenſu concedant.

Can. XVI. Cum in cunctis Eccleſijs quod pluribus & ſenioribus fratribus viſum fuerit incunctanter debeat obſervari, grave nimis & reprehenſione dignum eſt quod quarumdam Eccleſiarum pauci, quandoque non tam de ratione quam de propria voluntate ordinationem multorum impediunt, & ordinationem Eccleſiaſticam procedere non permittunt. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus ut niſi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabile fuerit oſtenſum, appellatione remota ſemper prævaleat & ſuum conſequatur effectum quod à majori & ſaniori parte Capituli fuerit oſtenſum, nec noſtram conſtitutionem impediat ſi fortè aliquis ad conſervandam Eccleſiæ ſuæ conſuetudinẽ juramento ſe dicat aſtrictum: non enim dicenda ſunt juramenta ſed potius perjuria quæ contra utilitatem Eccleſiaſticam & Sanctorũ Patrum veniunt inſtituta. Si quis autem hujuſmodi conſuetudines quæ ratione juvantur & ſacris congruunt inſtitutis, irritare præſumpſerit, donec congruam egerit pœnitentiam à Dominici corporis perceptione fiat alienus.

Can XVII. Quoniam in quibuſdam locis Eccleſiarum fundatores aut hæredes eorum poteſtate in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit abutantur. Et cum in Eccleſia Dei unus eſſe debeat qui præſit plures ſine reſpectu ſubjectionis eligere moliũtur: & cum una Eccleſia unius debeat eſſe rectoris, pro ſua defenſione plurimos repræſentant. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus ut ſi fortè in plures partes fundatorum ſe vota diffuderint, ille præficiatur Eccleſiæ qui majoribus juvatur meritis & plurimorum eligitur & probatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo fieri nequiverit, ordinet Antiſtes Eccleſiam ſicut melius ſecundum Deum viderit ordinandam. Idipſum etiam faciat ſi de Iure Patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos & cui competat infra quatuor menſes nõ fuerit definitũ.

Hinc depromitur c. quoniam in quibuſdam de jure patron. Et exprimit quatuor menſes atque firmatur is numerus per c. cum propter eod. tit. itaque quædam Conciliorum exemplaria quæ tres menſes exprimunt mendoſa ſunt.

Can XVIII. Quoniam Eccleſia Dei & in ÿs quæ ſpectant ad ſubſidium corporis, & in ÿs quæ ad profectum veniunt animarum indigentibus ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus qui parentum opibus juvari non poſſunt agendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur: per unamquamque Eccleſiam Cathedralem Magiſtro qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ & Scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium aſſignetur; quo docentis neceſſitas ſublevetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam. In alÿs quoque reſtituatur Eccleſijs ſive Monaſterÿs ſi retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum, pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, vel ſub obtentu alicujus conſuetudinis ab ÿs qui docent aliquid quærat, nec docere quempiam petitâ licentiâ qui ſit idoneus interdicat. Qui vero contra hoc venire præſumpſerit à beneficio Eccleſiaſtico fiat alienus. Dignum quidem eſſe videtur ut in Eccleſia fructum laboris ſui non habeat qui cupiditate animi dum vendit licentiam docendi Eccleſiaſticum profectũ nititur impedire. Hinc deductum eſt c. 1. de Magiſtr.

Can. XIX. Non minus pro peccato eorum qui faciunt, quam pro illorũ detrimento qui ſuſtinent, grave nimis eſſe dignoſcitur quod in diverſis partibus mundi Rectores & Conſules civitatũ nec non

&

Digitized by Google

*& alij qui poteſtatem habere videntur tot Eccleſiis frequenter onera imponunt; & ita gravibus eas crebriſque exactionibus premunt, ut deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur quam ſub Pharaone fuerit, qui divinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis ſervitute ſubjectis, Sacerdotes ſuos & eorum poſſeſſiones in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtravit. Iſti vero univerſa ferè onera ſua imponunt Eccleſijs, & tot angarijs eas affligunt ut illud eis quod Ieremias deplorat complere videatur, Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo. Sive quidam foſſata, ſive expeditiones, ſive quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis Eccleſiarum clericorum & pauperum Chriſti uſibus deputatis cuncta volunt ferè compleri. Iuriſdictionem etiam & authoritatem Epiſcoporum & aliorum Prælatorum ita evacuant ut nihil poteſtatis eis in ſuis hominibus videatur remanſiſſe. Super quo dolendum eſt pro Eccleſijs, dolendum etiam nihilominus & pro ipſis qui timorem Dei & Eccleſiaſtici ordinis reverentiam videntur penitus abieciſſe: quo circa ſub anathematis diſtrictione ſeverius prohibemus ne de cætero talia præſumant attentare; niſi Epiſcopus & clerus tantam neceſſitatem vel utilitatem aſpexerint, ut abſque ulla coactione ad reſervandas communes neceſſitates ubi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules aut alij de cætero id præſumpſerint, & commoniti de cætero deſiſtere forte noluerint, tam ipſi quam eorum fautores excommunicationi ſe noverint ſubjacere: nec communioni fidelium reddantur niſi ſatisfactionem fecerint competentem.*

Habetur in c. non minus de immunit. Eccl. vide inferius can. 46. Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III.

Can. XX. *Felicis memoriæ Papæ Innocentij & Eugenij prædeceſſ.rum noſtrorum veſtigijs inhærentes, deteſtabiles illas nundinas vel ferias quas vulgò torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire ſolent & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciæ temere congrediuntur; unde mortes hominum & animarum pericula ſæpè proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit quamvis ei poſcenti venia non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.*

Habetur c. 1. de torneamentis. Vide ſuperius ſecundi Lateranenſis can. 14.

4. Can. XXIII. Decernit ut Leproſi ſibimetipſis privatam habeant Eccleſiam, & Cæmeterium, & Presbyterum, eorumque hortos & pecuaria eximit ab obligatione decimarum.

Can. XXIV. *Ita quorumdam animos occupavit cæca cupiditas ut cum glorientur nomine Chriſtiano Saracenis arma, ferrum, & lignamina galearum deferant, & pares eis aut etiam ſuperiores in malitia fiant; dum ad impugnandos Chriſtianos arma eis & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam qui pro ſua cupiditate in Galeis & Pyraticis Saracenorum navibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur à communione Eccleſiæ exciſos & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, & rerum ſuarum per ſæculi Principes Catholicos & conſules civitatum privatione mulctari, & capientium ſervos ſi capti fuerint fore cenſemus. Præcipimus etiam ut per Eccleſias maritimarum urbium crebra & ſolemnis excommunicatio proferatur in eos. Excommunicationis quoque pœnæ ſubdantur qui Romanos aut alios Chriſtianos pro negotiatione aut aliis cauſis honeſtis navigio vectos aut capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi etiam qui Chriſtianos naufragia patientes quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur, *damnanda cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, niſi ablata reddiderint excommunicationi ſe noverint ſubjacere.*

Can. XXV. *Quia in omnibus ferè locis crimen uſurarum ita inolevit ut multi alijs negotijs prætermiſſis quaſi licitè uſuras exerceant, & qualiter utriuſque teſtamenti paginâ condemnetur nequaquam attendant: ideo conſtituimus ut uſurarij manifeſti nec ad communionem admittantur altaris, nec ad Chriſtianam ſi in hoc peccato deceſſerint ſepulturam, ſed nec eorum oblationem quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, aut eos Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & ea quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, & ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.*

Vide ſuperius ad Londonienſis Concilij anni 1125. can. 14. multas ab anterioribus Concilijs uſurariæ pravitatis condemnationes.

5. Can. XXVII. Damnat hæreticos qui Vaſconiam, Albegeſium, Toloſates, Arecomicos, & finitimas Provincias peſtilenti doctrina inficiebant, qui nunc Cathari, nunc Albigenſes nunc Manichæi, nunc Patareni vocabantur, quos una cum defenſoribus & receptatoribus anathemati ſubijcit. Principes vero & populos Catholicos ad bella contra eos incitat, propoſitis quemadmodum & in ſacris adverſus Saracenos militijs indulgentijs & pœnitentiarum relaxationibus. Albigenſes porro Baſilidis, Menandri, Marcionis & Manetis ſepulta olim deliria ex inferis revocabant, duo rerum Principia ſomniantes bonum unum ſcilicet Deum, malum alterum diabolum, hunc vero dicebant corporum omnium creatorem, corporum etiam negabant reſurrectionem, infernum & purgatorium fabulas meras dictitabant, Eccleſiæ poteſtatem abrogabāt, originis peccatum, & Baptiſmum, & unctionis Sacramentū, ſacram etiam Euchariſtiam inter inania diabolicæ fraudis figmenta cenſebant, confeſſionē, & pœnitentiam, & injuſte ablatorum reſtitutionē prorſus reſpuebant, matrimonium execrabantur, novas à Deo creari animas & in corpora infundi præfractè negabant; ſed Pytagoræorum Metempſycoſim invehebant animas de corporibus in alia, ex humanis etiam in belluina, & ex belluinis quoque in humana tranſmigrare aſſerentes, ut referunt Bernardus Lutzemburgenſis, Guido Carmelita, alijque veteres ſcriptores.

Digitized by Google

# ECCLESIÆ DECIMI TERTII SÆCULI
## HISTORICA SYNOPSIS.

AB obitu Henrici Sexti qui Patri Friderico Ænobarbo in Imperium ſucceſſerat, diſſidentibus proceribus Electoribus ſumma contentione de Imperio conflixere inter ſe Philippus Henrici frater cujus partes tuebatur Philippus Auguſtus Franciæ Rex, & illius adverſarius Otho Saxoniæ Dux cui favebat Innocentius Papa Tertius, exoſam habens Friderici olim Eccleſiæ infenſiſſimi ſtirpem. Inſignia Regni primus Aquiſgrani Philippus aſſumpſerat. Deinde Otho. Tandem inter ambos ea conditione pax iniit,ut quandiu ſuperſtes eſſet Philippus, regio nomine Otho abſtineret; poſt illius obitum ritè titulum hunc uſurparet. Regnavit itaque Philippus annos decem, interfectus demum an. 1208. vacuam Othoni qui quartus ejus nominis fuit ſedem reliquit. Philippi conjux Iſaacij Conſtantinopolitani Imperatoris filia, ut necem viri audivit præ mæſtitia vitam & ipſa finit. Othonem Innocentius Imperatorem Romæ pronunciavit. Sed anno inſequenti fœdifragum & Eccleſiæ jura violantem, atque hoſtiliter Italiam incurſantem, & factionibus laceſcentem communione ſacrorum ſimul & Imperio ſubmovit.

2. Hic ille Otho eſt qui inita belli ſocietate cum Joanne Avunculo ſuo Angliæ Rege, adverſus Franciæ Regem Philippum Auguſtum pactâ inter ambos totius Francici Regni diviſione,aſcitoq; in fœdera belli Ferdinando Flandriæ Comite, ad Bovinas prope Moſam fluvium conflixit,tanto utrimque ſtudio, ut in conferta acie & Philippus & Otho pugnantes equis dejecti ſint, & militum virtute in novos equos ſublevati. Otho demum quamvis longè numeroſioribus copiis ſuccinctus, poſt horrendam ſuorum ſtragem ab Francis preſſus in fugam effunditur, immenſis relictis manubijs, multiſque cum aquila prætoriana à Francis occupatis ſignis ac vexillis, redactis ſimul in Francorum manum præcipuis belli ducibus: inter quos extitit belli fax & incentor Flandrorum Comes Ferdinandus. Eodemque die apud Andegavos altero prælio Francos inter & Anglos decertatum eſt: His ſub Regis ſui Joannis ductu, illis ſub Ludovico Philippi filio qui nominis hujus octavus paternum ſucceſſit in regnum. Ab hoc pari felicitate profligati ſunt Angli, capto in acie Saliſberienſi Comite. Philippus utramque victoriam Deo referens acceptam, quæ utique ſi hoſtibus obtigiſſet actum fuiſſet de florentiſſimo Regno, ædem Deiparæ Virgini ſacram ex voto juxta Silvanectum dedicavit & victoriam appellari juſſit. Geminata iſta victoria obtigit anno 1214.

3. Anno inſequenti 1215. celebratum eſt ab Innocentio III. œcumenicum Lateranenſe quartum Concilium in quod ex omnibus Chriſtiani orbis Provinciis Epiſcopi convenere duodecim ſupra quadringentos. Ibi conclamatum ſacrum eſt bellum ad Paleſtinam quam Saladinus Calipha ſubjugarat recuperandam. In eo Euchariſtiæ tranſubſtantiationis fides confirmata, damnatuſque Joachimi Abbatis Florenſis Monaſterij liber quem contra Petrum Lombardum ediderat. Cautum quoque fuit de Albigenſium & Valdenſium hæreſibus exterminandis, multaque ſaluberrima edita decreta pro morum & ſacræ diſciplinæ reformatione.

4. Exautorato Othone Fridericus ſecundus Henrici ſexti filius anno tertio ab Philippi Patrui nece, Germanorum ſuffragiis eligitur. Perículoſæ quidem aleæ plena res erat ſi fortè (quod etiam poſtea contigit) adverſus Eccleſiam bellum moveret. Cum enim ſub Henricis & ſub Ænobarbo tam immanes vexationes Eccleſia ſuſtinuerit, quo tempore principes Apuliæ & Calabriæ Siciliæque, partes Romanorum Pontificum ſtrenuè tuebantur, quam erat formidanda Imperatorum potentia poſtquam tot opimis & præpotentibus Provinciis aucti erant! Fridericus illis dominabatur Provinciis jure hæreditatis maternæ, Henricus enim ejus progenitor Conſtantiam Rogerij primi Siciliæ Regis filiam duxerat, non Monacham ut quidam falsò prodiderunt eamque ætate provectam, ſed regia in aula educatam & juvenili florentem ætate, anno 1186. Mortuo demum Ænobarbo in Oriente ac demerſo in flumine in quem ſe natandi ſtudio injecerat, Henricus filius re & cognomine ferox una cum uxore Conſtantia coronâ Imperatoriâ

Digitized by Google

Imperatoriâ donatus eſt Romæ ab Celeſtino tertio Pontifice anno Chr. 1191. Cum prius Tuſculum Romanis conceſſiſſet, qui oppidanis à quibus continuas clades ſub rebellibus Imperatoribus paſſi fuerant infenſi, oppidum ſolo æquarunt, ejuſque cives exulare compulerunt. Ipſe vero Henricus truculentus & ſuſpicioſus in dotales uxoribus Provincias omni crudelitate deſævijt. Guilielmum autem qui ſolus ex Roberti Guiſcardi ſtirpe ſupererat, oculis orbavit atque in vinculis mori coëgit, anno demum 1197. Meſſanæ veneno ab uxore ut quidam veteres referunt ſublatus eſt non valente ejus diutinas in ſuos immanitates perferre. Cum prius à Romano Pontifice anathemate perculſus eſſet, eo quod violatis ſacri belli immunitatibus, Richardum Angliæ Regem è Paleſtina redeuntem, in Auſtria intercipi & in vincula conjici mandaſſet ſeque ipſum coëgiſſet pretio ingenti redimere.

5. Fridericus Romæ de manu Honorij tertij Pontificis inſignia cepit Imperij anno 1220. fidemque jurejurando firmavit expeditionis adverſus Saracenos ſuſcipiendæ, quam tamen innumeris uſus Tergiverſationibus in longum tempus diſtulit: annoque 1222. ditionem vexavit Pontificiam, Epiſcopos diverſos per Apuliam & Siciliam conſtituit, depulſis quos Papa ijſdem præfecerat Eccleſijs. Collectas etiam & cenſus novos ab Eccleſijs exegit, promiſſamque ad Saracenos tranſmiſſionem quam Honorius urgebat ludificatus eſt. Sub his Joannes Brennus Jeroſolymæ Rex jure quidem ac titulo ſed non poſſeſſione, Romam appulit, offenſarum quæ inter Pontificem & Fridericum interceſſerant futurus conciliator, nec non expeditionis in Orientem ſuaſor. Horum trium colloquio condonatæ ſunt offenſæ, promiſſaque ſatisfactio, atque ut firmius coaleſceret fœdus, Fridericus amiſſa priore conjuge Mariâ Regis Aragonum filiâ ex qua Henricum & Conradum filios ſuſceperat, Jolem ſeu Jolantam Joannis filiam duxit uxorem; eoque ex fœdere Siciliæ regibus Hieroſolymitani Regni titulus acceſſit. Anno igitur Chr. 1223. Honorius ad Philippum Franciæ Regem aliosque Chriſtianos Reges literas tranſmiſit hujuſce deliberationis teſtes, quibus ijſdem litteris impensè illos ad eamdem cum Imperatore expeditionem hortatur, ipſeque Rex Joannes in Franciam & Angliam eodem Principes adhortandi ſtudio profectus eſt. Sed dum cunctatur Fridericus, moritur Honorius anno 1227. eique ſuffectus Gregorius nonus Fridericum admonitum & tergiverſantem ſacrorum communione interdicit; qui demum ſequente anno in Syriam navigans nullo edito prælio, nulla facta obſidione, propudioſam cum Sultano pactionem inijt, ut templo quod Chriſtianorum fuerat & Salomonis, Saracenorum præſidio cum locis per circuitum occupatis, ipſe Fridericus urbem voti ſolvendi gratia ingrederetur, aliaque ſacra Paleſtinæ loca in ſpeciem haberet, reſervatis tamen arcibus & munitionibus quæ ſub Saracenorum poteſtate remanerent: atque in decem annos induciæ firmarentur. Nec tamen his comprehenderentur Antiochiæ Principatus, Tripolis Comitatus, aliæque civitates & loca Hoſpitalariorum, ſed ſi qua horum à Saracenis invaderentur non ſolum nullas ſuppetias ferret Imperator, verum etiam ne ab aliis ferrentur impedire pro viribus teneretur. His utrinque juratis (quibus tamen Sultanus Damaſci omnino conſentire renuit) Fridericus velut Triumphabundus Jeroſolymam ingreſſus, nemine ſibi in occurſum veniente, cum nullus eſſet qui divina celebrare officia auderet, in templo ſepulchri Dominici poſitam altari ſacro Hieroſolymitani Regni coronam ſuis ipſe manibus capiti ſuo impoſuit: omni abſente clero propter interdictum à Patriarcha, rem Chriſtianam à Friderico prodi nullatenus patiente civitati injectum. Poſtridie Acconem ſeu Ptolemaidem properans multas habuit cum Hoſpitalarijs & Templarijs Urbem illam defendentibus ſimultates, quæ erant in portu ad Terræ Sanctæ cuſtodiam collocatæ triremes per ſuos ſatellites deſtruxit, quaſi poſt induciarum fœdus inutiles: ipſe vero nemine ſalutato & à nemine ſalutatus inde in Cyprum ſoluit & in Italiam inglorius & infamis regreſſus eſt; quam protinus inteſtinis odiis & factionibus replevit Gibellinorum qui partes ejus ſuſtinebant. Cum qui à Pontifice ſtabant Guelfi dicerentur. Ducem vero in Longobardia conſtituit Gibellinæ partis Ecelinum ſtirpis Teutonicæ Tyrannum perfidum & immanem qui annis quatuor & triginta Patavium, Veronam, Brixiam, Tridentum, Tarviſium, aliaſque urbes oppreſſas tenuit.

6. Philippus Auguſtus Franciæ & Richardus Angliæ Reges communi conſilio mutuas ſimultates ad Saracenicum bellum pio Religionis affectu converterunt: ambo diſtinctis claſſibus Ptolemaidem quæ aliter Acon dicitur celeberrimum Orientis Emporium in Phœnicia ſitum appullerunt, & terrâ marique adorti vi tandem expugnarunt anno 1191. Sed ſocietate in æmulationem & diſcordiam verſa, acciſiſque ambotum viribus uterque nullo alio operæpretio facto, in

in ſuam dictionem remeavit. Richardus antequam in Syriam deveniret Cyprum inſulam ejecto inde Tyranno Iſaacio Comneno Græco in ſuam redegit poteſtatem. Eamque inſulam nobili Gallo Vidoni Luſiniano quem Saladinus Regno Jeroſolymitano ſpoliarat vendidit, in qua ipſe illiuſque poſteri deinceps regnaverunt. Richardus dum regreditur tempeſtate in Iſtriæ oram ejectus, ac ſumpta famuli veſte ne internoſceretur, tandem in Germania à Leopoldo Auſtriæ Marchione quem graviter in Ptolemaidis expugnatione offenderat intercipitur, à quo Imperatori Henrico deditur qui captivum donec ſe pretio redimeret in vinculis detinuit.

7. Altero bello ſacro diſtenta fuit Francia ſub Rege Philippo Auguſto. Albigenſium hæreticorum partes tuebantur Raimundus Toloſanus Comes ejuſque affinis Petrus Aragonum Rex, eadem ambo infecti lue. Contra quos Innocentij III. hortatu Catholici Principes ſacram militiam ſuſceperunt Simone Montefortio conſtituto duce. Quem Albigenſes ad Murettum in agro Toloſano oppidulum adorti ſunt, habentes in ſuo exercitu centum millia armatorum, quorum ducebant ordines Aragonum Rex & Toloſanus Comes. Cum tamen Monfortius non plures octingentis equitibus & mille peditibus in acie haberet quibus divino præſidio confiſus tam ingentem hoſtium multitudinem profligavit, inter quos Rex Aragonius pugnans occubuit cum octoginta ſuorum millibus, Simon auctis novo militum delectu Catholicis copijs, adeo memorabilem victoriam pari alacritate proſecutus eſt, Biterras, Carcaſſonam, Albigeſium, aliaque perduellium munitiſſima oppida Catholici expugnant. Præeunte inter graviora diſcrimina intentiſſimis precibus ad Deum & adhortationibus ad milites & crucifixi effigiem quam manu gerebat oſtentante Divo Dominico. Quibus incitamentis Sacræ copiæ ultra humanas vires permulta facinora exequebantur: Strenuus tandem Monfortius dum Toloſam obſidet vibrato per machinam ſaxo læſus interiit. Idem bellum ab Rege Ludovico VIII. anno 1226. inſtauratum eſt, atque ab ejus filio ſancto Ludovico anno 1229. terminatum, quo Raimundus Comes ejurata hæreſi filiam ſuam Alphonſo ſancti Ludovici fratri, cum Toloſani Comitatus dote collocavit.

8. Suam etiam gloriæ ſegetem Hiſpania meſſuit hoc ſæculo uberrimam. Ilamolinus Tuniſij Rex univerſam vincendo pervagatus Hiſpaniam, Pyrenæos etiam montes tranſcenderat: ſed anno 1212. quatuor Reges Caſtellæ, Aragoniæ, Luſitaniæ, atque Navarræ, conjunctis viribus ad Toloſam Hiſpaniæ oppidum convenientes, tanta ſtrage Saracenos victorijs, inſolentes profligarunt; ut ducenta millia cecidiſſe memorentur ea clade, Saracenorum res ad ruinam in Hiſpaniis inclinare cæperunt. Et vigeſimo poſt anno Ferdinandus Caſtellæ Rex Cordubam cæpit Maurorum arcem, & regiam civitatem. Atque amiſſis paulatim cæteris Provinciis nihil eis reliquum fuit præter Granatenſe Regnum. Hæc narrant Rodericus, Sanctius, Mariana, alijque hiſtorici.

9. Jam vero ut à rebus Occidentis in Orientem digrediamur ex hiſtorico Græco Nicæta Choniate addiſcimus, Iſaacium Angelum Bizantij Imperatorem à proprio fratre regnandi cupiditate ducto fuiſſe Imperio depulſum atque oculis orbatum & in carcerem conjectum. Iſaacij vero filium Alexium Angelum effugiſſe patrui perfidiã & crudelitatem Alexij, qui ſibi Comneni cognomen aſciverat atque è cuſtodia in qua detinebatur dilapſum ad Philippũ recurſum habuiſſe, qui erat Germanorum Imperator quique Irenem Iſaacij captivi filiam, atque ita evaſoris Alexij ſororem habebat uxorem, cujus operâ & interventu cum Principibus qui ad ſacram Jeroſolymorum expeditionem nomen dederant, hyememque in anchoris apud Conſtantinopolim tranſigebant commodius tempus provectionis præſtolantes, conſilia communicavit; quorum præcipui erant Dandulus Venetorum Dux, Balduinus Flandrenſium Comes, Bonifacius Montisferrati Marchio. Qui omnes bello adverſus Alexium Comnenum Imperij invaſorem gerendo conſpirarunt. Urbemque adorti vi tandem expugnarunt & incenderunt ex qua furtim ſe Tyrannus ſubducens, Delbetum fuga ſe recepit. Contigit illa urbis expugnatio anno 1203. Tum è cuſtodia eductus in ſolio Imperiali ex quo dejectus fuerat communi Principum ſtudio collocatus eſt cæcus Iſaacius eique in conſortium Imperij filius adjunctus eſt Alexius. Introductus quoque fuit in urbem publicus Latinorum cultus & conſentiente Innocentio III. primus ſtabilitus in urbe Latinus Patriarcha Thomas Venetus. Hæc & ſequentia referunt Græci ſcriptores Nicetas & Nicephorus Gregoras.

10. Rebus ita conſtitutis longius provehi cœpit fœderatorum Claſſis. Quo tempore Alexius Ducas quem Græci Murzuphlum cognominabant, hoc eſt ſuperciliosum, advertens Græcos male affectos in Alexium Angelum & Latinorum religionem, occaſionem

Digitized by Google

nem ſumpſit ambiendi Imperij, ſeque ſuis artibus expeti & poſtulari fecit Imperatorem, cum eſſet & progenie illuſtris ingenioque ſimul acer & conſilio prudens. Cum vero Iſaacius Angelus ex continuo mœrore jam ad vicina mortis proceſſiſſet, multaſque ſenex prævideret ex juvenili filij ſui imprudentia futuras calamitates, & male cum illo conveniret, quem videbat populis exoſum omniſque boni conſilij vacuum. Alexius Murzuphlus tumultum concitavit plebis contra Alexium Angelum, fingenſque ſe optime erga eum affectum eidem conſuluit, ut paululum ſecederet donec ipſe populi turbas placaſſet ſuaque compeſcuiſſet induſtriâ. Ille nihil diffidens paſſus eſt includi ſe in ſecretum conclave, dum Murzuphlus ad populum concitatum accedens lubens paſſus eſt ſe Imperatorem proclamari. Inde ad Imperatorem quem incluſerat regrediens venænum ad id paratum porrexit, quod cum ille bibere recuſaſſet, fauces ejus laqueo eliſit, ſibique dominatũ arripuit.

11. Tanti facinoris accepto nuncio fœderatorum Claſſis Conſtantinopolim regreditur, eamque denuo terrâ marique adoritur, brevique expugnat anno 1204. Murzuphlus ex fuga receptus Principum judicio ex alta turri præcipitatus eſt: communibuſque ſuffragijs annitente potiſſimum Dandulo Venetæ Claſſis præfecto Balduinus Flander eligitur Byzantinus Imperator, deciſo tamen & in arctum redacto Imperio, Veneti enim pleraſque tum maris Ægæi tum Mediterranei inſulas retinuerunt: Bonifacius Montisferratenſis Peloponeſum quæ Morea dicitur cum Regis titulo: Godefridus vero Trecenſis Athenas ſibi aſſeruit. Ex Græcis vero Theodorus Laſcaris Alexij Comneni olim invaſoris gener dominatum in Bithynia Pruſæ & Nicææ finitimiſque locis fixit; cumque ſtrenuus eſſet belli dux Turcas cum ipſorum Sultano Iconij Principe iteratis præliis ſuperavit ac fregit. David Comnenus perexiguum fundavit Græcorum Imperium apud Trapezuntem & Ponticam oram. Theodorus quoque Angelus Theſſalonicæ dominatum uſurpavit, alijque alia loca ſinguli quaſi vectores in communi naufragio tabulas quas ſors offerebat vindicantes.

12. Balduinus dum prævalidam Thraciæ urbem Adrianopolim arcta premit obſidione, eaque ſe brevi potiturũ ſperat, infauſto caſu perijt. Accurrente enim ad ferendas urbi ſuppetias cum ingenti Bulgarorum & Scytharum manu Joanne Bulgarorum Rege, quem Joanninum alij vocant, alij Calojoannem, hic ſtratagemate uſus majorem copiarum partem relinquit in inſidijs, ipſeque cum minori parte copias obſidentes adoritur. Balduinus confidens ſe haud ægre paucorum audaciam eſſe fracturum copias in eorum occurſum educit editoque certamine poſt aliquam hinc inde cædem Joanninus paulatim retroceſſit, inſtante acrius Balduino, in fugam apertam effunditur, quem Balduinus à tergo urget, derepente inſurgunt qui erant in inſidijs & circumventos Latinos gravi occiſione cædunt, ipſeque Balduinus captivus cum ſuorum multis captivus abducitur, necdum completo Imperij biennio. Poſt acceptam cladem Henricus ejus frater Imperio præficitur quod adminiſtrare cœpit, nomine tamen regio & inſignibus abſtinens, donec anno quatuorque inſuper menſibus exactis ab illa captivitate, poſtquam fratris mors comperta fuit, tunc demum in Imperij nomen & ornamenta conſenſit. Qua occaſione Nicetas Choniates illius moderationem cæteraſque virtutes commendat, ingenue profeſſus contraria his exempla apud Græcos populares ſuos fuiſſe frequentia, apud quos regno deſignati non expectata præceſſoris morte, aut illum oculis orbatum & in vincula detruſum regno depellere ſolebant, qualis erat adhuc recens memoria in Alexio Comneno adverſus fratrẽ Iſaacium, & in Alexio Duca Murzuphlo qui Alexium Angelum pariter Imperatorem ſtrangulaverat. Illius porro ætatis hiſtorici ſcribunt Balduinum diu tetro carcere maceratum, fuiſſe ibidem necatum. Solus Nicetas crudelius cum eo geſtum prodit, ſcilicet brachijs cruribuſque amputatis relictum in deſerta quadam valle fuiſſe volucribus & feris in eſcam expoſitum.

13. Ejus in locum ſuffectus Henricus frater decennium imperavit. Huic ſucceſſit Petrus Altiſſiodorenſis gener; qui relicto impubere filio ſub Joannæ uxoris tutela, poſtquam in Imperio triennium poſuiſſet extinctus eſt. Hunc Robertus excepit. Hic affinitatem cõtraxit cũ altero Græcorũ Imperatore Theodoro Laſcari nuptum illi traditâ Mariâ ſorore. Exactoque decennio, Balduino ſecundo filio Imperij ſucceſſionẽ reliquit qui totos triginta annos variâ fortunâ cum Græcis luctatus eſt donec proditione Conſtantinopolis interciperetur ac Francis ereptum Græcorum Imperium ad Michaëlem Palæologum delatum, Græcis iterum redderetur incerto anno, cum nonnulli rem adſcribant anno 1259. alij 1260. alij 1261. Evaſus autem Balduinus in Italiam conceſſit.

14. Innocentio IV. Pontifice Lateran. Concilio an. 1245. ſacram militiam indicenti paruit Rex Francorũ ſanctus Lud IX. cũ valida claſſe trajecto Mari bellũ Ægypti Sultano

 intulit,

intulit, primoque impetu Damietam olim Peluſium dictam cepit anno 1249. ſed in Francorum caſtra paluſtribus ſita locis morbus peſtilens inceſſit, ſimulque rerum omnium penuria, cum obſtructis tum Nilo tum hoſtium caſtris undequaque itineribus, nihil commeatus à Damieta reciperetur poſt acre ac longum pro ſanorum exiguitate & languentium debilitate certamen, tam Rex ipſe quam duo ejus fratres Alfonſus Pictavienſis & Carolus Andegavenſis Comites fortiſſimè pugnantes ab hoſtibus capti ſunt. Pauciſque fugâ elapſis cæteri aut cæſi aut capti fuere. Regina Margarita omni virtute ornatiſſima fœmina quæ Damietæ degebat audita conjugis Regis captivitate Chriſtianique exercitus clade, cum partui eſſet proxima magno vitæ periculo filium enixa eſt, cui in Baptiſmo Joanni nominato cognomen triſtandi eſt inditum, ob miſerias temporum & parentum calamitatem atque triſtitiam. Rex tandem majori quam ſperabatur facilitate compoſitæ ſunt, captivorum libertas pretio comparata eſt, Damieta reſtituta, & induciæ in decennium firmatæ. Ad ultimum ſub iſtius ſæculi finem Ptolemais, Tyrus, & quidquid in Syria Chriſtianæ ditionis reſiduum erat in Saracenorum poteſtatem redijt: ex eoque deſierunt Chriſtianorum in Orientem excurſiones. Alteram tamen ſacram expeditionem Rex ſanctus in Africam contra Saracenos ſuſcepit, caſtriſque ad Tunetum poſitis ingruente per exercitum peſtilentiâ contactus, ſanctiſſimum Spiritum Deo reddidit anno ætatis 56. Regni 44. Chriſti 1270.

15. Redacto in ordinem Friderico ſecundo, diu Romanum vacavit Imperium donec anno 1273. electores in Rodolfum Harpurgenſem Comitem conveniunt, ab juſtitia, religione, bellicaque fortitudine commendabilem. Hic ſuâ contentus Germaniâ conſilia adeundæ Italiæ ſuperiorum Imperatorum ſcopuli repudiavit. Sed habuit in ipſa Germania victoriarum ſegetem primum in Ottocaro Bohemiæ Rege rebellante, quem armis ad officium revocavit; ſed reparatis viribus poſt veniam adhuc inſoleſcentem acie ſuperavit in qua Ottocarus ipſe peremptus eſt. Quo ſucceſſu Auſtria quæ fuerat Ottocari Alberto Rodolfi victoris filio conceſſa, Auſtriacæ familiæ Regum feraciſſimæ in poſteris nomen dedit. Præterea Helvetios & Burgundiones jugum detrectantes repetitis prælijs attriuit. Iſti tamen ſub ejus filio ac ſucceſſore Alberto excuſſo Imperij jugo ſe in libertatem aſſeruerunt. Sequenti anno quem Rodolfus Imperium inijt, Gregorius X. generalem Lugduni Synodum habuit quingentorum Epiſcoporum, in quam etiam convenit Patriarcha Conſtantinopolitanus cum diverſis Orientis Epiſcopis. Michaël autem Palæologus per litteras & nuncios Romanam profeſſus religionem Græcum ſibi firmavit Imperium. Metuebat enim ſibi, ſubdolus & vafer Princeps à Carolo Andegavenſi ſuo æmulo, atque illud Imperium ambiente, nec non à Concilio in Gallia convocato, ne quid contra ſuam novam invaſionem ſi eſſet alienæ religionis decerneretur. Qua etiam de cauſa poſt diremptum Concilium novam miro & arcano artificio adverſus Andegavenſem Carolum utriuſque Siciliæ Regem machinatus eſt conjurationem: Petrum enim Aragonum Regem incitavit ad Siciliam invadendam, quaſi ſibi jure uxoris debitam Conſtantiæ Manfredi Siciliæ olim invaſoris filiæ, quam ſibi Arago matrimonij fœdere copulaverat. Interventu porro uſi ſunt ambo Joannis Prochytæ olim Domini, qui veſte aſſumpta Monachali ad facilius & ſecretius decipiendum conſilia Principum ultro citroque perferebat, & occultis artibus Siculos ad Rebellandum hortabatur. Quem ad conatum Palæologus multam auri vim in Siciliam & ad Aragonem tranſmiſit. Itaque his inſtigantibus anno 1282. Martij 30. feſto ipſo Dominicæ reſurrectionis ſub campanæ ſignum ad veſpertina ſolemnia convocantis, per ſingula inſulæ oppida ex condicto à Siculis trucidati ſunt, Petro cum ſua claſſe in anchoris rei exitum haud valdè procul expectante: atque ita nefaria patrata eſt cædes in Chriſtianos quam in Mithridate adverſus Romanos per Aſiam diſperſos inhorruit & damnavit ipſa barbaries.

16. Initia vero Franciсæ in Apulia Calabria & Sicilia dominationis altius hic repetenda. Fridericus ſecundus implacabilis Romanæ Eccleſiæ hoſtis, à multis Pontificibus quos dirè ac perenniter fuerat inſectatus, & à multis etiam Concilijs execratus & damnatus, atque ab ipſis Imperij proceribus & Comitijs juſtè exauctoratus, Regni Siculi jure exciderat quamvis illud adhuc injuſte poſſideret, vita enim exceſſit in Apulia anno 1250. quem ſcribunt S. Antoninus & Flavius Blondus à Manfredo filio ex concubina ſuſcepto, compreſſo in ſtratis ore fuiſſe præfocatum, duos ſuperſtites reliquit filios legitimos Henricum & Conradum, iſtum Manfredus veneno perimit. Moriens Conradus ſuperſtitem ejuſque nominis filium poſt ſe reliquit, quem Itali Conradinum appellarunt: hujus mortem falsò vulgavit

Manfredus

Digitized by Google

Manfredus qui tum in Apulia verſabatur, ut ſibi regni poſſeſſionem quaſi proximiori conſanguinio aſſereret. Deinde firmata ſibi poſſeſſione finxit ſe tutorio nomine Regnum ejus donec annis adoleſceret adminiſtrare. At Urbanus IV. Pontifex ne inviſa & execrata proles Neapolitana Regna ulterius poſſideret, Carolum Andegavorum Comitem ſancti Ludovici Germanum, utriuſque Siciliæ Regem conſtituit. Quod idem jus Clemens IV. qui Urbano ſucceſſit novo decreto firmavit, cum pacto annuæ penſitationis aureorum duodequadraginta millium. Carolus Manfredum ſibi cum valido exercitu occurrentem anno 1266. acie vicit & occidit. Idemque biennio poſt Conradinum cum exercitu Germanico ad Fucinum lacum prælio ſuperavit & in poteſtatem redactum una cum Friderico cognato Auſtriæ Marchione, Neapoli capite mulctavit anno 1268. atque in Conradino extincta prorſus fuit Suevica Fridericorum propago. Poſtquam autem quibus dixi auſpiciis, Petrus Arago Siciliæ Regnum invaſit, Carolus Andegavus illud fruſtra repetere armis aggreſſus cladem inſuper graviſſimam accepit, Carolo Claudo ejus filio Navali pugna ſuperato, & Barcinonem captivo abducto. Cui tamen præter ſpem Conſtantia Regina pepercit, occaſionem habens necem Patrueli ſuo Conradino illatam ulciſcendi. Petrus Aragoniæ Rex filios ex teſtamento hæredes reliquit Fridericum Aragoniæ & Jacobum Siciliæ, hic vero Conſtantiæ Matris rogatu Carolum è carcere in libertatem dimiſit, hac conditione ut Jacobo à ſummo Pontifice & anathematis remiſſionem, & novum Regni Jus impetraret: id tamen ratum eſſe vetuit Nicolaus Papa IV. quare bellum inter ambos recrudeſcit. Inter hæc Bonifacius VIII. qui S. Celeſtino Papæ V. ſe abdicanti ſucceſſerat pacis arbiter ac ſequeſter interveniens Jacobum juſſit Siciliâ ſecedere: at Siculi ultionem cædis à ſe patratæ formidantes Friderico Jacobi fratre ad Regnum evecto Pontificis decretum eluſerunt. Hic idem Bonifacius ſanctum Ludovicum Franciæ Regem ſanctis adnumeravit. Sub his Dei paciſque omnis inimicus zizaniorum ſator, grande ac fœdum diſſidium atque ut ita dicam diſcordiæ pomum injecit inter Pontificem & Philippum Regem cognomine pulchrum. Diſtinebatur Rex Philippus bello graviſſimo cum Flandris ſubditis ſuis, quorum rebellionem Anglorum Rex perpetuus Franci æmulus & hoſtis ſtudioſe fovebat: dum exardeſcit hoc bellum Bonifacius Philippo jubet ut ſacram adverſus Saracenos militiam ſuſcipiat, eumque detrectantem anathemate percellit anno 1302.

17. Sæculo iſto multiplices emerſerunt religioſorum ordines: quos inter eminent Prædicatores auctore ſancto Dominico, & Minores inſtitutore ſancto Franciſco ab Honorio III. Pontifice approbati. Præterea Carmelitanis qui in Syria circa montem Carmelum degebant, Albertus Patriarcha Jeroſolymitanus approbante Innocentio III. Papa regulam conſcripſit ex ſancti Baſilij inſtitutis, quam poſtea Honorius III. Innocentij ſucceſſor confirmavit. Ordo etiam ſervorum B. Mariæ Virginis hoc ſæculo ſuum habuit initium: quo enim tempore Fridericus ſecundus ferro & flammis vaſtabat Italiam, ſeptem viri nobiles divinis exciti monitis in montem ſeceſſerunt Florentiæ vicinum, ibique cellulis extructis Cænobiticam adorti ſunt vitam; ſe totos Dei & Virginis Deiparæ obſequio mancipantes. Beatus Porrò Philippus Benicius Florentinus quamvis in Martyrologio Romano neſcio qua inadvertentia dicatur 23. Auguſti hujus ordinis inſtitutor, fuit quidem hujus ordinis miniſter generalis, ſed neque primus numero neque inſtitutor. Cæleſtini pariter huic ſæculo ſua debent exordia, fundati à Petro Morono cui eremiticam agenti vitam, alij pio & ſancto propoſito ſe ſocios adjunxere. Quorum inſtitutum Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi anno 1274. approbavit. Duos pariter ordines ad redimendos Chriſtianos captivos apud infideles divinis revelationibus hoc ſæculo inſtitutos fuiſſe compertum eſt. Primûmquidem ſanctiſſimæ Trinitatis, authoribus Joanne de Mata ex Provincia oriundo Theologo Pariſienſi, & Felice Valeſio poſtquã apud Cervum-frigidũ (vulgò Cerfroi) Meldenſis territorij ſolitariã vitam multis annis egiſſent. Ordinis hujus inſtitutum approbatione Apoſtolica roboravit Innocentius tertius anno ſui Pontificatus primo, Chriſti 1198. ſeu ut alij aſſerunt anno Pontificatus duodecimo, Chriſti 1209. & utique potuit diſtinctis conſtitutionibus cum privilegiorum additionibus ratum habere. Alter Ordo pro redemptione captivorum ſub titulo ſanctæ Mariæ de Mercede ab Jacobo Aragonum Rege Barcinone inſtitutus & anno 1218. ſeu quod alij aſſerunt anno 1223. Honorio tertio Pontifice, conſilio Raimundi Penafortij qui tunc Regi à Confeſſionibus erat & ordinis poſtea Prædicatorum magiſter generalis extitit. Petrus Nolaſcus nobilis Gallus pri-



Digitized by Google

mus hujus inſtituti habitum candidum cum Regiis Aragoniæ inſignibus dë manu Beati Raimundi ſolemni ceremonia ſuſcepit. Auguſtinianorum Cænobitarum ordo iſto ſæculo incrementa ſumpſit: ſed exordia longè antiquiora habet ab ipſomet Auguſtino ut convincitur ex ſermonibus ejus de communi vita clericorum in quorum tertio ejus habetur regula ex quibus etiam deſumpti ſunt c. non dicatis c. nolo c. certe 12. q. 1. itemque ex ejuſdem epiſt. 39. ad Licentium. Sanè ex hoc ipſo ſæculo 13. & ſuperiore multa ſuppetunt ejuſdem rei teſtimonia, S. Bernardus lib. de præcepto & diſpenſatione. Hugo à Sancto Victore, alijque Auguſtini regulæ meminerũt. Sanctus Norbertus ut ejus apud Surium vita fidem facit dum de regula ſuæ Præmonſtratenſium inſtitutionis ſollicitè cogitat, vidit ſibi apparentem Divum Auguſtinum & admonentem ut ſuam illis regulam præſcribat obſervandam: cui Norbertus lubentiſſime obtemperavit. Extat inſuper Alexandri Papæ quarti conſtitutio edita Laterani quartò nonas Maji anno 1256. quæ multas eremitarum congregationes diverſis regulis, titulis & veſtibus utentes ad omnem tollendam confuſionem in unam ordinis & regulæ ſancti Auguſtini obſervantiam & uniformem in ſpontanea paupertate & nigro amictu vivendi modum redegit, primo ei dato priori generali Lanfranco Septalano Mediolanenſi. Poſt hæc ordo iſte relictis ſolitudinibus, urbes incolere cæpit & doctrinæ verbò pariter & exemplo ſicut cæteri mendicantes, ſalutis fructus afferre.

18. Sancti Regis Ludovici noni temporibus Robertus Sorbonius, Collegium Sorbonæ circa Chriſti annum 1243. inſtituit celeberrimam toto orbe univerſitatem quam Alexander Papa IV. ita commendat. *Quaſi lignum vitæ in Paradiſo Dei & quaſi lucerna fulgoris in domo Domini eſt in ſancta Eccleſia Pariſienſis ſtudij diſciplina. Hæc quippe velut fæcunda eruditionis parens ad irrigandam ſterilem orbis faciem fluvios de fontibus ſapientiæ ſalutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum Dei lætificat civitatem.*

Eccleſiam ſcriptis ſimul piis & eruditis illuſtravit Innocentius tertius Pontifex vir magni ſpiritus nec minoris in Eccleſia gubernanda prudentiæ. Cujus extant multæ conciones, tractatus, & epiſtolæ. Helinandus Monachus Gallus hiſtoriam concinnavit ab orbe condito ad annum 1212. octo & quadraginta libris: quem præcipuum ſequuntur authorem in ſuis ſcribendis hiſtoriis Vincentius Bellovacenſis, & Sanctus Antoninus. Nicetas Choniates variam & lectu jucundam Græcè ſcripſit hiſtoriam ab exitu Alexij Comneni ad obitum uſque Balduini primi ex Latinis Imperatoris Conſtantinopolitani, qui pertingit ad annum 1205. edidit præterea quinque de fide Orthodoxa libros. Conradus Vrſpergenſis Abbas Chronicum edidit quod à primo Aſſyriorum Rege Belo ad annum uſque perducit Friderici Imperatoris ejus nominis ſecundi nonum, qui eſt Chriſti 1229. Honorius Auguſtodunenſis Presbyter claruit anno Domini 1220. ſcripſit ſummam hiſtoriarum ſeu Chronicon Magnum, & Commentarios in libros Salomonis & librum gemmam animæ inſcriptum. Sanctus Antonius natu quidem Vlyſſiponenſis cognomine autem Paduanus, quia Patavij ultimos vitæ ſuæ complevit annos, Sancti Franciſci alumnus, quo jubente primus inter fratres Theologiam docuit: multas reliquit conciones tum de tempore tum de ſanctis, in quorum numerum ipſe à Gregorio Papa nono aſcitus eſt. Raimundus de Pennaforti Barcinonenſis ordinis Prædicatorum juſſu Gregorij Papæ noni collegit in unum volumen decretalium quinque libris diſtinctum, decretales Pontificum Epiſtolas ut ipſemet Gregor. in ejus operis præfatione fidem facit. Edidit etiam præclarã pro confeſſariorum inſtructione ſummam. Idemque vitæ meritis & miraculorum gloriâ illuſtris in ſanctorum numerum eſt aſcriptus à Clemente Papa VIII. Guilielmus Antiſiodorenſis Epiſcopus ſummam Theologiam elucubravit. Guilielmus Pariſienſis Epiſcopus admodum pius & doctus Eccleſiam multis tractatibus illuſtravit. Jacobus Victriacus natione Gallus S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, à Gregorio nono creatus multis laboribus & Legationibus in Oriente & Occidente perfunctus, multarum concionum volumen edidit, & aliquot hiſtorias. Librum quoque contra Saracenos, duoſque vitæ Mariæ Oegniacenſis libros qui extant apud Surium die Junij 23 & Epiſtolas ad diverſos. Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis librum ſcripſit titulo ſpeculi Eccleſiæ. Obijt anno 1240. fuitque paulò poſt ab Innocentio IV. in ſanctorum numerum relatus. Innocentius IV. Pontifex patriâ Genuenſis ex nobili Fliſcorum Comitum Lavaniæ familia eruditum ſcripſit ſuper Decretales apparatum. Et quia erat juris conſultiſſimus multum à Bartolo ſummo juris interprete commendatus dictuſque pater juris fuit. Alexander Alenſis Anglus ordinis ſancti Franciſci Theologus doctiſſimus, ſanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis præceptor ſcripſit juſſu Innocentij Papæ quarti ſummam Theologiæ

logiæ egregiam & copioſiſſimam, aliaque nonnulla. Hugo de Sancto Caro patriâ Burgundus Ordinis Prædicatorum Cardinalis tit. S. Sabinæ ab Innocentio quarto creatus ſcripſit Commentaria in univerſa ſacra Biblia,& Concordantias Bibliorum. Humbertus quintus Generalis Ordinis Prædicatorum, patria Viennenſis, natione Gallus, multa pia ſcriptis prodidit. Vincentius Bellovacenſis ex Ordine Prædicatorum ſcripſit doctrinale ſpeculum, tractans de omnibus ſcientijs à Grammatica uſque ad Theologiam. Hiſtoriale ſpeculum tradens hiſtorias ab initio mundi ad ſua uſque tempora. Naturale ſpeculum tractat de rebus omnibus naturalibus, herbis, avibus, piſcibus, quadrupedibus, &c. morale ſpeculum agit de legibus, de gratia, de virtutibus, & vitijs copioſiſſimè. In hujus ſpeculi Moralis l. 1. & 3. magna pars primæ ſecundæ & ſecundæ ſecundæ Summæ Theologiæ S. Thomæ ijſdem verbis reperiuntur. Nec potuit Vincentius hæc mutuari ex Divo Thoma cum ipſe obierit anno Dom. 1256. ut teſtatur S. Antoninus & Sanctus Thomas obierit anno Dom. 1274. & in extrema ſui ætate Summam Theologiæ ſcripſerit. Nec morte præventus abſolvere potuerit, ſed neque ullatenus credibile eſt Sanctum Thomam Summæ ſuæ partem nobiliſſimam ex alio ſcriptore hauſiſſe: ſed credibilius eſt quartum hoc ſpeculum ab aliquo collectore fuiſſe poſt editam Divi Thomæ Summam adjunctum quaſi ſupplementum ad tria anteriora Vincentij ſpecula. Et certè legenti conſtat ſpeculum quartum iſtud tribus diſtinctum libris opus eſſe longè ſublimioris & gravioris ingenij, quam tria quæ præcedunt ſpecula. Albertus cui ob multiplicem rerum ſcientiam magni nomen inditum eſt natione Suevus, profeſſione Religioſus Ordinis Prædicatorum, dignitate Epiſcopus Ratiſbonenſis, plurima ſcripſit Theologica, Philoſophica, Mathematica, & Mechanica. Huic aſcripti ſunt per impoſturam aliqui tanto viro indigni tractatus inanes & ſuperſtitioſi, quales ſunt de mirabilibus & de ſecretis mulierum. Alanus Inſulis in Belgio oriundus liberalium omnium Artium peritus, ideoq; cognomen ſortitus Doctoris univerſalis, Lutetiæ Pariſiorum Eccleſiaſticæ Scholæ multis annis magnâ famâ & auditorum concurſu præfuit, ut de ipſo perhibent Henric. Gandavenſis, & Joan. Trithemius, in ſuis ſcriptorum Eccleſiaſticorum Cathalogis. Sed ſpretis mundanæ gloriæ illecebris Ciſtercienſe Monaſterium ignotus petijt, in quo Monaſticam ſub laïci ac converſi habitu profeſſus eſt vitam. Et quamvis perſpectum poſtremò fuerit qualis & quantus vixiſſet in ſæculo, conſtantibus precibus & lacrymis obtinuit ut ſineretur in humili quem elegerat ſtatu deliteſcere. Ejus viſitur in Baſilica Ciſtercienſi tumulus & Epitaphium commemorans ſummam ac ſtupendam cunctarum ſcientiarum peritiam cum ſui diſpicientia conjunctam, fidemque faciens obijſſe illum anno 1294. aliquot ejus libri ſuperſunt tum verſibus tum ſoluta oratione qui præclaram ingenij ejus ubertatem & acumen referunt. Thomas Cantipratenſis ex Brabantiæ Provincia Religioſus Ordinis Prædicatorum Alberti Magni auditor, & Sancti Thomæ condiſcipulus, ſcripſit duos utiliſſimos de apibus libros, in quibus ſub apum figura officia Prælatorum & ſubditorum egregiè tractat, multaq; ſui temporis exempla & miracula commemorat, vitam etiam Sanctarum aliquot ſui temporis ſtylo exaravit Ludgardis, Chriſtianæ admirabilis, unumque addidit librum ad vitam Sanctæ Mariæ de Oegnies, quæ extant apud Surium. Sanctus Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum Religioſus præſtantiſſimi ingenij ſcriptor, atque primarium Theologiæ Scholaſticæ atque Philoſophiæ ſidus, cujus celebratiſſima toto orbe ſcripta eruditionis profunditate, veritatis indagandæ acumine, expreſſionis facilitate & perſpicuitate, atque ingenij ſoliditate admiranda, omne preconium excedunt. Eodem tempore effulſit alterum Theologiæ ſidus Bonaventura cujus diverſi tractatus & libri non ſolum magnam & ſublimem exprimunt eruditionem, ſed etiam divino flagrant amore pioſque affectus non modo redolent ac reſpirant, verum etiam Lectorum animis mirificè inſpirant. Duo iſti Sanctæ Eccleſiæ Doctores præter morum ſanctitatem, & eruditionis conformitatem, arctiſſimo etiam amicitiæ vinculo conjuncti vixerunt. Simul enim doctrinæ Theologicæ lauream in alma Pariſienſi univerſitate uno eodemque die adepti ſunt. Simul labores ſuos in Religionis defenſionem adverſus impugnatores contulerunt, ambo à Summo Pontifice ad Lugdunenſe Concilium acciti ſunt, ambo eodem anno mortalem vitam æterna commutarunt. Bonaventura in ipſo Lugdunenſi Concilio anni 1274. menſe Julio. Thomas vero in ipſa ad Concilium profectione menſe Martio Gregorio X. Summo Pontifice. Petrus Tarētaſienſis Ordinis Prædicatorum, fuit una cum S. Bonaventura ab Gregorio X, creatus Cardinalis. Vir in quo doctrina & pietas de palma contendebant. Non defuere tamen qui pluſquam centum ejus propoſitiones arguerent quaſi hæreticas



Digitized by Google

cas aut erroneas, ſed juſſu Joannis Vercellenſis Magiſtri Prædicatorum generalis, Sanctus Thomas illas propugnavit ac defendit. Poſt Albertum Magnum S.Thomam, Sanctumque Bonaventuram à quibus pridem edita fuerant in quatuor ſententiarum libros Commentaria, commentati ſunt pariter in eoſdem hoc ſæculo Udalricus de Argentina Ordinis Prædicatorum, & Alberti Magni auditor. Et Rupertus ſeu Robertus de Ruſſia Ordinis Minorum, Guilielmus Durandus dictus ſpeculator ex Provincia Provinciæ oriundus ex oppidulo Podio moiſſono ut ipſius declarat Epitaphium, Epiſcopus Mimatenſis & Juriſconſultus inſignis, ſpeculum Juris compoſuit in quod illuſtres Juriſconſulti Baldus & Joannes Andreæ ſuas edidere notas. Scripſit inſuper rationale divinorum Officiorum libris octo. Romæ obijt ejuſque viſitur tumulus cum Epitaphio in Choro ſacræ ædis ad Minervam ad latus primarij Altaris. Guido Baſilius Archidiaconi appellatione notior, cum eſſet Bononienſis Archidiaconus, Commentarium ſcripſit in decretum Gratiani quod Roſarium inſcripſit, & in epiſtolas decretales. Ægidius Romanus ex nobili Columnenſium familia, Ordinis Sancti Auguſtini Prior Generalis, deinde Archiepiſcopus Bituricenſis in Gallia, S.Thomæ auditor, ejuſque doctrinæ defenſor acerrimus, plurima ſcripſit tum Philoſophica tum Theologica. Richardus de Mediavilla natione Anglus, Ordinis Minorum, ſcripſit in libros quatuor ſententiarum dilucida Commentaria in quibus doctrinam Sancti Thomæ imitatur, & in quatuor Evangelia, & in regulam Fratrum Minorum. Henricus Gandavenſis natione Belga, Archidiaconus Tornacenſis, quem Servitæ regulares ſuæ Religioni vendicant, vir doctiſſimus ſcripſit egregium quodlibetorum opus. Item ſummam quæſtionum ordinariam, Commentarios etiam in libros Phyſicorum & Metaphyſicorum Ariſtotelis, aliaque nonnulla. Joannes Pariſienſis Ordinis Prædicatorum, Commentaria procudit in quatuor libros Sententiarum, & quodlibeta varia & librum de poteſtate Regia & Papali; cum incidiſſet in tempora turbulenta ob diſcordiam inter Bonifacium Papam octavum & Philippum pulchrum Gallorum Regem. Dinus Mugellanus Juriſconſultus ſcripſit eruditè in titulum de regulis Iuris in ſexto, claruit tempore Bonifacij Papæ VIII. anno 1299.

## *CONCILIUM LATERANENSE quartum generale ſub Innocentio Papa III. anno Domini 1215.*

1. DUÆ ſimul exortæ fuerant atrociſſimæ in Oriente peſtes ſub Heraclij Imperio. Hæreſis Monothelitarum & Mahumetica perfidia. Mahumetes qui ex ſervili ſtatu & Camelorum cuſtodia ſuæ tandem ſuperſtitionis intuitu Arabum à ſe ſeductorum Princeps evaſerat, ſuam protinus ferro & flammis exitialem Sectam ſtuduit propagare. Igitur cum Saracenis ſuis non à Sara Abrahami uxore ut quidam commenti ſunt, ſed à Saraca Metropoli Arabiæ Civitate denominatis, horrendam ſtragem & vaſtitatem per vicinas regiones Ægyptum, Palæſtinam, & univerſam Syriam circumtulit, adeo ut ſub ipſius Heraclij Imperio haſce Provincias Saraceni, Mahumete duce longè latéque occupaverint: qui ijdem mox in Perſidem eruperunt, quam etiam Hormiſdâ Perſarum Rege profligato ſubjugarunt anno Christi, ſexcenteſimo quadrageſimo. Inſequenti porro anno Heraclius vivere deſijt.

2. Igitur pluribus ſæculis Saraceni nemine obſiſtente ſacra loca Judææ vulgò dictæ Paleſtinæ occupaverunt, ad annum uſque 1099. quo Godofredus Bullonius ſacri belli Princeps Jeroſolymam expugnavit, idemque ſociorum ſuffragijs primus è Chriſtianis Jeroſolymorum proclamatus Rex fuit.

3. Ad hanc vero ſuſcitandam expeditionem Urbanus II. Pontifex oratione commotus Petri Eremitæ Galli, qui urgendæ illius cauſa ex Judæa à ſe luſtrata in occiduas regiones regreſſus erat, Concilium generale ad Clarummontem Arvernorum urbem convocaverat anno ſupra milleſimum nonageſimo quinto. Quo veluti claſſico exciti Latini ſumptis armis in Aſiam tranſmiſerunt trajecto Boſphoro: & Alexium Comnenum Conſtantinopolis Imperatorem ſibi obſiſtentem horribili edita Græcorum ſtrage repulerunt. Nicæamque primum in Bithinia, deinde Antiochiam in Syria, potentiſſimas civitates expugnarunt, ipſamque demum Jeroſolymam obſidione ceperunt.

4. Anno poſtinodum 1147. ſub Eugenio Papa III. exhortante S.Bernardo Claravallenſe Abbate, ſacram alteram in Orientem militiam adorti ſunt. Conradus III. Germanorum Imperator & Ludovic.VII. dictus junior Francorum Rex poſtquam Saraceni Edeſſam Orientis urbem armis invaſerunt ſacræ militiæ ſe devoverunt: ſed florentiſſimi Latinorum exercitus in Orientem progreſſi maxima ex parte diſperierunt, Manuelis Comneni Græcorum Imperatoris execrandâ perfidiâ.

5. Contigit demum ipſam Jeroſolymam à Saladino Babylonis Ægypti Sultano ſimul & Calipha, hoc eſt Mahumetanæ ſectæ Pontifice occupari anno ſupra 1187. qua occaſione Fridericus Ænobarbus Germaniæ Imperator, ut Eccleſiæ à ſe illata damna compenſaret cum validiſſima Latinorum manu ſacro ſe bello accinxit. Hic multis tum in Thracia tum in Aſia adverſus obſiſtentem ſibi Conſtantinopolis Imperatorem Iſaacium Angelum, & Saracenorum in Aſia Regulos fortiſſimè geſtis,

Digitized by Google

geſtis, occupataque (ut memorat Pius Papa II. in deſcript. Aſiæ c.44.) minori Armeniâ perſpicuum amænumque amnem corporis abluendi gratiâ ingreſſus, gurgite abſorptus diſparuit; & inanes vanoſque hominum conatus oſtendit quando res ab eo maximæ ſperabantur.

6. Nec tantum Fridericus, verumetiam Philippus Franciæ & Ricardus Angliæ Reges laudabilem contra Saladinum expeditionem ſuſceperunt; ſed (ita diſponente Deo, cujus judicia abyſſus multa) parum fructuoſam. Ricardus quidem Anglus Cypri littoribus appulſus, ab Iſaacio Comneno Græco qui hanc inſulam nomine Imperatoris Græcorum ſuſceperat gubernandam, rupta fide ab Imperio divulſerat, ſibique per tyrannidem ſubjecerat, bello eripuit: Guidonique Luſiniano Gallicæ originis cum Regio titulo permiſit, poſtquam iſte omni jure Jeroſolymitani regni ſibi ab infidelibus erepti ceſſit: idque in ipſum Richardum tranſtulit.

7. Hic obiter obſerva Jeroſolymitanum regnum cujus auſpicia Pontifex Urbanus II. in ſacris Claromontis Comitijs dederat, primuſque armis occupaverat Godofredus Bullonius poſt annos demum octoginta & octo miſerabili viciſſitudine in Mahumeticam rediſſe poteſtatem, Urbano III. Pontifice cum ultimus Chriſtinorum Regum illius gentis Guido Luſinianus à Saladino victus, illo excidit regno.

8. Poſtea quam Innocentius III. Pontifex qui ante Lotarius appellabatur univerſæ Eccleſiæ gubernaculis admotus eſt, animum ad Terræ Sanctæ recuperationem adjecit. Eique acres ſtimulos admovit memorabilis illa victoria qua Latini ſacro bello fœderati Conſtantinopolim ſubegerunt, creaveruntque Græciæ Imperatorem Balduinum Flandriæ Comitem ſub ipſius Innocentij Pontificatu: atque ita facilis apertus eſt aditus ad tranſmittendum in Aſiam qua parte Græci olim magnam perniciem copijs noſtris per eorum ditionem trajicientibus intulerant. Eo igitur fauſto ſucceſſu amplius accenſus Innocentius generale iſtud Concilium ad propagandam in ulteriora Orientis Chriſti fidem indixit.

9. Itaque ut ſcribit ætatis illius hiſtoricus Abbas Uſpergenſis celebrata eſt anno 1215. ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Conſtantiniana dicta Salvatoris, menſe Novembris, præſidente Innocentio Papa III. Pontificatus an. 18. in qua fuerunt Epiſcopi quadringenti & duodecim & in his Patriarcha Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus. At vero Alexandrinus & Antiochenus cum per ſe intereſſe non poſſent, hic quidem quia gravi ægritudine decumbebat, ille quia in Caliphæ regno ſuam habebat ſedem, ſuos ad Concilium apocriſarios miſerunt. Interfuere pariter Imperatorum Orientis & Occidentis Legati, multorumque Regum ac Principum.

10. Inſignis in hac Synodo effulget ſapientia piaque ſollicitudo Innocentij exactè providentis circa res tum fidei, tum ordinis & diſciplinæ, omniaque ad amuſſim Capitulis ſeptuaginta breviter complectentis. Quibus demum ſubjicitur decretum pro ſacra in Palæſtinam profectione de pace inter Chriſtianos componenda, aut ſaltem de firmandis in quadriennium inducijs, deque ſubſidijs ad hoc bellum comparandis.

11. Can. I. Fidei proćuditur ſymbolum de unitate atque æternitate divinæ ſubſtantiæ, de perſonarum diſtinctione, de mundi creatione, de Incarnatione, & mundi redemptione per Chriſtum, de tranſſubſtantiatione in ſacratiſſima Euchariſtia, de ſacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ ad peccatorum remiſſionem. Circa hunc ſymboli hujus articulum *Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque condidit creaturam ſpiritualem & corpoream.* Conſule ſuperius annotata ad Nicænæ poſterioris Synodi actionem 5. num Angeli ſint ſpiritus puri ab omni corporum concretione remoti.

12. Can. II. Errorem damnat Abbatis Joachim, qui edito adverſus Petrum Lombardum Magiſtrum ſententiarum libro, eumdem dicit inſanum, & hæreticum: eo quod in ſuis ſententiarum libris ſcribat quod ſumma quædam res eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quæ non eſt generans, nec genita, nec procedens; qua ex propoſitione Joachimus Petro Lombardo affingit aſſertionem non Trinitatis ſed quaternitatis, nimirum trium ſingularum Perſonarum, & inſuper communis eſſentiæ, ut quartæ rei. Ipſe vero Joachim aſtruebat in Trinitate unitatem nō illam quidem propriam & eſſentialem, ſed collectitiam & ſimilitudinariam, ſicut multi homines dicuntur unus populus, idque probabat loco pravè intellecto Joan. 17. *Volo Pater ut ipſi in nobis unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Concilium vero rei veritatem his verbis definit: *Nos autem credimus & confitemur cum Petro quod una quadam ſumma res eſt, & incomprehenſibilis ſimul & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul Perſonæ & ſigillatim qualibet earumdem. Et ideò Trinitas ſolum eſt in Deo non quaternitas: quia qualibet illarum perſonarum eſt illa res, videlicet natura, ſubſtantia, eſſentia divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans neque genita neque procedens; ſed eſt Pater qui generat, Filius qui generatur, & Spiritus qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud: ſed id quod eſt Pater eſt Filius & Spiritus ſanctus idem omnino, ut ſecundum Catholicam & orthodoxam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno filium generando ſuam ſubſtantiam ei dedit, juxta quod ipſe teſtatur: Pater quod mihi dedit majus omnibus eſt. Ac dici non poteſt quod partem ſuæ ſubſtantiæ ei dederit. Et partem retinuerit ipſe ſibi, cum ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpotè ſimplex omnino. Nec dici poteſt quod Pater tranſtulerit ſubſtantiam in Filium generando, quaſi ſic dederit Filio ut non retinuerit ipſam ſibi. Alioqui deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Patet ergo quod ſine ulla diminutione filius naſcendo Patris ſubſtantiam accepit, & ita Pater & Filius eamdem ſubſtantiam habent: & ſic eadem res eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus ab utroque procedens: quùm ergo veritas pro fidelibus ſuis orat volo inquiens ut ipſi unum ſint in nobis, ſicut nos unum ſumus. Hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro perſonis vero divinis, ut attendatur idemtitas, atque in natura unitas. Quemadmodum veritas alibi dicit eſtote perfecti ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt: ac ſi dicat manifeſtius, eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ. Utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta*

*ſimilitudo*

Digitized by Google

*ſimilitudo notari, quin major ſit inter eos diſſimilitudo notanda.* Hæc verſatim habentur inſerta c. 1. & 2. de ſum. Trinit.

Can. III. *Damnati vero hæretici ſæcularibus poteſtatibus præſentibus aut eorum Ballivis relinquantur animadverſione debita puniendi: Clericis prius à ſuis ordinibus degradatis, ita quod bona hujuſmodi damnatorum ſi Laici fuerint confiſcentur: ſi vero Clerici applicentur Eccleſijs à quibus ſtipendia perceperunt. (Et aliquanto poſt) ſi vero Dominus temporalis requiſitus & monitus ab Eccleſia terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros Provinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere neglexerit intra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici ut ex tunc ipſe vaſſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos. Et terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſervent: ſalvo jure Domini principalis, dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege ſervata circa eos qui non habent dominos principales.* (Et aliquanto poſt) *quia vero nonnulli ſub ſpecie pietatis virtutem ejus juxta quod ait Apoſtolus abnegantes, authoritatem ſibi vendicant prædicandi, cum idem Apoſtolus dicat quomodo prædicabunt niſi mittantur? omnes qui prohibiti vel non miſſi præter authoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur; & niſi quantocius reſipuerint aliâ competenti pœnâ plectantur.* Hæc omnia referuntur c. excommunicamus de hæreticis.

Can. V. *Antiqua Patriarchalium ſedium privilegia renovantes, ſacra univerſali Synodo approbante ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, utpotè mater univerſorum Chriſti fidelium & magiſtra. Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Ieroſolymitana quartum locum obtineant, ſervata cuilibet propria dignitate. Ita quod poſtquam earum Antiſtites à Romano Pontifice acceperint Pallium quod eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ juramento, licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem. Dominicæ vero crucis vexillum ante ſe faciant ubique deferri, niſi in urbe Romana & ubique Summus Pontifex extiterit præſens, vel ejus legatus utens inſignijs Apoſtolicæ dignitatis. In omnibus autem Provincijs eorum juriſdictioni ſubjectis, ad eas cum neceſſe fuerit provocetur, ſalvis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis; quibus eſt ab omnibus deferendum.* Refertur c. antiqua de privileg.

13. Summis Pontificibus ſemper diſplicuit Græcorum ambitio qui nulla ratione Nicænæ ſanctionis habita, Patriarchalem pro Conſtantinopolitano Epiſcopo dignitatem, poſthabitis eidem veteribus Patriarchis, ad æmulationem etiam primæ quæ Romana eſt Sedis affectarunt, prætextum ſumentes ab Imperiali reſidentia, ut ſic Imperatori adblandientes illum haberent ſuæ cauſæ patronum. Et talem certè nacti ſunt Marcianum Auguſtum qui hac de re ſic ad Leonem Pontificem ſcripſit. *Quoniam vero & hoc ſtatutum eſt ut ea quæ centum quinquaginta ſanctiſſ. Epiſcopi ſub Theodoſio majore de honore venerabilis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuerunt, & quæ nunc à ſancta Synodo de eadem re ſtatuta ſunt firma ſerventur. Scilicet ut poſt Sedem Apoſtolicam Conſtantinopolitanæ urbis Antiſtes ſecundum obtineat locum, quoniam & eadem ſplendidiſſima civitas junior Roma nuncupatur; dignetur ſanctitas tua etiam huic parti proprium adhibere conſenſum quamvis Reverendiſſimi Epiſcopi qui tuæ Religionis vicem agentes, ad ſanctam Synodum convenerunt contradixerint. Vehementer enim prohibebant de hac venerabili Eccleſia à Synodo aliquid ordinari.* Quæ vero Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus ut ſe in Patriarcham eumque (ſi ſuperis placet) ſupra cæteros Orientalium Eccleſiarum Patriarchas erigeret, de ſecunda œcumenica Synodo in ſuæ ambitionis præſidium ac defenſionem proferebat. Nullatenus ei patrocinabantur quatenus id præcedens decretum nullam habuerat, à Damaſo qui tunc univerſali Eccleſiæ præerat approbationem, neque ullatenus fuerat ei ſignificatum ſive ab ipſa quod neceſſarium obfuiſſet Synodo, ſive ab Apoſtolicæ Sedis qui nulli miſſi fuerant Legatis, ſed furtim à Græcis ſolis res ſancita fuiſſet. Potuit itaque Damaſus juſtam facti hujus prætendere ignorantiam cur ambitioſo decreto non obſtitiſſet, & licet privatis relationibus rem adeo conſpicuam totoque Oriente pervulgatam accepiſſet. Juſtam nihilominus diſſimulandi cauſam habuit, ne ſua contradictio Græcos Latinorum, ut in illius hiſtoria Concilij refert Theodoritus, apertos æmulatores eouſque irritaret, ut in ſchiſma à quo non multum aberant proſilirent. Itaque Leo Papa Anatolij ſuperbiam increpans hæc ad eum ſcribit: *Perſuaſioni tuæ in nullo penitus ſuffragatur, quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta ut jactas annos facta conſcriptio: nunquamque à prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ, dudumque collapſæ, ſera nunc & inutilia ſubjicere fulcimenta voluiſti, eliciendo à fratribus ſpeciem conſenſionis quam tibi in ſuam injuriam verecundia fatigata præberet.* Eamdem Antiſtitum Regiæ urbis affectatam ſibique aſſertam præeminentiam, poſt Leonem reprobavit Nicolaus Papa I. in reſponſis ad Bulgaros; capite enim 9. non alias admittit primarias Sedes quam conſtitutas à Petro Apoſtolo ſive per ſeipſum ſive per diſcipulum ſuum Marcum, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam. Deinde c. 93. *Porro* (ait) *quis Patriarcharum ſecundus ſit à Romano conſulitis: ſed juxta quod Romana Sancta tenet Eccleſia, & Nicæni Canones innuunt, & ſancti Præſules Romanorum defendunt, Alexandrinus Patriarcharum à Romano Papa ſecundus eſt.*

14. Ad ultimum Innocentius huic Laterano Concilio præſidens primus Romanorum Pontificum, dignitatem ſecundæ à Romana Sedis, Conſtantinopolis præſuli indulſit. Multis rationibus adductus, ſcilicet ut iſto beneficio Græcos hactenus nutantes in Eccleſiæ Romanæ unione demereretur, amoto præſertim defectionis à prima ſede periculo, quando ad Latinos recens tranſlatum erat Conſtantinopolis Imperium. Tum quia jam inde à multis ſæculis reliqui Orientis Patriarchæ Conſtantinopolitano ſponte ceſſerant, nec ſolum in Synodo œcumenica Calchedone habita poſt Apoſtolicos Legatos Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus reliquos omnes præceſſerat, ſed in omnibus etiam ſubſequentibus œcumenicis habitis in Oriente Synodis ſucceſſores Anatolij jure iſto προεδρίας ac πρωτοκαθεδρίας abſque controverſia ſupra reliquos Orientis Patriarchas potiti fuerant.

15. Quod attinet ad Jeroſolymitanam Eccleſiam origine quidem omnium Eccleſiarum matrem, non tamen dignitate. Et quam Nicæna prima Synodus Cæſarienſi Metropolitæ ſubditam declaraverat, cœpit illa pleno jure Patriarchiæ jam inde à Concilio Calchedonenſi potiri, quod actione 8. Jeroſolymitanæ Eccleſiæ univerſam Palæſtinam in tres Provincias diſtributam ſubdidit. Interceſſit quidem Leo Papa Magnus ne decretum iſtud executioni mandaretur, utpotè Nicæno Canoni adverſans, epiſtola 92. aliàs 62. ad Maximum Antiochenum. Verumtamen idem Juvenalis Jeroſolimæ Epiſcopus qui in Calchedonenſibus Comitijs conſederat, paulo poſt univerſæ Palæſtinæ Synodum indixit, cui ipſe præſedit authoritate Patriarchæ, primuſque ſubſcripſit. Secundo vero loco Irenæus Cæſaræ Palæſtinæ Metropolites cum tamen in anterioribus Provincialibus Palæſtinæ Synodis præſidere primuſque ſubſcribere conſueviſſet Cæſarienſis. Id liquet ex Dioſpolitana Synodo cui ſecundus à Cæſarienſi præſule ſubſcripſit Joannes Jeroſolymitanus. Et in altera Synodo antiquiore Cæſareæ habita adverſus quarta-decumanos præſedit Theophylus Cæſareenſis, eique Narciſſus Jeroſolymitanus aſſedit, ut teſtatum reliquit Euſebius l.5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite decimo quinto. Synodus denique quinta œcumenica eadem jura Patriarchalia Jeroſolymorum Eccleſiæ confirmavit.

Can. VI. *Sicut olim à Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis ſuffraganeis, Provincialia non omittant Concilia celebrare. In quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis præſertim in Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum, Canonicas regulas & maximè quæ ſtatuta ſunt in hoc generali Concilio relegentes, ut eas faciant obſervari debitam pœnam tranſgreſſoribus infligendo. Vt autem id valeat efficacius adimpleri per ſingulas Diœceſes ſtatuant idoneas perſonas providas videlicet & honeſtas quæ per totum annum ſimpliciter & de plano abſque ulla juriſdictione ſollicitè inveſtigent, quæ correctione vel reformatione ſint digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & ſuffraganeos, & alios in Concilio ſubſequenti: ut ſuper his & alijs prout utilitati & honeſtati congruerit, provida deliberatione procedant, & quæ ſtatuerint faciant obſervari publicantes eas in Epiſcopalibus Synodis annuatim, per ſingulas Diœceſes celebrandis. Quiſquis autem hoc ſalutare ſtatutum neglexerit adimplere, à ſuis beneficijs & executione officij ſuſpendatur, donec per ſuperioris arbitrium ſuſpenſio ejus relaxetur.*

C. ſicut olim de accuſationib. Inquiſit. & denunc. de Synodis Provincialibus celebrandis. Vide ſupra Nicæni Concilij primi canon 5. cum ibi notatis. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. can. 2.

Can. VII. *Irrefragabili conſtitutione ſancimus ut Eccleſiarum Prelati ad corrigendos ſubditorum exceſſus maximè Clericorum & reformandos mores prudenter & diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Vt autem correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus ut nulla executionem ipſorum conſuetudo vel appellatio valeat impedire; niſi formam exceſſerint in talibus obſervandam. Exceſſus tamen Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis qui conſueverunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſijs (quæ talem hactenus conſuetudinem habuerunt) ad commonitionem vel juſſionem Epiſcopi corrigantur, infra terminum competentem, ab Epiſcopo præfigendum. Alioquin ex tunc Epiſcopus Deum habens præ oculis omni contradictione ceſſante, ipſos prout cura animarum exegerit per cenſuram Eccleſiaſticam corrigere non poſtponat: ſed & alios eorum exceſſus corrigere non omittat prout animarum cauſa requirit, debito tamen ordine in omnibus obſervato. Cæterum ſi Canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa maximè in contemptum Epiſcopi ceſſaverint à divinis, Epiſcopus nihilominus ſi voluerit celebret in Eccleſia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipſius tanquam ſuper hoc delegatus à nobis, taliter eos per cenſuram Eccleſiaſticam cognita veritate caſtiget, quod pœnæ metu talia de cætero non præſumant. Provideant itaque diligenter Eccleſiarum Prelati, ut hoc ſalutare ſtatutum, ad quæſtum pecuniæ vel gravamen aliquod non convertant, ſed illud fideliter ac ſtudioſè exequantur ſi Canonicam voluerint effugere ultionem: quoniam ſuper his Apoſtoli-*



Digitized by Google

*ra Sedes authore Domino attentiſſimè vigilabit.*

Refertur c. irrefragabili de offic. jud. ordina. requirenda ſunt quæ ſuperius uberrimè congeſſi de poteſtate juriſdictionis & correctionis Epiſcopalis erga utrumque Clerum & præſertim Canonicos ad canonem 6. Concilij Arelatenſis VI. ſub Carolo Magno anno 813.

Can. VIII. *Qualiter & quomodo debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus ex authoritatibus novi & veteris Teſtamenti colligitur evidenter: ex quibus poſtea proceſſerunt Canonicæ Sanctiones ſicut olim apertè diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilij confirmamus. Legitur enim in Evangelio quod villicus ille qui diffamatus erat apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Et in Geneſi Dominus ait deſcendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint. Ex quibus authoritatibus maniſeſtè comprobatur quod non ſolum quum ſubditus, verum etiam quum Prælatus excedit, ſi per clamorem aut famam ad aures ſuperioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, ſed à providis & honeſtis, nec ſemel tantum ſed ſæpè (quod clamor innuit & diffamatio manifeſtat) debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, ut ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis; non tanquam ſit actor & judex, ſed quaſi deferente fama vel denunciante clamore, officij ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſervandum in ſubditis, diligentius tamen obſervandum eſt in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam: & quia non poſſunt omnibus complacere cum ex officio teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam vero ligare; frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur. Ideo Sancti Patres providè ſtatuerunt ut accuſatio Prælatorum non facilè admittatur; ne concuſſis columnis corruat ædificium: niſi diligens adhibeatur cautela per quam non ſolum falſæ ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis ne criminarentur injuſtè, ut tamen caverent ne delinquerent inſolenter: contra morbum utrumque invenientes congruam Medicinam: videlicet ut criminalis accuſatio quæ ad diminutionem capitis (id eſt degradationem) intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor aſcendat qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex odij fomite, ſed ex charitatis affectu procedatur: quatenus ſi gravis fuerit exceſſus, etſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino, quod eſt ſecundum Evangelicam ſententiam à villicatione villicum amoveri qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. Debet igitur eſſe præſens is contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit, & exponenda ſunt ei illa Capitula de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum. Et non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei ut quid & à quo ſit dictum appareat publicanda. Nec non exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum infamandi, per exceptionum vero excluſionem, deponendi falſum audacia tribuatur. Ad corrigendos itaq; ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet Prælatus aſſurgere, quantò damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos (ut de notorijs exceſſibus taceatur), etſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denunciationem, & inquiſitionem eorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne fortè per leve Compendium ad grave diſpendium veniatur. Sicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic denunciationem charitativa admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire; illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam judicij ſententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum, quæ cum cauſa requirit facilius & liberius à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoveri.* Refertur c. qualiter de accuſatio.

Can. X. *Inter cætera quæ ad ſalutem ſpectant, populi Chriſtiani pabulum verbi Dei permaximè noſcitur ſibi eſſe neceſſarium quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur: eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Unde cum ſæpè contingat quod Epiſcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, vel hoſtiles incurſus ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ quod in eis eſt reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per ſeipſos non ſufficiunt miniſtrare populo verbum Dei, maximè per amplas Diæceſes & diffuſas, generali conſtitutione ſancimus ut Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum cum per ſe idem nequiverint, ſollicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo; quibus ipſi cum indiguerint congruè neceſſaria miniſtrent,* ne

Digitized by Google

*ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incapto. Unde præcipimus tam in Cathedralibus quam in alijs Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint, Coadjutores & cooperatores habere, non ſolum in prædicationis officio, verumetiam in audiendis confeſſionibus & pœnitentijs injungendis, ac cæteris quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere diſtrictæ ſubjaceat ultioni.* Refertur in c. inter cætera, de officio jud. ordina.

16. Can. XI. *Quia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium & opportunitas proficiendi ſubtrahitur, in Lateranenſi Concilio piâ fuit inſtitutione proviſum ut per unamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ alioſque Scholares pauperes gratis inſtrueret, aliquod competens beneficium præberetur: quod & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad doctrinam. Verum quia in multis Eccleſiis id minimè obſervatur, nos prædictum roborantes ſtatutum adjicimus: ut non ſolum in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in alijs quarum ſufficere poterunt facultates, conſtituatur Magiſter idoneus à Prælato cum Capitulo ſeu majori ac ſaniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Eccleſiarum ipſarum & aliarum gratis in Grammaticæ facultate ac alijs inſtruat, juxta poſſe. Sane Metropolitana Eccleſia Theologum nihilominus habeat, qui Sacerdotes & alios in ſacra Pagina doceat, & in his præſertim informet quæ ad curam animarum ſpectare noſcuntur. Aſſignetur autem cuilibet Magiſtrorum à Capitulo unius præbendæ proventus, & pro Theologo à Metropolitano tantundem: non quod propter hoc efficiatur Canonicus, ſed tandiu reditus ipſius percipiat quandiu perſtiterit in docendo. Quod ſi fortè de duobus Magiſtris Metropolitana Eccleſia gravetur, Theologo juxta modum prædictum ipſa provideat: Grammatico vero in alia Eccleſia ſuæ Civitatis ſive Diœceſis, quod ſufficere valeat faciat provideri.*

Refertur in c. quia nonnullis. De Magiſtris, In Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro Papa III. can. 8. proviſum jam fuerat de Magiſtro in unaquaque Cathedrali Eccleſia conſtituendo. Iſtud verò Lateranenſe quartum adjungit & de Theologo pariter conſtituendo. Deinde Concilium Tridentinum hæc utraque inſtaurat ſeſſ. 5. can. 1. de reform. iſtis Synodicis ſanctionibus conformia ſunt Gallicana edicta tum in concordato Bononienſi, tum in Comitijs Aurelianenſibus ſub Carolo IX. tum in Bleſenſibus ſub Henrico III. artic. 33. Porrò Canon iſte undecimus Lateranenſis necnon can. 1. ſeſſ. 5. Tridentinæ & artic. 8. & 9. Comitiorum Aurelianenſium decernunt Magiſtrum & Doctorem Theologum eligendos eſſe ab Epiſcopo cum conſilio Capituli. Et quandiu ſic actum fuit res benè ceſſit, quia non eligebantur ad præbendam Theologalem niſi Clerici perſpectæ virtutis ſed ut omnia Sanctè conſtituta temporis progreſſu in deteriora ruunt, uſus demum invaluit ut per reſignationes in favorem, ſic etiam judicantibus ſupremis regni Curijs tam præbendæ Theologales, quam curata beneficia remota omni electione acquirantur & conferantur. Officium Theologi ad docendum præbendati aſſignatur iſtud Comitiorum Aurelianenſium artic. 8. *Ut ſingulis diebus Dominicis & ſolemnibus Feſtis in Eccleſia concionetur. Alijs vero diebus ter in hebdomada ſacram Scripturam publicè exponat, quibus intereſſe Canonici compellantur per diſtributionum ſubtractionem.* Quia vero functiones iſtæ ſtudium exigunt animique præparationem, eidemque Theologo munus incumbit de occurrentibus ambiguitatibus & Theologicis atque Canonicis quæſtionibus peritè reſpondendi, tempus illi ad ſtudium prorſus eſt neceſſarium ideoque licet à Choro abſit, ſic tamen reputatur præſens ut omnes acquirat ſibi diſtributiones. Id ſtatuitur in concordato Bononienſi à Leone decimo Papa & Franciſco primo Rege, titul. de Collationibus §. 1. his diſertis verbis: *Et ut liberius ſtudio vacare poſſit etiamſi abſens fuerit à divinis habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat. Rebuffus in eum locum, & ſic* (inquit) *nec diſtributiones anniverſarias, nec aliud adventitium amittere debet, per hoc verbum nihil.* (*Et aliquantò poſt*) *& hoc ſuadetur per iſtum textum qui fingit eum præſentem in divinis, ac ſi eſſet verè præſens in divinis diſtributiones haberet c. unico de Cler. non reſid. in 6. ſic & quando fictè, ut tantum operetur fictio in caſu ficto, quantum veritas in caſu vero l. filio quem pater ff. de liberis & poſthum. & l. ſi filiusfam. ff. ſi cert. pet. c. cum dilectus, & c. ad audientiam de Cler. non reſid. eum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes cap. fin. de Magiſtris.* Iiſdem quibus concordatum verbis in gratiam Doctoris Theologi ſpecialiter ad hoc præbendati uſum fuerat decretum Baſileenſe & Pragmatica Sanctio titul. de Collationibus, §. ſequitur. Supervacaneum eſſet plures hac de re (quæ ſanè multæ ſunt) autoritates præſertim Curiarum & Doctorum Galliæ huc congerere. Simili de cauſa Concilium Tridentinum decernit ſeſſione 24. cap. 8. de reform. Pœnitentiarium ab Epiſcopo inſtitutum dum Confeſſiones in Eccleſia audit interim præſentem in Choro cenſendum. Gonzalez in Cancellariæ regulam 8. numero 180. docet proviſum Præbendâ Theologali cenſendum eſſe pro præſenti in Choro quoad diſtributiones lucrandas, tametſi ſtudiorum causâ abſit.

17. Can. XII. Providet Monaſteriorum reformationi duplici via per Provincialia Capitula ſingulis triennijs inſtauranda, & per frequentes viſitationes. Denique hæc decernit: *Illud etiam prohibemus ne quis in diverſis Monaſterijs locum Monachi habere præſumat, nec unus Abbas pluribus Monaſterijs præſidere.* Similiter Concilium Agathenſe ſtatuit canon. 57. *Unum Abbatem duobus Monaſterijs præſidere interdicimus.* Sacri pariter canones prohibent unum Clericum duabus Eccleſijs aſcribi ſcilicet



Digitized by Google

Calchedonenſis can. 10. & ſeptimæ hoc eſt Nicænæ Synodi ſecundæ can. 15. hoc uno excepto ſi una ex duabus ſit ad breve tempus commendata c. qui plures &c. relatio 21. q. 1.

18. Can. 13. Prohibet ne novæ inſtituantur Cænobitarum religiones cui tamen paulò poſt derogatum eſt inſtitutione ordinum mendicantium ſanctorum Dominici & Franciſci, multorumque ſubſequentium ordinum.

Can. XIV. *Vt clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caſtè vivere ſtudeant univerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo, propter quod ira Dei venit de cœlo in filios diffidentiæ: quatenus in conſpectu Dei omnipotentis puro corde ac mundo corpore valeant miniſtrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, ſtatuimus ut qui deprehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint puniantur ſecundum canonicas ſanctiones, quas efficacius & diſtrictius præcipimus obſervari: ut quos divinus timor à malo non revocat, temporalis ſaltem pœna à peccato cohibeat. Si quis igitur hac de cauſa ſuſpenſus divina celebrare præſumpſerit, non ſolum Eccleſiaſticis beneficijs ſpolietur, verum etiam pro hac duplici culpa perpetuo deponatur; Prælati vero qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſuſtinere, maximè obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis, pari ſubjaceant ultioni. Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, ſi lapſi fuerint gravius puniantur, cum legitimo matrimonio poſſint uti*, profertur in c. ut clericorum de vita & hon. cler.

Can. XV. *A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant. Vnde vinum ſibi temperent, & ſe vino: nec ad bibendum quiſpiam incitetur cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Vnde illum abuſum decernimus penitus abolendum quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit; ſi quis autem ſuper his culpabilem ſe exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit competenter, à beneficio vel officio ſuſpendatur. Venationem & aucupationem univerſis clericis interdicimus: unde nec canes nec aves ad aucupandum habere præſumant.*

C. à crapula de vita & honeſ. cler. de venatione autem clericorum edixere Concilium Agathenſe can. 55. & Epaonenſe can. 3. & ſecundum Matiſconenſe can. 13.

19. Can. XVI. *Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant maximè inhoneſta. Mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Coronam & tonſuram habeant congruentem, & ſe in officiis divinis & aliis bonis exerceant ſtudiis diligenter. Clauſa deferant deſuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis & viridibus necnon manicis aut ſotularibus conſutitiis ſeu roſtratis, frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non utantur, ſed nec annulos ferant niſi quibus competit ex officio dignitatis.*

Allegatur c. clerici officia de vita & honeſ. cler. Notabilis eſt Concilij quarti Carthaginenſis can. 45. *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Idem hic Lateranenſis can. 16. Sic edicit, *Pontifices autem in publico & in Eccleſia ſuper indumentis lineis omnes utantur, niſi Monachi fuerint quos oportet deferre habitum Monachalem.* Hoc idem de retinendo ab Epiſcopis olim profeſſis Monachis habitu Monachali ac regulari jamdudum ſtatuerat Synodus Oecumenica VIII. cap. 14.

20. Can. XVII. *Dolentes referimus quod non ſolum quidam minores clerici, verumetiam aliqui Eccleſiarum prælati, circa comeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus ferè medietatem noctis expendunt & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur tranſcurrendo undique continuatâ ſyncopâ matutinum. Sunt & alij qui miſſarum celebrant ſolemnia vix quater in anno, & quod deterius eſt intereſſe contemnunt & ſi quando dum hæc celebrantur interſunt, chori ſilentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus: diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium diurnum pariter & nocturnum quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent pariter & devotè.*

C. dolentes de celebra. miſſ. ubi gloſſa inſignis vocem hanc ſtudiosè exponit quantum ad officium oris, ut diſtinctè & ſine Syncopa pronuncietur: vocem autem devotè, quantum ad officium cordis & mentis attentionem dicente Apoſtolo 1. cor. 14. *Orabo ſpiritu orabo & mente, pſallam ſpiritu pſallam & mente.* Quo loco ſpiritus reſpirationem ac oris pronunciationem ſignificat mens vero internum affectum. Caveat clericus ne illorum condemnatione involuatur de quibus expoſtulat Dominus Mat. 15. populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Can. XVIII. *Sententiam ſanguinis nullus clericus dictet aut proferat: ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur interſit.*

Si

Digitized by Google

*Si quis autem hujuſmodi occaſione ſtatuti, Eccleſiis vel perſonis Eccleſiaſticis aliquod præſumpſerit inferre diſpendium, per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcatur. Nec quiſquam clericus litteras ſcribat aut dictet pro vindicta ſanguinis deſtinandas. Vnde in curijs Principum hæc ſollicitudo non clericis ſed laicis committatur. Nullus quoque clericus ruptarijs aut balliſtarijs aut hujuſmodi viris ſanguinum præponatur; nec illam Chirurgiæ partem Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceant quæ ad uſtionem vel inciſionem inducit. Nec quiſquam purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, ſeu ferri candentis ritum cujuſlibet benedictionis aut conſecrationis impendat. Salvis nihilominus prohibitionibus de Monomachijs ſive duellis antea promulgatis.* c. ſententiam ne cler. vel mon.

Can. XIX. *Firmiter prohibemus ne profana ſupellectilia in Eccleſiis admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes ad eas oporteat habere refugium: ſic tamen ut neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. Præcipimus quoque ut oratoria, vaſa, corporalia & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere quæ dedecerent etiam in profanis.* citatur c. 2. de cuſtodia Euchar.

Can. XX. *Statuimus ut in cunctis Eccleſiis Chriſma & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur: ne poſſit illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendatur. Et ſi per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori ſubjaceat ultioni.* c. 1. de cuſt. Euch.

Can. XXI. *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi fortè de conſilio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur; ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit ſoluere & ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus ut more periti medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Caveat autem omnino ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi decretum præſumpſerit revelare, non ſolum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.*

Allegatur in c. omnis utriuſque ſexus de pœniten. & remiſſio. Olim ex decreto Fabiani Papæ & ſub Decio perſecutore Martyris citato in c. Etſi non frequentius de conſecr. diſt. 2. deinde ex Concilij Agatenſis can. 18. Chriſti fideles non aliter impediti obligatione aſtricti erant Euchariſtiam ter in anno ſumendi, in nativitate Chriſti, in ejuſdem reſurrectione in feſto Pentecoſtes.

Can. XXII. *Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem ſanaverat, vade & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, decreto præſenti ſtatuimus & diſtrictè præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant quod medicos advocent animarum: ut poſtquam infirmis fuerit de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante ceſſet effectus. Hoc quidem inter alia huic cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes cum eis à medicis ſuadetur, ut de animarũ ſalute diſponant in deſperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum hujus noſtræ conſtitutionis, poſtquam per prælatos locorum fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tandiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter. Cæterum cum anima ſit multò pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus ne quis medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur.* c. cum infirmitas de pœnit. & remiſſ.

22. Can. XXIII. *Ne pro defectu Paſtoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata grave diſpendium patiatur, volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum & Eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus ut ultra tres menſes Cathedralis vel regularis Eccleſia Prælato non vacet: infra quos juſto impedimento ceſſante ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi poteſtate careant ea vice; ac ipſa eligendi poteſtas ad eum qui proximo præeſſe dignoſcitur devolvatur. Is vero ad quem devoluta fuerit poteſtas Dominum habens præ oculis, non differat*



Digitized by Google

*rat ultra tres menſes, cum capituli ſui conſilio & aliorum prudentium virorum, viduatam Eccleſiam de perſona idonea ipſius quidem Eccleſiæ vel alterius ſi digna non reperiatur, in illa canonicè ordinare, ſi canonicam voluerit effugere ultionem.* c. ne pro defectu de electio. Cæterum inſequtis temporibus ceſſarunt Epiſcoporum electiones quæ hoc decimo tertio ſæculo ab Eccleſiæ primordijs uſu viguerant, exceptis Imperialibus ad Epiſcopatus nominationibus.

23. Can. XXIV. *Quia propter electionem formas diverſas quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis, ſtatuimus ut cum electio fuerit celebranda præſentibus omnibus qui debent & nolunt & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni qui ſecreto & ſingulatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto, ut is collatione adhibita eligatur in quem omnes vel major vel ſanior pars capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant. De paſtore aliter electio facta non valeat, niſi fortè communiter eſſet ab omnibus quaſi per inſpirationem divinam abſque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentaverit, eligendi ea vice poteſtate priventur. Illud penitus interdicimus ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens in eo loco de quo debeat advocari, juſtoque impedimento detentus venire non poſſit: ſuper quo ſi fuerit opus fidem faciat juramento. Et tunc ſi voluerit uni committat de ipſo Collegio vicem ſuam. Electiones quoque clandeſtinas reprobamus ſtatuentes ut quam citò electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.*

C. quia propter de electio. Hic Lateranenſes patres electionum tres formas approbant, nempe ſcrutinij, compromiſſi, & inſpirationis. Cæterum iſtam quoque ſcrutinij formam quia per eam ſuffragiorum authores tribus colligentibus innoteſcebant, ideoque non erat plenè libera quia non plenè ſecreta, Tridentinum Concilium in hoc abrogavit ſeſſ. 25. de regul. c.6. ne electorum nomina tribus de collegio aſſumptis innoteſcant: Sancivitque *fieri deinceps electiones per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur.* Vetuit præterea vota & ſuffragia abſentium ſupleri, additque *ſi vero contra hujus decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit electio irrita ſit.* Sunt igitur ſingulorum ſcrutinia occluſis & plicatis ſchedulis in communem urnam deferenda, deinde numeranda, poſtmodum aperienda, & ſcripto numerus perſonarum electarum conferendus, ut conſtet in quemnam major ſuffragiorum pars incumbat.

Can. XXV. *Quiſquis electioni de ſe factæ per ſæcularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit, contra canonicam libertatem; & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec abſque diſpenſatione poſſit ad aliquam eligi dignitatem. Qui vero electionem hujuſmodi quam ipſo jure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officijs & beneficijs penitus per triennium ſuſpendantur, eligendi tunc poteſtate priva-ti.* c. quiſquis electioni. de electio.

Can. XXVI. *Nihil eſt quod Eccleſiæ Dei magis officiat quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo neceſſariam adhibere medelam, irrefragabili conſtitutione ſancimus, quatenus cum quiſquam fuerit ad regimen animarum aſſumptus, is ad quem pertinet ipſius confirmatio diligenter examinet & electionis proceſſum, & perſonam electi, ut cum omnia ritè concurrerint munus ei confirmationis impendat: quia ſi ſecus fuerit incautè præſumptum, non ſolum dejiciendus eſt indignè promotus, verum etiam indignè promovens puniendus, ipſum quoque decernimus hac animadverſione puniri, ut cum de ipſius conſtiterit negligentia, maximè ſi hominem inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbaverit, non ſolum confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, verum etiam ne aliquo caſu pœnam effugiat à perceptione proprij beneficij ſuſpendatur, quouſque ſi æquum fuerit indulgentiam valeat promereri: ſi convictus fuerit in hoc per malitiam exceſſiſſe graviori ſubjaceat ultioni. Epiſcopi quoque tales ad ſacros ordines & Eccleſiaſticas dignitates promovere procurent qui commiſſum ſibi officium dignè valeant adimplere, ſi & ipſi canonicam cupiunt fugere ultionem.* c. nihil eſt de electio.

24. Can. XXVII. *Cum ſit ars artium regimen animarum, diſtrictè præcipimus ut Epiſcopi promovendos in Sacerdotes diligenter inſtruant & informent, vel per ſeipſos vel per alios viros idoneos, ſuper divinis officiis, & Eccleſiaſticis ſacramentis qualiter ea valeant ritè celebrare: quoniam ſi ignaros & rudes de cætero ordinare præſumpſerint quod quidem facilè poterit deprehendi, & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus ſubjacere ultioni. Satius eſt enim maximè in ordinatione Sacerdotum, paucos bonos quam multos malos habere miniſtros; quia ſi cæcus cæcum duxerit ambo in foveam dilabuntur.*

C. cum ſit ars, de æt. & qualit. ordin. ſic admonet Timotheum Apoſtolus 1. Tim. 5. *Manus nemini cito impoſueris neque communicaveris peccatis alienis.* Chryſoſt. l. 4. de Sacerdotio copioſè diſſerit quam gravè ſit malum indignorum clericorum ordinatio, & quam ſeveræ apud Deum ultioni ſint obnoxij talium ordinatores. Refert Sophronius in prato ſpirituali c. 149. Leoni primo ſummo Pontifici cum orationibus & jejuniis intentus

Digitized by Google

centus ad Principis Apoſtolorum ſepulchrum ſuorum peccatorum veniam imploraret, ſanctum Apoſtolum viſibilem ſe exhibuiſſe eique reſponſum hujuſmodi dediſſe: deprecatus ſum pro te Dominum à quo tibi tua condonata ſunt peccata, ſic tamen ut obnoxius adhuc ſis reddendæ apud eum rationis temerariæ manuum impoſitionis. Gregorius etiam Magnus Papa & Eccleſiæ doctor, l. 2. epiſt. 48. ad à Deo datum Numidiæ Primatem, enixè officium ejus in ordinationibus ſollicitat admonens his verbis. *Eſtote præcipuè in ordinatione ſolliciti, & ad ſacros ordines aſpirare niſi provectiores ætate & mundos opere nullatenus admittatis: ne fortè ſemper eſſe deſinant quod immaturè eſſe feſtinant. Eorum enim qui in ſacro ſunt ordine collocandi prius vitam moreſque diſcutite: & ut dignos huic officio adhibere poſſitis non vobis potentia aut ſupplicatio quarumlibet ſubrepat perſonarum.* Præfertur à Gratiano 1. q. 1. c. eſtote.

Can. XXVIII. *Quidam licentiam cedendi cum inſtantia poſtulantes, eâ obtentâ cedere prætermittunt. Sed cum in poſtulatione ceſſionis hujuſmodi aut Eccleſiarum commoda quibus præſunt, aut ſalutem videantur propriam attendiſſe, quorum neutrum ſuaſionibus aliquorum quærentium quæ ſunt ſua, ſeu etiam levitate qualibet volumus impediri, ad cedendum eos decernimus compellendos.* c. quidam de renuncia.

25. Can. XXIX. *De multa providentia fuit in Lateranenſi Concilio prohibitum, ut nullus diverſas dignitates Eccleſiaſticas & plures Eccleſias Parochiales reciperet, contra ſacrorum canonum inſtituta: alioquin recipiens ſic acceptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens privaretur. Quia vero propter præſumptiones & quorumdam cupiditates nullus hactenus aut rarus de prædicto ſtatuto fructus pervenit, nos evidentius & expreſſius occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus: & ſi fortè illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur. Is quoque ad quem prioris ſpectat donatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat cui merito viderit conferendum. Et ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolum ad alios ſecundum Lateranenſis Concilij ſtatutum ejus collatio devolvatur: verumetiam tantum de ſuis cogatur proventibus in utilitatem Eccleſiæ cujus eſt illud beneficium aſſignare, quantum à tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem in perſonatibus eſſe decernimus obſervandum: addentes ut in eadem Eccleſia nullus plures dignitates aut perſonatus habere præſumat, etiamſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen & litteratas perſonas quæ majoribus ſunt beneficijs honorandæ, cum ratio poſtulaverit per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.*

C. de multa de præben. decretum Lateranenſis Concilij cujus hic mentio eſt legitur in præcedenti Lateranenſi ſub Alexandro III. can. 13. citato in c. quia nonnulli de cler. non reſid. jus tamen in hoc variatum eſt quatenus antea indulgebatur proviſo, optio ejus è duobus beneficijs quod tenere mallet, altero dimiſſo c. referente & c. præterea de præben. ſed jure iſto poſteriore vacat ſtatim prius beneficium, poteſtque ſecundum retineri, juxta caput iſtud de multa. Et extrav. execrabilis ſi qui vero deinceps. de præben. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. c. 4. ſed Papa quoties alicui beneficium habenti providet de ſecundo incompatibili dare ſolet ſex menſes, per hanc clauſulam, *quod orator habita pacifica poſſeſſione beneficij ſecundi, primum quod obtinet intra ſex menſes dimittere omnino teneatur, alias utrumque vacet beneficium.* Sed proviſis ab ordinario nullum tempus indulgetur poſt initam poſſeſſionem. Maſſobrius in praxi habendi concurſum requiſit. 1. dub. 2. nu. 4. & 5. At vero in Regno Galliæ conſuetudo pridem invaluit ut expectetur annus pacificæ poſſeſſionis etiamſi quis abſque illa particula proviſus fuerit ſive ab ordinario ſive à Papa, intra quod tempus liberum ei eſt alterum pro libito optare dimiſſo alio Lovetus lit. B. n. 5. Antonius Faber c. de ſacroſ. Eccl. defin. 2. Rebuffus in praxi tit. de non promotis intra annum nu. 45 & 46.

Can. XXX. *Grave nimis & abſurdum eſt quod quidam prælati Eccleſiarum cum poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Eccleſijs damna proveniant nemo ſanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi præcipimus ut prætermiſſis indignis aſſumant idoneos qui & Eccleſijs velint & valeant gratum impendere famulatum. Fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquiſitio annuatim. Ita quod qui poſt primam & ſecundam correctionem fuerit repertus culpabilis, à conferendis beneficijs per ipſum Concilium ſuſpendatur: inſtituta in eodem Concilio perſona provida & honeſta quæ ſupleat ſuſpenſi defectum, in beneficijs conferendis: & hoc ipſum circa capitula quæ in his deliquerint obſervetur. Metropolitani vero delictum ſuperioris judicio relinquatur ex parte Concilij nunciandum. Ut autem hæc ſalubris proviſio pleniorem conſequatur effectum, hujuſmodi ſuſpenſionis ſententia præter Romani Pontificis authoritatem aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: ut in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.* c. grave nimis. de præben.

26. Can. XXXI. *Ad abolendam peſſimam quæ in pleriſque Eccleſijs inolevit corruptelam firmiter prohibemus ne canonicorum filij maximè ſpurij canonici fiant in ſæcularibus Eccleſijs in quibus inſtituti ſunt patres. Et ſi fuerit contra præſumptum decernimus non valere, qui vero tales ut dictum eſt canonicare præſumpſerint à ſuis beneficijs ſuſpendantur.*

C. ad

C. ad abolendam de filijs Presbyt. jam antea ſanxerat Alexander III. non debere filium in eadem Eccleſia aut præbenda miniſtrare quam pater tenuiſſet c. præſentium & c. conquerente eod. tit. ſed ſi quis aliùs poſt patrem habuerit beneficium, poterit deinde filius ſi nihil aliud obſiſtat etiam admitti. c. ex tranſmiſſa eod. tit.

27. Can. XXXII. *Extirpandæ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inolevit, quod ſcilicet patroni Eccleſiarum Parochialium & aliæ quædam perſonæ proventus earum ſibi penitus vendicantes, Presbyteris earumdem ſervitio deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, ut ex ea nequeant ſuſtentari. Nam ut pro certo didicimus, in quibuſdam regionibus Parochiales Presbyteri pro ſuſtentatione non obtinent niſi quartam quartæ id eſt ſextam decimarum: unde fit ut in his regionibus penè nullus inveniatur Sacerdos Parochialis qui vel modicam habeat peritiam litterarum. Cum igitur os bovis alligari non debeat triturantis, ſed qui altari ſervit vivere debeat de altari, ſtatuimus ut conſuetudine qualibet Epiſcopi vel Patroni ſeu cujuſcumque alterius non obſtante, portio Presbyteris ipſis ſufficiens aſſignetur. Qui vero Parochialem habet Eccleſiam non per vicarium ſed per ſeipſum illi deſerviat, in ordine quem ipſius Eccleſiæ cura requirit niſi fortè præbendæ vel dignitati Parochialis Eccleſia ſit annexa: in quo caſu concedimus ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem cum oporteat eum in majori Eccleſia deſervire, in ipſa Parochiali Eccleſia idoneum & perpetuum ſtudeat habere vicarium canonicè inſtitutum; qui ut prædictum eſt congruentem habeat de ipſius Eccleſiæ proventibus portionem: alioquin illa ſe ſciat hujus decreti authoritate privatum libere alij conferenda, qui velit ut poſſit quod prædictum eſt adimplere. Illud autem penitus interdicimus ne quis in fraudem de proventibus Eccleſiæ quæ curam proprij Sacerdotis debet habere, penſionem alij quaſi pro beneficio conferre præſumat.*

C. extirpandæ. de præbend. eamdem ob cauſam Synodus Tridentina ſtatuit ſeſſ. 25. c. 16. beneficia quoque abſtracta olim ab animarum cura, per Vicariæ perpetuæ aſſignationem, cui cura incumbit animarum, cum primum per ceſſum aut deceſſum vacaverint, redintegrari denuò, fierique ex ſimplicibus Parochialia ſicut à primordio fuerant.

28. Can. XXXV. Prohibens apellare ante ſententiam, niſi allegata cauſa coram judice à quo propter quam ab eodem appellatur, repetitur in c. ut debitus honor. de appella.

29. Can. XXXVI *Cum ceſſante cauſa ceſſet effectus, ſtatuimus ut ſive judex ordinarius ſive delegatus aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur, & ſano uſus conſilio ab hujuſmodi comminationis vel interlocutionis effectu deſtiterit, libere in cauſa cognitione procedat, non obſtante ſi à tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum (dummodo non ſit ex alia legitima cauſa ſuſpectus) ne proceſſus negotij frivolis occaſionibus retardetur.*

C. cum ceſſante de appellatio. Huc pertinere poteſt quod ſcribit Bernardus ad Innocentium II. Papam epiſt. 1080. *Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica ſedes, ut non pigeat revocare quod à ſe fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Sæcularia vero judicia ſemel facta non corriguntur niſi à ſuperiore tribunali l. nemo & l. judex poſteaquam. ff. de re judicata.

30. Can. XXXVII. *Edicit non poſſe quemquam per litteras Apoſtolicas trahi ultra duas diætas extra diœceſim ad aliquod judicium.*

Continetur in c. nonnulli. de reſcriptis. Et confirmatur ab Honorio III. c. olim. de exceptio. Verumtamen his poſterior Bonifacius VIII. reduxit ejuſmodi citationes ad unicam ultra diœceſis fines diætam. c. ſtatutum §. cum vero de reſcrip. in 6.

Can. XXXVIII. *Quoniam contra falſam aſſertionem iniqui judicij innocens litigator quandoque non poteſt veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla ſit directa probatio: ne falſitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, ſtatuimus ut tam in ordinario judicio quam extraordinario judex ſemper adhibeat aut publicam ſi poteſt habere perſonam, aut duos viros idoneos qui fideliter univerſa judicij acta conſcribant; videlicet citationes, & dilationes, recuſationes, & exceptiones, petitiones, & reſponſiones, interrogationes, & confeſſiones, teſtium depoſitiones, & inſtrumentorum productiones, interlocutiones, apellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera quæ occurrunt competenti ordine conſcribenda, deſignando loca, tempora, & perſonas, & omnia ſic conſcripta partibus tradantur, ita quod originalia penes ſcriptores remaneant: ut ſi ſuper proceſſu judicis fuerit ſuborta contentio, per hæc poſſit veritas declarari, hoc adhibito moderamine quatenus ſic honeſtis & diſcretis deferatur judicibus, quod per improvidos & iniquos innocentium juſtitia non lædatur. Iudex autem qui conſtitutionem iſtam neglexerit obſervare, ſi propter eius negligentiam aliquid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem judicem animadverſione debita caſtigetur: nec pro ipſius præſumatur proceſſu, niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis.* c. quoniam contra de probationibus.

31. Can. XXXIX. *Sæpe contingit quod ſpoliatus per ſpoliationem in alium re tranſlata, dum adverſus poſſeſſorem non ſubvenitur per reſtitutionis beneficium ſpoliato, commodo poſſeſſionis amiſſo propter difficultatem probationum juris, proprietatis amittit effectum. Vnde non obſtante juris civilis rigore, ſancimus ut ſi quis de cætero ſcienter*

*ſcienter rem talem acceperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium, eo quod non multum interſit quoad periculum animæ injuſtè detinere, ac invadere alienum, contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato, per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.*

C. ſæpè contingit de reſtitut. ſpoliat. quia cum jure civili cauſæ poſſeſſoriæ ſeu interdicta recuperandæ poſſeſſionis non admittantur niſi adverſus invaſorem ſeu ſpoliatorem, qui rem dolo aut vi ablatam poſſideat. l. 1. & l. cum à te ff. de vi & vi armata. & l. ſi cum exceptione §. aliquando. ff. quod metus cauſa & l. ſuper ff. quod vi aut clam; itaque omiſſa poſſeſſoria actione qua repentè potuiſſet ſpoliatus reſtitui, neceſſe ei fuiſſet petitoriam actionem intentare, ſuumque jus in rem ablatam probare; quod multò difficilius & longè prolixius eſt, multiſque conteſtationibus & eluſionibus obnoxium.

32. Can. XL. *Contingit interdum quod cum actori ob contumaciam partis adverſæ adjudicatur (cauſa rei ſervandæ) poſſeſſio propter rei potentiam ſive dolum, actor infra annum rem cuſtodiendam nanciſci non poteſt, vel acquiſitam amittit. Et ſic (cum ſecundum multorum aſſertionem verus non efficeretur poſt lapſum anni poſſeſſor) reportet commodum de malitia ſua reus; ne igitur contumax melioris quam obediens conditionis exiſtat, de canonica æquitate ſancimus ut in caſu præmiſſo actor verus conſtituatur elapſo anno poſſeſſor.*

C. contingit de dolo & contuma. dicti canonis 40. pars altera. *Ad hæc generaliter prohibemus ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet ut laicus in talibus arbitretur c. contingit de arbitris.* Quia Eccleſiaſtica negotia tractare laicos non convenit c. lator qui fil. ſint legit. c. decernimus de judic. & de univerſa Eccleſia malè judicat qui quærit laicorum judicium can. placuit. 11. q. 1. Secus dicendum de arbitris etiam laicis in rebus temporalibus, canonis enim prohibitio eſt circa ſola ſpiritualia ut notat gloſ. in c. contingit de arbitr. quæ pariter docet ſi compromittatur cum conſenſu ſuperioris in clericum conjunctim & laicum valere, tum quia non ſimpliciter in laicum, tum quia authoritate ſuperioris, idque luculenter probatur per ſequens caput per tuas litteras. eod. tit. etenim majus dignum trahit ad ſe minus dignum c. quod indul. 1. de conſecr. Eccleſ. vel alt. & c. Abbate de verb. ſignifi.

Can. XLI. *Quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, Synodali judicio definimus ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica quam civilis: cum ſit generaliter omni conſtitutioni atque conſuetudini derogandum quæ abſque mortali obſervari non poteſt peccato. Unde oportet ut qui præſcribit in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ*, c. quoniam omne de præſcript.

Can. XLII. *Sicut volumus ut jura clericorum non uſurpent laici, ita velle debemus ne clerici jura ſibi vindicent laicorum. Quocirca univerſis clericis interdicimus ne quis prætextu Eccleſiaſticæ libertatis ſuam de cætero juriſdictionem extendat in præjudicium juſtitiæ ſæcularis: ſed contentus exiſtat conſtitutionibus ſcriptis & conſuetudinibus hactenus approbatis; ut quæ ſunt Cæſaris reddantur Cæſari & quæ ſunt Dei Deo recta diſtributione reddantur.* Joſaphat Rex Juda divino ſpiritu ductus utriuſque juriſdictionis limites præfigit 2. paralip. 19. dicens *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmahel qui eſt dux in domo Iuda ſuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent.*

33. Can. XLVI. *Adverſus conſules ac rectores civitatum & alios qui Eccleſias & viros Eccleſiaſticos tallys ſeu collectis & exactionibus aliys aggravare nituntur, volens immunitati Eccleſiaſticæ Lateranenſe Concilium providere præſumptionem hujuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit tranſgreſſores, & fautores eorum, excommunicationi præcipiens ſubjacere, donec ſatisfactionem impendant competentem. Verum ſi quando forſan Epiſcopus cum clericis ſimul tantum neceſſitatem vel utilitatem proſpexerint, ut abſque ulla coactione ad relevandas utilitates vel neceſſitates communes, ubi laicorum non ſuppetunt facultates ſubſidia per Eccleſiam duxerint conferenda, prædicti laici humiliter & devotè recipiant cum actionibus gratiarum: propter imprudentiam tamen quorumdam Romanum prius conſulant Pontificem, cujus intereſt communibus utilitatibus providere. Quoniam vero nec ſic quorumdam malitia contra Dei Eccleſiam conquievit, adjicimus ut conſtitutiones & ſententiæ quæ ab excommunicatis hujuſmodi vel de ipſorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ. Cæterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore ut infra tempus regiminis ſuſtineat anathema, quaſi poſt illud non ſit ad ſatisfactionem debitam compellendus. Nam & ipſum qui ſatisfacere recuſaverit & ſucceſſorem ipſius ſi non ſatisfecerit intra menſem manere decernimus Eccleſiaſticâ cenſurâ concluſum donec ſatisfecerit competenter, cum ſuccedat in onere qui ſubſtituitur in honore.*

C. adverſus conſules de immunit. Eccl. vide ſuperius Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III. can. 19.

Quo canone refertur in exemplum immunitas prædiorum Sacerdotalium quæ fuerat ſub Pharaone & Patriarcha Joſeph in univerſo Ægypti regno. Præter iſtos duorum iſtorum generalium Lateranenſium canones aſtruitur rerum Eccleſiaſticarum immunitas ac libertas in Concilio Romano III. cui præſedit Papa Symmachus, in quo reſciſſa fuere Odoacri Regis ſeu potius Tyranni invaſoris & hæretici



Digitized by Google

contra Eccleſiæ libertatem edicta. *Ne* ( inquit ſacrum Concilium ) *in exemplum remaneret præſumendi quibus licet laicis quantumvis religioſis & potentibus in quacumque civitate quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi diſcuſſe à Deo cura commiſſa docetur.* Citatur vero c. bene quidem diſt. 96. Prætetea in canonib. quos juſſu Edmundi Angliæ Regis Odo Cantuariæ Epiſcopus & Eccleſiarum Angliæ Primas canon primus ita decernit, *Ne alicui liceat cenſum imponere ſuper Eccleſiam Dei : quia filij Dei ab omni cenſu terreſtri liberi ſunt in omni regno.* Idemque Odo profert autoritatem ſancti Ambroſij dicentis Eccleſiam Catholicam liberam eſſe ab omni cenſu Principis, prætereàque ſancti Gregorij Papæ. Conſule apud Gratianum c. convenior 23. q. in quo ſelecta viſuntur Ambroſij loca ex ejuſdem epiſtola ad Marcellinam ſororem, & ex ejuſdem oratione contra Auxentium. His adjunge Paſchalis Papæ ſecundi epiſtolam 29. ad Balduinum Jeroſolymæ Regem in qua ſic ait : *Nec enim poſſumus manifeſtè ſanctis Patrum noſtrorum conſtitutionibus obviare : nec omnino volumus aut pro principum potentia Eccleſiaſticam minui dignitatem, aut pro Eccleſiaſtica dignitate Principum potentiam mutilari, ne apud vos occaſione alterutra pax quod abſit turbetur.* Et vero vel ipſi qui maxime inter infideles ſapientia floruerunt permultum ex re & utilitate Principum eſſe duxerunt ſi ſacra venerentur & religionem colãt. Unius ex multis hic ſufficiat Ariſtotelis autoritas accurate de politica prudentia differentis lib. 5. politic. cap. 11. *Δεῖ τὸν ἄρχοντα τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως, ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν, καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς.* Et plane ſapiẽtiſſimus ille Stagirites qui acumine ingenij unicum agnoſcebat Deum ſupremum rerum omnium motorem, primamque ex qua omnia dependent cauſam, non ignorabat quantis defectibus religio illa popularis, cui in ſpeciem famulabatur, laboraret, & quanta foret dignitas ejus religionis quæ non niſi Deum unum veneraretur mundi rectorem. Oportet ( inquit ) principem res divinas videri curare ſerio & præ omnibus. Nam & minus injuſtum ſperant ab eo Principe pati quem religioſum deorumque verentem exiſtimant : & minus ei inſidiantur ut tutores & adjutores habenti etiam Deos. Conſtantinus ille magnus qui primus Auguſtorum Chriſto nomen dedit, ſimulque ejus Eccleſiam privilegijs ornavit, iſtius poſſeſſiones pari cum poſſeſſionibus domus Auguſtæ immunitate donavit per legem quæ extat in Codice Theodoſiano lib. 2. tit. 1. l. 1. quæ ita ſancit : *Præter privatas res noſtras, & Eccleſias Catholicas, nemo ex noſtra juſſione præcipuis emolumentis familiaris juvetur ſubſtantiæ. Omnes penſitare debebunt.* Nihil jam hic moror oppoſitas ſubſequentium Imperatorum quorumdam conſtitutiones.

Can. XLVII. *Sacro approbante Concilio prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti præmonitione præſentibus idoneis perſonis, per quas ſi neceſſe fuerit poſſit probari, monitio promulgare præſumat. Quod ſi quis contra præſumpſerit, etiamſi juſta fuerit excommunicationis ſententia, ingreſſum Eccleſiæ per menſem unum ſibi noverit interdictum : aliâ nihilominus pœnâ mulctandus ſi viſum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter ne ad excommunicationem cujuſquam abſque manifeſta & rationabili cauſa procedat, ad quam ſi forte taliter proceſſerit, & requiſitus humiliter proceſſum hujuſmodi non curaverit abſque gravamine revocare, gravatus apud ſuperiorem deponat de injuſta excommunicatione querelam : quod ſi abſque periculo monere vel mittere poteſt ad excommunicatorem, illum cum ſuo mandato remittat intra competentem terminum abſoluendum, alioquin ipſe per ſe vel per alium prout viderit expedire ſufficienti cautioni recepta, munus ei abſolutionis impendat. Cumque adverſus excommunicatorem de injuſta excommunicatione conſtiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad intereſſe : aliàs nihilominus ſi culpæ qualitas poſtulaverit ſuperioris arbitrio puniendus, cum non levis ſit culpa, tantam infligere pœnam inſonti niſi forſan erraverit ex cauſa probabili. Maximè ſi laudabilis opinionis exiſtat. Verum ſi contra excommunicationis ſententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem & ſuper injuſta conqueſtionis moleſtia per pœnam ad intereſſe vel alias ſecundum ſuperioris arbitrium condemnetur, niſi forſitan & ipſum probabilis error excuſet, & ſuper eo pro quo juſta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam ſatisfacere compellatur, vel in priſtinam reducatur ſententiam uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervandam. Si vero judex ſuum recognoſcens errorem paratus ſit talem revocare ſententiam, & is pro quo lata fuerit ne abſque ſatisfactione revocet illam appellet : appellationi non deferat in hac parte niſi talis ſit error de quo merito poſſit dubitari : & tunc ſufficienti cautione recepta, quod coram eo ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipſo juri parebit, excommunicatum abſolvat : ſicque pœnæ præſcriptæ minimè ſubjacebit, cavens omnino ne voluntate perverſa in alterius præjudicium mentiatur errorem, ſi diſtrictionis canonicæ vult effugere ultionem.*

34. Can. XLVIII. *Cum ſpeciali ſit prohibitione proviſum ne quis in aliquem excommunicationis ſententiam, niſi competenti commonitione præmiſſa, promulgare præſumat, volentes etiam providere ne fortè commonitus fruſtratoriæ accuſationis vel appellationis obtentu monentis declinare poſſit examen, ſtatuimus quod ſi allegaverit ſe judicem habere ſuſpectum coram eodem cauſam juſtæ ſuſpicionis aſſignet, & ipſe cũ adverſario aut ſi fortè adverſarium non habeat, cum judice arbitros communiter eligat : aut ſi fortè communiter convenire non poſſunt, eligant*

*abſque*

*abſque malitia ipſe unum & ille alium qui de ſuſpicionis cauſa cognoſcant: Et ſi nequiverint in unam concordare ſententiam advocent tertium, ut quod duo ex ipſis decreverint robur obtineat firmitatis. Sciant quoque ſe ad id fideliter exequendum ex injuncto à nobis in virtute obedientiæ ſub atteſtatione divini judicij diſtricto precepto teneri. Causâ vero ſuſpicionis legitimâ coram ipſis infra competentem terminum non probatâ, ſua juriſdictione judex utatur, at ipsâ probata legitimâ, de recuſatoris aſſenſu perſonæ idoneæ committat negotium recuſatus, vel ad ſuperiorem tranſmittat, ut in eo ipſe procedat ſecundum quod fuerit procedendum, porrò commonito ad appellationem convolante, ſi ejus exceſſus evidentiâ rei, vel ipſius confeſſione aut alio modo legitime fuerit manifeſtatus, cum appellationis remedium non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed in præſidium innocentiæ inſtitutum; non eſt provocationi hujuſmodi deferendum. Exceſſu quoque dubio exiſtente ne frivolæ appellationis effugio appellans judicis proceſſum impediat, coram eodem probabilem appellationis cauſam exponat, talem videlicet quæ ſi foret probata deberet legitima reputari. Et tunc ſi habuerit adverſarium intra terminum, ſecundum locorum diſtantiam, & temporis qualitatem, & naturam negotij, ab eodem judice moderandum, appellationis cauſam proſequatur: quam ſi proſequi non curaverit ex tunc ipſe judex non obſtante appellatione procedat. Nullo autem adverſario comparēte cum ex ſuo judex procedat officio, appellationis cauſa coram ſuperiore probata, ſuperior ſuæ juriſdictionis officium exequatur. Sed ſi appellans in ejus probatione defecerit, ad eum à quo ipſam malitioſè appellaſſe conſtiterit remittatur. Cæterum has duas conſtitutiones præmiſſas nolumus ad regulares extendi qui ſuas habent obſervantias ſpeciales.*

C. cum ſpeciali. de appella. omni canonum hujuſce Concilij decurſu mirifica elucet Innocentij III. prudentia & circumſpectio, qui tanta ingenij ſolertia omnibus rebus Eccleſiaſticis proſpexit; & improborum artes & effugia præcluſit, cæteriſque Eccleſiæ incommodis occurrit.

Can. XLIX. *Sub interminatione divini judicij penitus interdicimus ut causâ cupiditatis nullus audeat excommunicationis vinculo aliquem innodare vel abſolvere innodatum, in illis maximè regionibus in quibus ex conſuetudine cum excommunicatus abſolvitur pecuniaria pœna mulctatur: ſtatuentes ut cum excommunicationis ſententiam injuſtam fuiſſe conſtiterit, excommunicator ad reſtituendam pecuniam ſic extortam per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur & niſi probabili fuerit errore deceptus, tantumdem injuriam paſſo perſolvat: & ſi fortè ſolvendo non fuerit, animadverſione alia caſtigetur.*

35. Can. L. *Non debet reprehenſibile judicari ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quoque varientur, humana præſertim, cum urgens neceſſitas vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam & ipſe Deus ex iis quæ in veteri teſtamento conſtituerat nonnulla mutavit in novo: cum igitur prohibitiones de coniugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant & aliquando periculum pariant animarum. Vt ceſſante prohibitione ceſſet effectus, conſtitutiones ſuper hoc editas ſacri approbatione Concilij revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero liberè copulentur. Prohibitio quoque copulæ coniugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio huiuſmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni coniugij corporalis, de quo dicit Apoſtolus quod vir non habet poteſtatem ſui corporis ſed mulier, neque mulier habet poteſtatem ſui corporis ſed vir. Quia quatuor ſunt humores in corpore, quod conſtat ex quatuor elementis. Cum ergo iam uſque ad quartū gradū prohibitio coniugalis copulæ ſit reſtricta, eam ita volumus eſſe perpetuam non obſtantibus conſtitutionibus ſuper hoc dudum editis, vel ab aliis vel à nobis, ut ſi qui contra prohibitionem huiuſmodi præſumpſerint copulari nulla longinquitate defendantur annorum: cum diuturnitas temporum non minuat peccatum ſed augeat, tantoque graviora ſint crimina quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.*

C. non debet, de conſang. & affin. ad hujus canonis intelligentiam ſciendum res eſſe longè diverſas ſecundum & tertium affinitatis genus olim prohibita, ſed iſto canone permiſſa à ſecundo & tertio affinitatis gradu iſto ipſo canone prohibitis, undè verſus, mutat nupta genus ſed generata gradum. Quod diſcrimen latè explicat gloſſa in d. c. non debet. v. in ſecundo & tertio. Concilium deinde Tridentinum his alteram addit reductionem ſeſſ. 24. c. 3. de refor. matrim. ſcilicet impedimenti publicæ honeſtatis ad ſecundum gradum incluſivè, & impedimenti affinitatis conſurgentis ex fornicatione ac omni copula illicita nè primum excedat gradum.

36. Can. LI. *Cum inhibitio copulæ coniugalis ſit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtrictè obſervari. Vnde prædeceſſorum noſtrorum inhærendo veſtigijs, clandeſtina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. Quare ſpecialem quorumdam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando ſtatuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſijs per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedi-*



Digitized by Google

*mentum opponat. Et ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur, expreſſe, donec quid fieri debeat ſuper eo manifeſtis conſtiterit documentis. Si qui vero hujuſmodi clandeſtina vel interdicta conjugia inire præſumpſerint in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium, cum illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur. Pari modo illegitima proles cenſeantur ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter interdictum in conſpectu Eccleſiæ contrahere præſumpſerint. Sane Parochialis Sacerdos qui tales coniunctiones prohibere contempſerit, aut quilibet etiam regularis qui iis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed & iis qui taliter copulari præſumpſerint, etiam in gradu conceſſo, condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitioſè impedimentum obiecerit, Eccleſiaſticam non effugiet ultionem.*

C. cum inhibitio de clandeſtina deſponſ. canon iſte prohibet quidem clandeſtina connubia ſed non irrita reddit, & quamvis illicita, fuerunt tamen valida & rata donec Concilium Tridentinum ejuſmodi conventiones clandeſtinas, nimirum in quibus non intervenit duorum triumve teſtium ad id accitorum & proprij parochi præſentia decrevit eſſe irritas, nec ullum ex eis exurgere matrimonium ſeſſ. 14. c. 1.

Can. LII. *Licet ex quadam neceſſitate præter communem formam aliàs fuerit inſtitutum, ut in conſanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret teſtimonium de auditu, cum propter brevem hominum vitam teſtes de viſu deponere non valerent uſque ad gradum ſeptimum computando: quia tamen plurimis exemplis & certis experimentis didicimus ex hoc multa pericula contra legitima coniugia proveniſſe, ſtatuimus ne ſuper hoc recipiantur teſtes de cætero de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat. Niſi perſonæ graves extiterint quibus fides meritò ſit adhibenda, & ante motam litem teſtificata didicerint ab antiquioribus quidem ſuis, non utique uno, cum non ſufficeret ille ſi viveret, ſed duobus ad minus: nec ab infamibus & ſuſpectis, ſed à fide dignis & omni receptione majoribus, cum ſatis videretur abſurdum illos admitti quorum repellerentur authores. Nec tamen ſi unus à pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint, quod teſtentur tanquam plures & idonei teſtes debent admitti; cum etiam ſecundum ſolitum ordinem judiciorum non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi præſidali dignitate præfulgeat. Et actus legitimi ſint infamibus interdicti. Teſtes autem hujuſmodi proprio juramento firmantes quod ad ferendum in cauſa ipſa teſtimonium odio, vel timore, vel amore vel commodo non procedant, perſonas expreſſis nominibus vel demonſtratione ſive circumlocutione ſufficienti deſignent, & ab utroque latere clara computatione gradus ſingulos diſtinguant, & in ſuo nihilominus juramento concludant ſe accepiſſe à ſuis majoribus quod deponunt, & credere ita eſſe. Sed nec tales ſufficiant niſi jurati deponant ſe vidiſſe perſonas ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas pro ſanguineis ſe habere. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum copulatos dimittere, quam conjunctos legitimè contra ſtatuta Domini ſeparare.* c. licet 47. de teſtib. & atteſt.

37. Can. LIV. *Cum non ſit in homine quod ſemen ſerenti reſpondeat, quoniam juxta verbum Apoſtoli neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus, ipſo quidem de mortificato ſemine plurimum fructum afferente, nimis avare in decimis quidam defraudare nituntur cenſus & tributa quæ interdum indecimata prætereuntur de frugibus & primitiis educentes. Cum autem in ſignum univerſalis Dominij quaſi quodam titulo ſpeciali ſibi Dominus decimas reſervaverit, nos & Eccleſiarum diſpendijs, & animarum periculis, obviare volentes, ſtatuimus ut in prærogativa Dominij generalis exactionem tributorum & cenſuum præcedat ſolutio decimarum, vel ſaltem hi ad quos cenſus & tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere ſuo tranſit, ea per cenſuram Eccleſiaſticam decimare cogantur Eccleſiis quibus jure debentur.*

C. cum non ſit de decimis. Similiter neque ſemen impenſum neque aliàs expenſas deducere de prædialibus decimis licet c. non eſt 22. & c. tuo nobis 26. eod. tit.

Can. LV. *Nuper Abbates Ciſtercienſis ordinis in generali capitulo congregati ad commonitionem noſtram providè ſtatuerunt ne de cætero fratres ipſius ordinis emant poſſeſſiones de quibus decimæ debentur Eccleſiis, niſi fortè pro monaſterijs noviter fundandis. Et ſi tales poſſeſſiones eis fuerint pia fidelium devotione collatæ aut emptæ de monaſterijs de novo fundandis committant excolendas alijs à quibus Eccleſiis decimæ perſolvantur, ne occaſione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ ulterius prægraventur. Decernimus ergo ut de alienis terris & amodo acquirendis etiamſi proprijs manibus aut*

Digitized by Google

*aut ſumptibus deinceps excoluerint decimas perſolvant Eccleſijs, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur niſi cum ipſis Eccleſijs aliter duxerint componendum. Nos ergo ſtatutum ejuſmodi gratum & ratum habentes, hoc ipſum ad alios regulares qui gaudent ſimilibus privilegijs extendi volumus, & mandamus ut Eccleſiarum Prælati promtiores & efficaciores exiſtant ad exhibendum eis de ſuis malefactoribus juſtitiæ complementum: Eorumque privilegia diligentius & perfectius ſtudeant obſervare.* C. nuper Abbates de Decimis.

38. Can.LVIII. *Quod nonnullis eſt Religioſis indultum, in favorem Pontificalis officij ad Epiſcopos extendentes, concedimus ut cum commune terræ fuerit interdictum excommunicatis & interdictis excluſis, poſſint quandoque januis clauſis, ſuppreſſa voce non pulſatis campanis celebrare Officia divina; niſi hoc ipſum eis expreſsè fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus qui cauſam aliquam non præſtiterint interdicto, nec quidquam doli vel fraudis ingeſſerint tale compendium ad iniquum diſpendium pertrahentes.*

C. quod nonnullis de privile. Verum quod hic in privilegium conceditur Epiſcopis verſum eſt in jus commune per conſtitutionem Bonifacij qua etiam revocantur privilegia præcedentia Religioſis indulta circa exemptiones ab interdictis. Ea vero conſtitutio multum de antiqua interdictorum ſeveritate remittit, concedens ut tempore interdicti admittantur ad pœnitentiam non tantum periculosè ægrotantes ſed quilibet etiam ſani, dummodo non ſint excommunicati, & dummodò cauſam interdicto non dederint niſi pro tempore ſatisfaciant quantum valebunt: & in quo non valent cautionem in futurum dent quantum valebunt. Et ſi non aliam poſſunt ſaltem juratoriam. Indulget præterea ut durante interdicto Miſſæ & divina Officia etiam ſub pœna amiſſionis diſtributionum celebrentur in Eccleſijs à Clericis qui cauſam interdicto non dederunt: excluſo populo januis clauſis ſine campanarum ſono ſubmiſſa voce ac ſine cantu. Permittit vero ut quater in anno ſcilicet in feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Mariæ campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina Officia ſolemniter celebrentur etiam perſonis interdictis admiſſis non tamen Altari appropinquare, permiſſis illis quorum exceſſus interdicto cauſam non dederit. Hæc ſanxit Bonifacius VIII. c. alma mater de ſent.excom.in 6.

Can. LX. *Accedentibus ad nos de diverſis mundi partibus Epiſcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum exceſſus qui finibus ſuis non contenti manus ad ea quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis extendunt de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, injungendo pœnitentias publicas, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & ſimilia præſumendo, unde contingit interdum quod vileſcat Epiſcopalis authoritas apud multos. Volentes igitur in ijs & Epiſcoporum dignitati & Abbatum providere ſaluti, præſenti decreto firmiter prohibemus ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum evitare: niſi fortè quiſquam eorum ſpeciali conceſſione aliave legitima cauſa ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.* C. accedentibus de exceſ. Prælat.

39. Can.LXI. *In Lateranenſi Concilio (ſcilicet ſub Alexandro III. c.9.) noſcitur fuiſſe prohibitum ne quilibet regulares Eccleſias ſeu decimas ſine conſenſu Epiſcoporum de manu accipere præſumant laicali, nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad divina. Nos autem id fortius inhibentes tranſgreſſores condigna curabimus animadverſione puniri. Statuentes nihilominus quatenus in Eccleſijs quæ ad ipſos pleno jure non pertinent juxta ejuſdem ſtatuta Concilij Epiſcopis inſtituendos Presbyteros repræſentent, ut illis de plebis cura reſpondeant, ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, inſtitutos vero removere non audeant Epiſcopis inconſultis. Sanè adjicimus ut illos repræſentare procurent quos vel converſatio reddit notos vel commendat probaſſe teſtimonium Prælatorum.*

C. in Lateranenſi de præben. Similiter Urbanus III. ita ſancit de Capellis Mona.c.1. *In Eccleſijs ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, ſed Capellanus qui populum regat ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur. Ita ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.*

Can.LXII. *Cum ex eo quod quidam Sanctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni ſit detractum ſæpius, ne detrahatur in poſterum, præſenti decreto ſtatuimus ut antiquæ reliquiæ amodo extra cauſam non oſtendantur nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publicè venerari præſumat, niſi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero de cætero non permittant illos qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt vanis figmentis, aut falſis decipi documentis, ſicut & in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit. Eleemoſynarum quoque quæſtores quorum quidam ſe alios mentiendo abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti niſi Apoſtolicas vel Diœceſani Epiſcopi litteras veras exhibeant prohibemus, & tunc præter id quod in ipſis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam vero quam communiter talibus Apoſtolica ſedes indulget duximus exprimendam, ut ſecundum eam Diœceſani Epiſcopi ſuas litteras moderentur. Ea ſiquidem talis eſt.*

*Quoniam ut ait Apoſtolus omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti recepturi prout in corpore*



Digitized by Google

*geſſimus ſive bonum ſive malum fuerit, oportet nos diem meſſionis extremæ, miſericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cœlis, firmam ſpem fiduciamque tenentes quoniam qui parce ſeminat parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet in vitam æternam. Cum igitur ad ſuſtentationem fratrum & egenorũ ad tale confluentium hoſpitale propriæ non ſuppetant facultates, univerſitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum quatenus de bonis vobis à Deo collatis pias eleemoſynas & grata eis charitatis ſubſidia erogetis: ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopiæ conſulatur, & vos per hæc & per alia bona quæ Domino inſpirante feceritis ad æterna poſſitis gaudia pervenire.*

*Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur modeſti ſint & diſcreti, nec in tabernis aut locis alijs incongruis hoſpitentur, nec inutiles faciant aut ſumptuoſas expenſas, caventes omnino ne falſæ Religionis habitum geſtent, ad hæc quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur. Et claves Eccleſiæ contemnuntur & pænitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus ut cum dedicatur Baſilica non extendatur indulgentia ultra annum ſive ab uno ſolo, ſive à pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pænitentijs indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuſlibet cauſis aliquoties conceduntur. Cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.*

Canon iſte habetur partim in c.ult. de reliquijs & venera.Sanct. & partim in c.cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. ſed tandem ob frequentiores abuſus Concilium Tridentinum quæſtorum prædicantium uſum penitus abolevit ſeſſ.15.c.2.de refor.

Can. LXIII. *Sicut pro certo didicimus in plerisque locis & à plurimis perſonis quaſi columbas in Templo vendentibus fiunt exactiones & extorſiones turpes & pravæ pro conſervationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus Clericorum, eſtque taxatum quantum ſit iſti vel illi, quantumve alteri vel alij perſolvendum: & ad cumulum damnationis majoris quidam turpitudinem & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſervatam. Tantum igitur abolere volentes abuſum, conſuetudinem hujuſmodi quæ magis dicenda eſt corruptela penitus reprobamus: firmiter ſtatuentes ut pro ijs ſive conferendis ſive collatis nemo aliquid quocumque prætextu exigere ac extorquere præſumat; alioquin & qui receperit, & qui dederit hujuſmodi pretium omnino damnatum cum Giezi & Simone condemnetur.*

C. ſicut de Simonia, eodem ſpectat decretum Tridentinum ſeſſ.21.c.1. de refor.

40. Can. LXVI. *Ad Apoſtolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus pecuniam exigunt & extorquent: & ſi fortè cupiditati eorum non fuerit ſatisfactum impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtra vero quidam Laici laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere ſub prætextu Canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones ſuper his fieri prohibemus & pias conſuetudines præcipimus obſervari, ſtatuentes ut liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.*

C. ad Apoſtolicam de ſimon. Concilij mens videtur eſſe ne Clerici exigant recuſando petentibus ſacra Miniſteria niſi pretium exolvant, id enim indecorum eſt & ſordes redolet avaritiæ, præſertim erga pauperes qui debitis ſibi ſacris Miniſterijs per egeſtatem fraudarentur, ſed ut Epiſcopus ex ſuo officio pias & rationabiles conſuetudines ſuis ſcriptis conſtitutionibus roboret, à quibus tamen excipiantur inopes perſonæ, ſed ijſdem aſtringantur locupletes, qui ſi moroſi ſint poſt exhibita officia ſententijs Epiſcopalibus ad exolvendum compellantur. Gloſſa ipſa ad d. c. ad Apoſtolicam de ſimon. huic explicationi ſuffragatur.

41. Poſtremi demum canones à ſacro Concilio procuſi ſunt ad compeſcendam Iudæorum pravitatem. Etenim canon 67. graves & immoderatas uſuras quas Iudæi à Chriſtianis extorquent inhibet. Quia vero plerique Principes damnabili cupiditate pecciti, & Chriſtiano nomine indigni, ejuſmodi uſuras Iudæis indulgent adverſus Chriſtianos infelices, ut graviora poſſint à Iudæis hac via diteſcentibus exigere tributa: illos officij ſui admonet, ac præcipit ut hujuſmodi fœnora Iudæorum reprimant. Utinam Principes ſaltem Eccleſiaſtici huic ſuo ſatisfaciant officio.

42. Can. 68. Iudæis peculiarem indumenti geſtationem præſcribit, quo à Chriſtiano populo ex primo aſpectu diſcernantur, & vetat ne diebus anniverſarijs redemptoris paſſioni deſtinatis in publicum prodeant, & pœnis plectantur condignis, ſi qui eorum in Chriſtum paſſum & crucifixum blaſphement.

43. Can. 69. Diſtrictè vetat ne Iudæi publicis officijs præficiantur, quorum prætextu Chriſtianis inſultare atque infeſti eſſe ſolent.

44. Can. 70. Providet ne converſi ad fidem Iudæi quidquam de Iudaicis ſuperſtitionibus retinere ſinantur.

DISSER

## DISSERTATIO SVPER CANONE *Lateranenſi LXIV. de pactionibus ſimoniacis in Monaſteriorum ingreſſu.*

1. CAn.64. quem viſum eſt huc extra ſuum ordinem differre, ne ſeries Canonum interjecta longiore digreſſione interturbaretur, ſic effert: *Quoniam ſimoniaca labes adeo pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu, volentes hujuſmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat penitus prohibemus: ſtatuentes ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiſerit, tam recipiens quam recepta, ſive ſit ſubdita ſive prælata, ſive ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem quæ ante hoc Synodale ſtatutum taliter ſunt receptæ ita duximus providendum, ut remotæ de Monaſterijs quæ perperam ſunt ingreſſæ, in alijs locis ejuſdem ordinis collocentur. Quod ſi propter nimiam multitudinem alibi forte nequiverint commodè collocari, ne fortè damnabiliter in ſæculo evagentur, recipiantur in eodem Monaſterio diſpenſativè de novo, mutatis prioribus locis & inferioribus aſſignatis. Hoc etiam circa Monachos & alios regulares decernimus obſervandum; verum ne per ſimplicitatem vel ignorantiam ſe valeant excuſare, præcipimus ut Diœceſani Epiſcopi ſingulis annis hoc faciant per ſuas Diœceſes publicari.* C. quoniam de ſimonia. In dubium eſſe apud omnes debet committi ſimoniam ſi pactio verſetur contributionis temporalis circa ipſum Monaſterij ingreſſum, & admiſſionem ad profitendam Religionem: quandoquidem Religio ſacra quædam res eſt, tam in pauperibus quam in opulentis Monaſterijs. Atque jure merito damnatur omnis pecuniaria conventio pro admiſſione in Religionem, etiam in Monaſterijs quorum opes non ſufficiunt ad alendam perſonam admitti poſtulantem: juxta decreta ſapientiſſima Concilij Nicæni ſecundi act.8. can.18. & Lateranenſis ſub Alexandro III. can.10. & hujus alterius ſub Innocentio III. can. 64. liquido id conſtat ex ipſa ſimoniæ definitione, quæ nihil eſt quam rei temporalis contributio pro aſſequenda re ſpirituali & ſacra, qualis eſt ipſa Religio neque ulla quantumvis arcta paupertas ab hac ſimonia excuſat. Eaque prorſus eſt mens hujus Lateranenſis conſtitutionis. Aliud enim eſt recipere in Monaſterium indiſtinctè pretio convento, etiamſi Monaſterium veram prætexat inopiam ac inſufficientiam opum, & aliud gratuito & ob ſolum Dei cultum admittere in Religionem; adeout nulla futura eſſet pactio, ſed lubens & gratuita admiſſio, ſi poſſet poſtulans de præſentibus Monaſterij facultatibus ſuſtentari. Sed quia non poteſt, ob id unum præcisè fit pactio pro ſuppeditandis alimentis, quam utique rerum diſtinctionem pauci adverterunt. Quidam enim recurrunt circa hæc verba Canonis *prætextu paupertatis*, ut dicant falſum & mendax fuiſſe illum prætextum, ſic enim exponit Sanctus Raimundus loco mox citando. Alij vero ſupponentes veram & non fictam paupertatem, dicunt id genus ſimoniæ iſto Canone ſignificatum non fuiſſe divini ſeu naturalis juris ſed tantum Eccleſiaſtici: quod jus & canon & approbata conſuetudo poſſint pari facilitate & ſtatuere & abolere. Itaque non ſatis eſt ad evitandam ſimoniam divino jure prohibitam ſi ſupponas veram Monaſterij paupertatem, ſed neceſſe eſt ut voluntas admittendi ſit utriuſque gratuita; voluntas autem paſciſcendi ſupra ſolam alimentorum ſuppeditandorum cæterorumq; temporalium onerum impotentiam ac inſufficientiam cadat. Neque enim Monaſteriorum inopia juſtam præbet cauſam involvendi ſub una eademque pactione rei pecunia æſtimabilis ipſam admiſſionem, quæ hac conditione ſimoniaca foret juri divino adverſans.

2. Tres porro invenio Catholicorum Doctorum admodum diverſas ſententias circa pactiones dotationum quæ fieri ſolent occaſione ingreſſus in Religionem. Aliqui enim indiſtinctè ac indefinitè docent hoc præcisè titulo licitum eſſe paciſci de dote in opulentis Monaſterijs. Eorum ſumma ratio eſt iſta. Quia cum alimenta reliquaque Monaſteriorum onera pecuniarias expenſas exigentia ſint res merè temporales, nullatenus eſſe poſſunt materia ſimoniæ divina lege vetitæ, ſi pro ijs ſupplendis conventio fiat. Adduntque ad ſuæ munimen ſententiæ in matrimonijs fidelium iniri dotales conventiones & pecuniarias pactiones ad onera matrimonij ſuſtinenda juxta l.pro oneribus c.de jure dot. etiam in opulentiſſimis familijs, quæ tamen immunes à labe ſimoniæ ſunt; quamvis matrimonium cui pecuniariæ illæ conventiones accidunt, non modo ſit res ſacra ſed etiam Scriptura atteſtante magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia Eph.5. v.32. hæc eſt opinio Dominici Soto cui adhærent Leſſius l.2. de Iuſtitia cap.35. dub.23. ubi dicendo licitam eſſe dotis conventionem pro alimentis Monialis, maximè ſi Monaſterium ſit tenue, perſpicuè inſinuat in Monaſterijs commodis hoc licitum eſſe, ſed majori tamen & peculiari ratione in tenuibus. Azorius item 1.p. l.13. c.9. q.1. indiſtinctè approbat iſtas in Monaſteriorum ingreſſu conventiones modo pro dote & alimentis fiat pactio, & non præcisè pro admiſſione in religionem. Cæterum mox probabo non valere hanc diſtinctionem in divitibus Monaſterijs. Et poſtquam Azorius protulit authoritatem S.Th.2.2.q.100.a.3. ad 4. reprobantem iſtas pactiones ſi fiant in Monaſterijs opulentis, reſpondet ibidem Azorius hoc genus prohibitionis atq; ſimoniæ non eſſe niſi Eccleſiaſtici juris & non divini, eique à longo annorum decurſu receptam ubique locorum oppoſitam conſuetudinem derogaſſe, ut ceſſaverit illa pridem Eccleſiaſtica ſimonia. Eamdem ſententiam aſtruunt Sanchez alijque cum Bonacina tract.de Simonia diſp.1.q.7.§.4.n.4. 5.6. aliorum opinio ſed paucorum in extremum oppoſitum vergit nullatenus fas eſſe in quibuſcumque Monaſterijs ſive commodis ſive tenuibus fas eſſe de pecuniaria contributione ſtipulari: quæ rigiditas magis in affectu ad extremas quaſque ſeveritates conſectandas, quam in ulla ratione fundatur ut ex dicendis perſpicuum fiet.

3. Tertia eaque reliquis duabus longè præferenda ſententia eſt S.Tho. S.Bonav. S.Raymundi præcipuæ celebritatis ſimulque Sanctitatis Doctorum, ſimulque aliorum ſequacium ſic diſtinguentium. In primis nefas & ſimoniacum eſſe in Monaſterijs etiam inopiâ laborantibus paciſci pecuniariam contributionem pro ipſa in religionem admiſſione: idque divino & non tantum Eccleſiaſtico jure vetari, cum religio ipſa ſit res ſpiritualis & ſacra & ſimonia jure naturali prohibita

omnis

omnis illa ſit quæ rem ſacram pecuniaria contributione ex pacto compenſat. Eaque de cauſa canon iſte Lateranenſis 64. omnes illas damnat Moniales quæ ſuæ paupertatis prætextu, aliquas in ſorores pretio recipiebant. Ubi vero pactio pecuniaria præciſè ac ſeorſim à Monaſtica admiſſione, circa ſolas temporales Monaſterij expenſas & alimenta præſtanda verſatur, ita præterea diſtingui volunt. Vel Monaſterio bona temporalia ita ſuppetunt ut his expenſis & alimentis commodè ſufficiant & iſto caſu pactiones pro his initas affirmant eſſe ſimoniacas, jurique divino adverſantes. Vel Monaſterium ita indiget ut non valeat expenſas iſtas atque alimenta præſtare, niſi perſona poſtulans pro his temporalibus ea quæ ſunt neceſſaria ſuppeditet, atque iſto caſu nullam exiſtere contra naturalem ſeu divinam legem ſimoniam, licitumque eſſe ita ſtipulari reſpectu Monaſteriorum indigentium, nullatenus vero à divitibus Monaſterijs. Quod ſi Monaſterium quantumlibet inops ad ſubveniendum proprijs neceſſitatibus, aliquam admittat quæ minimè ſit idonea ſed tamen bene dotata, hoc ipſo convincitur hanc admiſſionem minimè concedi perſonæ nullatenus admittendæ, ſed ſolis quas affert opibus, atque ita eſſe venalem.

4. Objiciet aliquis hoc eſſe ſupervacaneum diſcrimen, alimentaque à Monaſterio præſtanda cum ſint merè temporalia poſſe pecuniaria conventione compenſari ab ipſis etiam divitibus Monaſterijs. Quandoquidem Monaſteriorum opulentia rerum naturam non immutat & in hac pactione peræquè in his atque in egenis Monaſterijs res temporalis alia re temporali commutatur: Cum tamen ſimoniæ conceptus ac definitio includat neceſſario aliquid ſpirituale. Ad hæc reſpondeo tametſi temporales Monaſteriorum facultates ſeorſim ſpectatæ ſint temporales, eſſe tamen jus ſpirituale religioſo acquiſitum ut participet facultatibus Monaſterij in his quæ ad victum ſibi à religione præſtandum attinent. Si ergo Monaſterium temporales opes poſſidens ſufficientes admittendo Religioſo ad præſtanda omnia vitæ ſubſidia, pro his tamen præſtandis paciſcatur pecuniam, vendit ei pretio temporali jus illud quo tenetur ipſum Monaſterium de opibus temporalibus quas poſſidet religioſo ſubvenire in omnibus ad victum neceſſarijs. At è diverſo carens his temporalibus Monaſterium non cenſetur vendere religioſo illa quibus caret, neque enim ea ſuppeditare tenetur quæ non habet, atque ita non vendit per intervenientem de re temporali ſtipulationem jus quod materiæ defectu nullum & prorſus inane eſt, atque in hiſce Monaſteriorum temporalibus bonis ineſt par ratio quæ in beneficiorum temporalibus. Utraque enim temporalia tam Monaſteriorum quam præbendarum ſunt ſpiritualibus indivulsè conjuncta. Et quemadmodum non poteſt in beneficio conferendo aut per reſignationem in alium quempiam transferendo vendi citra ſimoniam jus illud utendi fruendi beneficij temporalibus fructibus & proventibus, ob inſeparabilem nexum & inſolubilem cum eo quod eſt in beneficio ſpirituale, adeo ut qui temporale beneficij vendere vel emere prætendit alterum nimirum ſpirituale non relinquat invenditum, ut decernitur c. ſi quis objecerit 1. q.3. Eadem pariter viget ratio in temporalibus Monaſterij opibus, quæ religionis communibus ſimul & particularibus commodis deſtinatæ ſunt, & firmò nexu cum ſpiritualibus religionis bonis cohærent. Enimvero in religionem ac Monaſterium alicujus perſonæ aſſumptio nihil eſt aliud quam admiſſio ad Monaſterij ſpiritualia ſimul & temporalia bona. Cum igitur inter religioſæ ac Monaſticæ vitæ communia bona recenſendum ſit jus Monachis aut Monialibus competens ut de communibus bonis alantur, hoc ipſum jus planè ſpirituale exiſtit, ideoque non poteſt conventione pecuniaria cum admittenda perſona vendi aut redimi. Secus eſt in tenuibus Monaſterijs, quæ cum bonis careant quibus recens admittendus ali poſſet, hæc quæ nullatenus exiſtunt bona nullatenus ſacra aut ſpiritualia denominari poſſunt; imò ne quidem bona quia ſecundum Philoſophum non entis nullæ ſunt qualitates, ideoque huic temporalis rei pactioni ſubtrahitur res ſpiritualis, proindeque omnis amovetur ſimonia, ſupponendo admiſſionem ad religionem eſſe planè ſincereque gratuitam, nullumque à dote habere motivum, niſi ut admonui admitteretur perſona hoc ſolo motivo, quia illius dote adjuvabitur Monaſterium etiamſi ea quæ poſtulat admiſſionem agnoſceretur vitioſa, improba & pravæ indolis. Sic enim non perſonæ ſed ſolius dotis haberetur ratio.

5. Objectio porrò de pactis dotalibus nihil obſiſtit. Quandoquidem pacta illa nuptialia nullatenus ad matrimonium pertinent ut eſt Sacramentum, ſed ut eſt civilis contractus & ſocietas omnibus gentibus etiam infidelibus communis. Ipſæque dotes & connubiales conventiones erant in communi matrimoniorum uſu antequam Chriſti religio matrimonia fidelium elevaſſet ad Sacramenti dignitatem: quæ ſanè poſterior & acceſſoria eſt ad civilem contractum, ſicut conſecratio poſterior eſt & acceſſoria calici nec impedit licitam ejuſdem conſecrati calicis pecuniariam venditionem.

6. Præfatas vero ab inopibus Monaſterijs pro alimentis conventiones, modo nihil influant in poſtulantis perſonæ religioſam admiſſionem quæ merè gratuita ſit, fieri licitè poſſe tria illa in Eccleſiæ cœlo primæ magnitudinis ſydera Thomas, Bonaventura & qui ambos ætate præceſſit Raimundus, poſteriores tamen hac Synodo Lateranenſi cujus etiam hoc ipſum decretum allegant. Tres iſti ſanctitate & publica totius Eccleſiæ veneratione conſpicui, eruditione eminentiſſimi, & profeſſione Religioſi, quorum maximè perſpicua teſtimonia iiſdem ipſorum verbis hic ſubjicio.

7. Occurrit animo in primis S. Thomas qui non ſemel ſed diverſis locis hanc tradit doctrinam: ſic enim loquitur in 4.diſt.25. q.2.a.1.ad 7. *Dicendum quod cum poſſeſſiones alicujus loci Religioſi non ſufficiunt ad ſuſtentandum plures, tunc poteſt exigi ab eo qui in loco illo vult ſervire Deo non quaſi pretium Religionis, ſed ut habeat Monaſterium unde ei poſſit providere, & ideo non committitur ſimonia.* Idemque in ſumma Theologica 2. 2. q.100.a.3. totus eſt in hac diſtinctione dati & accepti pro pretio rei ſpiritualis quæ eſt religio, & dati & accepti pro alimonia quæ res eſt temporalis, atque iſtud quidem nullam involuere ſimoniam probat argumento ducto ex 1.Cor.9. *Quis militat ſuis ſtipendijs umquam? quis paſcit gregem & de lacte illius non manducat?* Secundo ex ſtipendijs Clericorum ad ſacra obeunda miniſteria, ad pſallendum in Choro, ad Miſſarum onera ſeu

pro

pro vivis ſeu pro defunctis, ad aſſiſtendum proceſſionibus. Deinde ad 4. argumentum quod ſibi ipſi objecerat de Monaſterijs in quibus aliquid à perſonis quas recipiunt exigitur his reſpondet verbis: *Dicendum quod pro ingreſſu Monaſterij non licet aliquid exigere vel accipere quaſi pretium: Licet tamen ſi Monaſterium ſit tenuè quod non ſufficiat ad eas perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum Monaſterij exhibeat, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ quæ in Monaſterio fuerit recipienda ſi ad hoc non ſufficiunt Monaſterij opes.* Hæc utique ultima verba omnem præcludunt evaſionem eorum qui verba S. Thomæ reſtringenda præſumerent ad ſpontè oblata, quandoquidem in confeſſo eſt apud omnes licere ſpontè oblata accipere, etiamſi ſufficerent Monaſterij opes, at Doctor Angelicus ut conditionem requirit, remque limitat ne interveniat Simonia dicens: *Si ad hoc non ſufficiunt Monaſterij opes.* Numquam enim ſponte & liberaliter oblata, ſed ipſæ pecuniariæ ſtipulationes ſimoniam conſtituunt.

8. Sanctus item Bonaventura non poſſet dilucidius hanc ſuam proferre doctrinam In Libello enim Apologetico adverſus obtrectatores Religionis Fratrum Minorum, qui habetur in tom, 1. Opuſculorum ejus, proponit q. 18. hanc illorum objectionem. *Cum ergo ſitis informatores earum* (loquuntur ibi de Monialibus Sanctæ Claræ) *quare permittitis quod plures apud eas impurè id eſt per pecuniam recipiuntur, quæ ſi nihil ſecum ferrent, nullatenus reciperentur, & apertè ſimonia videtur? reſponſio ſi illud alij faciunt de hoc non à nobis ſed ab illis eſt ratio exigenda. Sed tamen ut ſatisfaciamus quærentibus, ſciendum quod quantum ſpectat ad hanc materiam quadruplex eſt forma recipiendi Ordinem qualemcumque. Primo quando aliquis recipitur nec pro pecunia nec cum pecunia, ſed purè pro Deo, & iſta eſt puriſſima coram Deo & hominibus. Secunda quando aliquis recipitur non pro pecunia ſed cum pecunia, ita ut ſi nihil afferret tamen reciperetur pro Deo, & ſimiliter hoc purum eſt coram Deo, ſed cautè agendum eſt coram hominibus ne detur eis occaſio ſcandali, & ne ſit ibi affectus avaritiæ infectus ex ſpe lucri. Tertia quando quis recipitur non pro pecunia nec tamen reciperetur ſine pecunia eo quod non habent aliter ei qui eum recipiunt in neceſſitatibus corporis providere, cum tenues facultates domus vix ſufficiant jam receptis nec ad eas audeant plures recipere: & iſtos ſuis neceſſitatibus ſpoliare: ita quod talis perſona quæ ſic recipitur ſi abundaret locus ſine pecunijs reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias & nobilitatem ejus quæ habet naſum, nec tamen propter hoc ducit eam quia naſum habet, quam tamen ſi naſo careret nullatenus duxiſſet. Et hoc non eſt impurum licet non appareat forſitan pulchrum. Quarta cum aliquis recipitur amore pecuniæ ita quod ſi poſſent pecuniam illam habere ſine perſona non reciperent perſonam, ſed ut habeant pecuniam perſonam recipiunt: & hoc penitus impurum eſt & ſimoniacum, quia ibi pecunia cauſa eſt receptionis perſonæ & non è converſo. Ubi ergo recipitur perſona propter pecuniam ſimonia eſt, quia ibi venditur ſpirituale, id eſt conſortium ſpiritualis ſocietatis pro temporali ſcilicet pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia optantes aliquem venire cum opibus quem reciperent ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta ſolverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia conſtruerentur, de talibus dicit Eccleſiaſticus c. 27. propter inopiam multi deliquerunt. Vbi vero pecunia recipitur propter perſonam quam aliàs libenter reciperent, ſi haberent unde eam paſcerent, non videtur eſſe ſimonia dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo ſuſtinemus quod ſorores Sanctæ Claræ recipiunt pecuniã cum perſonis, ſi quando oporteat eas plures perſonas recipere quã de facultatibus Monaſterij congruè valeant ſuſtentari.* Doctor ergo Seraphicus negat eſſe ſimoniacum ſi Monaſterium carens ſufficientibus facultatibus ad victum admiſſionem poſtulantis recuſet illam admittere, niſi augmentum temporale pro ſuo victu conferat in Monaſterium, ſed ſi conferat tunc poſtulans admittatur dum duo iſta quæ ſola exprimit ſimul concurrant. Primùm ut Monaſterium ſit inops ac inſufficiens ad victum poſtulanti ſuppeditandum. Secundò ut perſona dumtaxat propter Deum admittatur & non propter eam quam defert pecuniam: adeò ut ſi Monaſterij facultates ejus quoque victui ſufficerent, nec perſona poſtulans quidquam ſecum afferret, nihilo tamen minus in Monaſterium reciperetur. Primam conditionem illam notent Monaſteria quibus facultates ad victum novæ poſtulantis ſuppetunt, quam tamen niſi ſub promiſſione pecuniæ admittere nolunt.

9. His pariter adſtipulatur Sanctus Raimundus Canoniſtarum Coriphæus à quo etiam decretalium volumen Gregorio nono Papa jubente habemus. Hic l. 1. Summæ ſuæ cap. 1. §. 22. ita effatur: *Si Monaſterium eſſet adeo tenue vel paupertate depreſſum quod reditus vel vix, vel non ſufficerent perſonis præſentibus, non ſolum intentionem poſſet habere, ſed etiam credo quod poſſet dicere non ſufficiunt nobis, libenter ſuſcipimus te ad ſpiritualia, ad temporalia non poſſumus niſi habeamus plures poſſeſſiones: & tunc ille offerat ſe & ſua. Quod autem dicitur in conſtitutione* (nimirum ſupradicti Lateranenſis Concilij) *eodem cap. quoniam verſ. paupertatis prætextu de Simonia, intelligitur cum hoc dicebant in fraudem.* Hactenus S. Raimundus.

10. Eadem docet Gloſ. in d. c. quoniam *poſſet dici* (inquit) *quod ſi ita pauperes ſunt quod non poſſunt ibi aliàs aliquo modo aliquem recipere quia non haberent ibi victum, poſſunt ſub hac forma recipi, non habemus quid demus tibi pro victu niſi tu portes tecum unde vivas. Dum tamen hoc non dicatur in fraudem.*

11. His Doctoribus antiquior Petrus Cantor Pariſienſis Doctor qui duodecimo ſæculo floruit ſic loquitur in tractatu de verbo abreviato c. 38. *Si Monaſterium adeo inops eſt ut non poſſit recipere aut nutrire ſine pecuniæ contributione illum qui ſe offert ad religionem, poterit huic concedere confraternitatem ſpiritualem non autem corporalem: vel etiam habito reſpectu ad domus inopiam & ad neceſſarias pro alimentis ipſius poſtulantis expenſas exigere ab illo ut ſub ea conditione admittatur quod ſuppeditabit Monaſterio reditus temporales ad ſubſidium & alimoniam vitæ ſuæ.* Scripſit & obijt hic author ante ortum Ordinum Mendicantium & ante ipſum Lateranenſe ſub Innocentio tertio Concilium.

12. Refertur à Dionyſ. Carthuſ. l. 2. de Simonia reſponſum conſultæ Facultatis Pariſienſis quod in hæc verba definit: *Dicimus ulterius quod ubi Monaſterium eſt ita tenue, quod fæmina quæ recipi petit non poſſet de bonis ipſius Monaſterij ſuſtentari ſine*

*pecunia oblatis gratis ſpiritualibus & receptione perſona liberè facta ad ſpiritualia, ſi perſona illa ſic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta conſuetudinem regionis poteſt diſponere, & ea Monaſterio conferre, tunc poteſt ab ea aliquid peti ſolum pro neceſſitate ſui victus ſine fraude, ut habeat Monaſterium unde ipſi providere poſſit: & hoc non intelligendo de exactione coactoria quod ejiciatur ſi non dederit.* Status porrò fœminæ illius in Monaſterium receptæ ut ex præfato reſponſo colligitur, talis erat quod fuerat in Monaſterium recepta & in probatione conſtituta ſub habitu regulari, ſed nondum profeſſionis vota ediderat, poſt quæ non licet regulari quidquam temporale poſſidere vel dare. Poſt tanti nominis & meriti Doctores ſupervacaneum eſt aliorum teſtimonia perquirere.

## *ALIA QVÆDAM HVIVSCE Concilij acta.*

1. NEc tantum Concilio iſto ſtabilita eſt per ſanctiſſimos Canones Eccleſiaſtica diſciplina, ſed alia quoque permulta ingentis momenti peracta ſunt. Indicta eſt enim ſacra univerſo Chriſtiano orbe adverſus Saracenos pro recuperando Jeroſolymitano regno militia, Pontificis Innocentij diplomate quod ad calcem Canonum aſſutum fuit.

2. Præterea cum anno præcedente qui fuit Chriſti 1214. celebre fuiſſet habitum in Monſpelienſi urbe Concilium ab Innocentio indictum, occaſione Albigenſium, cui præſederat Apoſtolicus Legatus Petrus Beneventanus Cardinalis, & conſederant præter alios Epiſcopos quinque Metropolitani Narbonenſis, Auxitanus, Ebredunenſis, Aquenſis, & Arelatenſis, ditio Raimundi Comitis Toloſani hæreticorū Albigenſium ducis precario conceſſa fuerat Simoni Comiti Montisfortij à quo debellati fuerant Albigenſes, inſequutum iſtud generale in Laterano Concilium eaſdem trans amnem Rhodanum terras eidem Montifortio Comiti in perpetuum tradidit Toloſam, montem Albanum, reliquamque omnem ditionem quam Monsfortius Cruce ſignatorum Dux ſuis armis Raimundo eripuerat. Uxori vero ejuſdem Raimundi & Aragonum quondam Regis ſorori quæ in Catholica fide conſtans perſtiterat, neque viri aut fratris conſilijs umquam adhæſerat, honorem haberi voluit ejuſque jura omnia cum dote ſervari. Eas vero terras quas Raimundus in Provincia poſſederat, ad quas bellum Albigenſe nullatenus pervenerat Apoſtolicæ Sedis precariæ poſſeſſioni & tutelæ reſervatæ ſunt ut de eis fieret proviſio ſupplici filio Raimundi Toloſani ſive in parte ſive in toto, ſi tamen per certa fidelitatis & bonæ converſationis indicia ſe miſericordiâ dignum poſthac exhiberet. Hæc habentur in decreto Innocentij Papæ quod Dacherius ſui Spicilegij tomo [illegible] inſeruit & narrantur in Albigenſium hiſtoria quam Petrus Vallitſarnenſis Monachus illis ipſis temporibus vivens atque in multis oculatus rerum geſtarum teſtis accuratè edidit.

3. De rebus pariter Imperij actum eſt, quod Friderico aſſertum eſt, repugnante nequicquam Ottone ut ex manuſcripto Richardi de S. Germano Chronico ediſſerit Odoricus Rainaldus.

4. Hic quoque excommunicati Anglicani proceres eorumque fautores qui Joannem Angliæ Regem regno deturbare moliebantur. Hic vero Joannes factus ex Rege diriſſimus tyrannus, omnibus vitijs mancipatus, in omnem effuſus libidinē, ſubditorumque populorum prædo & carnifex, omnes ad rebellandū contra ſeipſum concitaverat, ipſiq; Innocentio Pontifici erat inviſus: ſed rebus ſuis deſperatis ut ſaltem inducijs Cruce ſignatorum Principum potiretur, tutelamque Apoſtolicam ſibi accerſeret, Chriſtianæ militiæ adverſus Saracenos indictæ nomen dedit, ſuumque regnum, in clientelam cum annui tributi penſitatione Apoſtolicæ Sedi ſubjecit. Ea vero ex cauſa Innocentium Pontificem demeritus eſt qui non ſolum Anglos perduelles, ſed etiam Ludovicum Philippi Franciæ Regis filium qui ab Anglis invocatus Joannem bello inſectabatur ſacris omnibus & fidelium communione ſubmovit.

5. In hac etiam ſacra Synodo Innocentius Crucigerorum veterem ordinem ferè abolitum inſtauravit & privilegijs auxit quibus poſtea Innocentius Papa IV. in Concilio Lugdunenſi novam regulam præſcripſit & Religioſis Ordinis præcepit ut Crucem ſemper & ubique in manu perferrent ut fidem faciunt Philippus Bergomas ſupplementi Chronicorum l. 13. ad ann. 1215. Sabellicus Enneade 9. l. 6. & Sylveſter Marulus in hiſt. Sacra.

6. Interfuiſſe huic Concilio S. Dominicum & approbaſſe Innocent. Pontificem conſilium ſuum Prædicator. Ordinis inſtituendi narrat in ejus vita Theodoricus l. 1. c. ult. idem narrant de S. Franciſco & Ordine Minorum eodem in Concilio approbato Marianus, Angelus Clarenus, Gonzaga, Chronicon Belgicum, Jordanus de Saxonia, S. Antoninus, Vadingus alijque ab hoc producti teſtes.

7. Nihil hic aſſero de confirmato Archipræſuli Toletano Hiſpaniarum Primatu, id aſſerit Garcias Laoïſa fide nitens cujuſdam manuſcripti ex Archivis Toletanæ Eccleſiæ deſumpti: ſed illud in propria cauſa manuſcriptum teſtimonium facilè poteſt eſſe ſuſpectum ſuppoſitionis, ideoque rejectitium præſertim cum Mariana l. 12. c. 4. neget Concilium iſtud hac de re quidquam pronunciaſſe, idque duabus probatur litteris Honorij III. qui Innocentio ſucceſſit una ad Rodericum Toletanum, altera ad Bracarenſem Archiepiſcopum, ex quibus conſtat cauſam iſtam fuiſſe hactenus indeciſam. Idemque Mariana refert l. 20. c. 14. Joannem Contrerium Archiepiſcopum Toletanum primum Archiepiſcoporum illius Eccleſiæ Primatis Hiſpaniarum nomen à Martino V. obtinuiſſe an. Chr. 1423.

## *CONCILIVM TOLOSANVM anni 1228.*

1. DEbellatis Albigenſibus, Toloſa univerſaq; Ocitaniæ Provincia ſubacta, protrita hæreſi quam Raimundus Toloſatium Comes ſæpius victus armiſq; profligatus, tandem Pariſijs ejuravit ad pedes Romani Legati Apoſtolici Diaconi Cardinalis tituli S. Angeli, præſente S. Ludovico nono Franciæ Rege an. 1226. omni ſtudio tum ex parte Greg. Papæ IX. tum etiam ex parte Ludov. Regis collaboratū eſt ut proſtrata hæreſis penitus extingueretur: ipſeq; Raimundus Comes edito publicè jurejurando pollicitus eſt ſe pro ſuis viribus in hæreticos

Digitized by Google

ticos quoſcumque inquiſiturum, pœniſque ſtatutis animadverſurum, filiã vero ſuam Alfonſo Pictonũ Comiti S.Ludovici fratri cum Toloſani Comitatus dote nuptu collocavit. Pontifex interea Gregorius rogatus eſt tum à Raimundo Comite tum à Friderico Imperatore, quo cum pacem tunc temporis habebat, tum ab Rege Ludovico ut terras Venaſcenſis Comitatus quas occupabat reconciliato demum Raimundo reſtitueret. Quibus reſpondet Pontifex epiſt.24. 25. & 26. teſtem Deum ſinceri animi ſui arbitrium invocando, ſe non ea mente terram illam detinere ut ſibi jus ullum proprietatis ac dominij aſſerat, ſed hac de cauſa reſtitutionem differre, quandiu periculum ac metus ſubeſt ne dimiſſa illa terra in priſtinam hæreſim relabatur: quo periculo tranſacto ſe demum rogantibus Regibus ipſique adeò Toloſatum Comiti rem gratam facturum. Poſteriore deinde epiſt. quæ eſt 30. eidem Toloſano Comiti Raimundo per litteras & nuncios roganti reſcribit, alios eſſe qui eamdem in terram jus ſe habere prætendant, ſeque ex officio jus ſuum cuique ſervandi aſtrictum eſſe: quæ diverſorum jura nondum à ſe examinata diſcuſſurum ſe quamprimum licuerit pollicetur. Interea Comitis indefeſſum in extirpanda hæreſi ſtudium & laborem collaudat, & ad perſeverandum impensè adhortatur.

2. Is vero quem prædixi Pontificis Legatus Romanus Concilium Toloſæ ex circumjacentibus Diœceſibus indixit, eique præſedit anno 1229. cujus præcipuos pro hæreſi profliganda & pace firmius ſtabilienda Canones, hic appono.

Can.I. *Statuimus itaque ut Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſingulis Parochijs tam in civitatibus quam extra Sacerdotem unum & duos vel tres bonæ opinionis laicos vel plures ſi opus fuerit Sacramento aſtringant, qui diligenter fideliter & frequenter inquirant hæreticos in eiſdem Parochijs, domos ſingulas & cameras ſubterraneas aliqua ſuſpicione notabiles, perſcrutando, & appenſa ſeu adjuncta in yſdem tectis ædificia ſeu quæcumque alia latibula quæ omnia deſtrui præcipimus, perquirendo: & ſi quos invenerint hæreticos credentes fautores & receptatores ſeu defenſores eorum, adhibitâ cautelâ ne effugere poſſint, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, dominis locorum, ſeu bailivis eorumdem cum omni feſtinantia ſtudeant intimare, ut animadverſione debita puniantur.*

Can.II. *Hoc idem faciant Abbates exempti in locis ſuis, quæ non ſunt ordinarijs jure Diœceſano ſubjecta.*

Can.III. *Solliciti etiam ſint domini terrarum circa inquiſitionem hæreticorum in villis domibus & nemoribus faciendam: & circa hujuſmodi appenſa adjuncta ſeu ſubterranea latibula deſtruenda.*

Can.IV. *Statuimus etiam ut quicumque in terra ſua de cætero permittet ſcienter morari hæreticum, ſive propter pecuniam ſive ob aliam quamcumque cauſam, & fuerit inde confeſſus aut convictus: amittat in perpetuum terram ſuam & corpus ſuum ſit in manu domini ad faciendum inde quod debebit.*

Can.V. *Si autem de ſcientia convictus non fuerit & probata fuerit ejus negligentia diſſoluta, vel frequenter in terra ſua inveniantur hæretici, vel ſuper hoc ſit diffamatus, pœnis legitimis puniatur.*

Can.VI. *Illam autem domum in qua inventus fuerit hæreticus diruendam decernimus, & locus ipſe ſive fundus confiſcetur.*

3. Can.VII. *Bailivus vero qui ſemper eſt in terra reſidens in loco contra quem præſumitur, niſi contra hæreticos valdè ſollicitus inveniatur & diligens, bona ſua amittat & de cætero nec ibi nec alibi conſtituatur Bailivus.*

Summa hujus ratio eſt in jure fundata quia facientis culpam proculdubio habet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe eſt Rom.1. non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus participes judicantur. Et nihil prodeſt non puniri proprio, qui puniendus eſt alieno peccato c. facientis culpam diſt.86.

Can.VIII. *Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuſlibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur, ſtatuimus ne aliquis ut credens vel hæreticus puniatur, niſi per Epiſcopum loci vel aliquam perſonam Eccleſiaſticam quæ poteſtatem habeat, fuerit credens vel hæreticus judicatus.*

Can.XII. *Vniverſi tam mares quam fœminæ, maſculi à 14. anno, fœminæ à 12. abjurent omnem hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam & Catholicam Romanam Eccleſiam & fidem orthodoxam, quibuſcumque nominibus cenſeatur: jurent etiam quod fidem Catholicam quam Romana Eccleſia tenet & prædicat ſervabunt, & hæreticos pro viribus perſequentur, & eos bona fide manifeſtabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet Parochia conſcribantur, & omnes coram Epiſcopo vel coram bonis viris quibus hoc demandatum fuerit præſtent juramentum præmiſſum. Et ſi quis abſens fuerit, & poſt reditum ejus infra 15. dies idem ſacramentum non præſtiterit quod ex inſpectione nominum poterit apparere, ſuſpectus de hæreſi habeatur: hujuſmodi autem juramentum ſingulis biennijs renovetur.*

Can.XIII. *Omnes autem utriuſque ſexus poſtquam ad annos diſcretionis advenerint, confeſſionem ter in anno faciant proprio Sacerdoti, vel alij de voluntate ipſius, vel mandato injunctam pœnitentiam humiliter & pro viribus impleturi: & ter in anno in natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte, Sacramentum Euchariſtiæ cum omni reverentia ſuſcepturi, ita quod Confeſſio Communionem præcedat: niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem ad tempus ab eius participatione abſti-*

*abſtinuerint de conſilio proprij Sacerdotis. Solliciti ſint itaque Presbyteri circa iſta ut ex nominum inſpectione cognoſcant ſicut ſuperius expreſſum eſt, utrum ſint aliqui qui communicare ſubterfugiunt. Nam ſi quis à communione niſi de conſilio proprij Sacerdotis abſtinuerit, ſuſpectus de hæreſi habeatur.*

Proximum quod anteceſſerat generale ſub Innocentio III. Lateranenſe Concilium omnibus injunxerat confeſſionem & Euchariſticam communionem ſemel ſingulis annis can.21. ſed Toloſatenſe iſtud Concilium propter hæreſim ex illis locis eliminandam, ter in anno hæc fieri præcipit ne hæretici deliteſcant.

Can.XIV. *Prohibemus etiam ne libros veteris Teſtamenti aut novi laici permittantur habere, niſi fortè pſalterium, vel Breviarium pro divinis officijs, aut horas Beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit: ſed ne præmiſſos libros habeant in vulgari tranſlatos arctiſſimè inhibemus.*

Can.XV. *Statuimus etiam quod quicumque infamati fuerint de hæreſi vel ſuſpicione notati, officio medici de cætero non utantur. Cumque aliquem infirmum de manu Presbyteri ſui ſacram communionem contigerit recepiſſe, adhibeatur ei diligens cuſtodia uſque ad diem o[illegible] ſui vel convaleſcentiæ, ne hæreticus vel de hæreſi ſuſpectus ad ipſum infirmum poſſit habere acceſſum: cum ex acceſſu talium nefanda intellexerimus & enormia pluries contigiſſe.*

Can.XXXVIII. *Inhibemus etiam ut Barones, Caſtellani, milites, cives Burgenſes, ſeu etiam rurales, conjurationes, colligationes, confratrias ſeu alias quaſcumque obligationes fide ſeu juramento ſeu alia qualibet firmantia interpoſita facere non præſumant: quod ſi fecerint, Baro in centum libris currentis monetæ puniatur, Caſtellanus in ſexaginta, miles in quadraginta, civis vel Burgenſis in viginti, & rurales in centum ſolidis. Si quæ vero conjurationes vel colligationes uſque nunc factæ ſunt, eas decernimus irritas & inanes, ſtatuentes ut omnes abjurare teneantur eaſdem.*

Can.XXXIX. *Item nullus caſtrum vel villam furetur, de his quæ ab Eccleſia tenentur vel à Rege, quod ſi fecerit & bona ipſius omnia publicentur, & excommunicatus perpetuo habeatur, nec à ſententia poſſit abſolvi niſi per Dominum Papam ad Legatum de ipſius latere deſtinatum. Mittatur etiam ultra mare, ad terram propriam nullatenus reverſurus.*

Can.XL. *Item ſtatuimus quod nullus aliqua occaſione alicujus bona per vim rapiat, vel pignora, nec vaſſallum, nec rem vaſſalli pro Domino capiat. Sed ſi quis aliquid ſibi deberi credit per judices repetat. Si autem aliquis contra hoc fecerit tanquam fractor pacis habeatur, & jus quod habebat amittat. Si vero nullum jus habuerit, res pignoratas & eorum æſtimationem reſtituat: & in utroque caſu videlicet ſi jus habeat vel non habeat tantumdem Domino pro emenda perſolvat.*

Can.XLI. *Pro pace quoque melius conſervanda ſtatuimus quod caſtra non ædificentur de novo, occaſione bovariæ vel quacumque alia ratione, nec munitiones dirutæ reædificentur.*

Can.XLII. *Mulieres quoque viduæ, & mulieres hæredes nobiles quæ munitiones habent vel caſtra, inimicis fidei vel pacis ſcienter non nubant. Quod ſi fecerint, caſtra ipſa & munitiones à terrarum dominis occupentur ad hæredes tamen ipſarum legitimè reverſura.*

Can.XLIII. *Nullus omnino judex occaſione expenſarum ſeu prætextu alicujus conſuetudinis, pro juſtitia exhibenda aliquid à litigantibus exigere vel extorquere præſumat: ſed gratis omnibus juſtitia exhibeatur, poſtpoſitâ gratiâ odio vel timore.*

Can.XLIV. *Si autem aliqui pauperes ſint, aut pro paupertate advocatum habere non poſſint, det ipſis curia advocatum, ſi cauſa indiguerit advocato.*

Can.XLV. *Hæc autem ſtatuta præcipimus per Parochiales, Presbyteros Parochianis diligenter exponi quater in anno: in Dominicis videlicet diebus, quæ jejunia quatuor temporum proximè ſubſequuntur.*

## *CONCILIUM NARBONENSE anni 1235.*

1. COnſtitutis ex Ordine Prædicatorum Inquiſitoribus à Gregorio Papa IX. Concilium trium Provinciarum Narbonenſis, Arelatenſis, & Aquenſis, ejuſdem ut credere par eſt Summi Pontificis juſſu, qui tres iſtos Metropolitanos ſelegerit Petrum Amelium Narbonenſem, Joannem Arelatenſem, Raimundum Aquenſem, tametſi duo ultimi præſertim Aquenſis extra ditionem illam eſſent, quam rexerant Comites olim Toloſani; ſed major fortaſſe de his fiducia concepta fuerat ut ſingulari prudentia Inquiſitoribus fidei certas leges præſcriberent. Narbone igitur convenientes novem ſupra viginti canones procuderunt; ex quibus ſelectiores huc adducimus.

Can.VI. *Omnes vero ab hæreſi converſos faciatis culpas ſuas Clero & populo convocatis publicè confiteri & abjurare, atque jurare prout in mandatis Apoſtolicis & in ſtatutis Domini Romani plenius continentur. Niſi ubi culpæ levitas & ſcandali enormitas rigori etiam huic, quidquam oſtenderent detrahendum, & de ſingulis fiant publica inſtrumenta continentia culpas & abjurationes & promiſſiones & pœnitentias eorumdem; ne ulterius perire poſſit vel latere veritas*

Digitized by Google

*veritas diu celata, nunc autem à Domino tam mirabiliter quam miſericorditer revelata.*

Can. VII. *Illa ſemper retentione cautè adhibita ut liceat vobis, ſeu alijs inquiſitoribus, ſeu quibus Romana Eccleſia vel ille cui ex officio competit duxerit committendum, pro veſtro & illorum arbitrio ac voluntate iniunctis pœnitentijs addere vel detrahere ex cauſa rationabili quandocumque.*

Can. XI. *Et illos qui poſt abjurationem erroris ſeu purgationem deprehenſi fuerint in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſæculari judicio ſine ulla penitus audientia relinquatis, animadverſione debita puniendos: cum ſufficiat tales per falſam converſionem ſemel Eccleſiam decepiſſe: præſertim ubi tanta invaluit eorum multitudo, licet eis pœnitentibus nequaquam pœnitentia ſit neganda.*

2. Can. XXII. *Illud autem caveatis ſecundum providam ſedis Apoſtolicæ voluntatem, ne teſtium nomina verbo vel ſigno aliquo publicentur: ſed ſi inſtat contra quem fit inquiſitio dicens, fortè ſe inimicos habere, vel ſe in aliquos conſpiraſſe: inimicorum, ab eo ſeu conſpiratorum nomina & inimicitiarum ſeu conſpirationis cauſa & veritas exigantur: ut ſic & teſtibus conſulatur, & ipſis etiam convincendis.*

Quod hic ſtatuitur & infra can. 24. de teſtibus etiam criminoſis infamibus, & criminis ejuſdem participibus ac delicti ſocijs, particulare utique eſt in cauſa hæreſis, non vero in alijs quibuſlibet cauſis in quibus hujuſmodi teſtimonia jure repelluntur. l. ob carmen 5. ſi teſtes ff. de teſtibus c. in primis 2. q. 1. c. ex parte & c. veniens de teſtibus. Et ordo judiciorum exigit & naturalis ratio ſuadet, ut reus audiatur allegans cauſas ſuſpicionis contra teſtes. c. ſuſpectos 3. q. 5.

Can. XXIII. *Ad nullius vero condemnationem ſine lucidis & apertis probationibus vel confeſſione propria procedatis. Satius enim eſt facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.*

Can. XXIV. *Quamvis in hujuſmodi crimine propter ipſius enormitatem omnes criminoſi & infames & criminis etiam participes ad accuſationem & teſtimonium admittantur.*

Can. XXV. *Illis tantum exceptionibus fidem teſtium ex toto evacuantibus, quæ non ex zelo juſtitiæ ſed ex malignitatis fomite procedere videantur: ut ſunt conſpirationes & inimicitiæ capitales: alia vero crimina & ſi debilitent, non repellunt, præſertim ſi teſtes de crimine fuerint emendati.*

## *CONCILIVM TVRONENSE anni 1236.*

1. APUD Turones ſub Pontifice Gregorio IX. regnante ſancto Ludovico initum fuit ab Archiepiſcopo Juhello provinciale Concilium cujus præcipuos canones hic proferimus.

Can. II. *Quia per advocatorum vel ſcriptorum imperitiam multa ſolent in cauſis pericula evenire, ſtatuimus quod nulli recipiantur in cauſis publicis niſi per triennium iura audierint, vel ſint in cauſarum exercitio approbati.*

Can. III. *Item nulli recipiantur ſcriptores in curia niſi ſciant ſtylum curiæ, & ſtatuta ſuper quibus examinari debebunt per officiarios locorum tam advocati publici quam etiam ſcriptores,* inſcriptus eſt canon iſte de notarijs.

Can. IV. *Statuimus quod nulli ſtatuantur officiales niſi per quinquennium iura audierint, vel per cauſarum exercitium judicandi officio ſint merito approbati.*

2. Can. XIII. *Diſponant Epiſcopi in ſuis diœceſibus qualiter de novo converſi erudiantur in fide, & commodè ſuſtententur ſicut viderint expedire: ne ſub paupertatis prætextu, ad vomitum redire cogantur.*

Præclarè dicit S. Papa Gregorius in primum Pſalmum pœnitentialem, *boni medici officium eſt non ſolum ſalutem reſtituere, ſed etiam reſtitutam cuſtodiæ ſedulitate ſervare.* At Epiſcopis animarum cura incumbit, quemadmodum medicis cura corporum.

3. Can. XIV. *Iniungimus Abbatibus & prioribus ut hoſpitalitatem exhibeant ſicut decet, & maxime religioſis, qui nudi nudum ſequuti, propter Chriſtum propria dimiſerunt.*

Iſtam hoſpitalitatis virtutem impensè Abbatibus & prioribus commendat Benedictus in regula per eam Abraham & Lot Angelos excipere meruerunt à quibus Abraham naſcituri filij promiſſionem accepit. Lot vero cum ſua familia ex incendio Sodomæ liberatus ac ereptus fuit. Et hortatur Apoſtolus Hebr. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblivíſci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Duoque diſcipuli inſcij Chriſtum ipſum poſtquam reſurrexit hoſpitio & menſâ exceperunt. Pontifex etiam Gregorius Magnus reſpon. 1. ad Auguſtinum quartam bonorum Eccleſiæ portionem ſacris canonibus pro Epiſcopo aſſignatam deſtinari refert ad ejus familiæ ſuſtentationem & ad hoſpitalitatem & ſuſceptionem exterorum. Citatur vero c. mos eſt. 12. q. 2.



Digitized by Google

## CONCILIUM GENERALE *Lugdunenſe primum ſub Innocentio IV. Pontifice anno 1245. celebratum.*

1. FRIDERICI Ænobarbi Nepos, Henricique quarti Imperatoris filius, Fridericus ſecundus ex Sueviæ Principum proſapia, beneficijs ampliſſimis ab Apoſtolica ſede affectus, quem à tenera ætate parentibus orbatum, belliſque civilibus divexatum tanta charitate in ſuam tutelam ſuſceperat Innocentius III. ut ipſius operâ non modo eluſi fuerint illorum conatus, qui tum occultis conſpirationibus, tum aperta vi materno illum Regno Apuliæ Siciliæque ſpoliare nitebantur, ſed ei aditum etiam ad Imperium munierit depulſo in ejus gratiam Othone, qui quartus ejus nominis fuerat deſignatus Imperator. Ingratus porro Fridericus non tantum his beneficijs gratiam nullam rependit, ſed arma etiam quæ ex voto ad ſacra Palæſtinæ recuperanda loca conferre tenebatur, in Romanos Pontifices convertit. Graves imprimis cum Innocentij tertij ſucceſſore Honorio tertio ſimultates geſſit, quas poſtmodum adverſus Gregorium nonum proſequutus eſt, univerſamque factionibus & bellis laceravit Italiam, donec monente iſto & urgente copias in Syriam eduxit; ubi nullo commiſſo prælio Jeroſolymam à Saracenorum Calipha recepit dicis tantum cauſa & ſpecie tenus, inita cum illo turpi pactione.

2. Hinc regreſſus in occidentem complures Eccleſiæ Romanæ terras, quâ proditionibus, quâ marte aperto invadit: adeo ut majore Piceni & Latij parte occupata Romam ipſam obſidione cinxerit, & quotquot Romanorum in ejus cecidere poteſtatem vel gladio vel laqueo interemerit, omnemque Italiam hoſtilibus armis depopulatus ſit, excitata in hoc ipſum & promota ſibi adhærentium factione cui Gibellinorum nomen inditum: qui vero in antiquo Romanæ ſedis obſequio perſeverabant nomen habuere Guelforum. Primas belli molitiones & impetus Fridericus excitatis ſibi addictorum partibus eſt exorſus, reliquos vero qui juſta legitimaque ſubjectione Pontificis partes tuebantur ad propulſandam injuriam aggreſſionem compulit. Indeque innumeræ cædes, direptiones, captivitates, incendia, omneſque hoſtiles & barbaricæ immanitates totâ Italiâ graſſabantur.

3. His aliæ diriſſimæ in alijs Chriſtianis Provincijs ſtrages & calamitates accedebant. Saracenorum armis quibuſcum Fridericus fœdus & amicitiam contraxerat, Orientem ſimul & Occidentem infeſtantibus. Imminebant præterea extremæ Conſtantinopolitano Imperio clades, cujus tunc Latini vix reliquias tuebantur; conſpirantibus adverſum eos Græcis finitimiſque barbaris, nulla humani ſubſidij ſpe affulgente, propter bella quibus occidentem Fridericus diſtinebat. Alter malorum cumulus iiſdem temporibus Chriſtianæ reipublicæ funeſtus incubuit. Gens enim Tartarorum direptâ primum utraque Armeniâ, deinde vaſtatis quæ inter Maria Caſpium & Euxinum interjacent Provincijs Georgianorum & Mengrelinorum, veterem Iberiam & Cholcon incolentium, Moſcoviam, Poloniam, Tranſylvaniam, Hungariam, cædibus & incendijs populata eſt Battone Duce, circa annum 1241.

4. Angebat ſimul optimi Pontificis animum collapſa Eccleſiæ diſciplina morumque perverſitas in graviora quotidie vitia dilabentium, ſive clerum, ſive reliquum Chriſtianum populum inſpiceres. Cui malo cauſam dederant diutina bella, factiones, & ſchiſmata renaſcentia. Cura iſta Pontificem ſollicitabat ut Eccleſiæ tranquillitatem, & priſtinum qui propemodum obſoleverat dignitatis ſplendorem recuperaret. His de cauſis, jam dudum Gregorius nonus qui præceſſerat, Concilium generale Romæ indixerat. Eo cum plurimi ex Gallijs & Hiſpanijs Antiſtites Genuenſium triremibus vecti properarent, in Friderici Claſſem inciderunt quam ductabat ejus ex concubina filius Encius quem pater Sardiniæ Regem inauguraverat; cui ſuas quoque Maritimas vires Piſana civitas adjunxerat. Et cum Encius in Apuliam ad patrem miſiſſet inquirens quid de captiva illa Prælatorum turba, in qua tres erant Cardinales Legati, fieri juberet, ille hac proſperitate inſolens hoc diſticho ad filium reſcripſit.

> Omnes prælati Papa mandante vocati,
> Et tres Legati, veniant huc uſque ligati.

Eoſque ad ſe adductos Fridericus in diverſos per Apuliam carceres diſtribuit. Eam cladem & calamitatem ſic ægrè tulit Pontifex Gregorius, ut ex animi mœrore intra paucos dies extinctus ſit. Huic ſublectus Cœleſtinus quartus paucis diebus ſuperſtes vita exceſſit.

5. Cæleſtinum excepit Innocentius quartus Sinibaldus antea vocatus, patriâ Genuenſis, ex illuſtri Fliſcorum gente Comitum Lavaniæ. Iſte Friderico ſtatim æquiſſimas pacis conditiones obtulit: At ille qui nec cum infidelibus bellum gerere, neque cum fidelibus pacem colere ſciebat, omnibus deſpectis conditionibus precibuſque & admonitionibus rejectis, majori etiam furore exarſit. Tum demum Innocentius ut luctuoſis Eccleſiæ ruinis occurreret, cum nihil per Italiam bellorum tempeſtatibus undique jactatam tutum eſſet, clam in Galliam ubi ſanctus regnabat Ludovicus ſe recepit, Conciliumque generale Lugduni indixit: quo citatus ad cauſam dicendam Fridericus reus ire renuit. Legatos verò miſit in quibus præminebat Thadæus vir induſtrius qui audacter in Concilio Friderici cauſam propugnavit.

6. Præſedit ſummus Pontifex eique ad dexteram aſſedit Conſtantinopolitanus Imperator, ad ſiniſtram verò alij Principes laici. Interfuere tres Patriarchæ Conſtantinopolitanus, Antiochenſis, & Aquileienſis quamvis cum hoc tertio reliqui duo hujus conſeſſus ordinem initio acriter diſputaſſent, ejuſque ſedem disjeciſſent, quia non erat de priſcis quatuor Patriarchis.

7. Friderici cauſâ ſedulò exploratâ Innocentius de Synodi ſententia ipſum damnatum Imperio, Regnique Apuliæ Siciliæque dignitate ſpoliavit. Tum Germania univerſa à Friderico defecit. Novus exinde creatus eſt Imperator Henricus Thuringiæ & Haſſiæ Langravius. Iſtoque poſt biennium mortuo, Vuilielmus Hollandiæ Comes. Longobardi in Fridericum rebellant ipſumque acie victum in fugam vertunt. Ille profugus in Apuliam conceſſit, & lecto per ægritudinem decumbens, à Manfredo filio illegitimo qui theſauro patris Regnoque Siciliæ inhiabat ſuffocatus eſt,

Digitized by Google

eſt, admoto ejus ori pulvinari ut referunt Martinus Polonus, Villanius, Ricordanus, S. Antoninus alijque : mors ejus anno contigit 1250.

8. Hujuſce Concilij decreta quotquot à Bonifacio Papa VIII. in librum decretalium ſextum compilata ſunt juxta ordinem quem eodem in libro ſub diverſis titulis habent placet hæc referre: quin etiam omiſſiones ſupplere quæ Binij collectoris optimè de Eccleſia meriti diligentiam effugerunt.

*Cum in multis juris articulis infinitas reprobetur, providè duximus ſtatuendum ut per illam generalem clauſulam, quidam alij, quæ frequenter in litteris noſtris inſeritur, ultra tres vel quatuor in judicium non trahantur, quorum nomina in primo citatorio exprimat Imperatori, ne locus fraudi forſitan relinquatur, ſi circa ea poſſit liberè variare.* c. cum in multis de reſcriptis in 6.

*Perpetuo prohibemus edicto ne ſub aliqua ex his formis quas pernicioſa curioſitas adinvenit: eligo poſtulando, & poſtulo eligendo: aut eligo poſtulandum, aut poſtulo eligendum: cum nec vera electio nec vera poſtulatio reſultet ex ipſis, quin ſibi potius adverſentur invicem, ad faciendas electiones vel poſtulationes, de cætero procedatur: ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum decernentes. Sub ea etiam forma eligo & poſtulo prout poteſt melius, de jure valere (cum incertitudinem contineat) quemquam poſtulari vel eligi prohibemus; ſtatuentes quod contra factum fuerit, viribus omnino carere, niſi quando probabiliter dubitatur utrum quis ſit eligendus vel potius poſtulandus, &c.* c. 1. de poſtulatio. præla. in 6.

Sciendum electionem eſſe juris ordinarij & communis, poſtulationem vero extraordinarij, cum petat ſuperioris diſpenſationem ad promovendum eum qui ob aliquod juris impedimentum eligi vetatur.

*Diſpendia litium æquitatis compendio volentes quâ poſſumus induſtriâ coarctare, ſtatutum felicis recordationis Gregorij Papæ noni prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editum ampliantes, decrevimus ut ſi quis contra alium plures perſonales movere voluerit actiones, non ad diverſos judices, ſed ad eoſdem ſuper hujuſmodi quæſtionibus omnibus litteras ſtudeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit omni commodo careat litterarum; nec proceſſus habitus valeat per eaſdem: reo ſi eum per ipſas citaverit vel fatigaverit in expenſis legitimis condemnandus. Reus quoque ſi eodem judicio durante actorem ſibi obnoxium dixerit, reconventionis beneficio vel conventionis (ſi contra eum litteras impetrare maluerit) de jure ſuo debet apud eoſdem judices experiri, niſi eos ut ſuſpectos poterit recuſare, ſimili pœna ſi contra hoc fecerit puniendus.* c. diſpendia. de reſcrip.

*Statuimus ut ſi quis electionem, poſtulationem, vel proviſionem factam impugnat in formam objiciens aliquid vel perſonam, & propter hoc ad nos appellari contigerit, tam is qui opponit quam qui defendit & generaliter omnes quorum intereſt & quos cauſa contingit, per ſe vel per procuratores ad cauſam inſtructos ad ſedem Apoſtolicam à die objectionis iter arripiant infra menſem. Sed ſi pars alia non venerit intra viginti dies, poſt adventum alterius expectata: in electionis negotio non obſtante cujuſquam abſentia, ſicut de jure fuerit procedatur. Hæc autem in dignitatibus, perſonatibus, & Canonijs obſervari volumus & mandamus. Adjicientes ut qui plene non probaverit quod in formam opponit, ad expenſas quas propter hoc pars altera ſe feciſſe docuerit condemnetur. Qui vero in probatione defecerit ejus quod objicit in perſonam, à beneficijs Eccleſiaſticis triennio ſe noverit ſuſpenſum: ad quæ ſi infra illud tempus propria temeritate ſe ingeſſerit, eis ipſo jure perpetuò ſit privatus, nullam ſuper hoc de miſericordia ſpem aut fiduciam habiturus: niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis quod ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excuſaret.* c. 1. de electio. in 6.

*In electionibus & poſtulationibus ac ſcrutinijs ex quibus jus oritur eligendi vota conditionalia alternativa vel incerta penitus reprobamus. Statuentes ut hujuſmodi votis pro non adjectis habitis ex puris conſenſibus celebretur electio, voce illorum qui non purè conſenſerint ea vice, in alios recidente.*

C. in electionibus eod. tit. id conformatur regulæ generali. *Actus legitimi non recipiunt conditionem neque diem* c. actus legitimi. de regu. jur. in 6. & l. actus legitimi ff. eodem.

*Statuimus ut conſervatores quos plerumque concedimus à manifeſtis injurijs & violentijs defendere poſſint, quos eis committimus defendendos: nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt ſuam poſſint extendere poteſtatem.* c. 1. de offic & poteſt. jud. deleg.

*Officij noſtri debitum remedijs invigilat ſubditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum ſcandala removemus, nos in eorum quiete quieſcimus & fovemur in pace. Proinde præſenti decreto ſtatuimus ut Romanæ Eccleſiæ legati quantumcumque plenam legationem obtineant, ſive à nobis miſſi fuerint, ſive ſuarum prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vendicent dignitatem: ex ipſius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant poteſtatem: niſi hoc alicui ſpecialiter duxerimus indulgendum, quod in fratribus noſtris legatione fungentibus nolumus obſervari: quia ſicut honoris prærogativâ lætantur, ſic eos authoritate fungi volumus ampliori.* c. 1. de offic. leg. in 6.

*Prohibemus*

Digitized by Google

*Prohibemus quoque ne Remenſis Archiepiſcopus in diœceſibus ſuffraganeorum ſuorum foraneos officiales conſtituat, quia cum Metropolitanis, ne ſuorum ſuffraganeorum ingrediantur Diœceſes ut in eis authoritate propria judicent, diſponant, aliquidve aliud agant canonica prohibeant inſtituta; nequaquam hoc poſſunt in illis per alios exercere. Nec pro eo quod poſſunt cauſas per appellationem delatas ad ipſos poſſunt in ſuffraganeorum ſuorum diœceſibus delegare, ſimiliter eis licet tales officiales inſtituere in eiſdem qui eorum vice, cum appellatur ad ipſos, citationes vel inhibitiones faciant, ſeu compeſcant in hac parte rebelles. Quia in cauſis per appellationem devolutis ad ipſos jam juriſdictionem obtinere noſcuntur, propter quod licitè poſſunt ſuper illis committere vices ſuas. Non ſic autem in aliis in quibus nondum extitit appellatum: & idcircò non debent aliquos conſtituere in citationibus pro futuris cauſis appellationum & inhibitionibus faciendis, niſi aliud Remenſis Eccleſia circa talium officialium inſtitutionem, de conſuetudine obtineat ſpeciali, à quibus etiamſi de conſuetudine hujuſmodi poſſint in Remenſi provincia conſtitui, inhibitione tamen ne procedatur in cauſis priuſquam ad Remenſem curiam appelletur, fieri penitus interdicimus & inhibemus. Officiales autem Remenſis Archiepiſcopi quandiu in ſua Provincia vel circa illam extiterit, in ſuffraganeos interdicti vel ſuſpenſionis vel excommunicationis proferre ſententias non attentent. Et hoc idem ab officialibus cæterorum Metropolitanorum circa ipſorum ſuffraganeos (quibus ob reverentiam Pontificalis officii deferri volumus,) in hac parte præcipimus obſervari.* c. 1. de offic. ordinar. in 6.

*Iuris eſſe ambiguum non videtur judicem delegatum qui à Sede Apoſtolica mandatum ad hoc non acceperit ſpeciale, jubere non poſſe alterutram partium coram ſe perſonaliter in judicio comparere, niſi cauſa fuerit criminalis, vel niſi pro veritate dicenda vel pro juramento calumniæ faciendo, vel alias juris neceſſitas partes coram eo exegerit, perſonaliter comparere.* c. 1. de judiciis.

*Exceptionis peremptoriæ ſeu defenſionis cujuſlibet principalis cognitionem negotii contingentis ante litis conteſtationem objectus niſi de re judicata tranſacta ſive finita excipiat litigator, litis conteſtationem non impediat, nec retardet. Licet dicat objector quod reſcriptum non fuiſſet obtentum, ſi quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.* c. 1. de litis conteſ. in 6.

*Actor qui ad terminum venire ad quem citari adverſarium fecerat non curavit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitimè condemnetur: ad citationem aliam minimè admittendus, niſi ſufficienter caverit quod in termino fideliter debeat comparere.* c. 1. de dolo & contuma. in 6.

*Eum qui ſuper dignitate, perſonatu, vel beneficio Eccleſiaſtico obtinendis cum aliquo litigat poſſeſſore, ob partis adverſæ contumaciam cauſa rei ſervandæ in ipſorum poſſeſſionem ſtatuimus non mittendum, ne per hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus. Sed liceat in hoc caſu contumaciis abſentiam divina replente præſentia etiam lite non conteſtata, diligenter examinato negotio ipſum ſine debito terminare.* c. 1. de eo qui mittit in poſſeſſionem cau. rei ſerv. in 6.

*Statuimus ut poſitiones negativas quæ probari non poſſunt niſi per confeſſionem adverſarii judices admittere poſſint, ſi æquitate ſuadente viderint expedire.* c. 1. de confeſſis in 6.

*Romana Eccleſia & infra in appellationis cauſa is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in teſtem: neque indiſtinctè ipſi appellanti (præſumptione faciente pro eo) deferatur etiam juramentum, ſed tunc cum inſpectis perſonarum & ipſius cauſæ circumſtantiis id fuerit faciendum.* c. Romana de teſt in 6.

*Pia conſideratione ſtatuit mater Eccleſia quod majoris excommunicationis exceptio in quacumque parte judiciorum oppoſita lites differat, & repellat agentes, ut ex hoc magis cenſura Eccleſiaſtica timeatur, communionis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur, excommunicati dum à communibus actibus excluduntur rubore ſuffuſi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur. Sed hominum ſuccreſcente malitiâ quod proviſum eſt ad remedium tendit ad noxam. Dum enim in cauſis Eccleſiaſticis frequenter hæc exceptio per malitiam opponitur, contingit interdum differri negotia & partes fatigari laboribus & expenſis, proinde quia morbus iſte quaſi communis irrepſit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponit ſpeciem illius & nomen excommunicatoris exprimat, ſciturus eam rem ſe differre debere in publicam notionem quam infra octo dierum ſpacium (die in quo opponitur minimè computato) probare valeat apertiſſimis documentis. Quod ſi non probaverit, judex in cauſa procedere non omittat rerum in expenſis quas actor ob hoc diebus illis ſe feciſſe docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero poſtmodum inſtantia durante, iudicii & probationis copia ſuccedente, de eadem excommunicatione vel alia excipiatur, iterum & probetur: actor in ſequentibus excludatur, donec meruerit abſolutionis gratiam obtinere. His quæ præceſſerunt nihilominus in ſuo robore duraturis. Proviſo quod ultra duas vices hæc non opponatur exceptio, præterquam*

Digitized by Google

*terquam ſi excommunicatio nova emerſerit, vel evidens & prompta probatio ſupervenerit de antiqua. Sed ſi poſt rem judicatam talis exceptio proponatur, executionem impediet; ſed ſententia quæ præceſſit non minus robur debitum obtinebit. Eo tamen ſalvo ut ſi actor excommunicatus ſit publicè & hoc judex noverit, quandocumque (etſi de hoc reus non excipiat) judex ex officio actorem repellere non poſtponat.* C. 1. de exemptionibus in 6.

*Frequens & aſſidua nos querela circumſtrepit, quod ſpoliationis exceptio nonnumquam in judicijs calumnioſè propoſita, cauſas Eccleſiaſticas impedit & perturbat. Dum enim exceptioni inſiſtitur appellationes interponi contingit, & ſic intermittitur & plerumque perimitur cauſæ cognitio principalis: & propterea nos qui voluntarios labores appetimus ut quietem alijs præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputare, ſtatuimus ut in civilibus negotijs ſpoliationis objectu quæ ab alio quam ab actore, facta proponitur, judex in principali procedere non poſtponat: ſed ſi in civilibus ab actore, in criminalibus autem ſe ſpoliatum reus aſſerat à quocumque infrà quindecim dierum ſpatium (poſt diem in quo proponitur) quod aſſerit comprobabit. Alioquin in expenſis quas interim actor ob hoc fecerit judiciali taxatione præhabita condemnetur, aliàs ſi judici æquum viſum fuerit puniendus. Illum autem ſpoliatum intelligi volumus in hoc caſu cum criminaliter accuſatur qui totâ ſuâ ſubſtantiâ vel majori parte ipſius, ſe per violentiam deſtitutum affirmat: & ſecundum hoc loqui Canones ſano credendum eſt intellectu, quia nec nudi contendere nec inermes inimicis opponere nos debemus. Habet enim ſpoliatus privilegium ut non poſſit exui jam nudatus. Solet autem inter Scholaſticos dubitari ſi ſpoliatus à tertio de ſpoliatione contra ſuum accuſatorem excipiat, an ei tempus à judice debeat indulgeri infra quod reſtitutionem imploret: ne fortè ſic velit exiſtere ut omnem accuſationem eludat, quod ſatis æquitati & juri conſonum æſtimamus. Quod ſi infra tempus indultum reſtitutionem non petierit & cauſam cum potuerit non ducat ad finem, non obſtante ſpoliationis exceptione poterit accuſari.* C. 1. de reſtitutione ſpoliatorum in 6.

*Cum æterni tribunal judicis illum reum non habeat quem injuſtè judex condemnat, teſtante Propheta nec damnabit eum cum judicabitur illi, caveant Eccleſiaſtici judices & prudenter attendant ut in cauſarum proceſſibus nihil vendicet odium aut favor uſurpet; timor exulet, præmium aut expectatio præmij juſtitiam non evertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententijs & ferendis præ oculis habeant ſolum Deum, illius imitantes exemplum qui querelas populi Tabernaculum ingreſſus ad Dominum deferebat; ut ſecundum ejus Imperium judicaret. Si quis autem judex Eccleſiaſticus ordinarius aut etiam delegatus famæ ſuæ prodigus & proprij perſecutor honoris, contra conſcientiam & contra juſtitiam in gravamen partis alterius in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per ſordes ab executione officij per annum noverit ſe ſuſpenſum, ad æſtimationem litis parti quam læſerit nihilominus condemnandus, ſciturus quod ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe divinis, irregularitatis laqueo ſe involvet, ſecundum Canonicas ſanctiones à qua non niſi per Summum Pontificem poterit liberari. Salvis alijs conſtitutionibus quæ judicibus malè judicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Dignum eſt enim ut qui in tot præſumit offendere, pœna multiplici caſtigetur.* C. 1. de ſent. & re jud. in 6.

*Ad Apoſtolicæ dignitatis & infrà ſanè cum dura guerrarum commotio nonnullas Chriſtianæ profeſſionis Provincias diutius afflixiſſet, nos ad Fridericum præcipuum Principem ſæcularem hujuſmodi diſſenſionis & tribulationis authorem à felicis recordationis Papa prædeceſſore noſtro pro ſuis exceſſibus anathematis vinculo innodatum, ſpeciales nuncios & magnæ authoritatis viros videlicet venerabiles Fratres P. Albanenſem & H. Sabinenſem Epiſcopos, ac dilectum filium Guilielmum Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem qui ſalutem zelabantur ipſius, duximus deſtinandos, facientes ſibi proponi per ipſos quod nos & fratres noſtri quantum in nobis erat, pacem per omnia ſecum habere, nec non cum omnibus hominibus optamus, parati ſibi pacem & tranquillitatem dare ac mundo etiam univerſo. Et quia Prælatorum Clericorum omniumque aliorum quos detinebat captivos & omnium captivorum tam Clericorum quam Laicorum quos ceperat in galeis reſtitutio poterat eſſe pacis plurimum inductiva, eum ut illos reſtitueret cum hoc idem tam ipſe quam ſui nuncij, antequam ad Apoſtolatus vocati eſſemus officium promiſiſſent, rogari ac peti fecimus ab ipſo per eoſdem, ac proponi inſuper quod ijdem parati erant pro nobis audire & tractare pacem, ac etiam audire ſatisfactionem quam facere Princeps vellet de omnibus pro quibus erat vinculo excommunicationis aſtrictus. Et offerre præterea quod ſi Eccleſia eum in aliquo contra debitum læſerat (quod non credebat) parata erat corrigere ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe quod in nullo contra juſtitiam læſerat Eccleſiam, nec quod nos ipſum contra juſtitiam læſiſſemus,*



Digitized by Google

*parati eramus vocare reges & prælatos & principes tam Eccleſiaſticos quam ſæculares ad aliquem tutum locum, ubi per ſe vel ſolemnes nuncios convenirent. Eratque parata Eccleſia de conſilio Concilij ſibi ſatisfacere ſi eum læſiſſet in aliquo, ac revocare ſententiam ſi quam contra ipſum injuſte tuliſſet & cum omni manſuetudine & miſericordia quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat recipere de injurijs & offenſis ipſi Eccleſiæ ſuiſque per eum irrogatis ſatisfactionē ab eo volebat. Et omnes amicos ſuos ſibique adhærentes in pace ponere plenaque ſecuritate gaudere, ut numquam hac occaſione poſſent aliquod ſubire diſcrimen. Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum inſiſtere curaremus lenitate, ijdem tamen Pharaonis imitatus duritiam & obturans more aſpidis aures ſuas, preces hujuſmodi & monita elata obſtinatione ac obſtinata elatione deſpexit. Propter quod non valentes abſque gravi offenſa Chriſti ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conſcientia juſte animadvertere in eumdem. Et ut ad præſens de multis alijs ejus ſceleribus taceamus, quatuor graviſſima quæ nulla poſſunt tergiverſatione celari commiſit. Dejeravit enim multoties pacem quondam inter Eccleſiam & imperium reformatam temerè violando, &c. Perpetravit ſacrilegium capi faciens Cardinales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac aliarum Eccleſiarum Prælatos, & clericos religioſos & ſæculares, venientes ad Concilium, quod idem prædeceſſor noſter duxerat convocandum, &c. De hæreſi quoque non dubijs & levibus, ſed evidentibus argumentis ſuſpectus habetur, &c. Præter hæc Regnum Siciliæ quod eſt ſpeciale patrimonium Principis Apoſtolorum, & quod idem ab Apoſtolica ſede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem ſervitutemque redegit, quod eis penè nihil habentibus, & omnibus exinde ferè probis ejectis, illos qui remanſerunt ibidem ſub ſervili quaſi conditione vivere atque Romanam Eccleſiam, cujus ſunt principaliter homines & vaſſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter impugnare compellit. Poſſet etiam meritò reprehendi quod mille quidem furtorum & annuam penſionem in qua pro eodem regno ipſi Eccleſiæ Romanæ tenetur per novem annos & amplius ſolvere prætermiſit. Nos itaque ſuper præmiſſis & quam pluribus alijs ejus nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in B. Petri perſona ſit dictum quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, memoratum principem qui ſe Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates adeò ne regnet & imperet eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis & abjectum omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus denunciamus & nihilominus ſententiando privamus: omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur aſtricti, à juramento hujuſmodi perpetuo abſoluentes: authoritate Apoſtolica firmiter inhibendo ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori vel Regi pareat & intendat. Decernendo quoſlibet qui ei deinceps ut Regi vel Imperatori conſilium vel auxilium præſtiterint ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio eligant liberè ſucceſſorem. De præfato Siciliæ Regno eligere curabimus cum eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut videbimus expedire* C. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re jud. in 6.

*Cordi nobis eſt lites minuere & à laboribus relevare ſubjectos, ſancimus igitur ut ſi quis in judicio vel extra ſuper interlocutoria vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat Apoſtolos quos ei præcipimus exhiberi: in quibus appellationis cauſam exprimat, & cur appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi forſan ex ſuperioris reverentia ſit delatum. Poſt hoc appellaturi ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum & negotij qualitatem, tempore proſecutionis indulto, ſi voluerit appellatus & petierit, principales perſonas per ſe vel procuratores inſtructos cum mandatis ad agendum & cum rationibus & munimentis ad cauſam ſpectantibus, accedant ad ſedem Apoſtolicam ſic parati ut (ſi nobis viſum fuerit expedire) finito appellationis articulo vel de partium voluntate omiſſo, procedant in negotio principali quantum de jure poterit & debebit, his quæ in appellationibus à definitivis ſententijs interpoſitis antiquitas ſtatuit non mutatis. Quod ſi appellator quæ præmiſſa ſunt non obſervet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen in expenſis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempſerit hoc ſtatutum in eum tanquam contumacem tam in expenſis quam in cauſa (quantum à jure permittitur) procedatur. Iuſtum eſt equidem ut in eum jura inſurgunt, qui jus & judicem & partem eludit.* C. 1. de appellatio. in 6.

*Legitimâ ſuſpicionis cauſâ contra judicem aſſignatâ, & arbitris à partibus ſecundum formam juris electis qui de ipſa cognoſcant, ſæpè contingit quod ipſis in idem convenire nolentibus nec tertium advocantibus, cum quo ambo vel alter eorum procedat ad deciſionem ipſius negotij, ut tenentur, judex proferat excommunicationis ſententiam contra ipſos, quam ipſi tum propter odium tum propter favorem partium diutius vilipendunt. Quare cauſâ ipſâ plus debito*

Digitized by Google

*debito prorogatâ, non proceditur ad cognitionem negotij principalis. Volentes igitur morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, ſtatuimus ut ipſis arbitris per judicem competens terminus præfigatur; infra quem in idem conveniant vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo vel alter eorum ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent. Alioquin judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.* C. legitima eod. tit.

9. *Pro humani redemptione generis de ſummis cœlorum ad ima mundi deſcendens, & mortem tandem ſubiens temporalem Dei filius Ieſus Chriſtus, ne gregem ſui pretio ſanguinis glorioſi redemptum aſcenſurus poſt reſurrectionem ad patrem abſque paſtore deſereret, ipſius curam beato Petro Apoſtolo (ut ſuæ ſtabilitate fidei cæteros in Chriſtiana religione firmaret, eorumque mentes ad ſalutis opera ſuæ accenderet devotionis ardore) commiſit, unde nos ejuſdem Apoſtoli effecti diſponente Domino (licet immeriti) ſucceſſores & ipſius redemptoris locum in terris, quamquam indignè tenentes, circa gregis ejuſdem cuſtodiam ſollicitis excitati vigilijs, & animarum ſaluti jugis attentione cogitationis intendere, ſummovendo noxia & agendo profutura debemus. Vt excuſſo à nobis negligentiæ ſomno, noſtrique cordis oculis diligentiâ ſedulâ vigilantibus, animas Deo lucrifacere ſua nobis cooperante gratia valeamus. Cum igitur illi qui ſic horrenda inhumanitate deteſtandaque ſævitia mortem ſitiunt aliorum, ut ipſos faciant per aſſaſſinos occidi, non ſolum corporum ſed etiam mortem procurent animarum, niſi eos exuberans gratia divina prævenerit, ut ſint armis ſpiritualibus præmuniti, ac omnis poteſtas tribuatur à Domino ad juſtitiam rectumque judicium exercendum, nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præſumptiones Eccleſiaſticæ animadverſionis mucrone ferire, ut metus pœnæ meta hujuſmodi præſumptionis exiſtat, præſertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes coacti fuerint ſecuritatem ab eorumdem aſſaſſinorum Domino impetrare, ſicque ab eo non abſque Chriſtianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam ſuam, ſacri approbatione Concilij ſtatuimus ut quicumque Princeps, Prælatus ſeu quævis alia Eccleſiaſtica ſæcularisve perſona quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) aut eos receptaverit vel defenderit ſeu occultaverit, excommunicationis & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat ſententias ipſo facto, & illa alijs liberè per illos ad quos eorum collatio pertinet conferantur. Sit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus tanquam Chriſtianæ religionis æmulus à toto Chriſtiano populo diffidatus perpetuo. Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis vel depoſitionis ſeu diffidationis adverſus eum ſententia requiratur.* C. 1. de homicid. in 6.

Mirum eſt tantam fuiſſe illius ſæculi in loquendo barbariem, ut quæ tribus quatuorve lineolis exprimi perſpicuè ac eleganter poterant, longiſſimis & perplexis multiloquiorum ambagibus & interjectis inutilibus frequentibus & intricatis parentheſium multiplicium anfractibus, ad ultimam uſque nauſeam exprimere affectarent, etiam eminentes dignitate perſonæ, ut ex ejus Concilij conſtitutionibus liquido conſtat. Quæ etiam in originali plerumque prolixiores ſunt quam in compilatione canonica Pontificis Bonifacij quam ſequi prælegi.

*Volentes libertatem quam nonnullis Apoſtolica ſedes privilegio exemptionis indulſit ſic integram obſervari, ut & illam alij non infringant & ipſi limites ejus non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque ſic exempti gaudeat libertate, nihilominus tamē ratione delicti ſive contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur ritè poſſunt coram locorum ordinarijs conveniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem prout jus exigit exercere. Numquid ergo caret omnino in his commodo libertatis? Non utique quia nec coram ordinarijs ipſis dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res religioſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu locorum diœceſani (ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis ut illic reſpondeant injungendi aliquam habent poteſtatem: ſaluis nihilominus caſibus alijs in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos quibus, ut non niſi ſub uno certo judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt conceſſum. In eos autem quibus ne interdici ſuſpendi vel excommunicari à quoquam valeant à ſede Apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt religioſi quamplures in quorum privilegijs continetur ne quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachos pro ulla cauſa ullove loco interdicere, ſuſpendere vel excommunicare præſumat: ijdem ordinarij juriſdictionem ſuam quantum ad iſta ubicumque illi fuerint penitus exercere non poſſunt. Niſi forſan ipſi monachi ad monaſteriorum ſuorum prioratûs ordinarijs eiſdem ſubjectos (ut vel gerāt eorum regimen, vel in eis tanquam proprij ipſorum locorum Monachi redeant) fuerint deſtinati: tunc enim illi liberè poſſint ad eadem monaſteria revocare, ac tam illorum quam ipſorum prioratuum Monachi reputentur (cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere Monachicum) unum alteri ſubeſſe*

*Monaſterio vel ab ipſo noſcitur dependere : ratione tamen eorumdem Prioratuum, dicti ordinarij ſua juriſdictione, in ipſis etiam quoad præmiſſa quandiu morantur in illis, licitè uti poſſunt.*

C. 1. de privilegijs in 6. vide infra Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. de refor. c. 14. ubi hæc decretalis innovatur.

10. *Cum de diverſis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apoſtolicam quaſi matrem, nos ad communem tam ipſorum quam aliorum omnium commodum & profectum paterna ſollicitudine intendentes, ut ſit illis mora hujuſmodi fructuoſa providimus quod ibidem regatur & vigeat iuris divini ſtudium & humani, Canonici videlicet & Civilis. Vnde volumus & ſtatuimus ut ſtudentes in Scholis ipſis penes ſedem eamdem, talibus privilegijs omnino libertatibus & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent ſtudentes in ſcholis ubi generale regitur ſtudium, ac recipiant integrè proventus ſuos Eccleſiaſticos, ſicut illi.* C. eumdem diverſis de privileg. in 6.

Honorius Papa III. c. fin. de Magiſtris eos qui propter ſtudium Theologiæ abſunt à propria Eccleſia tametſi non reſideant, decernit per ſtudij quinquennium percipere beneficiorum proventus. Præterea ut uberior doctrinæ Seges ac proventus percipiatur ex linguarum cognitione, ſancitum eſt in Concil. Viennenſi cui præſedit Clem. Papa V. ut in celeberrimis univerſitatibus quales deſignat Romanam, Bononienſem, Pariſienſem, Oxonienſ. & Salamanticenſem erigantur Scholæ in quibus à peritis profeſſoribus aſſignatis convenientibus ſtipendijs doceantur linguæ Hebraica, Chaldaica & Arabica, duobus electis uniuſcujuſque harum Linguarum peritis, qui & publicè quoſvis accedentes doceant & harum linguarum libros in Latinum fideliter transferant.

*Romana Eccleſia & infra. Quæſtoribus autem fabricæ Eccleſiæ Rhemenſis Archiepiſcopus ſeu Officiales ejus citandi ſuffraganeorum ipſius Eccleſiæ ſubditos (quos ijdem quæſtores ſibi reſiſtere aut nolle parere dixerint) ut ſuper hoc compareant coram ipſis nequaquam tribuant poteſtatem. Super benigna vero ipſorum receptione ac ſubventione ipſi fabricæ facienda poſſunt eoſdem ſuffraganeos & alios Chriſti fideles Rhemenſis Eccleſiæ charitativè monere. In concedendis quoque indulgentijs non excedat Rhemenſis Archiepiſcopus ſtatutum Concilij generalis.*

Id ſtatutum videri poteſt ſupra in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 62. c. 1. de pœnit. & remiſ. in 6.

*Cum medicinalis ſit excommunicatio non mortalis; diſciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat, cautè prævideat judex Eccleſiaſticus ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis fuerit & medentis. Quiſquis igitur excommunicat excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſsè conſcribat propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero ejuſmodi Scripturæ teneatur excommunicato tradere intra menſem ſi fuerit requiſitus: ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel litteras teſtimoniales confici ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem judicum hujuſmodi conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis Officijs noverit ſe ſuſpenſum. Superior vero ad quem recurritur ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expenſas & omne intereſſe condemnet, & aliàs puniat animadverſione condigna, ut pœna docente diſcant judices quam grave ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in ſuſpenſionis & interdicti ſententijs volumus obſervari. Caveant autem Eccleſiarum Prælati & judices univerſi ne prædictam pœnam ſuſpenſionis incurrant: quoniam ſi contingeret ſic ſuſpenſos divina officia exequi ſicut prius irregularitatem non effugiunt, juxta Canonicas ſanctiones ſuper qua non niſi per Summum Pontificem poterit diſpenſari.* C. 1. de ſent. excom. in 6.

*Solet à nonnullis in dubium revocari an cum aliquis per ſuperiorem abſolvi poſtulat ad cautelam dum in ſe latam excommunicationis ſententiam aſſerit eſſe nullam, ſine contradictionis obſtaculo munus ei abſolutionis debeat impendi. Et an ante abſolutionem hujuſmodi is qui ſe offert in judicio probaturum ſe poſt appellationem legitimam excommunicatione innodatum, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum, ſit in cæteris (excepto probationis illius articulo) evitandus? in prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſervandum ut petenti abſolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator ſeu adverſarius ſe opponat niſi eum excommunicatum pro manifeſta dicat offenſa: in quo caſu terminus octo dierum indulgebitur ſic dicenti ut ſi probaverit quod opponit, non relaxetur ſententia niſi prius ſufficiens præſtetur emenda vel competens cautio de parendo juri, ſi offenſa dubia proponatur. In ſecunda vero quæſtione ſtatuimus ut is qui ad probandum admittitur pendente probationis articulo in cæteris quæ ut actor in judicijs attentaverit interim evitetur. Extra judicium vero in officijs, poſtulationibus & electionibus, ac alijs legitimis actibus nihilominus admittatur.* C. ſolet. de ſent. excom. in 6.

*Statuimus ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione & alijs quibus ligatur participans, excommunicatione minori ante monitionem Canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat; ſalvis conſtitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato*

Digitized by Google

*nato. Quod ſi ex locutione & aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat, poterit judex poſt monitionem Canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.* C. ſtatuimus de ſent. excom. in 6.

*Quia periculoſum eſt Epiſcopis & eorum ſuperioribus propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit ut in aliquo caſu interdicti vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto, nos deliberatione provida duximus ſtatuendum,ut Epiſcopi & alij ſuperiores Prælati nullius conſtitutionis occaſione ſententiæ ſive mandati prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure, niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.* C.quia periculoſum eod.tit. in 6.

*Romana Eccleſia & infra. Cæterum interdicti vel excommunicationis ſententias latas ab officialibus Archidiaconorum, ſeu quibuſlibet alijs juriſdictionem habentibus ſuffraganeorum Rhemenſis Eccleſiæ ſubditis, Rhemenſis Archiepiſcopus & ejus Officiales (omiſſis ipſis excommunicatoribus) non relaxent, ſalva contraria conſuetudine ſuper hoc ſi quam habent. Porro excommunicationum ſententiæ à Rhemenſi Archiepiſcopo ſuiſque Officialibus generaliter promulgatæ, ſubjectos juriſdictioni ejuſdem Archiepiſcopi tantum ligant. Sed nec in ſpecie nec in genere pro culpis & offenſis præteritis vel præſentibus excommunicationum ſententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent, & ſi contra præſumpſerint injuſtas noverint eſſe illas. Caveant etiam ne tales ſententias excommunicationis,ſive ſpecialiter ſive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro jam commiſſis ſub hac forma ſi de illis intra tale tempus minimè ſatisfecerint proferre præſumant : niſi mora in exhibenda ſatisfactione vel culpa ſeu offenſa præceſſerit, quibus meritò ad injungendam ſatisfactionem hujuſmodi & taliter prohibenda ſimilia inducantur, aut alia rationabilis (quam in ipſis ſententijs exprimant) cauſa ſubſit. In Vniverſitatem vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare quod exinde ſequi poſſet, cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententiâ irretiri : ſed in illos dumtaxat de Collegio vel Vniverſitate quos culpabiles eſſe conſtiterit promulgetur.* C.Romana Eccleſia eod. tit. in 6.

*Dilecto filio Decano Aurelianenſi & infra. Præterea cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctiſque ſe defenſare permittant, licuit utique ipſi Decano ſi prædictus Bailivus eum bonis ſuis mundanis iniurioſè ſpoliare vel ea violenter occupare præſumpſerit ut ſuperius eſt expreſſum,contra illius violentiam iniuriamque ſe tueri. Et quoniam adverſus eius nimiam potentiam ſufficiens temporalis defenſio fortè non aderat, potuit etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo Eccleſiaſtico,defenſare ac recurrere propter hoc ad arma ſpiritualia, quæ ſunt Eccleſiæ propria, vel pro ſuo munimine illis uti : præſertim cum dictus Bailivus poſt latas ad eum ab eodem Decano ex alijs cauſis excommunicationis ſententias (ſicut idem Decanus aſſeruit) ipſum tanquam exinde provocatus ſententijs ipſis contemptis, bonis ſpoliaſſet ijſdem : & propter hoc poſtmodum ipſe Decanus ſententiam tulerit interdicti tanquam ſpirituali ſe mucrone defendens contra illius injuriam & violentiam, ſibi ab eodem occaſione prædictarum ſententiarum & in ipſarum contemptum illatam. Et quidem cum liceat cuilibet ſuo vicino vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impartiri auxilium, imò ſi poteſt & negligit videatur injuriantem fovere ac eſſe particeps ejus culpæ, licuit profectò ipſi Decano proprio ſibimet ſubvenire ſubſidio, & ſuammet temporalem injuriam ſuâ propriâ ſpirituali defenſione tueri : ſicque utrumque quodammodo gladium & temporalem & Eccleſiaſticum alterum videlicet altero adiuvare : maximè quia hi duo gladij conſueverunt exigente neceſſitate ſibi ad invicem ſuffragari : & in iuvamen alterius mutua ſubventione frequentius exerceri.* C.dilecto eod.tit. in 6.

11. Hoc eodem in Concilio inſigne rubri pilei Cardinalibus datum proditur. In eodem pariter produnt aliqui occaſione depoſitionis Friderici fuiſſe jus Imperatorem eligendi Septemviralibus ſuffragijs alligatum : quidam vero hoc referunt ad ſecundum Lugdunenſe Concilium, ſub Gregorio decimo celebratum. Ab alijs autem refertur id inſtitutum ad Gregorium V. Pontificem & Othonem tertium Imperatorem, qui cum eſſent patriâ Teutonici, jus iſtud Teutonicis Principibus attribuerunt. Fuerat quidem antea ſucceſſio ad Imperium juris hæreditarij. Cum autem Otho tertius nullos haberet liberos, urgeretque metus futuri internecini belli pro hac ſucceſſione ob diverſa Principum ſtudia, conſtat quidem tum primum Pontificia ſimul & Imperiali ſanctione Germanicum Imperium fuiſſe Principum Germanorum deinceps electioni alligatum,ſive omnium ut multi contendunt, ſive ſeptemvirorum dumtaxat ut alij conſtanter aſſerunt,eſt enim de his magna inter eruditos pleroſque concertatio. Conſule c. venerabilem de electio. cujus eſt author Innocentius tertius. Decreto etiam hujuſce generalis Concilij proclamata fuit generalis Chriſtianorum bellica expeditio nomine Cruciatæ, atque ad ejus expenſas neceſſarias deſtinata fuit non quidem quod erroneè ſcribit Abbas Stadenſis in Chronico ad annum 1245. vigeſima proventuum Eccleſiaſticorum pars ſed quinta dumtaxat, idque ad triennium, id enim compertum eſt ipſiſmet verbis decreti 17. iſtius Concilij. *Cæterum (inquit) ex communi Concilij approbatione ſtatuimus ut omnes omnino*

*nino Clerici tam ſubditi quam Prælati vigeſimam Eccleſiarum proventuum uſque ad triennium conſerant in ſubſidium terræ Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apoſtolicâ fuerint providentiâ ordinati: quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis ab hac præſtatione meritò eximendis, illiſque ſimiliter qui aſſumpto vel aſſumendo Crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos & Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales plenariè decimam perſolvemus. Sciantque ſe omnes ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos, ita quod illi qui ſuper hoc fraudem ſcienter fecerint, ſententiam excommunicationis incurrant.*

## *SELECTA CAPITA EX STATVTIS Sancti Ludovici Francorum Regis apud Pariſios anno 1254.*

CAP. I. *Vaſtus quidem illicitos quantum poſſibile fuerit in Ballivis & alijs Curialibus noſtris reprimere cupientes, Seneſcallos, Ballivos, Præpoſitos, Vicecomites, & Villarum majores, & alios Officiales noſtros, juramento ſubſcripto duximus aſtringendos: Cujus ſi ipſi Seneſcalli, Ballivi & alij Officiales noſtri fuerint tranſgreſſores pœnas debitas in bona ipſorũ, vel ſi res exigat in perſonas, noſtræ voluntatis vel deputatorum à nobis arbitrio reſervamus. Si vero majores Ballivos vel Officiales dejerare contigerit, in hac parte à Seneſcallis ſub bonarum teſtimonio perſonarum & cum ipſarum conſilio puniantur.*

CAP. II. *Iurabunt igitur omnes & ſinguli ſupradicti quod quandiu commiſſam ſibi tenebunt Seneſcalliam, vel Balliviam, Præpoſituram, vel alind quodcumque Officium ſupradictum, tam minoribus quam mediocribus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam ſubjectis, ſine nationum & perſonarum acceptione jus reddent: ſervantes tamen in locis ſuis ſua jura, uſus & conſuetudines approbatas.*

CAP. III. *Iurabunt inſuper bona fide jura noſtra requirere & ſervare, & aliorum jura ſcienter non auferre nec diminuere nec etiam impedire.*

CAP. IV. *Iurabunt etiam donum ſeu munus quodlibet à quacumque perſona per ſe vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, vel rebus alijs quibuſcumque mobilibus aut immobilibus, aut ſe moventibus, ſeu beneficijs perſonalibus ſive perpetuis, præter eſculenta, quorum valor in una hebdomada ſummam decem ſolidorum Pariſiorum non excedat: & quod dicta bona ſeu beneficia uxoribus ſuis, liberis, fratribus, ſororibus, nepotibus, neptibus, vel conſanguinibus, aut domeſticis ſeu conſimilibus minimè procurabunt. Imò bona fide diligentiam adhibebunt, ne uxores ſuæ vel aliæ perſonæ proximè nominatæ, dona vel munera recipiant. Quod ſi fecerint ex quo hoc ſciverint eos ad reſtituendum bona fide compellant, ſub debito juramento.*

His conformantur alia Francica edicta quale eſt Caroli IX. Regis in Comitijs Aurelianenſibus art. 43. prohibens etiam munera victualia litigantium. Deuſque ipſe ſic loquitur Deuter. 16. v. 19. *Non accipies perſonam nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.*

CAP. V. *Iurabunt etiam quod ab illis de ſua Seneſcallia vel Ballivia nec ab illis qui cauſam habent coram ipſis vel ſcient in proximo habituros, mutuum non recipient per ſe vel per alium, ultra ſummam viginti librarum quas reddent à die contracti mutui infra duos menſes, licet etiam creditores velint ſolutionis terminum prorogare.*

2. CAP. XI. *Inhibemus vero diſtrictè Seneſcallis & Ballivis noſtris, poſſeſſiones aliquas per ſe vel per alium emere, adminiſtratione durante in Seneſcallia vel Ballivia ſua, vel fraudulenter in alia ſine noſtra licentia præcedente. Quod ſi fecerint emptionem irritam eſſe, & poſſeſſiones ſic emptas fiſco noſtro ſi nobis placuerit volumus applicari.*

Sanctam iſtam Ludovici legem (ait Baluſius) diu viguiſſe conſtat, adeò ut cum Gancellinus des Vairollis Seneſcallus Cadurcenſis nonnullas poſſeſſiones emiſſet in ſua Seneſcallia, neceſſum ei fuerit anno 1361. litteras à Carolo V. Rege impetrare quibus huic derogaretur ſtatuto.

CAP. XII. *Prohibentes inſuper Seneſcallis & Ballivis noſtris ne quandiu Seneſcalli vel Ballivi fuerint, ſibi vel ſuis liberis, fratribus, aut ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, vel quibuſcumque de ſua familia matrimonia copulent cum perſonis ſuæ Seneſcalliæ aut Balliviæ ſuæ, ſine noſtro ſpeciali conſenſu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia Eccleſiaſtica vel poſſeſſiones eis acquirant.*

Hoc ſimiliter ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. matrim. can. 9. *Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magiſtratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes maximè divites & ſpem magnæ hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium contrahere, quos ipſi Domini vel Magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cum maximè nefarium ſit matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias naſci à quibus jura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus cujuſcumque gradus dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos vel quoſcumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.*

CAP. XX.

Cap.XX. *Quia vero nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt iure ſuo, Ballivis noſtris & alijs officialibus prædictis inhibemus, ne deſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione, vel noſtro ſpeciali mandato: ſubditos etiam noſtros novis exactionibus conſuetudinibus vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ cauſâ non mandent, ſed ex cauſa tantummodo neceſſaria. Et tunc volentes perſonalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.*

Cap.XXIII. *Cæterum ordinationem factam de Iudæis diſtrictè obſervari præcipimus quæ talis eſt. Iudæi ceſſent ab uſuris, & blaſphemijs, & ſortilegijs, & tam talmud quam alij libri in quibus inveniuntur blaſphemiæ comburantur. Et Iudæi qui hoc ſervare noluerint expellantur, & tranſgreſſores legitimè puniantur. Et vivant omnes Iudæi ex laboribus manuum ſuarum vel de negotiationibus ſine terminis & uſuris.*

Cap.XXIV. *Præterea prohibemus diſtrictius quod nullus omnino ad taxillos ludat, ſive aleis ſive ſcacis. Scholas etiam deciorum (id eſt des Berlans) prohibemus, & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas diſtrictius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.*

His conformantur tit. ff. de aleatoribus & authen. de ſanctiſſimis Epiſc. §.interdicimus colla.9. & Apoſt. can. 41. & 42. & ex Concil. Lateran. ſub Innocentij III. ca. Clerici officia. de vita & honeſt. Cler.

3. Cap.XXV. *Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam niſi ſit tranſiens, vel viator, vel in ipſa villa non habeat aliquam manſionem.*

Si hæc laicis publica lege prohibentur, quanto magis Clericis interdicuntur? Vide Apoſtolorum can.53. Eadem vetantur can. Laodicenſi 24. & ſextæ Synodi can.9. & Concilij Carthag.III. can.27. & his poſterioribus pleriſque Canonibus.

## *SANCTI LVDOVICI FRANCORVM Regis Pragmatica Sanctio.*

1. Ludovicus *Dei gratia Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam: pro ſalubri & tranquillo ſtatu Eccleſiæ regni noſtri, nec non pro divini cultus augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute, utque gratiam & auxilium omnipotentis Dei (cujus ſolius ditioni ac protectioni regnum noſtrum ſemper ſubjectum extitit, & nunc eſſe volumus) conſequi valeamus, quæ ſequuntur hoc edicto conſultiſſimo in perpetuum valituro ſtatuimus & ordinamus.*

*Primò ut Eccleſiarum regni noſtri Prælati patroni & beneficiorum Collatores ordinarij jus ſuum plenariè habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur.*

2. *Item Eccleſiæ Cathedrales & aliæ regni noſtri liberas electiones, & earum effectum integraliter habeant.*

3. *Item ſimoniæ crimen peſtiferum Eccleſiam labefactans à regno noſtro penitus eliminandum volumus & jubemus.*

4. *Item promotiones, collationes, proviſiones & diſpoſitiones Prælaturarum dignitatum & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum regni noſtri, ſecundum diſpoſitionem, ordinationem & determinationem iuris communis, ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum Sanctorum antiquorum Patrum fieri volumus & ordinamus.*

5. *Item exactiones & onera graviſſima pecuniarum per Curiam Romanam Eccleſiæ regni noſtri impoſita vel impoſitas, quibus miſerabiliter regnum noſtrum depauperatum extitit, ſive etiam imponendas vel imponenda levari aut colligi nullatenus volumus, niſi dumtaxat pro rationabili pia & urgentiſſima cauſa, vel inevitabili neceſſitate & de ſpontaneo & expreſſo conſenſu noſtro, & Eccleſiæ regni noſtri.*

6. *Item libertates franchiſias, prærogativas, iura ac privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſivè per nos Eccleſiis, Monaſteriis ac locis piis Religioſis, nec non Eccleſiaſticis perſonis regni noſtri conceſſas & conceſſa, innovamus, laudamus & approbamus.*

## *CONCILIVM LONDINENSE anni 1268.*

1. Othobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis anno 1268. à Clem.IV. miſſus Apoſtolicus Legatus, ad reformandas regnorum Angliæ, Scotiæ atque Hiberniæ Eccleſias, inſtaurandamque in eis collapſam ſacrorum Rituum morumque ſanctiorum inſtitutionem, Concilium nationale Antiſtitum totius Britanniæ Hiberniæque inſularum, Londini quæ primaria eſt Angliæ civitas quam interluit fluvius Tameſis, convocavit; quod magnum ratione præeminentis Excellentiæ vocatur à Mathæo Veſtmonaſterienſi. Cujus ſumma præcipuaque apud gentes illas authoritas fuit ejuſque inſtituta religiosè ab Anglis, Scotis, Hibernis & Valliæ populis ſervata ſunt, aduſque Provinciarum illarum à Romana Eccleſia ſub Henrico Rege VIII. defectionem.

Can. I. *Quia multorum ſimplicitas in Baptiſmi collatione deficeret, cum neceſſitatis articulus immineret, niſi à miniſtris Chriſtianæ fidei docerentur; provide conſtituimus ut Parochiales Presbyteri eorumque perpetui Vicarij formam Baptiſmi Parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari. Et quia præter certum ſalutis periculum non poteſt hoc negligi vel*

Digitized by Google

*vel omitti, ſtatuimus & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, ut quilibet Archidiaconus per ſuum Archidiaconatum circa Presbyteros & Vicarios ipſos inquiſitionem faciat diligentem, eos quos hoc ſalubre ſtatutum invenerit non ſervare, graviter prout rei qualitas exegerit puniendo.*

2. Can.II. *Quoniam cæca cupiditas ita ruit in Prælatos, ut operum terrenorum quæſtu minimè contenta, pro ſacris etiam & divinis quæ æſtimationem non capiunt, pretium profana venalitate ſuſcipiant, ſtatuimus & præcipimus oleum ſanctificatum, & chriſma à miniſtris Eccleſiæ purè atque devotè qualibet excluſa cupiditatis labe conferri, nulla difficultate in eis exhibendis adhibita, prætextu alicujus conſuetudinis qua dicitur ab eiſdem qui ea recipiunt aliqua quibuſlibet perſolvenda: quibus adjicimus, ut ſuper ijs tam Epiſcopi quam Archidiaconi per loca ſuæ juriſdictionis contra recipientes inquiſitionem faciant diligentem: & quos tales invenerint tanquam ſimoniacos puniant ſecundum Canonicas ſanctiones. Qui ſi hoc implere neglexerint, Epiſcopus à Pontificalibus, Archidiaconus ab officio, quouſque rem congruè emendaverint ſint ſuſpenſi*

Percommodus videtur iſte locus ad refellendum errorem Calvini, quem hodierni Angli ducem in rebus fidei ſequuntur, ut compleatur effatum illud Chriſti aſſerentis cœcum ſi cœco ducatum præſtet ambos in foveam caſuros. Impudenter hic hæreſiarcha negat quemquam priſcorum Patrum unctionis olei quaſi rei Sacramentariæ meminiſſe. Quod falſiſſimum eſſe ſequentibus teſtimonijs commonſtratur. Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. *Caro* (inquit) *ungitur ut anima conſecretur, caro ſignatur ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur ut anima ſpiritu illuminetur.* Et in libro de Baptiſmo: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur.* Idem lib. 1. contra Marcionem verſus finem conjungit: *Olei unctionem cum aqua Baptiſmi.* Quemadmodum etiam lib. de Baptiſmo: *In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit.* Et poſt pauca: *De hinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* S. Cyprianus lib. 1. epiſt. ult. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptiſatus ſit, ut accepto chriſmate eſſe unctus Dei & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Prudentius in Ψυχομαχία. *Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ unguentum regale latum eſt & chriſma perenne.* Idemque in hymno ante ſomnum cultor Dei memento Te fontis & lavacri Rorem ſubiſſe ſanctum, Te chriſmate innotatum. S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. cont. Donat. cap. 20. *Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida, quomodo benedicunt oleum tenebræ?* (Et ſubinde.) *Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas.* Conſtanter ibi diſputat Sanctus Doctor & valere baptiſmum etiam ab hæreticis collatum & ſuſceptum, neque Sacramenta tum regenerationis per aquam, tum confirmationis per unctionem & chriſma cum manus impoſitione neque Euchariſtiæ, quæ tria ſimul ex Eccleſiæ veteri uſu conferri mos erat, vim ſuam mutuari à moribus miniſtrantium, ſed ex ipſa Chriſti inſtitutione. Idemque lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc unguento ſacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpretari. Quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum ſicut ipſe Baptiſmus eſt, ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis.* Et inferius. *Diſcerne igitur viſibile ſanctum Sacramentum quod eſſe & in malis poteſt: illis ad præmium, iſtis ad judicium, ab inviſibili unctione charitatis quæ propriè bonorum eſt.* S. Papa Gregorius in Cant. 1. *In Engaddi* (inquit) *balſamum gignitur quod cum oleo Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Ex Patribus Græcis teſtimonia perſpicua ſuppetunt. Juſtinus q. 137. orthodoxorum ſcribit peractis myſterijs Baptiſmi, conſignari fideles ſacro unguento. Orig. hom. 8. in Levit. prope fin. *Sic ergo converſis à peccato purificatio, purificatio quidem per omnia illa datur quæ ſuperius diximus. Donum gratiæ Spiritus per olei imaginem deſignatur: ut non ſolum purgationem conſequi poſſit is qui à peccato convertitur, ſed à Spiritu ſancto repleri.* Deinde homil. 9. ultra medium: *Omnes quicumque unguento ſacri Chriſmatis delibuti ſunt, Sacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem Eccleſiam dicit: vos autem genus electum regale Sacerdotium.* Cyrillus Jeroſolymitanus Cathech. Myſtag. 3. *Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis ſed eſt corpus Chriſti: ſic & Sanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt chriſma Chriſti quod adventu Spiritus ſancti, per ipſius divinitatem energiam habet, qua frons & alij ſenſus tui ſymbolicè inunguntur. Et corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur, anima verò ſancto ac vivifico Spiritu ſanctificatur.* Gregorius Nazianzenus orat. in ſanctum Lavacrum. Hæc ait: *At ſi tu per Baptiſmum teipſum obfirmaveris, ac præclariſſimo & firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet & corpus unctione & Spiritu conſignans, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo primigenoſque tuente cruore, quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? Audi Salomonis parœmias, ſi ſederis ait intrepidus eris, ſi dormieris ſuavis erit ſomnus tuus.* Heu miſerandam & ter quaterque dolendam hæreticorum ſortem qui Sacramentum iſtud divinæ unctionis, ac fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, non turbaverunt modo ſed omnino ſibimetipſis extinxerunt præcluſeruntque: hoc Sacramento anima ſpirituali lætitiâ perfunditur, & ad pugnam ſalutarem roboratur, quæ ſunt proprietates & fructus Sacraméti hujus emanantes à ſacratiſſimo illo nomine Salvatoris, ex quo prodierunt vivifica Eccleſiæ Sacramenta de quo ſcriptum eſt Cant. 1. Oleú effuſum nomen tuum, & in Pſalmis, unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Oleú namque ſymbolum eſſe ſcimus hilaritatis atque lætitiæ. Hinc ethnici homines geniales dies celebraturi unguentis delibuti in publico ſe conſpiciendos præbebant. Vitæ quoque Magiſter cum vellet à jejunio hypocriſin arcere, hilares atque jucundos nos eſſe jubet dicens: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum & faciem tuam lava, ne videaris*

dearis

*dearis hominibus jejunans.* Et cum docet pluris faciendam eſſe nobis reprehenſionem acerbam viri boni qui nos quibus hæremus vitijs revellere ſtudet, quam improborum hominum aſſentationem blandaque verba quibus exhilaramur, hilaritatem animi oleo comparat. *Oleum autem peccatoris non impinguet meum.* Unctio præterea ad certamina præmunit. Eamque ob cauſam athletæ olim ad certamina deſcenſuri oleo ſe totos perungebant, ne pugnando ſpiritibus tranſmiſſis per patentes corporis meatus, quos oleum obturat atque obducit, vires diſſiparentur. Nomen itaque JESU in animum admiſſum & intra præcordia conditum magnam ingenerat fiduciam terroreſque depellit, turbulentos affectus mitigat & componit ne illis ſuccumbamus, & alacres ad prælia pro Chriſto ſuſcipienda & dura quæque & aſpera ſubeunda efficit; hinc enim dimanabat illa Sanctorum Chriſti diſcipulorum conſtantia. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Hac incitatus divini ſpiritus vi audenter proteſtatur. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors neque vita neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Atque hæc eſt virtus mirifica qua corpore delibuto anima etiam confirmatur & perfunditur divini Spiritus virtutibus & donis.

3. Can.V. Statuimus & diſtrictè præcipimus ut Clerici univerſi veſtes gerant, non brevitate nimia ridiculas vel notandas, ſed ſaltem ultra tibiarum medium attingentes. Aures quoque patentes quilibet non opertas, & coronas habeant probanda latitudine condecentes. Si qui vero in Sacerdotio vel dignitatibus conſtituti aut curam habentes animarum, ſeu Cathedralium Eccleſiarum Canonici contra præmiſſa in infulis coronâ vel tonſurâ deliquerint, ſi moniti non emendaverint ipſo facto ab officio ſuſpenſionem incurrant, in qua ſi per tres menſes perſtiterint ex tunc à beneficio ſint ſuſpenſi, nec priùs per ſuos Diœceſanos ab hujuſmodi ſententijs abſolvantur, quam ſextam redditium ſuorum illius anni partem ſolvant, per ipſos Diœceſanos fideliter pauperibus erogandam: ſalvis alijs pœnis condignis quas Prælati ſubditis in his deliquentibus voluerint irrogare. De ipſis quoque Sacerdotibus, Decanis, Archidiaconis & alijs in dignitatibus conſtitutis qui in veſtium habitu contra præmiſſa deliquerint eadem ſtatuimus obſervari. Reliquos vero Clericos in præmiſſis delinquentes ſuorum Prælatorum arbitrio relinquimus puniendos. Præcipimus autem in virtute ſanctæ Obedientiæ univerſis Archiepiſcopis, Archidiaconis & cæteris Prælatis ut in locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ſuper præmiſſis diligenter inquirant & contra delinquentes ſtatutum præſens efficaciter obſervent & faciant obſervari: Qui ſi poſtquam eis per facti evidentiam vel alio juſto modo conſtiterit quemquam delinquere in præmiſſis corrigere eos ſecundum ea quæ ſunt ſtatuta neglexerit: Archiepiſcopi quidem & Epiſcopi Dalmaticæ, tunicæ & ſandalium uſu: Archidiaconi vero & alij inferiores Prælati ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ donec circa correctionem & emendationem exerceant ſui officij debitum, ſint ſuſpenſi.

Can IX. *Sacrorum Ordinum diſpenſatio quaſi clavis ad aperiendum varias portas ſalutis & gratiæ ſpiritualis hominibus eſt conceſſa, quam habere neceſſe eſt ut clavis aperiat qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem geſtat extra manſionem vagari non debet, ut paratus ſit in ſtatione continua vocantibus, & non vocantes ſuis exhortationibus quaſi paſtor ſollicitus ad ſe trahat. Hac licet antiqua Sanctorum Patrum decernat autoritas: quia tamen ab ijs qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temerè non ſervatum: prædictus Legatus circa utrumque providè ſtatuit inter alia, nullum de cætero ad Vicariam admittendum niſi in Presbyterum jam ordinatum, vel ſaltem in Diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians alijs beneficijs ſi qua habet, curam animarum habentia, juret ibi reſidentiam facere corporalem: alioqui inſtitutionem ipſius nullam fore decrevit, & Vicariam alij conferendam. De ijs autem qui tunc jam fuerant conſtituti non tamen in Presbyteros ordinati, ſtatuit & præcepit ut ex tunc infra annum ad minus ſe facerent in Presbyteros ordinari: alioquin privatos ipſos ex tunc Vicarijs fore decrevit: quod de reſidentia circa inſtituendos præceptum erat ſtatuens etiam circa ipſos. Nos autem contra hoc agentium malitiam compeſcere noſtra quoque ad hoc opportuna diſtrictione volentes: adjicientes ſtatuimus ut ſi quis de cætero contra hoc ſtatutum Vicariam tenuerit fructus ſuos non faciat ſic perceptos, ſed ipſos reſtituere teneatur. Et ipſorum medietas Eccleſiæ cujus eſt Vicaria tradatur in ipſius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis vero pars altera in pauperes illius Parochiæ expendatur, & altera loci Archidiacono applicetur. Ipſe vero Archidiaconus ſuper his annis ſingulis inquiſitionem faciat diligentem, ſuaque operâ & ſolicitudine ſtatutũ hoc faciat firmiter obſervari. Sciendum ex jure communi vacare beneficium ipſo facto Sacerdotio annexum, ſi proviſus neglexerit ad Sacerdotium integro anno promoveri.*

C. cum in cunctis §. inferiora de electione. & c.1. de æta. & qual. & ord. præficien. & c. ei qui de præben. in 6. & Clemen. ut ij de æta. & qual. & Concilium Trident. ſeſſ.21. cap.4. & ſeſſ. 24. cap.12. de refor. §.neminem. Et edictum Henrici IV. an.1606. art.1.

4. Can.XII. Catholica unitas ſanxit & authoritas ut in una Eccleſia unus ſit rector quaſi unius corporis unum caput. Sed ſtupefactivæ zizaniæ ſeminator interdum per plurium in una Eccleſia patronorum diſcordiam, interdum per cupidorum figmenta, qui de ipſa Eccleſia nihil aliud quam commodum temporale venantur, hanc peſtiferam diviſionem diverſis modis inducit ut in plures collata una Eccleſia dividatur. Nos igitur ſtatuimus ut omnis hujuſmodi prorſus diviſio facta, niſi tanto præceſſerit tempore ut merito poſſit antiquitatis jure cenſeri, per locorum Diœceſanos revocetur. Si qua vero de cætero fiat diviſio hanc nullam ipſo jure fore decernimus. Et præſentans



Digitized by Google

quidem unus aut plures jus illa vice præſentandi amittat ad ſuperiorem proximum devolvendum. Si vero Prælatus ſic contulerit vel præſentatos admiſerit non ſolum inſtitutio ejus viribus careat, verumetiam ipſe quouſque id revocaverit ipſo facto à collatione, inſtitutione ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet ſit ſuſpenſus.

5. Can.13. Statuimus ut ſi quis aliquem ad Eccleſiam vel Cœmeterium aut Clauſtrum confugientem inde abſtraxerit violenter, vel alias victum neceſſarium prohibuerit, in quo ſimilis eſt necanti: aut res alienas in locis prædictis depoſitas hoſtiliter ſeu violenter aſportaverit vel aſportari fecerit aut factam ſuo nomine vel à familiaribus ſuis aſportationem aut prohibitionem ratam habuerit, aut abſtrahentibus prohibentibus vel aſportantibus præbuerit publicè vel occultè auxilium, conſilium vel conſenſum, ipſo facto ſit excommunicationis vinculo innodatus, à quo nullatenus abſolvatur niſi prius Eccleſiæ cui tantam injuriam fecit, & damnum paſſo ſatisfaciat competenter.

Can.XVIII. *Improbam quorumdam avaritiã perſequentes, qui cum à ſuis Eccleſijs & Eccleſiaſticis beneficijs multa bona ſuſcipiant, domos earũ & cætera ædificia negligunt: ita ut integra non conſervent, & diruta non reſtaurent, propter quod ipſarum Eccleſiarum ſtatum deformitas occupat, & multa incõmoda ſubſequuntur. Statuimus atq; præcipimus ut univerſi Clerici ſuorum beneficiorũ domos & cætera ædificia prout indiguerint reficere ſtudeant condecenter: ad quod per ſuos Epiſcopos vel Archidiaconos ſollicitè monẽatur. Si quis vero poſt Epiſcopi vel Archidiaconi ſui monitionem, per duos menſes id facere ceſſaverit, ex tũc Epiſcopus ipſe ipſius Clerici ſumptibus id fieri faciat diligenter, de fructibus ipſius Eccleſiæ vel beneficij præſentis authoritate ſtatuti, tantum accipi faciens quantum ad refectionem hujuſmodi ſufficiat peragendam. Cancellos etiam Eccleſiæ per eos qui ad id tenentur refici faciant prout ſuperius eſt expreſſum. Archiepiſcopos vero Epiſcopos & alios inferiores Prælatos domos ac ædificia ſua ſarta tecta reficere, & in ſtatu ſuo conſervare ac tenere ſub divini judicij obteſtatione præcipimus: ut ipſi ea reficiant quæ refectione noverint indigere.*

Can.XX. *Deus omnipotens cujus omnia ſunt, pretium quodlibet pro delicto non accipit & holocauſtum non poſtulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati hoc ignorãtes, aut ex temeraria quadam induſtria contemnentes, cum peccatur à ſubditis debitam pro pecunia pœnam remittunt. Ex quo fit ut Deo non indulgente tam vindex criminis quam commiſſor ſua in eodẽ ſæculo delicta conſignent pariter judicandi. Et quia juxta B. Iſidorum nullam reus pertimeſcit culpam quam redimere nummis æſtimat, non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, ſed potius datur authoritas & licentia delinquendi. Statuimus ut Prælati quæ corrigenda invenerint corrigant diligenter, nec pecuniã ad hoc ut nõ viſitẽt, vel nõ corrigant vel ut crimina non puniant ab aliquo recipere præſumãt, nec aliquos ſentẽtijs ſuis involvãt injuſtè, ut ab eis poſſint pecuniã ex hoc extorquere.*

Can.XXII. *Paſtor bonus agnoſcens gregem ſuũ debet ipſũ mentis & corporis oculis jugiter intueri & ne ipſum inſidioſus lupus invadat, ſicut hoſtis perſequendo invigilat, ſic Prælatus reſiſtet continuè defendendo. Oportet igitur ut corporalis præſentia ipſum ſollicitè tueatur, quia videns Paſtor & veniens ſæpè nõ invenit quod reliquit, eo quod illud adverſarius non recedens neque dormiens aſportavit. Sanè licet Epiſcopi ad perſonalem reſidentiã circa gregem Domini ſibi commiſſum tam divinis quã Eccleſiaſticis præceptis noſcantur aſtricti: quia in partibus noſtræ legationis nonnulli ſunt qui hoc attendere non videntur nos ipſos efficaciter hortamur in domino & in virtute S. Obedientiæ atque ſub divini obteſtatione judicij commonemus, ut ad commiſſi gregis curam, ad deſponſatarum ſibi Eccleſiarum ſolatiũ, præcipuè diebus ſolemnibus quadrageſimalibus & adventus, præſentiam ſuam exhibeant debitam quibus ſe fide media copularunt: ſanctum Chriſma, oleum ſacrum & oleum infirmorum in die cœnæ Domini quolibet anno conficiant, niſi eos dictis diebus ab ipſorum Eccleſijs à ſuis ſuperioribus evocatos, vel ex alia juſta cauſa oporteat abſentare, ut quod ipſorum nomen prætendit & commiſſum ſibi miniſterium exigit, quod non minus gerit oneris quam honoris ſollicitis ſtudeant excubijs obſervare.*

Can.XXIII. *Nonnulli in Eccleſia quæ per proprios conſuevit gubernari rectores in uſus eorũ conceſſa, ut totum quod ex appropiata ſibi Eccleſia provenit inhianter abſorbeant, ipſam relinquunt Vicario deſtitutã, aut ſi Vicarium in ea fortaſſis inſtituunt, ita modicam eidẽ relinquunt fructuum portionem quod non poteſt ſibi ſufficere: & Archidiaconorum & alia ſibi incumbentium onera ſupportare. Quo fit ut quod in eleemoſynam eſt proviſum in ſitim avaritiæ confluat, & tranſeat in rapinam. Super his igitur ſalubria remedia cogitãtes ſtatuimus & diſtrictè præcipimus, ut univerſi religioſi exempti Ciſtercienſes & alij quicumque, qui Eccleſias in proprios uſus habẽt, ſi Vicarij non ſint poſiti in iiſdem infra ſex menſium ſpatium Vicarios præſentare Diæceſanis qui eos inſtituere debeant, non omittant: quibus ſufficientem aſſignare pro facultate Eccleſiarum ſtudeant portionem. Alioquin ex tũc ijdẽ Diæceſani id facere ſtudeãt diligenter. Statuimus quoque ut Epiſcopi qui Eccleſias in proprios uſus habent domos in ipſarũ Parochijs conſtruant, vel olim conſtructas reædificent & conſervent, in quibus honeſtè poſſint recipi viſitantes. Supradicta vero omnia tam ab Epiſc. quã ab alijs qui Eccleſias in proprios uſus habent, fieri præcipimus & ſervari.*

Ad curam vero alicui Monaſterio ſubjectam non Monachi, ſed ſeculares Clerici ab Epiſcopo cũ conſilio Monachorũ inſtituendi, ſic tamen ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio ejus dependeat, tam ordinatio quã depoſitio & totius ejus vitæ converſatio c.1. de Capell. Monachorum.

Can.XXX. *In poſterum cum ad beneficium curam habens animarum quemquam præſentari, aut ipſius*

Digitized by Google

*ipſius collationem aliàs fieri contigerit, ſtatuimus ut Prælatus qui circa hoc ſuum gerit officium, prius de vita & converſatione præſentati ac inſtituendi, atque de alijs quæ jura præcipiunt Inquiſitione præmiſſa inquirat. Hoc quoque vigilanter diſcutiat & perquirat utrum habeat præſentatus vel inſtituendus hujuſmodi perſonatus, ſeu alia beneficia curam animarum habentia.*

Can.XXXI. *Nos & animarum ſaluti & Eccleſiarum ſtatui & indemnitati diligentia quâ poſſumus ex officij noſtri debito proſpicere cupientes, univerſas Eccleſiarum commendationes hactenus quibuſcumque factas, niſi ex evidenti utilitate unius tantum Eccleſiæ commendatio facta ſit penitus revocamus, & ipſas ex tunc vacantes decernimus: eis ad quos ipſarum collatio vel ad eas præſentatio ſpectat diſtrictè mandantes ut infra duos menſes poſt præſentis conſtitutionis noſtræ publicationem conferant ſeu præſentent, alioquin ipſarum collatio ad Sedem Apoſtolicam devolvatur, in poſterum autem inhibemus Eccleſiam quamlibet commendari niſi juſta cauſa & legitima id expoſcat. Et ut omnibus verſutijs adinventionibus & fallacijs occurramus, ſtatuimus ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti Eccleſia commendetur, neque plures Eccleſiæ alicui perſonæ valeant commendari. Quod ſi contra ea quæ ſalubriter hac noſtra proviſione ſtatuta ſunt Eccleſiæ commendationem à quoquam vel cuiquam in locum noſtræ legationis fieri contigerit, ipſam & quidquid ex ipſa ſecutum fuerit ipſo jure decernimus non valere. Epiſcopus vero qui commendationem contra præmiſſa fecerit, donec revocaverit, ipſo facto à collatione ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet ſit ſuſpenſus.*

7. Can.XXXII. *Quorumdam ignorantiam vel negligentiam aut diſſimulationem quæ circa electorum confirmationes frequenter habetur, vel etiam procuratur ex Officij noſtri debito, diligentiâ qua poſſumus corrigentes ſtatuimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, ut cum electionis Epiſcopalis confirmatio poſtulatur, inter cætera ſuper quibus inquiſitio & examinatio procedere debet, ſecundum Canonum ſtatuta illud exactiſſimè inquiratur, utrum beneficia plura cum animarum cura qui electus eſt antequam eligeretur habuerit, & ſi habuiſſe inveniatur, an cum eo ſuper hoc fuerit diſpenſatum: & an diſpenſatio ſi quam exhibuerit vera ſit & ad omnia beneficia quæ habuerit extendatur. Quod ſi in aliquo præmiſſorum is ad quem confirmatio ſpectat electum deficere ſua diſcuſſione compererit, eidem nullatenus munus confirmationis impendat.*

Ex Canone iſto compertum fit tunc temporis electionum Epiſcopalium uſum apud Clerum & Populum perduraſſe, jus uero illas confirmandi fuiſſe penes Metropolitanum aut cæteros una cum illo Provinciæ Epiſcopos, ſi enim Summus Pontifex confirmaſſet aut proviſionem concedere conſueviſſet, nullatenus Legatus ei præcepiſſet ſub virtute ſanctæ Obedientiæ.

Can.XXXIII. *Sanè illud interdum evenire didicimus ut cum vacãte ſede quam quis aſcendere concupiſcit, ipſe metuens ſe obtentorum beneficiorum pluralitate in ſuo deſiderio poſſe deficere ipſa beneficia reſignat, imò penes eum ad cujus collationem ſpectant deteſtabili quadam fictione deponit, ut ſi eum eligi non contingat eadem beneficia quaſi depoſita reaſſumat. Contra hoc ergo tam abominabile colludium, & Sanctum & Deo placens obſtaculum opponentes diſtrictius inhibemus, ne cuiquam de cætero taliter ſua beneficia reſignanti, eadem reſtituantur: nec quaſi de novo aliquatenus concedantur, ſed tanquam ad vacantia de perſonis alijs Canonicè ordinetur, quod ſi hujuſmodi reſignanti beneficia ipſa vel aliquod ex eis fuerint reddita vel conceſſa, redditionem & conceſſionem in eum factam invalidam decernimus & inanem. Qui vero taliter in ſuis manibus reſignata poſtmodum ſcienter ea contra præmiſſa contulerint, aut ipſum reſignantem inſtituerint in eadem, ſi quidem Epiſcopus fuerit, à Pontificalium indumentorum uſu: ſi alius vero Prælatus inferior ab officio ſint ſuſpenſi donec illud duxerint revocandum.*

Can.XXXIV. *Quia plerumque evenire didicimus quod cum ad vacantem Eccleſiam fuerit præſentatio facienda, is qui præſentandus eſt prius cum patrono de certa ſumma ex bonis Eccleſiæ annuatim ſolvenda paciſcitur, & ſic pactus ad Eccleſiam præſentatur. Nos huic actui tam ſimoniæ vitium quam Eccleſiæ diſpendium ingerenti occurrere intendentes, univerſas promiſſiones & pactiones hujuſmodi penitus revocamus, & eas in poſterum fieri diſtrictius inhibemus, & ſi factæ fuerint vires aliquas decernimus non habere.*

Can.XLII. *Et quidem ne proprietatis vitio ſuper dorſum peccatoris fabricandi occaſio Sathanæ offeratur, & ipſi homini detur habilitas delinquendi, ſtatuimus ut cum quiſpiam Monachorum ſeu aliorum Religioſorum veſtibus, calceamentis vel alijs vitæ neceſſarijs indiguerint, is qui ſuper his miniſtrandis gerit officium, pecuniam ſeu denarios non tradat pro re hujuſmodi taliter indigenti, ſed res ipſas prout neceſſitas exegerit ſubminiſtret. Si autem is qui hujuſmodi præeſt officio contra facere præſumpſerit, officio in quo ſic deliquit & præſtitit materiam delinquendi ſit privatus, & nihilominus aliter ſuperioris arbitrio puniendus.*

Can.XLIII. *Monachos ſeu Canonicos regulares per maneria vel Eccleſias ſolos morari, tam indecens quã animabus ipſorum periculoſum eſſe conſpicientes, firmiter & diſtrictè præcipimus ut Abbates*

*bates & priores Monachos ſic manere non faciant vel permittant,ſed ſi qui ſint ſine mora diſpendio revocent ad Conventum vel ſibi Monachum unum ſtudeant ſociare. Alioquin ipſi Abbates vel Priores ab Officio donec adimpleverint ſint ſuſpenſi. Quod ſi fortè pauperes habeant Eccleſias quæ duobus non ſufficiant exhibendis, faciant illis per ſæculares Clericos deſerviri ut ſic nec debitis Eccleſiæ fraudentur obſequijs nec regularis frangatur integritas diſciplinæ.*

Huc pertinet c.ult.de Capell.Mona. *Ad audientiam noſtram pervenit quod nonnulli Monachi lege tibi Diœceſana ſubjecti, in quibuſdam Prioratibus habitant ſolitarij contra ſtatutum generalis Concilij. Ideoque mandamus quatenus ipſorum Abbates vel Priores ut vel ipſos ad clauſtrum revocent, facientes in ipſis Eccleſijs deſerviri per Clericos ſæculares: vel alios Monachos eiſdem aſſocient cum quibus vitam poſſint ducere regularem, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam compellas. Porrò Concilium generale Lateranenſe ſub Alexandro III. decernit c.2. de ſtatu Monach. ne ſinguli Monachi per villas & oppida & per quaſcunque Parochiales ponantur Eccleſias, ſed in majori Conventu aut cum aliquibus fratribus maneant. Nec ſoli inter ſæculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent. Salomone dicente væ ſoli quia cum ceciderit non eſt qui ſublevet eum.*

Can.XLIV. *Ad firmam vero quæ mercationis inſtar habet alicui Monacho dari manerium,Eccleſiam, poſſeſſiones vel alia qualibet bona ſive à proprio Prælato ſive ab alio quocumque diſtrictius inhibemus. Quod ſi factum fuerit, præter pœnas conſtitutionibus impoſitas ſingulis ſextis ferijs in pane tantum & aqua per unius anni ſpatium jejunet.*

## CONCILIVM LVGDVNENSE *ſecundum generale à Gregorio Papa decimo celebratum anno Epochæ Chriſtianæ 1274.*

1. AB obitu Clementis IV. vacua permanſit ſedes Petri menſibus tribus & triginta, dum oppoſitis ſententijs Cardinales inter ſe diſſident, qui tandem in Sanctum Bonaventuram Ordinis Minorum Sancti Franciſci etiamſi nondum Cardinalis eſſet compromiſerunt. Hic vero nullum propoſuit Cardinalem ſed Thibaldum Leodij Archidiaconum virum ſanctitate vitæ inſignem deſignavit, qui tunc in Syria belli ſacri occaſione verſabatur. Huic nominationi cœtus Cardinalium acquievit, qui etiam tranſmiſſis in Orientem litteris factam de ipſo electionem eidem ſignificarunt. Hic aſſerto ſibi Gregorij nomine omnem adhibuit ſollicitudinem in primis ut ſubſidia nova Chriſtianis in Oriente militantibus præſtarentur. Præterea ut Græci quibus Michael Palæologus imperabat deturbato Balduino ultimo ex Latinis Græcorum Imperatore ad fidei & communionis Apoſtolicæ Sedis unitatem revocarentur. Et ſanè metuebat novus Imperator Principum Latinorum adverſus ſe conſpirationem quam ſtudebat à ſe diſpellere, Pontificemque ſibi Romanum hac fidei profeſſione conciliare. Tertia denique ſollicitudo Pontificem urgebat mores fidelium maximè Clericorum in deteriora lapſos reformandi ac emendandi,ſimulque providendi ne deinceps Romana ſedes cum magno Eccleſiæ detrimento & ſcandalo vacaret. His de cauſis direxit quaquaverſum litteras & Nuncios ad Principes & Epiſcopos ad ſacrum univerſale Concilium Lugduni indicendum poſt biennium celebrandum. Legatos inſuper ad Palæologum Imperatorem deſtinavit qui ipſum & Græcos Antiſtites ad fidem & unionem Romanæ Eccleſiæ, & hanc œcumenicam Synodum benignè invitarent.

2. Anno igitur Chriſti ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Lugdunum convenere diverſis ex partibus Chriſtiani orbis Epiſcopi circiter quingenti, in quibus fuere duo Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Antiochenus, multi præterea Abbates magiſtri ordinum Hoſpitalis Jeroſolymitani & militum Templi, Principum oratores inter quos fuere Nuncij Imperatoris Palæologi cum litteris unionem & obedientiam ſinceramque cum Apoſtolica Sede Romanaque Eccleſia fidem profitentibus. Illum vero interfuiſſe Synodo Lugdunenſi falſo ſcripſere Tritemius in Chronico Hiſaugienſi, Siffridus & quidam alij cum ex Concilij ipſius actis, & nuncijs litteriſque Palæologi ad Pontificem, & hujus viciſſim ad Palæologum non niſi per Nuncios interfuiſſe conſtet. Interfuit vero Jacobus Aragoniæ Rex qui juxta Summum Pontificem ſeorſim ab alijs omnibus conſedit. S. Bonaventuram in hoc Concilio præſediſſe produnt Petrus Galeſinus in ejus vita, duoque Sixti Pontifices IV. in Bulla canonizationis,& quintus in diplomate quo eumdem inter Eccleſiæ Doctores annumerandum decernit. Verum quia præſente Papa præſidere non poterat non aliter intelligendum hoc eſt quam de directione Concilij à Summo Pontifice commiſſa: ut nimirum ea provideret quæ proponenda & decernenda eſſent. Idem tamen diem obijt extremum nondum dirempto Concilio. Sanctus vero Thomas quem Pontifex ad Concilium acciverat, dum Lugdunum proficiſcitur ultimo correptus morbo in Monaſterio Foſſæ novæ Ordinis Ciſtercienſium decumbere coactus eſt, ibique fato conceſſit, vitamque mortalem æterna commutavit. Quia vero præcipuæ in hac ſacra Synodo editæ conſtitutiones fuere de Summi Pontificis electione à ſolis Cardinalibus in Conclavi facienda, & de fide proceſſionis Spiritus ſancti à Patre Filioq; & additione vocis *Filioque* ad Conſtantinopolitanum Symbolum operæpretiũ me facturum duxi ſi duas hic contexerim diſſertationes,quibus utramque rem & electionis & additionis plenius elucidarem,poſtquam canones à Concilio editos expoſuero.

Can.I. *Fideli ac devota profeſſione fatemur quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre & Filio non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex uno principio non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus prædicavit,& docuit,hoc firmiter tenet prædicat & docet & profitetur Sancta Romana Eccleſia*

Digitized by Google

*mento quod credunt ea quæ ſic exprimunt eſſe vera & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes quam ( tempore appellationis interpoſitæ vel poſtmodum ) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua quæ fuerint in hujuſmodi litteris vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis præmiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant juramentum. Hoc adjiciendo in juramento eodem quod ad ea probanda credunt ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſanè quæ felicis recordationis Innocentius Papa quartus, contra plenè probantes ea quæ in formam vel perſonam objecerunt, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.*

Illa hic memorata Innocentij quarti conſtitutio habetur ſupra in Concilio Lugdunenſi primo & his verbis incipit, *ſtatuimus ut ſi aliquis electiones, poſtulationes, &c.* Habentur pariter quemadmodum & ſuperius ex ſecundo Lugdunenſi Concilio paulo ante allegatæ conſtitutiones ſub titulo de electione in 6.

Can. IV. *Avaritiæ cæcitas & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi à jure interdicta noverint exquiſitis fraudibus occupare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen Eccleſiarum electi, quia eis jure prohibente non licet ante confirmationem electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi Eccleſiarum ad quas vocantur ingerere, ipſam ſibi tanquam procuratoribus ſeu œconomis committi procurant. Cum igitur non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes hac generali conſtitutione ſancimus, ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis ad quam electus eſt priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub œconomatus vel procurationis nomine, aut aliquo de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus per ſe vel per alium, pro parte vel in totum gerere vel recipere aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint jure ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit decernentes eo ipſo privatos eſſe.* Habetur in c. avaritiæ de electio. in 6.

Can. V. *Quam ſit Eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus non ſolum iura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto ſtatuimus, ut ſi quando fuerit electio in aliqua Eccleſia celebrata, electores electionem ipſam quam citius commodè poterunt electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent, electus vero illum adhibere infra menſem à tempore præſentationis hujuſmodi teneatur, quem ſi electus ipſi præſtare ultra diſtulerit, jure ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum: niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio ut electioni de ſe celebratæ abſque ſui ſuperioris licentia ex prohibitione ſeu quavis proviſione ſedis Apoſtolicæ conſentire non poſſit. Quo caſu idem electus ſeu electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus ſuperiore cum ea celeritate quam ſuperioris ipſius præſentia vel abſentia petere ſtudeant & habere, alioquin ſi lapſo tempore pro ejuſdem ſuperioris præſentia vel abſentia ut præmittitur moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat, electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Cæterum quivis electus infra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante infra huiuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.* Habetur in c. quam ſit Eccleſiis de electio. in 6.

Can. VII. *Nulli licere decernimus poſtquam in ſcrutinio nominaverit aliquem & electio fuerit ſubſecuta, vel poſtquam præſtiterit electioni de ipſo ab aliis celebratæ conſenſum, illum ſuper electione ipſa niſi ex cauſis poſtea emergentibus impugnare: vel niſi ei morum ipſius antea celata de novo pandatur improbitas, ſeu alicuius latentis vitij vel defectus quæ veriſimiliter ignorare potuerit veritas reveletur. De huiuſmodi autem ignorantia fidem proprio faciat iuramento.* Legitur in c. nulli licere. de electio. in 6.

4. Can. XIII. *Licet canon à felicis recordationis Alexandro Papa tertio prædeceſſore noſtro editus, inter cætera ſtatuerit, ut nullus regimen Eccleſiæ Parochialis ſuſcipiat niſi vigeſimum quintum annum ætatis attigerit, ac ſcientiâ & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumptus huiuſmodi, ſi monitus non fuerit præfixo à canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, à regiminis eiuſdem amoveatur officio, & alij conferatur: quia tamen in obſervatione canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes iuris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus ut nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur niſi ſit idoneus ſcientiâ, moribus & ætate, decernentes collationes de Parochialibus Eccleſiis ijs qui non attigerunt vigeſimum quintum annum de cætero faciendas viribus omnino carere, is etiam qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur ut gregis ſibi crediti diligentius gerere curam poſſit, in Parochiali Eccleſia, cuius rector extiterit reſidere perſonaliter teneatur: & infra annum à ſibi commiſſi regiminis tempore numeran*

Digitized by Google

*numerandum ſe faciet ad ſacerdotium promoveri. Quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione ſit præſentis conſtitutionis authoritate privatus. Super reſidentia vero ut præmittitur facienda poſſit ordinarius gratiam diſpenſativè ad tempus facere prout cauſa rationabilis id expoſcet.*

Canon ille hic memoratus Alexandri videri poteſt ſupra numero tertius, in Concilio Laterano generali ſub Alexandro tertio, & in c. cum in cunctis ſacris Ordinibus §. inferiora de electio. Gregorius X. addit ad Canonem Alexandri III. duo valde notanda, primum quia Alexander declarat opus eſſe monitione prævia ad ſuſcipiendos ordines, Gregorius autem amovet illam conditionem ſine qua proviſus nihilominus excidet beneficio. Item Alexander ſtatuit fieri privationem beneficij per judicis ſententiam, Gregorius verò privari ſtatuit ipſo jure. Concilium Tridentinum præfatum Alexandri III. decretum renovat ſeſſ. 24. c. 12.

Can. XIV. *Nemo deinceps Parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima & Sacerdotio commendare præſumat, nec tali etiam niſi unam, & evidenti neceſſitate vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem commendam ut præmittitur ritè factam declaramus ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare. Statuentes quidquid ſecus de commendis Eccleſiarum Parochialium actum fuerit eſſe irritum ipſo jure.* Legitur inſertum de electio. in 6. c. nemo deinceps.

Can. XVIII. *Ordinarij locorum ſubditos ſuos plures dignitates vel Eccleſias quibus animarum cura imminet obtinentes, ſeu perſonatum aut dignitatem cum alio beneficio cui cura ſimilis eſt annexa, diſtrictè compellant diſpenſationes authoritate, quarum hujuſmodi Eccleſias, perſonatus ſeu dignitates canonicè tenere ſe aſſerunt, infra tempus pro facti qualitate ipſorum ordinariorum moderandum arbitrio exhibere, quod ſi fortè juſto impedimento ceſſante nullam diſpenſationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ beneficia perſonatus ſeu dignitates quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicitè detineri conſtabit, per eos ad quos illorum collatio pertinet liberè perſonis idoneis conferantur. Cæterum ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficijs hujuſmodi quæ canonicè obtinet moleſtetur. Provideat tamen ordinarius qualiter nec animarum cura in eiſdem Eccleſijs perſonatibus ſeu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipſa debitis obſequijs defraudentur. Si vero de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad ſedem Apoſtolicam recurrendum, cujus eſt æſtimare quemadmodum beneficij ſui eſſe velit. In conferendis inſuper perſonatibus, dignitatibus & alijs beneficijs curam animarum habentibus annexam ijdem ordinarij diligentiam illam obſervent, ut perſonatum, dignitatem vel aliud beneficium, ſimilem curam habens alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam eis ſuper obtentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur. Quâ etiam oſtenſâ, ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eamdem quod is cui collatio eſt facienda, hujuſmodi perſonatum, dignitatem vel beneficium liberè retinere valeat cum obtentis, vel ſi ea quæ ſic obtinet liberè ac ſpontè reſignet. Aliter autem de perſonatibus, dignitatibus & beneficijs talibus facta collatio nullius penitus ſit momenti.* Habetur in c. ordinarij locorum de officio ordinar. in 6.

Can. XIX. *Properandum nobis viſum eſt ut malitioſis litium protractionibus occurratur: quod ſperamus efficaciter provenire, ſi eos qui circa judicia ſuum miniſterium exhibent ad id congruis remedijs dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc ſalubriter fuerant circa patronos cauſarum legali ſanctione proviſa, deſuetudine abolita videantur, nos ſanctionem eamdem præſentis rediviva conſtitutionis ſuffragio cum aliqua tamen adjectione, nec non & moderamine renovantes, ſtatuimus ut omnes & ſinguli advocationis officium in foro Eccleſiaſtico, ſive apud ſedem Apoſtolicam, ſive alibi exercentes præſtent, tactis Sacroſanctis Evangelijs, juramentum quod in omnibus cauſis Eccleſiaſticis & alijs in eodem foro tractandis, quarum aſſumpſerunt patrocinium vel aſſument, omni virtute ſua omnique ope, id quod verum & juſtum exiſtimaverint, ſuis clientulis inferre procurent, nihil in hoc ſtudij quod eis poſſibile ſit relinquentes, quodque in quacumque parte judicij eis innotuerit improbam fore cauſam quam in ſua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, imo ab ea omnino recedent, à communione illius ſe penitus ſeparantes: reliquis quæ circa hæc ſunt in eadem ſanctione ſtatuta inviolabiliter obſervandis. Procuratores inſuper juramento ſimili aſtringantur. Hujuſmodi quoque juramentum tam Advocati quam procuratores in foro in quo idem aſſumpſerunt officium, teneantur annis ſingulis iterare. Qui vero ad eamdem ſedem veniunt vel ad curiam cujuſlibet Eccleſiaſtici judicis in qua non tale præſtiterant juramentum accedunt, in aliquibus ſingularibus cauſis patrocinium vel procurationis miniſterium præſtituri, præſtent in ſingulis cauſis eiſdem motâ controverſiâ, ſimile juramentum. Advocati autem & procuratores qui juxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum ſuorum hujuſmodi voluntate durante ſibi noverint interdictam. Quod ſi juramentum præſtitum violare præſumpſerint præter reatum perjurij, conſiliarij etiam qui ſcienter iniquam cauſam foverint divinam & noſtram maledictionem incurrant, à qua non aliter liberentur niſi duplum ejus reſtituerint, quod pro tam iniquis advoca-*

*tione*

*tione procuratione vel conſilio receperunt. Ac nihilominus de damnis quæ per iniqua hujuſmodi miniſteria partibus irrogarunt, illis ſatisfacere teneantur. Cæterum ne cupiditatis ardor aliquos ad hæc ſalubria ſtatuta contemnenda præcipitet, diſtrictius inhibemus ne aliquis advocatus in quacumque cauſa ultra viginti, procurator vero ultra duodecim libras Turonenſes recipere ſalarij nomine, vel etiam ſub palmarij colore præſumat. Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum quæ prædictam quantitatem excedunt acquirant, ſed ad reſtitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum ad quæ reſtituenda eos teneri præmiſimus in fraudem præſentis conſtitutionis remitti poſſit eiſdem. Et inſuper advocati conſtitutionem præſentem taliter violantes, ab advocationis officio triennio ſuſpendantur; Procuratores vero ex tunc ſibi ſciant cujuſlibet procurationis in judicio licētiā denegatā.*

Spectabilis eſt Juſtiniani lex rem non novam c. de judicijs, de jurejurando à judicibus & cauſarum patronis præſtando, & de habendo aſſiduè ſacrarum ſcripturarum Codice in ipſo judicij loco. Idem de jurejurando præcipiunt Gallicana edicta, quale eſt Franciſci primi anno 1535. c. 4. a. 1. Carolus etiam nonus anno 1560. art. 56. jubet advocatis ut fideliter & ſincerè partibus conſilium ſecundum jus ſuggerant, vetatque pravis cauſis patrocinari, ſub pœna omnis damni & expenſi partibus reſarciendi. S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium. *Redde quod accepiſti quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, judices fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de facilitate viciſti,* & S. Thomas 2. 2. q. 72. a. 3. ad. 2. *Dicendum quod advocatus ſi in principio credit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet etiam prodere ut ſcilicet alteram partem juvet, vel ſecreta ſua cauſæ alteri parti revelet, poteſt tamen & debet cauſam deſerere, vel eum cujus cauſam agit ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarij damno.*

Can. XXI. *Statutum felicis recordationis Clementis Papæ quarti prædeceſſoris noſtri de dignitatibus & beneficijs in curia Romana vacantibus, nequaquam per alium quam per Romanum Pontificem conferendis decrevimus taliter moderandum, ut ij ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum ſpectat collatio, ſtatuto non obſtante prædicto, demum poſt menſem à die quo dignitates ſeu beneficia ipſa vacaverint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per ſeipſos, vel ipſis agentibus in remotis per ſuos Vicarios generales in eorum diœceſibus exiſtentes, quibus id canonicè ſit commiſſum.* C. ſtatutum de præben. in 6.

Can. XXII. *Hoc conſultiſſimo prohibemus edicto univerſos & ſingulos prælatos Eccleſias ſibi commiſſas bona immobilia ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubijcere ſeu ſupponere, abſque capituli ſui conſenſu & ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, non concedendo bona ipſa vel jura in emphyteoſim, ſeu aliàs alienando in forma & caſibus à jure permiſſis, ſed conſtituendo vel recognoſcendo ſeu profitendo ab illis ea tanquam à ſuperioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando (prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur à voher) vel ipſos Patronos ſeu advocatos Eccleſiarum ſeu bonorum ipſarum perpetuò aut ad tempus non modicum ſtatuendo. Contractus autem omnes etiam juramenti pœnæ vel alterius cujuſlibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia ex conſenſu contigerit celebrari, & quidquid ex eis ſequutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et nihilominus prælatos qui ſecus egerint ipſo facto officio & adminiſtratione, cler. eos autem qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumptū id ſuperiori denunciare neglexerint, à perceptione beneficiorū quæ in Eccleſia ſic gravata obtinent triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero qui prælatos vel capitula Eccleſiarum ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem remiſſa ſubmiſſione, quam per vim aut metum exegerant, Eccleſias & bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate admittant. Illi etiam qui de cætero prælatos vel perſonas eaſdem ad talia facienda compulerint cujuſcumque ſint conditionis aut ſtatus, excommunicationis ſint ſententiâ innodati, contractibus præterea ſuper præmiſſis hujuſmodi, licentia & conſenſu intervenientibus, hactenus initis, vel quos in futurum iniri continget, ſeu occaſione illorum laici ultra id quod eis ex natura contractuum ipſorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui verò ſecus egerint niſi legitimè moniti ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam quæ taliter uſurparant, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant & ex tunc ad ſupponendum terram ipſorum ſi opus fuerit Eccleſiaſtico interdicto libere procedatur.* C. hoc conſultiſſimo de reb. Eccl. non alien.

Can. XXIII. *Religionum diverſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale Conciliū cōſulta prohibitione vetuit (loquitur de Lateranēſi ſub Innoc. III. c. 12.) Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio, illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, veniam etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum ordinū, præcipuè mendicantiū quorū nondū approbationis meruere principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit, repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem, aut religionem inveniat vel habitum novæ religionis aſſumat. Cunctas affatim religiones & ordines mendicantes poſt dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & quatenus proceſſerant revocamus. Confirmatos autem per ſedem eamdem, poſt tamen idem Conci-*

parati eramus vocare reges & prælatos & principes tam Eccleſiaſticos quam ſæculares ad aliquem tutum locum, ubi per ſe vel ſolemnes nuncios convenirent. Eratque parata Eccleſia de conſilio Concilij ſibi ſatisfacere ſi eum læſiſſet in aliquo, ac revocare ſententiam ſi quam contra ipſum injuſte tuliſſet & cum omni manſuetudine & miſericordia quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat recipere de injurijs & offenſis ipſi Eccleſiæ ſuiſque per eum irrogatis ſatisfactionē ab eo volebat. Et omnes amicos ſuos ſibique adhærentes in pace ponere plenaque ſecuritate gaudere, ut numquam hac occaſione poſſent aliquod ſubire diſcrimen. Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis & precum inſiſtere curaremus lenitate, ijdem tamen Pharaonis imitatus duritiam & obturans more aſpidis aures ſuas, preces hujuſmodi & monita elata obſtinatione ac obſtinata elatione deſpexit. Propter quod non valentes abſque gravi offenſa Chriſti ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conſcientia juſte animadvertere in eumdem. Et ut ad præſens de multis alijs ejus ſceleribus taceamus, quatuor graviſſima quæ nulla poſſunt tergiverſatione celari commiſit. Dejeravit enim multoties pacem quondam inter Eccleſiam & imperium reformatam temere violando, &c. Perpetravit ſacrilegium capi faciens Cardinales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac aliarum Eccleſiarum Prælatos, & clericos religioſos & ſæculares, venientes ad Concilium, quod idem prædeceſſor noſter duxerat convocandum, &c. De hæreſi quoque non dubijs & levibus, ſed evidentibus argumentis ſuſpectus habetur, &c. Præter hæc Regnum Siciliæ quod eſt ſpeciale patrimonium Principis Apoſtolorum, & quod idem ab Apoſtolica ſede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem ſervitutemque redegit, quod eis pene nihil habentibus, & omnibus exinde fere probis ejectis, illos qui remanſerunt ibidem ſub ſervili quaſi conditione vivere atque Romanam Eccleſiam, cujus ſunt principaliter homines & vaſſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter impugnare compellit. Poſſet etiam merito reprehendi quod mille quidem furtorum & annuam penſionem in qua pro eodem regno ipſi Eccleſiæ Romanæ tenetur per novem annos & amplius ſolvere prætermiſit. Nos itaque ſuper præmiſſis & quam pluribus alijs ejus nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Ieſu Chriſti vices licet immeriti teneamus in terris, nobiſque in B. Petri perſona ſit dictum quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis, memoratum principem qui ſe Imperio & Regnis, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, quique propter ſuas iniquitates adeo ne regnet & imperet eſt abjectus, ſuis ligatum peccatis & abjectum omnique honore ac dignitate privatum à Domino oſtendimus denunciamus & nihilominus ſententiando privamus: omnes qui ei juramento fidelitatis tenentur aſtricti, à juramento hujuſmodi perpetuo abſolventes: authoritate Apoſtolica firmiter inhibendo ne quiſquam de cætero ſibi tanquam Imperatori vel Regi pareat & intendat. Decernendo quoſlibet qui ei deinceps ut Regi vel Imperatori conſilium vel auxilium præſtiterint ſeu favorem, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio Imperatoris ſpectat electio eligant libere ſucceſſorem. De præfato Siciliæ Regno eligere curabimus cum eorumdem fratrum noſtrorum conſilio, ſicut videbimus expedire C. ad Apoſtolicæ. de ſent. & re jud. in 6.

Cordi nobis eſt lites minuere & à laboribus relevare ſubjectos, ſancimus igitur ut ſi quis in judicio vel extra ſuper interlocutoria vel gravamine aliquo ad nos duxerit appellandum, cauſam appellationis in ſcriptis aſſignare deproperet, petat Apoſtolos quos ei præcipimus exhiberi: in quibus appellationis cauſam exprimat, & cur appellatio non ſit admiſſa, vel ſi appellationi forſan ex ſuperioris reverentia ſit delatum. Poſt hoc appellaturi ſecundum locorum diſtantiam, perſonarum & negotij qualitatem, tempore proſecutionis indulto, ſi voluerit appellatus & petierit, principales perſonas per ſe vel procuratores inſtructos cum mandatis ad agendum & cum rationibus & munimentis ad cauſam ſpectantibus, accedant ad ſedem Apoſtolicam ſic parati ut (ſi nobis viſum fuerit expedire) finito appellationis articulo vel de partium voluntate omiſſo, procedant in negotio principali quantum de jure poterit & debebit, his quæ in appellationibus à definitivis ſententijs interpoſitis antiquitas ſtatuit non mutatis. Quod ſi appellator quæ præmiſſa ſunt non obſervet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen in expenſis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempſerit hoc ſtatutum in eum tanquam contumacem tam in expenſis quam in cauſa (quantum à jure permittitur) procedatur. Iuſtum eſt equidem ut in eum jura inſurgunt, qui jus & judicem & partem eludit. C. 1. de appellatio. in 6.

Legitimâ ſuſpicionis cauſâ contra judicem aſſignatâ, & arbitris à partibus ſecundum formam juris electis qui de ipſa cognoſcant, ſæpe contingit quod ipſis in idem convenire nolentibus nec tertium advocantibus, cum quo ambo vel alter eorum procedat ad deciſionem ipſius negotij, ut tenentur, judex proferat excommunicationis ſententiam contra ipſos, quam ipſi tum propter odium tum propter favorem partium diutius vilipendunt. Quare cauſâ ipſa plus debito

Digitized by Google

*debito prorogatâ, non proceditur ad cognitionem negotij principalis. Volentes igitur morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, ſtatuimus ut ipſis arbitris per judicem competens terminus præfigatur; infra quem in idem conveniant vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo vel alter eorum ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent. Alioquin judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.* C. legitima eod. tit.

9. *Pro humani redemptione generis de ſummis cælorum ad ima mundi deſcendens, & mortem tandem ſubiens temporalem Dei filius Ieſus Chriſtus, ne gregem ſui pretio ſanguinis glorioſi redemptum aſcenſurus poſt reſurrectionem ad patrem abſque paſtore desereret, ipſius curam beato Petro Apoſtolo (ut ſuæ ſtabilitate fidei cæteros in Chriſtiana religione firmaret, eorumque mentes ad ſalutis opera ſuæ accenderet devotionis ardore) commiſit, unde nos ejuſdem Apoſtoli effecti diſponente Domino (licet immeriti) ſucceſſores & ipſius redemptoris locum in terris, quamquam indignè tenentes, circa gregis ejuſdem cuſtodiam ſollicitis excitati vigilijs, & animarum ſaluti jugis attentione cogitationis intendere, ſummovendo noxia & agendo profutura debemus. Vt excuſſo à nobis negligentiæ ſomno, noſtrique cordis oculis diligentiâ ſedulâ vigilantibus, animas Deo lucrifacere ſua nobis cooperante gratia valeamus. Cum igitur illi qui ſic horrenda inhumanitate deteſtandaque ſævitia mortem ſitiunt aliorum, ut ipſos faciant per aſſaſinos occidi, non ſolum corporum ſed etiam mortem procurent animarum, niſi eos exuberans gratia divina prævenerit, ut ſint armis ſpiritualibus præmuniti, ac omnis poteſtas tribuatur à Domino ad juſtitiam rectumque judicium exercendum, nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præſumptiones Eccleſiaſticæ animadverſionis mucrone ferire, ut metus pœnæ meta hujuſmodi præſumptionis exiſtat, præſertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes coacti fuerint ſecuritatem ab eorumdem aſſaſinorum Domino impetrare, ſicque ab eo non abſque Chriſtianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam ſuam, ſacri approbatione Concilij ſtatuimus ut quicumque Princeps, Prælatus ſeu quævis alia Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) aut eos receptaverit vel defenderit ſeu occultaverit, excommunicationis & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat ſententias ipſo facto, & illa alijs liberè per illos ad quos eorum collatio pertinet conferantur. Sit etiam cum ſuis bonis mundanis omnibus tanquam Chriſtianæ religionis æmulus à toto Chriſtiano populo diffidatus perpetuo. Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis vel depoſitionis ſeu diffidationis adverſus eum ſententia requiratur.* C. 1. de homicid. in 6.

Mirum eſt tantam fuiſſe illius ſæculi in loquendo barbariem, ut quæ tribus quatuorve lineolis exprimi perſpicuè ac eleganter poterant, longiſſimis & perplexis multiloquiorum ambagibus & interjectis inutilibus frequentibus & intricatis parentheſum multiplicium anfractibus, ad ultimam uſque nauſeam exprimere affectarent, etiam eminentes dignitate perſonæ, ut ex ejus Concilij conſtitutionibus liquido conſtat. Quæ etiam in originali plerumque prolixiores ſunt quam in compilatione canonica Pontificis Bonifacij quam ſequi prælegi.

*Volentes libertatem quam nonnullis Apoſtolica ſedes privilegio exemptionis indulſit ſic integram obſervari, ut & illam alij non infringant & ipſi limites ejus non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque ſic exempti gaudeat libertate, nihilominus tamē ratione delicti ſive contractus, aut rei de qua contra ipſos agitur ritè poſſunt coram locorum ordinarijs conveniri, & illi quoad hoc ſuam in ipſos juriſdictionem prout jus exigit exercere. Numquid ergo caret omnino in his commodo libertatis? Non utique quia nec coram ordinarijs ipſis dummodo ſit in loco exempto commiſſum delictum, vel contractus initus, aut res religioſa, nec ubi domicilium habent, ſi alibi delinquant vel contrahant, aut res ipſa conſiſtat, conveniri poſſunt aliquatenus ſuper iſtis: nec domiciliorum prætextu locorum diœceſani (ſi ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipſa conſiſtit illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipſis ut illic reſpondeant injungendi aliquam habent poteſtatem: ſaluis nihilominus caſibus alijs in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta. Et idipſum decernimus circa illos quibus, ut non niſi ſub uno certo judice teneantur de ſe conquerentibus reſpondere, Apoſtolico privilegio eſt conceſſum. In eos autem quibus ne interdici ſuſpendi vel excommunicari à quoquam valeant à ſede Apoſtolica eſt indultum, ſicut ſunt religioſi quamplures in quorum privilegijs continetur ne quiſquam Epiſcopus vel Archiepiſcopus monaſteriorum ſuorum monachos pro ulla cauſa ullove loco interdicere, ſuſpendere vel excommunicare præſumat: ijdem ordinarij juriſdictionem ſuam quantum ad iſta ubicumque illi fuerint penitus exercere non poſſunt. Niſi forſan ipſi monachi ad monaſteriorum ſuorum prioratus ordinarijs eiſdem ſubjectos (ut vel gerāt eorum regimen, vel in eis tanquam proprij ipſorum locorum Monachi redeant) fuerint deſtinati: tunc enim illi liberè poſſint ad eadem monaſteria revocare, ac tam illorum quam ipſorum prioratuum Monachi reputentur (cum non ſit inconveniens aliquem utrobique locum habere Monachicum) unum alteri ſubeſſe*

*Monaſterio vel ab ipſo noſcitur dependere: ratione tamen eorumdem Prioratuum, dicti ordinarij ſua juriſdictione, in ipſis etiam quoad præmiſſa quandiu morantur in illis, licitè uti poſſunt.*

C.1. de privilegijs in 6. vide infra Concilium Tridentinum ſeſſ.7. de refor. c.14. ubi hæc decretalis innovatur.

10. *Cum de diverſis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apoſtolicam quaſi matrem, nos ad communem tam ipſorum quam aliorum omnium commodum & profectum paterna ſollicitudine intendentes, ut ſit illis mora hujuſmodi fructuoſa providimus quod ibidem regatur & vigeat iuris divini ſtudium & humani, Canonici videlicet & Civilis. Vnde volumus & ſtatuimus ut ſtudentes in Scholis ipſis penes ſedem eamdem, talibus privilegijs omnino libertatibus & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent ſtudentes in ſcholis ubi generale regitur ſtudium, ac recipiant integrè proventus ſuos Eccleſiaſticos, ſicut illi.* C.eumdem diverſis de privileg.in 6.

Honorius Papa III. c. fin. de Magiſtris eos qui propter ſtudium Theologiæ abſint à propria Eccleſia tametſi non reſideant, decernit per ſtudij quinquennium percipere beneficiorum proventus. Præterea ut uberior doctrinæ Seges ac proventus percipiatur ex linguarum cognitione, ſancitum eſt in Concil. Viennenſi cui præſeditClem.Papa V. ut in celeberrimis univerſitatibus quales deſignat Romanam, Bononienſem, Pariſienſem, Oxonienſ. & Salamanticenſem erigantur Scholæ in quibus à peritis profeſſoribus aſſignatis convenientibus ſtipendijs doceantur linguæ Hebraica, Chaldaica & Arabica, duobus electis uniuſcujuſque harum Linguarum peritis, qui & publicè quoſvis accedentes doceant & harum linguarum libros in Latinum fideliter transferant.

*Romana Eccleſia & infra. Quæſtoribus autem fabricæ Eccleſiæ Rhemenſis Archiepiſcopus ſeu Officiales ejus citandi ſuffraganeorum ipſius Eccleſiæ ſubditos (quos ijdem quæſtores ſibi reſiſtere aut nolle parere dixerint) ut ſuper hoc compareant coram ipſis nequaquam tribuant poteſtatem. Super benigna vero ipſorum receptione ac ſubventione ipſi fabricæ facienda poſſunt eoſdem ſuffraganeos & alios Chriſti fideles Rhemenſis Eccleſiæ charitativè monere. In concedendis quoque indulgentijs non excedat Rhemenſis Archiepiſcopus ſtatutum Concilij generalis.*

Id ſtatutum videri poteſt ſupra in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c.62. c.1. de pœnit. & remiſ. in 6.

*Cum medicinalis ſit excommunicatio non mortalis; diſciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat, cautè prævideat judex Eccleſiaſticus ut in ea ferenda oſtendat ſe proſequi quod corrigentis fuerit & medentis. Quiſquis igitur excommunicat excommunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſsè conſcribat propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero ejuſmodi Scripturæ teneatur excommunicato tradere intra menſem ſi fuerit requiſitus: ſuper qua requiſitione fieri volumus publicum inſtrumentum, vel litteras teſtimoniales confici ſigillo authentico conſignatas. Si quis autem judicum hujuſmodi conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem unum ab ingreſſu Eccleſiæ & divinis Officijs noverit ſe ſuſpenſum. Superior vero ad quem recurritur ſententiam ipſam ſine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expenſas & omne intereſſe condemnet, & aliàs puniat animadverſione condigna, ut pœna docente diſcant judices quam grave ſit excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare. Et hæc eadem in ſuſpenſionis & interdicti ſententijs volumus obſervari. Caveant autem Eccleſiarum Prælati & judices univerſi ne prædictam pœnam ſuſpenſionis incurrant: quoniam ſi contingeret ſic ſuſpenſos divina officia exequi ſicut prius irregularitatem non effugiunt, juxta Canonicas ſanctiones ſuper qua non niſi per Summum Pontificem poterit diſpenſari.* C.1. de ſent.excom. in 6.

*Solet à nonnullis in dubium revocari an cum aliquis per ſuperiorem abſolvi poſtulat ad cautelam dum in ſe latam excommunicationis ſententiam aſſerit eſſe nullam, ſine contradictionis obſtaculo munus ei abſolutionis debeat impendi. Et an ante abſolutionem hujuſmodi is qui ſe offert in judicio probaturum ſe poſt appellationem legitimam excommunicatione innodatum, vel intolerabilem errorem in ſententia fuiſſe patenter expreſſum, ſit in cæteris (excepto probationis illius articulo) evitandus? in prima igitur dubitatione ſic ſtatuimus obſervandum ut petenti abſolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator ſeu adverſarius ſe opponat niſi eum excommunicatum pro manifeſta dicat offenſa: in quo caſu terminus octo dierum indulgebitur ſic dicenti ut ſi probaverit quod opponit, non relaxetur ſententia niſi prius ſufficiens præſtetur emenda vel competens cautio de parendo juri, ſi offenſa dubia proponatur. In ſecunda vero quæſtione ſtatuimus ut is qui ad probandum admittitur pendente probationis articulo in cæteris quæ ut actor in judicijs attentaverit interim evitetur. Extra judicium vero in officijs, poſtulationibus & electionibus, ac alijs legitimis actibus nihilominus admittatur.* C. ſolet. de ſent. excom. in 6.

*Statuimus ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione & alijs quibus ligatur participans, excommunicatione minori ante monitionem Canonicam excommunicare majori excommunicatione præſumat; ſalvis conſtitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in crimine præſumunt participare dam-*

*nato*

Digitized by Google

*nato. Quod ſi ex locutione & aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat, poterit judex poſt monitionem Canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.* C. ſtatuimus de ſent. excom. in 6.

*Quia periculoſum eſt Epiſcopis & eorum ſuperioribus propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit ut in aliquo caſu interdicti vel ſuſpenſionis incurrant ſententiam ipſo facto, nos deliberatione provida duximus ſtatuendum, ut Epiſcopi & alij ſuperiores Prælati nullius conſtitutionis occaſione ſententiæ ſive mandati prædictam incurrant ſententiam ullatenus ipſo jure, niſi in ipſis de Epiſcopis expreſſa mentio habeatur.* C. quia periculoſum eod. tit. in 6.

*Romana Eccleſia & infra. Cæterum interdicti vel excommunicationis ſententias latas ab officialibus Archidiaconorum, ſeu quibuſlibet alijs juriſdictionem habentibus ſuffraganeorum Rhemenſis Eccleſiæ ſubditis, Rhemenſis Archiepiſcopus & ejus Officiales (omiſſis ipſis excommunicatoribus) non relaxent, ſalva contraria conſuetudine ſuper hoc ſi quam habent. Porro excommunicationum ſententiæ à Rhemenſi Archiepiſcopo ſuiſque Officialibus generaliter promulgatæ, ſubjectos juriſdictioni ejuſdem Archiepiſcopi tantum ligant. Sed nec in ſpecie nec in genere pro culpis & offenſis præteritis vel præſentibus excommunicationum ſententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent, & ſi contra præſumpſerint injuſtas noverint eſſe illas. Caveant etiam ne tales ſententias excommunicationis, ſive ſpecialiter ſive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet ſi tale quid fecerint, vel etiam pro jam commiſſis ſub hac forma ſi de illis intra tale tempus minimè ſatisfecerint proferre præſumant: niſi mora in exhibenda ſatisfactione vel culpa ſeu offenſa præceſſerit, quibus meritò ad injungendam ſatisfactionem huiuſmodi & taliter prohibenda ſimilia inducantur, aut alia rationabilis (quam in ipſis ſententijs exprimant) cauſa ſubſit. In Vniverſitatem vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare quod exinde ſequi poſſet, cum nonnunquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententiâ irretiri: ſed in illos dumtaxat de Collegio vel Vniverſitate quos culpabiles eſſe conſtiterit promulgetur.* C. Romana Eccleſia eod. tit. in 6.

*Dilecto filio Decano Aurelianenſi & infra. Præterea cum omnes leges omniaque iura vim vi repellere, cunctiſque ſe defenſare permittant, licuit utique ipſi Decano ſi prædictus Bailivus eum bonis ſuis mundanis iniuriosè ſpoliare vel ea violenter occupare præſumpſerit ut ſuperius eſt expreſſum, contra illius violentiam iniuriamque ſe tueri. Et quoniam adverſus eius nimiam potentiam ſufficiens temporalis defenſio fortè non aderat, potuit etiam ſpiritualiter, gladio videlicet utendo Eccleſiaſtico, defenſare ac recurrere propter hoc ad arma ſpiritualia, quæ ſunt Eccleſiæ propria, vel pro ſuo munimine illis uti: præſertim cum dictus Bailivus poſt latas ad eum ab eodem Decano ex alijs cauſis excommunicationis ſententias (ſicut idem Decanus aſſeruit) ipſum tanquam exinde provocatus ſententijs ipſis contemptis, bonis ſpoliaſſet iiſdem: & propter hoc poſtmodum ipſe Decanus ſententiam tulerit interdicti tanquam ſpirituali ſe mucrone defendens contra illius injuriam & violentiam, ſibi ab eodem occaſione prædictarum ſententiarum & in ipſarum contemptum illatam. Et quidem cum liceat cuilibet ſuo vicino vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impartiri auxilium, imò ſi poteſt & negligit videatur injuriantem fovere ac eſſe particeps ejus culpæ, licuit profectò ipſi Decano proprio ſibimet ſubvenire ſubſidio, & ſuammet temporalem injuriam ſuâ propriâ ſpirituali defenſione tueri: ſicque utrumque quodammodo gladium & temporalem & Eccleſiaſticum alterum videlicet altero adiuvare: maximè quia hi duo gladij conſueverunt exigente neceſſitate ſibi ad invicem ſuffragari: & in iuvamen alterius mutua ſubventione frequentius exerceri.* C. dilecto eod. tit. in 6.

11. Hoc eodem in Concilio inſigne rubri pilei Cardinalibus datum proditur. In eodem pariter produnt aliqui occaſione depoſitionis Friderici fuiſſe jus Imperatorem eligendi Septemviralibus ſuffragijs alligatum: quidam vero hoc referunt ad ſecundum Lugdunenſe Concilium, ſub Gregorio decimo celebratum. Ab alijs autem refertur id inſtitutum ad Gregorium V. Pontificem & Othonem tertium Imperatorem, qui cum eſſent patriâ Teutonici, jus iſtud Teutonicis Principibus attribuerunt. Fuerat quidem antea ſucceſſio ad Imperium juris hæreditarij. Cum autem Otho tertius nullos haberet liberos, urgeretque metus futuri internecini belli pro hac ſucceſſione ob diverſa Principum ſtudia, conſtat quidem tum primum Pontificia ſimul & Imperiali ſanctione Germanicum Imperium fuiſſe Principum Germanorum deinceps electioni alligatum, ſive omnium ut multi contendunt, ſive ſeptemvirorum dumtaxat ut alij conſtanter aſſerunt, eſt enim de his magna inter eruditos pleroſque concertatio. Conſule c. venerabilem de electio. cujus eſt author Innocentius tertius. Decreto etiam hujuſce generalis Concilij proclamata fuit generalis Chriſtianorum bellica expeditio nomine Cruciatæ, atque ad ejus expenſas neceſſarias deſtinata fuit non quidem quod erroneè ſcribit Abbas Stadenſis in Chronico ad annum 1245. vigeſima proventuum Eccleſiaſticorum pars ſed quinta dumtaxat, idque ad triennium, id enim compertum eſt ipſiſmet verbis decreti 17. iſtius Concilij. *Cæterum* (inquit) *ex communi Concilij approbatione ſtatuimus ut omnes omnino*



Digitized by Google

*nino Clerici tam ſubditi quam Prælati vigeſimam Eccleſiarum proventuum uſque ad triennium conferant in ſubſidium terræ Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apoſtolicâ fuerint providentiâ ordinati: quibuſdam dumtaxat Religioſis exceptis ab hac præſtatione meritò eximendis, illiſque ſimiliter qui aſſumpto vel aſſumendo Crucis ſignaculo ſunt perſonaliter profecturi. Nos & Fratres noſtri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales plenariè decimam perſolvemus. Sciantque ſe omnes ad hoc fideliter obſervandum per excommunicationis ſententiam obligatos, ita quod illi qui ſuper hoc fraudem ſcienter fecerint, ſententiam excommunicationis incurrant.*

## *SELECTA CAPITA EX STATUTIS Sancti Ludovici Francorum Regis apud Pariſios anno 1254.*

CAP. I. *QUæſtus quidem illicitos quantum poſſibile fuerit in Ballivis & alijs Curialibus noſtris reprimere cupientes, Seneſcallos, Ballivos, Præpoſitos, Vicecomites, & Villarum majores, & alios Officiales noſtros, juramento ſubſcripto duximus aſtringendos: Cujus ſi ipſi Seneſcalli, Ballivi & alij Officiales noſtri fuerint tranſgreſſores pœnas debitas in bona ipſorū, vel ſi res exigat in perſonas, noſtræ voluntatis vel deputatorum à nobis arbitrio reſervamus. Si vero majores Ballivos vel Officiales dejerare contigerit, in hac parte à Seneſcallis ſub bonarum teſtimonio perſonarum & cum ipſarum conſilio puniantur.*

CAP. II. *Iurabunt igitur omnes & ſinguli ſupradicti quod quandiu commiſſam ſibi tenebunt Seneſcalliam, vel Balliviam, Præpoſituram, vel aliud quodcumque Officium ſupradictum, tam minoribus quam mediocribus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam ſubjectis, ſine nationum & perſonarum acceptione jus reddent: ſervantes tamen in locis ſuis ſua jura, uſus & conſuetudines approbatas.*

CAP. III. *Iurabunt inſuper bona fide jura noſtra requirere & ſervare, & aliorum jura ſcienter non auferre nec diminuere nec etiam impedire.*

CAP. IV. *Iurabunt etiam donum ſeu munus quodlibet à quacumque perſona per ſe vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, vel rebus alijs quibuſcumque mobilibus aut immobilibus, aut ſe moventibus, ſeu beneficijs perſonalibus ſive perpetuis, præter eſculenta, quorum valor in una hebdomada ſummam decem ſolidorum Pariſiorum non excedat: & quod dicta bona ſeu beneficia uxoribus ſuis, liberis, fratribus, ſororibus, nepotibus, neptibus, vel conſanguinibus, aut domeſticis ſeu conſimilibus minimè procurabunt. Imò bona fide diligentiam adhibebunt, ne uxores ſuæ vel aliæ perſonæ proximè nominatæ, dona vel munera recipiant. Quod ſi fecerint ex quo hoc ſciverint eos ad reſtituendum bona fide compellant, ſub debito juramento.*

His conformantur alia Francica edicta quale eſt Caroli IX. Regis in Comitijs Aurelianenſibus art. 43. prohibens etiam munera victualia litigantium. Deuſque ipſe ſic loquitur Deuter. 16. v. 19. *Non accipies perſonam nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.*

CAP. V. *Iurabunt etiam quod ab illis de ſua Seneſcallia vel Ballivia nec ab illis qui cauſam habent coram ipſis vel ſcient in proximo habituros, mutuum non recipient per ſe vel per alium, ultra ſummam viginti librarum quas reddent à die contracti mutui infra duos menſes, licet etiam creditores velint ſolutionis terminum prorogare.*

2. CAP. XI. *Inhibemus vero diſtrictè Seneſcallis & Ballivis noſtris, poſſeſſiones aliquas per ſe vel per alium emere, adminiſtratione durante in Seneſcallia vel Ballivia ſua, vel fraudulenter in alia ſine noſtra licentia præcedente. Quod ſi fecerint emptionem irritam eſſe, & poſſeſſiones ſic emptas fiſco noſtro ſi nobis placuerit volumus applicari.*

Sanctam iſtam Ludovici legem (ait Baluſius) diu viguiſſe conſtat, adeò ut cum Gancellinus des Vairollis Seneſcallus Cadurcenſis nonnullas poſſeſſiones emiſſet in ſua Seneſcallia, neceſſum ei fuerit anno 1361. litteras à Carolo V. Rege impetrare quibus huic derogaretur ſtatuto.

CAP. XII. *Prohibentes inſuper Seneſcallis & Ballivis noſtris ne quandiu Seneſcalli vel Ballivi fuerint, ſibi vel ſuis liberis, fratribus, aut ſororibus, nepotibus, neptibus, conſanguineis, vel quibuſcumque de ſua familia matrimonia copulent cum perſonis ſuæ Seneſcalliæ aut Balliviæ ſuæ, ſine noſtro ſpeciali conſenſu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia Eccleſiaſtica vel poſſeſſiones eis acquirant.*

Hoc ſimiliter ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de reform. matrim. can. 9. *Ita plerumque temporalium Dominorum ac Magiſtratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes maximè divites & ſpem magnæ hæreditatis, habentes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium contrahere, quos ipſi Domini vel Magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cum maximè nefarium ſit matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias naſci à quibus jura expectantur, præcipit ſancta Synodus omnibus cujuſcumque gradus dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè ſubditos ſuos vel quoſcumque alios cogant, quo minus liberè matrimonia contrahant.*

CAP. XX.

Digitized by Google

Cap. XX. *Quia vero nemo ſine cauſa vel culpa privandus eſt iure ſuo, Ballivis noſtris & alijs officialibus prædictis inhibemus, ne deſaiſiant aliquem ſine cauſæ cognitione, vel noſtro ſpeciali mandato: ſubditos etiam noſtros novis exactionibus conſuetudinibus vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ cauſâ non mandent, ſed ex cauſa tantummodo neceſſaria. Et tunc volentes perſonalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.*

Cap. XXIII. *Cæterum ordinationem factam de Iudæis diſtrictè obſervari præcipimus quæ talis eſt. Iudæi ceſſent ab uſuris, & blaſphemijs, & ſortilegijs, & tam talmud quam alij libri in quibus inveniuntur blaſphemiæ comburantur. Et Iudæi qui hoc ſervare noluerint expellantur, & tranſgreſſores legitimè puniantur. Et vivant omnes Iudæi ex laboribus manuum ſuarum vel de negotiationibus ſine terminis & uſuris.*

Cap. XXIV. *Præterea prohibemus diſtrictius quod nullus omnino ad taxillos ludat, ſive aleis ſive ſcacis. Scholas etiam deciorum (id eſt des Berlans) prohibemus, & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas diſtrictius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.*

His conformantur tit. ff. de aleatoribus & authen. de ſanctiſſimis Epiſc. §. interdicimus colla. 9. & Apoſt. can. 41. & 42. & ex Concil. Lateran. ſub Innocentij III. ca. Clerici officia. de vita & honeſt. Cler.

3. Cap. XXV. *Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam niſi ſit tranſiens, vel viator, vel in ipſa villa non habeat aliquam manſionem.*

Si hæc laicis publica lege prohibentur, quanto magis Clericis interdicuntur? Vide Apoſtolorum can. 53. Eadem vetantur can. Laodicenſi 24. & ſextæ Synodi can. 9. & Concilij Carthag. III. can. 27. & his poſterioribus pleriſque Canonibus.

## *SANCTI LVDOVICI FRANCORVM Regis Pragmatica Sanctio.*

1. Ludovicus *Dei gratia Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam: pro ſalubri & tranquillo ſtatu Eccleſiæ regni noſtri, nec non pro divini cultus augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute, utque gratiam & auxilium omnipotentis Dei (cujus ſolius ditioni ac protectioni regnum noſtrum ſemper ſubjectum extitit, & nunc eſſe volumus) conſequi valeamus, quæ ſequuntur hoc edicto conſultiſſimo in perpetuum valituro ſtatuimus & ordinamus.*

*Primò ut Eccleſiarum regni noſtri Prælati patroni & beneficiorum Collatores ordinarij jus ſuum plenariè habeant, & unicuique ſua juriſdictio ſervetur.*

2. *Item Eccleſiæ Cathedrales & aliæ regni noſtri liberas electiones, & earum effectum integraliter habeant.*

3. *Item ſimoniæ crimen peſtiferum Eccleſiam labefactans à regno noſtro penitus eliminandum volumus & jubemus.*

4. *Item promotiones, collationes, proviſiones & diſpoſitiones Prælaturarum dignitatum & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum regni noſtri, ſecundum diſpoſitionem, ordinationem & determinationem iuris communis, ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum Sanctorum antiquorum Patrum fieri volumus & ordinamus.*

5. *Item exactiones & onera graviſſima pecuniarum per Curiam Romanam Eccleſiæ regni noſtri impoſita vel impoſitas, quibus miſerabiliter regnum noſtrum depauperatum extitit, ſive etiam imponendas vel imponenda levari aut colligi nullatenus volumus, niſi dumtaxat pro rationabili pia & urgentiſſima cauſa, vel inevitabili neceſſitate & de ſpontaneo & expreſſo conſenſu noſtro, & Eccleſiæ regni noſtri.*

6. *Item libertates franchiſias, prærogativas, iura ac privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſivè per nos Eccleſiis, Monaſteriis ac locis piis Religioſis, nec non Eccleſiaſticis perſonis regni noſtri conceſſas & conceſſa, innovamus, laudamus & approbamus.*

## *CONCILIVM LONDINENSE anni 1268.*

1. Othobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis anno 1268. à Clem. IV. miſſus Apoſtolicus Legatus, ad reformandas regnorum Angliæ, Scotiæ atque Hiberniæ Eccleſias, inſtaurandamque in eis collapſam ſacrorum Rituum morumque ſanctiorum inſtitutionem, Concilium nationale Antiſtitum totius Britanniæ Hiberniæque inſularum, Londini quæ primaria eſt Angliæ civitas quam interluit fluvius Tameſis, convocavit; quod magnum ratione præeminentis Excellentiæ vocatur à Mathæo Veſtmonaſterienſi. Cujus ſumma præcipuaque apud gentes illas authoritas fuit ejuſque inſtituta religiosè ab Anglis, Scotis, Hibernis & Valliæ populis ſervata ſunt, aduſque Provinciarum illarum à Romana Eccleſia ſub Henrico Rege VIII. defectionem.

Can. I. *Quia multorum ſimplicitas in Baptiſmi collatione deficeret, cum neceſſitatis articulus immineret, niſi à miniſtris Chriſtianæ fidei docerentur; provide conſtituimus ut Parochiales Presbyteri eorumque perpetui Vicarij formam Baptiſmi Parochianis ſuis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari. Et quia præter certum ſalutis periculum non poteſt hoc negligi* vel

Digitized by Google

*vel omitti, ſtatuimus & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, ut quilibet Archidiaconus per ſuum Archidiaconatum circa Presbyteros & Vicarios ipſos inquiſitionem faciat diligentem, eos quos hoc ſalubre ſtatutum invenerit non ſervare, graviter prout rei qualitas exegerit puniendo.*

2. Can.II. *Quoniam cæca cupiditas ita ruit in Prælatos, ut operum terrenorum quæſtu minimè contenta, pro ſacris etiam & divinis quæ æſtimationem non capiunt, pretium profana venalitate ſuſcipiant, ſtatuimus & præcipimus oleum ſanctificatum, & chriſma à miniſtris Eccleſiæ purè atque devotè qualibet excluſa cupiditatis labe conferri, nulla difficultate in eis exhibendis adhibita, prætextu alicujus conſuetudinis qua dicitur ab eiſdem qui ea recipiunt aliqua quibuſlibet perſolvenda: quibus adjicimus, ut ſuper ijs tam Epiſcopi quam Archidiaconi per loca ſua juriſdictionis contra recipientes inquiſitionem faciant diligentem: & quos tales invenerint tanquam ſimoniacos puniant ſecundum Canonicas ſanctiones. Qui ſi hoc implere neglexerint, Epiſcopus à Pontificalibus, Archidiaconus ab officio, quouſque rem congruè emendaverint ſint ſuſpenſi*

Percommodus videtur iſte locus ad refellendum errorem Calvini, quem hodierni Angli ducem in rebus fidei ſequuntur, ut compleatur effatum illud Chriſti aſſerentis cœcum ſi cœco ducatum præſtet ambos in foveam caſuros. Impudenter hic hæreſiarcha negat quemquam priſcorum Patrum unctionis olei quaſi rei Sacramentariæ meminiſſe. Quod falſiſſimum eſſe ſequentibus teſtimonijs commonſtratur. Tertullianus lib. de reſurrectione carnis. *Caro* (inquit) *ungitur ut anima conſecretur, caro ſignatur ut anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur ut anima ſpiritu illuminetur.* Et in libro de Baptiſmo: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur.* Idem lib. 1. contra Marcionem verſus finem conjungit: *Olei unctionem cum aqua Baptiſmi.* Quemadmodum etiam lib. de Baptiſmo: *In nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit.* Et poſt pauca: *De hinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* S. Cyprianus lib. 1. epiſt. ult. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptiſatus ſit, ut accepto chriſmate eſſe unctus Dei & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit.* Prudentius in ψυχομαχία. *Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ unguentum regale datum eſt & chriſma perenne.* Idemque in hymno ante ſomnum cultor Dei memento Te fontis & lavacri Rorem ſubiſſe ſanctum, Te chriſmate innotatum. S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. cont. Donat. cap. 20. *Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida, quomodo benedicunt oleum tenebræ?* (Et ſubinde.) *Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas.* Conſtanter ibi diſputat Sanctus Doctor & valere baptiſmum etiam ab hæreticis collatum & ſuſceptum, neque Sacramenta tum regenerationis per aquam, tum confirmationis per unctionem & chriſma cum manus impoſitione neque Euchariſtiæ, quæ tria ſimul ex Eccleſiæ veteri uſu conferri mos erat, vim ſuam mutuari à moribus miniſtrantium, ſed ex ipſa Chriſti inſtitutione. Idemque lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *In hoc unguento ſacramentum Chriſmatis vult Petilianus interpretari. Quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum ſicut ipſe Baptiſmus eſt, ſed poteſt eſſe in hominibus peſſimis.* Et inferius. *Diſcerne igitur viſibile ſanctum Sacramentum quod eſſe & in malis poteſt: illis ad præmium, iſtis ad judicium, ab inviſibili unctione charitatis quæ propriè bonorum eſt.* S. Papa Gregorius in Cant. 1. *In Engaddi* (inquit) *balſamum gignitur quod cum oleo Pontificali benedictione chriſma efficitur, quo dona ſancti Spiritus exprimuntur.* Ex Patribus Græcis teſtimonia perſpicua ſuppetunt. Juſtinus q. 137. orthodoxorum ſcribit peractis myſterijs Baptiſmi, conſignari fideles ſacro unguento. Orig. hom. 8. in Levit. prope fin. *Sic ergo converſis à peccato purificatio, purificatio quidem per omnia illa datur quæ ſuperius diximus. Donum gratiæ Spiritus per olei imaginem deſignatur: ut non ſolum purgationem conſequi poſſit is qui à peccato convertitur, ſed à Spiritu ſancto repleri.* Deinde homil. 9. ultra medium: *Omnes quicumque unguento ſacri Chriſmatis delibuti ſunt, Sacerdotes effecti ſunt, ſicut & Petrus ad omnem Eccleſiam dicit: vos autem genus electum regale Sacerdotium.* Cyrillus Jeroſolymitanus Cathech. Myſtag. 3. *Quemadmodum panis Euchariſtiæ poſt ſancti Spiritus invocationem non amplius eſt panis communis ſed eſt corpus Chriſti: ſic & Sanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt chriſma Chriſti quod adventu Spiritus ſancti, per ipſius divinitatem energiam habet, qua frons & alij ſenſus tui ſymbolicè inunguntur. Et corpus quidem iſto viſibili unguento perungitur, anima verò ſancto ac vivifico Spiritu ſanctificatur.* Gregorius Nazianzenus orat. in ſanctum Lavacrum. Hæc ait: *At ſi tu per Baptiſmum teipſum obfirmaveris, ac præclariſſimo & firmiſſimo auxilio tibi in futurum caveris, animum ſcilicet & corpus unctione & Spiritu conſignans, quemadmodum olim Iſrael nocturno illo primigenoſque tuente cruore, quid tibi accidet? & quod tibi præſidium comparatum erit? Audi Salomonis paræmias, ſi ſederis ait intrepidus eris, ſi dormieris ſuavis erit ſomnus tuus.* Heu miſerandam & ter quaterque dolendam hæreticorum ſortem qui Sacramentum iſtud divinæ unctionis, ac fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, non turbaverunt modo ſed omnino ſibimetipſis extinxerunt præcluſeruntque: hoc Sacramento anima ſpirituali lætitiâ perfunditur, & ad pugnam ſalutarem roboratur, quæ ſunt proprietates & fructus Sacramēti hujus emanantes à ſacratiſſimo illo nomine Salvatoris, ex quo prodierunt vivifica Eccleſiæ Sacramenta de quo ſcriptum eſt Cant. 1. Oleū effuſum nomen tuum, & in Pſalmis, unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Oleū namque ſymbolum eſſe ſcimus hilaritatis atque lætitiæ. Hinc ethnici homines geniales dies celebraturi unguentis delibuti in publico ſe conſpiciendos præbebant. Vitæ quoque Magiſter cum vellet à jejunio hypocriſin arcere, hilares atque jucundos nos eſſe jubet dicens: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum & faciem tuam lava, ne videaris*

*dearis hominibus jejunans.* Et cum docet pluris faciendam eſſe nobis reprehenſionem acerbam viri boni qui nos quibus hæremus vitijs revellere ſtudet, quam improborum hominum aſſentationem blandaque verba quibus exhilaramur, hilaritatem animi oleo comparat. *Oleum autem peccatoris non impinguet meum.* Unctio præterea ad certamina præmunit. Eamque ob cauſam athletæ olim ad certamina deſcenſuri oleo ſe totos perungebant, ne pugnando ſpiritibus tranſmiſſis per patentes corporis meatus, quos oleum obturat atque obducit, vires diſſiparentur. Nomen itaque Jesu in animum admiſſum & intra præcordia conditum magnam ingenerat fiduciam terroreſque depellit, turbulentos affectus mitigat & componit ne illis ſuccumbamus, & alacres ad prælia pro Chriſto ſuſcipienda & dura quæque & aſpera ſubeunda efficit; hinc enim dimanabat illa Sanctorum Chriſti diſcipulorum conſtantia. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Hac incitatus divini ſpiritus vi audenter proteſtatur. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors neque vita neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Atque hæc eſt virtus mirifica qua corpore delibuto anima etiam confirmatur & perfunditur divini Spiritus virtutibus & donis.

3. Can. V. Statuimus & diſtrictè præcipimus ut Clerici univerſi veſtes gerant, non brevitate nimia ridiculas vel notandas, ſed ſaltem ultra tibiarum medium attingentes. Aures quoque patentes quilibet non opertas, & coronas habeant probanda latitudine condecentes. Si qui vero in Sacerdotio vel dignitatibus conſtituti aut curam habentes animarum, ſeu Cathedralium Eccleſiarum Canonici contra præmiſſa in infulis coronâ vel tonſurâ deliquerint, ſi moniti non emendaverint ipſo facto ab officio ſuſpenſionem incurrant, in qua ſi per tres menſes perſtiterint ex tunc à beneficio ſint ſuſpenſi, nec prius per ſuos Diœceſanos ab hujuſmodi ſententijs abſolvantur, quam ſextam redditũum ſuorum illius anni partem ſolvant, per ipſos Diœceſanos fideliter pauperibus erogandam: ſalvis alijs pœnis condignis quas Prælati ſubditis in his deliquentibus voluerint irrogare. De ipſis quoque Sacerdotibus, Decanis, Archidiaconis & alijs in dignitatibus conſtitutis qui in veſtium habitu contra præmiſſa deliquerint eadem ſtatuimus obſervari. Reliquos vero Clericos in præmiſſis delinquentes ſuorum Prælatorum arbitrio relinquimus puniendos. Præcipimus autem in virtute ſanctæ Obedientiæ univerſis Archiepiſcopis, Archidiaconis & cæteris Prælatis ut in locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, ſuper præmiſſis diligenter inquirant & contra delinquentes ſtatutum præſens efficaciter obſervent & faciant obſervari: Qui ſi poſtquam eis per facti evidentiam vel alio juſto modo conſtiterit quemquam delinquere in præmiſſis corrigere eos ſecundum ea quæ ſunt ſtatuta neglexerit: Archiepiſcopi quidem & Epiſcopi Dalmaticæ, tunicæ & ſandalium uſu: Archidiaconi vero & alij inferiores Prælati ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ donec circa correctionem & emendationem exerceant ſui officij debitum, ſint ſuſpenſi.

Can IX. *Sacrorum Ordinum diſpenſatio quaſi clavis ad aperiendum varias portas ſalutis & gratiæ ſpiritualis hominibus eſt conceſſa, quam habere neceſſe eſt ut clavis aperiat qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem geſtat extra manſionem vagari non debet, ut paratus ſit in ſtatione continua vocantibus, & non vocantes ſuis exhortationibus quaſi paſtor ſollicitus ad ſe trahat. Hæc licet antiqua Sanctorum Patrum decernat autoritas: quia tamen ab ijs qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temerè non ſervatum: prædictus Legatus circa utrumque providè ſtatuit inter alia, nullum de cætero ad Vicariam admittendum niſi in Presbyterum jam ordinatum, vel ſaltem in Diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians alijs beneficijs ſi qua habet, curam animarum habentia, juret ibi reſidentiam facere corporalem: alioqui inſtitutionem ipſius nullam fore decrevit, & Vicariam alij conferendam. De ijs autem qui tunc jam fuerant conſtituti non tamen in Presbyteros ordinati, ſtatuit & præcepit ut ex tunc infra annum ad minus ſe facerent in Presbyteros ordinari: alioquin privatos ipſos ex tunc Vicarijs fore decrevit: quod de reſidentia circa inſtituendos præceptum erat ſtatuens etiam circa ipſos. Nos autem contra hoc agentium malitiam compeſcere noſtra quoque ad hoc opportuna diſtrictione volentes: adjicientes ſtatuimus ut ſi quis de cætero contra hoc ſtatutum Vicariam tenuerit fructus ſuos non faciat ſic perceptos, ſed ipſos reſtituere teneatur. Et ipſorum medietas Eccleſiæ cujus eſt Vicaria tradatur in ipſius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis vero pars altera in pauperes illius Parochiæ expendatur, & altera loci Archidiacono applicetur. Ipſe vero Archidiaconus ſuper his annis ſingulis inquiſitionem faciat diligentem, ſuaque operâ & ſolicitudine ſtatutũ hoc faciat firmiter obſervari. Sciendum ex jure communi vacare beneficium ipſo facto Sacerdotio annexum, ſi proviſus neglexerit ad Sacerdotium integro anno promoveri.*

C. cum in cunctis §. inferiora de electìon. & c. 1. de æta. & qual. & ord. præficien. & c. ei qui de præben. in 6. & Clemen. ut ij de æta. & qual. & Concilium Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. & ſeſſ. 24. cap. 12. de refor. §. neminem. Et edictum Henrici IV. an. 1606. art. 1.

4. Can. XII. Catholica unitas ſanxit & authoritas ut in una Eccleſia unus ſit rector quaſi unius corporis unum caput. Sed ſtupefactivæ zizaniæ ſeminator interdum per plurium in una Eccleſia patronorum diſcordiam, interdum per cupidorum figmenta, qui de ipſa Eccleſia nihil aliud quam commodum temporale venantur, hanc peſtiferam diviſionem diverſis modis inducit ut in plures collata una Eccleſia dividatur. Nos igitur ſtatuimus ut omnis hujuſmodi prorſus diviſio facta, niſi tanto præceſſerit tempore ut merito poſſit antiquitatis jure cenſeri, per locorum Diœceſanos revocetur. Si qua vero de cætero fiat diviſio hanc nullam ipſo jure fore decernimus. Et præſentans

 quidem

quidem unus aut plures jus illa vice præſentandi amittat ad ſuperiorem proximum devolvendum. Si vero Prælatus ſic contulerit vel præſentatos admiſerit non ſolum inſtitutio ejus viribus careat, verumetiam ipſe quouſque id revocaverit ipſo facto à collatione, inſtitutione ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet ſit ſuſpenſus.

5\. Can.13. Statuimus ut ſi quis aliquem ad Eccleſiam vel Cœmeterium aut Clauſtrum confugientem inde abſtraxerit violenter, vel alias victum neceſſarium prohibuerit, in quo ſimilis eſt necanti: aut res alienas in locis prædictis depoſitas hoſtiliter ſeu violenter aſportaverit vel aſportari fecerit aut factam ſuo nomine vel à familiaribus ſuis aſportationem aut prohibitionem ratam habuerit, aut abſtrahentibus prohibentibus vel aſportantibus præbuerit publicè vel occultè auxilium, conſilium vel conſenſum, ipſo facto ſit excommunicationis vinculo innodatus, à quo nullatenus abſolvatur niſi prius Eccleſiæ cui tantam injuriam fecit, & damnum paſſo ſatisfaciat competenter.

Can.XVIII. *Improbam quorumdam avaritiã perſequentes, qui cum à ſuis Eccleſijs & Eccleſiaſticis beneficijs multa bona ſuſcipiant, domos earũ & cætera ædificia negligunt: ita ut integra non conſervent, & diruta non reſtaurent; propter quod ipſarum Eccleſiarum ſtatum deformitas occupat, & multa incõmoda ſubſequuntur. Statuimus atq; præcipimus ut univerſi Clerici ſuorum beneficiorũ domos & cætera ædificia prout indiguerint reficere ſtudeant condecenter: ad quod per ſuos Epiſcopos vel Archidiaconos ſollicitè moneãtur. Si quis vero poſt Epiſcopi vel Archidiaconi ſui monitionem, per duos menſes id facere ceſſaverit, ex tũc Epiſcopus ipſe ipſius Clerici ſumptibus id fieri faciat diligenter, de fructibus ipſius Eccleſiæ vel beneficij præſentis authoritate ſtatuti, tantum accipi faciens quantum ad refectionem hujuſmodi ſufficiat peragendam. Cancellos etiam Eccleſiæ pereos qui ad id tenentur refici faciant prout ſuperius eſt expreſſum. Archiepiſcopos vero Epiſcopos & alios inferiores Prælatos domos ac ædificia ſua ſarta tecta reficere, & in ſtatu ſuo conſervare ac tenere ſub divini judicij obteſtatione præcipimus: ut ipſi ea reficiant quæ refectione noverint indigere.*

Can.XX. *Deus omnipotens cujus omnia ſunt, pretium quodlibet pro delicto non accipit & holocauſtum non poſtulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati hoc ignorãtes, aut ex temeraria quadam induſtria contemnentes, cum peccatur à ſubditis debitam pro pecunia pœnam remittunt. Ex quo fit ut Deo non indulgente tam vindex criminis quam commiſſor ſua in eodẽ ſæculo delicta conſignent pariter judicandi. Et quia juxta B. Iſidorum nullam reus pertimeſcit culpam quam redimere nummis æſtimat, non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, ſed potius datur authoritas & licentia delinquendi. Statuimus ut Prælati quæ corrigenda invenerint corrigant diligenter, nec pecuniã ad hoc ut nõ viſitẽt, vel nõ corrigant vel ut crimina non puniant ab aliquo recipere præſumãt, nec aliquos ſentẽtijs ſuis involvãt injuſtè, ut ab eis poſſint pecuniã ex hoc extorquere.*

Can.XXII. *Paſtor bonus agnoſcens gregem ſuũ debet ipſũ mentis & corporis oculis jugiter intueri & ne ipſum inſidioſus lupus invadat, ſicut hoſtis perſequendo invigilat, ſic Prælatus reſiſtet continuè defendendo. Oportet igitur ut corporalis præſentia ipſum ſollicitè tueatur, quia videns Paſtor & veniens ſæpè nõ invenit quod reliquit, eo quod illud adverſarius non recedens neque dormiens aſportavit. Sanè licet Epiſcopi ad perſonalem reſidentiã circa gregem Domini ſibi commiſſum tam divinis quã Eccleſiaſticis præceptis noſcantur aſtricti: quia in partibus noſtræ legationis nonnulli ſunt qui hoc attendere non videntur nos ipſos efficaciter hortamur in domino & in virtute S. Obedientiæ atque ſub divini obteſtatione judicij commonemus, ut ad commiſſi gregis curam, ad deſponſatarum ſibi Eccleſiarum ſolatiũ, præcipuè diebus ſolemnibus quadrageſimalibus & adventus, præſentiam ſuam exhibeant debitam quibus ſe fide media copularunt: ſanctum Chriſma, oleum ſacrum & oleum infirmorum in die cœnæ Domini quolibet anno conficiant, niſi eos dictis diebus ab ipſorum Eccleſijs à ſuis ſuperioribus evocatos, vel ex alia juſta cauſa oporteat abſentare, ut quod ipſorum nomen prætendit & commiſſum ſibi miniſterium exigit, quod non minus gerit oneris quam honoris ſollicitis ſtudeant excubijs obſervare.*

Can.XXIII. *Nonnulli in Eccleſia quæ per proprios conſuevit gubernari rectores in uſus eorũ conceſſa, ut totum quod ex appropiata ſibi Eccleſia provenit inhianter abſorbeant, ipſam relinquunt Vicario deſtitutã, aut ſi Vicarium in ea fortaſſis inſtituunt, ita modicam eidẽ relinquunt fructuum portionem quod non poteſt ſibi ſufficere: & Archidiaconorum & alia ſibi incumbentium onera ſupportare. Quo fit ut quod in eleemoſynam eſt proviſum in ſitim avaritiæ confluat, & tranſeat in rapinam. Super his igitur ſalubria remedia cogitãtes ſtatuimus & diſtrictè præcipimus, ut univerſi religioſi exempti Ciſtercienſes & alij quicumque, qui Eccleſias in proprios uſus habẽt, ſi Vicarij non ſint poſiti in iiſdem infra ſex menſium ſpatium Vicarios præſentare Diœceſanis qui eos inſtituere debeant, non omittant: quibus ſufficientem aſſignare pro facultate Eccleſiarum ſtudeant portionem. Alioquin ex tũc ijdẽ Diœceſani id facere ſtudeãt diligenter. Statuimus quoque ut Epiſcopi qui Eccleſias in proprios uſus habent domos in ipſarũ Parochijs conſtruant, vel olim conſtructas reædificent & conſervent, in quibus honeſte poſſint recipi viſitantes. Supradicta vero omnia tam ab Epiſc. quã ab alijs qui Eccleſias in proprios uſus habent, fieri præcipimus & ſervari.*

Ad curam vero alicui Monaſterio ſubjectam non Monachi, ſed ſeculares Clerici ab Epiſcopo cũ conſilio Monachorũ inſtituendi, ſic tamen ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio ejus dependeat, tam ordinatio quã depoſitio & totius ejus vitæ converſatio c.1. de Capell. Monachorum.

Can.XXX. *In poſterum cum ad beneficium curam habens animarum quemquam præſentari, aut*

ipſius

*ipſius collationem aliàs fieri contigerit, ſtatuimus ut Prælatus qui circa hoc ſuum gerit officium, prius de vita & converſatione præſentati ac inſtituendi, atque de alijs quæ jura præcipiunt Inquiſitione præmiſſa inquirat. Hoc quoque vigilanter diſcutiat & perquirat utrum habeat præſentatus vel inſtituendus hujuſmodi perſonatus, ſeu alia beneficia curam animarum habentia.*

Can. XXXI. *Nos & animarum ſaluti & Eccleſiarum ſtatui & indemnitati diligentia quâ poſſumus ex officij noſtri debito proſpicere cupientes, univerſas Eccleſiarum commendationes hactenus quibuſcumque factas, niſi ex evidenti utilitate unius tantum Eccleſiæ commendatio facta ſit penitus revocamus, & ipſas ex tunc vacantes decernimus: eis ad quos ipſarum collatio vel ad eas præſentatio ſpectat diſtrictè mandantes ut infra duos menſes poſt præſentis conſtitutionis noſtræ publicationem conferant ſeu præſentent, alioquin ipſarum collatio ad Sedem Apoſtolicam devolvatur, in poſterum autem inhibemus Eccleſiam quamlibet commendari niſi juſta cauſa & legitima id expoſcat. Et ut omnibus verſutijs adinventionibus & fallacijs occurramus, ſtatuimus ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti Eccleſia commendetur, neque plures Eccleſiæ alicui perſonæ valeant commendari. Quod ſi contra ea quæ ſalubriter hac noſtra proviſione ſtatuta ſunt Eccleſiæ commendationem à quoquam vel cuiquam in locum noſtræ legationis fieri contigerit, ipſam & quidquid ex ipſa ſecutum fuerit ipſo jure decernimus non valere. Epiſcopus vero qui commendationem contra præmiſſa fecerit, donec revocaverit, ipſo facto à collatione ſeu præſentatione beneficiorum quorumlibet ſit ſuſpenſus.*

7. Can. XXXII. *Quorumdam ignorantiam vel negligentiam aut diſſimulationem quæ circa electorum confirmationes frequenter habetur, vel etiam procuratur ex Officij noſtri debito, diligentiâ qua poſſumus corrigentes ſtatuimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, ut cum electionis Epiſcopalis confirmatio poſtulatur, inter cætera ſuper quibus inquiſitio & examinatio procedere debet, ſecundum Canonum ſtatuta illud exactiſſimè inquiratur, utrum beneficia plura cum animarum cura qui electus eſt antequam eligeretur habuerit, & ſi habuiſſe inveniatur, an cum eo ſuper hoc fuerit diſpenſatum: & an diſpenſatio ſi quam exhibuerit vera ſit & ad omnia beneficia quæ habuerit extendatur. Quod ſi in aliquo præmiſſorum is ad quem confirmatio ſpectat electum deficere ſua diſcuſſione compererit, eidem nullatenus munus confirmationis impendat.*

Ex Canone iſto compertum fit tunc temporis electionum Epiſcopalium uſum apud Clerum & Populum perduraſſe, jus uero illas confirmandi fuiſſe penes Metropolitanum aut cæteros una cum illo Provinciæ Epiſcopos, ſi enim Summus Pontifex confirmaſſet aut proviſionem concedere conſueviſſet, nullatenus Legatus ei præcepiſſet ſub virtute ſanctæ Obedientiæ.

Can. XXXIII. *Sanè illud interdum evenire didicimus ut cum vacãte ſede quam quis aſcendere concupiſcit, ipſe metuens ſe obtentorum beneficiorum pluralitate in ſuo deſiderio poſſe deficere ipſa beneficia reſignat, imò penes eum ad cujus collationem ſpectant deteſtabili quadam fictione deponit, ut ſi eum eligi non contingat eadem beneficia quaſi depoſita reaſſumat. Contra hoc ergo tam abominabile colludium, & Sanctum & Deo placens obſtaculum opponentes diſtrictius inhibemus, ne cuiquam de cætero taliter ſua beneficia reſignanti, eadem reſtituantur: nec quaſi de novo aliquatenus concedantur, ſed tanquam ad vacantia de perſonis alijs Canonicè ordinetur, quod ſi hujuſmodi reſignanti beneficia ipſa vel aliquod ex eis fuerint reddita vel conceſſa, redditionem & conceſſionem in eum factam invalidam decernimus & inanem. Qui vero taliter in ſuis manibus reſignata poſtmodum ſcienter ea contra præmiſſa contulerint, aut ipſum reſignantem inſtituerint in eadem, ſi quidem Epiſcopus fuerit, à Pontificalium indumentorum uſu: ſi alius vero Prælatus inferior ab officio ſint ſuſpenſi donec illud duxerint revocandum.*

Can. XXXIV. *Quia plerumque evenire didicimus quod cum ad vacantem Eccleſiam fuerit præſentatio facienda, is qui præſentandus eſt prius cum patrono de certa ſumma ex bonis Eccleſiæ annuatim ſolvenda paciſcitur, & ſic pactus ad Eccleſiam præſentatur. Nos huic actui tam ſimoniæ vitium quam Eccleſiæ diſpendium ingerenti occurrere intendentes, univerſas promiſſiones & pactiones hujuſmodi penitus revocamus, & eas in poſterum fieri diſtrictius inhibemus, & ſi factæ fuerint vires aliquas decernimus non habere.*

Can. XLII. *Et quidem ne proprietatis vitio ſuper dorſum peccatoris fabricandi occaſio Sathanæ offeratur, & ipſi homini detur habilitas delinquendi, ſtatuimus ut cum quiſpiam Monachorum ſeu aliorum Religioſorum veſtibus, calceamentis vel alijs vitæ neceſſarijs indiguerint, is qui ſuper his miniſtrandis gerit officium, pecuniam ſeu denarios non tradat pro re hujuſmodi taliter indigenti, ſed res ipſas prout neceſſitas exegerit ſubminiſtret. Si autem is qui hujuſmodi præeſt officio contra facere præſumpſerit, officio in quo ſic deliquit & præſtitit materiam delinquendi ſit privatus, & nihilominus aliter ſuperioris arbitrio puniendus.*

Can. XLIII. *Monachos ſeu Canonicos regulares per maneria vel Eccleſias ſolos morari, tam indecens quã animabus ipſorum periculoſum eſſe conſpicientes, firmiter & diſtrictè præcipimus ut Abbates*

*mento quod credunt ea quæ ſic exprimunt eſſe vera & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes quam (tempore appellationis interpoſitæ vel poſtmodum) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua quæ fuerint in hujuſmodi litteris vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis præmiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant juramentum. Hoc adjiciendo in juramento eodem quod ad ea probanda credunt ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſanè quæ felicis recordationis Innocentius Papa quartus, contra plenè probantes ea quæ in formam vel perſonam objecerunt, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.*

Illa hic memorata Innocentij quarti conſtitutio habetur ſupra in Concilio Lugdunenſi primo & his verbis incipit, *ſtatuimus ut ſi aliquis electiones, poſtulationes, &c.* Habentur pariter quemadmodum & ſuperius ex ſecundo Lugdunenſi Concilio paulo ante allegatæ conſtitutiones ſub titulo de electione in 6.

Can. IV. *Avaritiæ cæcitas & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi à jure interdicta noverint exquiſitis fraudibus occupare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen Eccleſiarum electi, quia eis jure prohibente non licet ante confirmationem electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi Eccleſiarum ad quas vocantur ingerere, ipſam ſibi tanquam procuratoribus ſeu æconomis committi procurant. Cum igitur non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes hac generali conſtitutione ſancimus, ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis ad quam electus eſt priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub æconomatus vel procurationis nomine, aut aliquo de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus per ſe vel per alium, pro parte vel in totum gerere vel recipere aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint jure ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit decernentes eo ipſo privatos eſſe.* Habetur in c. avaritiæ de electio in 6.

Can. V. *Quam ſit Eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus non ſolum iura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto ſtatuimus, ut ſi quando fuerit electio in aliqua Eccleſia celebrata, electores electionem ipſam quam citius commodè poterunt electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius procurent, electus vero illum adhibere infra menſem à tempore præſentationis hujuſmodi teneatur, quem ſi electus ipſi præſtare ultra diſtulerit, jure ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc ſe noverit eo ipſo privatum: niſi forſan ea ſit electa perſona conditio ut electioni de ſe celebratæ abſque ſui ſuperioris licentia ex prohibitione ſeu quavis proviſione ſedis Apoſtolicæ conſentire non poſſit. Quo caſu idem electus ſeu electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus ſuperiore cum ea celeritate quam ſuperioris ipſius præſentia vel abſentia petere ſtudeant & habere, alioquin ſi lapſo tempore pro ejuſdem ſuperioris præſentia vel abſentia ut præmittitur moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat, electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Cæterum quivis electus infra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante infra huiuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.* Habetur in c. quam ſit Eccleſiis de electio. in 6.

Can. VII. *Nulli licere decernimus poſtquam in ſcrutinio nominaverit aliquem & electio fuerit ſubſecuta, vel poſtquam præſtiterit electioni de ipſo ab aliis celebratæ conſenſum, illum ſuper electione ipſa niſi ex cauſis poſtea emergentibus impugnare: vel niſi ei morum ipſius antea celata de novo pandatur improbitas, ſeu alicuius latentis vitij vel defectus quæ veriſimiliter ignorare potuerit veritas reveletur. De huiuſmodi autem ignorantia fidem proprio faciat iuramento.* Legitur in c. nulli licere. de electio. in 6.

4. Can. XIII. *Licet canon à felicis recordationis Alexandro Papa tertio prædeceſſore noſtro editus, inter cætera ſtatuerit, ut nullus regimen Eccleſiæ Parochialis ſuſcipiat niſi vigeſimum quintum annum ætatis attigerit, ac ſcientiâ & moribus commendandus exiſtat, quodque talis ad regimen aſſumptus huiuſmodi, ſi monitus non fuerit præfixo à canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, à regiminis eiuſdem amoveatur officio, & alij conferatur: quia tamen in obſervatione canonis memorati ſe multi exhibent negligentes, nos periculoſam illorum negligentiam volentes iuris executione ſuppleri, præſenti decreto ſtatuimus ut nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur niſi ſit idoneus ſcientiâ, moribus & ætate, decernentes collationes de Parochialibus Eccleſiis ijs qui non attigerunt vigeſimum quintum annum de cætero faciendas viribus omnino carere, is etiam qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur ut gregis ſibi crediti diligentius gerere curam poſſit, in Parochiali Eccleſia, cuius rector extiterit reſidere perſonaliter teneatur: & infra annum à ſibi commiſſi regiminis tempore numeran*

*numerandum ſe faciet ad ſacerdotium promoveri. Quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione ſit præſentis conſtitutionis authoritate privatus. Super reſidentia vero ut præmittitur facienda poſſit ordinarius gratiam diſpenſativè ad tempus facere prout cauſa rationabilis id expoſcet.*

Canon ille hic memoratus Alexandri videri poteſt ſupra numero tertius, in Concilio Laterano generali ſub Alexandro tertio, & in c. cum in cunctis ſacris Ordinibus 5. inferiora de electio. Gregorius X. addit ad Canonem Alexandri III. duo valde notanda, primum quia Alexander declarat opus eſſe monitione prævia ad ſuſcipiendos ordines, Gregorius autem amovet illam conditionem ſine qua proviſus nihilominus excidet beneficio. Item Alexander ſtatuit fieri privationem beneficij per judicis ſententiam, Gregorius verò privari ſtatuit ipſo jure. Concilium Tridentinum præfatum Alexandri III. decretum renovat ſeſſ. 24. c. 12.

Can. XIV. *Nemo deinceps Parochialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima & Sacerdotio commendare præſumat, nec tali etiam niſi unam, & evidenti neceſſitate vel utilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Hujuſmodi autem commendam ut præmittitur ritè factam declaramus ultra ſemeſtris temporis ſpatium non durare. Statuentes quidquid ſecus de commendis Eccleſiarum Parochialium actum fuerit eſſe irritum ipſo jure.* Legitur inſertum de electio. in 6. c. nemo deinceps.

Can. XVIII. *Ordinarij locorum ſubditos ſuos plures dignitates vel Eccleſias quibus animarum cura imminet obtinentes, ſeu perſonatum aut dignitatem cum alio beneficio cui cura ſimilis eſt annexa, diſtrictè compellant diſpenſationes authoritate, quarum hujuſmodi Eccleſias, perſonatus ſeu dignitates canonicè tenere ſe aſſerunt, infra tempus pro facti qualitate ipſorum ordinariorum moderandum arbitrio exhibere, quod ſi fortè juſto impedimento ceſſante nullam diſpenſationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Eccleſiæ beneficia perſonatus ſeu dignitates quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicitè detineri conſtabit, per eos ad quos illorum collatio pertinet liberè perſonis idoneis conferantur. Cæterum ſi diſpenſatio exhibita ſufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in beneficijs hujuſmodi quæ canonicè obtinet moleſtetur. Provideat tamen ordinarius qualiter nec animarum cura in eiſdem Eccleſijs perſonatibus ſeu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipſa debitis obſequijs defraudentur. Si vero de diſpenſationis exhibitæ ſufficientia dubitetur, ſuper hoc erit ad ſedem Apoſtolicam recurrendum, cujus eſt æſtimare quemadmodum beneficij ſui eſſe velit. In conferendis inſuper perſonatibus, dignitatibus & alijs beneficijs curam animarum habentibus annexam ijdem ordinarij diligentiam illam obſervent, ut perſonatum, dignitatem vel aliud beneficium, ſimilem curam habens alicui plura ſimilia obtinenti non ante conferre præſumant, quam eis ſuper obtentis diſpenſatio evidenter ſufficiens oſtendatur. Quâ etiam oſtensâ, ita demum ad collationem procedi volumus, ſi appareat per eamdem quod is cui collatio eſt facienda, hujuſmodi perſonatum, dignitatem vel beneficium liberè retinere valeat cum obtentis, vel ſi ea quæ ſic obtinet liberè ac ſpontè reſignet. Aliter autem de perſonatibus, dignitatibus & beneficijs talibus facta collatio nullius penitus ſit momenti.* Habetur in c. ordinarij locorum de officio ordinar. in 6.

Can. XIX. *Properandum nobis viſum eſt ut malitioſis litium protractionibus occurratur: quod ſperamus efficaciter provenire, ſi eos qui circa judicia ſuum miniſterium exhibent ad id congruis remedijs dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc ſalubriter fuerant circa patronos cauſarum legali ſanctione proviſa, deſuetudine abolita videantur, nos ſanctionem eamdem præſentis redivivæ conſtitutionis ſuffragio cum aliqua tamen adjectione, nec non & moderamine renovantes, ſtatuimus ut omnes & ſinguli advocationis officium in foro Eccleſiaſtico, ſive apud ſedem Apoſtolicam, ſive alibi exercentes præſtent, tactis Sacroſanctis Evangelijs, juramentum quod in omnibus cauſis Eccleſiaſticis & alijs in eodem foro tractandis, quarum aſſumpſerunt patrocinium vel aſſument, omni virtute ſua omnique ope, id quod verum & juſtum exiſtimaverint, ſuis clientulis inferre procurent, nihil in hoc ſtudij quod eis poſſibile ſit relinquentes, quodque in quacumque parte judicij eis innotuerit improbam fore cauſam quam in ſua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, imo ab ea omnino recedent, à communione illius ſe penitus ſeparantes: reliquis quæ circa hæc ſunt in eadem ſanctione ſtatuta inviolabiliter obſervandis. Procuratores inſuper juramento ſimili aſtringantur. Hujuſmodi quoque juramentum tam advocati quam procuratores in foro in quo idem aſſumpſerunt officium, teneantur annis ſingulis iterare. Qui vero ad eamdem ſedem veniunt vel ad curiam cujuſlibet Eccleſiaſtici judicis in qua non tale præſtiterant juramentum accedunt, in aliquibus ſingularibus cauſis patrocinium vel procurationis miniſterium præſtituri, præſtent in ſingulis cauſis eiſdem motâ controverſiâ, ſimile juramentum. Advocati autem & procuratores qui juxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum ſuorum hujuſmodi voluntate durante ſibi noverint interdictam. Quod ſi juramentum præſtitum violare præſumpſerint præter reatum perjurij, conſiliarij etiam qui ſcienter iniquam cauſam foverint divinam & noſtram maledictionem incurrant, à qua non aliter liberentur niſi duplum ejus reſtituerint, quod pro tam iniquis advocatione*

Digitized by Google

*tione procuratione vel conſilio receperunt. Ac nihilominus de damnis quæ per iniqua hujuſmodi miniſteria partibus irrogarunt, illis ſatisfacere teneantur. Cæterum ne cupiditatis ardor aliquos ad hæc ſalubria ſtatuta contemnenda præcipitet, diſtrictius inhibemus ne aliquis advocatus in quacumque cauſa ultra viginti, procurator vero ultra duodecim libras Turonenſes recipere ſalarij nomine, vel etiam ſub palmarij colore præſumat. Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum quæ prædictam quantitatem excedunt acquirant, ſed ad reſtitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum ad quæ reſtituenda eos teneri præmiſimus in fraudem præſentis conſtitutionis remitti poſſit eiſdem. Et inſuper advocati conſtitutionem præſentem taliter violantes, ab advocationis officio triennio ſuſpendantur; Procuratores vero ex tunc ſibi ſciant cujuſlibet procurationis in judicio licentiã denegatã.*

Spectabilis eſt Juſtiniani lex rem non novam c. de judicijs, de jurejurando à judicibus & cauſarum patronis præſtando, & de habendo aſſiduè ſacrarum ſcripturarum Codice in ipſo judicij loco. Idem de jurejurando præcipiunt Gallicana edicta, quale eſt Franciſci primi anno 1535. c. 4. a. 1. Carolus etiam nonus anno 1560. art. 56. jubet advocatis ut fideliter & ſincerè partibus conſilium ſecundum jus ſuggerant, vetatque pravis cauſis patrocinari, ſub pœna omnis damni & expenſi partibus reſarciendi. S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium. *Redde quod accepiſti quando contra veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, judices fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de facilitate viciſti*, & S. Thomas 2. 2 q. 72. a. 3. ad. 2. *Dicendum quod advocatus ſi in principio credit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet etiam prodere ut ſcilicet alteram partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet, poteſt tamen & debet cauſam deſerere, vel eum cujus cauſam agit ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarij damno.*

Can. XXI. *Statutum felicis recordationis Clementis Papæ quarti prædeceſſoris noſtri de dignitatibus & beneficijs in curia Romana vacantibus, nequaquam per alium quam per Romanum Pontificem conferendis decrevimus taliter moderandum, ut ij ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum ſpectat collatio, ſtatuto non obſtante prædicto, demum poſt menſem à die quo dignitates ſeu beneficia ipſa vacaverint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per ſeipſos, vel ipſis agentibus in remotis per ſuos Vicarios generales in eorum diœceſibus exiſtentes, quibus id canonicè ſit commiſſum.* C. ſtatutum de præben. in 6.

Can. XXII. *Hoc conſultiſſimo prohibemus edicto univerſos & ſingulos prælatos Eccleſias ſibi commiſſas bona immobilia ſeu jura ipſarum laicis ſubmittere, ſubijcere ſeu ſupponere, abſque capituli ſui conſenſu & ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, non concedendo bona ipſa vel jura in emphyteoſim, ſeu aliàs alienando in forma & caſibus à jure permiſſis, ſed conſtituendo vel recognoſcendo ſeu profitendo ab illis ea tanquam à ſuperioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando (prout in quibuſdam partibus vulgariter dicitur à voher) vel ipſos Patronos ſeu advocatos Eccleſiarum ſeu bonorum ipſarum perpetuò aut ad tempus non modicum ſtatuendo. Contractus autem omnes etiam juramenti pœna vel alterius cujuſlibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia ex conſenſu contigerit celebrari, & quidquid ex eis ſequutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant nec præſcribendi etiam cauſam pariant. Et nihilominus prælatos qui ſecus egerint ipſo facto officio & adminiſtratione, clericos autem qui ſcientes contra inhibitionem prædictam aliquid eſſe præſumptũ id ſuperiori denunciare neglexerint, à perceptione beneficiorũ quæ in Eccleſia ſic gravata obtinent triennio ſtatuimus eſſe ſuſpenſos. Laici vero qui prælatos vel capitula Eccleſiarum ſeu alias perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmiſſiones hujuſmodi faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem remiſſa ſubmiſſione, quam per vim aut metum exegerant, Eccleſias & bona Eccleſiaſtica eis ſubmiſſa taliter in ſua libertate admittant. Illi etiam qui de cætero prælatos vel perſonas eaſdem ad talia facienda compulerint cujuſcumque ſint conditionis aut ſtatus, excommunicationis ſint ſententiâ innodati, contractibus præterea ſuper præmiſſis hujuſmodi, licentia & conſenſu intervenientibus, hactenus initis, vel quos in futurum iniri contingit, ſeu occaſione illorum laici ultra id quod eis ex natura contractuum ipſorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non uſurpent. Qui verò ſecus egerint niſi legitimè moniti ab hujuſmodi uſurpatione deſtiterint, reſtituendo etiam quæ taliter uſurparant, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant & ex tunc ad ſupponendum terram ipſorum ſi opus fuerit Eccleſiaſtico interdicto libere procedatur.* C. hoc conſultiſſimo de reb. Eccl. non alien.

Can. XXIII. *Religionum diverſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale Conciliũ cõſulta prohibitione vetuit (loquitur de Lateranẽſi ſub Innoc. III. c. 12.) Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio, illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, veniam etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum ordinũ, præcipuè mendicantiũ quorũ nondũ approbationis meruerẽ principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit, repetita conſtitutione diſtrictius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem, aut religionem inveniat vel habitum novæ religionis aſſumat. Cunctas affatim religiones & ordines mendicantes poſt dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & quatenus proceſſerant revocamus. Confirmatos autem per ſedem eamdem, poſt tamen idem Concilium*

*lium inſtitutos quibus ad congruam ſuſtentationem reditus ac poſſeſſiones habere, profeſſio ſive regula aut conſtitutiones qualibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas, modo ſubſiſtere decernimus infra ſcripto: ut profeſſoribus eorumdem ordinum ita liceat in illis remanere ſi velint quod nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de novo domum aut locum aliquem acquirant, nec domos ſeu loca quæ habent alienare valeant ſine ſedis ejuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſervamus in terræ ſanctæ ſubſidium, vel pauperum aut alios pios uſus, per locorum ordinarios aut alios quibus ipſa ſedes commiſerit convertendos. Si vero ſecus præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio nec domorum vel locorum acquiſitio, aut ipſorum cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes ſententiam excommunicationis incurrant. Perſonis quoque ipſorum ordinum omnino interdicimus quoad extraneos prædicationis & confeſſionis audiendæ officium aut etiam ſepulturam. Sane ad prædicatorum & minorum ordines quos evidens ex eis utilitas Eccleſiæ univerſali proveniens perhibet approbatos, præſentem non patimur conſtitutionem extendi. Cæterum Carmelitarum & Eremitarum ſancti Auguſtini ordines, quorum inſtitutio dictum Concilium generale præceſſit in ſuo ſtatu manere concedimus, donec de ipſis fuerit aliter ordinatum. Intendimus ſiquidem tam de ipſis quam de reliquis etiam non mendicantibus ordinibus, prout animarum ſaluti & eorum ſtatui expedire videbimus providere. Ad hæc perſonis ordinum ad quos conſtitutio præſens extenditur, tranſeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita quod nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum ſe ac loca ſua totaliter transferat, ſedis ejuſdem permiſſione ſuper hoc ſpecialiter non obtenta.* C. religionum de relig. dom. in 6.

6. Can. XXIV. *Exigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed pœnam etiam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri editam, ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus & ſuper receptione munerum, viſitantibus eorumque familiis interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari eam decrevimus pœna adjectione juvandam: ſtatuentes ut univerſi & ſinguli qui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, aut etiam conſtitutionem ipſam recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus aut aliquid aliud procurationis occaſione violare præſumpſerint, duplum ejus quod receperint Eccleſiæ à qua id receperint infra menſem reddere teneantur: alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi duplum ipſum intra idem tempus reſtituere differentes ingreſſum ſibi Eccleſiæ interdictum ſentiant. Inferiores vero ab officio & beneficio noverint ſe ſuſpenſos: quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſijs plenariam ſatisfactionem impendant. Nullâ eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate ſeu gratiâ valiturâ.* C. exigit. de cenſib. in 6.

Memorata vero ibidem Innocentij quarti conſtitutio habetur c. 1. §. procurationes eod. tit. Concilium autem Tridentinum ſeſſ. 24. c. 3. de refor. prælatis quibuſcumque dum Eccleſias viſitant, inhibet munera vel pecunias accipere aut procurationes exigere Eccleſiarum, tamen quæ viſitantur libertati & optioni relinquit, ſi malint ſolvere id quod erat ab ipſis antea ſolui certâ pecuniâ taxari conſuetum, an vero victualia ſubminiſtrare citra pecuniam.

Can. XXV. *Decet domum Domini ſanctitudo, decet ut cujus in pace factus eſt locus, ejus ſit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad Eccleſias humilis & devotus ingreſſus. Sit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placida, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat ſed reficiat. Convenientes ibidem nomen illud quod eſt ſuper omne nomen, à quo aliud ſub cœlo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Ieſu Chriſti qui ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant, & quod generaliter ſcribitur ut in nomine Ieſu omne genu flectatur ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes, præcipuè dum aguntur Miſſarum Sacra Myſteria glorioſum illud nomen quandocumque recolitur flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Attendantur in locis ipſis intentis præcordijs ſacra ſolemnia, devotis animi orationibus intendantur. Nullus in locis eiſdem in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat impetumque committat. Ceſſent in illis univerſitatum & ſocietatum quarumlibet Concilia & conciones & publica parlamenta, ceſſent vana & multo fortius fœda & profana colloquia, ceſſent confabulationes qualibet. Sint poſtremo quæcumque alia divinum turbare poſſunt officium, aut oculos divinæ majeſtatis offendere ab ipſis prorſus extranea: ne ubi peccatorum eſt venia, poſtulanda ibi peccãdi detur occaſio aut deprehendantur peccata committi: ceſſent in Eccleſijs earumque Cœmeterijs negotiationes, ac præcipuè nundinarum ac fori cujuſque tumultus. Omnis in eis ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat. Nulla inibi cauſa per laicos criminalis maxime agitetur, ſint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena. Ordinarij locorum hæc faciant obſervari, ſuadenda ſuadeant, interdicta hujus canonis authoritate compeſcãt, ad hæc alios etiã in Eccleſijs ipſis magis aſſiduos & ad præmiſſa*

*idoneos*

*idoneos deputando. Et nihilominus proceſſus judicum ſæcularium ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis. Qui vero præmiſſas inhibitiones animo petulanti contempſerint, præter proceſſum ordinariorum & deputandorum ab ipſis, divinæ ultionis & noſtræ poterunt acrimoniam formidare, donec ſuum confeſſi reatum, à ſimilibus firmato propoſito deliberaverint abſtinere.*

Allegatur c. decet domum Domini de immunit. Eccl. in 6. ita & Pſal. 92. domum tuam Domine decet ſanctitudo in longit. dierum. inde conqueritur Deus Jerem. 11. v. 15. quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? & Mat. 21. v. 13. ſcriptum eſt domus mea domus orationis vocabitur vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

7. Can. XXVI. *Uſurarum voraginem quæ animas devorat & facultates exhaurit compeſcere cupientes, conſtitutionem Lateranenſis Concilij contra uſurarios editam, ſub divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia quo minor fœneratoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas, hac generali conſtitutione ſancimus ut nec collegium nec alia univerſitas, vel ſingularis perſona cujuſcumque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus alienigenas & alios non oriundos de terris ipſorum publicè pecuniam fenebrem exercentes, aut exercere volentes ad hoc domos in terris ſuis conducere vel conductas habere, aut alias habitare permittat, ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes infra tres menſes de terris ſuis expellant: numquam aliquos tales de cætero admiſſuri. Nemo illis ad fœnus exercendum domos locet vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi ſuſpenſionis, minores vero perſonæ ſingulares excommunicationis, collegium autem ſeu alia univerſitas interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuras. Quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum quandiu in eis ijdem uſurarij commorantur, ex tunc Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Cæterum ſi laici fuerint per ſuos ordinarios ab hujuſmodi exceſſu omni privilegio ceſſante per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.*

C. 1. de uſuris in 6. citatum vero Concilium Lateranenſe editum fuit ſub Alexandro Papa III. & habetur c. quia in omnibus. §. de uſuris his verbis: *Conſtituimus ut uſurarij manifeſti ad communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato deceſſerint) accipiant ſepulturam; ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfaciat ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.*

8. Can. XXIX. *Conſtitutionem felicis recordationis Innocentij Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione quæ ſolam minorem excommunicationem inducit monitione Canonicâ non præmiſſa, majori excommunicatione ligari decernens, promulgatam aliter excommunicationis ſententiam non tenere, ad tollendum omnem ambiguitatis ſcrupulum declarantes, decernimus ita demum monitionem eſſe canonicam in hoc caſu, ſi alijs ritè ſervatis eos qui monentur exprimat nominatim. Statuimus quoque ut inter monitiones quas, ut Canonice promulgetur excommunicationis ſententia, ſtatuunt jura præmitti, judices ſive monitionibus tribus utantur, ſive una pro omnibus, obſervent aliquorum dierum competentia intervalla: niſi facti neceſſitas aliter ſuaſerit moderanda.*

Allegatur C. conſtitutionem de ſent. excom. in 6. quo loco Gloſſa & Doctores tradunt requiri ad minus biduum intervalli inter ſingulas monitiones, quia pluralis locutio duorum numero eſt contenta. c. pluralis. de regu. jur. in 6. ſed ſi pro tribus diſtinctis edictis fiat unicum peremptorium monitionis edictum, opus eſt ut ſex dies intercurrãt inter hanc monitionem quæ declaranda eſt parti admonitæ, quod ſit unica ſimul & ultima, ſed peremptoria & poſt diem ſextam incurretur excommunicationis ſententia ſi contumacia nõ deſierit, quod vero præſens conſtitutio ſeipſam limitat his verbis, *niſi facti neceſſitas ea ſuaſerit aliter moderanda*, id intelligendum quando urget continuatio gravis alicujus criminis & ſcandali prompta & celeri excommunicatione reprimendi, juxta gloſſam præſentis conſtitutionis in 6. ut ſi quis uxorem alienam apud ſe detineret in adulterium, aut puellam vi raptam, tunc enim ſufficere poteſt unica monitio, poteſtque coarctari tempus ad certam horam perendinæ diei, quâ ſive inchoatâ ſive finitâ ſi non paruerit, nec eam quam injuſtè detinet dimiſerit, ſuum protinus excommunicatio ſortietur effectum. Conſtitutio porrò Innocentij quarti quam Gregorius X. commemorat relatam ſuperius habes in primo Lugdunenſi Concilio, & legitur pariter ſub titulo de ſent. exc. in 6. c. ſtatuimus.

Can. XXX. *Præſenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam quoad interdicti ſententias in civitates, caſtra vel quælibet alia loca, ſive terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.* Inſertum habes c. præſenti de ſent. excom. in 6.

## *DISSERTATIONES DUÆ pro appendice ad ſecundum generale Concilium Lugdunenſe.*

### DISSERTATIO I. *De Proceſſione Spiritus ſancti.*

1. QUIA in hoc Sacroſancto Concilio Græcorum Eccleſia in eamdem cum Latinis fidem, maximè circa æternam Spiritus ſancti proceſſionem à Patre filioque ſimul conſenſit, & vo-

cem *filioque* Conſtantinopolitanæ Synodi Symbolo ſolemni ritu cantando adjecit, etiamſi brevi poſtmodum tempore priſtinam reſumpſerit infidelitatem, non abs re hanc iſto loco tractationem inſtitui. Hanc à duabus perſonis proceſſionem Catholica ſemper Eccleſia profeſſa eſt, quam Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum Græcorum ſimul & Latinorum ſtabilivit authoritas. Utrorumque dilucida teſtimonia congeſſit Bellarminus tom. 1. l. 2. de Chriſto c. 22. 23. 24. 25. Cæterum *μνημονικῷ ἁμαρτήματι* fallitur, cum ait in Concilio Toletano tertio Conſtantinopolitani Concilij Symbolum fuiſſe abſque filij additione decantatum: Oppoſitum enim cuivis legenti conſtat, ſic enim in illo quod Conſtantinopolitanum dicunt centum quinquaginta Patrum Symbolum profitentur, & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem ex Patre & Filio procedentem. Et Recaredus qui anno Chr. 58 . Catholicâ ad fidem recens, cum majori ſubditorum populorum parte ex Arianiſmo converſus hanc Synodum nationalem indixit in ipſius Concilij exordio hanc edidit profeſſionem, *Spiritus aquè ſanctus confitendus à nobis & prædicandus eſt à Patre & Filio procedere.* Abraham Echellem Maronita religionum linguarumque Orientalium peritiſſimus in ſuis notis ad Arabicos Nicæni Concilij Canones c. 5. luculentis teſtimonijs demonſtrat Maronitas in ſua fidei confeſſione facta tempore Theodoſij junioris, diſertè profiteri hanc Spiritus ſancti à Patre ſimul & Filio proceſſionem: Eamque fidem teſtimonijs confirmare Sanctorum Athanaſij, Baſilij, Cyrilli, Jacobi Syri, Ephrem, Zachariæ Alexandrini, Joannis Antiocheni & aliorum. Jacobus Zanzalus Jacobitarum hæreſis author in ſuo Cathechiſmo ſcribit à tertia Synodo ſub Theodoſio juniore cælebrata, fuiſſe definitam iſtam Spiritus à Patre & Filio proceſſionem. Forſan id factum occaſione noni Anathematiſmi ſancti Cyrilli adverſus reprehenſionem Theodoreti, qui primus aſſerere auſus eſt Spiritum ſanctum ex ſolo Patre dimanare. Quin etiam antiquiſſima Synodi Nicænæ editio Arabica, quam allegat Echellemus, quæque in vaticana Bibliotheca ſervatur, hoc tradit idem de Spiritus à Patre ſimul & Filio proceſſione, per Synonima verba Mombethec, & Sader quæ nihil aliud quam procedere ſignificant, ut videre eſt in linguæ Arabicæ Theſauris & dictionarijs. Inſuper Leo Græcorum Imperator merito ſapientis cognomine ornatus, qui eodem vixit tempore cum ſchiſmatico Patriarcha Photio, inſignem ſcripſit ad Regem Saracenorum de Chriſtianæ fidei veritate Epiſtolam quæ eſt in Bibliotheca Patrum, in qua diſertis verbis Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere affirmat. Ex his liquido patet id erroris non fuiſſe illis temporibus omnibus Græcis commune ſed aliquibus dumtaxat, qui livore quodam Duce Photio bellum Eccleſiæ Romanæ indixerunt.

2. Diu antequam Photius ſchiſma contra Romanam Eccleſiam molitus eſſet, multa Concilia definierunt hanc etiam à filio proceſſionem. Primum occurrit Alexandrinum ex quo Cyrillus ita ſcribit ad Neſtorium, *ſpiritus appellatus eſt veritatis & veritas Chriſtus eſt, unde & ab illo ſimiliter ſicut ex patre procedit.* Legitur hæc ipſa Epiſtola in Concilio Epheſino parte 1. c. 14. & approbata fuit tam à patribus Epheſinis quam à Chalcedonenſi Synodo act. 5. à V. Synodo act. ultima & à V I. Synodo act. 17. & à V I I. ſeu Nicæna ſecunda act. 17. atque ita quinque generalia Concilia apud Græcos habita hanc à filio proceſſionem approbarunt. His accedunt Concilia Totelana 1. c. 21. tertium ut paulò ante oſtenſum eſt, & IV. c. 1. & VIII. c. 1. & XI. c. 1. quæ omnia celebrata conſtat ante Græcorũ diſſidium. In Gallia quoque atque Germania Concilium Aquiſgranenſe ſub Carolo magno anno 819. ut conſtat ex Adonis Chronico proceſſionem iſtam & additionem vocis *filioque*, ad Symbolum quod in miſſa multis in Eccleſiis cum expreſſione ejuſdem vocis decantabatur confirmavit, ut pariter tradit Regino Abbas, miſſique ſunt tres ab hac Synodo ad Papam Leonem III. Legati qui illum rogarent ut hoc Symbolum pariter Romæ ex ejus authoritate cum additione vocis quadriſyllabæ ſolemniter concineretur. Leo Pontifex eſſe quidem fidei veritatem confirmavit, quod etiam à filio divinus procedat Spiritus, noluit tamen præbere conſenſum ut Romæ uſus illius ad Symbolum additionis reciperetur ut conſtat ex legationis actis quæ ſuperſunt. Quia etiam perhibet Anaſtaſius in vita Leonis I I I. hunc ipſum, *pro amore & cautela Orthodoxæ fidei feciſſe in æde divi Petri ſcuta duo argentea ſcripta utraque Symbolo, perhibet unum quidem litteris græcis & aliud latinis dextrà lævaque.* Ex ejus quidem cum legatis Aquiſgranenſis Synodi colloquio perſpicuum fit, vocem additamenti non fuiſſe ibi ſuperadditam. Idemque ſubinſerunt Magiſter ſententiarum l. 1. diſt. 11. Baronius, Bellarminus aliique communiter.

3. Cur autem Conſtantinopolitanum Symbolum ſolius meminerit proceſſionis à patre, ratio in promptu eſt, quia cum nova Symbola edita fuerint occaſione novæ inſurgentis hæreſis, indubitata fide fuerat creditum in univerſa Eccleſia Spiritum divinum à patre filioque produci, ſed inſurgens nova Macedonij hæreſis prædicabat ſolum Filium à Patre oriri, Spiritum vero ſanctum à ſolo filio tanquam ipſius filij creaturam longè filio inferiorem, cui errori occurrendum duxit Concilium nihil definiendo circa ea in quæ Catholici una cum hæreticis conſentiebant de proceſſione à filio, ſed circa ea ſola in quibus diſſidebant, nimirum de proceſſione à patre quam ſectarij inficiabantur. Ut fidem facit Baſilius l. 2. adverſus Eunomium.

## *DISSERTATIO SECUNDA de electione ſummorum Pontificum & de Cardinalibus.*

1. RITUS & ordo quem præſcripſit de eligendis deinceps in conclavi ſummis Pontificibus per ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales iſtud Lugdunenſe Concilium, hanc à nobis exigit diſſertationem, quâ varios electionum Pontificalium ritus qui diverſis temporibus invaluerunt, ſimulque Cardinalitiæ dignitatis initia & progreſſus accuratius exploremus ac inveſtigemus.

2. Quod attinet ad electiones, vetuſtiſſima ſanè atque ab initio receptiſſima eligendorum Epiſcoporum forma hæc fuit, ut omnes Epiſcopi Provinciæ

ciæ in unum convenientes novum crearent Eccleſiæ viduatæ Antiſtitem, accedente plebis teſtimonio & univerſi cleri aut ſaltem majoris ejus partis conſenſu, ut his teſtatur verbis Cyprianus ep.68. *Apud & nos ferè per omnes Provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui Præpoſitus ordinatur Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant: & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.* Ibidemque divinis id aſtruit teſtimonijs ſcilicet num.10. ubi Moiſi Deus jubet ut coram univerſo populi cætu conſecret Eleazarum Pontificem & Act.1 ubi coram omnibus diſcipulis Mathias in Judæ traditoris Apoſtolatum eligitur, ac promovetur. Et Act. 6. ubi Apoſtoli convocaſſe perhibentur diſcipulorum multitudinem pro Diaconorum creatione. Idem Cyprianus Cornelium Papam affirmat Epiſcoporum judicio & plebis teſtimonio fuiſſe legitimè ordinatum epiſt.41. idemque epiſt.52. de Cornelio ſic ſcribit. *Non ut quidam vim fecit ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt ut Epiſcopatum coactus acciperet, & factus eſt Epiſcopus à pluribus collegis noſtris qui tunc in urbe Roma aderant.* Et ſubinde. *Factus eſt Epiſcopus Cornelius de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc adfuit ſuffragio, & de antiquorum Sacerdotum & bonorum virorum Collegio.* His ſuffragatur ſacra Nicæna Synodus can.4. & 6. *Epiſcopum decernit conſtituendum eſſe ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, aut ſaltem aſſentiente majori eorum parte.* Quod idem ſancivit Concilium Antiochenum can.19.92. ad Ruſticum. *Nulla* (ait) *ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec ab Epiſcopis Provincialibus cum Metropolitani judicio conſecrati.* Atque habetur in c.nulla ratio diſt.62.

3. Illo itaque ritu Romani Epiſcopi creabantur, ut liquet ex aſſertione Cypriani. In electione tamen Damaſi primum interponi cœpit Cæſaris authoritas, occaſione ſchiſmatis ab Urſicino ſuſcitati. Idemque iteratum poſthac in alijs quibuſdam ex ſchiſmate ortis diſſidijs. Res quippe compoſitæ ſunt à Valentiniano inter Damaſum & Urſicinum. Et ab Honorio inter Bonifacium & Eulalium. Et à Theodorico rege inter Symmachum & Laurentium. Poſtmodum Juſtinianus Imperator receptâ de Gothis Italiâ, noluit quemquam in Romanum Pontificem admitti niſi poſt ſuam approbationem. Idque uſque adeo ſub illo & qui eidem ſucceſſere Auguſtis uſu ſervatum eſt uſque ad Conſtantinum quartum Imperatorem, qui Benedicti ſecundi Pontificis hortatu omnem remiſit creandi Papæ poteſtatem Romano Clero & populo.

4. Sigebertus Monachus Gemblacenſis ſchiſmaticus hiſtoricus, atque Imperatoris Henrici partes adverſus Romæ Pontifices propugnans, fabulam commentus eſt Synodi Romanæ centum quinquaginta trium Epiſcoporum, in qua Hadrianus Papa Carolum magnum inſigni decoravit privilegio non confirmandi novi Papæ electionem, quod quidem jus à Juſtiniano uſurpatum in ſucceſſores Imperatores dimanarat, ſed quod hactenus fuerat inauditum, ſola propria authoritate Pontificis pro ſuo libito eligendi, & præterea Epiſcopos per ſingulas Provincias pariter eligendi, & per inveſtituram præficiendi vacantibus Eccleſijs. Poſt Sigebertum Gratianus nimia credendi facilitate adductus commentitium illud Concilij decretum ſuæ Canonum collectioni conſarcinavit. Quæ res multos incautos ipſumque Onufrium decepit. Sed hanc fabulam validiſſimis argumentis Baronius refellit, quibus alias ſuperaddit paris roboris convictiones. Joannes Morinus in hiſtoria originis & progreſſus temporalis Romanorum Pontificum poteſtatis. Canon itaque incipiens Hadrianus Papa & c. in Synodo diſt.63. dignus eſt qui expungatur & obliteretur cum eo qui præcedit Canone hiſtorico.

5. Ex quo tempore Carolus magnus Francorum Rex ſuis armis, Rege Longobardorum Deſiderio profligato, Romanam Eccleſiam in libertatem vindicavit. Romanis liberæ fuerunt Summorum Pontificum electiones ad Leonem uſque octavum, qui quum depulſo Joanne Papa duodecimo per vim ſacrilegam fuiſſet ab Othone Imperatore nominis hujus primo in dejecti locum ac ſedem promotus, derivatum tandem in Imperatores Occidentis jus iſtud fuit Pontificis Romani electionis, quo deinceps uſi, quin potius abuſi ſunt Imperatores Germani ad Henricum uſque tertium ex Franconiæ Duce Imperatorem, quando Gregorius Papa ſeptimus integrum iſtud jus ab Imperatoribus Germaniæ Romanum ad clerum revocavit, quum vero eamdem eligendi Papæ poteſtatem adhibita vi ſacrilega Henricus quartus tertij filius à Paſchali ſecundo extorſiſſet, idem Paſchalis coacta Synodo conceſſionem injuſtam revocavit. Sanctiſſimus quidem Papa Gregorius magnus in Comm. ad Pſal.4. Pœnitentialem vocat tyrannicam ſæculi ſui conſuetudinem ex Imperatorum Græcorum prohibitione, ne ſuo injuſſu imo non niſi accepta magna pecuniarum contributione Romanorum Epiſcopi ordinarentur.

6. Haud planè compertum eſt quandonam ſolis fuerit attributa Summi Pontificis electio. Conſtitutio quidem de Cardinalium Conclavi procuſa promulgataque eſt in iſto ſecundo Lugdunenſi Concilio. Perſpicuum vero eſt ex Petri Damiani teſtimonio, jus eligendi Papæ pertinuiſſe ipſius tempore ad ſolos Eccleſiæ Romanæ Cardinales. Veriſimile eſt ſumptum fuiſſe rei hujus inſtitutum à Leonis noni inauguratione, quando Hildebrandi ſtudio ac operâ electus Romæ Pontifex fuit, poſtquam eumdem Imperator Henricus ſecundus Papam creaverat. An verò ante Othonem primum fuerit penes ſolos Romanæ Eccleſiæ Cardinales Papam eligendi authoritas, incomperta res eſt.

7. De Cardinalium porro Eminentia ſic refert Petrus Damiani & ipſe Cardinalis qui ſub Leone nono ejuſque ſucceſſoribus virtutum omnium laude florebat l.1.epiſt.20. *Romana Eccleſia Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt & quibuſdam alijs prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum atque Primatum jura tranſcendunt: ſalvo quippe univerſalis Eccleſiæ Sacramento, ipſi ſunt oculi unius lapidis, ipſi lucerna unius candelabri.* S.Bernardus l.4. de conſid. Cardinales vocat orbis judices quia judicijs Summi Pontificis aſſident ejuſque Senatum conſtituunt. Extat reſcriptum Pontificis Eugenij IV. ad Henricum Cantuariæ Archiepiſcopum & Angliæ Primatem, quod refertur à Jacobatio Cardinali l.1. de Concilio. Ibique ſic loquitur Eugenius Papa. *Ipſos præterea Cardinales pro honoris & dignitatis Eminentia, partem ſui corporis Summi*

 *Pontifices*

*Pontifices appellant, ex quo ſine ulla dubitatione oſtenditur poſt caput Eccleſiæ quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra qui ſunt fratres ejus Cardinales præ cæteris Eccleſiæ membris ac partibus honorari debere.* His etiam iſta Eugenius adjungit: *Quoſcumque Primates & Epiſcopos à Cardinalibus Summo Pontifici aſſidentibus judicari, & ſingulos Epiſcopos ſingulis ac particularibus Eccleſijs præeſſe ac providere: Cardinales autem univerſæ ſub Papa Eccleſiæ.* Profert demum idem ſuperiorum Conciliorum exempla præſertim duorum Lugdunenſium, in quibus Cardinales citra omnem ambiguitatem honoratiorem præ cunctis Epiſcopis locum tenuere, tenentque etiam nunc in Concilio quod tunc agebatur Florentino. Inſuper Leo Papa X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ.9. aſſerit S.R.E. Cardinales reliquos omnes poſt Papam dignitate honoreque antecellere. Noviſſimè Trid.ſeſſ.15.de reform.c.1. ait Cardinalium conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem niti.

8. Quin etiam his longè omnibus antiquior Joannis Papæ octavi, qui ſæculo nono vixit, conſtitutio declarat: *Romana Eccleſia Cardinales eodem fungi apud Romanum Pontificem officio in ſancta Dei Eccleſia, quo ſeniores ſeptuaginta apud Moyſem in Synagoga.* Quapropter decretum confirmat prædeceſſoris ſui Leonis quarti: *Ut ſcilicet bis in hebdomada Cardinales ad ſacrum Palatium Apoſtolicum conveniant, ut provideant & decernant pro univerſarum Eccleſiarum ſolicitudine, pro Clericorum diſciplina, & pro laicorum querimonijs auſcultandis & definiendis.* Ex quibus liquet in Cardinalibus conſtitui univerſalis Eccleſiæ ampliſſimum Senatum, atque ordinarium Pontificis maximi conſilium. Nulla quippe tam præcellens eſt in terris ſapientia, ut conſiliorum adminiculis non egeat, & præclarè obſervat S.Chryſoſt. hom. ad c.1. Act. Apo. Petrum Apoſtolorum Principem ſancti Spiritus donis cumulatiſſimè ornatum & munitum nihil per propriam authoritatem aut Imperium conſtituiſſe, ſed occurrentibus gravis momenti rebus ex fratrum cõſilio agere ſolitum, ut conſtat in electione ſucceſſoris Judæ ad Apoſtolatum, in electione ſeptem Diaconorum, atque in diſceptatione circa legalium obſervationem exorta. Ex quibus perſpicuum eſt S.R.E. Cardinalibus reſpectivè attribuendum eſſe quod ipſi decernunt Imperatores l.unica, c. de præpoſitis labor.l.11. *Immunitate digni ſunt quos lateris noſtri comitatus illuſtrat.*

9. Cardinalium prima quæ legitur mentio fit in Romano Concilio ſub Sylveſtro primo, cujus can.6. refertur fuiſſe tunc temporis Cardinales Diaconos ſeptem in Romana Eccleſia, poſt annos vero circiter trecentos Sanctus Gregorius Papa ſæpènumero meminit Cardinalium Sacerdotum & Diaconorum, nec tantum Romanæ Eccleſiæ, ſed remotiorum etiam Eccleſiarum. Siquidem l.2. epiſt.13. indict.11. conſtituit in Eccleſia Terracinæ Sacerdotem Cardinalem. Eodemque l.ep.6. indict.10. Joannem conſtituit Epiſcopum pariter Cardinalem in Scyllatina Eccleſia, & l.3.epiſt.14. providet ut in Syracuſanam Eccleſiam quidam coaptetur Diaconus Cardinalis. Similiter l.5. epiſt.11. concedit Fortunato Epiſcopo Neapolitano ut Gratianum conſtituat in Neapolitana Eccleſia Diaconum Cardinalem. Porro addictionem ejuſmodi ad aliquam Eccleſiam Epiſcopalem vocat paſſim Gregorius magnus nunc cardinationem nunc incardinationem. In ejuſdem etiã vitæ l.3.c.15. teſtatur Joannes Diaconus, his verbis: *Civitatum deſolatarum Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat.* Exemplumque ſubjicit Martini Eccleſiæ Tomitanæ Epiſcopi, quem, quia fuerat illa Eccleſia ab hoſtibus devaſtata, vacantis jam Alerienſis Eccleſiæ Epiſcopum Cardinalem conſtituit. Præterea Meldenſis Concilij can.54. conſtituitur: *Ut Epiſcopus titulos Cardinales in urbibus vel ſuburbijs conſtitutos ordinet atque diſponat.* Ut fateri neceſſe ſit titulos Cardinales fuiſſe quoque aliarum à Romana Eccleſiarum, nec tantum Epiſcopalium ſeu Cathedralium, verum etiam inferiorum in quibus Sacramenta fidelibus conferenda ex officio erant.

10. Cæterum ex Divi Gregorij Papæ præfatis litteris, & ordinationibus id ego colligo, quod cum liberum Epiſcopis eſſet Sacerdotes & Diaconos ſubjectis ſibi Eccleſijs præficere, & præterea populis vacante ſede Epiſcopali novos ſibi Epiſcopos eligere, haud tamen licuiſſe alienis ex Eccleſijs Clericos iiſdem addictos educere ſuaſque in Eccleſias transferre, quatenus ejuſmodi tranſlationes Epiſcoporum Sacerdotum & Diaconorum fieri Nicæna Synodus prorſus interdixit Can. 15. Ideoque opus eſſe Apoſtolica, ut id liceret diſpenſatione quam præfatis locis Sanctus indulget Gregorius juſta faciente cauſa, excifis ſcilicet priſtinis Eccleſijs barbarorum immanitate.

## CONCILIUM BUDENSE
### *anno 1279. Congregatum.*

1. SUB Romano Pontifice Nicolao III. regnante in Hungaria Ladiſlao, Philippus Epiſcopus Firmanus Apoſtolicæ Sedis Legatus in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Servia, celeberrimum convocavit Concilium in Hungariæ Caſtro Budenſi, Veſprimienſis Diœceſis.

Can.I. *Quia ſicut Prælati quoſque ſibi ſubditos dignitate & authoritate præcellunt, ita moribus, vitâ, habitu & converſatione honeſtis præcellere & præcedere debent eoſdem. Cum eorum vita ſi ſit bona & amplius ſi ſit mala trahatur à ſubditis in exemplum: ſtatuimus quod ipſi Prælati coronam & tonſuram patentibus omnino auribus circularem juxta regularium, ſeu Religioſorum generalem conſuetudinem approbatam, cum nulla religio Pontificali religione ſit major, de cætero deferant.*

2. Can. II. *Præterea ſtatuimus & ordinamus quod Prælati de cætero cum equitant vel etiam in publico pedeſtres incedunt habeant, & deferant cappas rotundas, ſub quibus habeant & deferant camiſias albas, ſive roſſetas quas ſemper ſub cappis ſive mantellis ante pectus vel poſt collum hinc inde connexis deferant, cum in publico, hoc eſt extra ſecreta habitationis eorum ipſos contigerit ſtare vel ire. Prohibemus autem ne ipſi Prælati de cætero deferant vel habeant mantellos*

*mantellos cum quibus hactenus equitare, & quos in proprijs & alienis non ſolum coram famulis ſuis, ſed etiam coram alijs conſueverunt deferre: permittimus etiam quod poſſint habere mantellos rotundos ſive tabarda longitudinis moderata, eoſque deferre cum capucijs ſeparatis ab eis tempore pluvioſo, nivoſo, ſeu pruinoſo.*

Qui ſequitur Canon III. prohibet tum Prælatis, tum alijs in dignitatibus conſtitutis, tum Canonicis, tum etiam quibuſvis Sacerdotibus manicas deferre conſutitias, vel togas, aut ſuper tunicalia aperta, jubetque ut ſuperiora indumenta circa habeant clauſa deſuper uſque ad fimbrias & ſine collarijs, niſi fortè in tabardis & mantellis ad equitandum, & ne in fibulis aut bottonibus quidquam auri vel argenti ſuiſve alijs in indumentis gerant, mandatque ordinarijs, ut ejuſmodi prohibitas veſtes à deferentibus auferant, & pertinaces à beneficijs ſint ipſo facto ſuſpenſi, veſtes autem & ornatus veriti in uſum pauperum vertantur.

3. Can. IV. Quibuſcumque Clericis præterquam Prælatis uſum interdicit annulorum quos decernit, ut in egenorum ſolatium erogentur, & contumaces Clerici ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur donec obtemperatint.

4. Can. V. Tabernarum ingreſſum vetat Clericis alioquin ab ingreſſu Eccleſiæ excludendis, quæ ſanè prohibitio frequens in veteribus canonibus habetur.

5. Can. VII. *Perpetuò prohibemus edicto ne Prælati & alij Clerici cujuſcumque ſint ordinis, dignitatis, aut ſtatus, ſeditionibus, prælijs, ſpolijs, rapinis, incendijs, & alijs ſævis factis ſe aliquatenus immiſcere præſumãt, nec bellicis actibus ſe implicent vel involvant: niſi fortè pro Eccleſiarum ſuarum, & patriæ defenſione non ad impugnandum vel propulſandum, ſed ad defenſionem tantum ſi neceſſitas eos compellat: & tunc in proprijs perſonis non pugnent.*

Huc pertinet canon Concilij Pictavienſis: *Clerici* (inquit) *arma portantes & uſurarij excommunicentur*. Habetur in c. Clerici de vita & honeſ. Cler. Concilium etiam Meldenſe can. 37. Clericos arma deferentes proprij gradus amiſſione mulctat. Citatur à Gratiano c. quicumque 23. q. 8. armatorum tamen comitatu ad propriam ſecuritatem uti ac munire ſe poſſunt exemplo Pauli Apoſtoli, qui ne ab inſidiatoribus Judæis per viam occideretur, obtinuit à Tribuno milites armatos à quibus tutò deduceretur. Idque exemplum profert Auguſtinus epiſt. 50. ad Bonifacium vide c. Maximianus 23. q. 3. attamen Gloſſa in d. c. Clerici de vita & honeſ. tradit poſſe Clericum arma portare ad terrorem Latronum, quando ipſi per loca periculoſa incedendum eſt. Et concordat textus in auth. ſtatuimus C. de Epiſc. & Cler. Vide paulo infra hujuſce Concilij can. 11.

Can. VIII. *Clerici officia vel commercia non exerceant maximè inhoneſta: mimis, hiſtrionibus & joculatoribus non intendant, & tabernas prorſus evitent, niſi fortè cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Comam & tonſuram patentibus auribus habeant, congruentes, & in officijs Eccleſiaſticis & in alijs bonis ſtudijs ſe exerceant diligenter. Exercentes autem in talibus à ſuis moneantur Prælatis, & ſi moniti parere contempſerint ab officio & beneficio ſuſpendantur. Nec prius talis ſuſpenſio revocetur quam ad arbitrium Prælatorum pro eo fuerit ſatisfactum, ac ſub certa pœna ſufficienter caveant, quod in talibus vel ſimilibus ulterius non excedent.*

Vide his conformia in c. his igitur c. tales c. quanquam, c. prohibete cum duobus ſeqq. diſt. 13. & 21. q. 4. per totam & totum tit. de vita & honeſ. Cler.

Can. IX. *Nullus Clericus ſententiam ſanguinis dictet aut proferat, aut ſanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur interſit: nec quiſquam Clericus litteras dictet aut ſcribat aut pro vindicta ſanguinis deſtinandas, nec illam partem Chirurgia exerceat quæ ad aduſtionem vel inciſionem inducit: nec quiſquam purgationi aquæ ferventis ſeu frigidæ, ſeu ferri candentis ritum cujuſlibet benedictionis vel conſecrationis impendat: ſciens quod ſi ex hujuſmodi mors vel membri mutilatio fuerit ſubſecuta, irregularitatis laqueum non evadet.*

Vide c. ſi quis viduam diſt. 50. & c. in Archiepiſcopatu de raptorib. & c. fin. ne Cler. vel Mona. in 6. & Clemen. unica de homici. item c. ſententiam ſanguinis, ne Cler. vel Mona. & c. tua nos de homic.

Can. XI. *Diſtrictè præcipimus ne Sacerdotes vel Clerici in quovis ordine conſtituti, gladium vel cultellum quod vulgariter dicitur bord portent, niſi eis manifeſti timoris cauſa ingruerit: nec tunc abſque licentia Prælatorum portent.* Vide paulo ante hujuſce Concilij can. 7.

Can. XXI. *Statuimus ut per omnes Eccleſias Chriſma, Oleum ſanctum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia clavibus adhibitis conſerventur, ita ut non poſſit ad illas manus impias extendi. Si vero is ad quem ſpectat cuſtodia incautè ea reliquerit, tribus menſibus ab officio & beneficio ſuſpendatur: & ſi per ejus incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.*

Huc ſpectat Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. can. 29. qui eſt 1. ſub tit. de cuſto. Euchariſ. Chriſm. & alio. Sacram. & Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 6.

Can. XXXII. *Decernimus ut nemo incognitus ad miniſtrandum in ſacris Ordinibus admittatur, niſi ſui ordinatoris vel ſucceſſoris ejus litteras omni ſuſpicione carentes oſtendat, ſuſcepti ordinis mentionem facientes expreſſam. Et qui contra conſtitutionem hujuſmodi venire præſumpſerint tales ad celebrationem divinorum admittendo*

Digitized by Google

*admittendo vel retinendo, poſt trinam admonitionem vel unam peremptoriè à divinorum perceptione & ingreſſu Eccleſiæ arceantur: & de hoc per Diœceſanos Epiſcopos inquiſitio frequens fiat.*

Can.XLI. *In Concilio prohibetur & nos prohibemus inviolabiliter obſervari, ne ſupellectilia Sacerdotis propria ſeu alia in Eccleſijs reponantur, aut etiam teneantur, niſi propter hoſtiles incurſus aut incendia repentina ad eas oporteat habere refugium: ſic tamen ut neceſſitate, ceſſante extra Eccleſiam portentur.*

Eôdem pertinet Lateranenſis ſub Innocent.III. Concilij ſupra relatus can.19. in decretalibus quoque inſertus ſub titulo de Cuſtodia Euch.c.2.

Can.XLIII. *Præcipimus Sacerdotibus ut divino Officio celebrato, & populo regreſſo ad propria, Eccleſias ſuas firmare debeant diligenter. Prohibeant etiam Sacerdotes ſub pœna excommunicationis choreas in cœmeterijs vel in Eccleſijs duci quia, ut ait Auguſtinus, melius eſt feſtivis diebus fodere vel arare quam choreas ducere, ſub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles cauſas in Eccleſijs vel Cœmeterijs agitare præſumat. Nullus etiam de novo ædificare in cœmeterio permittatur, nec fimus vel immunditiæ aliæ in cœmeterijs adunentur. Talia facientes quouſque ſatisfecerint, ad voluntatem rectoris ab ingreſſu Eccleſiæ illius arceantur.*

6. Can.LXIV. *Quoniam ſicut audivimus, quidam Monachi & Canonici regulares aliquorum Monaſteriorum conſueverunt extra ſepta ſui Monaſterij, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter per terram ſæpius evagari: ſtatuimus ut nullus excepto Capellano, & illis quibus ex neceſſitate adminiſtratio competit ſepta Monaſterij ſui exire audeat, niſi prius ab Abbate vel Priore ſeu Præpoſito, & ſi Abbas vel Prior ſeu Præpoſitus præſentes non fuerint, ab eorum Vicarijs vel alijs poteſtatem habentibus eis ſpecialiter licentia ſit conceſſa: quibus Abbas ſeu Prior vel Præpoſitus, vel eorum Vicarij ſine cauſa neceſſaria, vel rationabili exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtentâ licentiâ ſine ſocio quis pedes exire præſumat. Si vero Abbates, Priores, Præpoſiti, vel alij regulares Prælati, ſeu eorum Vicarij in aliquo præmiſſorum negligentes inventi fuerint vel remiſſi, ſuſpenſionis vel majoris vindictæ ſententiâ à Diœceſanis ſuis noverint puniendos.*

His ſuffragatur Concilium Moguntinum tempore Leonis Papæ tertij, & Caroli magni c.12. ſic ſtatuens: Abbates & Monachi in eorum clauſtro permaneant, nulluſque ex eis foras vadat niſi per neceſſitatem Monachus ab Abbate mittatur in obedientiam. Nec foris manducent neque bibant ſine permiſſione Abbatis, nec ad convivia ſæcularia vadant. Item regulæ S. Pachomij ſic præſcribunt c.30. & 34. nullus ſolus foras mittatur ad aliquod negotium niſi juncto ei altero. His conformia jubet regula S.Benedicti, ſed nec frater in via dirigatur ſolus, ſententia Patrum nos docet quæ dicit ad neceſſaria quærenda bini egrediantur vel terni fratres & tales quibus creditur, non qui verboſitatem aut gulam ſectentur. Conſtitutiones etiam Carmelitarum p.1.c.13.§.11. ita ſanciunt nullus ſine ſocio niſi ex juſta admodum cauſa iter agere ſinatur: binos enim diſcipulos Dominus miſit, bini ergo exeuntes individui procedant. Et quidem Chriſtus Dominus Luc.10. deſignatos ſeptuaginta duos diſcipulos miſit binos ante faciem ſuam. Et poſt ejus reſurrectionem ejus diſcipuli hoc præſcriptum ſuo firmarunt exemplo: Cleophas & ſocius ejus ſimul eunt in Caſtellum Emmaus. Petrus & Joannes ſimul currunt ad monumentum, ſimul aſcendunt in Templum, ſimul mittuntur Samariam. Saulus & Barnabas juſſu Spiritus ſancti ſegregantur in opus Evangelij. Judas & Silas deſtinantur Antiochiam. Et Paulus cum Sila luſtrat Syriam. Denique ipſe Juſtinianus Imperator in Novella de Monachis, vult Monachos ire aſſociatos ac invicem teſtes mutuæ honeſtatis eſſe. Concludit Sapienter Eccl. cap.4. melius eſt duos eſſe ſimul quam unum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si unus ceciderit ab altero fulcietur, væ ſoli quia cum ceciderit non habet ſublevantem ſe.

## *CONCILIUM AVENIONENSE anni 1270.*

1. ANno Domini 1270. Idibus Julij venerabiles Patres Domini B.Dei gratia Arelatenſis Archiepiſcopus. R. Cavallicenſis. G.Carpentorat. Zoen Avenion. N.Vaſionenſis. P.Aurelian. I.Triacaſtinus Epiſcopi Arelatenſis Eccleſiæ Suffraganei, atque multi alij Prælati ejuſdem Provinciæ apud Avenionem in Provincali Concilio congregati, hæc ſubſcripta capitula in eodem Concilio promulgata ſervari per totam eamdem Provinciam mandaverunt: licet eadem non ſint ſtatuta, ſed in forma pronunciata fuerint ſtatutorum.

Can. I. Ut alienationes bonorum Eccleſiaſticorum revocentur. *Alienationes factas de poſſeſſionibus Eccleſiarum, ſive Diœceſanorum conſenſu Rectores, ſive Priores earumdem Eccleſiarum, ſive ſint alienatores, ſeu eorum ſucceſſores ſtudeant celeriter revocare quatenus proceſſerint de facto: alioquin per Diœceſanos locorum, tam dicti Rectores ſeu Priores quam Abbates, ſeu alij ad quos ſpectant illæ Eccleſiæ, ad id admonitione præmiſſa per cenſuras Eccleſiaſticas compellantur.*

2. Can. II. Ut pecunia legata ad arbitrium executorum dividatur in cauſas pias. *Cum autem teſtator legat certam pecuniæ quantitatem, vel res alias pro foreſtis ſuis diſtribuendis arbitrio gardiatorum ſeu executorum teſtamenti ſui, nec extant certa perſonæ quibus, ſeu inter*

*inter quas pecunia ſeu res ſic legata diſtribuantur: ſtatuimus quod pecunia ſeu res prædictæ per ipſos executores de conſilio tamen & aſſenſu Prælatorum, ne fraus aliqua per ipſos gladiatores valeat procurari, in pias cauſas dividantur. Et niſi teſtator tempus præfixerit ad hujuſmodi perſolvenda, dicti executores per Diœceſanos locorum ea infra annum ſolvere per cenſuras Eccleſiaſticas compellantur.*

3. Can.III. Ut Archiepiſcopus & Suffraganei ſe invicem juvent in ſententijs ſervandis & publicandis. *Item ſtatuimus quod dictus Archiepiſcopus & ejus Suffraganei mutuum ſibi adinvicem auxilium in ſententijs ſervandis & publicandis præſtent, cum per illum qui ipſas ſententias tulit fuerint requiſiti.*

4. Can.IV. Ut qui habent perſonatus & beneficia curata Preſbyteri fiant intra annum. *Item ſtatuimus quod illi qui habent perſonatus etiam ſine cura, ſeu beneficia curam animarum habentia compellantur per Diœceſanos, per ſubtractionem beneficiorum infra annum in Presbyteros promoveri, niſi rationalem cauſam oſtenderent quare infra annum non poſſent vel deberent: vel niſi ſint Archidiaconi quibus ſufficit quod ſint Diaconi, & quod in Diaconatu miniſtrent.*

5. Can. V. Ut expenſæ factæ in Legatos Apoſtolicos ſolvantur de contributione Eccleſiarum. *Item ſtatuimus quod ſi Epiſcopus vel aliquis Rector alicujus Eccleſiæ de Diœceſi neceſſarias expenſas fecerit in Legatis & Nuncijs Sedis Apoſtolicæ, expenſæ illæ ſolvantur de communi contributione Eccleſiarum totius Diœceſis: & iſtæ expenſæ ſemel in anno in una Synodo colligantur.*

6. Can. VI. Ut perſonatibus aſſignentur certi redditus. *Item ſtatuimus quod Epiſcopi & Capitula aſſignent, & deputent Clericis in perſonatibus & ſeu dignitatibus ſuæ Eccleſiæ conſtitutis qui carent redditibus, certos redditus juxta facultates ſuas, & qualitatem dignitatis ſine magno præjudicio aliorum: quod videtur poſſe fieri ibi præſertim ubi communia bona habentur.*

7. Can.VII. Ut Religioſi & Clerici non quærant defenſionem ſæcularem contra Epiſcopos. *Item ſtatuimus quod ſi Religioſi vel Clerici ſæculares ſe in guidagio ſeu defenſione ſæculari poſuerint contra Epiſcopos & Prælatos ſuos, niſi Canonica admonitione præmiſſa illi guidagio ſeu defenſioni penitus renunciaverint, per Diœceſanum excommunicentur: alias per ſubtractionem beneficij ſi quod habent, ſi hæc contempſerint puniantur.*

8. Can.VIII. De Clerico qui Epiſcopum Præpoſitum, &c. graviter læſerit. *Item ſtatuimus quod ſi quis Clericus Epiſcopum præpoſitum ſeu alium in perſonatu & dignitate, ſeu Canonia alicujus Eccleſiæ conſtitutum factis vel verbis graviter dehoneſtaverit: non admittatur ulterius ad aliquod beneficium illius Eccleſiæ niſi paſſo injuriam ſatisfecerit de injuria ſeu de offenſa.*

9. Ad ſupra memoratum caput 4. de Presbyteris ante anni lapſum ordinandis, iis quibus beneficium curam habens animarum incumbit, optimè providerat Concilium Lateranenſe generale ſub Alexandro Papa III. & habetur c. cum in cunctis §. inferiora de electio. Quam conſtitutionem inſtauravit Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12.



Digitized by Google

# ECCLESIÆ DECIMI QVARTI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. INIIT ſæculum decimum quartum exiſtente Summo Pontifice Bonifacio ejus nominis octavo, Imperatore Alberto Auſtriacho, Franciſque regnante Philippo quarto, cui pulchri ob oris & corporis venuſtatem inditum cognomen. Sub Imperij Alberti nova Helvetiorum Reſpublica ſumpſit exordium. Iſti quippe ab Imperatoris miniſtris vexati ſe in libertatem vindicarunt quam hodie retinent.

2. Philippus pulcher Anglos levibus aliquot prælijs initio Principatus fuderat, ſed progrediente difficili bello prior illa felicitas quaſi aliquo turbine excuſſa eſt. Vido Flandriæ Comes Imperatoris Adulphi Naſſonij, & Anglorum Regis Eduardi primi fretus opibus, Franco bellum movit. Sed dilapſis à ſocietate belli tantis Principibus ſerò ſuum agnovit errorem, nam ſpoliatus omnibus potentioris arma timenda, pacemque colendam eſſe didicit. Ac illum quidem detentæ pro obſide à Franciæ Rege Philippo pulchro filiæ quam Eduardi Angliæ Regis filio uxorem deſtinaverat dolor armavit. Hanc vero ubi ex mœrore animique ægritudine ſublatam audijt; tum ſocietate iterum inita cum Anglis, à Philippo Rege apertè deſcivit. Francus cum numeroſo exercitu Belgicam ingreſſus, in Atrebatum finibus Carolo Valeſiæ Duce Flandros levi prælio tanquam atrocioris pugnæ præludio fregit, armiſque progreſſus Flandriam ſubinde omnem ſubegit, comitemque à ſuis deſertum captum cum duobus liberis Roberto & Vidone Lutetiam Pariſiorum abduxit. Rex magnificè à Flandris ſuſceptus eſt. Verum plebs animo confeſtim mutato concitata, quod ſeverius ſe habitam ab optimatibus Francis exiſtimaret, adeò nullum eſt Imperium tutum ac diuturnum niſi benevolentiâ munitum ſit, armis ducibuſque aſſumptis Petro Luſco textore & Briano Larvo, apud Brugas Jacobo Comiti Fani Paulini regio Prætori vim meditantur cædes Francorum ingens edita: Curtracum Francorum ejecto præſidio captum, cæſis inſigni clade noſtris. Ea res Regem movit ut in rebelles Roberto Regiæ ſtirpis Principi demandaret is ſexaginta armatorum millia in hoſtes educit. Fefellit Francos loci iniquitas; cæduntur à Flandris qui victoriâ iſtâ feroces ſpes altiores concipiebant cum Rex ingentibus copijs ſuccinctus opportunè accurrens ſecundùm Legiam amnem uno alteroque ad Audomaropolim conflictu feroces ita cæcidit, ut Curtracenſis pugnæ infamia planè deleretur. Cæſa ſunt eo prælio triginta ſex Flandrorum millia. Tandemque poſcentibus data eſt venia.

3. Bonifacius omnia bellorum fomenta inter Franciæ & Angliæ Reges extingui cupiens ut daretur opportunitas ad ſacrum adverſus Saracenos inſtaurandum bellum, quod perſæpè ingenti animarum ardore ſuſceptum, Deo Chriſtianorum peccata caſtigante triſtes ac infauſtos habuerat exitus. Totius expeditionis ducem deſtinarat Carolum Valeſium Philippi pulchri fratrem, ſtrenuum Principem & moderatum, quem poſt multa in Flandros præclarè geſta frater ejus Philippus æmulatione fraternæ gloriæ ab illa expeditione revocarat, admodum in opportuno tempore, conſilio Enguerrani Marigniani Regij Quæſtoris id unum ſibi animo proponentis ut unus Regiæ præeſſet voluntati, & ab Rege procul amoliretur eos quicumque ſibi non eſſent addicti. Ideoque cum Flandri virtutem reveriti Valeſij ſub ejus ductu placidè conquieſcerent Enguerranus copioſos ex Belgio quæſtus per inſatiabilem avaritiam lucrari intendens, hunc præfecturâ conſentiente Rege amovit, & truculentũ ac inſatiabilem virum illius vice ſubrogari curavit Jacobum Caſtillionæum cujus rapacitatem execrata gens Belgica in novas rebelliones erupit. Tum Bonifacius Pontifex Carolum in Italiam accitum ad componendas plebium ſeditiones quibus tota exardeſcebat excivit, intendens præſertim in eum transferre Græcorum Imperium uxorio jure, duxerat enim Catharinam Balduini filiam quem Conſtantinopoli Palæologus ejecerat. Bonifacius ut viam expetitæ à ſe expeditioni muniret Carolum Claudum Neapolitanum Regem ad Philippum adjuncto Sabaudiæ Comite miſerat, qui in biennium inducias vix obtinuerunt, ea etiam lege ut eo interſtitio Rex Flandricas

tas urbes obtineret. Cæterum ut res malè ſartæ infelicius coaleſcunt. Eadem Marinij tyrannica quæ Flandros ad bellum concitarat, Francos quoque ad ſeditiones frequentes impellebat prætextu ut vocabant Malatoltæ. Tempus præterea induciarum brevius Pontifici videbatur quam ut res tanti momenti peragi poſſent, Bonifacius inconſulto Rege novum in Gallia Apamienſem erigit Epiſcopatum, primaſque ejus infulas tradit cuidam Bernardo, atque ut acrius Regem pungeret ei mandat per eumdem ut omnibus prætermiſſis ad bellum ſacrum ſe conferat, vetat indictas decimas ad alium uſum convertere, ipſumque Regem à Pontifice deponendum comminatur niſi ſtatim obtemperet. Rex indignatus in hominis impudentiam Narbonenſi Archiepiſcopo in cuſtodiam tradit. Id poſtquam reſcivit Pontifex novas ad Regem epiſtolas aſperrimas ſcribit, quibus teſtatur ob ejus contumaciam Franciæ regnum jam eſſe devolutum ad Apoſtolicam Sedem. Eæ litteræ Jacobo Normandio Archidiacono Narbonenſi traditæ eidemque legenti ereptæ ſunt, & ab Arteſio ſpectante Rege in ignem conjectæ. Attamen ſolutus eſt Apamienſis Epiſcopus & una cum Jacobo Archidiacono juſſus à Regno procul faceſſere. Tum vero ſupervenit perditiſſima illa Saræ Columnenſis & Nogareti Franci equitis conjuratio, qui collatis exiguis viribus conductiliorum paucorum militum quos uterque collegerat, audax & damnabile facinus aggreſſi ſunt in Summum Pontificem, quem captivum apud Anagniam fecerunt; nec tamen captum in poteſtate diu habuerunt: brevi namque diſſipata illa collectitia manus plebs ipſa quæ ſui officij erant præſtitit, & Pontificem debitæ reſtituit libertati. Quem tamen ardens dolor & iracundia eorum quæ ſibi uſque adeò indignè obtigerant, paucis diebus ex hac vita ſubtraxit. Vir erat jurium conſultiſſimus, ſemel concepti propoſiti tenaciſſimus, adeout nulla inde ratione dimoveri aut inflecti poſſet. Nihil grande animo proponebat, magnificoſque rerum ſucceſſus de ingenij præſtantia ſibi pollicebatur: nihil in eo exile, nihil mediocre inerat, grandes virtutes grandia pariter vitia, quibus illæ offuſcabantur ambitio & iracundia. Interijt Bonifacius Romæ menſe Octobri an. 1303. ut ſcribunt Joan. Villanus, Bernardus Guido & alij.

4. In locum Bonifacij ſuffectus Benedictus eſt XI. ex ordine Dominicano ubi apprimé doctus & pius, qui pacem cum Philippo & Francis inſtauravit. Benedicto Clemens V. patria Lemovix ex Archiepiſcopo Burdegalenſi ſubrogatur anno 1305. hic tumultuum Italicorum pertæſus, totâ Italiâ factionibus alborum & nigrorum diſciſſâ ſedē Pontificiam Romana ex urbe Avenionem tranſtulit ubi annis hæſit amplius ſeptuaginta. Tres vero Legatos Cardinales Romam miſit qui res Italiæ adminiſtrarent. Hujus vero ſæculi anno ſeptimo generale Concilium Viennæ in Allobrogibus habuit, cujus Decreto equites Templarij atrocium ſcelerum damnati ſunt, deque illis à Philippo Rege ſumptum ſupplicium, eorumq; ampliſſimæ opes partim Hoſpitalarijs militibus adjudicatæ partim in fiſcum relatæ.

5. Rodulpho qui ex Comite Harpurgenſi virtutum meritis fuerat in Imperium provectus, ſucceſſor datus eſt Adulphus Naſſovius qui ob ſegnitiem deſpectus locum dedit Alberto Auſtriaco, Rodulphi Imperatoris filio ab iiſdem Comitijs electo, à quibus Adulfus redactus in ordinē fuit: educto nihilominus ut ſuam tueretur dignitatem exercitu, in acie pugnans cæſus eſt. Poſt Albertum habenas Imperij rexit Henric. Lutſemburgenſis Dux, qui compoſitis in Germania rebus in Italiam proficiſcitur hortante Clemente Papa, ut diſcordes inter ſe populos ad pacem & invaſores jurium ac terrarum Eccleſiæ armis ad reſtitutionem adigeret. Henricus qui dudum Aquiſgrani coronam ſumpſerat argenteam, Mediolani, ferream accepit. Bellique longè ſtudioſior quam pacis Italiam expilavit, & ingentibus cladibus affecit, & viciſſim à populis quos infenſius perſequebatur accepit, præſertim à Brixienſibus & Florentinis quos Robertus Neapolitanus Rex ſtrenuè adverſus Henricum oppugnantē tuebatur. Quapropter Henricus iracundiâ fremens Robertum quem vi bellica non poterat, ſententiâ in eum dictâ avito regno exautoravit: quamvis ipſe progenitoreſque ipſius jus regni non ab Imperatore ſed à Sum. Pontifice ſuſcepiſſent. Et Clemens quidem Pontifex Henricum officij ſui, & quam dederat fidei coarguit infractorē: qui cum promiſiſſet factiones quibus fœdè lacerabatur Italia componere, fautorem unius ſe exhiberet ſcilicet Guelforum, ut in oppoſitam quæ Gibellinorū dicebatur, omni immanitate deſævirct. Neque vero ea nomina deſignabant ſicut olim partes Pontificias aut Imperatorias: ſed alias civitatum ad invicem diſſenſiones, quas ferro flammiſque inter ſe mutuò decernebant. Henricus poſtquam Æmiliæ ſeu Longobardiæ atque Etruriæ populos infeſtis armis & immanibus pecuniarum exactionibus oppreſſit, ingreſſus Romam coronā Imperij aureā de manu Legati Apoſtolici ſolemni ritu accepit, Pontifice



Digitized by Google

maximo Avenione tunc degente. Indeque regreſſus ad priſtinas hoſtilitates proſequendas, ſive ſolius Dei ultione, ſive ut creditum fuit acceptâ de manu Dominicani Sacerdotis illitâ veneno hoſtiâ vitâ exijt. Sed iſtud minus eſt probabile. Jam enim naturali ægritudine laborabat Henricus, antequam Sacramentum ſumeret, ut conſtat ex relatione continuatoris hiſtoriæ Ptolomei Lucenſis, qui tunc propè aderat: neque ullatenus veneni meminit Joannes Villanus Florentinus qui eodem vixit tempore, neque Albertinus Muſſatus Patavinus, tunc pariter vivens diligentiſſimus rerum hujus Henrici VII. ſcriptor. Henricus morte occubuit in agro Senenſi menſe Auguſto anni 1313. haud diſſimili modo Subdiaconum quemdam Victoris ſecundi Papæ Romani vitæ inſidiatum fuiſſe proditur, infuſo in ſacrum Calicem venenato vino, cumque peracta conſecratione Pontifex eſſet Calicem ori admoturus evidenti miraculo Deum hauſtum prohibuiſſe, & Subdiaconum repentè à Dæmone correptum proprium ſcelus aperuiſſe, ut referunt hiſtorici eorum temporum Lambertus Schafnaburgenſis & Abbas Urſpergenſis.

6. Eſt cur Medici obſtupeſcant quâ vi quantaque celeritate, morbida corpora per contagium vel afflatum in popularibus quos vocant, morbis ſimiles morbos alijs corporibus inferant, ut vel unus æger ſufficiat ad inficiendam peſtilentiâ regionem vel ampliſſimam. Attamen major ſubeſt mirandi cauſa in animorũ morbis, quanam lue ſeu contagio animorum vitia, quales ſunt hæreſes in intellectu & perverſi affectus in voluntate, ſic quaſi per incendium invadere populos valeant, ut nullo ferè humano remedio ſiſti poſſit publici mali augmentum & propagatio: adeout vel unus ſceleratus ampliſſima pervertere regna ſufficiat, ut in Ario, in Neſtorio, in Eutychete, in Mahomete docet deplorabilis plurium ſæculorum experientia. Sic quoque æſtimandum de factionibus quibus ſæculo iſto quod proſequimur tota miſerrimè lacerabatur Italia alborum & nigrorum. Iſta peſtis cœpit apud Piſtorium Tuſciæ civitatem in familia Cancellariorum, ut prodit Villanus lib. 8. cap. 37. Quidam nomine Cancellarius Piſtorienſis civis, coacervatis ex mercatura multis divitijs plures etiam ex duabus uxoribus ſuſcepit filios inter ſe æmulos, à quibus numeroſa proles edita eſt, hoſtiliter invicem affecta tum circa bonorum diviſiones, tum circa Magiſtraturarum ambitum, ita ut pauci ſine mutuis cædibus dies tranſigerentur: & quia idem omnium erat nomen, alij ſe albos alij ſe nigros Cancellarios indigitabant. Res primum privatæ in publicas degenerarunt, alijs ſe his adjungentibus familijs, omnia per vim & pugnas & cædes privatim & publicè gerebantur. Nec ſolo Piſtorio contineri malum potuit, inde enim Florentiam, Piſas, Lucam malum ſe propagavit, nec ſolâ Tuſciâ circumſcriptum eſt, ſed universâ ſe Italiâ diffudit, ut ſeclusâ juſtitiâ omnia per ſeditiones rapinas & cædes & privatim & publicè gererentur. Piſtorienſis civitas id quaſi fatale habuit. Etenim jam antea univerſæ Italiæ funeſtæ factiones Gibellinorum & Guelforum ſuum primum intra id oppidum habuerant exordium.

7. Poſt Henrici mortem diſcordantibus electoribus Longum interceſſit interregnum, hinc eorum aliquibus Friderico ſuffragantibus Duci Auſtriæ, Alberti quondam Germanorum Regis filio natu majori cognomento pulchro; alijs vero Ludovicum Bavariæ Ducem ad Imperij ſolium vocantibus. Ea diſſenſio Germaniam atroci bello diſtinuit, poſt multa demum prælia Fridericus acie victus & captus, infortunio ſuo Ludovicum ad Imperij culmen poſt novem interregni annos provexit. Pari quoque diſſenſione Cardinalium Apoſtolica ſedes per duos annos, & aliquot menſes magno Chriſtianæ Reipublicæ damno & ſcandalo vacavit. Obijt enim Clemens V. duodecimo Calendas Majas anno 1314. & anno demum 1316. Jacobus de Oſca Cardinalis Epiſcopus Portuenſis ſumpto Ioannis nomine XXII. ſeptimo Idus Auguſti Summus Pontifex eſt renunciatus Lugduni apud Fratres Prædicatores, penes quos Philippus Comes Pictavienſis accitos ad ſe Cardinales ſpecie cujuſdam conſultationis incautos concluſerat, ex arcano conſilio, cum fratre Ludovico Franciæ Rege inito: tametſi Cardinalibus pollicitus liberam diſmiſſionem fuiſſet, concluſos vero nec minus tamen diſcordes ad officium, ciborum ſubtractione, adegit.

8. Occaſione diſſidij inter Clementem & Ludovicum Bavarum exorti, tota Italia immenſis eſt agitata procellis. Ludovicus inconſulto Pontifice ſibi titulum Imperatoris temerè aſcivit. Pontifex eumdem contumacem jure Imperij & communione fidelium excluſit: at Bavarus reſumptis Henricianorum & Fridericianorum priſcis factionibus Gibellinas veteres reſſuſcitavit, Mathæum Mediolanenſi civitati, Canem Scaligerum Veronæ, Paſſerinum Mantuæ, Eſtenſem Marchionem Ferrariæ, alioſque alijs civitatibus præfecit, Robertus vero Apuliæ Rex Pontificis cauſam ſuis armis & prudentiâ

prudentiâ fulciebat, quæ tamen obſiſtere non valuere quo minus Ferraria Pontifici rebellis, exciſo præſidio Roberti Apuliæ Regis, Marchionibus Eſtenſibus ſe ſubmiſerit. Adverſus iſtos perduellium duces qui ſe Imperij vicarios denominabant, Conſtitutionem Joannes edidit anno 1317. Robertum vero Imperij Vicarium per omnem Italiam excepta Genuenſi ditione conſtituit. Edicẽs excommunicationis pœnam tum Vicarijs uſurpatoribus, tum perſonis quæ illis obedirent, ſimulque terris ac locis ipſis interdictum declarans: id quod utique verum erat vacante Imperio curam illius & ſollicitudinem miniſteriumque Romanæ ſedi competere. Condixitque Ludovico Bavaro & Friderico Auſtrio certam diem ad producenda jura ſua coram Apoſtolica ſede.

9. Genuenſes in fide perſtantes Joannis, Auriarum & Spinularum familias Gibellinæ factionis urbe ſua exegerunt, eorumque ædes diripuerunt. Verum ex adverſo Mathæus Mediolanenſium Vicecomes ab exulibus ſollicitatus, per Marcum filium ſuum virum acrem & bello ſtrenuũ Genuam magnis viribus obſedit. Fliſci vero & Grimaldi præcipui Genuenſium duces & proceres Urbem Roberto Regi certis conditionibus dediderunt: qui accurrens ad ſuppetias obſidionem ſoluere Mediolanenſes coëgit, quæ ferè per quinquennium terrâ marique variis eventibus perduraverat, Andronico etiam Græcorum Imperatore quaſcumque poterat opes obſidentibus in odium Romani Pontificis & Roberti Regis ſubminiſtrante. Hæc Joannes Villanus & Corius fideles illorum temporum hiſtoriæ ſcriptores prodiderunt.

10. Regni porrò Apuliæ Res ut præſens hiſtoria dignoſcatur altiori ab origine repetendæ ſunt. Carolo ſecundo cui Claudi cognomen fuit Caroli Andegavenſis filio multi ex matrimonio nati fuerant filij, in quibus fuere Carolus dictus Martellus qui jure Matris ſuæ Mariæ Hungariæ vivente Carolo Claudo Patre creatus Rex fuerat Hungariæ. Et huic natu poſterior erat Robertus. Porro Martellus vivo Claudo Patre Apuliæ Rege in Hungaria mortem objerat, filio relicto Hungarici Regni ſucceſſore Caroberto. Huic poſt obitum avi Apuliæ Regis ſcilicet Caroli Claudi, Regni Appuli ſucceſſio jure paternæ repræſentationis deberi videbatur: ſed tamen Robertus ipſius patruus quem Regni Apuliæ ſimulque provinciæ quæ eſt in Gallia hæredem teſtamento dixerat, titulo proximitatis id regnum obtinuit tanquam defuncti Claudi filius, cum longius à Claudo diſtaret ejuſdem Nepos Carobertus: ſed ad jus hæredis acceſſit præterea voluntas Clementis Papæ V. qui Robertum & prudentiâ & fortitudine animi bellique peritiâ multò inſigniorem, accepto fidei & clientelæ Sacramento, (iſtud quippe Regnum ſupremo jure Apoſtolicæ ſedi ſubjiciebatur) Avenione magna celebritate coronavit. Cujus ſententiam celeberrimi illius ævi Juriſconſulti approbaverunt (ut ex utriuſque ſcriptis liquet) Bartolus & Baldus.

11. Roberto Regi unica ſupererat neptis nomine Joanna ex unico ejus filio qui, ordine naturæ turbato, dum vivebat pater ex hac luce ſubtractus fuerat, ingentis ſpei ac meriti adoleſcens denominatus Carolus Calabriæ Dux, qui Florentinorum rempublicam periculoſis temporibus maxima virtutum commendatione civiumque benevolentiâ rexerat. Providerat Robertus tanto orbatus filio, ut Joanna Neptis Andreæ Hungaro Caroberti filio nuberet: quæ tamen Nuptiæ luctuoſos habuere ſucceſſus; adeo fatale videbatur ut ſub omni Andegavenſi progenie, huic Siculi Regni coronæ continua infortunia quaſi gemmeis & adamantinis clavis affixa eſſent. Diſpar omnino erat conjugum iſtorum indoles, Andreas enim erat ingenio ſtupidus, pravè educatus, planeque incivilis, Joanna ex adverſo annorum tunc undeviginti ingenioſa, venuſta, & affabilitate gratioſa, omnium ad ſe amorem alliciebat. Contingit anno 1345. ut nocte concubia improviſò à conjuratis prætextu ſedandæ civium quorumdam exortæ commotionis, ex Joannæ latere evocatus abductuſque ab Aulæ podium, ab iiſdem nefariè laqueo ſit extinctus, ac cubicularia quædam ſtrepitu excita conjuratos Cadaver clam in horto ſepelire parantes conclamans, in fugam vertit. Joanna vero comperto facinore poſt muliebres ejulatus univerſis regni proceribus, coram ac per litteras, Clementi ſexto Pontifici, & Ludovico Hungariæ Regi fratri Andreæ, reliquiſque Chriſtianis principibus innocentiam ſuam perſuadere contendit. Villanus & Collenutius culpam omnem in Joannam derivant. At Petrarcha & Bocatius qui tum propè aderant omnem ab ea culpam removent. Certè neque ex proceſſu Hugonis Comitis Avellini, cui primum conſenſu procerum Regni demandata eſt criminis inquiſitio in ſceleris conſcios, & judicium, quo diris ſupplicijs & morte nonnulli convicti puniti ſunt, neque ex ſollicita quorumcumque reorum atque adeo ipſius reginæ perquiſitione, ſi rea quoque comperiretur, quam Clemens Papa Balzio Comiti novello commiſerat, neque ex actis Aimerici Cardinalis

 quem

Digitized by Google

quem idem Pontifex Vicarium in temporalibus toti Regno præfecerat, donec diligentiſſima tanti ſceleris indagatione reſciri poſſet utrum Joanna nefario crimini participaſſet, nihil tamen de præſumpto Joannæ facinore potuit eſſe compertum vel probatum.

12. Ludovicus Hungariæ Rex fraternam ulturus necem Neapolitanum Regnum invaſit. Cujus adventu territa Joanna ſe in provinciam quæ juris ipſius erat recepit. Ab hac Clemens Papa VI. Avenionem vili pretio emit, Joannamque certis Ludovico pactis editis Neapolitano Regno reſtituit.

13. Avenione ſeptem ſummi Pontifices conſederunt Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. Urbanus V. & Gregorius XI. qui anno demum 1377. Romam petijt ibique ſedem fixit, & ſequenti exceſſit è vivis. Succeſſit deinde exitiale ſchiſma quod annos circiter quadraginta perduravit. Cum enim Cardinales ingreſſi conclave de novo ſufficiendo Pontifice deliberarent, populus Romanus metuens ne creato ab ijſdem Pontifice Gallicano, Pontificia ſedes iterum Româ diſtraheretur, vim nefariam intentavit, foribuſque conclavis effractis, Cardinalibus præſentaneam mortem eſt comminatus, niſi omni abjecta mora in electionem Itali Pontificis conſentirent. Qua vi adacti electores Bartholomeum tandem Barenſem Archiepiſcopum qui ſe in præfectorum regionalium conſilium, & in tumultuantis populi irruptionem ingeſſerat, ſuæ quiſque proſpicientes incolumitati elegerunt qui ſibi Urbani ſexti nomen aſſumpſit. Huic regina Ioanna ſe benevolam præſtitit initio, & militari præſidio, pecunijs, cibarijs, ſuppellectile, munificam erga ipſum exhibuit. Sed poſtquam eumdem didicit moliri Regnum Neapolitanum in Carolum Dyrachij Ducem Ioannæ patruelem transferre: ab ingrato & infido homine diſceſſit, ut ſchiſmatis partes adverſus ipſum foverét. Itaque Cardinales Fundos acceſſerunt civitatem Neapolitani Regni, ibique vim priſtinam cauſati Robertum ex Comitibus Gebennenſibus virum & proprijs meritis & proſapiæ nobilitate, magnorumque principum affinitatibus illuſtrem, renunciavere Papam in Fundana majore baſilica, & Tiarâ Pontificiâ clam ex Romana Urbe aſportata coronarunt, Othone Brunſvicenſi Ioannæ marito alijſque Regni proceribus præſentibus, & ſolitum adorationis obſequium exhibentibus anno 1378. Ipſe Robertus nomen ſibi Clementis VII. impoſuit. Eo autem facto excandeſcens Urbanus Ioannam Regno abdicavit quod in Carolum Dyrrachinum tranſtulit, miſitque ad Ludovicum Hungarum hortans ut intermiſſam olim de morte Andreæ fratris ultionem Dyrrachino Duci cum exercitu validiſſimo committeret. Ipſeque Urbanus copias armatorum multamque pecuniam ad hoc ipſum ſuppeditavit. Igitur Hungarus & Carolus Dyrrachinus ultimam Ioannæ perniciem moliuntur. Et Neapolim adventans Carolus terrorem ubique circumfert, Ioannam in arce obſeſſam & ad extrema redactam ſe ſe conditionum accepta fide, patrueli quem innumeris beneficijs devinxerat dedentem, datæ fidei violator eliſis laqueo faucibus interimi juſſit. Sibique hac perfidia Regnum aſſeruit. Hæc Boninſegnius, Niemius, S. Antoninus alijque illorum temporum hiſtorici prodidere.

14. Infelix Ioanna ut ſalutem adverſus tot hoſtes impugnantes tueretur ad Francorum arma recurrens Ludovicum Andegavenſem Franciæ rectorem, Caroli ſexti Regis Patruum in filium adoptaverat, ſed à Dyrrachino oppreſſa & perempta fuit, priuſquam expetitum Franciæ auxilium parari ac præſto eſſe potuiſſet. Ludovicum Andegavenſem collectis copijs ſuccinctum Clemens Antipapa Avenione Regem Apuliæ coronavit. Qui ex provincia digreſſus, per Alpes Cottias in Italiam penetravit; ubi plurimis affectus incommodis, fatiſcente Franco inſolitis æſtibus & morbis, interceptiſque ad vitam neceſſarijs commeatibus, atque Italorum invidiâ infectis veneno aquis diminutis Francicis copijs, atroci commiſſo prælio cæſi cum Duce noſtri occubuerunt. Carolus Dyrrachinus quemadmodum erga Ioannam ita & in Urbanum inſignes olim benefactores ſuos ingratus, hujus quoque Machinatus exitium, ideoque diris ab Urbano devotus, eumdem Pontificem Luceriæ arcta obſidione cinxit, ex qua tamen Urbanus opitulantibus Genuenſibus eſt liberatus. Dyrrachinus porrò Sicula dominatione minimè contentus, quâ inſidijs quâ vi aperta invaſit: Sed ibidem ſcelerum pœnas luit, à gregario milite interemptus: cujus Cadaver utpotè odioſi ſceleratique viri atque in Pontificia excommunicatione mortui, Eccleſiaſticâ caruit ſepulturâ. Morte hujus quæ anno 1386. Neapolim delata filius ejus paulò major decenni Ladiſlaus quem Franci Lancellotum dicunt, Neapolitanum Regnum ſuſcepit. Iſte Flagitioſi Patris non minus Flagitioſa proles per ſchiſmatis occaſionem Romam haud ſemel occupare conatus, ab Ludovico Andium Duce Ludovici ejus qui contra Carolum Dyrrachinum indicto bello in Apulia vita exceſ-
ſerat

d by Google

ferat filio, victus ac repreſſus eſt anno 1411. ſed victoriâ neſciens uti Ludovicus, re infecta Galliam repetit. Dicere ſolebat Ladiſlaus ſi hoſtes eadem ipſa die victoriam proſecuti fuiſſent tam ſe quam regnum in eorũ poteſtate futurum: ſi poſtera die, non ſe ſed regnum: ſi tertia, nec ſe nec regnum: quoniam adverſus eorum vim opportuna remedia adhibuiſſet. Culpam tamen illam hiſtorici Itali regerunt in Saulum Urſinum Pontificiarum copiarum ducem, quem produnt tum prædandi cupiditate tum ambitionis libidine, metuentem ſi bellum conficeretur, ne deinceps ea qua pollebat authoritate caderet. Anno deinde 1413. Ladiſlaus fœdifragus Romam de improviſo invadit armatus, Ioannem Papam XXIII. in fugam compellit, multos indiſcriminatim & prælatos & cujuſcumque ſortis interimit, Baſilicas ſacras expilat, innumeroſque viros captos ad triremes adigit; honeſtas fœminas & ſacras Virgines ſuorum libidini effræni permittit. Annoque demum 1414. impius Ladiſlaus fœdâ pudendáque morte occumbens, ad tremendum Dei judicium evocatus nullis ſuperſtitibus liberis Ioannæ ſecundæ ſorori regnum reliquit quam libidinoſa vita reddidit infamem.

15. Atrociſſimum iſto & ſequenti ſæculo exarſit Anglofrancicum bellum. Eduardus tertius Anglorum Rex Iſabellâ Philippi dicti pulchri Franciæ Regis filiâ natus quaſi materno excluſus ſucceſſionis jure, indignatur prælatum ſibi vi ſaliæ legis Philippum Valeſium præceſſoris Caroli Regis dicti quoque pulchri, qui nullis relictis liberis obierat, patruelem, hoc eſt ex fratre illius Carolo Valeſio nepotem. Simili jure ante paucos annos rejectâ Joannâ Ludovici Hutini filiâ, delatum Franciæ Regnum fuerat Philippo longo Hutini Regis fratri. Eduardus vero ambitione magis quam ullo jure nixus, inſignia ſibi nomenque Regis Franciæ arrogat, ut rebellionis probrum tam à ſeipſo quam à Flandris ſuos Normannos quos in ſuſcepti temere belli ſocietatem aſciverat amoveret. Anglus quippe & Flandri Regi Francorum erant fidei & Clientelæ nexu obſtricti: imo haud multo pridem Eduardus ipſe fidei & obſequij ſacramentum de Aquitaniæ ducatu & Pictavorum comitatu eidem Philippo Regi publice præſtiterat. Hujuſce verò belli fax & incendiarius extitit Robertus Atrebatum Comes, Philippo Regi levibus ex cauſis infenſiſſimus. Primus belli turbo apud Cluſas Belgij celebrem portum grandi fragore intonuit victis navali prælio Francis, captiſque aut depreſſis omnibus fere ipſorum navibus anno 1340. indeque ad Creſſiacum in ambianis tempeſtas funeſta deflexit anno 1346. ubi terreſtri certamine tam horrenda internecione cæſi ſunt noſtri ut cæſorum pluſquam triginta millia cenſeantur. Inde Caletum ab Anglis victoribus obſeſſum & expugnatum.

16. Joannes ex Philippo Valeſio Rege & Joannâ Roberti Burgundiæ Ducis filiâ genitus defuncto Patri ſuccedens, hæreditarium cum Anglorum Rege bellum pari geſſit infœlicitate. Adoritur vero Eduardum Valliæ Principem Eduardi tertij filium in anguſtias in Pictonibus redactum, & pugnam deprecantem, à quo tamen acie vincitur, ipſeque Joannes Rex una cum Philippo filio cui nomen audacis inditum multaque Gallica nobilitate in Angliam abducitur, unde poſt quadriennium compoſita ad Britiniacum pace in Galliam liber dimiſſus fuit.

17. Joanne vitâ functo Regnum capeſſivit prior natu ejus filius Carolus & re & cognomine ſapiens. Iſtius frater Philippus audax Burgundiæ dux Margaretam Ludovici Flandriæ Comitis filiam duxit, mortuoque ſocero dotalem Flandriam eſt adeptus anno 1384. quam civilibus exhauſtam diſcordijs lenitate prudentiaque mirificè recreavit. Huic laudatiſſimo principi ex hac vita ſubducto anno 1404. teterrimus ſucceſſit filius Joannes futurus ſibi & patriæ peſtis ac exitium.

18. Interim dum Gallia graviſſimis damnis & bellis conflictatur Hiſpaniam omnibus ſeculis memoranda de infidelibus Mauris victoria nobilitavit. Albohacenus Rex Marocis in Mauritania, tranſmiſſo Gaditano freto immenſas copias equitum ut aiunt ſeptuaginta millium & peditum quadringentorum millium in Hiſpanias eduxit & adjacentẽ freto Gaditano urbem obſidione cinxit. Cui ſuas quoque vires Abchannet Rex Grannatenſium adjunxit. Ad urbem obſeſſam juxta Salſum amnem accurrunt in oppoſitum Alfonſus Caſtellæ Rex, aliuſque Alfonſus Rex Luſitaniæ. His adjungit hiſtoricus Æmilius Regem Navarræ Ludovicum auxilijs Francorum & Navarrorum ſuccinctum: cunctis militibus rubra cruce diſtinctis, ſacra confeſſione divinaque Euchariſtiâ expiatis & præmunitis, vexillum crucis præferente Jugo natione Gallo quem Benedictus Papa XII. ad id officium miſerat. Chriſtianis verò uſque adeo felicem & glorioſam victoriam Deus indulſit eo anno 1340. ut ducenta Maurorum millia in acie ceciderint cumque his duo filij Regis Albohaceni, tertius vero ejuſdem filius Abohamarus cum alijs innumeris captivis abductus ſit, & quod vulgarem fidem prorſus



Digitized by Google

excedit ex victricibus copijs viginti non amplius militibus deſideratis. Alboacenus eadem nocte in Africam regreſſus eſt omni vacuus honore tributque liberis orbatus. Anno autem ſuperiore prior natu filius Abomelius cujus necem ulturus pater adventarat, fuerat ab Hiſpanis prælio victus & in fuga trucidatus.

19. Sæculo iſto Turcarum gens magnis ſeſe propagavit incrementis, populus qui olim ex Scythia oriundus Caucaſi montis atque finitimæ Caſpio ſeu hircano mari regionis accola fuerat. De Turcis commemorat græcus hiſtoricus Menander quem David Hæſchelius è tenebris in quibus multis delituerat ſæculis erutum in lucem edidit, legatione ſub Turcico Rege Dizabulo miſſa ad Juſtinum ſecundum Conſtantinopolis Imperatorem, fœdus inuſitatæ tum Mercaturæ ſerici quod induſtria ſingulari Sogdaitæ Turcis affines, & paulo ante ab ipſo Dizabulo armis ſubacti, elaborabant, tum etiam ſocietatis ad bellum quod adverſus Perſas ab Imperatore parabatur ob Imperij fines quos Perſæ invaſerant recuperandos. Turcæ porrò Ulciſcendæ de Perſis acceptæ injuriæ occaſiones avidè conquirebant, à quibus legatos ſuos contra jus gentium rebus omnibus ſpoliatos, alijſque ſuperadditis injurijs veneno ad poſtremum extinctos querebantur. Hoc tamen bellum Juſtino infeliciter ceſſit per Græcorum ſocordiam ut Euagrius l. 5. cap. 7. Theophanes & Paulus Diaconus perhibent. Deinde ſub Heraclio Auguſto Caſpijs portis egreſſos Turcas ſtipendia meruiſſe remque Romanam fœliciter promoviſſe, Perſica adverſus Coſroem Perſarum Regem expeditione, produnt Theophanes, Nicephorus in breviatio, alijque Græcorum hiſtorici. Poſtea Conſtantino Monomacho Græcis regnante, ſæculo decurrente undecimo, Turcæ ut ſcribit Curopalates Perſas quorum erant ipſi ſtipendiarij ſubegerunt, rebellante Turcarum Duce Tragolipice à quo Mahumetes Perſarum Rex ſolio dejectus. Ut verò ſubjugatos populos facilius in officio contineret Mahumeticam religionem à devictis Perſis hauſit, ſuiſque Turcis ut amplecterentur perſuaſit. Poſtmodum longe lateque diffuſa Turcica gens Ciliciam, Lycaoniam Bithyniam occupavit, diverſoſque ſibi paſſim principatus erexit. Sed mutuis bellis & invaſionibus alij ab alijs deleti extinctique ſunt: Atque unius Othomani poſteri Turcicum demum Imperium tenent. Primus Othomanus Bithyniâ occupatâ Pruſæ regni ſui ſedem conſtituit circiter annum 1300. Cujus Regno ſucceſſit filius Urchanes reliquiſque auxit Aſiæ Provincijs ad uſque Euxinum Mare & Helleſpontum. Urchanes Regnum in Amurathem filium moriens tranſmiſit. Hic verò in Europam penetrãs multas Thraciæ urbes invaſit, Callipolim in primis, tumque alia oppida & arces, ipſamque Adrianopolim, in qua Regiã conſtituit ſedem. Amurathis interitu Regnũ adeptus eſt filius Bajazethes longè Patre ferocior. Hujus armis Theſſalia, Macedonia, Phocis, Attica, Myſia & Bulgaria Turcicæ Dominationi acceſſerũt, Conſtantinop. demũ pluribus annis obſidione coarctavit quã Tamerlanes Scytha ſolvere ſuo advẽtu cõpulit.

20. Anno Chriſti 1393. Sigiſmundus Hungariæ Rex Venceſlai Imperatoris frater natu minor res Hungarici Regni & Imperij loco ac vice fratris inertiâ dejecti adminiſtrabat. Sibique metuens poſt occupatas à Turcarum Principe Bajaſethe finitimas regiones quæ olim Regibus Hungariæ parebant, ſuppetias ab Rege Francorum impenſe obſecravit. Ad expeditionem iſtam Joannes Nivernenſis Comes Philippi Burgundiorum Ducis cognomento audacis filius primogenitus ſe lubens obtulit, quem ſequuti ſunt plerique ac præcipui proceres Regni, Philippus Arteſienſis Regni Francici Comeſtabilis, Ioannes de Vienna Admiralius, Ioannes Maingrius Bouſſicaldus Mareſcallus cum multis præcipuæ nobilitatis equitibus, ſelectaque militum manu qui ſe Sigiſmundi copijs adjunxere. Sed temeritate Comeſtabilis florentiſſimus concidit exercitus. Æmulatione quippe Germanici exercitus & Enguecrani Couſſiaci quem Burgundiæ Dux ſtrenuum Ducem ſimulque prudentiſſimum conſiliarium Ioanni filio providerat, qui ſuadebat pauliſper expectandum eſſe donec Hungariæ Regis Sigiſmundi copiæ proprijs caſtris egreſſæ eſſent, conjunctiſque viribus in hoſtem ſimul prodirent. At Comeſtabilis in Couſſiacum ſuccenſens neque expectato conſilij Ducum exitu, necdum bene compoſitis ordinibus, præcipiti ardore concitatis equis neque committendum ratus, ut Francicæ ſtrenuitatis gloriam Germani Hungarique ſibi arrogarent, & cauſatus eſſe puſillanimes quicunque non ſequerentur, in hoſtem cum ſuis copijs irruit. Pugnaverunt quidem Franci pro ſuo numero fortiter, verumtamen occurſantibus ducentis Turcarum millibus & ingruente innumerarum ſagittarum grandine vulneratis per omnes ordines equis, in pedeſque deſilientibus, ſeſſoreſque ferociter excutientibus, conclamatum ex neceſſitate fuit, ut equites omnes dimiſſis equis pedeſtri prælio quam ſtrenuiſſime decertarent. Tunc equi vacui dimiſſi ſunt liberi, atque in Germanorum & Hungarorum caſtra faucij

Digitized by Google

ſaucij nullo ordine curſu ſe proripuerunt: at illi re inexpectata ſtupentes ſtragẽ Francorũ factam, eoſque internecione cœſos crediderunt, ipſique conterriti & palantes ſe in fugam effudere. Tum vero Turcæ protenſis numeroſiſſimi exercitus alis, Francos undequaque concluſere longoque certamine & vulneribus fatigatis aſſiduè recentes vegetoſq; milites objicientes, illos tandem viribus exhauſtos oppreſſerunt. Francorum nullus per fugam evaſit de eorumdem acie, cæſorũ numerus refertur ad viginti millia. At vero captorum numerus trecentorum proditur inter quos comeſtabilis tantæ cladis autor & Couſſiacus haud multo poſt ex vulneribus in acie acceptis in carcere apud hoſtes morte occubuerunt. Turcarum vero perhibent ejus ætatis hiſtorici ſexaginta millia eo prælio concidiſſe quâ ſuorum jacturâ excandeſcens Bajaſethes captivos omnes nudos ad ſe adduci & gladijs in ſuo conſpectu trucidari juſſit. Solis ſeptem optimatibus exceptis, à quibus ingentem pactus fuit redemptionis mercedem. Ex his duo ſoli Galliam incolumes repetiverunt Joannes Nivernenſis & Boſſicaldus, cæteri quinque ærumnis confecti dum patrias ſedes repetunt, in itinere fatis conceſſerunt. Hæc ſigillatim ferè perhibent Froiſſardus, & Aventinus. Pugna hæc ad Nicopolim primariam Bulgariæ urbem quam Bajaſethes cis Danubium ſitam expugnarat.

21. Hujus ſæculi an. 86. ingens Chriſtianæ religioni ſimul & Poloniæ facta eſt acceſſio. Ludovicus ſubditorum populorum amor & deliciæ vacuum morte ſua reliquerat duorũ regnorum ſolium Hungariæ & Poloniæ, duabus ſuis filiabus Mariæ natu majori & Heduvigi minori ambabus pupillaris ætatis ſub Elizabethæ matris tutela. Mariam Rex pater deſponderat Sigiſmundo Marchioni Brandeburgenſi pariter pupillo Caroli IV. Imperatoris filio, at Hungari adminiſtrationis Elizabethæ pertæſi, ſpretaque tum Mariæ tum Sigiſmundi puerili ætate Carolum Dyrrachinum Neapolitanum Regem ad capeſſendũ Hungariæ regnum evocarant. Qui poſt aliquot annorum tyrannidem, ab adverſa demum factione peremptus, viam Mariæ & Sigiſmundo aperuit recuperandi intercepti regni. Heduvigi vero gens Polonorum Iagellonem proximæ Lithuaniæ Ducẽ optavit & petijt. Id enim matrimonium utrique parti admodum conducibile viſum. Jagello enim virginem & corporis venuſtate & animi virtutibus commẽdatã ardenter deperibat. His vero nuptijs & regni decus & ditionis ſuæ propagationem ſibi aſſerebat. Idque ut aſſequi poſſet patriam idololatriam nõ ſolum ex animo ſed etiam ex ſubditis ſibi populis abacturum pollicebatur, regiamque ſedem in Poloniam à ſe transferendam ſpondebat. Polonis vero magnum erat operæ pretium viriũ & ditionis augmentum cum gloria amplificatæ religionis: quæ ultima ratio Heduvigis animum præcipuè inflexit. Iagello quamprimum Cracoviam attigit, ſacro eſt cum magnifica celebritate Baptiſmo ablutus, una cũ gentis ſuæ quos ſecũ adduxerat primoribus: & mox nuptias cum Regina ſolẽni ritu contraxit. Demumque quarto poſt die ab eodem qui baptizaverat & nuptias junxerat Archiepiſcopo Gneſnenſi Roſenta, & Epiſcopo Cracovienſi Ioanne, regio eſt diademate redimitus. Deinde una cum conjuge Lithuaniam peragravit, Epiſcopatum Vilnæ quæ Lithuaniæ Metropolis eſt alijſque civitatibus parœcias conſtituit & liberaliter dotavit, Eccleſias ab omni cenſu, onere & Principis atq; officialium ſecularium juriſdictione immunes ac liberas declaravit. Innumeras gentes ab Idolis ad veræ fidei cultum traduxit. Poſnanienſem Epiſcopum ad Urbanum ſextum Romanum Pontificem allegavit, nihilque ſibi reliqui fecit ad ſtabiliendam Chriſti religionem. Hæc prolixè à rerum Poloniarum ſcriptoribus Michovio l. 4. cap. 32. & ſeqq. & Cromero lib. 14. & 15. commemorantur.

22. Sæculum iſtud in lucem protulit aliquot celebres Theologos Scholaſtic. in quibus eminet Ioan. Duns Scotus Ordinis Minorum acutiſſimi vir ingenij qui cum Theologiam docuiſſet primum Oxonij in Anglia, deinde Pariſijs, ſcriptum edidit Oxonienſe in quatuor ſententiarum libros, deinde in eoſdẽ ſcriptum Pariſienſe, aliaque opera Theologica & Philoſophica, immatura morte vitam concluſit an. 1308. Nicephorus Calliſtus hoc eodem ſæculo vixit, quippe qui Andronico ſeniori hiſtoriarum ſuarum libros octodecim dedicavit exordiens à Chriſti nativitate. Græcorum erroribus irretitus vixit, multa etiam fabuloſa ſuis libris inſperſit. Durandus à S. Portiano natione Gallus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Meldenſis doctos edidit in libros ſententiarum commentarios, in quibus quædam ab Eccleſia improbata ſunt, cujus tamen judicio cenſuræque ſua ſcripta ſubmiſit. Egregium etiam edidit de juriſdictionũ origine tractatum. Iiſdem floruit temporibus ejuſdem Ordin. Prædicatorum Magiſter generalis Gallus pariter ex Britannia armoxica Hervæus natalis eruditiſſimus Theolog. qui librum adverſus Durandum in ijs in quibus à S. Thom. diſſentit, alterumq; ſeorſim adverſus eundem de unitate formarũ. Aliquot etiã libros contra Henric. Gandavenſem. Prætereà in quatuor Magiſtri ſententiarum libros, aliaq; multa Theologica & Philoſoph edidit. Franciſcus Maironis natione pariter Gallus

ex Provincia Galliæ provinciæ Religioſus Ordinis S.Franciſci Scoti diſcipulus permulta ſubtiliter ſcripſit in rebus Theologicis & Philoſophicis. Item quadrageſimale & ſermones de Sanctis,itemque tractatum de paupertate Chriſti & Apoſtolorum. Guilielmus Okam ex Anglia Ordinis Minorum Scoti diſcipulus vir quidem doctus ingenijq; ſubtilis ſed ardentior Ludovici Bavari fautor adverſus Joannem XXII. cujus ſcripta cenſuram meruerunt Apoſtolicam. Nicolaus Liranus ex Minorum Ordine expoſitionem ſcripſit nomine poſtillæ inſcriptam in univerſa Biblia diverſoſque tractatus. Obijſſe fertur anno 1349. Pelagius Alvarus Hiſpanus Ordinis Franciſcani & Sylvenſis Epiſcopus, Joannis Papæ XXII. acerrimus defenſor pro quo Apologiam edidit contra Guilielmum Okam. Scripſit inſuper egregium opus de planctu Eccleſiæ,ſpeculum Regum, & in libros Magiſtri ſententiarum.Nicephorus Gregoras hiſtoricus Græcus vivebat anno Domini 1344. ut ipſe indicat in fine libri ſui undecimi quo hiſtoriam claudit exorſam à tempore quo Latini Orientis Imperium obtinuere ad obitum uſque Andronici junioris. Petrus Paludanus Burgundus Ordinis Dominicani Patriarcha Jeroſolymitanus egregiè pius & doctus,ſcriptis ſuis hoc ſæculo inclaruit: Guido ortu Catalanus Prior generalis Ordinis Carmelitani grande procudit volumen de omnibus hæreſibus. Ludolfus natalibus Saxo profeſſione Carthuſianus egregiè pius, volumen ſcripſit vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti commentaria quoque in Pſalm. Joan. Andreæ Bononienſis Juriſconſ. eximius libros quinque decretalium, ſextum pariter & Clementinas gloſſis ſuis illuſtravit. Additiones ad Speculum Guilielmi Durantis concinnavit. Joan.de Bacone Anglus Ordin. Carmelit. Theol.& Philoſoph.ſummè doctus floruit præſertim ſub Clem.VI. Pontificatu commentarios elaboravit in libros quatuor Magiſtri ſententiarum & compendium legis Chriſti & quodlibeta. Thom.Argentinenſis Germanus Ordinis S.Auguſtini Prior generalis commentatus eſt in libros quatuor Sententiarum, ſcripſit etiam quæſtionum ex ſacris Scripturis ſolutiones, Sermones & Epiſtolas, & Meditationum librum. Nicol. Gabaſilas Græcus tempore vixit Joan.Cantacuzeni Imperatoris Archiep.Theſſalonic. valde doctus ſed ſchiſmaticus & Latinis infenſus, ut ejus ſcripta prodũt, tomos ſex elucubravit de vita in Chriſto, libroſque de tribus ſacramentis Baptiſmo, Unctione & Euchariſtia. Explicationem ſacræ Liturgiæ. De proceſſione Spiritus ſancti contra Latinos. Gregor. Ariminenſis æqualis fuit Thomæ Argentinenſis & ejuſdem Ord. S.Auguſt. Prior generalis, ſcripſit commentarium in 1. & 2. librum Magiſtri ſententiarum: & in epiſtolas S.Pauli, & in epiſt. S.Jacobi. Manuel Caleccas Græcus vir & valde peritus librum contexuit contra Græcorum errores pro Latinis quem vertit in Latinum Ambroſius Camaldulenſis juſſu Martini V. Pontificis eumque in libros quatuor partitus eſt. Scripſere hoc ſæculo pios de vita contemplativa tractatus Henricus Suzo & Ioannes Taulerus uterque Germanus Ordiniſq; Prædicatorum. Ioannes quoque Rusbrochius Belga Prior Monaſterij Vallis Viridis divinæ addictus contemplationi.

## *CONCILIUM COLONIENSE anni* 1300.

1. Wichboldus Colonienſis Archiepiſcopus ſedente Romæ Bonifacio Papa VIII. atq; Imperante in Germania Alberto Auguſto,hanc habuit Synodum ad inſtaurandam prolabentem Eccleſiæ diſciplinam ſic vero decernit hujuſce Concilij can.1.

2. Can.I. *Licet ſacris Canonibus ſit inſtitutum ne aliquis ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur niſi qui jam 25. ætatis annum attigerit: & ſcientiâ & moribus commendatus exiſtat, plures tamen hujus ſalubris ſtatuti invenimus tranſgreſſores. Volentes igitur periculis animarum proſpicere, inhibemus univerſis Archidiaconis, ac alijs qui de conſuetudine inveſtire habere dignoſcuntur, ne deinceps aliquem puerum vel aliquem alium qui viceſimum quintum ætatis annum nõ attigerit, ſibi præſentatum de hujuſmodi Parochialibus Eccleſijs inveſtiant vel admittant.* Contrarium facientes non ſolum ab Eccleſiæ ingreſſu ſuſpendimus in his ſcriptis, verum etiam ipſam inveſtituram decernimus non tenere.*

Fatendum utique permultum fuiſſe de veterum Canonum autoritate remiſſum. Enimvero Synodi Neocæſarienſis ſub Sylveſtro Papa I. an.314. celebratæ Can.XI. decernitur: *Presbyter ante annos triginta non ordinetur etiamſi fuerit homo valde dignus, ſed reſervetur. Dñs enim noſter Ieſus Chriſtus in trigeſimo anno Baptizatus eſt & cœpit docere.* Habetur c.Presbyter ante diſt.78. Quod vero attinet ad præſens inſtitutum Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. cujus obſcurè meminit iſte Colonienſis canon, exigit quidem ad Epiſcopatum ætatem annorum triginta completorum. Ad inferiores autem dignitates & ad curata beneficia non plus requirit quoad ætatem quam attigiſſe 25.an. Habetur c.cum in cunctis de electio. Eumdemque inſtaurat canonem Concil.Trid. ſeſſ. 24. cap.12.de refor. Ne quis Archidiaconus promoveatur niſi ſaltem 25. ætatis annum attigerit. Ad cæteras autem dignitates vel perſonatus quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clericos alioquin idoneos viginti & duobus annis non minores Tridentina ſanctio aſciſci permittit.

3. Can.II. *Cum ſecundum jus quilibet qui ad curam*

*curam regendarum animarum aſſumitur ut gregis ſibi crediti diligentius gerere curam poſſit, in Parochiali Eccleſia cujus rector extiterit reſidere perſonaliter, & ad eam promoveri teneatur: alioqui etiam nulla monitione præmiſſa, ipſâ Eccleſiâ ſit privatus. Vobis decanis Chriſtianitatum committimus & mandamus, quatenus illorum qui in veſtris decanatibus hujuſmodi Eccleſias occupant, nomina Paſtorum non reſidentium perſonaliter in ſcriptis nobis intra menſem poſt præſentem diem tradatis, ut hujuſmodi negligentiam & defectum de prælatorum noſtrorum conſilio reformemus. Alioqui in vos ex tunc ſententiam excommunicationis ferimus in his ſcriptis: & idipſum in qualibet Synodo volumus obſervari in forma ſupra dicta.*

Vide in decretalibus ſub tit. de clericorum reſid. & Conc. Trid. ſeſ. 6. de reform. cap. 1. & 2. & ſeſ. 29. de ref. cap. 1. Non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio ſi lupus oves comedit & paſtor neſcit C. quamvis de regul. jur. ex S. Gregorij regiſtro.

4. Can. III. *Quia vero ut intelleximus aliqui clerici utpote Apoſtatæ, diſcurſores & vagi de alijs Provinciis & Diœceſibus ad diœceſim noſtram convenientes, regimen animarum & officiationem Eccleſiarum ſibi aſſumunt, qui ab alijs Diœceſibus tanquam irregulares & indigni pro eorum culpis & exceſſibus ſunt remoti: Statuimus ut nullus deinceps Presbyter alienus ad regimen & ad curam animarum loco coadjutoris vel Vicarij aut ſocij, per paſtores Eccleſiarum vel Capellarum aut altarium rectores aſſumatur, abſque literis teſtimonialibus proprij Epiſcopi; profitentes talem ſecundum claves Eccleſiæ ordinatum eſſe, & executionem ſui officij habere: ita quod per decanos Chriſtianitatum in quorum decanatibus aſſumi deſiderant examinati, tunc demum admittantur tales, cum in ijs inventi fuerint idonei ut dictum eſt. Paſtores verò & Capellani ac altarium rectores noſtræ diœceſis qui his ſpretis aliquem clericum ignotum dicentem ſe Presbyterum aſſumpſerint, excommunicationis ſententiam, niſi intra ſex dies à ſe talem amoverint, ſe ex tunc hoc ipſo facto noverint incurſuros, & aliàs pro modo culpæ canonicè puniendos.*

Require ſuperius ad ſeculum ſecundum Diſſertationum VII. de literis formatis. Canon Apoſtolorum 15. & 16. & canon Laodicenus non permittunt clericum ad peregrina ſine ſui Epiſcopi literis proficiſci. Laod. can. 42. Præterea Calchedonenſis can. 3. decernit externos clericos & ignotos in alia civitate ſine proprij Epiſcopi commendatitijs literis nuſquam miniſtrare. Item Agathenſis can. 52. Presbytero aut Diacono aut clerico ſine Antiſtitis ſui literis ambulanti communionem nullus impendat. Vide Conc. Trid. ſeſ. 23. cap. 13. Prohibet ſimiliter ne ad ſacra Sacerdotes alijve Clerici extranei vel ignoti admittantur ſine ſui Epiſcopi atteſtatione, aut etiam ſine ſpeciali licentia ordinarij ejus in quo adminiſtraturi ſunt loci ſub gravibus pœnis in eos qui temerè admittunt. Conc. Marcienſe anni 1326. can. 2. & 3. Concilium Aquenſe anni 1585. titu. de celebratione Miſſæ efflagitat Epiſcopi ſcriptam atteſtationem ac veniam, quæ non ſit anno vetuſtior Trid. ſeſſ. 22. in decreto de celebrat. Miſſæ interdicit ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat. Concilium item Bituricenſe anni 1286. can. 6. *Item (ait) nullus clericus vel Presbyter peregrinus ad celebrandum, prædicandum vel officiandum publice populo in Eccleſia admittatur, niſi per diœceſanum vel ſuos fuerit comprobatus.* Conc. Moguntinum anni 1549. can. 94. in peregrino clerico ad ſacra miniſteria admittendo duo exigit ſcilicet Epiſcopi loci unde prodijt atteſtationem, & Antiſtis ad cujus diœceſim acceſſit approbationem.

Can. IV. *Cum item ſanctiſſimus Pater Dominus Bonifacius octavus ſummus Pontifex inter extera ſtatuerit ne aliquis deinceps niſi unicum perſonatum, dignitatem, præpoſituram, adminiſtrationem, vel officia perpetua quocumque nomine cenſeantur cum præbenda inſimul, abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ in eadem Eccleſia obtinere vel jam obtenta tenere valeat: Et ſi à quocunque ſecus præſumptum fuerit, illud irritum ſit omninò: nos quia nonnulli in obſervatione hujus ſtatuti ſe exhibent negligentes, in ipſorum negligentiam ſupplere cupientes, mãdamus vobis univerſis ad quos talium ordinatio ſeu collatio ſpectare dignoſcitur, ne deinceps talia faciant & attentent, ſed perſonis intra tempus legitimum habilibus conferant. Alioqui nos eadem conferemus.* Vide C. cum ſingula de præbend. in 6.

Can. V. *Præcipimus ut Sacerdotes denuntient ſuis ſubditis quod omnes quibus à jure inhibitum non eſt liberam teſtamenti condendi habeant facultatem. Et clerici bona maximè immobilia & quæ per Eccleſiam ſunt adepti ſive per modum teſtamenti ſive aliàs non transferant ad filios vel nepotes, aut ad alios ſuos conſanguineos, ſed relinquant Eccleſiæ à qua ſunt profecta. Sed intuitu eleemoſinæ pauperibus, religioſis & pijs locis, & illis qui ipſis ſervierunt, ſive conſanguinei ſint ſive alij aliqua juxta ſervitij meritum de mobilibus dare poſſunt. De alijs verò bonis quæ ex hæreditate, artificio, vel doctrina vel aliàs non ex bonis Eccleſiaſticis ad clericos provenerint, clerici poſſunt diſponere pro ſuo arbitrio. Excommunicamus, & excommunicantes denunciamus omnes clericos qui bona mobilia Eccleſiarum filijs ſuis, nepotibus vel conſanguineis ſeu alijs conferunt vel in ipſos transferunt, & ab Eccleſia alienant ſua propria voluntate & ſine conſenſu noſtro.*

Canon Agathenſis 49. ſic edicit. *Diaconi vel Presbyteri in Parochia conſtituti de rebus Eccleſiæ ſibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res ſacratæ Domino eſſe noſcuntur. Similiter & Sacerdotes nihil de rebus Eccleſiæ ſibi commiſſæ ut ſuperius comprehenſum eſt alienare præſumant. Quod ſi fecerint, convicti in Concilio & ab honore depoſiti de ſuo aliud tantum reſtituant quantum viſi ſunt præſumpſiſſe.*

Can. VI. *Præcipimus & monemus ut laici in præſentia ſui Sacerdotis teſtamenta ſua faciant, niſi improviſa neceſſitas emerſerit. Item omnibus*



Digitized by Google

*Sacerdotibus præcipimus quod hortentur omnes clericos & laicos teſtamenta ſua facere, & quod non differant uſque ad anguſtiam mortis, ſed ea faciant dum adhuc compotes ſunt mentis ſuæ & corporis. Et in teſtamentis faciendis conſulant Sacerdotes ſuis ſubditis quod declarent ſua debita & fore furta: & quod ex primo reſtitui faciant ſeu præcipiant de bonis ſuis. Et quod poſtmodum legent aliqua fabricæ Eccleſiæ totius civitatis & Diœceſis Colonienſis & ſuæ Parochiali Eccleſiæ & etiam religioſis & pijs locis & pauperibus alijs ſecundum arbitrium teſtantis.*

5. Can. VII. *Si quis vero Fabricæ Eccleſiæ Sancti Petri & Parochiali Eccleſiæ ſuæ aliquid legaverit in ſuo teſtamento, eidem viginti dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus. Et fiant teſtamenta Parochianorum publicè & coram diſcretis perſonis. Et cum aliqua Eccleſiæ ſancti Petri legantur, hoc Presbyter ſignificet Coloniæ procuratori fabricæ, & nomina eorum qui prædictæ fabricæ legata fecerint intra menſem. Suſpendimus autem & ſuſpenſos denunciamus Presbyteros qui celant legata fabricæ prædictæ, niſi ea procuratori ejus denuncient intra duos menſes à tempore ſcientiæ. Excommunicamus etiam omnes laicos qui celaverint prædicta legata.*

Huc ſpectat Vaſionenſis Concilij primi (ſecundum Sirmondum Canon. IV. qui refertur 13. q. 2. c. qui oblationes defunctorum d. 2. Item Arelatenſis Concilij ſecundi can. 47. & præterea Cartaginenſis quarti can. 95. & Agathenſis can. 4. citati à Gratiano 13. q. 2. can. qui oblationes il. 1. &c. clerici vel ſæculares. Ibidem.

6. Can. X. In fine. *Cum autem teſtator deceſſerit ipſi executores ſeu manu fideles facto inventario bona ad executionem pertinentia apprehendant, & exequantur ultimam voluntatem dicti defuncti: faciendo proclamari in loco in quo morabatur defunctus & pluries eſſe & converſari conſuevit, ut & omnes creditores ipſius defuncti & à quibus aliqua extorſerat compareant certa die ſua debita oſtenſuri. Et tunc ipſi executores ſeu manu fideles primo creditoribus quibus quid injuſte extorſerat ſatisfaciant, & de reſiduo ſatisfaciāt legatario cuilibet pro rata bonorū defuncti.*

Canon iſte ſummam ultimamque præſcribit diligentiam ad eorum expiandas & expurgandas injuſtitias qui multos facultatibus expoliarunt, & quantumcumque fieri poteſt læſis reſtituendum ablata. Obverſentur illorum animis qui alios injurijs affecerunt, vel neglectu quæ creditoribus aut Mercenarijs debent exſolvendi, vel ſtudio de aliorum opibus diteſcendi, verba iſta Chriſti univerſorum judicis. *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur anima vero ſua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

7. Can. XII. *De manifeſtis uſurarijs excommunicamus & excommunicatos declaramus ac denunciamus omnes uſurarios manifeſtos & ſingulis diebus Dominicis & feſtivis à quolibet Sacerdote denuncientur excommunicati. Nullus Sacerdos oblationes manifeſtorum uſurariorum recipiat, nec ad communionem eos admittat: niſi ſatisfaciant de uſuris ſecundum conſtitutionem felicis recordationis Domini Gregorij Papæ X. quæ incipit. Quamquam uſurarij in Concilio Lugdunenſi can. 27. Nullus teſtamentis manifeſti uſurarij interſit: nec ad pœnitentiam & communionem eos admittat: niſi de uſuris ſatisfecerint ſecundum formam conſtitutionis dicti Domini Papæ. Et teſtamenta manifeſtorum uſurariorum qui ſecundum formam dictæ conſtitutionis non ſatisfecerint de uſuris, nulla ſint ipſo jure. Dum autem manifeſti uſurarij ſecundum formam dictæ conſtitutionis ſatisfecerint, ad Sacramenta Eccleſiaſtica non admittantur. Manifeſtos autem uſurarios dicimus de quibus per ſententiam vel per confeſſionem factam in jure, aut evidentiam quæ aliqua tergiverſatione non poteſt celari conſtiterit evidenter. Et illos etiam qui ſuper uſuris diffamati, intra tempus ſtatuendum ab eo qui ſuper hoc habet poteſtatem ſe non purgauerint, reputamus pro manifeſtis uſurarijs puniendos. Præcipimus etiam ſingulis Sacerdotibus Parochialibus quod moneant in Parochijs ſuis frequenter in generali & in ſpeciali de quibus conſtiterit uſurarios & infamatos publicè de uſuris, ac contractus illicitos præemptionum exercentes, ut ab uſuris & talibus contractibus deſiſtant intra ſeptem dies à tempore dictæ monitionis. Alioquin ipſi ex tunc dicti uſurarij & præemptores excommunicentur in ſpeciali; de quibus conſtiterit; & de quibus non conſtiterit in generali: & diffamati ſi ſe non expurgaverint pro convictis habeantur. Et ſi taliter moniti & excommunicati deſiſtere noluerint, nominatim excommunicentur, & nomina eorum noſtro officiali offerantur, ſalvo jure noſtro & Archidiaconi in præmiſſis. Præcipimus etiam conſtitutiones dicti Domini noſtri Papæ contra uſurarios alienigenas editas firmiter obſervari. Sacerdotes non permittant quæſtionarios Goliardos vel quoſcunque alios ignotos, intra Parochiam ſuam, in Eccleſia vel in via, vel in platea, vel in quibuſcumque locis Parochiæ ſuæ prædicare, vel oſtiatim deferre indulgentias pro quæſtu faciendo. Sed tales & omnes qui eis aſſiſtunt Presbyter loci excommunicet, & ad removendum ipſos invocet auxilium brachij ſæcularis ſi neceſſe fuerit.*

Deſcriptiones ac definitiones quibus quidnam rei ſit uſura innoteſcat ex Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio & ex Concilio Agathenſi collegit Gratianus 14. q. 3. per totam. Sufficiat iſta Auguſtini in Pſal. 36. Concio. 3. ad ea verba tota die miſeretur. *Si* (inquit) *fœneraveris homini id eſt mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid pluſquam dediſti expectes accipere, non pecuniam ſolam ſed aliquid pluſquam dediſti: ſive illud triticum ſit ſive vinū ſive oleū, ſive quodlibet aliud, ſi pluſquā dediſti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbadus.*

Idemque

Idemque docet nullam eſſe acceptabilē Deo pœnitentiam niſi alienum reſtituatur quatenus poſſibile eſt epiſt. 54. ad Macedonium : *Si res aliena propter quam peccatum eſt cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia ſed fingitur. Si autem veraciter agitur non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum, ſed ut dixi cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert amittit ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet unde reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere redde quod abſtuliſti, niſi cum habere credimus & negare.* Quod autem ait præcedens canon. *Nullus Sacerdos oblationes manifeſtorum uſurariorum recipiat.* Hoc ipſum ſacræ Paginæ confirmant. Prou. 15. v. 8. *Victima impiorum abominabiles Domino.* Et Eccleſiaſtici 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus nec reſpicit in oblationes iniquorum : nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum quaſi qui victimat Filium in conſpectu Patris ſui.* Porro memorata adverſus uſurarios conſtitutio Lugdunenſis Concilij II. ſub Gregorio X. habetur integra ſub tit. de uſuris in 6.

8. Can. XVIII. *Quia nonnulli in diverſis partibus noſtræ Diœceſis falſas ſeu adulterinas monetas cudunt & cudi faciunt, propter quod reſpublica læditur & damna plurima ſubjectis noſtris & toti Provinciæ inferunt : Vnde in hac noſtra Synodo ſtatuimus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, ut ubicumque tales falſarij reperti fuerint, tam ipſi falſarij quam receptores eorumdem, cujuſcumque ſint ſtatus vel gradus aut dignitatis per plebanos locorum moneantur ut à talibus prorſus deſiſtant & indilatè. Ipſique qui in ſuis diſtrictibus eoſdem falſarios recipiunt & tuentur, eos falſarios removeant nullatenus reverſuros. Alioqui ipſi falſarij & eorumdem receptores quos poſt triduum ab hujuſmodi monitione numerandum, in his ſcriptis excommunicamus atque excommunicati publicè nuncientur. Et ceſſari in locis ubi talia committuntur quandiu falſarij ibi ſteterint; præcipimus à divinis.*

Carolus Magnus lib. 4. Capitularium ſic edicit cap. 33. *De falſa moneta jubemus ut quicumque eam percuſſiſſe comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui in hoc conſenſit, ſi liber eſt ſexaginta ſolidos componat, ſi ſervus eſt ſexaginta ictus accipiat.* Allegatur ab Ivone Carnotenſi parte 16. cap. 278. Clerico tamen non licet hanc pœnam amputationis manus proſequi. Ideòque Concilium Colonienſe non alias quam canonicas pœnas his falſarijs infligit.

9. Ex hujuſce Concilij can. 6. & Bajocenſis Synodi quæ circa eadem tempora obtigit can. 56. ſic decernente Sacerdotes frequenter prohibeant laicis ne teſtamenta ſua faciant ſine præſentia Sacerdotis niſi in neceſſitate, necnon ex c. cum eſſes de teſtam. ubi Alexander Papa III. vetat reſcidi teſtamenta prætextu defectus ſolemnitatum juris, ſi modo acceſſerit proprij Sacerdotis, & duorum triumve teſtium idoneorum præſentia : iſtud colligitur per ea tempora conſuetudinem invaluiſſe, ut teſtamenta nulla rata haberentur quæ Sacerdotis præſentiâ minimè fulſirentur : cujus ideò requirebatur conſilium ut provideret circa alieni damni reparationem, aliaſque ſive pias ad peccatorum redemptionem, ſive neceſſarias ad ipſius teſtatoris æternam ſalutem diſpoſitiones. Simile pariter de Sacerdotis præſentia ſiſcitur à Concilio Avenionenſi anni 1326. can. 20. & in altero Avenionenſi anni 1337. can. 24. & in Vaurenſi anni 1368. can. 62. quod ipſum quoque ſtatutum eſt de præſentia Rectoris & Capellani dum teſtamenta conficiuntur in Arelatenſi Synodo anni 1234. can. 21. ante præfata Concilia idque tanta ſeveritate ut Notario indicatur excommunicatio ipſo ſtatim facto incurrenda, ipſe vero teſtator Eccleſiaſticâ privetur ſepulturâ, verum id jus quod duobus ferè ſeculis diverſiſque locis invaluerat ſenſim exolevit ac in deſuetudinem abijt.

## *CONCILIVM GENERALE VIENNENSE anni* 1311.

1. Eroſolymis verſabantur milites votis aſtricti Religioſis qui cum prope Templum ædes haberent Templarij dicti ſunt. Horum officij erat Chriſtianæ ditionis fines tueri, latrocinia & incurſiones infidelium Chriſtianos infeſtantium armis ſuis inhibere. Quo in munere laudabilem initio navarunt operam, verum immenſis opibus aucti moribuſque in deteriora mutatis, eò tandem nequitiæ prolapſi ſunt ut occulta cum Saracenis & Turcis fœdera & conſpirationes inirent, ſeque omni genere impietatis in Chriſtum crucifixum quem in ſuis arcanis & execrandis cœtibus pernegabant, conſpuebant & conculcabant, contaminarent; omnibuſque nefandæ libidinis flagitijs ſeſe mutuò polluerent. Hæc aliaque infanda ſcelera comprobata fuere innumeris per diverſas Provincias editis proceſſibus & inquiſitionibus ex mandato Summi Pontificis, pariterque Regum aliorumque in proprijs ditionibus ſecularium principum, necnon Epiſcoporum, fidei inquiſitorum, & ſecularium Magiſtratuum toto paſſim orbe Chriſtiano quibus acceſſit innumerorum reorum aperta confeſſio. Iſtiuſmodi flagitiorum convictiones poſtquam ſedulò Synodus œcumenica trecentorum & amplius Epiſcoporum qui undequaque Viennam Allobrogum ad flumen Rhodanum conditam confluxerant, exploravit præſentibus & inſpectantibus Principum oratoribus, eas planè perſpicuas veras & adeò certas judicavit, ut cumulatè ſuffecerint ad tanti, perque omnes Chriſtianas plagas propagati, ordinis damnationem & extinctionem : ut mihi delirare videantur prorſuſque deſipere, qui poſt tantum tamque univerſale judicium illorum militum patrocinium ſuſcipere non verentur; ipſumque Concilium vel profligatiſſimi ſceleris vel belluinæ ſtoliditatis incuſare. Non ſum uſque adeo imperitus ut in cauſis facti à divina Scriptura minimè aſſerti contendere auſim Eccleſiam ipſam errare aut decipi non poſſe, aut iſtiuſmodi decreta quibus tamen omnes ſubjici & obtemperare neceſſe eſt, divinam ad fidem pertinere. Verumtamen rem iſtam vel ſolis humanis rationibus excutiendo (ut venerationem & obſervantiam ſeponam quæ ſacris œcumenicis & à Summo Pontifice probatis Synodis debetur) quis credat contigiſſe ut tanta & tot

tot diſſitis Provincijs convocata Præſulum, Principum, Legatorum, atque inſignium Doctorum multitudo quorum haud exigua pars etiam ſanguine vel affinitate pleriſque illius Ordinis militibus conjuncta erat, in tam immane flagitium unanimi aſſenſu conſpiraverit, atque adeò ut tanti momenti cauſa in qua de potentiſſimi & ſeculari nobilitate illuſtriſſimi Ordinis orbe univerſo propagati non modo abolitione, ſed etiam atrociſſima damnatione ſupplicioque agebatur? ideo gravi cenſura digna eſt Trithemij in ſuo Hirſaugienſi Chronico aliorumque nonnullorum temeritas, qui Templarios aſſerere auſi ſunt falſis criminibus circumventos atque oppreſſos fuiſſe. Cumque neceſſe eſſet tam exitialem peſtem extingui, ſummique momenti & diſcriminis foret ampliſſimum & præpotentiſſimum ordinem funditus exſcindi, ſapienter judicavit Pontifex Clemens V. eſſe id negotium innumeris alioqui obtrectationibus obnoxium per generale Concilium dijudicandum.

2. Præterea pullulabant eo tempore in Germania Begardorum & Beguinarum ſectæ dogmatizantes. Primum poſſe hominem in iſta mortali vita uſque adeò ſublimem perfectionis gradum aſſequi, ut neque peccare ullatenus neque ulterius in gratia progredi queat. 2. Neque jejunare neque aliam exercere corporis aut animi mactationem ac aſperitatem debere qui verſetur in illo præfato ſanctitatis apice. 3. Neque eundem aſtringi humanorum præceptorum aut Eccleſiaſticarum legum ſæculariumve obſervatione, utpote in ſupremo libertatis filiorum Dei culmine conſtitutum. 4. Ex hac ipſa vita poſſe eundem ea potiri felicitate qua major in cœlo futura ſit nulla. 5. Perfectam conſummatamque felicitatem ex natura & hominis arbitrio ita pendere ut nullo ſit opus gloriæ lumine infuſo. 6. Eſſe hominis adhuc imperfecti virtutum exercitationem quam longè ab ſe abdicat quiſquis jam eſt perfectus. 7. Libidinum actus ad quos natura ipſa pellicit nullâ involvi culpâ, proindeque oſcula non eſſe à crimine immunia, ſed coitum eſſe inculpabilem quatenus ad hunc non autem ad oſcula naturæ libido propenſione ſua fertur. Dum elevatur aut exponitur Chriſti corpus minimè debere perfectum hominem vel aſſurgere vel genibus provolui, quia ſic agens de illo ſublimi contemplationis faſtigio ſe demittit, ſi vel de Chriſti Sacramento, vel de vita ejuſdẽ aut paſſione dignatur tantiſper cogitare, ſed verò ſolemne illis & conſuetum erat ut omni luxuriæ genere ſe contaminarent. Conformes Sectarij iſti mihi eſſe videntur veteribus Maſſalianis qui etiam Euchitæ ac Enthuſiaſtæ dicebantur, quorum Epiphanius & Theodoritus meminere. Hi enim Theodorito atteſtante nullam ferè vim Sacramentis Eccleſiæ virtutumque exercitationibus, maximam vero ſuis illis fanaticis orationibus adjudicabant. Fidenterque ut prodit Epiphanius fœditati promiſcuorum concubituum indulgere ſoliti erant.

3. Has ut evelleret nequitiarum propagines Clemens V. Synodum œcumenicam Viennæ in Gallia collegit annô ſupra milleſimum trecenteſimo undecimo, regnante apud Francos Philippo cui pulchri cognomen inditum. Hic damnatæ ſunt impuriſſimæ Begardorum & Beguinarum ſectæ, ſimulque Fraticellorum ſeu Dulciniſtarum, cujus author Dulcinus pellicem à ſe impraegnatam cui nomen Margaritæ de Spiritu ſancto concepiſſe aſſeverabat. Iſti pariter promiſcuos concubitus in abditis locis exercebant: & viſionem Dei beatificam poſt ultimum judicium differri prædicabant. Damnati quoque hic fuere Petri Joannis errores, negantis rationalem animam quâ rationalis eſt formam eſſe corporis humani: prætereà gratiam ullam aut virtutes in Baptiſmo infundi: atque aſſerentis Chriſti viventis latus fuiſſe lanceâ perforatum, nec ullam fidem habendam contrariæ quam Joannes Evangeliſta prodit aſſertioni. Et in Clement. ad noſtrum de hæret. Templariorum inſuper ordo hic aboletur, eorumque opes hoſpitalarijs Sancti Joannis militibus addicuntur.

4. Circa uſuras iſthic etiam ſtatuitur, illum qui pertinaciter affirmarit uſuram non eſſe peccatum, eſſe hæreticis accenſendum, atque contra eum eſſe ab hæreticæ pravitatis inquiſitoribus procedendum. Communitates autem & officiales qui ſtatuere in favorem uſurarum aut judicare præſumpſerint, aut qui talia edita ſtatuta de libris vel tabulis publicis non obliteraverint excommunicatione aſtringi Clement. ex gravi de uſur. Hic advertant Principes & Magiſtratus qua ratione Dei judicium evadere poterunt qui Judæis ſibi ſubditis indulgent apertè Chriſtianarum familiarum expoliationem quo pinguiores ſibi lucrentur à Judæis penſitationes, ſeu potius ab infelicibus ipſis Chriſtianis, quorum ideo permittitur per Judæos devoratio, & ex horum pernicie ac exuvijs poſſint ipſi Judæi impoſitas ſibi contributiones exſolvere. Id vero eo magis attendendum quod uſurarum prohibitionem divini juris eſſe conſtat, cui nec ipſa poſſit Eccleſia derogare. Neque ambigendum poſt Judaiſmi factam à Deo reprobationem non modo non licere Judæis expoliare Chriſtianos, qui ſoli populus Dei ſunt, ſed neque ullos Paganos ac Infideles. Ex quo enim Judæos reprobavit Deus ſimul etiam omnia privilegia voluit abolita, quæ iiſdem tanquam populo ſibi ſpeciatim accepto & dilecto contulerat. Quia vero de Judæis incidit occaſio ex uſuris quas exercent hoc ſciendum, prodijſſe anno 1542. Martij 21. Pauli Papæ tertij conſtitutionem quæ incipit cupientes, quâ ſtatuitur Judæos ad fidem converſos remanere quidẽ indiſpenſabiliter obligatos ad uſuras quas ex cognitis certiſq; perſonis exegerũt reſtituendas. Sed quod ſpectat ad eas quæ vel ob perſonarum incertitudinem, vel ob juſtum aliquod impedimentum pauperibus eſſent perſolvendæ, aut ad pias quaſcumque cauſas deſtinandæ declarat Summus Pontifex ſe ab his diſpenſare ut poſſint Judæi converſi ſibi ipſis retinere. Hoc idem verbis ferè eiſdem ſanxerat Concilium Baſileenſe ſeſſ. 9.

5. *De revocata beneficij cujuſcumque reſignatione ſic ordinavit Concilium Viennenſe: cum illuſio & variatio in perſonis Eccleſiaſticis maximè ſint vitanda, præſenti conſtitutione ſancimus, ut ſi quis ad cedendum Pontificali aut alij cuilibet dignitati vel officio aut beneficio procuratorem ſponte ac liberè conſtituerit, & ipſum ignorantem poſtmodum duxerit quomodolibet revocandum: teneat ceſſio facta per eum antequam ad ipſum vel illius in cujus manibus ceſſio fuerat facienda notitiam revocatio hujuſmodi ſit deducta: niſi fortè per ipſos aut alios malitioſè factum fuerit, quo minus ad eos vel eorum alterum ante ceſſionem potuerit revocatio perveniſſe.* Clement. unica de renunciat.

6. *In novi beneficij proviſione quæ fit coram*

*Papa*

*Papa ejuſve Legato Concilium requirit, ut aliorum beneficiorum mentio fiat quæ providendus poſſidet. Secus tamen in proviſione quæ fit ab ordinario aliove collatore.* Clement. & ſi de offic. ordina. ratio eſt quia Papa & Legatus incognitis conferunt, ordinarij verò ſibi notis perſonis, ut non ſit neceſſe novam illis notitiam de beneficijs inculcari aut ſignificari.

7. *Quia Regulares Prælati, Prioratus, Eccleſias adminiſtrationes aut quævis alia beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia cum vacant, interdum committere negligunt, vel conferre intra tempus in Lateranenſi Concilio conſtitutum: Diœceſani locorum in non exemptis ſuâ, in exemptis Apoſtolica auctoritate, negligentiam ſupra hoc ſuppleant eorumdem, Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes & beneficia hujuſmodi illa videlicet quæ conſueverunt per ſeculares Clericos gubernari ſecularibus Clericis: alia vero quæ Religioſis duntaxat committi ſunt ſolita, vel conferri Religioſis Monaſteriorum quorum Prælati hujuſmodi negligentes fuerint conferendo.* Clement. 1. ſupplen. negl. Prælat. tempus illud Lateteranenſi Concilio conſtitutum reſpicit Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. & ſex menſes complectitur, atque habetur c. 2. de conceſſ. præb. ſecus ſtatuendum de electione Prælati ſive Eccleſiæ Cathedralis ſive regularis, ut non diutius viduata vacet Eccleſia, id enim eligendi tempus alterum Lateranenſe Concilium ſub Innocentio tertio menſibus tribus definit, ut habetur c. ne pro defectu Paſtoris de electio.

8. Concilium Viennenſe ſic decernit Clement. de offic. jud. ordin. c. 1. *Ut Clericorum audacia qui prætextu privilegij Clericalis ordinis impunitatem exceſſuum obtinere ſperantes, nonnulla multoties committunt enormia per quæ nimium diffamatur Eccleſia & ſcandala gravia in populo generantur (potiſſimè cum talia per Epiſcopos ad quos horum ſpectat correctio deferantur ut plurimum) incorrecta propenſius compeſcatur: eiſdem Epiſcopis diſtrictè injungimus quatenus ſic circa correctionem Clericorum hujuſmodi vigilanter intendant, & diligenter ſui officij debitum exequantur quod & ijdem Clerici metu pœnæ à ſuis arceantur inſolentijs, & alij eorum exemplo perterriti ad ſimilia proſilire meritò pertimeſcant.* Canon iſte regerendus eſt in protervos Clericos de ſuis Prælatis temerè conquerentes, appellantes & exceſſum correctionis prætexentes, cum tamen Prælatus ipſe reprehendendus eſſet ob mitiorem inflictam pœnam, & delicti gravitati nimis imparem.

9. *Epiſcopis qui à ſuis ſedibus protervia impiorum expulſi ſunt indulget Viennenſe Concilium, ut in locis vicinarum Diœceſum poſſint contra expulſores eorumque Conſiliarios & fautores procedere, atque inter ſuos ſubditos quoſcumque jus dicere dummodò petierint licentiam à Diœceſanis locorum ita procedendi quamvis ab iiſdem non obtinuerint.* Clement. de foro compet. cap. unico. Simile quid decernitur de profeſſis Religioſis ut poſſint ſtrictiorem ingredi religionem, petitâ prius quamvis non obtentâ Prælati ſui licentiâ c. licet quibuſdam de regularibus.

10. Quamvis nulla & irrita ſit impetratio alicujus beneficij à Summo Pontifice vel ejus Legato ſi impetrans alia quæcumque poſſidet beneficia non expreſſerit, ut paulo ante dixi ad Clement. & ſi de offic. ordina. *Idem tamen Concilium valere decernit proviſionem de beneficio quam Romanus Pontifex proprio motu indulſerit, licet nulla de alijs quæ proviſus habet beneficijs facta ſit mentio.* Clement. de præben. c. ſi Romanus ex hoc enim præſumitur Pontificem velle abſolutè huic gratificari.

11. Eodem iſto Concilio ſtatutum eſt ut Prædicatores & minores liberè ſepeliant qui apud ipſos ſepulturam elegerint. De funeralibus & quibuſcumque obventionibus & relictis etiam de quibus aliàs non deberetur Canonica quartam jubet ſolvi Eccleſiæ Parochiali. Clement. de Sepultura c. dudum à Bonifacio.

12. De Patronis ſic providè ſtatuit idem Concilium: *Plures ab uno ex Patronis Eccleſiæ relicti hæredes vocem unius dumtaxat habebunt in præſentatione Rectoris* (quod idem eſt ac ſuccedent quoad jus Patronatus in ſtirpes) deinde ſubjungit, *& ut facilius provideatur Eccleſijs non inconveniens reputamus patronos ipſos inter ſe poſſe liberè convenire de rectore ab eis alterius vicibus præſtando. Quibus etiam ex eadem cauſa permittimus ut plures ad vacantem Eccleſiam poſſint eo modo præſentare perſonas, quod una ex eis eligi per Epiſcopum valeat & admitti.* Clemen. de jure patron. c. plures.

13. *Ejuſdem ſancti Concilij Decreto ſcienter contrahens matrimonium in gradu conſanguinitatis vel affinitatis, vel cum Moniali excommunicatus eſt ipſo jure, & publicari debet atque vitari. Idemque in profeſſo & profeſſa vel conſtituto in ſacris.* Clem. de conſan. & affin. c. 1.

14. *Conſtituit præterea ut in Scholis Romanæ Curiæ & Pariſienſi & Oxonienſi, Bononienſi & Salamanticenſi ſint competenter ſtipendiati Profeſſores qui Linguas Hebraicam & Arabicam & Chaldaicam doceant duo ſcilicet pro qualibet Lingua.* Clemen. de Magiſtris c. 1.

15. *Religioſi qui Clericis aut Laicis Sacramentum Extremæ-Unctionis vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimoniave ſolemniare, non habitâ ſuper his Parochialis Presbyteri licentiâ ſpeciali, aut qui excommunicato à Canone præterquam in caſibus à jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, eiſdem, vel à ſententijs per ſtatuta Provincialia aut Synodalia promulgatis, ſeu ut verbis eorum utar à culpa aut pœna abſolvere quemquam præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi: quos etiam locorum Ordinarij poſtquã de hoc eis conſtiterit excommunicatos faciant publicè nunciari, donec de abſolutione ipſorum eis fuerit facta fides, nullo religioſis eiſdem ſuper hoc exemptionis vel alio privilegio ſuffragante. Quibus etiam in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictius inhibemus, ne in ſermonibus ſuis Eccleſiarum Prælatis diſtrahant: aut etiam retrahant laicos ab Eccleſiarum ſuarum frequentia vel acceſſu: ſeu indulgentias pronuncient indiſcretas: neve cum confectionibus teſtamentorum intererunt à reſtitutionibus debitis aut legatis matricibus Eccleſijs faciendis retrahant teſtatores: nec legata aut debita aut male oblata incerta ſibi aut alijs ſingularibus ſui Ordinis fratribus vel Conventibus in aliorum præjudicium fieri vel erogari procurent. Nec etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ aut locorum Ordinarijs reſervatis quemquam abſolvere: aut perſonas Eccleſiaſticas præſertim coram judicibus delegatis à nobis ſuã contra eos juſtitiam proſequẽtes vexare indebitè aut ad loca plura & præſertim multum remota convenire præſumant: hi vero qui præmiſſa vel aliquod de præmiſſis attentare præſumpſerint,*

*rint, per duos menſes ſubjaceant pœnis illis quæ ſecundum eorum regulam vel ſtatuta pro gravibus criminibus ſeu culpis eis conſueverant imponi: ſuper quibus abſque manifeſta neceſſitate cum eis non valeat diſpenſari. Cæterum Prælati eorum niſi de his quæ occaſione præmiſſorum exceſſuum ad eos quoquo modo pervenerint Eccleſijs aut perſonis Eccleſiaſticis damnificatis, vel læſis ſatisfactionem plenariam exhibuerint, infra menſem poſtquam ſuper hoc fuerint requiſiti ſuſpenſionis ſententiam uſque ad ſatisfactionem debitam eo ipſo incurrant, non obſtantibus præmiſſis ſtatutis aut quibuſlibet privilegijs cujuſcumque tenoris exiſtant. Sanè religioſis illis quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum ut familiaribus ſuis domeſticis aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præjudicium generari.* Clem. de privil. & exceſſibus privilegia. c. 1.

16. Ejuſdem Clement. c. 2. *Archiepiſcopo per quævis loca ſuæ Provinciæ facienti tranſitum, aut ad ea forſitan declinanti ut crucem ante ſe liberè portari faciat, benedicat populo, divina Officia privatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret & faciat in ſua præſentia ſine Pontificalibus celebrari (quovis privilegio contrario non obſtante) ſacro approbante Concilio præſentis conſtitutionis ſerie duximus concedendum.*

17. Eodem Concilio *Religioſi qui aliqua ut audientes à decimarum Eccleſijs debitarum ſolutione retrahant in ſermonibus ſuis, vel alibi proferre præſumunt excommunicationis ſententiæ ipſo facto ſubjiciuntur.* Clement. de pœnis c. cupientes. Quo eodem renovatur conſtitutio Bonifacij VIII. c. 1. de Sepult. in 6. *Circa Religioſos ſecularibus quibuſcumque ſuadentes ut ſepulturam in eorum Eccleſijs eligere voveant aut alias promittant, electamve non immutent, decernitque hoſce Religioſos ipſo facto incurrere Summo Pontifici reſervatam excommunicationis ſententiam.*

18. Concilio eodem *Religioſi etiam exempti violantes interdictum poſitum per Apoſtolicam Sedem, aut per Ordinarium loci ſervatum per Cathedralem vel matricem Eccleſiam ſententiâ excommunicationis feriuntur, quam ſtatim ipſo facto incurrunt non obſtantibus quibuſcumque appellationibus interjectis etiam ad ſupremam Sedem aut quibuſlibet privilegijs.* Clem. de ſent. excom. c. 1. *Similiter etiam Domini temporales cogentes aliquos in locis interdictis celebrare divina, aut qui per præcones faciunt ad illa audienda populum evocari, aut qui prohibent ne publicè excommunicati vel interdicti per eos qui Miſſas celebrant moniti Eccleſijs exeant, & ipſi qui interpellati ut excedant excommunicati atque interdicti perſiſtere inibi præſumentes, hi omnes non poſſunt à cenſuris quas incurrunt niſi per Apoſtolicam Sedem relaxari.* Eadem Clem. c. 2.

19. Sollicitudinem pariter geſſit ſacra Viennenſis Synodus ne Epiſcopi alijve Prælati proſilirent in injurias & gravamina, ſive exemptorum ſive ſubditorum, qualia multa dinumerat diſtrictèque vetat Clement. de exceſſibus Prælat. Vide pariter in Decretalibus ſub eod. tit. c. nimis iniqua &c. c. nimis prava.

20. Providit inſuper Viennenſe Concilium circa regularium effuſiora privilegia. Synodus Calchedonenſis inter quatuor primas œcumenicas inſignis ſub magno Leone Pontifice conſtituerat can. 9. debere Monachos Epiſcopis locorum ſubjacere eiſque obedire: ſed temporum progreſſu maximeque poſt Mendicantium Ordinum exortum, multa eis conceſſa fuerunt eaque ſubinde poſtea reſciſſa aut attemperata privilegia. Conſtituerat Bonifacius octavus c. ſuper cathedram de ſepult. in extrav. commu. non poſſe exemptos atque Mendicantes regulares prædicare, aut externorum confeſſiones ullatenus audire, citra Ordinariorum licentiam in quorum Diœceſibus verſantur. Nonnulla etiam circa externorum ſepulturas quæ fiunt intra regularium Eccleſias ordinaverat in gratiam Eccleſiarum Parochialium. Sed Bonifacij proximus ſucceſſor Benedictus XI. ex Ordine Sancti Dominici aſſumptus præceſſoris Decretum abrogavit c. inter cunctas in extrav. com. de privileg. Verumtamen non diu prævaluit hæc abrogatio mox enim iſtud generale Viennenſe Concilium, præſidente immediato Benedicti ſucceſſore Clemente V. hanc revocationem antiquavit, ſanctionemque Bonifacij in priſtinam reſtituit auctoritatem. Clement. dudum de ſepult. & Clement. 1. de privile. & privilegiat. exceſ. Viennenſi huic ſanctioni conformari voluit Tridentinum Concilium ſeſſ. 25. cap. 15. de refor. & ſeſſ. 25. cap. 4. atque his poſteriora decreta Gregorij XIII. anni 1567. Gregorij XV. in Bulla Romanus Pontifex in ſpecula an. 1622. & ejuſdem Bulla inſcrutabili. His ſimiles edidere ſanctiones Vrban. VIII. & Innocentius X. in Bullis annorum 1648. & 1653. quarum utraque eſt menſis Maij in cauſa Palafoxij Epiſcopi Angelopolitani & regularium Societatis Jesu. Deinde Alexander VII. in ſimili cauſa Epiſcopi Andegavenſis & Societatis præfatæ aliorumque regularium die 26. Februarij 1659. poſtmodum Clemens X. in Bulla incipiente ſuperna magni patrisfamilias præordinatione anni 1670. Huc etiam ſpectat concordatum mediatore Armando Richelio Cardinali tranſactum inter Epiſcopos Francici Regni, & quorumvis Ordinum Regulares Lutetiæ Pariſiorum die Februarij 19. an. 1633. quod ad amuſſim conformatur præfatis Conciliorum & Pontificum ſanctionibus, & inſertum legitur in tabularijs actuum Clerici Gallicani.

21. Hac eadem Synodo Viennenſi expoſita & dilucidata fuit S. Franciſci regula multæque definitæ dilutæque difficultates quæ leguntur Clem. de verbo. ſignif. c. exivi de Paradiſo.

## CONCILIVM AVENIONENSE anni 1326.

1. Antequam fuiſſet Avenio Cavarum in Metropolim Eccleſiaſticam erecta Arelatenſis Metropolis erat Suffraganea, quo quidem tempore initum apud eam Concilium fuit trium Provinciarum Arelatenſis, Aquenſis & Ebrodunenſis, qui eodem cum Suffraganeis præſulibus convenerunt Gasbertus Arelatenſis, Jacobus Aquenſis, Bertrandus Ebrodunenſis Archiepiſcopi in Monaſterio Sancti Rufi, anno à Chriſto 1326. multaque ſcita Eccleſiarum regimini conducibilia ediderunt, quibus quaſi ſepimentis fidelium pietatem & Eccleſiaſticam diſciplinam circumvallarunt.

Canon II.

Canon II. *Si propter Chriſtum reverentia impendi præcipitur, dignum eſt ſacrum ejus corpus coli veneratione præcipua, quod utique pro nobis in illius paſſionis memoriam conſecratur. Statuimus igitur & jubemus quatenus ſinguli Rectores, Priores & Vicarij noſtrarum Eccleſiarum Provinciarum, Civitatum & Diœceſum Parochianos ſuos ſalutaribus monitis inducere ſtudeant, ut ſanctiſſimum corpus Dominicum dum Presbyter ipſum portat in Viaticum miniſtrandum ægrotis reverenter aſſocient, ac luminarium adhibitione decenter honorent. Illi qui aſſociabunt de die vel de nocte ſine luminaribus decem dies, qui vero cum luminaribus vel etiam luminaria mittent per alium de die viginti dies, de nocte triginta dierum indulgentiam ex conceſſione noſtra, dum tamen verè pænitentes & confeſſi fuerint, habituri.*

Can. XVI. *Item ſtatuimus quod excommunicati in Iudices, Rectores, Bailivos, Poteſtates, Aſſeſſores, vel Notarios, vel ulla quævis publica Officia nullatenus aſſumantur, nec etiam admittantur: & ſi de facto admiſſi fuerint ſententiæ per eos vel eorum autoritate in judicio vel extra habitæ, & monimenta coram eis vel per eos facta nulla ſint ipſo jure. Et nihilominus quicunque vel cujuſcunque dignitatis ſtatus aut conditionis exiſtant, ſi tales excommunicatos ad aliquod Officiorum prædictorum ſcienter aſſumpſerint vel aſſumptos per alios approbaverint vel confirmaverint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto. Et ſi requiſiti per Ordinarium vel alium ejus nomine hujuſmodi excommunicatos infra decem dies à tempore requiſitionis à prædictis officijs ſic aſſumptis non amoverint cum effectu: loca illa in quibus ad aliquod prædictorum Officium aſſumpti fuerint ſic & tandiu remaneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto donec ſic excommunicati à ſuſceptis Officijs realiter & ſine fraude & ſine aliqua reſtitutionis ſpe quandiu in excommunicatione perſtiterint ſint amoti: Vniverſitas ac Civitas, Caſtri vel Villa quæ excommunicatos & in Eccleſia publicè denunciatos ad aliquod prædictorum officiorum aſſumpſerit vel elegerit, ubi eis aliàs hoc liceret, Eccleſiaſtico etiam ſit ſuppoſita interdicto.*

Concilio pariter Vaurenſi an. 1368. can. 37. *Cavetur ne excommunicati ad officia publica admittantur.*

2. Can. XVII. *Item ſtatuimus & ſub pœna excommunicationis diſtrictius inhibemus ne quis Apothecariorum, vel quis alius cujuſcunque conditionis vel ſexus exiſtat, toxicũ vendat nec donet nec alio modo miniſtret alicui, vel alia venenoſa niſi prius ſignificet curiæ ordinarij, ut ſciri poſſit ſuis temporibus ſi caſus toxicationis contingeret, quis fuerit emptor illius vel alius quicumque: quodque Apothecarius quilibet ad hoc obſervandum juramento coram ſuo ſuperiore corporaliter præſtito pro ſe & ſua familia ſpecialiter aſtringatur. Aliter autem dantes aut vendentes & ad homicidium perpetrandum recipientes quomodolibet vel ementes & ad hoc conſilium vel aſſenſum tacitè vel expreſsè præſtantes, excommunicationis vinculo ſubjaceant ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittēdi & aliàs ſicut fuerit juſtum puniendi.* Eandem proſequitur materiam qui ſtatim ſequitur can. 18. his verbis: *Item quod quicumq; alium toxicare aut opem ad hoc vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare ſeu vendere vel aliter miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit, eo ipſo excommunicationem incurrat, à qua non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur. Et ſi Clericus beneficiatus ſit, illo ſit privatus beneficio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat degradetur tradendus curiæ ſeculari. Sed & tali vel ſimili ſuſpicione probabili infamatus & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indicijs apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem Eccleſiaſticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad detenſionem perſonæ honeſtam prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem ſicut ſuperioris diſcretioni viſum fuerit procedatur.*

Similiter Concilium Vaurenſe an. 1368. can. 116. hæc ſancivit: *Vt quicumque alium toxicare, vel opem ad hoc vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare ſeu vendere, aut alias miniſtrare præſumpſerit, vel herbas mortiferas in mortem vel abortivum cujuſquam dederit eo ipſo excommunicationem incurrat. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit ſit ille privatus beneficio ipſo facto & ab ordine quem ſuſceperat degradetur. Et niſi purgatus de præmiſſis ſit à tali vel ſimili ſuſpicione probabiliter infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus & perſpicuis indicijs apud bonos & graves notatus, ad honorem & dignitatem Eccleſiaſticam nullatenus admittatur. Et nihilominus ad detenſionem perſonæ honeſtam prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad inveniendam veritatis certitudinem ſicut ſuperioris diſcretioni viſum fuerit procedatur.* Denique Concilium Friſingenſe anni 1440. can. 24. ſub pœna excommunicationis inhibet quibuſcumque Sacerdotibus tam ſecularibus quam regularibus ſine ſpeciali mandato abſolvere propinantem ementem aut vendentem venenum præſertim in machinationem mortis hominis.

3. Canon XIX. *Item dolentes referimus quod nonnulli Religioſi Hoſpitalarij Ciſtercienſes, & alij tam exempti quam privilegiati de privilegiorum ſibi fortè aut Ordini ſuo indultorum prærogativa temerè confidentes, excommunicationis ſuſpenſionis vel interdicti ſententias ab Ordinarijs & Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas obſervare non curant: quinimo in contemptum clavium*



Digitized by Google

*excommunicatos ſuſpenſos & interdictos hujuſmodi ad divina recipiunt* (& nonnullis alijs exceſſibus commemoratis deinde ſubjungit) *illi qui hujuſmodi præſumpſerint, aut ad hoc operam conſilium vel juvamen præbuerint excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Sed & cum ipſis Prælatis non deferant, ſed potius vilipendant eoſdem, Prælati etiam quandiu ſic ſteterint & auſu temerario eis vel officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint in privilegijs vel alijs juribus ſuis tueri eos vel defendere minimè teneantur. Dignum eſt enim ut quâ menſurâ menſi fuerint eadem remetiatur & eis, ut ignorantes ignorari & contemptores ſentiant ſe contemni.*

Concilium Nicænum primum can. 5. providet ne ab alijs quibuſcumque Epiſcopis aliiſque recipiantur qui à proprio Epiſcopo fuerint à communione fidelium ejecti & habetur in Decreto c. ſervetur iſta ſententia 11. q. 2. Vide ſimiles alios canones quos ſuperius in eundem Nicænum can. 5. congeſſimus. Præterea regulares privilegiati tenentur obligatione ſervandi generalis interdicti, atque excommunicatas & interdictas perſonas à ſuis Eccleſijs eliminare c. quod in te de pœnit. & remiſſ. & Clement. 1. de ſent. excommunic. ex Concilio Viennenſi.

Can. XX. *Item ne relicta in teſtamentis vel alijs ultimis voluntatibus emenda, vel ad pias cauſas eleemoſynæ, vel reſtitutiones certæ vel incertæ forſitan occultentur, ſtatuimus ut vel Presbyter Parochialis intereſſe rogetur ordinationi teſtantis ſi tamen haberi poterit, aut quod Notarius infra octo dies à die obitus numerandos Prælato vel Officiali vel Presbytero Parochiali copiam illius articuli, ubi quævis eleemoſyna pijs eſt uſibus deputanda vel emenda ſeu reſtitutio facienda, ſub pœna excommunicationis quam ipſo facto ſi negaret incurrat, facere fideliter teneatur.*

Multa require hanc in rem ad finem Concilij Colonienſis anni. 1300. quod ſupra inſerui.

Can. XXVIII. *Item quod Prioratus beneficij ſeu alterius Eccleſiaſtici facta cum novi cenſus impoſitione vel antiquæ penſionis augmentatione collatio non valeat ipſo jure, & per proximum ſuperiorem illa vice perſonæ idoneæ ſine dicti oneris vitio conferatur, ac ſi ad eum per negligentiam fuiſſet alias collatio dicti beneficij devoluta.*

Huc ſpectat rubrica Decretalium ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

4. Can. XXIX. *Item ſtatuimus quod in ſingulis Eccleſijs per Monachos ſolitis gubernari infra ſex menſes Priores earum ſub Diœceſanis ad curam animarum perpetuos Presbyteros repræſentent. Quod niſi fecerint ex tunc hac vice Epiſcopi inſtituant perpetuos Presbyteros in cura prædicta, & ipſos Priores compellant ad providendum eiſdem Presbyteris prout idem inſtituens duxerit ordinandum.*

Hanc in rem notatu digna eſt Urbani Papæ III. conſtitutio: *In Eccleſijs ubi Monachi habitant populus per Monachum non regatur, ſed Capellanus qui populum regat ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: ita ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio ejus quam depoſitio & totius vitæ pendeat converſatio.* C. 1. de Capellis Monach.

Can. XXX. *Item ſtatuimus quod nullus in aliquo beneficio Eccleſiaſtico ſolum jus obtinens Patronatus, cum ipſum vacare contigerit ad ipſum conferendum procedat. Quod ſi ſecus egerit, in illa vacatione jus præſentandi amittat ipſo facto: & ſuperior ad quem inſtitutio pertinet, plenam ejus diſpoſitionem habeat illa vice.*

5. Can. LVIII. *Item ſtatuimus quod Priores Eccleſiarum & Hoſpitalium pauperum, & omnes alij Eccleſiaſtica beneficia obtinentes faciant inventarium cum publico inſtrumento, vel in chartulario quod penes Eccleſiam debebit remanere de omnibus immobilibus & mobilibus bonis (ſcilicet inſtrumentis, privilegijs, vaſis æneis, & ferreis, atque vinarijs) in principio ſui regiminis infra ſex menſes. Et idem faciant inſtituti poſt primam Synodum infra ſex menſes. Et qui prædicta non fecerit, in decima fructuum dicti beneficij puniatur, operi vel ornamentis aut propriæ Eccleſiæ utilitati per ordinarium applicanda.*

Concilium Toletanum nonum can. 4. præcipit fieri ab Eccleſiarum Rectoribus rerum ad eas pertinentium inventaria. 12. q. 4. c. 1. ſimilia inventaria de bonis defuncti Epiſcopi fieri jubet S. Gregorius Magnus cap. Charitatem 12. q. 2. Itemque Concilium Tarraconenſe c. ſicubi 12. q. 5. & Apoſtolorum canon. 39. jubet diſcerni res Eccleſiæ à rebus Epiſcopi, ne unum horum indebitè uſurpetur aut diſtrahatur alterius vice ad hæc verò diſcernenda neceſſarium eſt inventarium utrarumque rerum confici.

6. Anno poſtmodum 1337. Præfatarum trium Provinciarum Antiſtites Avenionem iterum convenerunt Gasbertus Arelatenſis, Bertrandus Ebrodunenſis qui Priori Concilio interfuerant, & Armandus Aquenſis qui poſt anterius Concilium Jacobo Archiepiſcopo ſucceſſerat. Iſti cum Comprovincialibus Epiſcopis in Monaſterio S. Rufi, Ordinis S. Auguſtini alteram habuere Synodum, in qua paucis quibuſdam additis Canones quos priore conventu ediderant renovarunt novaque confirmatione inſtauravere.

7. Iteratæ hujus Avenionenſis Synodi can. 5. novam indicat in Eccleſia introductionem circa carnium abſtinentiam diebus Sabbati, atque ut ab antiquioribus exordiamur conſulito quæ de jejuniis Sabbatorum ſuperius adduxi ad Laodicenæ Synodi can. 50. ubi oſtenſum eſt Sabbatorum jejunia apud Orientales Eccleſias pro nefarijs fuiſſe habita, eo ſolo excepto quod ante Paſcha occurrit. Ex adverſo Sabbatorum jejunia

Romæ

Romæ fuiſſe religioſiſſimè ſervata, cæteris vero per Occidentem locis alicubi fuiſſe præcepta, & alicubi relicta libertati fidelium. Sanè hoc liquido conſtat neque in urbe Roma, neque alibi uſpiam fuiſſe indicta Sabbatorum à Paſchæ diebus adusque Pentecoſtem ulla jejunia, id enim aſtruunt Tertullianus lib. de Corona milit. cap. 3. *Die Dominico jejunium nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſche in Pentecoſtem uſque gaudemus.* S. Ambroſius relatus diſt. 76. can. 8. *Per hos quinquaginta dies nobis eſt jugis & continuata feſtivitas, ita ut hoc omni tempore, neque ad obſervandum inducamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus ſuccidamus* (& ſubinde pergit) *inſtar ergo Dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies velut Dominici deputantur, reſurrectio enim Dominica eſt.* His ſuffragantur Hieronymus epiſt. ad Lucinium Bœticum, Auguſtinus epiſt. ad Caſulanum & ad Hieronymum, Leo Magnus ſerm. 4. de jejunio Pentecoſt. *Ad hanc ergo utilitatem nos dilectiſſimi præſens tempus invitat ut à reſurrectione Domini uſque ad adventum Spiritus ſancti quinquaginta diebus emenſis quos in lætitia præcipuæ feſtivitatis exegimus, ad jejuniorum remedia recurramus.* Eadem iterat S. Leo in ſermonibus de Feſto ipſo Pentecoſtes. Teſtis quoque locuples eſt Caſſianus colla. 21. cap. 11. & 19. ipſa itaque Vigilia Pentecoſtes à jejunio immunis erat. Sabbatis quidem quadrageſimæ apud Gallos jejunij conſuetudinem viguiſſe compertum fit per Agathenſem can. 12. & per Aurelianenſis Concilij IV. can. 2. at reliquis anni Sabbatis nulla fuiſſe indicta jejunia probatur canone 9. Matiſconenſis Concilij I. ita ſancientis: *Ut à Feria Sancti Martini uſque ad Natale Domini ſecunda & quarta & ſexta Sabbati jejunetur & ſacrificia quadrageſimali ordine debeant celebrari.* Hæc jejunia in Galliam primus invexit Sanctus Perpetuus Turonenſium Præſul ut ipſe perhibet Gregorius Turonenſis lib. 10. hiſt. Franc. cap. 31. *A depoſitione inquit Sancti Martini uſque ad natale Domini terna in ſeptimana jejunia, & tamen ab hac diſtrictione poſt quadrageſimam jejunij obſervatione Sabbata excludebantur.* Tandemque Gregorius Papa ſeptimus ſi non Sabbati jejunia per annum, at ſaltem hi diebus ab eſu carnis abſtinentiam omnibus corpore ſanis injunxit. Ejus habetur decretum de conſecra. diſtinct. 5. c. quia dies Sabbati. Sed parum viguit hæc præceptio, atque eo demum relaxatio proceſſit ut indulta cæteris abſtinendi aut comedendi libertate diſtrictio illa ſolos alligaverit Eccleſiarum Miniſtros, ut ex hoc liquet Avenionenſi canone his verbis concepto: *Statuimus quod Clerici beneficiati aut in ſacris Ordinibus conſtituti ab inde in antea ſemper in diebus Sabbatis pro honore Beatæ Mariæ carnibus abſtineant, niſi ex cauſa neceſſitatis de qua comedentis conſcientiæ relinquatur, vel niſi Feſtum natalis Domini in die Sabbati contigerit evenire.* Hanc iiſdem verbis ſanctionem renovavit Concilium Vaurenſe anni 1368. trium Provinciarum Narbonenſis Toloſanæ & Auxitaniæ can. 90. pariterque Concilium Biterrenſe an. 1351. can. 7. *Exhortamur in Domino omnes Clericos beneficiatos aut in ſacris Ordinibus conſtitutos quod ab inde in antea ſemper in diebus Sabbati à carnibus abſtineant, niſi ex cauſa neceſſitatis, vel niſi Feſtum Nativitatis Domini in die Sabbati contigerit evenire.* Pervicit tamen ineunte ſeculo decimo quinto, ut quæ obligatio ex generali Gregorij VII. conſtitutione fuerat in Laicis per non uſum intermortua, inſtaurato demum uſu revixerit, ipſoſque Laicos pari cum Eccleſiæ Miniſtris nexu aſtrinxerit.

## CONCILIUM VAURENSE *trium Provinciarum Narbonenſis, Toloſanæ & Auſcenſis anni à Chriſto 1368.*

Urbani Papæ V. literæ ad Petrum Narbonenſem Archiepiſcopum de celebrando Provinciali Concilio.

1. Sacrorum Canonum teſtatur autoritas quod olim Sancti Patres tam Romani Pontifices quam alij Eccleſiarum Prælati curam ſolertem ſuper gregem Dominicum exercentes, de celebrandis Concilijs in quibus de extirpandis vitijs & plantandis virtutibus tam in Clero quam in populo, ac de conſervanda libertate Eccleſiaſtica, de ſtatu quoque Eccleſiarum & piorum locorum dirigendo, ſalubriter agebatur, fuerunt plurimum ſtudioſi, ex iiſque ſtatus Eccleſiaſticus in ſpiritualibus & temporalibus multum crevit. Sed proh dolor! ſuccreſcente paulatim Prælatorum deſidiâ, omiſſaque continuatione Conciliorum hujuſmodi, pullulant vitia, creſcit indevotio populi, præfata libertas minuitur, cultus Divinus negligitur, irrogantur à laicis Clero gravamina, & in temporalibus bonis, ad divinum deputatis obſequium ſentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur quod tantis malis in tua Provincia per ſalubrem tuam ac tuorum fratrum providentiam occurratur, fraternitatem tuam Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudio excitamus ac requirimus & hortamur, attentè per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus Concilium tuæ Provinciæ in quo de ijs quæ pro laude Dei ac utilitate Eccleſiarum & piorum locorum, nec non Cleri & populi, fuerint utilia & opportuna provida examinatione tractetur, & provideatur quam cito & commodè poteris ſtudeas convocare, nobis de convocatione hujuſmodi cum eam feceris, & demum de geſtis in eodem Concilio reſcripturus, ac tu & Suffraganei tui favorem Apoſtolicum in ijs in quibus illum reputabis utilem fiducialiter poſtuleris. Datum Avenione 7. Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno tertio. Sequutum deinde fuit ejuſdem Summi Pontificis reſcriptum ad eundem Narbonenſem ſimulque ad Gaffredum Toloſanenſem Archiepiſcopos ambobus deſiderantibus conſentiens, ut in locum amborum conſenſione deſignatum Synodum ſimul cum ſuis Suffraganeis Præſulibus celebrent. Iſtis vero ſe lubens adjunxit cum ſuis Comprovincialibus Arnaldus Archiepiſcopus Auſcitanus, qui cum per ſe intereſſe nequiret, Vicarium ſuum miſit Philippum Abbatem Soricinij.

2. Primis Canonibus ſtatuuntur, & fuſius exponuntur Catecheſes quibus plebes à Parochis imbui & doceri ſacra jubet Synodus: tum leges præſcribuntur in Synodo ſervandæ.

Can. XII. *Statuimus quod quicumque contra Eccleſiaſticas conſuetudines, libertates ſeu obſervantias antiquas, ſtatuta, banna, prohibitiones*

*tiones vel præconizationes aut præcepta ſcienter fecerint aut fieri procuraverint aut ſervari, ſeu facientibus vel ſervantibus in hoc Concilium vel opem directè vel indirectè præſtiterint, per Diœceſanos locorum aut Officiales vel Procuratores eorum, præſentis autoritate Concilij moneantur ut infra quindecim dies à tempore monitionis hujuſmodi numerandos ſtatuta, banna, prohibitiones, præconizationes & præcepta hujuſmodi cum effectu debeant revocare, ad conſimilia nunquam ulterius progreſſuri: alioquin excommunicationis ſententiâ quam ex nunc in ipſos ferimus ſint ligati.*

Hoc idem decreverat Concilium Avenionenſe anni 1326. can. 55. & anni 1337. can. 65.

3. Can. XIV. *Item quia ex pravo abuſu in quibuſdam Provinciarum noſtrarum partibus inolevit, quod nobiles plerumque & interdum alij colligationes, ſocietates & conjurationes faciunt, tam canonicis quam humanis legibus interdictas ſemel in anno ſub confratria nomine ſe in loco aliquo congregantes, ubi congregationes conventicula & colligationes faciunt, & pacta juramento vallata ineunt, quod ſe adverſus quoſcumque Dominos ſuos ad invicem adjuvent, & interdum veſte conſimili cum aliquibus ſignis exquiſitis vel characteribus induentes, unū aliquem majorem interſe deligunt cui jurant in omnibus obedire ex quibus juſtitia offenditur, mortes & deprædationes ſequuntur, pax & ſecuritas exulantur, innocentes & inopes opprimuntur, & Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ quibus tales oppidò ſunt infeſti in perſonis, juribus, & iuriſdictionibus, injurias diverſas & damna plurima patiuntur: nos volentes ijs auſibus peſtiferis & conatibus perverſis extemplò occurrere, & de remedio poſſibili providere, atque à peccato ſubditos noſtros prout ex paſtorali incumbit officio cohibere, autoritate præſentis Concilij omnes conventiculas colligationes, ſocietates & coniurationes quas confraternitates & confratrias appellant ab olim factas per Clericos aut Laicos cuiuſcumque gradus ſtatus dignitatis vel conditionis exiſtant, necnon prædictas conventiones ordinationes, & pacta inter eos inita & habita irritamus, diſſolvimus & caſſamus, & caſſas & caſſa, irritas & irrita nunciamus, decernentes omnia iuramenta ſuper obſervandas prædictis præſtita aut illicita aut temeraria: nullum teneri volumus ad obſervantiam eorumdem: à quibus iuramentis eos etiam relaxamus, ut tamen pro incauto iuramento à ſuis confeſſoribus pœnitentiam ſuſcipiant ſalutarem: autoritate prædicta prohibentes eiſdem ſub excommunicationis pœna, quam venientes in contrarium, poſtquam præſens ſtatutum in Eccleſiis quarum ſunt Parochiani fuerit per duos Dominos publicatū, incurrere volumus ipſo facto quod occaſione prædictarum colligationum ſocietatum conventionum & iuramentorum abinde inantea ſimul non conveniant, huiuſmodi confraternitates non faciant, alter alteri non obediat: nec præſtet adiutorium nec favores. Nec veſtes ſigna rei iam damnatæ præbentes deferant: nec ſe confratres Abbates, Priores prædictæ ſocietatis appellent: quinimo infra decem dies à tempore prædictæ publicationis unuſquiſque aliàs quantum eſt in eo à prædictis iuramentis relaxet, & ſe nolle de prædicta ſocietate ulterius exiſtere publicè proteſtetur. Prohibemus etiam quod amodo tales coniurationes conſpirationes conventicula etiam ſub nomine confratriæ non fiant. Alioquin & de facto attentatas caſſamus & irritamus, & facientes & attentantes excommunicationi à qua niſi per ſuum ordinarium, præterquam in mortis articulo, nullatenus abſolvantur volumus ſubiacere. Per hoc autem confraternitates olim in honorem Dei & B. Mariæ & aliorum Sanctorum & pro ſubſidijs pauperum introductas in quibus coniurationes & iuramenta non intervenerunt huiuſmodi non intendimus reprobare.*

Nefarias item confraternitates damnarunt Avenionenſia Concilia anni 1326. can. 27. & anni 1337. can. 45. Vide in Pandectis lib. 74. tit. de Collegijs & corporibus illicitis cujus l. 2. ſic decernit qui illicitum Collegium uſurpaverit eâ pœnâ tenetur qua tenentur ij qui hominibus armatis loca publica vel Templa occupaſſe judicati ſunt.

Can XV. *Irrefragabili conſtitutione ſancimus ut quicunque electionem, poſtulationem, præſentationem ſeu quamvis aliam proviſionem canonicam de beneficio vel dignitate vel adminiſtratione Eccleſiarum iniuſte impediunt, patenter vel clam, & cuncti qui per ſe vel alios gravare præſumpſerint electores, poſtulatores, proviſores præſentatores in perſonis vel beneficijs vel alijs ſuis bonis Eccleſiaſticis, Monaſteria aliave loca pia, conſanguineos vel bona prædictorum pro eo quod rogati ſeu alias inducti, eum pro quo rogabantur ſeu inducebantur eligere ſeu præſentare vel poſtulare aut ei providere noluerint, ſint excommunicationis vinculo ipſo facto innodati. Et ultra hoc ſi Clerici vel regulares fuerint, ſint ipſo facto per annum fructibus beneficiorum quæ obtinebant privati. Et ſi laici fuerint prædictam excommunicationis ſententiam incurrant, à qua non poſſint præterquam in mortis articulo niſi ab eorum Ordinario ſatisfactione præhabita abſolvi.* Similia conſtituerat Concilium Auſcitanum an. 1300. can. 1.

Can. XVI. *Statuimus quod quicumque fraudulenter procurat impedimenta fieri ſuper pacifica poſſeſſione obtinenda beneficij ſibi collati, vel impedimentum appoſitum repellere deſinit negligenter, ultra pœnas à iure præſcriptas excommunicationis ſententiâ ſit ligatus.* Hoc ipſum decreverat Auſcitanum Concil. can. 8.

4. Can. XVII.

Digitized by Google

4. Can. XVII. *Hujus ſacri Concilij edicto ſtatuimus quod ſi quis beneficiū cui cura imminet animarum propria autoritate vi occupaverit, ſeu ſe ſcienter intruſerit in eodem, ipſo jure privatus exiſtat beneficio, quod cum cura ſimili primitus obtinebat. Item ſi quis voluntate propria violenter dignitates perſonatus aut quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica occupare præſumpſerit, eo ipſo privatus exiſtat jure ſi quod ſibi competebat primitus in eiſdem.*

Hæc deſumpta ſunt ex commemorati Auſcitani Concilij can. 4. & 5. antiquioribus canonibus cautum fuit ut electus qui ante confirmationem aut inſtitutionem à Prælato faciendam beneficium recipit, hoc eſt in poſſeſſionem ejus ſe immittit, aut illius ſe adminiſtrationi ingerit, electionis ſuæ jure excidat. c. qualiter & c. bonæ memoriæ & c. noſtri de electio. & c. cum jamdudum de præben. & c. avaritiæ de elect. in 6.

5. Can. XXV. *Statuimus inſuper quod nullus Archidiaconus de cauſis matrimoniorum vel ſponſaliorum cognoſcere, vel circa ea cenſurā Eccleſiaſticā uti valeat, ſinè mandato ſui Archiepiſcopi vel Epiſcopi ſpeciali. Et ſi quod præſumptum ſecus fuerit viribus careat, ipſo facto: niſi de præſcripta legitima conſuetudine aut privilegio aliud ſit obtentum.*

Hoc ipſum verbatim conſtituerat Concilium Marciacum anni 1326. can. 4. cauſæ namque matrimoniales graviſſimis & intricatis difficultatibus refertæ ſunt ut merito aſſerat Auguſtinus l. 1. de adulterinis conjugijs cap. 25. quæſtionem de conjugijs obſcuriſſimam & implicatiſſimam eſſe non neſcio nec audeo profiteri omnes ſinus ejus vel in hoc opere, vel in alio me adhuc explicaſſe, vel jam poſſe ſi urgeat explicare. Quamobrem hoc ipſum Vaurenſe Concilium can. 27. diſtrictè mandat ne Archiepiſcopi vel Epiſcopi cauſas matrimoniales dijudicent niſi adhibitis quantum fieri poterit peritiſſimis canonum viris.

6. Can. XXXI. *Item ſtatuimus quod ex quo per propriam civitatem & diœceſim lata per prælatum aliquem excommunicationis ſuſpenſionis vel interdicti ſententia fuerit publicata, & ibidem exigente rebellione ac inobedientium duritiā per decem dies extiterit ſolemniter & publicè aggravata, licitum ſit eidem prælato hujuſmodi autoritate Concilij cæteros Epiſcopos & prælatos requirere, ut dictas ſententias quarum tenores & cauſas declarat in ſcriptis, in ſuis diſtrictibus ſervent & faciant ſervari, publicent & faciant diebus ad hoc congruentibus publicari. Et prælatus ſuper hoc requiſitus obtemperare teneatur.*

Talia ſtatuerat haud multo pridem Concilium Avenionenſe primum can. 6. & ſecundum can. 7. Idque jus ab primævis Eccleſiæ ſæculis dimanaſſe conſtat ex œcumenicarum Synodorum Nicenæ primæ can. 5. & Sardicenſis can. 13. Vide in decreto c. ſervetur iſta 11. q. 2.

7. Can. XXXVI. *Item quod nullus dominus temporalis, judex, ſeu delegatus ejuſdem, cujuſcumque conditionis ſtatus aut dignitatis exiſtat, clericum aut perſonam Eccleſiaſticam aliquo modo coram ſe ſuper criminalibus aut perſonalibus citet vel citari faciat, ſeu quo quomodo diſtringat, exceptis cauſis feudalibus in caſibus à jure conceſſis. Quod ſi fecerit & in hoc perſtiterit, & infra octo dies ſe non correxerit, & quod incautè præſumpſerit non relaxaverit, ex tunc excommunicationis ſententiam incurrat. Similem pœnam excommunicationis partes ad quarum inſtantiam trahuntur incurrant ad judicium ſæcularem advocātes. Item quod de excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti ſententijs, ſcilicet an juſtè latæ fuerint vel injuſtè, vel de alijs cauſis ſpiritualibus, vel Eccleſiaſticis, ſeu ad forum Eccleſiaſticum de jure vel antiqua conſuetudine & obſervantia ſpectantib. ſe nullatenus intromittant, nec judices Eccleſiaſticos vel perſonas ſuper ijs recurrentes ad illos in hujuſmodi quomodolibet impediant vel perturbent, nec ſuper prædictis dent auxilium conſilium vel favorem. Aliàs prædictā excommunicationis ſententiā ſint ligati: & locus ubi contra ſtatutum hujuſmodi per ſupradictos judices bajulos Conſules & officiales & quemvis alium temporalem, aliquid factum fuerit, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. A qua quidem ſententia irretiti, eadem nullatenus abſolvantur, nec interdictum relaxetur hujuſmodi niſi ſatisfactio prius facta fuerit vel impenſa. Et locus ubi contra conſtitutionem præſentem aliquid fuerit per temporales officiales ordinatum, eo ipſo ſit Eccleſiaſtico ſuppoſitus interdicto, donec omnia cum effectu fuerint revocata.*

Eadem prorſus conſtituerat Avenionenſe Concilium anni 1326. can. 9. *Fruſtra vero conniteretur excommunicatus ſuſpenſus aut interdictus ſi per vim aut metum judicem Eccleſiaſticum adigere crederet ad pœnæ hujus relaxationem: enimvero ejuſmodi ſi fieret revocatio nulla foret, quinetiam novum aculeum, novum vinculum, novamque vim ad cenſuras adjungeret præcedentes.* Idque jam præoccuparat qui proximè antecedit Varnenſis can. 35. ita ſtatuens: *Quicumque judices Eccleſiaſticos ordinarios delegatos vel ſubdelegatos, abſolutionis vel relaxationis cujuſlibet excommunicationis ſuſpenſionis vel interdicti ſententiarum beneficium impendere vi vel metu compulerint, per locorum ordinarios excommunicati publicè nuntientur: & dictum abſolutionis vel relaxationis denuncietur publicè aliquatenus non tenere.* Similem vim adhibitam legimus ab Henrico Germanorum Rege erga Paſchalem Papam II. quem Romæ cum Cardinalibus in cuſtodia detinebat, ut quæ libuerat ab ipſo extorqueret, ſed inde gravior crevit emerſitque impij Principis reatus & condemnatio.

8. Can. XXXVII. *Hujuſmodi inſuper Concilij ſacra & perpetuo valitura conſtitutione ſancimus, quod nulli publicè excommunicati in Iudices, Conſules, Rectores, Bailivos, Poteſtates, Aſſeſſores vel Notarios, aut ad quævis Officia publica*

*blica aſſumantur quomodolibet, nec etiam admittantur. Et ſi de facto admiſſi fuerint, ſententiæ per tales vel eorum aliquem & quicumque proceſſus per eos vel eorum autoritate in judicio vel extra habiti & monimenta coram ipſis per ipſos facta ſint nulla ac irrita eo ipſo.*

Paria jam ante conſtituta fuerant à duobus Avenionenſibus Concilijs quorum primum fuit anni 1326. can. 16. poſteriuſque anni 1337. can. 20. Obſervatu dignus eſt Concilij Toletani primi canon 15. *Si quis laicus abſtinetur* ( id eſt excommunicatur ) *ad hunc vel ad domum ejus clericorum vel religioſorum nullus accedat. Similiter & clericus ſi abſtinetur à clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehenſus etiam ipſe abſtineatur. Sed & hoc pertineat ad eos clericos qui ejus ſint Epiſcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abſtinetur ſive laico ſive clerico.* Sententia & judicium judicis notorie excommunicati nulla eſt c.ad probandum de ſent.& re judic. & c.exceptionem in fine de exceptio.

Can. LXXIII. *Religioſi vero & Monachi quibus ne à quoquam interdici ſuſpendi vel excommunicari valeant à ſede Apoſtolica eſt indultum, ſi ad aliqua loca pia vel etiam prioratus ordinarijs ſubjectos deſtinati fuerint per ſuperiores ſuos, & regant ipſos vel ut proprij ipſorum locorũ miniſtri ſeu Monachi reſideãt in eiſdem, quandiu morantur in illis ratione eorumdem locorum ſeu prioratuum non ſolum in prædictis ſed etiam in aliis poſſint ſi deliquerint à ſuis ordinarijs puniri prout juſtitia ſuadebit.* Hoc idem ſanxit Concilium Marciacum anno 1326. can. 36.

Can. CXI. *Quia viris literatis Eccleſia in ſuis actibus noſcitur indigere, provide duximus ſtatuendum, quod de qualibet Metropolitanarum & Cathedralium Eccleſiarum provinciarum noſtrarum per Epiſcopum & capitulum duæ perſonæ docibiles ſeu doctrinæ capaces ad Theologiæ vel juris canonici ſtudium tranſmittentur. Et cum per tempus ſufficiens ad mittentium arbitrium ſtuduerint in altera de facultatibus antea dictis, ad propriam revertantur Eccleſiam: & duæ aliæ ad hujuſmodi ſtudium deſtinentur, non obſtante ipſarum Eccleſiarum vel alicujus earundem contraria conſuetudine, vel ſtatuto. Quod ſi mittere perſonas prædictas ceſſaverint per ſex menſes ex tunc ea vice, poteſtas eligendi & mittendi eaſdem ad ipſarum immediate ſuperiores præſules devoluatur.* Plura vide in decretalibus & Clementinis ſub titulis de Magiſtris.

9. Can. CXIX. *Quoniam Pontificalem decet ſolertiam rerum Eccleſiaſticarum ita curam gerere, & ſubditorum commoda veſtigare, ut Eccleſiaſtica libertas incorrupta perſiſtat & ſingulorum ſtatus jugiter ſervetur illæſus, idcirco nos callidis quorumdam machinationibus obviare volentes ſtatuimus, quod quicunque privilegia inſtrumenta & alia Eccleſiaſtica munimenta ad Eccleſiam & perſonam Eccleſiaſticam ſeu quemlibet alium pertinentia retinuerint, niſi infra quindecim dies à tempore ſcientiæ hoc revelaverint, illi vel illis ad quos prædicta inſtrumenta privilegia vel munimenta noverint pertinere, ſi indebite & ſcienter retinuerint, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtant, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, à qua non poſſint abſolui niſi ipſa prædicta inſtrumenta privilegia vel munimenta reſtituerint, & de damnis & intereſſe ſatisfecerint parti læſæ de præmiſſis. Præſens autem ſtatutum à Rectoribus ſeu Vicarijs noſtrarum Provinciarum præcipimus quater in anno diebus Dominicis dum Miſſæ ſolemnes celebrabuntur publicari. De pijs vero legatis aut demandatis reſtitutionibus intra dies octo illis denunciandis ad quos pertinent, ab ipſis qui hæc exceperunt notarijs ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.*

Vide ſuperius Avenionenſis primi Concilij anni 1326. can. 20. Notabilis eſt ad hoc Agathenſis canon 26. Hæc edicens: *Si quis de clericis documenta quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur aut ſupprimere aut negare, aut adverſarijs fortaſſe tradere, damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quidquid per abſentiam documentorum intereſſe damni Eccleſiæ illatum eſt, de proprijs facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam qui in damno Eccleſiæ impie ſolicitati à traditoribus aliquid acceperint ſuperiori ſententiâ teneantur.* Habetur c. ſi quis de clericis 12. q. 2.

## *CONCILIA LONDONENSIA adverſus hæreſim Ioannis Vuicleffi celebrata.*

1. SUB finem hujuſce decimi quarti ſæculi teterrima inſurrexit peſtis Joannes Vuicleffi hæreſis, quam ipſe cum aſſeclis totâ Angliâ diſſeminavit, cui ut paſtorali officio Guilielmus de Courtenay Cantuariæ Archiepiſcopus & Angliæ Primas occurreret, Concilium Londini coëgit Epiſcoporum & ſelectiorum doctorum regni anno Chr. 1382. quo primùm examinatæ damnatæque fuerint Vuicleffiſtarum qui & Lollardi vulgo dicebantur exitiales propoſitiones numero. XXIV. Sed gliſcente ulterius malo in majorem mox numerum excreverunt. Rex vero Angliæ Ricardus ejuſdem rogatu Concilij, ne hæretici inquiſitioni ſe ſubducentes latius venenata ſemina in animarum perniciem diſpergerent, & Cantuarienſi & alijs omnibus Regni Antiſtitibus ſuo edicto poteſtatem fecit, quoſcumque hæreſis ſuſpectos apprehendendi & in cuſtodias ne dilaberentur compingendi, quæſtioneſque de hæreſi inſtituendi

&

Digitized by Google

& convictos non modo pœnis canonicis plectendi ſed etiam regijs officialibus tradendi puniendos, quorum permulti deinde flammis ultricibus abſumpti ſunt.

2. Anno exinde 1396. Alterum eamdem in cauſam collectum eſt Londini Concilium à Thoma Arundelio Cantuarienſi Archiepiſcopo. Præcipua & horribiliora Vuicleffi ſeu Lollardorum hæreſis capita hæc ſunt.

3. I. Quod ſubſtantia panis materialis & vini maneat poſt conſecrationem in ſacramento altaris. Et ſicut Joannes fuit figurative Elias, & non perſonaliter, ſic panis figurative eſt Corpus Chriſti, & abſque omni ambiguitate eſt hæc figurativa locutio hoc eſt corpus meum: ſicut illa in verbis Chriſti Joannes ipſe eſt Elias.

II. Quod accidentia non maneant ſine ſubjecto poſt conſecrationem in eodem ſacramento.

III. Quod Chriſtus non ſit in Sacramento altaris identice, vere, & realiter in propria præſentia corporali.

IV. Quod ſi Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali non ordinat non conſecrat, non conficit, nec Baptizat.

V. Quod ſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua vel inutilis.

VI. Quod Deus debet obedire diabolo.

VII. Definientes parvulos fidelium ſine Baptimo Sacramentali decedentes non fore ſaluandos, in hoc ſunt præſumptuoſi.

VIII. Collatio Sacramenti confirmationis non eſt Epiſcopis reſervata.

IX. Quod ſi Papa ſit præſtigiator ac malus homo, ac per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſupra fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam niſi forte à Cæſare.

X. Quod Prælatus excommunicans clericum qui appellavit ad Regem & conſilium regni, eo ipſo traditor eſt Dei & Regis & regni.

XI. Quod nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Epiſcopus, nullus eſt Prælatus dum eſt in peccato mortali. Et quod populares poſſint ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

XII. Quod ſancti conſtituentes religiones privatas tam poſſeſſionatorum quam mendicantium, in ſic inſtituendo peccaverunt.

XIII. Quod religioſi viventes in religionibus privatis non ſint de religione Chriſtiana.

4. Iſta præcipuæ execrationis capita de pluribus ſelegi quæ recenſentur in duobus contra Lollardos Londonienſibus Concilijs; etiamſi vero Joannes Hus ſuas alias hæreſes propter quas in Concilio Conſtantienſi publice crematus fuit ex libris Vuicleffi hauſerit qui 4. libro ſui trialogi cap. 2. & ſequentibus uſque ad 10. prolixiſſime diſſerit nullatenus eſſe Chriſti corpus in Euchariſtia niſi ut in ſigno, hunc tamen errorem ſemper ſe profeſſus eſt execrari, nec aliud ſentire de hoc Sacramento quam quod Romana profitetur Eccleſia ut perſpicue oſtendit Joannes Cochlæus in hiſtoria Huſſitarum, major tamen Pragenſium ſeu Bohemorum pars toxico illa à Vuicleffo propinato dementata eſt.



Digitized by Google

# ECCLESIÆ DECIMI QVINTI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. INIIT ſæculum iſtud ad univerſalis Eccleſiæ clavum ſedente Bonifacio nono Urbani VI. Romæ ſucceſſore. Anno quippe Pontificatus Bonifacij noni undecimo, celebratum eſt Romæ Jubilæum, occurrente ſcilicet epochæ Chriſtianæ anno 1400. Quo tempore dirum Schiſma Eccleſiam infeſtabat, ſedebat enim Avenione ſuppoſititius Pontifex Robertus ex Comitibus Gebennenſibus, frater Petri tunc Comitis, creatus olim Presbyter Cardinalis tit. Sanctorum XII. Apoſtolorum. Factâ enim Romæ per vim & metum Pontificiâ electione, needum quod erat expectandum, liberioribus ſuffragijs confirmatâ, Urbanus intempeſtive comminatus eſt à ſe Cardinalium ordinem ſub diſtrictiori diſciplina quam quæ hactenus extiterat redactum iri, neque ſe ullatenus paſſurum præſentes illorum abuſus. Quibus verbis illorum animos à ſe prorſus alienavit. Cumque Regina Joanna ejuſque maritus Otho Brunſvicenſis novum Pontificem ſinceris officijs, armis, militibus, pecuniâ & ſupellectile demeruiſſent, improvidus Papa cœpit conſilia de abdicanda Joanna, & promovendo ad Neapolitanum regnum ejus patruele Carolo Dyrrachino, moliri. Quem tamen peſſimæ indolis Principem poſtquam regno admovit, expertus eſt Urbanus infenſiſſimum hoſtem. Anno enim 1384. ex affectu quo rebus Dyrrachini ſtudebat Neapolim adventaſſet, ut publicè in Baſilica primaria inter miſſarum ſolemnia Ludovicum Andegavenſem, qui pro Neapolitano regno ſibi vindicando Francicum exercitum in Italiam adverſus Carolum adduxerat, excommunicaret, Crucemque adverſus eum publicaret, Carolumque ſummum ſacrarum copiarum Vexilliferum præfectumque conſtitueret, tradito ſolemniter ipſi à ſe conſecrato vexillo, Carolus quidem Neapoli relicta copias in Ludovicum eduxit, Urbanus vero Luceriam ſeu Nuceriam unius diei itinere diſtantem Neapoli profectus eſt, Margarita vero Regina Caroli uxor acerbis edictis vetabat ne quid ſalis, carnis alteriuſve edulij & candelarum prærerquam in cellis & horreis regijs venderetur ſub gravibus pœnis quæ extemplò executioni mandabantur, quo fiebat ut familiares Pontificis Luceriæ commorantis neque pretio neque precibus poſſent vitæ neceſſaria obtinere. Verum etiam redux è caſtris Carolus captato conſilio fugiendi prælij, dum vires Andegavenſis morbis alijſque ærumnis omnino abſque ſuorum periculo fatiſcerent ac diſſiparentur, atque inter has moras Ludovicus diem obijſſet extremum. Carolus omni metu ſolutus cum ſui officij fuiſſet ſummum Pontificem Luceriæ degentem inviſere rectâ Neapolim revertit, indeque ad eum miſit oratores ſiſcitatum cur Neapoli diſceſſiſſet & rogatum ut reditum non differret, ſe namque res habere præcipui momenti de quibus Neapoli cum ipſo conferret. Hac irritatus arrogantiâ Pontifex reſpondit conſueviſſe reges ac principes Chriſtianos ad pedes Romani Pontificis reverenter accedere non autem illum ad ſe accerſere. Si vero ſe amicum habere vellet tot gravia vectigalia quibus regnum Romanæ Eccleſiæ fiduciarium opprimebat abrogaret. Quibus efferatus Carolus renunciari juſſit non ſolum non eſſe vectigalia remiſſurum ſed nova etiam propria autoritate additurum, regnum quippe ſuum eſſe jure ſanguinis, jure uxoris, & jure armorum. Idque reipſa præſtitit.

2. Interim detegitur ſex Cardinalium adverſus Urbanum conjuratio cujus incentor erat Cardinalis Reatinus, cujus conſilio Dyrrachinus in omnibus ac præ cæteris utebatur: quos omnes captos & dire tortos ad confeſſionem ſceleris adegit, atque in diverſos carceres incluſit inediâ & pædore mactandos. Ipſe vero Pontifex adhuc Luceriæ degens convocato ad concionem clero & populo ordinem omnem conjurationis longo ſermone retexit, cujus Architectus detectus erat Reatinus, conſcios tam immanis flagitij Regem Reginamque inſimulans quos ipſe ad eum dignitatis gradum evexerat. Ideoque tantis ingratos beneficijs ambos regno depoſuit & anathemati ſubjecit cum ſex conjuratis Cardinalibus & cum Reatino quos omnes dignitatibus exuit, prætereaque Robertum Antipapam cum ſuis Pſeudocardinalibus conſiliarijs & fautoribus,

bus, urbem Neapolitanam interdicto ſubjecit. Ac demum in horum omnium execrationem candelas extinxit & projecit. Carolus vero ardens vindictâ omnes quos Urbani favere deprehendebat carceribus, bonorum proſcriptionibus omnique calamitatum genere vexabat. Et quia ante quam ad excommunicationem proſiliret, Pontifex ipſum ſecundum juris formam citaverat de objectis criminibus coram ſe reſponſurum: Carolus ſicut dicebat ut citationi obtemperaret, collecto exercitu Luceriam in qua Papa verſabatur obſidione cinxit, expugnavit, diripuit, & incendit præter eminentiorem arcem in qua erat Pontifex gravi penuria preſſus quem ſperabat brevi in poteſtate habiturum, quem deponere aliumque ejus loco ſufficere conſtituerat. Sed inter has anguſtias opportune cum armata manu adventarunt duo egregij duces partis Andegavenſis Raimundus de Baucio, & Thomas Sanſeverinas ipſum invitis obſeſſoribus de Luceria eripuerunt deduxeruntque terreſtri ac difficili itinere, inter multa pericula Pontificem, una cum ſuis Cardinalibus tam liberis quam captivis, ad maritimam plagam quæ eſt inter Barletum & Tranum: ibique offenderunt decem Genuenſium triremes in Pontificis ſubſidium miſſas, à quibus ille cum ſuis exceptus Genuam uſque prætervectus eſt.

Fato functus eſt Rupertus Imperator anno 1410. exacto Imperij decennio eique ſubrogatus eſt ſeptemvirorum ſuffragijs Sigiſmundus Hungariæ Rex, Caroli quarti Imperatoris filius, Venceſlai Imperatoris ob ſegnitiem ſolio dejecti frater natu minor longe commodior Princeps, qui ad corporis & vultus præſtantiam virtutes animi adjungebat ampliſſimâ fortunâ dignas animi magnitudinem, prudentiam, juſtitiam, munificentiam, religionis ſtudium: Sola tamen deerat in bello felicitas. Quippe qui ab Ioannis Huſſij ſectatoribus Bohemiam hoſtiliter Duce Ioanne Ziſca audaciſſimo manuque & conſilio prompto ſæpius acie victus, caſtriſque exutus fuit, à quo intercepta pleraque oppida novaque urbs in præcelſis rupibus ſituque munitiſſimis Thaboris nomine condita prædarum & prædonum receptaculum, unde perduelles Huſſitæ Thaboritarum ſibi nomen indidere. Mirum vero eſt quantum in extinguendo ſchiſmate Sigiſmundus ſtudio religionis laboraverit. Cujus in ea re diligentiam mox indicabimus.

3. Exorta in Anglia Ioannis Vuicleffi lues Haud multo in Germaniam ſed præcipuè in Bohemiam propagata eſt per æmulationem Doctorum Univerſitatis quæ in civitate Pragæ Regiæ in Bohemia civitatis admodum florebat. Indignati namque Pragenſes Doctores ſe à Germanis quibuſdam Theologis eò confluentibus acumine in diſputando ſuperari, libros Vuicleffi ex Anglia compararunt ex quibus Germanis ignota hactenus argumenta eruerent. Quæ quidem æmulatio uſque adeo violentum excitavit incendium, faces infauſtas ſubijcientibus duobus præſertim Pragenſibus profeſſoribus Ioanne Hus & Hieronymo, ut brevi tota Bohemia & mox haud exigua Germaniæ pars flammis illis conflagrarint. Addebant vero iſtæ nationes ad errores Vuicleffi graves adverſus uſum Eccleſiæ querelas excluſionis populorum à calicis Euchariſtici participatione, quam aſſeverabant verbis Chriſti contradicere, præcipientis carnis manducationem ſimulque ſanguinis potum ut rem ſine qua nemo vitam æternam aſſequi poſſit, cum tamen caro Chriſti in Sacramento non ſit exſanguis & ſub ſpecie panis non minus ſanguis quam caro ipſa contineatur. His querimonijs quæ nondum auditæ in Anglia fuerant univerſa fere Germania jam perſonabat favente præſertim Venceſlai Regis ignaviâ, qui nihil de religione ſollicitus ſolis corporis voluptatibus & crapulæ indulgebat.

4. Quod attinet ad Eccleſiæ ſchiſma exciſo venenato ſurculo alter multo nocentior ejus eſt inſertus loco, ut deinceps metuendum eſſet ne per partium æmularum contumaciam peſtilens iſta conſciſſio in perpetuum per ſucceſſiones prorogaretur. Mortuo Pſeudopontifice Roberto Gebennenſi apud Avenionem Petrus de Luna in ejus ſufficitur locum ab aſſeclis Cardinalibus Aragoniâ oriundus, proſapiâ nobilis utriuſque juris peritiſſimus quem Niemus conteſtatur ſe noviſſe dum jus canonicum in univerſitate Monſpelienſi magna laude & diſcipulorum concurſu interpretaretur. Hunc Gregorius XI. qui Apoſtolicam ſedem Avenione Romam reduxerat per diverſos honorum gradus promotum in purpuratorum ordinem provexerat. Robertus vero Clemens VII. in ſchiſmate dictus umbratilem ſummi Pontificatus dignitatem contra fidem demiſſionis ſæpius à ſe datam annos tenuit ſexdecim ad uſque interitum qui ipſi per Apoplexiam Avenione obtigit an. 1394. Quod ut reſcivit Carolus Franciæ Rex ad reſidentes Avenione Cardinales ſcripſit, impensè rogans ne Clementi ſucceſſorem darent donec maturo conſilio actum eſſet cum Bonifacio Pontificium Romæ exercente, de ratione pacis in Eccleſia conſtabiliendæ. Similes literas

RRr conſcripſit

Digitized by Google

conſcripſit ad eoſdem univerſitas Pariſienſis, prætereaque Rex Aragoniæ. Sed Avenionenſes Cardinales rem præcipitarunt ne quam propoſuerant electio impediretur; decimoque à Clementis obitu die, virum immenſæ ambitionis profundæ diſſimulationis & pertinacis animi ſublegerunt Petrum de Luna Cardinalem Diaconum ſanctæ Mariæ in Coſmedim qui ſibi Benedicti XIII. nomen elegit.

5. Jam pridem Romæ mortuus fuerat Urbanus VI. anno Pontificatus 12. Chriſti vero 1389. Cujus finitis exequijs Romani Cardinales in Petrum Thomacellum Neapolit. conſenſerunt Presbyterum Cardinalem tit. S. Anaſtaſiæ qui ſuum Pontificatum ad annũ uſque decimumquintum prorogavit, cui extincto ſuffectus eſt Innocentius VII. Qui exacto in Pontificatu biennio & diebus viginti duobus locum ſucceſſori ſuo dedit Angelo Corario Veneto qui Gregorij XII. nomen aſſumpſit. Sub hujus Pontificatus anno tertio, Chriſtique an. 1409. Cardinales utriuſque obedientiæ pertæſi tam diuturni & exitialis ſchiſmatis, ſtimuliſq; adacti conſcientiæ quod ipſum præter datam cum juramento fidem foviſſent, ſeriò de illo extinguendo cogitarũt mutuiſque inter ſeſe cum Principibus multiſque Prælatis Eccleſiæ hoc præſtiterunt, ut Piſis Concilium generale indiceretur, in quo de abrogando utrique contendentium Pontificatu ageretur, novoque eligendo Pontifice qui univerſæ Eccleſiæ acceptus eſſet. Prius ergo ſollicitatis ſed fruſtra duobus contendentibus ut dignitate cederent, aut ſaltem Synodum univerſalem ſerio mutuoque conſenſu ſine tergiverſatione cogerent, cujus judicio ambo acquieſcerent ad ſchiſma dirimendũ. Piſis itaque utriuſque partis purpurati principes, & Antiſtites convenere. Præſedit Concilio Cardinalium antiquiſſimus Guido de Maleſico partis quidem Benedictinæ, ſed jam olim ex Epiſcopo Pictavienſi creatus ante ſchiſma à Gregorio XI. avunculo ſuo Cardinalis ſanctæ Crucis in Jeruſalem, & poſtmodum à Clemente cui adhæſit Præneſtinus Epiſcopus, ſemper tamen ex veteri conſuetudine dictus Cardinalis Pictavienſis vir doctrinâ prudentiâ omnique virtute conſpicuus. Recenſiti ſunt Cardinales qui ab utroque contendentium abceſſere numero viginti ſex: tres Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, Jeroſolymitanus: Archiepiſcopi cæteri & Epiſcopi centum octoginta: Abbates circiter trecenti: Doctores Theologi ducenti octoginta duo, licet initio ut fieri ſolet pauciores fuerint. Conſederunt pariter oratores Regum Franciæ, Angliæ, Jeruſalem, Cypri, Siciliæ, Poloniæ. Ab officialibus ſacræ Synodi judicio poſtulati accuſatique ſunt Gregorius & Benedictus, juridice ac peremptorie citati ad valvas & extra fores Baſilicæ in qua Concilium inibatur, examinatiſque teſtium contra contendentes depoſitionibus, demum patentibus Eccleſiæ valuis lecta è ſuggeſtu ſententia fuit contra utrumque contendentem Petrum de Luna & Angelum Corarium uti contra notorios & pertinaces ſchiſmaticos hæreticos, à fide devios, notorijſque enormibus criminibus perjurij & violationis voti irretitos, ob quæ ſeipſos indignos omni dignitate exhibuiſſe ac reipſa abjeciſſe, privaſſe, & ab Eccleſia præcidiſſe ſancta Synodus declaravit, ac nihilominus eoſdem privat abijcit ac præcidit. Eccleſiam Romanam vacare decrevit ad cautelam. Omnes Reges ac Principes cunctoſque fideles ab eorum obedientia abſoluit, prohibuitque ne quis alicui eorum auxilium vel favorem præſtaret ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ. Quodque ſi iidem depoſiti parere huic ſententiæ contemnerent, ipſos eorumque fautores etiam ſæculares poteſtates compeſcerent. Amborum omnia acta reſcidit irritaque declaravit. Promotiones vero Cardinalium ab iis factas videlicet per Angelum Corarium à die 3. Maij & per Petrum Lunenſem à die 15. Iunij anni præteriti 1408. eſſe nullas decrevit.

6. Demum ſeſſ. 19. poſt ſolemnem miſſam & vividam exhortationem ad purpuratos pro optimo eligendo Pontifice, ingreſſi ſunt conclave Cardinales qui unanimi conſenſione Petrum Philargi (alij vocant Philareti) natione Græcum patriâ Cretenſem elegerunt. Gallia & univerſitas Pariſienſis quæ hactenus pro Benedicto ſteterant, ea tamen lege ut quando ejus ſpontanea demiſſione ad conciliandam Eccleſiæ unitatem opus eſſet, dignitate illa ſeu vera ſeu umbratili cederet; perſpiciens nunc, quod etiam antea multis ejus colluſionibus & artibus quibus ſuam tegebat ambitionem, perſpectum habuerat, illum eſſe fœdifragum ejus patrocinio abſceſſit, ut Alexandro inhæreret. At Benedictus ſuam dolens imminutam auctoritatem Avenione relicta in Hiſpaniam unde præfectus fuerat conceſſerat, ibique ſe Aragoniæ Regum opibus tantiſper tuebatur. Nihil vero juſtius nihil Eccleſiæ conducibilius, nihil Deo acceptius, proprioque officio, & fidei, & juramentis iteratis convenientius agere poterant partium Cardinales, quam ut à contendentibus perjuris & præ obſtinata ambitione Eccleſiæ cauſam (quidquid doloſis verbis & exquiſitis impoſſibilibus conditionibus ementirentur) prodentibus,

prodentibus, abſcedentes, unicum illud remedium generalis Concilij quod ambo contendentes tantopere averſabantur proſequerentur. Etiamſi vero ejus ſaluberrimum effectum duo contendentes impedierint, viam tamen aperuit Concilio poſtea ſequuto Conſtantienſi, quo tandem res felicius peracta eſt, per conſenſum unius è tribus contendentibus, ejus videlicet qui Alexandro per Piſanum Concilium promoto ſucceſſerat: qualis conſenſus non fuerat à reliquis duobus vetuſtioribus cõtendentibus expectādus.

7. Ad Petri Philargi promotionem nihil fortuna ſed ſola virtus, aſpirante divina providentia omnia contulerat, ex parentibus infimæ ſortis in Creta natus, ab exordijs infantiæ ſtipem oſtiatim emendicando victitarat, hunc religioſus quidam ordinis Franciſcani in famulitium proprium ætate adhuc tenera aſcivit, qui ejus ingenium ſtupendamque memoriam & natam ad omnem virtutem indolem ſuſpiciens, grammaticâ primum, deinde Philoſophicis & Theologicis informavit diſciplinis, eoque peracto tirocinio futurum ordinis ſui ornamentum veſte religionis Franciſcanæ amiciri curavit, atque in Italiam abduxit, ubi poſt multa ſublimis ingenij edita ſpecimina cum ſuperiorum aſſenſu in primariam Anglici Regni univerſitatem tranſmigravit, ad excolendum ſub præſtantiſſimis profeſſoribus ingenium. Unde poſtmodum in florentiſſimam Pariſiorum Univerſitatem conceſſit in qua doctoris laureâ decoratus eſt. Inde Longobardiam iter intendit & Joanni Galeacio Mediolani Vicecomiti tantopere placuit ut in omnibus arduis negocijs ejus conſilijs acquieſceret, à quo etiam ad infulas Archiepiſcopatus Mediolanenſis provectus eſt, quem etiam mirifice ſuis demeruit obſequijs, quando ſuſcepta apud Venceſlaum Imperatorem legatione, Galeacio qui antea non niſi titulo Vicecomitis & Principis ſub Imperio fiduciarij honore gaudebat honorificentiſſimum ſua induſtriâ obtinuit diploma, quo ſuprema Galeacio poteſtas ejuſque ſucceſſoribus cum titulo Mediolanenſium Ducis aſſerta collataque fuit per omnem Inſubriam. Idem poſtmodum Innocentio Papæ VII. qui tertius ab Urbano ſexto Romanam rexit Eccleſiam uſque adeo placuit ut in purpuratorum ſacrum Collegium eumdem cum titulo Presbyteri ſanctorum Apoſtolorum aſciverit. Hujus demum in ſummum Pontificem creatione diremptum fuit Piſanum generale Concilium eodem quo convenerat anno 1409. menſis Julij die 27. Qui mox eodem in Concilio Ludovicum Andegavenſem abdicato Ladiſlao violento uſurpatore, Regem Siciliæ confirmavit ac Vexilliferum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſtituit. Prætereaque omnes beneficiorum proviſiones & conſecrationes atque ordinationes factas à contendentibus perſonis huic Synodo adhærentibus confirmavit, dũ tamen aliàs canonicè factæ eſſent.

8. Nec vero diu illa potitus eſt dignitate Alexan. V. in qua nec integrum peregit annũ, mortuus ſepultuſq; Bononiæ in Eccleſia fratrum minorũ liberalitate in pauperes munificus, dicere per jocũ ſolitus ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicũ Papã. Nullum novum creavit Cardinalẽ contentus quoſdam antiquorum titulos mutaſſe cũ ob ſchiſma contigiſſet duos plerumq; eſſe ejuſdem Eccleſiæ ſub diverſis obedientijs titulares. Poſt juſta ex more Alexand. defuncto perſoluta Card. ſeptendecim qui Bononiæ in Pontificis comitatu erãt in conclave ſe receperunt anno Chr. 1410. menſeque Majo in Pontific. elegerũt Balthaſ. Coſſã patria Neap. quem olim Bonifac. nonus Catalogo Cardin. aſcripſerat, hic ad Apoſtol. ſedẽ promotus nomen ſibi ſumpſit Joan. XXIII. Eodem pariter anno & menſe Majo Roman. Rex Rupertus fato fũctus eſt in oppido Bavar. Oppenheim: Cui ſeptẽviralibus Comitijs ſuffectus eſt Sigiſmundus. Eodẽ pariter an. 1410. menſeque Majo quaſi ex condicto è vita exiit Martin. Arag. Rex Barcin. ultimus Aragonũ Rex ex virili Barcin. Comitum proſapia quæ in ſexcenteſimum annum propagata in eo fuit. Ad cujus ſucceſſionem cum multi aſpirarẽt ejus qui ſucceſſurus erat judicium electis ternis viris ex tribus Regni præcipuis nationibus Arag. Catalon. & Valent. quaſi ex cõpromiſſo delatum eſt, horum unus erat ſignis & ſanctitate admirandus Vincent. Ferrerius Dominicanus è Valentia oriundus. Re tandem ad amuſſim expenſa Rex declaratus eſt Ferdin. natus Eleon. ſorore germana defuncti Mart. Regis, qui præter potioris affinitatis jura inſignibus virtutibus præfulgebat, captis Maurorum urbibus fuſiſque eorumdem exercitibus ſpecimenque moderationis & morũ integritatis ediderat, quando regnum Caſtellæ ſibi populorum conſenſione delatum ob imminentia ex Mauris pericula bellorum, quibus futura erat contemptui novi Regis tenella infantia, cujus patruus erat ipſe Ferdinandus. Hic vero recuſato Regis nomine id regnum pupillo fratris ſui defuncti filio confirmavit, ſuſcepta in ſe belli adverſus Mauros gerendi curâ qua feliciter eſt perfunctus. In Ferdinandi quoque gratiam ſe admodum propenſum exhibuit Petrus Lunenſis quem ſub Benedicti nomine Hiſpaniæ populi ut verum Pontificem venerabantur.

9. Quod vero ad Sigiſmundum ſpectat

Hungariæ Regem. Fuerat hic Caroli quarti Imperatoris filius, Venceſlai Bohemiæ Regis atque Imperatoris, ſed ſolio Imperiali ob ſegnitiem & crapulam à Principibus Germanis deturbati, frater natu minor qui ad corporis & vultus præſtantiam virtutes adjungebat ampliſſimâ fortunâ dignas animi magnitudinem, prudentiam, juſtitiam, munificentiam: Sola tamen ei deerat in bellis felicitas, quippe qui ab Joannis Huſſij ſectatoribus, qui per Venceſlai ſtoliditatem & incuriam licentiâ ſimul & potentiâ multum increverant, fuit ipſe poſt inertem fratrem, fuit per hæreticorum ducem Joannem Ziſcam audaciſſimum manuque & conſilio promptum & formidandum ſæpius acie victus, inſidijs interceptus, caſtriſque exutus. A quo capta direptaque fuere pleraque Bohemorum oppida, novaque urbs in præcelſis rupibus condita prædarum & prædonum receptaculum, quam fundator Ziſca Thaborem appellari voluit atque ab ea Huſſitas ac perduelles Thaboritas dici. De cætero mirum eſt quantū in comprimendo Schiſmate de Pontificatu contendentium Sigiſmundus ſtudio pietatis & religionis laboraverit, cui non ſatis fuit legatos circumquaque ad Principes & Reſpublicas miſiſſe ſed ipſe Galliam Hiſpaniam Angliam Germaniam & Italiam longis & moleſtis itineribus peragravit. Neque prius acquievit quam Ioannem XXIII. Pontificem qui anno 1410. defuncto Alexandro quem Piſanum Concilium creaverat, ſuffectus fuerat, ad indicendum generale apud Conſtantiam Concilium adduxerit. Quodque urgente Sigiſmundo auſpicatum eſt menſe Novembri an. Chr. 1414.

10. Eſt vero Conſtantia perampla civitas Imperij quam Rhenus interfluit, quamque Amoënus Conſtantiæ lacus dictus olim Acronius alluit. Hujus Concilij convocationem quia rogatus enixe à Ferdinando Rege Petrus de Luna non ſolum approbare noluit, verum etiam ut ſchiſmaticum damnavit anathemate, ne per ejus Synodi autoritatem ſua dignitas quam totius Eccleſiæ paci præferebat convelleretur, Ferdinandus tam enormem hominis arrogātiam exoſus ab illo diſceſſit ſuadente Vincentio Ferrerio, cujus tamen ſuaſione & defunctus Rex Martinus & ipſe Ferdinandus partes ejus tutati fuerant, quia iuſtiores crediderant, & quia pacis ſuæque ceſſionis ſtudium ſimulatoriis verbis præ ſe tulerat. At ex quo reipſa innotuit adeo excors eius ambitio, eius æmulo Ioanne Papa ſeipſum iure omni abdicante ad Concilij quod rogatus indixerat arbitrium, tum demum iure merito ab illis derelictus eſt qui ipſius patrocinium ſuſceperant. Lunenſis vero Benedictus nihil de ſua pervicacia remittens ſe peninſula munitiſſima Paniſcola circumſepſit, ſuiſq; convocatis ſe unum verum & legitimum Pontificem aſſeruit, & quoſcumque ſibi adverſantes ab æterna ſalute alienos eſſe: in primis vero Ferdinandum quem palam anathemate perculit cum ejus conſiliarijs & fautoribus univerſis, ipſum quoque regno privavit, prohibuitque quaſi Apoſtolica autoritate ne quis auderet à ſe diſcedere ſub anathematis ſtatim incurrendi & æternæ damnationis ſupplicio.

11. Antequam acceſſiſſet ad Conſtantienſe Concilium Papa Joannes, certum accepit nuncium de morte impij tyranni Ladiſlai infenſiſſimi hoſtis ſui, & Italiæ tyranni, quam armis & populationib. continuis infeſtabat. Obijt vero propudioſæ libidinis princeps igne ſacro quo ejus pudenda cum violentiſſima febre exarſerunt, ex immani luxuriæ intemperantia, anno vitæ ejus quadrageſimo, menſe Auguſto anni 1414. cui ſine liberis mortuo Joanna ſoror in regnum Neapolitanum ſucceſſit proprijs pariter libidinibus infamis. Hoc accepto nuncio quo univerſa Italia exultavit, Ioannes Papa Bononiâ digrediens, per Tridentinum agrum tranſmiſſis Alpibus Conſtantiam acceſſit, ibique ſolenni pompa & honoribus exceptus menſe Octobri. Die vero prima Novembris convocatis qui ad Concilium acceſſerant miſſam ſolemniter Ioannes Pontifex celebravit die Dominico in quem eo anno feſtum omnium ſanctorum incurrebat, lectoque diplomate de Concilij indictione factaque proceſſione, indicta eſt prima ſeſſio in diem ejuſdem menſis decimum ſextum, quo adveniente inchoata eſt prima ſeſſio præmiſſaque ſacroſanctâ miſsâ & ſolemnibus precibus Ioannes Pontifex ſermonem hortatorium ad Synodum habuit, deinde electi ſunt Concilij officiales & miniſtri, præſcriptæque leges in Concilio ſervandæ. Sigiſmundus adhuc aberat nec intereſſe potuit Concilio ante noctem Chriſti natalem. Ioannes Hus commeatum habens à Sigiſmundo ut ſe coram Concilio ab hæreſi purgaret, nullatenus vero diſſeminaret, ſed mandatis Concilij poſtquam auditus fuerat obtemperaret, Conſtantiam adventavit die 3. Novembris tantâ fiduciâ ut dogmata Vvicleffi in proprio hoſpitio quotidie diſſeminaret, nec admonitus deſiſtere voluerit. Qua ex cauſa ductus eſt ad Pontificem, & in cuſtodiam Pontificis Palatij miſſus cumque ſalvumconductum proferret, negavit Pontifex ſe ullum dediſſe: & ſi quem habebat

habebat aliunde, ejus privilegio excidiſſe, poſtquam admonitus de non diſſeminandis hæreſibus minimè obtemperarat. Commiſit quatuor Cardinales una cum Generalibus Ordinum Prædicatorum & Minorum ſexq; Archiepiſcopis & Epiſcopis viris doctiſſimis. Ipſe vero ſibi reformidans à ſuis aſſeclis adjutus clam dilapſus eſt & ruſticano vehiculo impoſitus ſtraminibus oppleto, ejus intercepta eſt fuga; ex eaque reductus in tutiorem cuſtodiam eſt conjectus.

12. Joannes Papa ſecundâ inſequentis Martij die poſt Miſſam à ſe ſolemniter celebratam, ſedens in cathedra converſus ad Concilium alta voce ſchedulam legit ſibi pridie in præſentia Sigiſmundi Romanorum Regis & quatuor congregatarum nationum ab Antiocheno Patriarcha natione Gallo præſidente Gallicæ nationis ex parte univerſalis Concilij oblatam & à ſe acceptatam quâ profeſſus eſt, vovit & juravit (quæ proferens genua flexit verſus altare dexteram manus ad pectus applicando) Deo Eccleſiæ & Concilio dare pacem per viam ſimplicis ſuæ ceſſionis Papatus, eamque reipſa adimplere, ſi & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus de Corario Gregorius XII. in ſuis obedientijs nuncupati, Papatui quem prætendebant per ſe vel per procuratores ſuos legitimos ſimpliciter cederent, atque etiam in quocumque eventu vel ceſſionis vel deceſſus. Eoque pronunciato ſurgens Rex de cathedra ſeu depoſitâ coronâ flexiſque genibus & pedem Pontificis oſculando gratias ei egit tam ſuo quam Concilij nomine. Idque pariter Antiochenus Patriarcha nomine Concilij præſtitit ac demum confectum fuit ea de re diploma. Addunt his aliqui Sigiſmundum & aliorum Regum & Principum oratores totumque Concilium Joanni promiſiſſe ſi duo alij non ſe humiliarent ad ceſſionem ſicut ab eo factum erat, adſtaturos ſe ipſi perpetuo adverſus illos, tam ſpiritualibus favoribus quam temporalibus auxilijs.

13. Interea Joannes re occultè communicata cum Friderico Auſtriæ Duce Concilio ſe furtim ſubripit & Schaffuſiam aufugit oppidum Friderico ſubjectum. Quæ res in Concilio audita Patrum animos admodum perturbavit, ſed eos conſternatos Sigiſmundus erexit omnes exhortatus ad propoſiti perſeverantiam neu quiſquam abſcederet quàm Eccleſiæ pax feliciter inchoata perficeretur, ſe verò pollicitus eſt inviolabili conſtantia ſacrum Concilium protectûrum. O laudabilem Principem quem Deus in his Eccleſiæ anguſtijs ſuſcitaverat, cujus ſi defuiſſet indefeſſus labor omnia procul dubio in irritum corruiſſent! Eodem tempore Joannes Gerſon vir eximiæ pietatis & doctrinæ multum quoque contulit ad animos erigendos. Erat ille in hac Synodo Chriſtianiſſimi Regis ſimul & Pariſienſis Univerſitatis Legatus; tunc enim aſcenſo ſuggeſtu luculentum ſermonem habuit qui extat inter ejus impreſſa opera, quo neceſſariam ceſſionis viam duodecim conſiderationibus pertractavit, & Concilij generalis auctoritatem aſſeruit ſupra Papam non utique abſolutè ſed caſualiter ut ipſe loquitur, ſcilicet in extremis Eccleſiæ neceſſitatibus qualis tunc occurrebat in dubio de vero Pontifice inter plures contendentes. Tum vero ad Synodum confirmandam & proſequendam articulos quoſdam Synodus ſuo decreto confirmavit. 1. Synodum fuiſſe & eſſe ritè ac juſtè apud Conſtantiam convocatam. 2. Per receſſum Joannis cæterorumque quorumcumque nullatenus eſſe diſſolutam, ſed in priſtina integritate & autoritate perdurare. 3. Nec prius eſſe diſſolvendam quam abolito ſchiſmate unio & pax univerſæ Eccleſiæ reddita reſtitutaque fuerit. Miſſi ſunt ad Joannem aliquot Cardinales alijque Prælati ut ejus mentem explorarent eidemque reditum ſuaderent atque enixè rogarent ex parte Concilij. Tunc compertum fuit Papam Joannem ideo receſſiſſe quia vim ſibi factum iri prævidebat à Concilio. Cum enim illud indixiſſet ut æmulis dejectis ſolus ipſe Summus ac legitimus Pontifex declararetur, Concilium tamen urgente Sigiſmundo iſtud machinari ut ſibi præſenti vis fieret ad abdicandum, cum tamen reliqui contendentes per abſentiam ab omni vi ſecuri eſſent. Compertum pariter fuit hanc eſſe conſpirationem adverſus ſacrum Concilium ejuſque promotorem Sigiſmundum initam inter Joannem Papam, Fridericum Auſtriacum, & Joannem Burgundiæ Ducem hominem profecto natum non ſolum in Regni Francici, ſed etiam in univerſæ Eccleſiæ perniciem. Poſtquam enim per ſicarios Ludovicum Aurelianenſem Regis fratrem in urbe Pariſienſi proditoriè trucidavit, repertus eſt infamis Doctor Parienſis Ioannes Parvus qui ut gratiam Burgundi demereretur volumen auſus eſt publicè edere, quo Burgundum tanti ſceleris autorem non modo omni culpa purgabat, ſed etiam laudibus efferebat, quaſi rem juſtiſſimam & Franciæ quieti conducibilem executus fuiſſet, horrendis calumnijs innocentem Principem trucidatum lacerans. Adverſus hunc librum Ioannes Gerſon Cancellarius Univerſitatis Pariſiẽſis alterum elucubratus fuerat in defenſionem Principis

Aurelianenſis, & execrationem ejus homicidæ. Cumque prævideret Burgundus fore ut annitente Legato ipſo Gerſone liber Ioannis Parvi examini & cenſuræ Concilij ſubjiceretur, Concilij judicium iſtud ejuſdem diſſolutione antevertere ſatagebat, Gerſonem vero tanto proſequebatur odio ut ſe perpetuo deinceps damnarit exilio, ne in manus caderet efferati contra ſe Burgundi, toti ferè Franciæ regno per vim & factionẽ tyrannicam dominantis. Legatis porro Concilij Joan. reſpõſum dedit ſe ut ſecurior eſſet in partes Auſtriacæ ditionis à Concilij loco remotiores tranſiturum: inde tamen ulterius progreſſurum in ditiones Ducis Burgundiæ à quo amiciſſimè invitabatur. Joannes & Sigiſmundus & Concilium ut Chriſtianos Principes ſuis partibus addicerent, ſinguli pro ſe litteras oppoſitas conſcripſere ut eos ſibi affererent aut vacillantes in fide continerent.

14. Sigiſmundo interim non ſatisfuit literis & legationibus cum Principibus agere, ſed armis præterea Fridericum Joannis receptatorem multis ejus ſubactis oppidis & deletis copijs tam ſtrenuè oppugnavit, ut illum adegerit ſub literis commeatus & ſecuritatis ad proficiſcendum Conſtantiam, ibique petendam ſuppliciter veniam ad Regis Sigiſmundi pedes, quam demum obtinuit pollicitus cum jurejurando Ioannem Papam reducere, dummodo utrique cautum eſſet de vita & bonis & libertate poſt adimpletas pacis conditiones. Interea dum omnia complerentur obſes Conſtantiæ remanſit, Ioannes vero Friburgi oppido Auſtriaco cuſtodiebatur ne fugâ elaberetur. Miſſos à Concilio qui ſe citarent læto in ſpeciem vultu excepit, ſpondens ſe in Concilij poteſtate eſſe atque pœnitere præcipitis conſilij quo ſe clanculum è Concilio ſubduxerat. Denique Concilium ſeſſ. 12. præſidente de more Cardinali Oſtienſi qui à priore quem habuerat Epiſcopatu vulgo Cardinalis Vivarienſis audiebat, præſente quoque in Auguſto habitu cum corona cæteriſque Imperialibus inſignibus Sigiſmundo, ſententiam depoſitionis definitivam tulit in Balthaſſarem Coſſam nuper dictum Ioannem XXIII. & in Angelum Corarium nuper dictum Gregorium XII. & in Petrum Lunenſem nuper dictum Benedictum XIII. ſtatuitque ne quiſquam ipſorum poſthac eligeretur aut acceptaretur in Summum Pontificem. Ea ſententia uno omnium Patrum conſenſu approbata cum fuiſſet, ad Ioannem qui ſub militari cuſtodia in oppido Cellæ diſtante Conſtantiâ duobus non amplius milliaribus detinebatur, relata, eamdem ipſe comprobavit depoſito Pontificali habitu, atque inſtrumento publico ratam habuit, adhibito juramento nunquam ſe quidquam in oppoſitum conſenſurum aut acturum. Sedit Ioannes annos quinque & dies quindecim ab electione uſque ad abdicationem à ſe approbatam. Vacavitque ſedes aduſque novam electionem biennio & quinque menſibus diebuſque decem.

15. Seſſione 14. Carolus de Malateſta Princeps Arimini civitatis in qua Greg. XII. reſidebat, procuratorio nomine renunciationem Pontificij fecit in manibus Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ Regis ad perficiendam Eccleſiæ pacem, non autem apud Concilium quod Gregorius minimè approbabat, præſentibus tamen Concilij Patribus tanquam teſtibus duntaxat non ut coram autoritatem hac in re ullam habentibus, ea de cauſa viſum eſt eo die nullum Concilio præſidere, Sigiſmundus vero in ſeparata ſede cum omni Auguſtali ornamento & apparatu illam Gregorij abdicationem excepit, Regioque inſtrumento communivit. Univerſumque Concilium hymnum conſuetum gratiarum apud Deum actionis ſolemniter concinuit. Decrevit autem poſt hæc Synodus fore eum ſemper Cardinalem Epiſcopum, & poſt Romanum Pontificem ordine & dignitate primum habendum, niſi fortè Petro de Luna abdicante, ſecus de utriuſque ordine decerneretur. Ipſe Gregorius apud ſuos omnia inſignia Pontificalia lubens depoſuit: ſuæque abdicationi biennio ſupervixit paulo ante Martini creationem vitâ excedens.

16. Dum Conſtantienſes Patres Concilium proſequuntur damnata eſt ab eis Vvicleffica na hæreſis cujus aſſertor convictus Ioannes Hus, & brachio ſeculari traditus rogo eſt addictus, & vivicomburio pœnas luit anno 1415. Iulij 6. anno inſequenti ejus ſodalis Hieronymus Pragenſis eamdem ob cauſam pari ſupplicio ignis conſumptus eſt. Hoc eodem Concilio propoſitio illa Vvicleffica na, cujus poſtulabatur à Gerſone reus Ioannes Parvus pridem defunctus, ob id jam antea à Pariſienſi Epiſcopo damnatus ſeſſ. 15. declarata eſt damnabilis, & proſcripta fuit ut erronea contra fidem & bonos mores, abſque tamen ulla mentione ſive Ioannis Parvi ſive Burgundiæ Ducis, qui apud Synodum expoſtularat, & Doctorem defunctum, & ſeipſum à Ioanne Gerſone calumnioſis criminationibus imperi, ea vero propoſitio damnata ſub hac verborum expreſſione fuit tyrannum poſſe & debere licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vaſſallum ſeu ſubditum, ſive

ſive aperta vi, ſive per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, non obſtante quocumque præſtito juramento ſeu confœderatione cum illo facta, nec expectatâ ſententiâ, aut mandato iudicij cujuſcumque.

17. Solus contendentium Pontificum ſupererat Petrus de Luna poſt Joannis & Gregorij abdicationem. Ad amoliendum id obſtaculum, Sigiſmundus lubens mandatum ſibi à Concilio ſuſcepit munus profectionis ad Nicænam Provinciæ urbem colloquio deſtinatam, ad quod Ferdinandus Rex Aragoniæ una cum Petro Lunenſi convenire hac ex cauſa debebant. Sed cum per ægritudinem quæ ei ſupervenerat Ferdinandus huic ſe profectioni accingere non valeret, minimè dubitavit Sigiſmundus Barcinonem proficiſci, ibique cum Ferdinando & Lunenſi de perficienda Eccleſiæ unione longos ſermones habuit, falsò proteſtante Lunenſi, nihil ſibi æquè in votis eſſe ac unquam fuiſſe atque illam deſideratiſſimam unionem, ſed pro ſe uſque adeo privilegia ſingularia, & immanem ambitionem fœtentia depoſcebat qualia numquam hactenus propoſita vel audita. Prætereaque alias numeroſas, & omni rationi oppoſitas imò impoſſibiles conditiones ad rem exequendam exigebat, ut nihil ab illo boni ſperandum eſſet qui rei facillimæ cui etiam duo jam æmuli exemplo ſuo præiverant tanta obſtinatione refragaretur. Quapropter illud omne colloquium diremptum eſt. Lunenſis vero qui non niſi literis commeatus præmunitus ad hunc congreſſum acceſſerat, Peniſcolam ſuam ad Valentiæ littus ſitam præſidio & commeatibus copioſè præmunitam cum ſuis juramento ſibi adactis ſe recepit. Tum Ferdinandus à pervicaciſſimo atque arrogantiæ intolerabilis homine ſe ſubtraxit, conſilio motus Sancti Vincentij Ferrerij, qui antea Benedicti partes quaſi iuſtitiâ cæteris prævalentes ut exiſtimabat tutatus fuerat, Regibuſque Aragonum auctor fuerat adhærendi Benedicto quandiu verbis eluſoriis jactabat, omnia Eccleſiæ paci ſe poſthabiturum, ſuoque jure inconteſtabili ceſſurum, dummodo cæteri contendentes qui omni jure (ut aiebat) deſtituti erant ſincerè vellent animi ſui propoſitum imitari propria abdicatione. Ferdinandus edicto ſubditis ſuis prohibuit omnem cum Benedicto quaſi Pontifice adhæſionem. At iſte numquam animo concidens ſuis familiaribus convocatis graviter proteſtatus eſt ſe unum eſſe in univerſa Eccleſia legitimum Pontificem, & conſtanter velle ac debere jura tueri dignitatis ſuæ, excommunicavit vero Regem, alioſque omnes quicunque à ſe abſceſſerant vel abſceſſuri erant. Quinetiam divina qua pollebat autoritate Ferdinandum regno aliaque omni ditione abdicavit, cunctiſque prohibuit ei quaſi regi ſubeſſe ac obtemperare, ſub pari quâ illum perculit anathematis pœna.

18. Anno Chr. 1417. Conſtantienſis Synodi ſeſſ. 32. cui de more præfuit Joannes Cardinalis Oſtienſis, interfuitque Sigiſmundus, lecta eſt definitiva ſententia poſt multiplices citationum libellos & contumacias, teſtiumque auditiones & alia ritè & juridicè acta, depoſitionis Benedicti ſeu Petri Lunenſis definitiva ſententia. Deinde ſeſſ. 35. editum eſt Synodale decretum perpetuum, ut quinquennio poſt abſolutum Conſtantienſe Concilium aliud celebretur generale eoque abſoluto, alterum poſt ſeptennium inіretur: ac deinceps ſingulis decenniis in locis à Pontificibus Romanis ultimo menſe cujuſlibet Concilij de Concilij tamen conſenſu deſignandis, ut ſic per quandam continuationem & ſeriem ſemper aut Concilium vigeat, aut ſit in proxima expectatione. Eumque terminum licere quidem Pontifici ſecundum emergentes difficultates conſentiente ipſo Concilio coarctare ſed non prorogare.

19. Seſſ. 40. Decretum eſt futurum Pontificem cum delegatis ſingularum nationum Italicæ, Gallicæ, Anglicæ, Germanicæ, & Hiſpanicæ antequam Synodus diſſolveretur debere reformare Eccleſiam in capite & in membris ſtatumque Romanæ Curiæ. Decretum pariter ut nihil obſtante Cardinalium Petri Lunenſis abſentiâ procedatur ad novi Papæ electionem, eaque forma pro hac ſola vice ſervetur, ut unà cum Cardinalibus ſex Prælati de ſingulis quinque nationibus in Synodo tunc exiſtentes ad futuram primam electionem admitterentur: & ut quicumque à duarum partium Cardinalibus ſimulque duabus aliis partibus nationum delegatarum foret electus, verus eſſet atque indubitatus Pontifex cui omnes nationes aſtringantur obedire.

20. Seſſ. 41. in qua pariter conſedit Sigiſmundus Auguſtus poſt ſolemne Sacrum aliaſque ſupplicationes, lectamque conſtitutionem Clementis Papæ VI. de modo & forma Conclavis, emiſſaque juramenta in ea præſcripta, nominati ſunt nationum electores Cardinalibus iſta vice duntaxat adjungendi, qui ſimul omnes præparatum in communibus civitatis Conſtãtienſis ædibus conclave ſunt ingreſſi. Atque iſti ſimul tertio poſt die qui fuit Novembris undecimus elegere in Summum Pontificem Odonem Columnenſem ex nobiliſſima apud Romam familia qui in honorem Sancti Martini cuius

ea

ea die feſtum occurrebat, Martinus dici voluit eius quidem nominis tertius, quintus tamen nuncupatus ob duorum Martinorum Pontificum confuſionem, fauſtiſq; omnium acclamationibus & ingenti lætitia per Sigiſmundum unà cum Synodo intra majorem Baſilicam collocatus eſt in ſolio. Cumque eſſet Diaconus Cardinalis tituli S. Georgij in Velabro ſeu ad velum aureum, fuit die Sabbati vigeſima ejus menſis Novembris à Joanne Epiſcopo Oſtienſi conſecratus Preſbyter, & ſequenti Dominica ordinatus Epiſcopus, tandemque tiara redimitus ſolemni ex more proceſſione per civitatem circumductus, regentibus hinc inde phalerati cui inſidebat equi frenum Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ Rege, & Friderico Marchione Brandeburgenſi, Electore Imperij Camerario. Feliciſſima illa fuit electio Pontificis nimirum humanitate, manſuetudine, juſtitiâ, morum intregritate, & prudentiâ inſigniter conſpicui. Simul ac innoteſcere cœpit ejus electio, cum lacrymis omnes præ inuſitato gaudio gratias Deo peregerunt, ſubitoque in Conclave accurrens Sigiſmundus, qui tot laboribus & ſollicitudinibus indefeſſis pacem Eccleſiæ tandem conciliaverat, omnibus Electoribus gratias egit qui tantum Pontificem & reipublicæ Chriſtianæ propemodum extinctæ neceſſarium delegiſſent. Atque illico ad electi pedes corruens ſumma veneratione & exultatione oſculatus eſt. Quem Pontifex amiciſſimè complexus eſt, impenſeque ejus merita laudans gratias egit quod ipſius operâ laboribus & induſtriâ pax tandem Eccleſiæ diutiſſimè expedita præfulgeret. Quod quidem feliciſſimè contigit à ſchiſmatis exordio per Clementis adverſus Urbanum VI. creationem expleto anno trigeſimo nono, inchoatoque per duos ferè menſes quadrageſimo. Quanquam nondum planè dici poſſit extinctum quandiu ſubſtitit Petrus de Luna ejuſq; ſucceſſor Clemens dictus VIII. quibus aliqua adhæſit obedientia quæ ipſi Martino legitimè electo negotium faceſſivit, dum Alphonſus qui Patri Ferdinando in regnum Aragoniæ ſucceſſerat, moleſtiâ ſchiſmatis quod fovebat Martinum compellere intendit ut à Renato Andegavenſi regnum auferat Neapolitanum, & ſibi illud quà armis quà dolis ambienti ad hanc redimendam ſchiſmatis moleſtiam conferat. Sed anno tandem 1429. poſt innumeras tergiverſationes negociatione Apoſtolici Legati Cardinalis Fuxenſis, & aſſiduis exhortationibus Joannis Regis Navarræ, qui erat Alfonſi frater Alfonſus ipſe palam ſchiſma abdicavit, ejuſque monitu Clemens Antipapa indebitæ dignitati renuncians ſe Martino ſubjecit. Eoque tempore deſijt à creatione primi Antipapæ Clementis Roberti Gebennenſis prolixiſſimum annorum quinquaginta ſchiſma. Concilium vero Conſtantienſe annos ferè tres & ſex menſes duravit. Cœptum quippe an. 1414. die 5. Novembris, terminatum eſt an. 1418. die Aprilis 22. Et triumviratum reſcidit non minus Romanæ Eccleſiæ exitialem quam fuerat Romanæ reipublicæ famoſus ille triumviratus Antonij, Lepidi, & Octaviani.

21. Martinus ante Concilij diſſolutionem juxta Decretum ſeſſione 39. factum proximè futuri Concilij locum civitatem Papienſem deſignavit ad quam cunctis tempore indicto eſſet conveniendum. Rogatus de Concilij decretis confirmandis reſpondit ore proprio poſteaque per Concilij advocatum iterari juſſit ſe omnia & ſingula Concilij in materia fidei conciliariter decreta tenere & inviolabiliter obſervare velle, & non aliter nec alio modo. Quam in rem obſerva noluiſſe Martinum approbare Decretum ſeſſionis 4. Conſtantienſis Concilium iſtud poteſtatem habere ſupra Pontificem cui ipſe obedire teneatur, & cogi per pœnas ad hoc poſſit. Quam doctrinam Petrus de Albiaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis ejuſque diſcipulus Joannes Gerſon viva voce in hac Synodo, & extra Synodum ſcriptis propugnarunt. Sed ſi prout oportet intelligantur unà cum illa quarta Concilij hujus ſeſſione definitio illa non eſt abſolutè ſumenda, ſed ſecundùm præſentem materiam ac ſubjectum. Præterquam quod enim nondum erat generalis Synodus cum ſeſſio illa quarta vertebatur, cum liquidò conſtet ex tribus Eccleſiæ obedientiis ſolam tunc interfuiſſe Joannis XXIII. obedientiam reliquis duabus Concilio adverſantibus. Mens præterea Concilij ex ipſiuſmet verbis concipienda eſt ſecundum præſentem ſtatum. *Generale hoc ipſum Concilium legitimè in Spiritu ſancto congregatum pro extirpatione præſentis Schiſmatis poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel dignitatis etiamſi Papalis exiſteret obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, &c.* In his namque circunſtantiis verum eſt Conſtantienſe decretum, ut ſapienter diſputat eruditiſſimus Cardinalis Joannes de Turrecremata in ſua ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 99. Conſentiunt enim unanimes tum Theologi tum Canoniſtæ duobus eventibus Papam autoritati ſubeſſe Concilij eique morem gerere debere, atque ut ita dicam faſces ſubmittere. Primùm quidem ſi ſit manifeſtus & pertinax

tinax hæreticus, tunc enim deſinit eſſe Papa cum ſit extra Eccleſiam, ideoque ceſſat eſſe caput ac aliud quodvis membrum myſtici corporis. Idcirco præclarè atteſtatur Sanctus Epiſcopus & martyr Bonifacius: *Hujus* (ſcilicet Papæ) *culpas iſthic redarguere præſumit mortalium nullus quia cunctos ipſe judicaturus à nemine eſt judicandus, niſi deprehendatur à fide devius.* Refertur cap. ſi Papa diſtinct. 40. Secundo quando ita creati ſunt plures Pontifices Romani ut diſcerni non poſſit uter eorum ſit verus aut illegitimus, præferendus aut rejiciendus ut contigit in hac trium Pontificum diſceptatione: Tunc enim maximè intereſt Eccleſiæ regimini, & animarum ſaluti certum habere Pontificem, & Schiſma perniciosiſſimum diſſipare. Quæ cauſa fuit legitima Conciliorum Piſani & Conſtantienſis. His duobus ſecluſis caſibus Papa non ſubeſt auctoritati coactivæ ullius Concilij. Statuitur enim vetuſtioribus Concilijs Sinueſſano & Romano ſub Symmacho quod *Prima ſedes à nemine judicatur.* Quinimò nullum generale Concilium convocari regulariter niſi Summi Pontificis autoritate poteſt, ut aſſerit Marcellus Papa & Martyr in epiſtol. 1. ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ. Et Iulius Papa I. epiſt. ad Orientales, quam refert Athanaſius Apologet. 2. illos graviter reprehendit, quia abſque conſenſu ſuo Synodum Antiochiæ celebraſſent. In Concilio pariter Calchedonenſi actione 1. Dioſcorus Alexandrinus jubetur inter Epiſcopos non ſedere hac ratione: *Quia ſine autoritate Apoſtolicæ ſedis Synodum facere auſus eſſet. Quod nunquam licuit, nec unquam factum eſt.* Et Paſchalis reſcribens Panormitano Archiepiſcopo: *Aiunt* (inquit) *in Concilijs non reperiri ſtatutum: Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint. Cum omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem, & facta ſint & robur acceperint: & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas.* Habetur c. ſignificaſti de electio.

22. Hoc ſæculo Franciæ Regnum tot tantiſque calamitatibus, tum per civilia tum per externa ab Anglis bella Rege potiſſimum Carolo V I. facto per dementiam regnandi impote, ut niſi Deus auxiliarem manum imminenti hujus Regni ruinæ ſuppoſuiſſet in extremas clades, & Anglicam ſervitutem corruiſſet. Tot malorum fons & origo altius arceſſenda eſt. Grave bellum pro minoris Britanniæ ſeu Armoricæ dominatione inter Bleſenſem Carolum & Joannem Montifortium utroque ſibi ejus Provinciæ Ducatum aſſerente, cui finem Bleſenſis mors in prælio cæſi attulit. Egregius belli Dux Olivarius Cliſſonius ipſe Patria Armoricus Bleſenſis partes in eo bello foverat inita etiam cum illo affinitate, quocirca Montifortio admodum inviſus, ac exoſus erat, cumque eſſet Cliſſonius Franciæ Comeſtabilis ei omnis Anglici belli à Carolo V I. ſuſcepti præfectura incumbebat, Montifortius autem in favorem Angliæ Regis propendebat. His excitatus cauſis Montifortius dolo interceptum Cliſſonium in carcere concluſit. Quo accepto nuncio Carolus Rex haud immerito grandi iracundia exarſit, adeo ut cibo potu ſomnoque abſtinens nihil aliud quam belli apparatum, & in Armoricum vindictam animo verſaret. Collectis igitur derepente copijs ſub ardentibus diei caloribus proficiſcens capite jam inediâ, & inſomnijs debilitato ſupervenientibus Solis æſtibus omnino amens dum apud Cœnomanos tranſit evaſerit, indeque Pariſios reductus ſit. Tres habuerat patruos Rex Carolus Ludovicum Andegavenſem quem Joanna Neapolitana Regina bello à Dyrrachino Carolo oppreſſa, & mox ab eodem ſtrangulata adoptaverat, vocaveratque in regni ſucceſſionem. Hic vero in Italicam expeditionem exhauſto ærario regni Francici profectus, interijt in Italia bellum gerens cum Carolo Dyrrachino anno 1384. Quo defuncto reliqui erant duo Regis Franciæ patrui Joannes Biturigum & Philippus Burgundiæ Duces, qui ſibi regni adminiſtrationem ſumpſere ſecluſo Regis ipſius fratre Ludovico Aurelianenſium Duce: quæ res odiorum bellique civilis fomitem ſubminiſtravit inter hunc & illos, præſertim poſtquam mortuo Philippo Burgundo, qui placidior erat, ſucceſſit ei filius Joannes ferox ingenio, & turbarum publicarum incendiarius.

23. Immortales interim inimicitiæ Joannem Burgundiæ & Ludovicum Aureliæ Duces invadunt: fruſtra Biturige annitente ut inter conſanguineos Principes diſſimillimæ naturæ extinguerentur diſcordiæ. Nec odij finem fecit Burgundus donec æmulum per ſummum nefas in media Pariſiorum civitate ſicariorum manu jugularit. Quo perpetrato patricidio in Flandriam quæ ad ſe jure materno pertinebat protinus aufugit, crimen ſuum armis defenſurus. Vocatus ad cauſam multo equitatu fretus & longa militum turba ſtipatus adfuit. Armato ne quid deterius contingeret data eſt venia, fruſtra expoſtulantibus Valentina vidua & Aureliani liberis. Hinc civile bellum ob dua-

rum familiarum controverſias enatum, quo Francia nondum obfirmata de tot morbis valetudine, ultimo penè exitio confecta eſt. Immanes pecuniarum exactiones, peſtilentia, nec non fames, ac ne ullum malorum genus deeſſet atrociſſimæ ſeditiones à viliſſimis hominibus Burgundi fictione ſunt excitatæ, ferrum acuentibus in Aurelianos lanijs, atque adeo Duce ipſorum Cabochæo eviſceratore. Anno milleſimo quadringenteſimo decimo octavo, factio Burgundica ut commemorant Juvenalis Urſinus, Monſtreletus, alijque hiſtorici cum nihil tale ab illa expectaretur horrendas Lutetiæ Pariſiorum patravit ex compoſita cædes in partis regiæ defenſores, unoque die Comitem Armaniacum Regni Comeſtabilem, Henricum Marlium Regni Cancellarium, Epiſcopos Conſtantienſem, Silvanectenſem, Ebroicenſem, & Baiocenſem, alioſque proceres Abbateſque & plurimos nobiles, Conſiliarios etiam Parlamenti, alioſque Miniſtros Regios paſſim trucidavit tam ſæculares quam Eccleſiaſticos, quicumque ſuſpecti eſſe poterant adverſari Burgundo, aut divitijs pollere ut eas raperent interfecit: tanta etiam rabie ut multi de feneſtris vivi præcipitati ab ijs qui inferiori loco haſtis & gladijs exertis excepti fuerint. Denique ad multa millia occiſi viri mulieres pueri: omniumque cadavera plauſtris & curris extra Urbem delata expoſitaque feris & vulturibus, vel in profluentem injecta quibus piſces ſaginarentur. Delphinus autem qui præcipuè ad necem quærebatur vix è lecto nudus eductus eſt à quodam forti & nobili Zanneguio de Caſtello natione Britone, & primo in arcem Sancti Antonij, inde Melodunum abductus. Inter hæc Rex miſerabilis equo impoſitus per urbem circumductus. Dux vero Burgundiæ qui cum Regina Eliſabetha Bavara tunc apud Trecas verſabatur iſta audita tempeſtate Pariſios accurrit, & à Pariſienſibus ingenti pompa receptus eſt. Et mox nova excitata in reliquias Armaniacorum (ita regios vocabant) ſeditione, per Capelucham innumera ſcelera, ſævitiæ & ſacrilegia perpetrata ſunt.

24. Tandem divina ultio Burgundum tot flagitiorum autorem proſequuta eſt. Cum enim per colloquij ſpeciem Carolus Delphinus & Burgundus ad Montoriolum quà Icauna fluvius Sequanæ immiſcetur conveniſſent, ad medium Pontis in quo conſtructum ad id fuerat ligneum tabernaculum, Burgundus ſuos videns Comites clauſtris cancellatis excluſos, certus inſidiarum manum ad enſis ſui capulum admovit: tum Tanneguius de Caſtello exclamans ſiccine in Dominum meum mortem machinaris? ſecurim in ejus caput impegit iteratiſque vulneribus interemit. Atque ita Burgundus mortem Aurelianenſi ſuo juſſu perfidiosè illatam pari talione luit. Incertum eſt utrum inſidijs iſtis conſenſerit Delphinus, an ſola machinatione occiſoris olim Aurelianenſi conjunctiſſimi & Burgundo infenſiſſimi, cædes illa patrata fuerit. Nihil tamen per eam tranquillitatis regno acceſſit pluſquam novercali in filium odio efferata Regina, quæ ſe Regemque delirum Burgundo penitus tradiderat, ejuſque omnibus quantumvis perverſis regnoque exitialibus fortiter ſolita erat adhærere. Qui vero Joanni patri ſucceſſit Philippus Burgundiæ Dux eo nomine ſecundus, & Flandriæ Comes in propriam patriam cum Bavara Regina conjurans, Anglos in ultionem paternæ necis in Franciam excivit ad prædam, atque (tanta eſt humanorum affectuum cœcitas) in proprium ſui ſuæque prolis detrimentum, quæ cum eſſet Regio Franciæ ſanguine orta, poterat in regnum ſuccedere quæ ſpes radicitus exſcindebatur, ſi aliquando Francicum regnum fuiſſet ad Anglos alieni ſanguinis devolutum. Anglorum copiæ in expugnationem Franciæ ab Henrico quinto Angliæ Rege in Galliam trajectæ diviſis noſtris graviſſimum Franciæ vulnus inflixere. Nam Ariſloro (Hanfleur) primum expugnato ad Azincurtum commiſſo prælio decem Francorum millia cum potiore nobilitate occubuere. Totidemque fermè capta ſunt. Duces interempti Alenconius, Ambarus, Brabantinus, Nivernenſis & Albretus Comeſtabilis. Capti Aurelianenſis & Borbonius Duces, alijque complures è primaria nobilitate, Bouſſicaltius Franciæ Mareſcallus dum captus ab Anglis abducitur ex vulneribus in acie acceptis moritur.

25. Exinde Rex Anglus Henricus quintus hac inſigni parta victoria in Normanniam arma convertit, longaque obſidione per inediam Rotomago expugnato, alijſque urbibus quà vi quà proditione ſubactis, univerſam Provinciam quam olim Philippus Auguſtus Anglis ereptam Franciæ redintegraverat occupavit. Nuptias cum Catharina Regis Franciæ filiâ cum dotali Franciæ regno contraxit excluſo tanquam indigniſſimo Carolo Delphino, cujus omne jus in ejus ſororem, & in Angliæ regnum traductum eſt Henricus autem

Digitized by Google

tem, quandiu viveret Rex Carolus VI. Regni Franciæ Rector eſt conſtitutus Officialium Franciæ decreto quos prioribus à Burgundo Ioanne trucidatis, Henricus Anglus & Bavara Eliſabetha cum Rege deliro ſuique impote promoverant. His ita conſtitutis Henricus in Angliam revertit, & quaſi orbis terrarum victor ab Anglis magnificentiſſimè excipitur. Clarentium Ducem fratrem Pariſiis reliquerat cum titulo Gubernatoris Regni & Urbis. Delphinus in his rerum anguſtiis contendebat ut ſe propugnaret. Paucæ in eius obſequio Provinciæ permanſerant Andegavi, Turones, Pictones, Arverni, Bituriges & Occitani ad eas Provincias in fide continendas, ſumendaque ex eis ſubſidia profectionem feliciter obiit in Occitaniam. Scoti quoque magno numero exercitum ad Delphinum tranſmiſerunt Duce Ioanne Stuarto Comeſtabile Regni Scotiæ, aliiſque è primori nobilitate comitantibus. Dux Clarentiæ ut audivit Delphinum copiis ſuccinctum Baugæi non procul Andegavo agere imparibus ſibi viribus ad illum profligandum accurrit. Atrox conſeritur prælium quo Angli magno cæſi numero fugatique ſunt, ipſe Clarentius in acie fortiter dimicans occubuit. Scotorum in eo certamine præcipua laus fuit Comiti Bonkentio Scoto cui datus fuit à Delphino enſis Comeſtabilis Franciæ. Ea clades Henricum ab Anglia properanter excivit qui ſecum in Galliam adduxit ad copiarum quas habebat in Gallia ſupplementum ſex equitum millia, & peditum millia viginti quatuor. Cum his Vindocinum oppugnat ſed crebris propugnantium eruptionibus repulſus poſt amiſſa ſuorum quatuor millia receſſit inglorius. Neque vero diu ſupervixit. Ingraveſcente morbo ad Vicennarum nemus delatus eſt. Paulo ante ex novo matrimonio infans ei natus eſt Henricus, qui mortuo parente dictus eſt ſextus, duos ſibi ſuperſtites fratres reliquit Betfortium & Gloceſtrium Duces, rogans ut filio ſuo patrum loco eſſent. Betfortio regni Franciæ, Gloceſtrio Angliæ adminiſtrationem partitus eſt. Eius mortem brevi ſubſequuta eſt Caroli mors Franciæ Regis anno 1422. Atque ita factum eſt ut tantopere agitatus Delphinus defuncto patre in jura regiæ ſucceſſionis, & naturæ lege & gentium inſtitutis & Franciæ inconcuſſo jure vocatus ſit, dictuſque Rex Carolus VII. Quia vero innumeris potentiſſimorum adverſariorum & populorum ſeductorum, undique premebatur obſtaculis, quæ perrumpere nulla poterat humanâ induſtriâ, neceſſe fuit, ut eum divina Providentia erigeret mirifico & inuſitato modo.

26. Joanna Darcia ruſticana & ſimplicis animi puella, cuius parentes agriculturâ vitam inopem ſuſtentabant, ipſa vero ab infantia paſcendo ovium gregi juſſu parentum intenta, rure agens crebris ad Deum & Deiparam Virginem precibus aſſueta, ſuſcitata fuit à Deo qui ad magnificandam ſuam potentiam humanamque ſuperbiam deprimendam infirmioribus aliquoties utitur inſtrumentis, ut potentiſſimorum Principum, & perduellium populorum factiones vireſque infringeret, & collapſum abſque ulla ſpe regnum erigeret, viſo pluſquam ſemel cœleſti nuncio Michaële Archangelo regni protectore, jubetur ad Franciæ Regem proficiſci, arma induere, liberare ab Anglica obſidione Aureliam Regemque Remos ad inaugurationem perducere. His mandatis ſæpius repetitis tantum apud parentes contendit ut eam ad Robertum Baudricurtium, qui pro Rege Vallicolorum (Vaucouleur) proximum oppidum præfectus obtinebat. Is puellam primò dericulo habitam, mox conſtantem in iis quæ viſa affirmabat, quinetiam ante vaticinantem Francorum cladem quam paulo poſt in Halecum prælio Franci ab Anglis acceperunt, tandem tribus ipſius fratribus comitatam ad Regem mittit Chinone tunc in Turonibus verſantem, qui lectis Baudricurtij literis puellam admittit quæ ad annos octodecim acceſſerat. Rex aſſumpta veſte quæ Regem occultaret ſeque promiſcuè inter proceres immiſcens, protinus à puella quæ nunquam illum perſpexerat agnoſcitur & ſalutatur, eique illa modeſtè, ſed cum fiducia divinum mandatum exponit; ejuſque interrogatis diverſis admirabili prudentia ſatisfacit. Rex ne temerè fidem rei uſque adeo inuſitatæ adhiberet, jubet puellæ animum explorari primum ab optimatibus deinde à peritiſſimis ad hoc accerſitis viris, poſtremo à Regina probatâ Virginis caſtimoniâ. Ipſe demum Rex in ſpem divinæ opis adductus jubet illam armis cæteriſque rebus ad bellum inſtrui. At illa poſtulat ſibi enſem inquiri nunquam à ſe oculis perluſtratum, locumque deſignat ædiculam Sanctæ Catharinæ de Fera ſylva (de Fierbois) in iiſdem Turonibus, qui repertus eſt de tholo appenſus rubigine obſitus, ſed ad miraculi incrementum repente deterſa rubigine inter manus tractantium reſplenduit, viſæque ſunt in lamina quinque cruces inſculptæ cum liliis. Vexillum præterea candidum armis adjunxit cui

erat ex una parte Chriſti è cruce pendentis, & ex altera Mariæ Virginis ab Angelo ſalutatæ appicta effigies. Aureliam civitatem ampliſſimam ad Ligeris fluenta ſitam, tam arcta obſidione cinxerant præſtantiſſimi & animis conjunctiſſimi Anglorum Duces Sariſberienſis Comes cum Suffolcienſi, & Talbotio foſſiſque & caſtrenſibus propugnaculis ita undique circumvallarant ut urbis liberationem nemo eſſet qui non deſperaret. Joanna tamen magna fiducia exiguã ducens militum manum, ſecum habens Culanum Admiralium, Brienſium Mareſcallum & Dunenſem Comitem, cunctos ad pœnitentiam & confeſſionem peccatorum adhortata, expulſiſque omnibus pellicibus publicis indictis ſupplicationibus, cum ducentis militibus viam ſibi per hoſtes aperit, & ad obſeſſam urbem accedit civeſque penè conſternatos erigit pollicens præſto affore largiſſimum commeatum, moxque per eoſdem hoſtes regreſſa Bleſiam pergit, unde ſeptem millibus hominum eductis navibuſque impoſito copioſo commeatu Aureliam repetit, & poſt acerrimum certamen occupatis quibuſdam hoſtium propugnaculis in urbem immittit eiuſque oppugnationem ſolvit, eductis enim ex urbe militibus in obſidentium caſtra tanto irrumpit impetu, ut edita illorum horrenda ſtrage reliquos in fugam egerit. Præcipuum hoſtium munimentum erat in faucibus pontis, dum Joanna iſtud tantis viribus adoritur, ſagitta sauciatur inter collum & humerum, quo viſo Franci animis concidunt Comeſq; Dunenſis receptui canere iubet. At illa ne obligato quidem vulnere prælium inſtaurat nec deſinit inter primos ordines fortiter dimicare donec munimentum & cum eo pontem Ligeri ſuperſtructum in ſuam redegit poteſtatem. Tunc vero Ioanna vulneris quod altè penetrabat curam habuit, vt eſſet ad alterum quod ſupererat belli officium expeditior.

27. Antequam Remos iretur neceſſe erat oppida quæ hoſtibus prope Aureliam adhuc ſupererant ſubigere, ne quid reſtaret impedimenti ad Remenſem quæ parabatur expeditionem, Jargæum igitur Joanna aggreditur, & quadringentis Anglis necatis captoque Suffolcio Comite oppidum expugnat, poſt hæc adoritur Baugenciacum ubi plus ærumnarum impenſum eſt, ſed tandem puella & oppido & arce potita eſt. Angli qui ad ſuppetias Baugenciaci advenerant audita ejus expugnatione ſe Patæum Belſiæ oppidulum receperant ne victori Francorum exercitui occurrerent ſeque mœnibus oppidi tuerentur. At puella opportuna celeritate illos eſt inſequuta priuſquam ſpatium ſe muniendi vllum haberent. Irrumpens igitur imparatos & inordinatos hoſtes ſubjugavit, & poſt mille & octingentos cæſos mille & ducentos captiuos Anglos abduxit. Ad latus puellæ præliabantur Comeſtabilis, Alenſonius, Dunenſis, Hira Santralius viri proceres fortitudine inclyti. Mox Remos inſtituitur iter. Trecis tamen illud impedire conantibus eo quod exiſtimarent vti res erat nulla eſſe in exercitu tormenta, ſed virgo civibus imponens moles ad collocanda tormenta erigi jubet. Qua fraude, concepta urbis fulminandæ ac diruendæ formidine, Regem exceperunt. Continuò Catalaunum venienti patuit. Ipſique Remenſes qui Regi portas occluſerant mutatis in meliora conſiliis honorificè Regem excipiunt ſuſpicientes, quæ in ejus gratiam Deus in dies edebat miracula, ingentique eorum lætitiâ perfecta eſt apud eos regia inauguratio. Hactenus divinum mandâtum puella adimplevit, fortaſſe autem tranſilivit dum Martis aleam eſt ulterius proſequuta. Philippus Burgundus urbem Compendium quæ recens Regi Carolo ſe ſubmiſerat obſidebat. Puella ſexcentis adductis militibus urbem eſt ingreſſa ut obſeſſam propugnaret, prorupitque cum ſuis in hoſtium caſtra, ſed fortiter repulſa, cum ſuos Compendium redeuntes à tergo dimicans protegeret Flavius præfectus invidens Virginis laudi, portæ occluſo repagulo illam excluſam hoſti objecit quæ in Anglorum reducta poteſtatem quamvis belli legibus captivæ mors vetaretur tradita eſt judicanda Petro Cochonio Bellovacenſi Epiſcopo, à quo per nefas quaſi convicta hæreſis, & veneficij perpetuo carceri mancipatur & jeiunio panis & aquæ. Quia verò hoſtes in ejus mortem avidiſſimè conſpirabant iniquiſſimi judices retractatâ cauſâ eo quod nondum virilem veſtem depoſuiſſet occaſionem inde novi judicij prætexunt, quaſi in hæreticam poſt prius judicium relapſam cuius eſſet crimen flammis ultricibus expiandum, ideoque tradunt inſontem laicorum judicio, per quod integerrima virgo publicè Rotomagi admirabili conſtantia rogo alligata Chriſtum Salvatorem, matremque Virginem reclamans conflagravit, ſicque poſt præclara fortiſſimè geſta dura non minori fortitudine tolerans in cœlum abiit. Ex eo tempore res Anglorum qui jam Francicam Monarchiam ſibi ſubjecerant uſque adeò peſſum abierunt, ut etiam opimarum Provinciarum quas ante hoc bellum pacifice tenuerunt poſſeſſione dejecti, nihil ſibi in tota Galliarum continẽte reliqui retinuerint præter Caletum, qua etiam urbe ſuccedentibus temporibus jure belli ſpoliati

ſunt

ſunt. Judices poſt reſtitutam Regi Normaniam à Calliſto III. Pontifice delegati viri integerrimi reviſo revocatoque judicio, Joannam innoxiam pronunciarunt ac per ſummum nefas damnatam.

28. Martinus Papa V. indicto Baſileenſi Concilio è vivis exceſſit anno 1431. cui ſuffectus eſt Eugenius nomine IV. cujus Pontificatus anno primo auſpicatum eſt œcumenicum Baſileenſe Concilium. Eſt vero Baſilea civitas vel eadem vel illi proxima quæ à Ptolomæo Auguſta Rauracorum dicitur & quæ Concilio I. Conſtantiēſi deinde Senenſi ſub Martino electa fuerat ad proximū generale Concilium. Hujus initio Patres qui convenerāt cum conarentur leges reformationis Pontificis perſonæ ejuſque domui atque Romanæ Curiæ perſcribere, nata eſt inde ſimultas inter Eugenium ſuamque Curiam & ipſum Concilium: quod illi cauſabantur multa moliri contra Pontificis poteſtatem, eoque tempore controverſia recruduit de Concilij ſupra Pontificem autoritate magno utrinque ſtudio & contenſione: adeo ut Eugenius ipſo priore anno conatus ſit Concilium diſſolvere, cum triennio integro inter ambas partes pertinax agitata ſit altercatio, quæ tamen interveniente Sigiſmundo utcumque per quadriennium ſopita eſt, quo multa ſalubria conſtituere Concilij patres. Sed renaſcente denuo illa de poteſtate controverſia, videns Eugenius adverſarios ordiri adverſum ſe redintegrare proceſſus, quales habuerant Conſtantienſes patres adverſus Joannem Papam XXIII. ut hos conatus infringeret, Concilium de plenitudine poteſtatis Ferrariam tranſtulit ſpecioſam prætexens cauſam de Græcorum adventu pro conciliandis Orientalibus Eccleſijs cum Latina, nec volentium aſperam difficillimamque profectionem per arduos & præruptos montes aggredi nivibus & glacie coopertos præſertim cum illorum Imperator regiæque urbis Patriarcha ſenio provectus cum alijs multis Antiſtitibus ætate vel delicata complexione debiles adventuri eſſent: Prætereaq; non niſi cum intolerabilibus expenſis tam aſpera profectio fieri poſſet, in ſumma nolle Orientales niſi in aliqua urbe Italiæ ad quam navigijs appellere poſſent & unde facilius pro reditu ſoluerent. At vero Baſileenſes decretum Conſtantienſe de non mutando vel transferendo Concilij loco indicto, tametſi recentiſſima eſſet memoria nefandi illius ſchiſmatis quod Eccleſiam quinquaginta annis fœdiſſime laceraverat eo uſque ſervari inſiſtebant ut in novum ſchiſma præcipites ſe conjicere non reformidarint. Depoſito enim Eugenio quarto Amedæum Sabaudiæ Ducem ſub Felicis quarti nomine ſubrogarunt. Tunc vero cum Eugenium depoſuere Baſileenſes adeo erant numero imminuti quando ſe Concilij tamen generalis nomine jactabant, ut ſeptem dumtaxat Epiſcopi apud eos ſupereſſent, reliqui enim Baſileâ diſcedentes ad Eugenij partes tranſierant. Qua ex cauſa Baſileenſes eo adducti ſunt ob Epiſcoporum penuriam, ut ſimplices Sacerdotes ad æquale cum Epiſcopis ſuffragium advocarint, etiamſi Nicolaus Panormitanus Archiepiſcopus canonum conſummatiſſimus doctor huic novitati & dedecori quantum poterat obſtitiſſet. Jus enim canonicum ad depoſitionem cujuſcumque ſingularis diœceſis Epiſcopi non minus quam duodecim requirit Epiſcopos c. ſi quis 15. q. 7. & tamen Baſileenſes omnes Epiſcopi numero ſeptem crediderunt poſſe à ſe deponi ſummum Pontificem Eugenium.

29. Anno Chr. 1438. dum Baſileenſes cœtus ab Eugenio interdictos proſequuntur ſuamque habent ſeſſionem 32. nullo jam apud eos ſedente Cardinali præter Ludovicum Arelatenſem qui mox ut receſſit ad Eugenium commigrans, Julianus Cardinalis præſedit inter Baſileenſes donec conventus illorum ſolutus fuit. Iulianus autem qui ab initio præſederat Apoſtolicus Legatus & Concilij poteſtatem adverſus Eugenium revocantem fortiter propugnaverat, perſpiciens demum Concilij molitiones in apertum ſchiſma ruere, ſe inde prudenter cum alijs pleriſque Prælatis ſubduxit atque ad Eugenij partes deflexit. Quo eodem anno cœptum eſt Ferrariæ generale Concilium cui titulo Legati Apoſtolici præſedit Nicolaus Albergatus ex ordine Cartuſienſium Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Crucis, vir Apoſtolicæ ſanctitatis & vitæ, eximiæque in rebus agendis prudentiæ. Ibi prima ſeſſione decretum eſt Eugenium juſtis de cauſis & neceſſarijs ex conſilio ſacri Senatus tranſtuliſſe Ferrariam Synodum Baſileenſem, iſtamque tranſlationem eſſe canonicam proindeque Concilium Ferrarienſe legitimum eſſe. Cuncta vero per conventum Baſileenſem poſt tranſlationem geſta vel decreta viribus omnino carere, niſi forte per legitimum Ferrarienſe Concilium confirmentur: omneſque qui ſacramento ſe Baſileenſi Synodo devinxiſſent abſolutos & liberos ab hoc ſacramento eſſe, juſſique ſunt omnes inde intra triginta dies excedere ſub excommunicationis latæ ſententiæ & privationis omnium dignitatum beneficiorum & officiorum pœnâ.

30. Interea Græcorum Imperator Ioannes Palæologus cum fratre Demetrio, ſimulque Ioſephus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ

 Patriar

Patriarcha, multique Græcorum Epiſcopi ſelectique Presbyteri & laici nobiles ad littus Venetorum appulere; eoſque quantis potuere honoribus excepere Dux & Senatus univerſuſque civitatis Venetæ populus. Inde ſolventes Ferrariam verſus ad flumen Padum ſitam navigarunt, quò jam Eugenius præceſſerat, qui ab ipſa ſecunda ſeſſione Synodo præſidebat, cum primæ non interfuiſſet. Imperatori obviam extra urbem proceſſerunt Cardinales omnes & Marchio Eſtenſis Ferrarienſis ditionis Princeps: atque ſub aurea umbella Imperatorem ad palatium Pontificis rectâ perduxerunt, qui volenti ad genua Pontificis ſe dimittere non permittit ſed amantiſſime complexus eſt, dataque dexterâ oſculandâ ad ſiniſtram ſuam conſedere fecit. Indeque ad hoſpitium magnifice ornatum deductus eſt Imperator. Seſſione inſequenti ad quam cum Latinis ſimul Græci convenere ſex delecti ſunt Latini & totidem Græci ad diſputandum alij adverſus alios. Inter ſex Latinos duo eminebant Cardinales Julianus Cæſarinus tituli ſanctæ Sabinæ qui apud Baſileam Legatus Apoſtolicus præſederat, & Nicolaus Albergatus tituli ſanctæ Crucis. Inter Græcos diſputatores præcipui erant Marcus Epheſinus Metropolita & Beſſarion Nicænus. Omnibus ex ordine conſedentibus, Latini honoris gratia proque ſua in Græcos humanitate ac benevolentia ſermonis prærogativam his detulerunt. Surgens itaque Beſſarion facundiſſimus orator acceptâ prius ab Imperatore & à Patriarcha Joſepho dicendi facultate poſt profundam inclinationem orationem habuit exultationis & gratiarum actionis atque exhortationis ad pie & ſincere proſequendam ſalutiferam unionem. Sequenti ſeſſione ex parte Latinorum Andræus Rhodi Epiſcopus peroravit pari atque pridie Beſſarion Nicænus eloquentiâ & gratiâ. Aderant porro in eodem Concilio duo Inſulæ Rhodi (quæ tunc ab equitibus ſancti Joannis tenebatur) Epiſcopi quorum unus Latinos ejus inſulæ incolas dirigebat, alter vero Græcus qui Græcos dirigebat (erat autem tunc Andreas unus ex ſenis diſputatoribus Latinis) vocari ſolebat, atque ita ſignat in actibus hujuſce Concilij Archiepiſcopus Coloſſenſis. Exiſtimabatur enim Colloſſenſes ad quos ſcribit Apoſtolus eſſe Rhodios dicique à Coloſſo æneo quem Chares Lyndius Rhodi conflaverat, cum tamen verius Coloſſenſes ad quos Paulus ſcripſit ſint incolæ oppidi Phrygiæ dicti Coloſſi vel Coloſſæ: alter vero ex parte Græcorum Rhodi Epiſcopus à quo inſulares Græci dirigebantur dici ſolebat Metropolitanus Rhodiorum. Latini hac in Synodo ad latus conſedebant in quo erat ſummus Pontifex: Græci vero ad latus in quo collocatum erat Imperatoris ſolium.

31. Anno 1439. ingruente apud Ferrariam peſte neceſſitas incubuit inde abſcedendi, eaque de cauſa ſacra Synodus Florentiam primariam Tuſciæ civitatem quam Arnus præterfluit tranſlata eſt. Peracta fuerat Ferrariæ ſexta ſeſſio, Florentiæ itaque celebrata eſt ſeſſio ſeptima, diſputatumque in ea eſt de proceſſione ſpiritus ſancti num ſit à ſolo patre an etiam à filio, prodieruntque in certamen Marcus Epheſinus & Ioannes ordinis Dominicani in Lõgobardia Provincialis. Hic vero tanta ingenij & doctrinæ vi, de proceſſionibus divinarum perſonarum diſſeruit & de modo proceſſionis tertiæ perſonæ à duabus per communem & unicam ſimul patris & filij ſpirationem, de ſignificatione vocum naturæ, eſſentiæ, ſubſtantiæ, & ſubſiſtentiæ, ac Hypoſtaſis & quomodo cum unum idemq; ſint tres perſonæ, diſtinguãtur tamen reipſa inter ſe. Deinde de corruptione Codicum Græcorum ab ipſis Græcis poſt conflatum ſchiſma, quam tamen Græci Latinis injuſte aſcribebant, confutavitque dilucide quæcumque Marcus vel oppoſuerat vel reſponderat, commonſtravitque omnes fere veteres Græcos patres teſtari aperte ſpiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, neminem vero negare, quinimo aliquos ſupereſſe qui depravationem à ſchiſmaticis Græcis factam evaſerunt, qui perſpicue affirment ab utroque ſimul proceſſionem. Ipſam vero particulam per, nihil aliud ſignificare quam principij communis ac unius inter Patrem & Filium ſocietatem in producenda tertia perſona. Ex his fusè preſpicueque enunciatis ita caligavit Epheſini animus, ut quamvis lingua promptus & procax eſſet ſæpius obmuteſcere coactus ſit. Cumque ſermonem reſumens Ioannes pari doctrinæ fulgore & animi vehementia aperte commonſtraret ſanctos Baſilium & Epiphanium & alios quoſdam diſerte aſſerere ſpiritum divinum ex patre filioque ſimul prodire attonito & ſilente Marco, Imperator è ſua ſede reſpondit reperiri in Græcia multos quoque vetuſtiſſimos Græcorum patrum Codices, ex quibus vox quoque (filioque) abeſſet perinde ac in recentioribus, quam tamen Latini expoſtulabant per fraudem à Græcis poſt ſchiſmatis tempora eraſam. Cui Iulianus Cardinalis replicavit nonne cum decreviſſes ſereniſſime Imperator in certamen prodire, decebat tua tecum arma deferre, ne in ipſo conflictu inermis deprehenſus vincereris. Poſt hæc Græci ipſi apud Patriarcham Ioſephum ex ægritudine decumbentem

bentem diverſa habuere colloquia præſente Imperatore, qui unà cum Patriarcha Latinis conſentiendum eſſe judicabat in his ad fidem attinentibus causis. Hoc idem urgebant additis validiſſimis rationibus, & argumentis Beſſarion Nicænus, & Gregor. Scholarius maximæ inter Græcos exiſtimationis ſapientiæ pietatis & doctrinæ viri, Epheſino tamen uſquequaque cavillante & contradicente. Sub his obitus cōtigit Joſephi Patriarchæ, qui ad feliciorem vitam profectus eſt relictâ propriæ manus ſchedulâ, profitente ſe fidei quam ſequitur Catholica & Apoſtolica Roma, cui præeſt Eugenius Papa firmiter aſſentiri, Romanique Pontificis in univerſam Eccleſiam agnoſcere Primatum eiq; indivulsè ſubeſſe. Obijt vero an. 1439. ejuſque exequijs omnes interfuere Cardinales, ſepultuſque eſt in templo Dominicanorum Florentiæ ritu Græco cum ſummis honoribus & ampliſſimâ funeris pompâ.

32. Defuncto Patriarcha diſceptatum fuit in ſacra Synodo de pœnis Purgatorij in quas generatim omnes conſenſerunt, ſive in ignis ardore conſtent, ut eſt Latinorum ſenſus ſive in ipſius loci obſcuritate & incommodis anguſtiſque ſitibus ut Græcis viſum eſt, atque in his qualeſcumque illæ ſint aut mitigandis aut finiendis fidelium viventium ſuffragia conducere ac prodeſſe. De azymo aut fermentato pane an ſit ſufficiens Euchariſtiæ conficiendæ materia, poſt aliquot concertationes in unam omnes convenere ſententiam in alterutro poſſe conſecrari & ſacrificari dummodo panis ſit triticeus, ac in his ſequendam eſſe locorum conſuetudinem. In hoc etiam conſenſerunt, ſancti Spiritus invocationem, quæ in Græcorum Liturgia poſt enunciata myſtica Chriſti verba adhibetur, nullatenus ad conſecrationem pertinere, ſed eſſe preces ad impetrandum pro communicantibus Sacramentis gratiam utiles. Ad poſtremum de omnium Græcorum aſſenſu, duobus omnino exceptis ut teſtatur Beſſarion ſcilicet Marco Epheſio, & altero innominato itum & ſubſcriptum eſt magnâ omnium lætitiâ in Latinorum conſenſum, & prolixis diſputationibus Eugenius finem tandem impoſuit anno ipſo 1439. pridie nonas Julij omniaque ſacræ Synodi decreta Græcorum Imperator & Antiſtites obſignarunt, eodemque menſe in patriam remigrarunt.

33. Dum adhuc Florentiæ verſaretur Imperator ſupervenere Legati Patriarchæ Armenorum qui Imperatorem in procinctu diſceſſus ipſius ſalutarunt, & necdum ſoluta Synodo Eugenium à quo perhumaniter ſuſcepti ſunt ſupplices adierunt rogantes nomine proprij Patriarchæ & gentis ſuæ fide Romana inſtitui, & in ejus unionem admitti. Ea res ingenti lætitiâ Eugenium affecit dum videt diviſas Orientis Eccleſias unionem ſupremæ Sedis exquirere, quo tempore Baſileenſes ſe ab illa disjungebant eique bellum indicebant. Quemadmodum Conſtantinopolitanus Patriarcha ſe œcumenicum ac univerſalem ita & Armenorum Patriarcha ſe eodem ſenſu Catholicum nuncupabat. Armeni etiam Sacerdotes in Sacrificijs vinum ſine aqua offerebant, ut liquet ex Quiniſextæ Synodi can. 32. Gens quoque iſta Eutychetis hæreſim Calchedone damnatam ſectabatur quam etiam nunc conſectatur. His Legatis Eugenius ſacro approbante Concilio ſymbolum Conſtantinopolitanæ primæ Synodi cum additione vocis (filioque) in Eccleſijs concinendum tradidit: deinde Calchedonenſis definitionem de duabus diſtinctis & inconfuſis in una Chriſti perſona naturis: tertiò decretum ſextæ Synodi de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus: quarto doctrinam ſeptem Sacramentorum qualis legitur in decreto unionis eiſdem ſcripto dedit, ſimulque Athanaſ. Symbolum. Iſtud vero de Armenis decretum notatur Florentiæ promulgatum in publica ſeſſione Synodali ſolemni ritu celebrata in Eccleſia majore ann. Dom. 1439. 10. Calend. Eugenij Pontificatus anno 9. quo nondum fuit diremptum Florent. Concil. duravit enim tres annos ſubſequētes ut reſpondit in Concil. Trid. Cardinalis à Monte eidē præſidens Epiſcopo Clodienſi neganti Bullā Jacobitarum an. 1441. pertinere ullatenus ad Concil. Florent. quod per errorem exiſtimabat fuiſſe an. 1439. terminatum. Eugen. enim de ſchiſmate quod Baſileæ parabatur ſollicitus. judicavit cœptam à ſe Florentinam Synodum eſſe ulterius prorogandam. Et utique eodem ipſo anno Baſileenſes ſeſſ. 30. ſententiam depoſitionis in Eugenium à ſeipſis declaratum hæreticum, & contumacem protulerunt, cum non reſtarent apud ipſos niſi ſeptem Epiſcopi, ut Patricius & Nicolaus Cuſanus fidem faciunt. Et ulterius ſuam promoventes audaciam ſeſſ. 38. & 39. menſe Novembri ejuſdem anni 1439. Amedæum Sabaudiæ Ducem in locum exacti à ſe Eugenij evexerunt, miſſiſque Legatis eumdem Sabaudum initio reluctantem ad ſuæ conſecrationis & coronationis conſenſum induxerunt, qui tunc Felicis quarti ſibi attribuit nomen.

34. Qui tunc in Francia regnabat Carolus VII. licet pio ſuccenſus ſtudio reſtituendæ admodum collapſæ laxatæque in toto regno Eccleſiaſticæ diſciplinæ, pragmaticam ſanctionem ex Baſileenſium decretis conflatam,

ſtatam, in conventu Præſulum regni apud Bituricas approbaſſet, ultimum tamen Baſileenſium facinus in exautorando Eugenio eique Antipapam ſubrogando ſemper eſt averſatus, miſſiſque Baſileam oratoribus proteſtatus eſt ſe in Eugenij obedientia perſiſtere. Fridericus Imperator, nomine tertius Baſilea iter habens & privatim Amadeum paulo ante ibidem conſecratum ſub noctem inviſens, abſtinuit tamen ab honoribus ſummo Pontifici præſtari ſolitis ne (inquit) Æneas Sylvius Pontificis ſummi loco idolum coleret. Idemque Æneas qui à Friderico in familitium aſſumptus & poſt aliquot annos electus Papa Pij ſecundi nomen habuit, poſtquam Baſileenſibus adverſus Eugenium rebellibus obfirmato animo adhæſit, meliori demum propoſito ab ijſdem diſcedens, pari ardore quo Baſileenſes cœtus & acta reipſa & ſcriptis propugnaverat reprobavit deinceps contrarijs ſcriptis & proſcidit. Ad regem Franciæ dum eſſet in conventu Bituricenſi oratores miſere Felix & Concilium Baſileenſe Ioannem Segovienſem Hiſpanum & Thomam Corcellium Francum, Eugenius vero Cardinalem miſit Ioannem Turrecrematam Hiſpanum ampliſſimæ doctrinæ hominem, cujus hortamenta Rex ſequutus mandavit toto ſuo regno Eugenium ſummum agnoſci Pontificem. Addidit præterea ne qua fieret aut diceretur ob regiam affinitatem qua ſibi proxime conjunctus erat, domino Sabaudo injuria, ita Felicem vocabat. Poſt aliquot vero annos Rex tantum apud Amedeum contendit ut ultro ſe abdicaverit dignitate, & Nicolao V. qui Eugenio ſucceſſit ſe ſubjecerit.

35. Quod attinet ad ſæcularium Principum & rerum publicarum eventus horum retexendum eſt filum qua parte ad pleniorem rerum Eccleſiæ notitiam conferunt. Superius à nobis commemoratus Sigiſmundus Auguſtus majori natu fratri Venceſlao in regnum Bohemiæ ſucceſſit. Poſt hæc regnum quoque ſuſcepit Hungariæ ductâ in matrimonium Mariâ unica Regis Hungariæ Ludovici filia eaque defuncta Barbaram Hermanni Ciliæ Comitis filiam ſumpſit uxorem ex qua unicam ſuſcepit filiam Elizabetham quæ patris regna Bohemiam & Hungariam hæreditario jure nacta eſt. Denique Sigiſmundus poſtquam factus eſt Imperator Elizabetham filiam Alberto ſecundo Auſtriæ Duci nuptu dedit. Albertus Sigiſmundo ſocero mortuo creatus eſt Imperator & uxoris jure dotalibus regnis potitus eſt Bohemiæ & Hungariæ. Moritur Albertus poſt cujus obitum Hungari Turcarum arma formidantes & imperium fœminæ imbellis detrectantes viduam Elizabetham Reginam ſuam Vladiſlao Poloniæ Regi nubere compulerunt. Poſt hæc nuptialia fœdera naſcitur ex Elizabetha Ladiſlaus defuncti Alberti poſthumus, quem mater omni abjectâ morâ ad Fridericum Auſtriacum III. Imperatorem tranſmiſit cum regni corona quâ infantem recens baptiſatum redimiri curarat metuens ne ab Hungaris in Uladiſlaum propenſis infans interciperetur. Hungaria univerſa cum Ioanne Hunniade pro Uladiſlao Polono dimicabat, pro Elizabetha vero & infante Ladiſlao Bohemia. Contigit demum anno 1444. ut atrox prælium committeretur apud Varnam Chriſtianos inter, quorum erat dux ſupremus Rex Polonorum Uladiſlaus, & Turcas quos ducebat ſummus eorum Monarcha Amurathes. Bellum iſtud Turcis inexpectatum concitarat Ioannes Hunniades contra fidem fœderum antea utrinque juratorum & tamen in prælij procinctu Hunniadem ipſum inſolita trepidatio & metus inceſſit, adeo ut diſceſſum ſuaderet, ſuoſque à pugna deterreret. Uladiſlaus Rex adeo intempeſtivum dedecus averſatus ſuos ad ſtrenue pro religione & patria dimicandum adhortatur præitque exemplo, adverſarios cum nobilitatis flore fortiter ad ipſorum munimenta tanto impetu adoritur, ut attoniti Turcæ fugam cum Amurathe meditarentur, ipſeque Amurathes ſatrapis quibuſdam mortem ipſi ſtrictis gladijs intentantibus animum reſumere militemque jam terga obvertentem ſiſtere coactus ſit. Scribit Æneas Sylvius ſi par animus ac Regi obtigiſſet Hunniadi & cum decem millibus cum quibus ſeorſum à conflictu ſe continebat, accurriſſet ad Regis fortiſſime dimicantis ſubſidium, eo die indubitanter pleniſſimam fuiſſe atque illuſtriorem quam unquam victoriam de Turcis Chriſtiano exercitui obventuram. Uladiſlaus multis ſaucius vulneribus ſuiſque longo & acri certamine diminutis & fatigatis concidit; cujus repertum cadaver Amurathes honorifice ſepeliri mandat.

36. Hac accepta clade mortuoque *Uladiſlao* Rege, ſimul convenere Boëmi & Hungari ad agnoſcendum pro ſuo communi Rege infantem Ladiſlaum, quem à Friderico miſſis nuncijs repetebant ut coronarent: quem tamen Fridericus Cæſar dimittere recuſavit, melius quippe & ſecurius ſervari apud ſe infantem Regem quem conſanguinitate propius contingebat, quam ſi populis mobilibus ſæpius inter ſe diſſidentibus committeretur. Nec vero nova opus eſſe coronatione infanti, cui jam à die baptiſmi regni corona fuerat impoſita. Dum autem

adoleſcere,

adoleſceret utriuſque regni adminiſtratio & bellorum cura Hunniadi omnium conſenſu demandata eſt ac delegata. Hæc fuſius referuntur apud Bonfinium in hiſtorijs Hungaricis, Cromerum in Polonicis, Æneam Sylvium in epiſtolis quas ſcripſit cum eſſet Friderico Imperatori à ſecretis & in Europæ deſcriptione, quam dum eſſet ſummus Pontifex elucubravit. Eventus Varnenſis conflictus hoc docuit ſervandam eſſe ipſis hoſtibus fidem jurejurando firmatam, quod etiam arguit exemplum Ioſue ducis erga Gabaonitas.

37. Eugenius Pontifex anno Chr. 1447. rebus humanis morte ſubtrahitur, eique Nicolaus V. purpuratorum ſuffragijs eligitur ſucceſſor innumeris clarus virtutibus, bonarum artium doctorumque hominum mirifice ſtudioſus, librorum veterum Græcorum atque Latinorum undecumque conquiſitor & ſedulus inſtaurator. Apud hunc Amedeus Sabaudiæ Dux Felix appellatus ſe præſumpto Pontificio abdicavit anno 1449. hortatu & interventu Caroli VII. Franciæ Regis. Illum Nicolaus Cardinalem fecit, primumque inter Cardinales locum tenere voluit, creavitque perpetuum in terris ditionis ipſius temporalis Legatum. Ludovicum etiam Alemandum dictum Arelatenſem qui cœtibus Baſileenſibus ad finem uſque præſederat Cardinalis, ab Eugenio ſubmotum, atque anathemate ictum in Cardinalium ampliſſimum collegium reſtituit priſtinaſque dignitates & munera. Nicolaum V. fato functum Calliſtus III. ex Borgiarum proſapia, Calliſtum vero Æneas Sylvius dictus Pius II. vir multæ eloquentiæ ac multiplicis eruditionis excepit.

38. Anno 1453. ad clavum Eccleſiæ ſedente Nicolao V. ejuſque Pontificij anno 7. die Menſis Maij 29. Græcis imperante Conſtantino Palæologo obſeſſam Conſtantinopolis urbem in ſuam redigit poteſtatem Mahometes ſecundus Amurathis ſuperius memorati filius & ſucceſſor. Ipſe Conſtantinus dum irrumpentes ad portam urbis Turcas prohibere conatur interijt, eumque Mahometes honorifice juſſit ſepeliri. Itaque Græcorum Imperium in prædam Turcarum genti ceſſit, cœptumque à Conſtantino primo, everſum eſt ſub Conſtantino octavo. Mahometes ejus everſor Trapezuntinum præterea Imperium cum Colchide ſubjugavit, Davide Comneno Uſſumcaſſani ſocero, qui ibidem regnabat cum tota familia Conſtantinopolim abducto pauloque poſt interempto. Quod imperium captâ à Latinis Conſtantinopoli Iſaacius Comnenus ante annos ducentos quinquaginta conſtituerat. Ad hæc regna duodecim, urbes ſupra ducentas expugnaſſe perhibetur. Idem à Tauruno quam Belgradum vocant Hungariæ propugnaculo firmiſſimo ad confluentem Savi in Danubium ſito & ab inſula Rhodo fruſtra tentatis repulſus eſt. Venetis Lemnum Mitylenam Corinthum Eubœam eripuit, & Capham olim Theodoſiam dictam Genuenſibus, ipſamque Italiam capta Hydrunto quæ vulgo dicitur Otranto maritimo Neapolitani regni propugnaculo terrore complevit. Obijt vero anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo primo.

39. Poſtquam Ioannes Hunniades Turcas iteratò ad Belgradum quam obſederant cum Mahumete profligravit, quæ ultima ejus victoria fuit: eamdem vero urbem ante aliquot annos ab Amurathe obſeſſam magna quoque virtute liberarat, fatis tandem conceſſit, Rex Ladiſlaus jam ſui capax per ætatem effectus, ad avunculum ſuum Ulricum Ciliæ Comitem regnorum ſuorum Hungariæ atque Bohemiæ adminiſtrationem tranſtulit. Hunc Poloni ſub cuſtodia detinuerant eo quod nepotis Ladiſlai una cum regina Elizabetha partes adverſus Uladiſlaum tueretur, cujus ad Varnam interitu recuperata libertate graves cum Hunniade ob regni adminiſtrationem exercuerat ſimultates, poſtquam vero mortem Hunniades oppetijt omnis ſub rege poteſtas Ulrico ab ipſo Rege delata eſt, cujus gratiam præter jura ſanguinis per obſequia Rex pupillo adverſus Hunniadem pro Uladiſlao Polono dimicantem demeruerat, recordabatur præterea Ladiſlaus moleſtiarum quas à prima infantia ab adverſante ſibi Hunniade pertulerat. Igitur inter Hunniadis prolem & Ulricum gravis interceſſit æmulatio & contentio. Reliquerat Hunniades binos ſuperſtites liberos populorum gratiâ & ſtudijs fretos Ladiſlaum & Matthiam Corvinum. Ladiſlaus per odium & invidiam Ulricum populis inviſum obtruncat. Rex vero popularem tumultum reformidans non modo tam atrocem offenſam ſilentio premit ſed præterea Comitem ſuperbum & ambitioſum à quo ſibi ipſi metuendi cauſa erat, jure cæſum dixit. Ultione vero in tempus commodius dilata Ladiſlaum Hunniadem capitis obtruncatione punivit ejuſque fratrem Matthiam Corvi-

num ne quid moliretur mali carcere incluſit. His ita geſtis dum adventatem ſibi deſponſatam Regis Franciæ filiam magnifico apparatu opperitur peſtilenti febre nõ ſine venæni ſuſpicione corripitur Rex Ladiſlaus & intra paucos dies in ipſo iuvenilis ætatis flore morte abripitur. Ipſe vero Matthias carcere detentus ab Hungariæ optimatibus & populi favore Hungariæ Rex proclamatur. Hic perſpice lector Humanarum rerum inſtabilitatem & viciſſitudinem ſtupendam. Rex Hungariæ ſimul & Bohemiæ qui ſub Hunniadis immoderata potentia vix regni titulum retinebat, dum credit ſibi debitam autoritatem jam in tuto collocatam in juvenilis ætatis flore, in vicinarum nuptiarum geniali apparatu, in Auſtriam jam profectus ad conjugem dilectiſſimam excipiendam de præparato thalamo ad tumulum defertur. Ex adverſo Matthias Corvinus dum in vinculis par fratri ſupplicium in dies expectat, ſubitò de carcere in regale ſolium transfertur & de vinculis ad regnum evehitur. Hos eventus Bonfinius, Pius Papa II. alijque eorum temporum hiſtorici referunt.

40. Inſulæ Cypri regnum anno 1476. ad Venetos tranſit cum tamen jus ipſum ad Sabaudiæ Duces pertineret. Hanc inſulam Græcorum Imperio ademptam Iſaacius Comnenus pro gubernatore miſſus ſibi tyrannice vindicarat. Sed eidem Comneno per vim ereptam Ricardus Angliæ Rex Vidoni Luſiniano tradiderat hac lege ut Vido ſibi jus omne cederet quod habebat in Jeroſolymitanum regnum à quo illum Saraceni dejecerant & quod tunc ab Ægypti Sultano poſſidebatur, à quo Ricardus ut erat generoſi ſpiritus illud bello recuperare intendebat. Vido regnum abſque ſudore partum ad ſuos poſteros tranſmiſit. Contigit ut apud Salaminam regni caput Genuenſes omnes orto tumultu occiderentur, à quibus inſula ob commercium frequentabatur, eorumque merces & opes diriperentur. Quam injuriam ut reſpublica ulciſceretur Trugoſium cum valida claſſe miſit qui inſulam in Genuenſium poteſtatem traduxit captivoſque Regem cum Regina Genuam abduxit, quibus apud Genuam in carcere degentibus infans naſcitur qui nomine reipublicæ in baptiſmo ſuſceptus & educatus vocatus eſt Ianus à civitate Ianua quæ & Genua. Hunc reſpublica poſtmodum in Cyprum remiſit retenta ſibi primaria civitate Salamine quæ etiam Famaguſta dicitur emporium negociationibus & mercimonijs frequentiſſimum. Huic Iano filius ſucceſſit Ioannes Luſinianus qui Helenam ex Palæologorũ progenie duxit uxorem, ex qua filiam ſuſcepit nomine Carlotam, ex concubina vero Iacobum. Carlota ſola proles legitima cum ſpe dotalis regni Ludovico Duci Sabaudiæ nupſit. Iacobum vero ejus pater ut ſpe regni excluderet fecit Nicoſienſem Epiſcopum. Sed hic defuncto patre Sultanum Ægypti adijt, eique obſtricta clientelæ & juramenti fide à Sultano in regnum pulſis inde Ludovico Sabaudo & Carlota, inducitur. Depulſis pariter Famaguſta Genuenſibus eaque urbe Iacobo vindicata, Jacobus ut ſibi rempublicam Venetam adverſus Genuenſem conciliaret, Catharinam Marci Cornarij filiam quam Senatus Venetus nova calliditate ſibi adoptavit, conjugem quæſivit & obtinuit. Moxque extincto Rege Iacobo, ejuſque filio cognomine Iacobo poſthumo, cui mater Catharina ſucceſſit, illud regnum quaſi hæreditario jure Venetorum ditionibus acceſſit anno 1476.

41. Philippo ejus nominis ſecundo filius ſucceſſit in Burgundiæ ducatum & Flandriæ Comitatum Carolus qui naturâ ferox ampliſque opibus & poteſtate ſuperbiens finitimos Principes bellis aſſiduis laceſſivit, ſed unde ſtatuum & ditionum ſuarum incrementa ſibi pollicebatur inde ſibi ultimum excivit exitium. Lotharingiæ Ducem Renatum ſuis viribus longe imparem omni ditione ſpoliatum compulit in Franciam fugere. Inde Helvetios bellum infimis etiam precibus deprecantes adoritur ſperans his ſubactis Franciam quoque ſe oppreſſurum. Sed ab Helvetijs duobus prælijs magna ſuorum internecione profligatur, uno ad Muratem altero ad Granſonem, quibus ſucceſſibus Renatus opibus etiam Ludovici XI. Franciæ Regis ſuffultus ademptam ſibi dominationem reſumit. At Carolus inops conſilij & iracundia præceps copias admodum diminutas & animis corporibuſque deficientes in Lotharingiam traducit. Prælium ad Nancium conſeritur quo cæſis partim Burgundis partim in fugam effuſis Carolus perimitur & Nancij ſepelitur. Ludovicus Francus his auditis provincias Burgundiæ Heduorum & Arteſiæ occupat. Unicam Burgundus reliquit filiam Mariam quæ Maximiliano Friderici tertij Imperatoris filio nupſit, cui ipſe quoque in Imperio ſucceſſit, fuitque per has nuptias provincijs Belgicis & Sequanicæ Burgundiæ Comitatu ditatus.

42. Ferdinandus Aragonum Rex jam ante per uxorem Iſabellam dotali Caſtellæ regno auctus, Granatam in qua Maurorum reliquiæ conſederant expugnavit anno 1492. ſibique univerſam Bæticam ſubjecit, quâ victoriâ extinctus eſt Maurorum in Hiſpania dominatus poſt annos ſeptingentos

octoginta

octoginta quàm in Hiſpanias eruperant. Sub ejuſdem Ferdinandi auſpicijs Chriſtophorus Columbus patria Genuenſis nauticæ rei ſcientiſſimus an. 1496. Gadibus ſoluẽs emenſoq; Atlantico Oceano, cẽteſimo profectionis die novas & incognitas terras aperuit Cubã, Floridam, Hiſpaniolam aliaſque oras jampridẽ hominibus habitatas. Quinto poſt anno America ab Americo Veſputio Florẽtino inventa nominataque fuit. Eodem incenſi ſtudio Luſitani hoc ipſo ſæculo Oceanum terraſque remotiſſimas luſtrarunt ſuoque dominio ſubjecerunt. Vaſcus Gama Luſitanus Regis ſui Emanuëlis juſſu Olyſippone profectus varia regna in Occidentali Æthiopiæ ora detexit an. 1497. Ulteriuſque progreſſus trans æquinoctialem geminoſque tropicos promõtorium quod vocant Bonæ ſpei circumflexit, annoque ſequẽte Calecutum appulit, Goam omnẽque illam oram Indici maris perluſtravit, multas in India ſtationes & portus Luſitanis regibus aſſeruit & gentibus Europæ viam ad longinquas illas navigationes & cõmercia opulentiſſima patefecit, & conſtabiliendũ in illis remotiſſimis regionibus Chriſti cultũ & religionem. Annoque Chriſti 1500. Aluares Capralis pariter Luſitanus in Orientem deſtinatus ſed ejus claſſe tempeſtate jactata & in Occidentem impulſa in Braſiliam inſperatò appulit, fecitque illam regionẽ ampliſſimam regni Luſitanici appendicem. His navigationibus factum eſt ut barbaris gentibus ab æterna ſalute devijs Chriſti fides illuceſceret ac iter aperiretur ad æternam vitam, ſecundum Iſaiæ prædictionem Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ morbis lux orta eſt eis.

43. Anno Chr. 1473. Calabria in Franciſco de Paula viro profundæ humilitatis ardentis charitatis, auſterioris vitæ multiſque ſignis & prodigijs illuſtri novũ Eccleſiæ ordinẽ peperit quẽ Minimorum ſanctus conditor dici voluit.

44. Eruditi plerique ſcriptores ſæculo iſto Eccleſiam illuſtrarunt. Ioannes Capreolus Toloſanus ordinis Prædicatorum doctiſſimos procudit in quatuor libros ſententiarum cõmentarios. Floruitque an. 1410. Sanctus Vincentius Ferrerius ex eodem ordine, ſcripſit tractatum de vita ſpirituali cum pleriſque epiſtolis. Extant etiam ejuſdem concionum tomi tres. Obijt in Domino an. 1419. Franciſcus Zabarella Archiepiſcopus Florentiæ & Cardinalis multa in jus canonicum ſcripſit: quemadmodum etiam Nicolaus de Tudeſchis Siculus, ordinis ſancti Benedicti Abbas, deinde Archiepiſcopus Panormitanus, & demum creatus Cardinalis à Felice Antipapa. Petrus de Alliaco Epiſcopus Cameracẽſis & Cardinalis permulta ſcripſit & theologica & ad pietatem aſcetica. Hujus extitit diſcipulus Ioannes Gerſon Cancellarius univerſitatis Pariſienſis & ad Conſtantienſem Synodum legatus à Rege Franciæ miſſus, vir ſcientiâ & pietate conſpicuus ut ejus produũt diverſi tractatus. Thom. Valdenſis Anglus profeſſione Carmelita ſcripſit egregium opus adverſus Vuicleffitas & Huſſitas quod inſcripſit doctrinale fidei. Ioan. de Annania Archidiac. Bononienſis ſcripſit in decretales commentaria, & volumen concionum. Sanctus Bernardinus Senenſis ordinis S. Franciſci diverſos edidit tractatus & ſermones. Produxit hoc ſæculũ duos ingenij ſtupendi maximæque doctrinæ viros quos tamen immatura mors abſumpſit, Alphonſum Toſtatum Hiſpanum Epiſcopum Abulenſem qui copioſiſſimis commentarijs in Pentateuchũ in Ioſue in Ruth atque in libros Regum & Paralipomenon & in Evangelium S. Mathæi, ſublimis animi acumine ac fœcunditate tot novis anteaque inauditis quæſtionibus tamque profunda & rerum & linguarum Hebraicæ Chaldaicæque peritiâ elucidavit, ut nihil ſupra divinas ſcripturas unquam prodierit eruditius. Præterea diverſos contexuit tractatus. Floruit ſub Eugenio quarto nec quadrageſimum exceſſit ætatis annum. Ioannes Picus Mirãdulæ & Concordiæ Princeps & Comes vir ingenio & doctrinâ pro ætate maximus vixit annos triginta tres obijtque anno. 1494. Scripſit in initium Geneſis, deque opere ſex dierum expoſitionem multiplicem libris ſeptem comprehenſam. Et libros duodecim contra judiciariam aſtrologiam. Nongentas item concluſiones circa ſcientias omnes & diſciplinas quas publicis diſputationibus propugnavit. Et apologiam adverſus eos qui aliquas ejus concluſiones carpebant. Sanctus Antoninus patriâ Florentinus ordinis Prædicatorum, indeque aſſumptus ad Florentinum Archiepiſcopatum ſummam contexuit Hiſtorialem tres in partes diviſam. Summam theologicam quatuor partibus diſtinctam. Librumque de eruditione confeſſorum. Æneas Sylvius patriâ Senenſis vir doctus, facundus ingenijque verſatilis, fuit primùm ab epiſtolis Friderico tertio Auguſto, deinde Senenſis Epiſcopus, tum Cardinalis & ad poſtremum Pontifex maximus Pius ſecundus nuncupatus permulta conſcripſit eleganter Hiſtorica, Geographica, Miſcellanea. Binos edidit pro Concilio Baſileenſi Apologeticos libros quos provectior factus retractavit. Commentarij de rebus geſtis Pij ſecundi ſub nomine Ioannis Gobellini attribuũtur Pio ipſi Pontifici, tum quia eorũ autographa reperta ſunt ſub nomine Pij ſecundi,

tum quia ſtylum reliquorum ejus operum accuratiſſime referunt. Laurentius Iuſtinianus natus Venetijs, profeſſus apud Canonicos regulares, inde Venetiarum Epiſcopus & demum primus ejuſdem civitatis Patriarcha diverſos divini ſpiritus odorem & ardorem ſpirantes tractatus elucubravit, floruitque ſanctitate & miraculis ſub Pontificibus Eugenio IV. & Nicolao V. Ioannes de Turrecremata natione Hiſpanus ordinis Prædicatorum, Cardinalis Presbyter ſancti Sixti ab Eugenio creatus, poſteaque Epiſcopus Cardinalis ſanctæ Sabinæ Theologus & Iuriſconſultus eruditionis eximiæ, cujus inſignis doctrinâ plurimum contulit in Concilio Florentino tum contra Baſileenſes tum contra Græcos adverſantes. Ejus eſt ſumma de Eccleſia quatuor diſtincta libris. Item apparatus ſuper decretum Eugenij de unione Græcorum cum Latinis. Commentaria item in decretum Gratiani aliaque permulta. Beſſarion natione Græcus, patria Trapezuntius, dignitate Nicænus Epiſcopus, poſtea in Cardinalium collegium ab Eugenio quarto aſcitus, multis pro Eccleſia laboribus præfunctus, vir Græcâ Latinaque linguâ eloquentiſſimus, omnium ſcientiarum periſſimus, Platonicæ Philoſophiæ ſummus contra ſequaces Ariſtotelis defenſor, ſcripſit orationes pro unione doctiſſimas, quæ Græce Latineque in actis Concilij Florentini leguntur, librum quoque adverſus Marcum Epheſinum pro Eccleſiæ Romanæ defenſione, aliumque adverſus eumdem de verbis conſecrationis, & de expoſitione verborum Ioan. 21. Sic eum volo manere donec veniam. Multa etiam procudit in defenſionem Platonis, & Ariſtotelis Metaphyſicam Latinitate donavit. Gregorius Scholarius inter Græcos ſapientiſſimus quatuor edidit orationes de pace ineunda inter Græcos & Latinos, quæ utraque linguâ habentur poſt Synodum Florentinam. Hic cenſetur eſſe ille Gennadius (quippe qui nomen ſuum mutaverit aſſumptus ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum) qui orationes quinque contexuit de quinque controverſis pro Catholica veritate articulis. Scilicet de proceſſione ſpiritus ſancti. 2. de primatu Papæ. 3. de azymo. 4. de purgatorio. 5. de viſione Dei ante corporum reſurrectionem. Ioſeph Epiſcopus Methonenſis eodem tempore librum edidit reſponſionis pro Concilio Florentino ad librum Marci Epheſini ejuſdem Synodi calumniatoris. Extat iſta reſponſio Græcè & Latinè ad finem ejuſdem Synodi. Gregorius Protoſyncellus deinde Patriarcha, reſponſionem aliam adverſus eumdem Marcum concinnavit, poſt idem Concilium utraque linguâ collocatam. Manuel Caleca Græcus ſimul & doctus volumen pariter contra Græcorum errores edidit quod in Latinum idioma tranſtulit Ambroſius Camaldulenſis juſſu Martini Papæ V. idque in libros quatuor partitus eſt. Nicolaus Cuſanus natione Germanus creatus Cardinalis tituli ſancti Petri ad vincula, vir æque pius & doctus hoc habuit commune cum Iuliano Cæſarino Cardinali ſancti Angeli, & cum Ænea Sylvio, ut Concilio Baſileenſi etiam poſt factam illius ab Eugenio revocationem aliquandiu hæſerint, ſed poſtmodum advertentes hoc idem novum ſchiſma moliri, ab eo non minore ſtudio receſſerunt quàm ante protexerant. Multiplices Cuſanus libros exaravit tum ad Theologiam, tum ad Eccleſiæ regimen, tum ad animi devotionem, tum ad res mathematicas quarum peritiſſimus erat pertinentes. Dionyſius Cartuſianus natione Belga ſanctitatis & doctrinæ laude inſignis omnes divinæ ſcripturæ libros egregijs commentarijs elucidavit, ſimulque quatuor libros ſententiarum alioſque diverſos tractatus in lucem emiſit. Thomas à Kempis ex Belgio oriundus canonicus regularis aſcetica multa in lucem edidit. Huic à multis attribuuntur devotiſſimi & celeberrimi quatuor libri de imitatione Chriſti. Henricus Harphius Belga profeſſione Franciſcanus multa de contemplatione diviniſque in animas illuſtrationibus in publicum edidit. Ioannes Baptiſta Platina Cremonenſis ſcripſit vitas Romanorum Pontificum à S. Petro ad Paulum uſque ſecundũ. Cui libro adjunxit Panuvinus Onufrius ſequentium Pontificum vitas uſque ad Pium V. Ambroſius Camaldulenſis Florentinus Abbas generalis ordinis Camaldulenſium Græce Latineque admodum doctus & prudens multa & præclara ſuo marte compoſuit: prætereaque ſancti Dionyſij libros aliorumque Græcorum varios utileſque tractatus ex Græco idiomate Latinè vertit. Angelus à Clavaſio Ligur ordinis minorum ſummam caſuum conſcientiæ in lucem emiſit quæ Angelica dicitur. Gabriel Biel natione Germanus Theologiam in univerſitate Tubingæ multos annos docuit. Quatuor libros ſententiarum ſcriptis cõmentarijs elucidavit, expoſitionem inſuper canonis miſſæ contexuit. Iacobus de Valentia Epiſcopus Chriſtopolitanus commentatus eſt in pſalmos, in Cantica Salomonis & alia. Scripſit item contra Iudæos de Chriſto reparatore. Marſilius Ficinus Florentiæ natus elucubravit multa theologica, medica & Philoſophica, Philoſophiæ Platonicæ cujus admodum ſtudioſus erat conſentanea. De Græco etiam vertit & ſcholijs illuſtravit opera Platonis & Plotini.

*CONCILIUM*

## CONCILIVM GENERALE *Conſtantienſe anno inchoatum* 1414.

1. CONcilij hujus pro extinguendo trium Pontificum ſchiſmate inſtituti ſeries tota propemodum hiſtorica eſt, cujus præcipuas partes in iſtius ſæculi hiſtoria proſequuti ſumus. Cum igitur uno eodemque tempore tres exiſterent qui ſibi Summi Pontificis locum nomenque vindicabant. Joannes XXIII. dictus olim Baltazar Coſſa, qui in locum ſuffectus demortui Alexandri V. autoritate nitebatur Piſani Concilij. Angelus Corarius qui Urbani VI. jure fretus ejus in locum intermedijs alijs Pontificibus ſucceſſerat ſumpto ſibi Gregorij XII. nomine. Et Petrus de Luna, qui cauſatus vim publicam quam conſtabat Cardinalibus Conclave tenentibus à populo Romano illatam, per quam coacti fuerant præſentaneæ mortis metu Urbanum VI. eligere, libertate poſtmodum reſtituta priorem electionem irritam, & inanem declarantes, legitimis ſuffragijs Clementem promoverant, cujus ille ſe jactabat ſucceſſorem nomenque ſibi Benedicti XIII. aſciverat. Ex his tribus de Romano Pontificatu contendentibus Joannes XXIII. unà conſentientibus tum ſuis tum pleriſque aliarum partium Cardinalibus ſtudio Eccleſiaſticæ unitatis adductis, urgentibus etiam & ſuadentibus Chriſtianis Regibus, quos inter laudem præcipuam meritus eſt Sigiſmundus Romanorum Rex generale Concilium Conſtantiæ quam Rhenus alluit prope Helvetios ſitæ, indixit anno 1413. & proximo inſequenti anno inchoavit menſe Novembri die 5. Quod quarto inde anno Chriſti 1418. die Aprilis 22. finem habuit. Joannes igitur Concilium auſpicaturus cum ampliſſimo & ornatiſſimo Cardinalium, reliquorumque Antiſtitum comitatu Conſtantiam advenit: nec multo pòſt Sigiſmundus Auguſtus cum pleriſque Germanis Principibus omnibus ornatus Imperij inſignibus. Tranſactis primis ſeſſionibus circa conſueta œcumenicarum Synodorum præliminaria ſeſſ. demũ 8. damnatæ ſunt excerptæ ex Joannis Vvicleffi hæreſiarchæ Anglicani libris quadraginta quinque ſequentes iſtæ propoſitiones.

1. Subſtantia panis materialis, & ſubſtantia vini materialis manet in ſacramento Altaris.
2. Accidentia panis & vini non manent ſine ſubjecto in Euchariſtia.
3. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præſentia corporali.
4. Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali non ordinat, non conficit, non conſecrat.
5. Non eſt fundatum in Evangelio quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.
6. Deus debet obedire Diabolo.
7. Si homo debitè contritus fuerit omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua & inutilis.
8. Si Papa ſit præſcitus & malus & perconſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ab aliquo ſibi datam, niſi fortè à Cæſare.
9. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus proprijs.
10. Contra Scripturam ſacram eſt quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.
11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare niſi prius ſciat eſſe illum excommunicatum à Deo: & qui ſic excommunicat eſt hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.
12. Prælatus excommunicans Clericum qui appellavit ad Regem vel ad Concilium regni, eo ipſo traditor eſt Regis & regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare ſeu audire verbum Dei propter excommunicationem hominum ſunt excommunicati, & in die judicij traditores Chriſti habebuntur.
14. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque autoritate Sedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi Catholici.
15. Nullus eſt Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus eſt Epiſcopus dum eſt in peccato mortali.
16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum, auferre bona temporalia ab Eccleſia poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt ex habitu non ſolum actu delinquentibus.
17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.
18. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & Parochiani poſſunt propter peccata Prælatorum ſuorum ad libitum auferre eas.
19. Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religioſos, non plus proſunt eidem quam generales cæteris paribus.
20. Conferens eleemoſynam fratribus eſt excommunicatus eo facto.
21. Si quis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam poſſeſſionatorum quam mendicantium redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.
22. Sancti inſtituentes religiones privatas ſic inſtituendo peccaverunt.
23. Religioſi viventes in religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana.
24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.
25. Omnes ſunt ſimoniaci qui ſe obligant orare pro alijs, eis in temporalibus ſubvenientibus.
26. Oratio præſciti nulli valet.
27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.
28. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.
29. Univerſitates, ſtudia, & Collegia, graduationes, & magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.
30. Excommunicatio Papæ vel cujuſcumque Prælati non reſtituenda quia eſt cenſura AntiChriſti.
31. Peccant fundantes clauſtra; & ingredientes ſunt homines diabolici.
32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.
33. Sylveſter Papa & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.
34. Omnes de Ordine Mendicantium ſunt hæretici: & dantes eleemoſynam eis ſunt excommunicati.
35. Ingredientes Religionem vel aliquem ordinem eo ipſo inhabiles ſunt ad ſervanda divina præcepta; & per conſequens ad perveniendum ad

TTt 3 regna

Digitized by Google

regna cœlorum niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici eo quod poſſeſſionem habent, & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſeculares & cæteri laici.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

38. Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ & ſeducunt à Chriſti fide. Et Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.

39. Imperator & domini ſæculares ſeducti ſunt à diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ à Cardinalibus per diabolum eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſuperiorem inter alias Eccleſias.

42. Fatuum eſt credere indulgentijs Papæ & Epiſcoporum.

43. Juramenta illicita ſunt quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt niſi pœnituerint de hoc quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt religiones: & ſic à Domino Papa uſque ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.

Sacra Conſtantienſis Synodus articulos iſtos ac propoſitiones declarat majori ex parte hæreticas, alias reſpectivè erroneas, ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, temerarias, ſeditioſas. Prohibuit quoque Vvicleffi libros, dialogum Trialogum alioſque quocumque nomine cenſeantur teneri legi aut allegari niſi ad refellendum. Jubet inquiri diligenter & quoſcumque reperiri poterunt igne cremari ſub anathematis pœna. Examinatis autem teſtibus ſuper autoris impœnitentia finali, mandat ejus oſſa ſi ſecerni poſſint exhumari & procul ab Eccleſia jactari.

2. Quia vero ſub finem ſecundæ ſeſſionis Joannes Papa metuens ne pro ſua pollicitatione compelleretur ad abdicandum ſe Pontificatu, inopinatè de nocte fugam verſus conſcium hujus diſceſſionis Fridericum Auſtriæ Ducem capeſſiverat, poſt exactas hujus evaſionis perquiſitiones miſſaſque ad Joannem iteratas Legationes, & citationes, ſeſſione tandem 11. præſidente Joanne Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, qui etiam poſt diſceſſum Pontificis antea præſederat, ad petitionem procuratoris Concilij conſentientibus quatuor nationum Syndicis ac Procuratoribus, videlicet Archiepiſcopo Mediolanenſi pro natione Italica, & electo Poſnanienſi pro Germanica, & Abbate Sancti Lupi pro Gallicana, & Thoma Poltenſi pro natione Anglicana, inſtitui cœpit criminalis proceſſus & inquiſitio juridica quæ illum onerat nefarijs criminibus ſimoniæ frequentiſſimè iteratæ, adeout omnia ſacra apud illum venalia eſſent. Præterea rapinarum, peculatus, dilapidationis rerum ac bonorum Eccleſiaſticorum, immanium vectigalium, oppreſſionis pauperum omnis generis tum Clericorum tum laicorum. Inſuper vitæ per impudicitiam ſcandaloſæ effuſæque in notoria adulteria inceſtus & ſtupra; ad hæc notoriæ iteratæque evaſionis & fugæ contra præſtitum juramentum ut ſchiſma per ejus ambitionem perduraret. Crimina iſta comprehenſa erant articulis quatuor & quinquaginta quorum ſinguli multis probata erant omni exceptione majoribus teſtimonijs Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Principum virorum, multiſque irrefragabilibus ſcripturis publicis, & privatis quæ plenius referuntur in hujuſce Concilij actis. His ſuperadditæ fuere aliæ quædam accuſationes de occiſo per venenum Alexandro Pontifice ut ejus dignitati ſuccederet, de hæreſi contra rationalium animarum immortalitatem quam negaſſe ferebatur, alijſque gravibus culpis, ſed horum ultimorum nulla in hoc judicio habita eſt ratio, quorum nullæ proferuntur probationes. Probabatur vero Joannis in præcedentibus ſceleribus obſtinata perverſitas, quatenus ſæpius rogatus & admonitus ut ab his deſiſteret, ceſſaretque univerſæ Eccleſiæ quin & ipſis infidelibus & hæreticis ſcandalo eſſe, nullum emendationis morum ſpecimen exhibuiſſet unquam.

3. Reliqua ad hiſtoriam Concilij hujus ſpectantia breviter pro noſtro inſtituto in Synopſi prælibavi. Qui fuerant ex quatuor nationibus à Concilio ad hoc officium inſtituti Procuratores cum alijs Prælatis & præclaris viris ad valuas Eccleſiæ in qua Synodus habebaur conſiſtentes proclamante alta voce nomine omnium Joanne Patriarcha Antiocheno ex Gallica natione ſelecto Joannem Papam cum omnibus ejus receptatoribus & fautoribus citarunt ad Concilium proprio nomine reſponſuros, quorum nemine comparente: iterum citatus proprio nomine Joannes fuit præſens ipſe miſſis à Concilio Legatis alijs qui Cellam vicinum Conſtantiæ vicum profecti, quò fuerat adductus Joannes, ibique ſub militari cuſtodia detinebatur, cui Joanne Vaurenſi Epiſcopo pro cunctis loquente ſignificati ſunt in ſcriptóque traditi inquiſitionis criminalis jam memorati articuli, ut ſi quid haberet defenſionis ipſi ſacroſancto Concilio intra præſtitutum diem præſens proponeret. At Joannes interpellatus reſpondit ſe ratum habere & quantum in ſe erat approbare, omni ſi qua ſibi ſupererat autoritate ſacri Concilij editum adverſus ſe proceſſum ejus ſe juriſdictioni ſubjicere, nihilque in oppoſitum habere defenſionis: ſe porro in poteſtate illius eſſe velle judicioque ejus obtemperaturum nec modo Papali ſed etiam Cardinalitia dignitate ceſſurum, ſi hoc quoque ſacræ Synodo viſum fuerit. Eaque de re priuſquam ad Synodum Legati reverterentur conſcriptum eſt authenticum inſtrumentum.

4. His ita geſtis & relatis ſacrum Concilium definitivam protulit ſententiam quâ Ioannes dictus XXIII. declaratur contra fidem jurejurando promiſſam fugæ criminalis convictus. Sacri Concilij prævaricator, & deluſor, cæterorumque ſcelerum in juridica inquiſitione expreſſorum convictus reus & confeſſus. Proindeque utpote univerſæ Eccleſiæ diſſipator & ſcandaloſus adminiſtrator Summo Pontificatu deponitur, nunquam deinceps eligendus, ſed ſub cuſtodia Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ Regis quandiu Concilio viſum fuerit detinendus. Idemque adverſus Angelum de Coriario dictum Gregorium XII. & contra Petrum de Luna dictum Benedictum XIII. perpetuo & irrevocabili edicto decernitur cum prohibitione ſub interminatione divinæ ultionis, & anathematis pœna adverſus quemcumque cu-

juſcumque conditionis & gradus qui horum aliquē pro Pontifice habuerit, aut ut tali obediverit vel ad eum recurrerit ut Pontificem. Datum Conſtantiæ in ſeſſione 12. ſacri Concilij generalis die Mercurij 29. menſis Maij anno Domini 1415. indictione octava. Biduo pòſt ſignificatum eſt apud Cellam nomine Concilij Ioanni XXIII. definitivum iſtud judicium. Quod idem ipſe conceſſo ad reſpondendum paucarum horarum interſtitio approbavit edicto hac de re ſcripto. Simulque Crucem Papalem de Camera ſua fecit amoveri. Concilioque humiliter acquieſcens, reliqua omnia ſupremæ dignitatis inſignia exuit & à ſe abdicavit.

5. Poſt hæc celebrata eſt ſeſſ. 13. præſidente Joanne Oſtienſi Cardinali ut prius. In hac ad petitionem Promotorum ſeu Procuratorum ſacri Concilij editum fuit decretum prohibens quibuſcumque alijs à Sacerdotibus ad ſanctum Altare ſacrificantibus porrigere vel ſumere Sacramentum Euchariſtiæ niſi ſub ſpecie panis; aut communicandi niſi jejunis, etiamſi Chriſtus Ieſus hoc Sacramentum poſt Cœnam, & ſub utraque panis & vini ſpecie Apoſtolis ſuis diſtribuiſſet. Qua de re inviſe diſſertationem ad calcem iſtius Concilij ſubjectam.

6. Seſſio XIV. Sacri Concilij lætitiam cumulavit. In hac enim Gregorius XII. Procuratore ſuo miſſo Carol. Malateſta Arimini Principe ſuam de Papatu demiſſionem Conſtantiæ palam ſignificavit. Cumque nollet Concilium adhuc pro legitimo agnoſcere facta eſt ipſius mandato demiſſio iſta coram Sigiſmundo Auguſto, qui propterea cum proceribus Imperij, alijſque delectis viris ampliſſimis in aliam ſedem conceſſerat ſeorſim à Concilio, ſed tamen intra eamdem in qua Concilium conſidebat Baſilicam, ibique lectis Gregorij de ſua præſenti abdicatione literis, & in acta publica per Sigiſmundi notarios relatis. Pro certo quidem habendum eſt nullam in Sigiſmundo utpote laico autoritatem extitiſſe iſtam Gregorij Papæ, quinetiam ne quidem infimi gradus Clerici beneficiati demiſſionem ſeu reſignationem acceptandi. Solus enim reſignationem cujuſcumque dignitatis aut beneficij Eccleſiaſtici admittere qui conferendi poteſtatem habet, præclareque ſacris Canonibus iſtud conſtitutum eſt: *Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur per eaſdem diſſolvitur.* C. omnis res 27. q. 2. & eſt regula prima in decretalibus Gregorij IX. de reg. jur. Idcoque Celeſtinus Papa V. Pontificatui renunciavit in manus ſacri Conſiſtorij à quo fuerat electus, quod unum poteſtate pollebat eligendi ſucceſſorem vivente ipſo renunciante, ac reipſa Bonifacium VIII. eidem ſublegit. Præterea Concilij Carthaginenſis IV. canon 27. ſapientiſſimè decernit nec Epiſcopum poſſe niſi de conſenſu Synodi, aut Provincialis, aut Nationalis ſuam Eccleſiam dimittere, neque inferiorem Clericum niſi conſenſione ſui Epiſcopi à quo & promoveri & deſtitui poteſt. Sed ſufficit ad confirmandam Gregor. XII. demiſſionem quod ſacra Conſtantienſis Synodus approbarit ratamq; habuerit. His adde hanc acceptandæ illius abdicationis Pontificiæ facultatem potuiſſe à Synodo ipſi Sigiſmundo aut alteri cuivis delegari. Sed etiam idem Carolus Gregorij procurator per Ioannem Dominicum, qui fuerat Cardinalis obedientiæ Gregorij, protulit alias in forma Bullæ literas ejuſdem, per quas conventum Conſtantienſem ad hoc unum approbabat, ut poſt factam à ſe abdicationem ſpontaneam, deinceps pro legitimo & œcumenico & plenaria poteſtate affatim inſtructo Concilio haberetur. Has literas ſacra Synodus admiſit non quaſi ad canonicam autoritatem ſibi neceſſarias perinde ac ſi antea non habuiſſet, ſed ad pleniorem cautelam & uberiorem certitudinem, quaſi jus novum veteri juri ſuperaddens ex acceſſu novæ obedientiæ cumulatum. Tunc vero Cardinales ad Scamnum Cardinalium Presbyterorum, & ad oſculum ampliſſimi ordinis accedentem Ioannem Dominicum gratulabundi admiſerunt. Sigiſmundus vero priſtinam à qua pauliſper diſceſſerat reſumpſit ſedem. Sacra vero Synodus priſtinarum cenſurarum nexibus exſolvit, atque in Cardinalium cœtum S. Rom. Eccleſiæ de novo cooptavit tam ipſum qui dictus fuerat Gregorius XII. quam illos quoque omnes quos Gregorius idem eadem dignitate & gradu decoraverat. Poſtremo hac ipſa ſeſſione 14. ne quid ad ſanctam univerſæ Eccleſiæ unionem relinqueretur improviſum decernitur ut Petrus de Luna dictus in ſua obedientia Benedictus XIII. per procuratores Synodales ſolemniter requiratur, ut adimpleat quod multoties cum juramento pollicitus fuerat pro Eccleſiaſtica tranquillitate ac pace, ſuo qualicumque Papatu cedat, cum jam duorum eamdem ſibi dignitatem aſſerentium recens præceſſerit exemplum & incitamentum. Quod ſi præſtare recuſet eundem ſancta Synodus poſt decem tranſactos ab admonitione dies declarat omni Papatus jure excidiſſe, Schiſmaticum, contumacem, ſanctæ Eccleſiæ illuſorem, atque hoſtem unà cum ſuis omnibus ſequacibus quos fulminibus Eccleſiaſticis, & armis ſecularium Principum intra Eccleſiæ unitatem permanentium ut hæreticos & ſchiſmaticos ſubjicit in pœnam.

7. Seſſione XV. Poſt examinatas & damnatas ut vidimus ſuperius Ioannis Hus propoſitiones hæreticas & erroneas, ipſoque in ſua falſa doctrina præfractè perſiſtente libri ejus igni traditi ſunt ipſeque autoritate Concilij exautoratus quo ſe indignum præbuerat Sacerdotio, brachio traditus eſt ſeculari cujus judicio flammis eſt addictus. Prodijt etiam ſingulare decretum Concilij damnans propoſitionem de tyrannicidio his editum verbis: *Præcipua ſollicitudine volens hæc ſacroſancta Synodus ad extirpationem errorum & hæreſum in diverſis mundi partibus invaleſcentium providere, ſicut tenetur & ad hoc collecta eſt, nuper accepit quod nonnullæ aſſertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſque reipublicæ ſtatum & ordinem ſubvertere molientes dogmatiſatæ ſunt, inter quas hæc aſſertio delata eſt: Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vaſſallum ſuum & ſubditum, etiam per clancularias inſidias, & ſubtiles blanditias & adulationes, non obſtante quocunque præſtito juramento ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicis cujuſcunque.* Adverſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere, & hunc ipſum funditus tollere, præhabita matura deliberatione declarat, decernit ac definit hujuſcemodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque hæreticam ſcandaloſam, & ad fraudes & deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat & condemnat. Declarat inſuper decernit & definit quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes ſunt hæretici, & tanquam

quam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi.

8. Seſſione XIX. Hieronymus de Praga vir laicus eloquens & variæ eruditionis de hæreſi poſtulatus & convictus, Palinodiam dixit ſuamque hæreſim ejuravit tum voce tum ſcripto in conſpectu Concilij. Cæterum idem in priſtinam relapſus perfidiam haud multo poſt dum celebratur Concilij ſeſſ.21. ſe iterum publicè audiri poſtulavit, prolixaque oratione proteſtatus eſt fuiſſe à ſe injuſtè reprobatam Vvicleffi & Huſſij doctrinam, quam nunc temporis meliore judicio rectam fideique divinæ conformem aſſeverabat. Igitur relapſus contumax & perfidioſus hæreticus dimiſſus eſt judicio ſæculari quo vivens flammis eſt combuſtus, in quarum medio ut prodit oculatus teſtis Pogius Florentinus Satanicus martyr Deo laudes & gratias contenta voce inclamabat. Tempore quod ejus ultimam coram Concilio exhibitionem præceſſerat prudenter carcere ſine charta & calamo, excluſis etiam hominum de quibus ſuſpicio suboriri poſſet congreſſibus, citra aliam omnem pœnam detentus fuerat: ne libertati redditus priſtinam conſuetudinem reſumens, alios ſeducere pergeret, multiſque ſicut prius vir infidus exitio foret.

9. Deinde ſeſſ.39. Ob probatam ab ipſo generalium Conciliorum utilitatem, edicto perpetuo decretum fuit ut poſt quinquennium à dirępto Conſtantienſi Concilio recenſendum, alterum celebretur & hoc poſteriore abſoluto Concilio, alterum exacto ſeptennio agatur pariter generale: quo abſoluto deinceps ſingulis decennijs conveniant generalia Concilia in locis per Romanos Pontifices ante cujuſlibet ultimi Concilij menſem ultimum de ejuſdem Concilij conſenſu, vel in defectum Summi Pontificis ab ipſomet Concilio indicendis; indictum locum niſi occaſione belli, peſtis, alteriuſve urgentis neceſſitatis commutari. Decretum iſtud Patres his exordiuntur verbis: *Frequens generalium Conciliorum celebratio agri Dominici cultura eſt præcipua, quæ vepres ſpinas & tribulos hæreſum, & errorum, & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit.* Verumtamen nulla tam ſancta regula figi poteſt, quâ homines non poſſint in perniciem abuti. Etenim paucis ab hinc annis generale Concilium ſecundum præſens hoc decretum indictum, novum in univerſalem Eccleſiam ſchiſma Pſeudopontificis Amedei dicti Felicis invehet.

10. Verumtamen propter inſurgentes abuſus, quæ aliquando ſancte conſtituta fuere non ſunt convellenda, ſed ſollicitè præcavendi ſunt abuſus ne emergant. Conciliorum convocationes quantæ ſint Eccleſijs utilitati & præſidio inde colligi poteſt, quia illis obſtiterunt, fierique prohibuerunt ex infidelibus Principibus illi qui infenſioribus animis bellum adverſus Eccleſiam concitarunt, ideoque Epiſcoporum conventus ſub atrocium pœnarum comminationibus fieri prohibuerunt. Quod de Licinio infenſiſſimo Chriſtianorum hoſte prodit Euſebius lib.1. vitæ Conſtantini & de Genſerico Vandalorum immaniſſimo Rege qui omnino Eccleſiam Chriſti funditus evertere moliebatur feralibus edictis & ſupplicijs Conciliorum prohibitorijs perhibet Victor Epiſcopus Uticenſis in ſua hiſtoria de Vandalica perſecutione. Ex oppoſito Concilia Summique Pontifices ea frequentius renovari edixerunt, ut liquet ex hac Conſtantienſi ſeſſione & ex effato Urbani Papæ V. quod ſuperius appoſui in limine Vaurenſis conſilij anni 1308. de Provincialibus autem Synodis frequentandis conſule Apoſtolorum canon.36. & Nicænæ primæ Synodi can.5. Antiochenæ can.20. Calchedonenſis can.19. aliaque à nobis adducta ad Nicænum illum can.5. Quibus adde Concilij Turonenſis ſecundi anni 567. can.1. his adjunge S.Leonem Papam epiſt.84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum. Et Carolum magnum ſtatuentem Capitularium lib.1. cap.133. *Ut per ſingulos annos Synodus bis fiat, à Provincialibus Epiſcopis cum ſuo Metropolitano propter cauſas Eccleſiæ.* Imitabatur religioſiſſimus Francorum Rex, & Imperator Conſtantini Auguſti pietatem, qui ut fidem facit Cæſarienſis Euſebius nullis laboribus, nulliſque parcens expenſis, omnibus ſollicitè providebat quæ ad Conciliorum celebrationem & Epiſcoporum commoda requiri poterant, miſſiſq; ad Provinciarum præfectos tractorijs literis diſtrictè mandabat, ut ſingulis Epiſcopis vehicula equos & omne viaticum tam ipſis quam eorum comitatui conveniens large ſuppeditarent. Supereſt ejuſdem Conſtantini Auguſti epiſtola ad Ablavium præfectum tractoria pro Epiſcoporum ad Synodos proficiſcentium expenſis affatim providendis. S. etiam Gregor. Magn. lib.12. epiſt.31. ad Felicem Siciliæ Epiſcopum ipſum admonens, ut memor regulæ à Patribus inſtitutæ bis in anno convocari Concilia curet. Concilio etiam Aurelianenſi ſecundo can. 2. ſancitum legimus: *Ut Metropolitani ſingulis annis Comprovinciales ſuos ad Concilium evocent.* Tertium quoque Aurelianenſe Concilium anni 538. can.1. hoc idem præcipit de convocando Provinciali Concilio ſemel unoquoque anno. Concilium præterea Toletanum tertium anni 589. can.18. meminit quidem anteriorum canonum quibus decernebatur, ut Concilia Provincialia ſingulis annis bis celebrarentur attenta tamen itinerum longitudine, Hiſpanarumque Eccleſiarum paupertate, ſemel unoquoque anno ſufficere declarat ſi ſingulis quibuſcumque annis ſemel Synodus Provincialis habeatur in loco quem Metropolitanus deſignarit, cui conſonat Concilium pariter Toletanum III. anni 633. c.3. & Toletanum undecimum c.15. Senſim itaque ſacra elanguit diſciplina, prioribus enim Eccleſiæ canonibus duæ in anno Synodi & præcipiebantur & convocabantur. Succeſſit his illa tepiditas zeli quæ una Synodo intra annum contenta fuit, ſucceſſit tandem his ætatibus aureæ (ut ita dicam) & argenteæ ſæculum ferreum, quo ejuſmodi Synodorum celebrationes prorſus deſierunt, atque omne pietatis ſtudium extinctum eſt. Addo enim ad vitia extirpanda & depravatos mores reformandos neceſſariæ Synodi ſunt, ut Toletanum Concilium anni 675. in ſui præfatione omnium morum ejus Provinciæ quæ obrepſerat perverſitatem non alij cauſæ quam longiori Synodorum Provincialium intermiſſioni aſcribat. Quam perniciosam negligentiam ab univerſa Eccleſia prorſus amoliri cupiens vigilãtiſſimus Pontifex Innocentius III. convocato apud Lateranum generali Concilio ſic edicit can.6. *Sicut olim à Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis exceſſibus & moribus reformandis præſertim in Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum.*

Habetur

Habetur c. ſicut olim de accuſatio. Attamen iſta ſanctio ſemel convocandæ in anno Synodi Provincialis diu non invaluit. Cumque meliora non ſperarentur ob temporum morumque relaxationẽ & neglectum, Concil. Tridentinum ſeſſ.24. cap.2. de refor. præcepit omnibus Metropolitanis ut ſingulis triennijs Suffraganeorum ſuorum Synodum cogant, eodemque præcepto aſtringit ſingulos Suffraganeos ut eò conveniant & aſſiſtant. Quod idẽ inſtitutum edictis quoq; Chriſtianiſſ. Franciæ Regum firmatum eſt ſcilicet Henrici III. ann.1572. art.1. & ſub ejus regno Comitijs quoque Bleſenſibus art.10. & 24. ſed proh pudor! ſive Prælatorũ Eccleſiam Chriſti neglectui habentium oſcitantiâ, ſive laicorum officialium juſtis Epiſcoporum votis intercedentium æmulatione, ſive quacunque alia infauſta obſtãte cauſa, Eccleſia Chriſti ſponſa, gentiumq; regina tã ſalubri tamq; neceſſario præſidio ſpoliata ingemiſcit. Quænam vero ſocietas hominum in terris incolumis perſiſtere ſine communicato conſilio poteſt? nulla prorſus, nullum Regnũ, nulla Reſpublica, nullus exercitus, nulla navis ne quidem piratica, nullum ſodalitium neque latronum quidem. Quinetiam ipſi hæretici Calviniſtæ ſuas exercent & palam convocant Synodos, ſola tamen Eccleſiæ Catholicæ navis ventorum turbinibus, fluctuum jactationi, ſcopulorumque ac Syrtiũ occurſibus agitata, abſque Concilijs dimittitur.

11. Hac eadem ſeſſ.39. editum eſt decretum iſtud de ſpolijs & procurationibus. *Cùm per Papam facta reſervatio & executio & perceptio procurationum ordinarijs & alijs inferioribus Prælatis debitarum ratione viſitationis, necnon & ſpoliorum decedentiũ Prælatorum aliorumque Clericorum, gravia Eccleſijs Monaſterijs & alijs beneficijs Eccleſiaſticiſque perſonis afferant detrimenta, præſenti declaramus edicto, rationi fore conſentaneum & reipublicæ accommodum, tales per Papam reſervationes ac per collectores, & alios auctoritate Apoſtolica deputatos ſive deputandos exactiones ſive perceptiones de cætero nullo modo fieri ſeu attentari; quinimo procurationes hujuſmodi quorumcumque Prælatorum, Cardinalium etiam, vel ipſius Papæ familiarium, officialium, & aliorum quorumvis Clericorum in Romana Curia, vel extra, ubicumque & quandocumque decedentium, ſpolia ſeu bona eorum mortis tempore reperta, plenè & liberè pertineant illis & ab illis recipiantur, quibus alias præfatis reſervationibus, mandatis, & exactionibus ceſſantibus competerent & pertinere deberent. Prælatis etiam inferioribus & alijs hujuſmodi ſpoliorum exactiones præter & contra juris communis formam fieri interdicimus, conſtitutione Felicis recordationis Bonifacij Papæ octavi quæ incipit præſenti ſuper hoc edita ſpecialiter, in ſuo robore duratura.* Porrò illa conſtitutio præſenti habetur ſub titulo de offic. ordina. in 6.

12. Seſſione 40. Statuitur ut futurus Romanus Pontifex proximè eligendus ejuſque futuri ſucceſſores ſtudeant Eccleſiam reformare tam in capite quam in membris, & Romanæ Curiæ defectus emendare: reformandarum vero rerum catalogum iſtum contexit. Primo de numero qualitate & natione Dominorum Cardinalium. 2. De reſervationibus Sedis Apoſtolicæ. 3. De annatis, de communibus ſervitijs & minutis. 4. De collationibus beneficiorum & gratijs expectativis. 5. De confirmationibus electionum. 6. De cauſis in Romana Curia tractandis vel non. 7. De appellationibus ad Romanam Curiam. 8. De officijs Cancellariæ & Pœnitentiariæ. 9. De exemptionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatis factis. 10. De commendis. 11. De fructibus medij temporis. 12. De non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ. 13. Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi. 14. De extirpatione Simoniæ. 15. De diſpenſationibus. 16. De proviſione Papæ & Cardinalium. 17. De Indulgentijs. 18. De Decimis. Hoc adjecto quod facta per actiones deputatione prædicta liceat eis de licentia Papæ liberè ad propria remeare.

13. Poſt hæc ſeſſ.41. Cui ſicut ſuperius præfuit Joan. Oſtienſis Epiſcopus Cardinalium Decanus, poſt ſacra ſolemnia & perlectam Clem. Papæ VI. conſtitutionem de modo & forma Conclavis in Põtificum electionibus, emiſſoq; juramento delecti ſunt nationũ electi, hac utpote extraordinaria vice Cardinalibus adjungendi, num.30. erant verò Cardinales viginti qui ex tribus obedientijs ad Concilium convenerant. Hi omnes ſimul Conclave ingreſſi die Novembris 8. an.1417. hi ſimul tertio poſt ingreſſum die Novemb.11. ipſo die S. Martini Turonenſis Epiſcopi cultui dicato, Summum dixere Pontificem Odonem Columnenſem ex nobiliſſima Columnenſium familia Diaconum Cardinalem tituli S. Georgij in Velabro, qui in honorem ejus ſancti Epiſcopi cujus tunc dies feſtus occurrebat Martini ſibi nomen elegit, nomine quidem tertius, ſed ob confuſam duorum Martinorũ Sum. Pontificum denominationem dictus eſt quintus, humanitate, manſuetudine, juſtitiaq; & prudentiâ præcellens. Ea vero fuit omnium de ejus creatione lætitia ut præ ingenti gaudio vix loqui poſſent, vocibus exultantium & applaudentium undique perſonantibus. Effuſus immensâ lætitiâ Sigiſmundus ad Conclave accurrit profuſiſque præ gaudio lacrymis exultabũdus poſt tot exantlatos à ſe pro Eccleſiæ pace labores omnibus electoribus gratias ab ipſo limine Conclavis egit, quod tam felici electione penè collapſam Dei Eccleſiam erexiſſent. Simulque ad ſedem novi Pontificis properans cum ſumma veneratione ſe proſternẽs ejus exoſculatus eſt pedes; quem contrà Pontifex amplexus erexit, eidemque gratias rependit cujus indefeſſis ſtudijs continuiſque laboribus à tempore exorti Schiſmatis, recenſendi ab ipſo die quo adverſus Urbanum VI. Clemens dictus VII. Apoſtolicam Sedem occupavit, aduſque electionis Martini diem integros triginta novem annos cum duobus quadrageſimi anni menſibus emenſi: quamquam ne tunc quidem ſciſſura Eccleſiæ planè reſarcita eſt ſuperſtite adhuc Petro Lunenſi, & qui ſuffectus ei ſucceſſor fuit Clemente VIII. quos aliqua ſemper coluit obedientia. Et ſic funeſta illa diviſio annos tenuit quinquaginta.

Seſſionibus poſterioribus ſcilicet XLII. XLIII. XLIV. & XLV. quæ Concilio finem impoſuit, per ſe præſedit Martinus V.

14. Seſſione XLIII. *Martinus Pontifex ſacro approbante Concilio exemptiones reſcidit Eccleſiarum quarumcumque, Monaſteriorum, Capitulorum, Locorum, Beneficiorum, aut perſonarum quas indulſerunt Romani Pontifices poſt obitum Gregorij XI. & ſubordinariorum revocat poteſtatem. Atque in futurum providens declarat ſe nullatenus intendere exemptionum novas conceſſiones, niſi cauſâ plenè cognitâ & illis quorum intereſt vocatis.* Eadem ſeſſione idem edixit ut ſequitur: *Uniones ac incorporationes tempore obitus Gregorij XI. factas*

*cum certa regula dari non poſſit ad querelas eorum quorum intereſt ſi non rationabilibus & veris cauſis facta fuerint*, licet Apoſtolicæ Sedis autoritas intervenerit, revocabimus juſtitia mediante. Qua eadem ſeſſione ſanxit: *Fructus & proventus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Beneficiorum vacationis tempore obvenientes juris, vel conſuetudinis, vel privilegij diſpoſitioni relinquimus, illoſque nobis vel Apoſtolica Cameræ prohibemus applicari.*

15. Eadem item ſeſſione ſic conſtitutum eſt: *Multæ contra ſimoniacam pravitatem ab olim factæ ſunt conſtitutiones quibus ille morbus non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cætero ut poſſumus attentius providere ſacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati ſimoniacè ab executione ſuorum ordinum ſint eo ipſo ſuſpenſi. Electiones autem poſtulationes, confirmationes, & quævis proviſiones ſimoniacæ Eccleſiarum Monaſteriorum, Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque deinceps factæ nullæ ſint ipſo jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur, nec promoti confirmati aut proviſi faciant fructus ſuos, ſed ad illorum reſtitutionem teneantur. Statuentes inſuper quod dantes & recipientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etiamſi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.*

16. Ibidem pariter de diſpenſationibus hæc ſtatuit: *Quoniam beneficia propter officia conceduntur reputamus abſurdum, ut qui beneficia obtinent recuſent aut negligant officium exercere. Nos igitur ſacro approbante Concilio omnes diſpenſationes à quibuſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentibus conceſſas quibuſcumque electis confirmatis ſeu proviſis ad Eccleſias, Monaſteria, Prioratus Conventuales, Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæcumque beneficia quibus certus ordo debitus eſt vel annexus, ne munus conſecrationis Epiſcopi ſive Abbatis benedictionem aut cæteros debitos aut annexos ordines ſuſcipiant, præter illas quæ ſecundum formam conſtitutionis Bonifacij octavi quæ incipit, cum ex eo quod felicis, de electione in 6. factæ ſunt revocamus: ſtatuentes ut qui de præſenti illos vel illa obtinent infra ſex menſes à die publicationis hujuſmodi conſtitutionis noſtræ, & qui in poſterum obtinebunt infra terminum juris ſe faciant conſecrari aut benedici, ſeu ad alium debitum ordinem promoveri. Alioquin ſint ipſis Monaſterijs, Eccleſijs, Dignitatibus, Perſonatibus, Officijs, & Beneficijs ipſo jure privati, & alijs liberè conferantur aut provideatur de illis cæteris conſtitutionibus circa hoc editis in ſuo robore duraturis.*

17. De Decimis autem & alijs oneribus Eccleſiaſticis ibidem ſic proviſum eſt. *Præcipimus & mandamus jura quæ prohibent inferioribus à Papa decimas & alia onera Eccleſijs & perſonis Eccleſiaſticis imponi diſtrictius obſervari. Per nos autem nullatenus imponantur generaliter ſuper totum Clerum, niſi ex magna & ardua cauſa & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente & de conſilio & conſenſu & ſubſcriptione fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium & Prælatorum quorum conſilium commodè haberi poterit. Nec ſpecialiter in aliquo Regno vel Provincia, inconſultis Prælatis ipſius Regni vel Provinciæ, & ipſis non conſentientibus vel illorum majori parte, & eo caſu per perſonas Eccleſiaſticas & autoritate Apoſtolica duntaxat leventur.* Huc refer c. non minus, & c. adverſus de immunit. Eccleſ. ambo ex Concilijs Lateranenſibus.

18. Terminatur iſta ſeſſio 43. editis conſtitutionibus de vita & honeſtate Clericorum circa tonſuram & capillos, veſteſque Clericales & cultum exteriorem, ut ſit modeſtus & ab omni luxu alienus. Arguit & execratur (hoc enim verbo utitur) in Prælatis Eccleſiæ *longas cum ſumptuoſa ſuperfluitate veſtes, & fodraturas ultra veſtis oram excedentes.* Veteres inſtaurat de Clericorum exteriore cultu Canones, quibus novas adjungit pœnas adverſus inobedientes.

19. Seſſione XLIV. Martinus Pontifex maximus de conſenſu generalis Concilij locum celebrandi proximè (ſcilicet ut conſtitutum hic fuerat ſeſſione 39. poſt emenſum quinquennium) civitatem Papienſem deſignavit.

20. Ad poſtremum Seſſione XLV. dimiſſum eſt in pace ſacroſanctum Concilium. De cujus approbatione interpellatus Martinus reſpondit propria voce & palam ore Auguſtini de Piſis Fiſcalis & Conſiſtorialis Advocati eo modo quo ſupra dixi. Sicque deſijt ſacrum generale Concilium die vigeſima ſecunda Aprilis anni Domini 1418.

21. Gregorius XII. Cum eſſet longo ſenio provectus non diu propriæ abdicationi ſupervixit. Joannes autem XXIII. cui laus multa debebatur ex ſpontanea hujus Concilij indictione, ſuæque dignitatis abdicatione, quia tamen per ſui evaſionem contra promiſſam jurejurando fidem, diffidendi à ſe cauſam dederat, peſſimè omnium habitus eſt inquiſitione gravium criminum, & Synodali ſententia gravi inuſtus infamiâ, & perpetuæ addictus cuſtodiæ; Attamen poſt dimiſſum Concilium inſignem Martini Pontificis expertus eſt humanitatem. Cùm enim Sigiſmundo Auguſto, ejus detentionis cura à Concilio demandata fuiſſet, Pontifex Martinus occultis officijs peregit ut ſineretur clam dilabi, illeque arreptâ ex Germanico carcere fugâ, properavit ad Pontificem Florentiæ tunc degentem, ad cujus pedes provolutus ſe ſuamque vitam & fortunas in ejus conſtituit poteſtate. Quem ille magna exceptum benignitate Epiſcopum Tuſculanum & Cardinalem creavit, atque inter ſacri Collegij purpuratos Decanum fecit.

## *PAPIENSE AC SENENSE CONCILium anni* 1423.

1. CUM ad Concilij Conſtantienſis exitum Martinus V. de Concilij conſenſu proximum intra quinquennium generale Concilium celebrandum in Papienſi oppido Ticino olim dicto indixiſſet, eò quoſdam Epiſcopos & regularium Prælatos anno 1423. præmiſit ſacrum Concilium auſpicaturos. Sed tranſacto trimeſtri ab eorum adventu, cum nec alij advenitarent, jamque peſtis oppidum invaſiſſet quod olim extiterat Longobardorum Regum ſedes & regni caput, inde commigrare neceſſe fuit, deſignataque Senenſi ad Concilij tranſlationem urbe pleri que Antiſtites in eam confluxere numero tamen ad Concilium generale adhuc impari, qui de reformationis articulis minimè inter ſe convenientes omnem ea de re definitio

definitionem ad Pontificem remiſerunt. Interim Alfonſus Aragonum Rex Martino Papæ infenſus eo quod Ludovico Andegavenſi à Joanna Neapolitana Ladiſlai ſorore adoptato jura & ſucceſſionem ejus regni adjudicaſſet, reſciſſa præcedenti adoptione Alfonſi ob ejus ingratum erga beneficam ſibi Joannam animum, quam regno exturbare conatus fuerat ut ſolus regnaret, belloque internecino inſectabatur. Ille inquam Alfonſus Aragonum Rex in odium Pontificis partem Antipapæ Petri Lunenſis penè extinctam reſuſcitavit, eumque pro legitimo Pontifice haberi juſſit, & ad Senonenſe Concilium oratores tranſmiſit, qui Petri à Luna cauſam agerent, Conciliumque ſi fieri poſſet in ejus partes traducerent multa pecuniarum largitione. Hanc ob cauſam veritus Martinus ne ſcintilla iſta incendium aliquod excitaret, Concilium maturè diſſolvit, atque in ſequens ſeptennium celebrandum alterum Baſileæ Rauracorum indixit. Anno inſequenti mortuus eſt inveteratus ille dierum malorum Petrus à Luna expletis umbratilis Pontificatus annis triginta, cum tamen nemo ſucceſſorum Petri annum quo deſijt Romanus Petri Pontificatus apud Romam ſedentis potuerit attingere, quamvis juvenes non pauci eam ſedem aſcenderint in tam longo annorum à Petro decurſu. Moriens Lunenſis ſuos apud Paniſcolam ſub obtentu æternæ maledictionis adjuravit, ut ſibi demortuo eligerent ſucceſſorem. Itaque à duobus ejus Cardinalibus ſuperſtitibus creatus eſt Pontifex Ægidius Sancij Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicus, qui ſe Clement. VIII. dixit, quem in odium Martini Alfonſus Arago. fovit ad ann. uſque 1429. menſemque Junium, cujus die 26. compoſitis demum cum Martino rebus ex Alfonſi Regis voluntate Ægidius inſignia Pontificia dimiſit, & Paniſcola abſceſſit.

## *CONCILIUM PARISIENSE anni 1429.*

1. ANno celebrationis Concilij hujus Carolus VII. Francici regni jus habebat, non tamen poſſeſſionem regni, niſi exiguæ partis; Angli enim majori parti dominabantur. Quos tamen ſequentibus annis Carolus paulatim toto regno exegit. Concilium iſtud ſub Anglica dominatione peractum eſt. Pariſijs enim degebat nomine Regis Anglorum Dux Bedfordiæ titulo decoratus Regentis per univerſum Franciæ regnum; Summo tunc exiſtente Pontifice Martino V. Imperatore autem Sigiſmundo. Concilio huic Provinciali præſedit Archiepiſcopus Senonenſis, Joannes Suffraganeum tunc temporis habens Pariſienſem Epiſcopum. Joannes hanc indicens Synodum ſic præfatur: *Cum quibuſdam Canonicis ſanctionibus cautum exiſtat quod omnes & ſinguli Chriſtianitatis Archiepiſcopi de triennio in triennium ſua Concilia Provincialia ſub certis pœnis, canonico tamen ceſſante impedimento, celebrare teneantur, in quibus de criminibus corrigendis, ac moribus in Clero & populo reformandis, diligenter tractari oporteat: fueruntque talia Concilia à multis retroactis temporibus quodam deſidioſo neglectu prætermiſſa, quæ ex re multa & varia delicta incorrecta remanſerant, & plurimum in magnum animarum periculum invaluerant, ac de die in diem invaleſcunt, propter quæ veriſimiliter præſumitur iram Domini ſuper nos, & ſuper gregem nobis ab eo creditum, in eorumdem pœnam & vindictam delictorum deſcendiſſe. Quapropter nos cupientes circa prædicta quantum nobis adeſt poſſibilitas de opportuno remedio providere, hujus noſtræ Senonenſis Provinciæ Concilium Pariſijs convocamus, &c.* Etenim Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. jubet quemadmodum & cætera quæ præceſſere ſingulis ſemeſtribus Provinciales Synodos renovari. Matiſconenſis ſecundi Concilij anni 585. can. 20. decernit ſingulis triennijs celebrari Synodos Provinciales. *Univerſæ* (inquit) *fraternitatis deliberatione complacuit ut ad Synodum poſt trietericum tempus omnes conveniant.* Concilium Lateranenſe quartum œcumenicum ſub Innocentio III. can. 6. *Sicut olim* (ait) *à Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare.* Sed quo numero non exprimit. Quod enim ait Concilia in plurali poteſt ad plures Metropolitanos & Provincias plures referri.

2. Canon I. *Glorioſiſſimi Eccleſiæ Doctores ac plurimi ex Sanctis antiquis Patribus ſervitium Eccleſiaſticum ad laudem & gloriam Dei Creatoris noſtri & ejus benedicti filij Ieſu Chriſti Domini noſtri ſanctè & laudabiliter inſtituerunt & ordinaverunt. Quod quidem ſervitium tanto ſanctius & reverentius fieri oportet, quanto ille ad cujus fit laudem & honorem ſanctior & glorioſior exiſtit. Sanè prout quibuſdam referentibus, & per experientiam didicimus, plures Eccleſiarum miniſtri non attendentes majeſtatem & dignitatem illius ad cujus ſunt deputati famulatum, in ſuis officijs Eccleſiaſticis minus devotè & reverenter ſe habent quod in plurimorum ſcandalum ac exemplum pernicioſum cedere dignoſcitur. Quapropter nos attendentes quod licet ſummo Deo creatori noſtro dignè ſervire non poſſumus; tamen quantum humana ſinit fragilitas, eidem debemus cum devotione & ſanctitate præſtare famulatum: omnibus tam Cathedralium quam Collegiatarum, ac cæterarum quarumcumque Eccleſiarum Clericis & Miniſtris præcipimus ſub pœna privationis ſuarum diſtributionum, vel aliâ arbitrio ſuperiorum infligendâ, quatenus amodo divinum ſervitium in Eccleſijs ſuis tractim atque devotè & horis congruentibus dicant atque decantent, & in Pſalmorum decantatione pauſas faciant in medio verſuum prout convenit: nec pars chori pſallitura alium verſum incipiat antequam ab alia parte ſit omnino alius Verſus finitus. Capitula autem ſupradictarum Eccleſiarum, vel eos ad quos de jure vel conſuetudine ſpectat divinum Officium ordinare, in Domino exhortamur, quatenus prædictum ſtatutum, & alia ſequentia quæ divinum Officium concernunt, faciant cum ſolita diligentia à ſuis Clericis irrefragabiliter obſervari.*

Huc pertinet conſtitutio Concilij generalis Lateranenſis quarti ſub Innocentio III. can. 17. celata

lata in c. dolentes de celebra. Miſſa. ſic enunciata. *Dolentes referimus quod non ſolum minores quidam Clerici, verumetiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſſationes ſuperfluas, & confabulationes illicitas (ut de alijs taceamus) ferè medietatem noctis expendunt: & ſomno reſiduum relinquentes vix ad divinum concentum avium excitantur, tranſcurrendo undique continuâ ſyncopâ matutinum. Sunt & alij qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno & (quod deterius eſt) intereſſe contemnunt: & ſi quando dum hæc celebrantur interſint, chori ſilentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis Deus dederit ſtudioſè celebrent pariter & devote.* Quæ verba Gloſſa in decretalibus ſic exponit: ſtudioſè, quantum ad Officium oris id eſt ſine ſyncopa. Devotè quantum ad Officium cordis. Certè ipſamet pſalmodia & ſacrorum Canticorum cantus permultum confert mentibus rebus vanis non addictis ad devotionem, & pios cordis affectus per quos Chriſti gratia elicitur, & in cordis intima effunditur. Præſtat hac in re Sanctum audire Doctorem Eccleſiæ Gregorium Papam ſic diſſerentem in homilia 1. ad Ezechielem: *Cum Heliz um Prophetam Ioſaphat de futuris requireret, & Prophetiæ tunc ei ſpiritus deeſſet, pſaltem fecit applicari, ut Prophetiæ ad hunc ſpiritus per laudem pſalmodiæ deſcenderet, atque ejus animum de venturis repleret. Vox etenim pſalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel Prophetiæ myſteria vel compunctionis gratiam infundat. Unde ſcriptum eſt ſacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei. Quod enim Latinè ſalutare hoc Hebraicè Ieſus dicitur. In ſacrificio igitur laudis fit Ieſu iter oſtenſionis; quia dum per pſalmodiam compunctio effunditur, via nobis in corde fit per quam ad Ieſum in fine pervenitur.*

Can. II. *Caveant etiam ſupradicti Clerici à locutionibus, deriſionibus & garrulationibus quas in Eccleſijs plures ex eis facere conſueverant. Quod ſi moniti abſtinere minimè voluerint, unius diei ſint eo ipſo diſtributionibus privati. Prohibemus inſuper ſub pœna privationis fructuum beneficiorum ſuorum per unum menſem, ne de cætero ſupradicti Clerici facere præſumant deriſorios & inhoneſtos ludos, quos in feſtis Sanctorum quidam ex ipſis facere conſueverunt, præcipuè autem à ſupradictis ludis & alijs quibuſcumque irriſibus, choreis, & cantilenis abſtineant, cum divinum celebratur Officium, cum Deo noſtro ſatis non valeamus deſervire, cui nec Angeli famulari ſufficiunt, nec ejus magnitudinem valet ambitus cœlorum comprehendere.*

Can. IV. *Cum Eccleſiaſtici viri & maximè hi qui in Eccleſia Dei beneficia obtinere dignoſcuntur, alijs debeant devotionis & ſanctitatis exemplum præbere, illi meritò reprehenſione digni ſunt qui licet vitæ ſuſtentationem ab Eccleſia receperunt; tamen ad divinum ſervitium peragendum lenti ſunt frigidi ac remiſſi: Sanè ad noſtrum devenit auditum quod aliquibus ex eis qui Canonicatus obtinent & Præbendas, ſufficit ad lucrandas ſuas diſtributiones, in aliqua trium præcipuarum horarum ſcilicet Matutinis, Miſſa, aut Veſperis, introitum & exitum vel eorum alterum facere, nullâ vel modica quidem in choro facta reſidentiâ, quod in magnum cedit Eccleſiaſticorum deriſum atque contemptum: quapropter nos tales abuſus ab Eccleſia Dei & ejus miniſtris exulare cupientes, omnia capitula tam Cathedralium quam aliarum Eccleſiarum in Domino exhortamur, quatenus circa prædicta ſic provideant, etiam per privationem diſtributionum quas in illa hora lucrarentur, quod apud Dominum valeant meritum reportare.*

3. Can. VII. *Inſuper hortari & admoneri jubemus Eccleſiaſticos viros per ſuos ſuperiores quatenus Eccleſiarum vaſa & ornamenta munde & honeſte teneant, & præcipuè ea quibus ad ſacrificium Altaris opus habent. Et quod in locis ſacris etiam & religioſis choreas, cantilenas, ludos, & mercatus fieri non permittant.*

Hac in re memorabilis eſt canon 19. Concilij generalis Lateranenſis quarti ſub Innocentio tertio, ſic dicens: *Relinqui nolumus incorrectum quod quidam Clerici ſic exponunt Eccleſias ſupellectilibus proprijs atque etiam alienis ut potiùs domus laicæ quam Dei Baſilicæ videantur, non conſiderantes quod Dominus non ſinebat ut vas transferretur per templum. Sunt & alij qui non ſolum Eccleſias dimittunt incultas, verumetiam vaſa miniſterij, & veſtimenta miniſtrorum, ac pallas altaris, necnon & ipſa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus ſunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus ne hujuſmodi ſupellectilia in Eccleſijs admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates urgentes ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen ut neceſſitate ceſſante res in loca priſtina reportentur. Præcipimus quoque ut oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere quæ dedecerent etiam in profanis.*

Sanctus Maximus martyr in libro ſuo Eccleſiaſticæ myſtagogiæ prolixè confert Eccleſiam Chriſti cum opificio mundi hujus magni, & cum homine qui parvus mundus ac microcoſmus appellatur, ut quemadmodum in utroque mundo duo ſpectantur, unum quidem intelligibile ac inviſibile, alterum viſibile & corporeum, ſimiliter oſtendit duabus Eccleſiam partibus conſtare, quarum nobilior quidem ſit ſpiritualis, & cui propria ſit ſanctitas, altera vero ſit materialis, & corporea, quæ cum ad divinum quoque cultum referatur exigit pro ſua proprietate εὐπρέπειαν καὶ καθαριότητα, ut ibidem loquitur cap. 3. id eſt decorem & mundiciem. De ſanctitate quidem quæ ſpiritualis perfectio eſt ſic enunciat Pſalm. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

At

At vero de externo decore Pſal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Exemplo ſit Nepotianus à Sancto Doctore Hieronymo laudatus in ejus ad Heliodorum epitaphio. *Erat* (ait) *ſollicitus ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligne, ſi pavimenta terſa, ſi janitor creber in porta, ſi vela ſemper in oſtijs, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta,* (& poſt pauca interjecta) *Baſilicas Eccleſiæ & Martyrum conventicula diverſis floribus, & arborum comis, vitium pampinis adumbrabat, ut quidquid placebat in Eccleſia tam diſpoſitione quam viſu Presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.*

Can. XXV. *Quia Dominus in veteri teſtamento & ſabbata & alias feſtivitates ſanctificari voluit, & diſtricte præcepit in eiſdem ab omni opere abſtinere: & in novo teſtamento Dominicales dies aliaque feſta ab Eccleſia indicta eorumdem loco ſucceſſerunt, quæ à pluribus male & negligenter obſervantur: Nos ad honorem Dei & Sanctorum ſuorum jubemus & diſtricte præcipimus ſupradictos Dominicales dies & ſanctorum feſta, & præcipue ea quæ ad honorem Chriſti & ejus glorioſæ Genitricis Mariæ & ſuorum Apoſtolorum inſtituta ſunt, una cum alijs feſtivitatibus quæ ſicuti feſta Apoſtolorum conſueverunt obſervari, ab omnibus ſubditis noſtris cum omnimoda reverentia obſervari, abſtinendo ſcilicet ab omni opere ſervili & manuali, ac divinorum auditioni cum matura devotione vacando, illum abuſum penitus reprobantes quo mareſcalli & barbitonſores ſupra dictis Dominicis & alijs B. Mariæ & Apoſtolorum & ſupradictis feſtivitatibus credunt ſibi licitum fore ſua miniſteria etiam præter neceſſitatem exercere: circa quem volumus per ordinarios de opportuno remedio provideri, ipſos monitione prævia corrigendo.*

4. Can. XXVII. *Ad noſtrum devenit auditum quod in hac Senonenſi provincia eleemoſynarum quæſtores abuſus ſuos multiplicare non ceſſant, quodque prædicationis officium licet ignari & illiterati ſint uſurpare non verentur & per vana mendacia & alia ficta blandimenta pauperum ſimplicium pecunias extorquent, & quod deterius eſt ſanctæ ſedis Apoſtolicæ & aliorum inferiorum ſimiliter bullas ac literas falſificant & corrumpunt in plurimorum ſcandalum & gravamen. Quapropter nos contra tales nequitias & abuſus providere volentes, Epiſcopis hujus provinciæ præcipimus quatenus à ſuis ſubditis curatarum Eccleſiarum rectoribus faciant inviolabiliter obſervari jura & canones ac ſtatuta quæ contra ſupradicta ſancte & laudabiliter providerunt & c. cum ex eo, & Clementinam abuſionibus de pœniten. & remiſſ. Nolumus tamen populi devotionem per ipſos Curatos vel rectores quam gerunt ad ſanctos quorum ſupradicti quæſtores procuratores exiſtunt quomodolibet impediri.*

Doloſas quæſtorum artes ſæpenumero ſed inanibus conatibus reprimere anteriora huic Concilia conata ſunt, Concilium nimirum generale Lateranenſe quartum can. 63. & refertur c. cum ex eo de pœnit. & remiſſ. Et Concilium Viennenſe pariter generale relatum in c. abuſionibus Clem. de pœnit. & remiſſ. Itemque Burdigalenſe anni 1255. can. 2. & Budenſe anni 1279. can. 28. Sed cum nulla præcautio renaſcentibus quæſtorum & in dies invaleſcentibus fraudibus ſufficeret, nodum iſtum (ut ita dicam) Gordium innumeris impoſturis implexum & inſolubilem prorſus reſcindendum cenſuit Tridentina Synodus per abſolutam officij quæſtorum abolitionem & omnimodam prohibitionem, cui mederi nec prædicta Concilia neque alterum pariter generale Concilium Lugdunenſe ſecundum ſub Innocentio Papa quarto relatum c. 1. de pœniten. & remiſſ. nullatenus prævaluerant. Sed felicius tot fraudes & publicas & ſcandaloſas extinxit ſemel abolendo tam pernicioſum officium ſeſſ. 21. cap. 9.

Can. XXVIII. *Cum plures ſint qui propriæ ſalutis penitus negligentes non niſi ſemel in anno propria peccata confitentur, propter quod cum memoria hominum ſit labilis, non bene poſſunt ſuorum memoriam habere delictorum, in magnum animarum ſuarum periculum. Nos huic morbo providere cupientes, præcipimus curatis & Eccleſiarum rectoribus, quatenus ſuos Parochianos hortentur & inducant ad ſua peccata confitenda in quinque ſolemnitatibus Domini præter Paſcha, ſcilicet in Pentecoſte, in Aſſumptione Beatæ Mariæ, in feſto omnium ſanctorum, in Nativitate Domini, & in initio quadrageſimæ. Et fiant exhortationes Dominicis diebus ſupradictas feſtivitates præcedentibus.*

5. Can. XXIX. *Medicinalis artis magiſtri, licet juxta canonum ſtatuta non debeant infirmis corporalem medicinam exhibere, niſi prius exhortatione facta per eos quod ſua peccata confiteantur, nihilominus ijdem magiſtri tam ſanctum & ſalutare ſtatutum ſervare contemnunt in magnum præjudicium animarum, cum frequenter eveniat quod infirmitatibus creſcentibus & quam repente invaleſcentibus plures ſine confeſſione moriantur. Nos ideo ſupradictis Epiſcopis injungimus quatenus decretalem circa hoc editam quæ incipit. Cum infirmitas de pœnit. & remiſſio. faciant inviolabiliter cuſtodiri, prius tamen hoc præſenti ſtatuto publice declarato vel notificato populo, ne forſitan infirmi cum per ipſos magiſtros inducentur de ſalute animæ cogitare, credant ſe in periculo mortis exiſtere.*

Pius Papa V. anno 1566. conſtitutionem Innocentij tertij renovavit, vetuitque medicis viſitationé ægrotorum lecto decumbentium poſt diem tertium (in quo mitigavit Innocentij decretum exigens à medicis ut à prima viſitatione ſuos admoneant ægrotos) niſi ægritudine laborans peccata ſua per ſacramentalem confeſſionem eluerit & expiaverit.



Digitized by Google

Can. XXX. *Inclytæ memoriæ Bonifacius VIII. in ſua decretali quæ incipit. Quoniam ut intelleximus de juram. lib.6. vinculo excommunicationis innodavit omnes qui impediunt cauſas tractari coram judicibus Eccleſiaſticis quæ de jure vel conſuetudine tractari conſueverunt. Et plures ſunt ſimplices & alij qui forſitan propter ignorantiam ſupradictæ conſtitutionis excommunicationis vinculo innodantur. Nos volentes eorumdem periculis animarum obviare, omnibus curatis & rectoribus Eccleſiarum præcipimus quatenus juxta generalem obſervantiam plurium provinciarum & diœceſum hujus regni intra miſſarum ſolemnia Dominicis diebus pro excommunicatis cum ſolemnitate denuncient omnes qui modo ſupradicto moleſtiam vel gravamen curijs Eccleſiaſticis inferre præſumunt, Et hoc juxta conſtitutionem prædictam, Quoniam ut intelleximus.*

Can. XXXII. *Canonica jura non ſine magnis rationibus jubent matrimoniorum contractus in Eccleſijs publice celebrari; ſcilicet propter ſacramenti dignitatem, reverentiam & honorem, in quo confertur gratia ſicut & in cæteris ſacramentis: & etiam ad tollendam omnem malam peccati ſuſpicionem, cum plures exiſtimare poſſent inter ipſos conjuges ſolum fore concubinatum, ſi de ipſo matrimonio publice non appareret. His tamen non obſtantibus plures ſunt qui à Prælatis ſuis faciliter obtentâ licentiâ, non in ipſis Eccleſijs ſed in privatis oratorijs matrimonium contrahunt & ſolemniſant, quod cedit in maximum ejuſdem ſacramenti contemptum. Nos autem circa id providere volentes omnibus Epiſcopis Archidiaconis & Eccleſiarum rectoribus ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem prohibemus, ne de cætero in privatis oratorijs ſolemniſationem matrimoniorum faciant aut fieri diſpenſent, niſi forſitan ſubſit ingens vel neceſſaria cauſa & non ficta, etiam pluribus præſentibus.*

6. Can. XXXIII. *Inſuper ſub eiſdem pœnis & propter eaſdem cauſas Epiſcopis, Archidiaconis & alijs quibus id de jure vel conſuetudine competit injungimus ne de cætero ita facile diſpenſent ſuper Bannis in matrimonio concedendis, etiam prætextu pecuniæ cujuſcunque, ſicut hactenus diſpenſare conſueverunt.*

Provide ſtatutum fuerat in generali Concilio Lateranenſi quarto can. 5. Prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærendo clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus intereſſe præſumat. (Et mox) ſtatuimus ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſijs per Presbyteros publicè proponantur competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum opponat, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent utrum aliquod impedimentum obſiſtat. Habetur c. cum inhibitio. de clandeſtina deſponſatio. Vide cauſam 30. q. 5. per totam.

7. Can. XXXV. *Cum ſoli clerici ad altare Domini cum divina celebrantur debeant accedere, omnibus Epiſcopis hujus provinciæ injungimus, quatenus ſub certis pœnis per illos imponendis faciant à laicis obſervari caput primum de vita & honeſ. cler. Cum etiam in veteri lege cujus ſacrificijs longe dignius eſt ſacroſanctum altaris miniſterium, laicalis populus ad altare Dei non auderet accedere.*

Diſſitum enim erat atrium populi ab atrio Sacerdotum in quo erat altare Holocauſtorum, quò prohibebatur alij cuivis de populo acceſſus. Sic vero decernit allegatum illud c. 1. ex Concilio Moguntino depromptum. *Vt laici ſecus altare quando ſacra myſteria celebrantur ſtare vel ſedere inter clericos non præſumant: Sed pars illa quæ cancellis ab altari dividitur tantum Pſallentibus pateat clericis. Ad orandum vero & communicandum laicis & fœminis ſicut mos eſt pateant Sancta Sanctorum.* Nemo peritus ignorat reprehenſionem à ſancto Epiſcopo ſeniori Theodoſio Auguſto factam intra Baſilicam Mediolanenſem, eo quod poſt altaris oblationem inter clericos in ipſo ſanctuario conſtitiſſet. Inviſe ſuperius quæ hac de re congeſſi ex veterum monumentis in diſſertatione de veterum Eccleſiarum ſitu partibus & forma. Obſerva vero caput illud 1. de vita & honeſ. cler. à compilatore attributum Concilio Moguntino, eſſe proprie Concilij Turonenſis ſecundi c. 4.

8. Can. XXXVI. *Cum judices ſæculares quandoque clericos in ſuis carceribus detentos & ab Eccleſijs requiſitos reſtituere nolunt, volumus quod provinciale ſtatutum in pluribus Concilijs provincialibus renovatum diligenter obſervetur, cuius forma talis eſt. Statuimus ac etiam ordinamus ut ſi contingat aliquem clericum in villis & caſtris diœceſis & provinciæ Senonenſis per judicem capi ſæcularem, qui ſufficienter requiſitus de reddendo dictum clericum ſuo judici Eccleſiaſtico, non reddidit ſeu reſtituit in ſua malitia perſeverans, in dictis villis ſeu caſtris quandiu detinebitur idem clericus, ceſſetur à divinis, nedum in Eccleſia intra cuius confines dictus clericus detineri dignoſcetur: ſed etiam in alijs, ſi in dictis villis & caſtris plures Eccleſias eſſe contigerit: quod ad religioſa monaſteria in dictis villis vel caſtris conſtructa & alias Eccleſias eis contiguas extendi volumus, ne ſi in aliquibus ceſſarent, & in alijs non, ſententia ceſſationis ſeu interdicti valeat vilipendi: prædictas autem ceſſationes auctoritate præſentis Concilij ab omnibus tam exemptis quam non exemptis cum de iure ad hoc teneantur, volumus obſervari.*

Verba hæc, *cum de iure ad hoc teneantur,* verificantur per conſtitutionem Clementis Papæ V. in Concilio generali Viennenſi definiente, Regulares & quoſcunque exemptos teneri ſervare in ſuis Eccleſijs interdictum locale generale. Et ſi violare eis contingat eſſe ipſo facto excommunicatos ut habetur

habetur c. 1. & c. cum ex eo Clemen. de ſent. excommu. Hoc idem ſtatutum hic allegatum legitur iiſdem pariter verbis in Concilio Melodunenſi anni 1323.

Can. XXXVII. *Ad noſtrum devenit auditum quod in hac provincia quidam temporales Domini & eorum officiarij quandoque ſub magnis pœnis inhibent ſuis ſubditis & alijs in Dominio ſuo commorantibus ne alter alterum citare faciat in foro juriſdictionis & Eccleſiaſticæ, etiam in perſonalibus actionibus, & quod deterius eſt ſupradicti Domini vel eorum officiarij plerumque prohibent curatis ſeu rectoribus Eccleſiarum aut alijs Presbyteris, ne ſigillent vel executioni mandent citationes & alias literas curiarum Eccleſiaſticarum,& quandoque cogunt eos, ad quorum inſtantiam aliqui ex eorum ſubditis propter ſuam contumaciam fuerunt legitime excommunicati ut illos faciant abſoluere : quod ſi recuſaverint vel diſtulerint, faciunt illos in carceribus detineri. Quæ omnia ſunt in magnam læſionem & turbationem Eccleſiaſticæ juriſdictionis : & cum abſolutio taliter extorta nulla ſit ipſo jure, taliaque perpetrantes novam excommunicationis ſententiam nulli dubiam incurrant : eaque propter nos talium dominorum vel officiariorum auſus temerarios refrænare cupientes, jubemus antiqua provincialia ſtatuta circa hæc edita inviolabiliter cuſtodiri, quibus cavetur quod ſi aliqui Domini vel judices temporales aut eorum ſervientes vel miniſtri aliqua ex gravaminibus Eccleſiaſticæ juriſdictioni inferre præſumpſerint, & de talibus vel altero eorum legitime conſtiterit, canonica monitione præmiſſa ceſſetur à divinis iuxta formam præcedentis ſtatuti, & niſi tale gravamen intra octo dierum ſpatium fuerit reparatum, volumus & præcipimus quod ille vel illi qui tale vel talia perpetraverint, & circa ea dantes auxilium, conſilium, vel favorem, autoritate præſentis Concilij denuncientur publice & ſolemniter ipſo facto excommunicati. Cum abſolutio taliter vi extorta nulla ſit ipſo iure, taliaque perpetrantes novam excommunicationis ſententiam nulli dubium incurrant.*

## CONCILIVM GENERALE

*Baſileenſe inchoatum anno* 1431.

1. INdictum fuerat Baſileæ Concilium univerſale à Martino V. Pontifice maximo quo è vivis exempto qui ei ſucceſſit Eugenius Papa IV. iſtud ipſum convocavit anno primo quo Pontificatum inijt, qui fuit ab ortu Chriſti 1431. Eſt Baſilea Galliæ Belgicæ civitas apud Rauracos haud procul diſtans à ruinis & ruderibus veteris urbis Auguſtæ Rauracorum ad Reni fluenta condita in confinio Heluetiorum, quibus nunc fœdere contributa eſt & Triboccorum qui nunc Alſacij nuncupantur,& Sequanorum qui ſunt Comitatus Burgundiæ accolæ. Huic Synodo primùm præſedit Apoſtolicus Legatus Iulianus Cæſarinus Cardinalis Diaconus S. Angeli. Nec ulli dubium fuiſſe initio legitimam, ſed ex quo ſibi ſupra Pontificem Romanum autoritatem indebitam arrogavit plenamq; juriſdictionem jubendi, compellendi ipſumque ſuis juſſionibus non obedientem deponendi, aliumque ejus viventis loco Pontificem obtrudendi, quod demum ab ipſa peractum eſt deſijt eſſe legitima, ſibique grande vituperium, fœdamque maculam accerſivit, turbas in omnem Eccleſiam concitando, novumque ſchiſma obtrudendo, quo tempore reſpirare incipiebat à teterrimo annorum quinquaginta ſchiſmate quo Chriſtiana reſpublica conflictata fuerat. Priores Concilij ſeſſiones circa conſueta præliminaria & præparatoria tranſactæ ſunt. Cumque pauciſſimi Prælati qui Baſileam conceſſerant jam olim Canonicè inſtituto indubitato & unico Pontifici Eugenio, ejus in privatum ordinem reductionem, comminarentur, debitamque hæreticis pœnam, ni ſe inferiorem, & ſubditum juriſdictioni Synodi profiteretur ejuſque mandatis obtemperaret, tunc cœpit Concilium pernicioſi ſchiſmatis jactare ſemina quamvis Conſtantienſis decretum prætexeret, ſed in diverſa longeque diſpari cauſa. Illud enim juſtam ſibi attribuebat poteſtatem in plures Pontifices invicem contendentes, & univerſam jampridem Eccleſiam lacerantes, quorum jus obſcurum admodum & ambiguum erat, nec aliud ſupererat remedium extinguendi diuturnum incendium quo Eccleſia conflagrabat, etiam poſtquam ſinguli contendentium Pontificum fidem jurejurando aſtrinxerant deponendæ ſuæ dignitatis propter Eccleſiaſticam unionem & pacem. Itaque Conſtantienſe decretum Felici exitu terminatum eſt remoto ſchiſmate. At ex adverſo cum nulla eſſet in Eccleſia conſciſſio ſoluſque Eccleſiæ præeſſet Eugenius quem fideles omnes legitimum agnoſcebant & colebant Pontificem eo vivente novum Baſileenſes Pſeudopontificem obtruſere.

2. His adjunge Pontificem Eugenium juſtam habuiſſe Baſileenſis Concilij alio transferendi cauſam fervente tunc in omni vicinia gravi bello Burgundum inter & Auſtriacum Duces, ſtantibuſque tunc in armis Bohemiæ Moraviæque populis quorum injuſtis poſtulatis Concilium non poterat aſſentiri. Jamque etiam tranſactis octo menſibus poſtquam Synodus debuit exordium ſumere, Epiſcopi apud Baſileam non plures tribus, alijque Prælati non plures quam decem convenerant, atque ita immerito cœtus ille ſe ſacroſancti generalis Concilij nuncupatione jactabat,& quod longè deterius eſt de extrudendo Summo legitimeq; electo Pontifice nefaria conſilia capeſſebat. Hanc ut amoliretur perniciem Eugenius prudentiore conſilio Synodum non quidem dirimere ſeu commodiorem in civitatem ſcilicet Bononiam transferre ſategit eoque Baſileenſes accivit, qui hac occaſione Pontificem ut criminis reum miſſis apparitoribus ad ſe citari fecerunt, nec injuſto huic vadimonio obtemperantem contumaciæ damnare auſi, ſe nefando depoſitionis ejus judicio accinxere.

3. Hic operæpretium fuerit ad commendationem unitatis Eccleſiæ, & docendum in quo illa fundetur, & conſiſtat neceſſaria ad æternam ſalutem unitas, Sancti Carthaginenſis Epiſcopi & martyris Cypriani proferre inconcuſſam doctrinam

Digitized by Google

nam ex ejus libro de unitate Eccleſiæ, cujus verba & rationes pro antidoto erunt adverſus noxias Baſileenſium propoſitiones. *Hoc eo ſit* ( inquit ) *dum ad veritatis originem non reditur , nec caput quæritur , nec magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet , tractatu longo atque argumentis opus non eſt , probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico inquit quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam , & portæ inferorum non vincent eam : & tibi dabo claves regni cœlorum ; & quæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cœlis : & quæcumque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit : paſce oves meas. Super unum illum ædificat Eccleſiam ſuam , & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis ſuis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat : Sicùt miſit me pater ita & mitto vos , accipite Spiritum Sanctum, ſi cui remiſeritis peccata remittentur illi , ſi cui retinueritis retinebuntur , tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit , & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris & poteſtatis , ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur, & paſtores ſunt omnes ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat & dicit : Vna eſt columba mea perfecta mea , una eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet , tenere ſe fidem credit ? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit , qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidit ? Quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat & Sacramentum unitatis oſtendat , dicens : Vnum corpus , unus ſpiritus , una ſpes vocationis veſtræ , unus Dominus , una fides , unum baptiſma , unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus , maxime Epiſcopi , qui in Eccleſia præſidemus ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat , nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur : quomodo ſolis multi radij ſed lumen unum , & rami arboris multi , ſed robur unum tenaci radice fundatum : & cum de fonte uno rivi plurimi profluunt , numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate , unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore , diviſionem lucis unitas non capit : ab arbore frange ramum , fractus germinare non poterit : à fonte præcide rivum præciſus areſcet : &c.* Cypriano accedat Hieronymus dicens lib. 1. contra Jovinianum. *Illic ſuper Petrum fundatur Eccleſia, & licet idipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat , & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur , tamen propterea inter duodecim unus eligitur , ut capite conſtituto , ſchiſmatis tollatur occaſio.* Idemque lib. 1. contra Pelagianos : *Quid Platoni & Petro ? Vt ille Princeps Philoſophorum, ita & hic Princeps Apoſtolorum fuit.* Atque ut à Cypriano digreſſi ad ipſum regrediamur, ſcribens ipſe ad Cornelium Romanum Pontificem epiſt. 55. hæc ait : *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt aut nata ſunt ſchiſmata , quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur , nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.*

4. Concilium iſtud annos fere duravit octodecim , quorum primo cum multa proponerentur Pontificiæ dignitati derogantia Eugenius illud diſſoluere tentavit nec tamen prævaluit. Tribus ferme annis in hac diſſenſione dilapſis, Sigiſmundi Romanorum Regis interventu pax reſtituta eſt circiter per quadriennium, quo tempore multa ſalubria conſtituta ſunt. Sed recrudeſcentibus primis de poteſtate Concilij & Pontificis diſſenſionibus Concilium adverſus Eugenium proceſſus redintegravit , qui ut conatus illos perfringeret Concilium de plenitudine poteſtatis Ferrariam tranſtulit. At refractarij Baſileenſes & rebelles Eugenium à Pontificijs ſuſpenderunt, ulteriuſque provecti ad ultimum depoſuerunt quantum in ipſis fuit , ſubrogato Amedeo Sabaudo Felice V. nuncupato. Poſt primam cum Eugenio reconciliationem ſatis frequens Baſileenſium Synodus fuit, conſedentibus Prælatis infulatis circiter centum in quibus ſeptem numerabantur Cardinales. Sed deinceps adeo diminutus eſt eorum numerus ut quum judicium in Eugenium intentarunt vix triginta interfuerint : & in ejus depoſitione inter ſeptem duntaxat Epiſcopos unicus Cardinalis Ludovicus Arelatenſis Archiepiſcopus. Admittebantur vero ad Synodicas definitiones contra Conciliorum leges graduati quilibet Sacerdotes, ut inopiæ Epiſcoporum miſerabilem defectum ſuppleterent.

5. Seſſione XV. Statuunt Baſileenſes patres in ſingulis diœceſibus ſemel quolibet anno Synodum ab Epiſcopo eſſe ex ſingulis parochijs convocandam, aut etiam ubi opus erit bis annuatim. Provinciales autem Synodos cogendas eſſe loco à Metropolitanis indicto ſaltem ſingulis triennijs , ut nuper fuerat in Conſtantienſi Concilio conſtitutum. Et ut omnes provinciæ Epiſcopi teneantur ad provincialia Concilia vocati accedere per ſeipſos , aut ſi legitimum obſtet impedimentum , juſtam abſentiæ ſuæ cauſam allegare, ſuoſque procuratores ad Concilium deſtinare ad hoc ut ibi interſint ſuaque ſuffragia proferant atque in reditu decreta Concilij deferant curentque fideliter obſervari. De Concilijs provincialibus perquire quæ annotavimus ad calcem Conſtantienſis Concilij.

6. Proviſum pariter fuit ut ordines non niſi dignis & benemeritis , quorum vita ſufficienti teſtimonio nota ſit , & beneficia Eccleſiaſtica ſine ulla ſimoniaca labe conferantur. Prætereaque ut in animarum cura committenda ſumma diligentia & matura inquiſitio adhibeatur.

7. Itemque ut bona Eccleſiaſtica nullatenus ad uſus illicitos, quinimo ad honorem Dei, Eccleſiarum conſervationem, habendo ſecundum ſacros canones præcipuam curam pauperum & indigentium laudabiliter convertantur : ſcientes quod de his omnibus apud tribunal æterni judicis Prælati ſimul & clerici uſque ad minimum quadrantem reddituri ſunt.

8. Inſuper de corrigendis per Epiſcopos exceſſibus , moribuſque ſubditorum reformandis , & diſcordijs ſuborientibus conciliandis.

9. Eadem præterea XV. ſeſſione , *Iubet ſancta Synodus omnibus Prælatis religionum & ordinum*

quorum

d by Google

quorumcumque ad quos celebrare capitula pertinet, quod illa ſtatutis temporibus ſub præſcriptis pœnis ſervent & ſervari faciant, in quibus ſecundum canonicas ſanctiones & religionum conſtitutiones cum omni ſtudio & diligentia ad veram ſingularum religionum & ordinum reformationem intendant, ita ut deinceps in ſingulis Monaſterijs juxta proprias regulas & conſtitutiones debitè regularis vigeat obſervantia: uti præcipuè ut tria ſubſtantialia profeſſionis vota omnino obſerventur.

10. Seſſione XIX. Editum eſt decretum de his qui volunt ad fidem converti his verbis. *Si quis Iudæorum ad fidem Catholic-m converti voluerit bona ſua quæcunque habet mobilia & immobilia ei intacta illæſaque permaneant. Quod ſi hujuſmodi bona ex uſura illicitoque quæſtu fuerint acquiſita, & notæ ſint perſonæ quibus foret de jure reſtitutio facienda, quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum, illis reſtitui omnino oportet. His vero perſonis non extantibus quia talia per manus Eccleſiæ in pios eſſent uſus convertenda, hæc ſancta Synodus vicem gerens univerſalis Eccleſiæ in favorem concedit ſuſcepti baptiſmatis tanquam in pium uſum apud ipſos remanere debere ſub pœna divini anathematis, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus interdicens ut nullam ſuper his quovis quæſito colore moleſtiam inferant aut inferri patiantur, ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment dum tales Chriſto lucrati fuerint. Et quoniam ut ſcriptum eſt qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo charitas Dei manet in ipſo? Si ipſi converſionis ſuæ tempore inopes aut indigentes fuerint, per viſcera miſericordiæ Domini Dei noſtri omnes tam Eccleſiaſticos quam ſeculares hæc ſancta Synodus exhortatur ut ipſis converſis manus porrigant adjutrices. Ipſi quoque diœceſani non ſolum Chriſtianos ad ſubveniendum illis exhortentur, ſed tam de reditibus Eccleſiarum prout poterunt, quam de his quæ ad pauperum uſus per ipſos convertenda devolvuntur, hujuſmodi neophytos ſuſtentare non negligant, ipſoſque à detractionibus & contumelijs paterna affectione defendant. Et quoniam per gratiam Dei ſanctorum cives & domeſtici Dei efficiuntur, longeque dignius ſit regenerari ſpiritu quam naſci carne, hac edictali lege ſtatuimus ut civitatum & locorum in quibus ſacro baptiſmate regenerantur privilegijs libertatibus & immunitatibus gaudeant, quæ ratione duntaxat nativitatis & originis alij conſequuntur. Curent inſuper Sacerdotes baptiſantes & hi qui de ſacro fonte ſuſcipiunt tam ante baptiſmum quam poſt, illos in articulis fidei ac legis novæ præceptis, Catholicæque Eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere. Et tam ipſi quam diœceſani operam dent ne cum Iudæis aut cum infidelibus ſaltem per longum tempus penitus converſentur, ne ſicut noviter contingit ab infirmitate curatis modica occaſio ad priſtinam perditionem recidivos efficiat. Et quoniam experientia teſte mutuam inter ſe neophytorum converſationem ipſos in fide noſtra fragiliores reddere ac ſaluti ipſorum plurimum officere compertum eſt, exhortatur hæc ſancta Synodus locorum ordinarios ut quantum pro incremento fidei viderint expedire curent & ſtudeant neophytos ipſos cum originarijs Chriſtianis matrimonio copulare. Prohibeatur & his neophytis ſub gravibus pœnis ne mortuos more Iudæorum ſepeliant, aut ſabbata aliaſque ſolemnitates & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſervent. Sed Eccleſias & prædicationes noſtras prout alij Catholici frequentent, & in omnibus ſe Chriſtianorum moribus conformes reddant. Contemptores autem prædictorum per Sacerdotes in quorum Parochijs ſiti ſunt, aut alios ad quos de jure & antiqua conſuetudine pertinet de talibus inquirere, aut etiam per alios quoſcunque diœceſanis ſeu inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deferantur: & invocato ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis per eos taliter puniantur quod & alijs tranſeat in exemplum.*

11. Seſſione XX. Quatuor procuſa ſunt decreta de Concubinarijs, de excommunicatis non vitandis certo modo, de interdictis non leviter ponendis, & de frivolis appellationibus qualia hic ſubijcimus.

## Decretum I. De concubinarijs.

12. *Tanto ſumus ad concedendum petentibus laudabili per nos ordinatione ſtatuta & decreta ſub forma authentica proniores, quanto ex hoc ſtatutis & decretis hujuſmodi circa eorum obſervationem valeat fides certior adhiberi. Hinc eſt quod nos tenores conſtitutionum inferius deſcriptarum, per nos dudum editarum, & in ſeſſione publica per nos in majori Eccleſia Baſileenſi undecimo Kalendas Februarij anno Domini M.CCCCXXXV. celebrata publicatarum & apud acta noſtra de mandato noſtro deſcriptarum ad dilectorum Eccleſiæ filiorum &c. N. & N. qui tenores hujuſmodi in judicio & extra ſe aſſerunt indigere, ſupplicationis inſtrumentum de actis ipſis extrahi & præſentibus annotari fecimus quæ ſequuntur in hæc verba: Quicunque clericus cujuſcumque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis, etiamſi Pontificalis vel alterius præeminentiæ exiſtat, qui poſt hujus conſtitutionis notitiam, quam habere præſumatur per duos menſes publicationis ejuſdem in Eccleſijs Cathedralibus quam ipſi diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam eadem conſtitutio ad ipſorum pervenerit notitiam fuerit publicus concubinarius à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur convertat: nec non & hujuſmodi publicum concubinatum ut primum talem eſſe innotuerit, mox ſuus ſuperior admonere teneatur ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat. Quam ſi non dimiſerit, vel dimiſſam aut aliam publice reſumpſerit jubet hæc ſancta Synodus ut ipſum ſuis omnibus beneficijs omnino privet. Et nihilominus hi publici concubinarij uſque quo cum eis per ſuos ſuperiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem recidivo vomitu ad hujuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta ſint prorſus inhabiles*



Digitized by Google

*biles. Quod ſi hi ad quos talium correctio pertinet eos (ut prædictum eſt) punire neglexerint, eorum ſuperiores tam in ipſos de neglectu, quam in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. In Concilijs etiam provincialibus & Synodalibus adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum, vel aliâ condignâ pœnâ ſeveriter procedatur. Et ſi hi quorum deſtitutio ad ſummum Pontificem ſpectat, per Concilia provincialia aut ſuos ſuperiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi ſummo Pontifici deferantur. Eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcumque capitulis generalibus aut provincialibus quoad ſuos ſervetur, pœnis alijs contra prædictos & alios non publicos concubinarios ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi quorum concubinatus per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam quæ nulla poſſit tergiverſatione celari notorius eſt, ſed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & infamatam tenet, & qui per ſuum ſuperiorem admonitus ipſam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibuſdam regionibus nonnulli juriſdictionem Eccleſiaſticam habentes pecuniarios quæſtus à concubinarijs percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere, ſub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, & ſpe alicujus quæſtus talia quovis modo tolerent aut diſſimulent: alioqui ultra præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum ejus quod propterea acceperint reſtituere ad pios uſus omnino teneantur & compellantur. Ipſas autem concubinas ſeu mulieres ſuſpectas Prælati modis omnibus curent à ſuis ſubditis etiam per brachij ſæcularis auxilium, ſi opus fuerit penitus arcere: qui etiam ex tali concubinatu procreatos filios apud patres ſuos cohabitare non permittant. Iubet inſuper hæc ſancta Synodus ut etiam in prædictis Synodis & Capitulis hæc conſtitutio publicetur & quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter. Injungat præterea omnibus ſæcularibus viris, etiamſi regali præfulgeant dignitate ne ullum qualecumque inferant impedimentum quocunque quæſito colore, Prælatis qui ratione ſui officij adverſus ſuos ſubditos pro hujuſmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum ſit, & ſub peccati mortalis pœna neceſſario evitandum, monet omnes laicos tam uxoratos quam ſolutos ut ſimiliter à concubinatu abſtineant. Nimis enim reprehenſibilis eſt qui uxorem habet, & ad alienam mulierem accedit. Qui vero ſolutus eſt ſi continere nolit juxta Apoſtoli conſilium uxorem ducat. Pro hujus autem divini obſervatione præcepti, hi ad quos pertinet tam ſalutaribus monitis quam alijs Canonicis remedijs omni ſtudio laborent.*

Hæc Baſileenſis conſtitutio cum alijs tribus quæ ſequuntur Decretis traducta eſt ab hac ſeſſione vigeſima Concilij Baſileenſis in Pragmaticam Sanctionem Bituricenſi Gallicanorum Præſulum conventu ſub regno Caroli VII. Francorum Regis procuſam: poſteaque ex Pragmatica Sanctione in Concordatum Leonis Papæ X. & Franciſci I. Francorum Regis transfuſa in quibus pariter inſeruntur tria alia quæ hoc loco ſubjicio Baſileenſia decreta. Hic obiter obſerva omne fornicationis crimen eſſe mortale.

## Decretum II. De excommunicatis aliquo modo non evitandis.

13. *Ad evitandum ſcandala & multa pericula, ſubveniendumque conſcientijs timoratis, ſtatuit etiam quod nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione aut ſuſceptione, aut alijs quibuſcunque divinis, vel extra, prætextu cujuſcunque ſententiæ aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſeu ſuſpenſionis aut prohibitionis ab homine vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi fuerit in vel contra perſonam, Collegium, Vniverſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam à judice publicata vel denunciata ſpecialiter aut expreſsè: aut ſi aliquem ita notoriè in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo modo juris ſuffragio excuſari: nam à communione illius abſtineri vult juxta canonicas Sanctiones. Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

Obſerva tamen aliter Decretum iſtud referri à Concilio Conſtantienſi à quo primùm fuit editum & deinde approbatum à Martino V. Pontifice, & aliter ab inſequuto Concilio Baſileenſi. Conſtantienſe enim plus attribuit privilegij quatenus à communicatione cum excommunicato non denunciato, ſed tamen ita communiter noto ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ſolam excludit à privilegio notoriam Clerici perſecutionem, nullatenus vero alias quaſcunque non denunciatas quantumvis publicè notas excommunicationes per hæc ipſius verba: *Niſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum ſententiam latam à Canone adeo notoriè conſtiterit incidiſſe, quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari.* Cum tamen paulo ante relatum Baſileenſe decretum generaliter & indiſcriminatim omnes publicè notorios tametſi non denunciatos excommunicatos comprehendat, ne cum his communicantes participes fiant privilegij amoventis pœnam

nam minoris excommunicationis. Pragmatica quidem Bituricenſis ſanctio & poſterius Concordatum quale refertur in Lateranenſi Concilio ſub Leone, à quo concordatum confirmationem accepit, conformantur decreto Baſileenſi, ſed communis tamen praxis tam intra quam extra Galliæ regnum ſimulque communis omnium fere theologorum & canoniſtarum ſcriptorum relatio & aſſertio conformis eſt Conſtantienſi Concilio, ſic enim referunt S. Antoninus 3. p. ſummæ Hiſtorialis tit. 22. §. 4. & in 3. p. ſummæ Theologicæ tit. 25. cap. 2. & 3. Angelus de Clavaſio ſeu ſumma Angelica v. Excommunicatio 8. n. 3. Gabriel Biel in 4. ſententiarum diſt. 18. quæſt. 3. Adrianus Papa in 4. ſenten. tit. de ſacram. Euchar. & in tract. de clavibus Eccleſiæ. Caietanus in ſummula v. excommunicatio. & v. abſolutionis impedimenta. & in 3. p. S. Thomæ q. 64. ar. 3. Armilla v. excommunicatio 3. n. 5. Dominicus Soto in 4. ſent. diſt. 22. q. 1. ar. 4. Covarruvias in can. Alma mater p. 1. §. 2. n. 9. Suarez diſp. 9. ſect. 9. n. 9. & tract. de fide diſ. 21. ſect. 3. Toletus in ſumma lib. 1. cap. 12. & plærique alij. Hoc idem de recepto Galliarum uſu ſecundum Conſtantienſe non Baſileenſe decretum teſtificatur noviſſime Jacobus Evellonius in ſuo Gallicano & pereruditо tractatu de excommunicationibus. Tot vero tantæque anxietates & conſcientiarum perturbationes naſcebantur ex illa veteri communicandi cum excommunicatis prohibitione, ut pluſquam trecentis certe Concilium Conſtantienſe annis graviſſimus ſcriptor Ivo Carnotenſis epiſt. 82. enixe conatus ſit, ut omnes iſtæ tollerentur prohibitiones communicandi cum hominibus excommunicatis, præterquam cum illis quos Eccleſia publice declaraſſet evitandos. Sic enim ait: *Non tamen nominatis excommunicatis, ſive in capitulo ſive in Concilio facta ſit illa excommunicatio; ſive ſint Simoniaci, ſive Presbyteri uxorati, idem conſilium eſt, quod de ipſis criminoſis quia non ſunt à communione ſuſpendendi, niſi publice convicti aut publice confeſſi.*

Tertium Baſileenſe decretum de interdictis non leviter ponendis.

14. *Quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueverunt ſcandala evenire ſtatuit hæc ſancta Synodus quod nulla civitas, oppidum, caſtrum, villa, aut locus, Eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, niſi ex cauſa ſeu culpa ipſorum locorum, aut dominij ſive rectorum vel officialium. Propter autem cauſam aut culpam alterius cuiuſcumque privatæ perſonæ huiuſmodi loca interdici nequaquam poſſint auctoritate quacumque ordinaria vel delegata; niſi talis perſona prius fuerit excommunicata, ac denunciata ſeu in Eccleſia publicata, ac Domini ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum auctoritate iudicis requiſiti, huiuſmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint: qua etiam poſt biduum eiecta recedente vel ſatisfaciente mox divina reſumi poſſint. Quod etiam in pendentibus locum habeat.*

Quartum Baſileenſe decretum contra frivole appellantes.

15. *Vt lites citius terminentur, ſuper eodem gravamine aut ſuper interlocutoria eâdem definitivæ vim non habente nullatenus liceat ſecundò appellare. Quodque ante definitivam frivole vel iniuſte appellans ultra condemnationem expenſarum, damnorum, & intereſſe in quindecim florenos auri de camera parti appellatæ per appellationis iudicium condemnetur.* His quadrat Tridentina ſanctio ſeſſ. 13. de refor. *In cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Epiſcopo ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali ante definitivam ſententiam ab interlocutoria vel alio quocunque gravamine non appelletur: Nec Epiſcopus ſeu Vicarius appellationi huiuſmodi tanquam frivolæ deferre teneatur, ſed eâ ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanatâ, nec non omni ſtylo ac conſuetudine etiam immemorabili contrariâ non obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen huiuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit.*

His convenit deciſio capitis cum ceſſante, de appellatio. Poſſe ſcilicet judicem Eccleſiaſticum ſive ſit ordinarius ſive delegatus etiam poſt appellationem reparare ſuæ interlocutoriæ gravamen, atque ita effectum appellationis impedire, & ſic in cauſæ principalis cognitionem uſque ad judicium definitivum procedere, re adhuc integra nec dum ad ſuperiorem judicem devoluta, ne proceſſus cauſæ principalis frivolis occaſionibus incidentibus retardetur. Additque gloſſa in d. c. cũ ceſſante poſſe judicem ſuæ interlocutoriæ gravamen reparare etiam poſt decem dies, re tamen adhuc integra nec dum ad cognitionem ſuperioris judicis devoluta. A correctione quoque legitima modum vel ſtatutum canone præſcriptum non excedente, non admittitur appellatio, quæ ſi interjiciatur non ideo tamẽ differtur correctio, ne detur occaſio licentius delinquendi c. ad noſtram, de appel. Quod idem decernitur Gallicanis edictis Caroli noni anni 1571. art. 5. & Bleſenſium comitiorum ſub Henrico tertio art. 59. Conſtituit etiã l. eos. §. ſuper C. de appel. in cauſa criminali ſi à decreto vel à proceſſu appelletur non debere per hoc retardari au ſuſpendi proceſſum ne inter moras probatio diſpereat, maneatque delictum impunitum.

16. Permulta alia decrevere Baſileenſes Eccleſiaſticæ reformationi conducibilia, ſed nulla legitima fulti autoritate ſummi Pontificis, cui bellum indixerant & quem gradu Apoſtolicæ dignitatis dejicere ſatagebant, eoque demum rebellionis adverſus illum progreſſi ſunt, ut ſelectis ad libitum certis quibuſdam hominibus poteſtatem (ſi ſuperis placet) fecerint novi Papæ ſeorſum intra quoddam conclave eligendi, à quibus dum ſeſſio agebatur Concilij hujus trigeſima nona, electus in eum gradum fuit, Amedæus Sabaudiæ Dux qui tunc temporis cum ſubditis ſibi quibuſdam optimatibus, Ripaliæ loco ditionis ſuæ amœniſſimo quaſi in ſeceſſu aſcetico communem anachoreticamque vitam degebat, abdicatis tantiſper ſæculi curis, quas in filium futurum ſibi ſucceſſorem

ceſſorem rejecerat. Hanc electionem univerſus Baſileenſium cœtus lætanter excepit & confirmavit dum ageretur ſeſſio trigeſima nona.

## *DIATRIBA ECCLESIASTICA de communione Euchariſtiæ ſub una vel duabus ſpeciebus.*

1. BASILEENSES patres multum operæ ſtudijque navarunt in reducendis Boëmis & Moravis ad Catholicæ unionem Eccleſiæ, non ſolum ut eorum æternæ ſaluti conſulerent, verum etiam ut atrociſſima compeſcerétur bella & horrendas hoſtilitates quibus efferæ illæ gentes aſſiduè Catholicos infeſtabant. Permultis hinc inde negociationibus pax illa tentata agitataque fuit, ac demum conciliata & perfecta dum agebatur Baſileenſium ſeſſio undecima: quam Hiſtoriam præter acta Concilij referunt Æneas Sylvius Hiſtoriæ Boëmicæ cap. 57. & Joannes Coclæus Hiſtoriæ Huſſitarum lib. 7. Per Oratores & literas tum Concilij tum Sigiſmundi Auguſti Bohemi & Moravi invitati ad redintegrandam priſtinam cum Eccleſia Catholica unionem ſe ab ea non fore alienos profeſſi ſunt, dum ſervarentur conditiones his quatuor propoſitionibus comprehenſæ: quarum prima erat, *ut communio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie univerſis Chriſti fidelibus in regno Bohemiæ & locis ei adhærentibus per Sacerdotes libere adminiſtraretur.* Secunda, *ut peccata per eos quorum intereſt rationabiliter & ſecundum legem Dei corrigerentur.* Tertia, *Vt verbum Domini à Sacerdotibus & Levitis idoneis libere & fideliter prædicaretur.* Quarta, *Vt non liceret clero ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari.* Reſponſio Concilij ad primam propoſitionem fuit iſta, ut quoniam generalis conſuetudo Eccleſiæ communicandi ſub una tantum ſpecie multis de cauſis rationabiliter introducta non poſſet reprobari aut ſine Eccleſiæ authoritate pro libito immutari; poſſet autem ſuadentibus rationabilibus cauſis communio ſub utraque ſpecie ab eadem Eccleſia concedi: ſi id omnino Boëmi contenderent, ſacrum Concilium Sacerdotibus eorum facultatem conceſſurum ſub utraque ſpecie populum, eos videlicet qui in annis diſcretionis conſtituti eſſent atque id reverenter poſtularent communicandi: hoc ſemper obſervato quod Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicerent: *debere eos firmiter credere quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer Chriſtus totus.*

2. Ad ſecundam propoſitionem reſponſum eſt ut demptis ab illa verbis: *Quorum intereſt*, tanquam nimis generalibus diceretur corrigenda fore peccata, *ſecundum legem Dei & Sanctorum patrum inſtituta.*

3. Ad tertiam vero ſic illam eſſe propoſitionem concipiendam, *ut fieret peccatorum correctio ab idoneis & per ſuperiores ad quos pertinet approbatis & miſſis, libere non tamen paſſim: ſed ordinate & fideliter; ſalva auctoritate Pontificis, qui eſt præordinator in cunctis juxta Sanctorum Patrum inſtituta.*

4. Ad quartam denique, *Quod Eccleſiaſtici viri bona Eccleſiæ quorum ſunt adminiſtratores, fideliter adminiſtrarent juxta Sanctorum Patrum ſalubria inſtituta: ipſaque bona Eccleſiæ ab alijs quam ab his quibus adminiſtratio canonicè eſt commiſſa uſurpari ſine ſacrilegij reatu non poſſent.* Proviſum pariter fuit ut ſi contingeret alicubi ab aliquibus privatim conventa violari, ut in populorum multitudine aliquos inordinatè ac præter officium agere facile contingit, ne illa licentia communi paci officeret aut ſancta conventa interturbaret. Qua præcautione obviam multis ſimultatibus itum eſt. Quibus demum conditionibus poſt multos tractatus & diſputationes ultro citroque habitas inita eſt concordia ultima die Novembris qua feſtum ſancti Andreæ Apoſtoli conſuetum eſt celebrari anno Chriſti 1433.

5. Ad enucleandam vero quæſtionem de unica ſacramenti uſitata ſpecie ſcripturarum divinarum loca nonnulla indicio ſunt, illam ab inſtituto Chriſti minime recedere aut alienâ ullatenus eſſe. Legimus enim Lucæ 24. *Et factum eſt dum Ieſus recumberet cum eis accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipſe evanuit ex oculis eorum.* Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 25. Autor operis imperfecti homil. 17. in Matth. Beda & Theophylactus in eumdem locum Lucæ. Hieronymus in epitaphio Paulæ & Helychius lib. 2. Levit. cap. 9. docent Chriſtum dediſſe duobus diſcipulis in Emmaus Euchariſtiæ ſacramentum. Præterea Actuum 2. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Item 1. Cor. 10. *Vnus panis & unum corpus ſumus qui de uno pane participamus.* Et ubi Apoſtolus de utriuſque ſpeciei communione loquitur aliquando copulativam adhibet particulam & aliquando disjunctivam ut 1. Cor. 11. v. 26. & 27. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Nec ſcripta ſacra unquam meminere calicis niſi præmiſſa mentione panis: ſæpe vero meminere panis ſolius Euchariſtici ſine calicis expreſſione. Qualia ſunt ſuperius adducta diverſa teſtimonia. Et Ioan. 6. *Ego ſum panis vitæ. Hic eſt panis de cœlo deſcendens. Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.* Ideoque veriſimile eſt Apoſtolicis temporibus fuiſſe libertati communicantium relictum calicis uſum.

6. Eamdem vero libertatem uſitatam fuiſſe antiquis ſæculis, perſpicuis compertum eſt argumentis & exemplis, ex quibus numero pluribus pauciora hæc ſelegimus. In primis duæ quorumdam hæreticorum fraudes id convincunt. Scribit Sozomenus lib. 8. cap. 5. & Nicephorus lib. 13. c. 7. fœminam hæreticam de Macedonij ſecta ut ſe Catholicâ ſimularet, panem Euchariſticū unà cum alijs promiſcuè de manu Joannis Chryſoſtomi in manum accepiſſe, quē demiſſo vultu & inclinato quaſi per adorationem pectore ancillæ ſuæ occultè porrexit, de cujus manu profanum panem de domo allatum in os ingeſſit, cœpitque dentibus premere; ſed per miraculum fuiſſe buccellam

cellam illam in lapidem converſam ; quo eventu attonitam Chryſoſtomo propriam fraudem aperuiſſe eique lapidem porrexiſſe audiente & vidente præſenti populo. At vero in Calice non potuiſſet fœmina fraudem ullam exercere niſi abſtinendo. Diaconus enim Calicem ſacrum illius qui communicare volebat ori admovebat. Quod eſt indicium poſt ſumptionem ſacratiſſimi panis liberum unicuique fuiſſe abſtinere à Calice. Alterum fraudis exemplum refert Leo Papa Magn. ſerm.4. de Quadrageſima, de Manichæis occultis qui cum vellent pro Catholicis haberi ad communionem Sacramentalis panis accedebant, nunquam tamen de ſacro Calice potabant, quia Manichæorum ſecta vinum execrabatur, quod prædicabat eſſe cacodæmonis creaturam & fel draconis inſanabile. Id vero arguit illam ſub ſolius panis ſpecie communicandi libertatem, alioqui enim abſtinendo à ſacro Calice ſuam prodidiſſent impietatem, fuiſſentque pœnis non tantum Eccleſiaſticis obnoxij, ſed illis etiam quæ Cæſarum edicta comminabantur.

7. Præterea ex ſequentibus Eccleſiæ primitivæ ritibus demonſtratur Euchariſtiæ ſub unica ſpecie communio, primum ex Euchariſtiæ intra ſacrarum penetralia ædium aſſervatione. Clemens Romanus lib.8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.13. aliàs 20. jubet peracta populi communione quod ſupereſt reliquiarum Dominici corporis recondi à Diaconis cum reverentia in paſtophorio. Tertullianus lib.2. ad uxorem teſtatur ſuo tempore conſueviſſe Chriſtianos deferre in privatas ſuas ædes Euchariſtiam ubi eam opportuno tempore comederent prius jejuni. *Non ſciet maritus* (inquit) *quid in occulto ante omnem cibum ſumas.* Et Cyprianus ſerm. de lapſis ait : *Mulier quædam cum arcam ſuam in qua ſanctum Domini erat indignis manibus tentaſſet aperire, igne inde inſurgente deterrita eſt.* Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad Fabium Antiochenum quam refert Euſebius lib. hiſt. Eccleſ. cap.36. fidem facit Serapionem quemdam ſenem in extremis agentem miſiſſe puerum ut ad ſe cum Sacramento Euchariſtiæ veniret. Presbyterum autem tunc fortè ægrotantem non potuiſſe per ſe accedere, ſed miſiſſe per eumdem puerum particulam vivificæ Euchariſtiæ, quâ devotè ſumpta Serapion lætus vitâ exceſſit. Quo etiam exemplo aſſeritur Euchariſtiæ intra Eccleſiam aſſervatio. Eodem ſæculo Sanctus martyr Tarſicius (ut ſcribitur in vita Stephani primi Papæ, & apud Bedam in Martyrologio die 15. Auguſti) quum Euchariſtiam deferret occurrenteſque illi Pagani quærerent quid rei deferret, nec ille vellet ſanctum canibus aperire ab illis continuo necatus eſt Et tamen divino miraculo Sacramentum ita diſparuit ut illud reperire ſacrilegi nequiverint. Concilium Nicænum can.14. aliàs 18. aliàs 20. jubet ut in abſentia Sacerdotum Diaconi Euchariſtiam porrigant. Abſentia Sacerdotis tempus arguit extra Miſſam, atque ita fuiſſe reconditam Euchariſtiam. Habetur canon iſte Nicænus apud Rufinum Aquileienſem. Teſtatur autem Cyrillus Alexandrinus collectos à Rufino Nicænos canones eſſe germanos & authenticos. In eadem Nicæna Synodo extat in omnibus editionibus can.13. ut ſecundum antiquam regulam in mortis articulo nemini recuſetur Euchariſtia, quem canonem poſteriora Concilia ſæpè renovarunt. Quo probatur Euchariſtiam reponi ſolitam intus Eccleſiam ad hujuſmodi ægrotorum eventus. Memorat Juſtinus in Apolog.2. Religioſum Diaconorum officium Euchariſtiam ad infirmos deferentium, utique ſub ſpecie panis. Euſebius lib.5. hiſt. Eccleſ. cap.24. temporum antecedentium morem fuiſſe teſtatur ex Irenæi ad Victorem Papam epiſtola, ut Romanus Pontifex in fœdus pacis & ſanctæ unionis Euchariſtiam tranſmitteret ad alios etiam remotiſſimarum regionum Epiſcopos.

8. S. Baſilius in epiſt. ad Cæſariam Patriciam perhibet Anachoretas, qui non poterant commodè ſæpius in Eccleſiam convenire, conſueviſſe Euchariſtiam deferre in ſuas cellulas. Gregor. etiam Nazianzenus in orat. de obitu Gorgoniæ ſororis ſuæ ſcribit illam adoraſſe quam privatim aſſervabat Euchariſtiam, ſtatimque eo morbo quo laborabat convaluiſſe. Narrat Ambroſius in ſerm. de obitu fratris ſui Satyri eum adhuc catechumenum ne ſine myſterio gravi naufragij diſcrimine periret, ab uno ſociorum Euchariſtiam precibus impetraſſe, eamque ſudario involutam ſibi ad collum alligaſſe.

9. Et ſanè Chriſtus Dominus utpote ſapiens & providus Legiſlator nunquam obligavit quemquam extra Sacrificij divinam actionem ad communicandum ſub utraque ſpecie. Sed cum ſacroſanctum ejus Corpus & Sanguis ſub alterutra ſpecierum ac viſibilium ſymbolorum contineatur, ejus hæc juſſio quam urgebant Bohemi, & urgere pergunt novatores. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Joan. 6. ſatis ac plenè adimpletur in unius ſpeciei ſumptione. Incommoda vero & gravia diſcrimina quæ occurrerent in eo præcepto quale hæretici imaginantur, occurrunt in abſtemijs, tum etiam in multorum rudium aut corpore infirmorum concurſu, in quibus etiam haud pauci occurrunt mucoſi, ſalivantes, exſcreantes, halitu fœtentes, impuri, inculti, aut etiam quibuſdam morbis affecti qui vel nauſeam intolerabilem cum periculo vomitus inſanioribus ſuccedentibus, ſed plerumque contagioſas ægritudines progignunt, ut contingit in hecticis, phtiſicis, dyſentericis, leproſis, lue venerea infectis. Periclitantur etiam de effuſione ſpecies Sacramenti liquidæ, qualem deplorat Chryſoſtomus in ſuis ad Innocentium Papam epiſtolis in concurſu militum in Baſilica Conſtantinopolis contigiſſe, quâ everſa ſunt ſacra Vaſa, ſacra Sanguinem tremendum continentia in ipſas militum clamydes & paludamenta. Notiſſimum eſt decretum Pij Papæ primi qui decimus ab Apoſtolo Petro Romanam rexit Eccleſiam, relatum de conſecra. diſt. 2. *C. ſi per negligentiam aliquid de ſanguine Domini ſtillaverit in terram.* Et in decreta Ivonis lib.1. Et quod ait Auguſtinus lib.50. Homiliarum homil.26. *Quanta ſolicitudine obſervamus quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat.* Ibidemque : *Reus erit qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit.* Et habetur apud Gratianum 1. q.1. c. interrogo vos. Certè piaculum erat in prioribus Eccleſiæ ſæculis ſi mica panis Euchariſtiæ in humum decideret teſtibus Tertulliano, Origene, Cyrillo Hieroſolymitano & alijs. His adde multas & ampliſſimas eſſe regiones in quibus nullæ creſcunt vites, ſunt & aliæ remotiores in quibus vinum grandi pretio tranſportatum ſtatim congelatur aut illico areſcit, ut Norvegia, Suecia, Ruſcia in qua Philippus Melanchton lib. de uſu integri Sacramenti ſcribit utendum

dum melicrato ſeu aquâ mulsâ. Verumtamen undenam vir ille ſibi poteſtatem ſumpſit, aſcivitque immutandi Sacramentorum divinorum ſubſtantias quam Chriſtus neque Petro Apoſtolo, neque Petri ſucceſſoribus Pontificibus, neque ipſi Eccleſiæ unquam contulit? Et ſi juxta hæreticorum aſſeverationem ſacra Scriptura ſit unica credendi regula, hæc non aliam aſſignat Sacramenti materiam præter panem & vinum. Denique inoleverat alicubi conſuetudo intinctum Euchariſticum panem populo porrigendi; alibi etiam de uvæ granis populum communicandi quaſi de ſanguine Chriſti, ſed utrumque ritum rejecit & abrogavit Concilium Bracarenſe quartum ſub Adeodato Papa anno 675. can. 2. quo utroque modo exiſtimatum fuerat ſatis fuiſſe proviſum periculo effuſionis ſacri Sanguinis.

10. Quod attinet ad confirmationem eorum quæ Concilium Baſileæ primùm, deinde Lauſanæ quò ſub finem ob peſtem Baſileæ graſſantem, tranſlatum fuerat, illa omnia quæ in rebus beneficiarijs & diſpenſationibus Concilium geſſerat, ordinarat, conceſſerat, in materia tam gratiæ quam juſtitiæ, pro bono pacis & Eccleſiaſticæ unionis, illis qui erant in præſenti poſſeſſione, Nicolaus Papa V. confirmavit & rata eſſe voluit per Bullam apud Spoletum conceſſam anno 1449. decimoquarto Calendas Julij.

## *CONCILIUM GENERALE FLORENtinum inchoatum Ferrariæ an.* 1438.

1. Effecit Patrum Baſileenſium in Schiſmate adverſus Eugenium Pontificem damnabilis pertinacia, & præterea juſtum præcipuaque laude dignum deſiderium Græcos reducendi ad unionem fidei & pacis cum Romana Eccleſia: quorum Imperator & Patriarcha cæterique Antiſtites refugiebant Baſileam longo & periculoſo itinere per nives & glacies, perque ardua montium cum ſumptibus immenſis & graviſſimis moleſtijs proficiſci, avebant autem amœnam Italiam maritima profectione appellere, cujus ſumptus Reſpublica Venetorum ſuppeditatura erat: & inſuper deſideratiſſima Summi Pontificis præſentia quem Baſileenſes à ſe per protervìam repellebant, per cujus abſentiam & diſſenſum non poterat ullum Concilium utpote capite truncum & mutilum legitimâ pollere autoritate. Hæ inquam cauſæ effecerunt ut Græci cum Summo Pontifice unanimes libenter in locum Concilij Ferrariam conſenſerint. His ex cauſis Eugenius Baſileenſem conventum ſchiſma exitiale apertè molientem illam in civitatem tranſtulit, eoque ut migrarent miſſis Legatis invitavit. Permulti deinceps in dies Baſileâ relictâ Ferrariam ad Padi fluenta ſitam Marchionibus Eſtenſibus tunc temporis ſubditam conceſſerunt. Qui vero pertinacius Baſileæ conſtiterant eò provecti ſunt ut crebris citationibus Eugenio diem dixerint, neque temerarijs eorum juſſionibus obtemperantem Summo Pontificatu exegerint, Amedeo Sabaudo ejus in ſedem intruſo.

2. Prima legitimi Concilij ſeſſio feliciter inijt Ferrariæ quarto idus Januarij anno 1438. præſidente meritiſſimo omnique præconio majore Legato Eugenij à latere Nicolao Albergato ex ordine Carthuſiano Cardinali Presbytero tituli Sanctæ Crucis eximiæ pietatis, ſcientiæ, atque prudentiæ viro: peractiſque conſuetis Concilij præliminaribus, primo decreto declarata ſunt irrita omnique autoritate vacua omnia poſt Eugenij revocationem acta Baſileenſium. Secundæ vero ſeſſioni per ſe præſedit Eugenius Papa quam decimo quinto Februarij auſpicatus eſt præſentibus ſeptuaginta duobus Epiſcopis.

3. Interim Græcorum Imperator Joannes Palæologus cum fratre ſuo Demetrio & Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano cæterorumque Patriarcharum Legatis, alijſque plurimis Orientis Antiſtitibus & amplo comitatu ſeptingentorum circiter hominum ad Venetiarum littus magna celebritate appulerunt. Poſtridieque Dux & Senatus navi Bucentaro magnificentiſſimè adornata Imperatorem in urbem exceperunt: qui ſtatim oratores ſuos ad Eugenium direxit, cui ſuum in Venetam civitatem adventum ſignificarent. Scriptiſque ad Baſileenſes literis exhortatus illos eſt ut Ferrariam concederent ad optatiſſimam Eccleſiarum unionem communibus votis perficiendam, quæ hactenus infelici diſſenſione divulſæ fuerant. Eugenius vero Nicolaum Albergatum Cardinalem & Nicolaum Eſtenſem Ferrariæ Principem ad ſalutandum Imperatorem adventantem præmiſit. Die autem Februarij 29. Imperator cum fratre, & frequenti clero tranſvecto fluvio Pado Ferrariam attigit, atque in portu civitatis ab omnibus Cardinalibus & viginti quinque Epiſcopis & ordinibus civitatis, excenſus aureo quo vectus fuerat navigio ſub aurea umbella exceptus, medius inter duos Cardinales equitans, ad Eugenium eſt deductus qui in privato cubiculo ſedens illum opperiebatur, & ad ſe accedentem obviam aliquot paſſibus progreſſus, cumque Imperator genu flectere inciperet comiter relevatus datâ dexterâ oſculanda amantiſſimè complexus eſt, fecitque ad ſuam lævam in præparata ſede conſedere: ac poſt aliquot ſecreta colloquia juſſit Pontifex Imperatorem in hoſpitium magnificè adornatum deduci. Triduo poſt Patriarcha ſpecioſiſſimo & inaurato navigio Ferrariam appulit, quem quatuor Cardinales cum vigintiquinque Latinis Epiſcopis, & Marchione urbis Domino ad portum excepere. Indeque medius inter duos Cardinales Diaconos equitans, ad Pontificem adductus; qui ſedens ejus præſtolabatur acceſſum & Pontificis genam oſculatus eſt, qui ad ſiniſtram ſuam in præparato ſcabello conſeſſum præbuit. Ipſiſque conſedentibus cæteri Græci Antiſtites accedentes, ſedentis Pontificis dexteram & genam pariter oſculati ſunt, ultimis tamen dexteræ oſculo tantum aut profunda veneratione contentis.

4. Poſt dies aliquot Imperator à Pontifice contendere cœpit ut juxta conventa non ſolum Epiſcopi, cæterique Præſules verum etiam Reges ac Principes per ſe aut Legatos celebrandæ Synodo intereſſent. Quod quamvis difficile nimium fore Pontifex excuſaret ob mutua inter eos bella; rem nihilominus urgente Imperatore, Pontifex nuncios & literas quoquoverſum ad eos invitandos miſit. Exortâ etiam de ordine ſeſſionum controverſiâ Pontifex ſic diſpoſitum cupiebat, ut ad unum Eccleſiæ latus convenirent omnes Latini, ad alterum Græci. Ipſe vero in capite medius ante Altare conſideret. Imperator vero cum ſibi potius deberi

deberi locum contendebat. Denique ex forma antiquarum Synodorum œcumenicarum, ita res tranſacta eſt ut erecto ſolio ante Altare, ſuper eo ſanctorum Evangeliorum liber inter ſacra Capita Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli accenſis hinc inde cereis collocaretur. Ipſeque Pontifex cum ſuis Latinis dexteram partem (quæ læva eſt ingredientibus) alteram Imperator cum ſuis Græcis teneret. Infra ſolium Pontificium uno ferè paſſu locata eſt Imperatoris Latini ſedes (is erat Albertus ſecundus) quæ ſemper vacua remanſit ob ejus abſentiam. Prope hanc ſedere Cardinales qui recenſentur numero octo à quibuſdam novem, ac deinceps pluribus ſedium ordinibus Archiepiſcopi Latini centum circiter quinquaginta præter Abbates cæteramque turbam Eccleſiaſticorum. E regione Pontificis & ſedis Imperatoris Latini, ſedes Imperatoris Græcorum poſtea, pauloque inferius Patriarchæ Conſtantinopolitani ejuſdem eminentiæ & ornatus cum Pontificia: deinde Vicariorum cæterorum Orientis Patriarcharum: ſubindeque Metropolitanorum aliorumque majorum & minorum Antiſtitum Orientalium diverſis pro dignitate ſedium ordinibus. Demetrio verò Imperatoris fratri à dextris ejus collocata ſed humilior & quatuor ferè palmos remota. Præter Græcos interfuere Synodo Iſidorus Metropolita Kiovenſis, totiuſque Ruſſiæ cum quibuſdam Prælatis Ruſſiæ Moſcoviæque. Interfuit pariter Metropolites Iberiæ. Ipſeque Eugenius in literis poſt Conciliatam unionem ad Principes ſcriptis Legatos etiam nominat Imperatoris Trapezuntij, Iberorum, Valachorum, & Ruthenorum, præter Armenios qui poſtmodum advenêre.

5. Etiamſi multi hujuſce Concilij Seſſiones dinumerarent ab illa cui primum Apoſtolici nomine Legati præfuit Nicolaus Cardinalis tit. Sanctæ Crucis, alij tamen eas ſolas recenſent quæ ab octavo die menſis Octobris haberi cœperunt, quo quidem die magno ſtudio & non ut antea perfunctoriè agitari præcipui momenti quæſtio cœpit de Spiritus divini proceſſione. Interim dum Græci Baſileenſium adventum fruſtra præſtolantur, necnon diverſorum Principum Latinorum aut miſſorum ab eis Legatorum acceſſum, ne otioſum tempus deperiret, obtinuerunt Latini à Græcis ut quaſi velitationes & pugnæ præludia agitarentur placidè cõtroverſiæ de ſtatu animarum quæ de corpore exceſſerunt. Communis eſt Latinorum perſuaſio veteribus etiam Græcorum Patribus planè conformis juſtorum animas quæ nondum plenè expiatis ante actæ vitæ reatibus è corporibus exceſſerunt, ignibus in Purgatorio torqueri. Quæ verò penitus expiatis ſive in præſenti vita ſive in Purgatorio cunctis reatibus nihil amplius divinæ juſtitiæ debent, ſine ulla mora in cœleſtem felicitatem admitti, ut Dei viſione abſque ulla dilatione perfruantur. Ex adverſo animas quæ infectæ mortali peccato à corporibus proprijs exierunt in infernum protinus relegari ſempiternis incendijs torquendas. Ipſos quoque rebelles Angelos ex quo de cœlo ejecti ſunt ignium æternorum ſuſtinere cruciatus. At vero Græci poſt ſuſceptum ſchiſma nec nobiſcum nec inter ſe conveniunt. Negant quidem communiter eſſe aliquem Purgatorij ignem, ſed tamen animas quæ ſolutis corporis vinculis abſcedunt cum culparum maculis, quæ ipſas à divina gratia minimè excludunt deferri in horrida quædam incommoda triſtia & tenebricoſa loca, quæ pœnæ mitigantur, aut etiam deſinunt præſidijs orationum eleemoſynarum ſacrificiorum, aut pœnitentiæ exercitijs, quæ pro illarum liberatione Deo à viventibus fidelibus offeruntur. De illis vero animabus ſeparatis in quibus nulla ſupereſt contracta labes exiſtimant in locum quietis deferri: quiſnam vero locus & quænam requies illa ſit non convenit inter eos. Quidam enim Græcorum nobiſcum credunt ſtatim rapi in Angelorum conſortium, & una cum illis beatifica Dei viſione perfrui: alij vero non ante futuras tantæ felicitatis conſortes quam poſt reſurrectionem reſumptis cum quibus vixerant corporibus ut animæ quidem ex tunc divino conſpectu oblectentur, corpora vero ſenſibilibus caſtiſque gaudijs delicientur. Reproborum autem animas carne ſolutas nondum ignis pœnam ſuſtinere, ſed graviſſimos mœrores ex deſperatione & ex loci ad quem relegantur conſtitutione tenebris & horrore inexplicabili. Hujuſmodi diu ventilatæ ſunt quæſtiones non quidem in cathedrali Baſilica in qua Concilium habebatur, ſed in templo S. Franciſci bis ſingulis hebdomadis inter ſelectos quatuor & viginti diſceptatores nimirum ex utraque parte duodecim. Aderant vero Notarij & exceptores quæ dicebantur conſcribentes.

6. Jam vero nos hactenus acta perpendentes quaſi præliminaria, & apparatus ſacri Concilij eo quod Græcis viſum fuerit non ante procedere debere Concilium quam novâ ipſorum inſtantiâ iterum, iterumque rogati & diu expectati fuiſſent Baſileenſes & Ferrariam adventarent & Principum eis adhærentium Legatos ſecum adducerent, ſcilicet Alberti ſecundi Latinorum Imperatoris, & Alfonſi Aragonum Regis. At vero illi nefas ſibi eſſe ducebant huic tranſlationi conſentire, aut cum hæreticis quidquam habere commune, tales autem eſſe ducebant qui oppoſiti erant duabus quas publico judicio ſtatuerant fidei propoſitionibus inconcuſſis Concilium autoritate pollere ſupra Papam, qui deponendus erat ſua dignitate ſi Concilio jubenti non obediret, & inſuper non poſſe Concilium à Papa ſolvi aut aliò transferri niſi approbante & conſentiente ipſo Concilio. Neque elabi hanc occaſionem ullatenus in animum inducebant propoſitum ſuum exequendi Eugenium à ſe jam damnatum exautorandi, novique Pontificis ut paulo poſt ab ipſis factum eſt obtrudendi. Qua demum Baſileenſium præfractâ pertinaciâ moti Græci conſenſerunt, ut deinceps abſentibus Baſileenſibus res ipſa propter quam advenerant gereretur. Itaque juxta eorum mentem primam ſeſſionem ab octava Octobris die jam auſpicamur qua ſtatutum fuit, ut ſerio diſputando executerentur duæ præcipuæ quæſtiones circa quas ut cardines totum vertebatur unionis negotium. Quarum prior hæc erat: An licuiſſet ad fidei ſymbolum Conſtantinopolitanum quidquam addere. Secunda utrum addita vox illa *filioque* conformis eſſet fidei orthodoxæ, opinantibus Græcis Spiritum ſanctum non à Filio ſed à Patre ſolo procedere. Sex delecti ſunt ex Græcis diſputatores, & alij totidem ex Latinis necnon utrinque alij utriuſque linguæ periti interpretes, itemque Notarij à quibus hinc inde dicta ſcripto exciperentur. Ex parte Latinorum qui in hanc diſputandi palæſtram prodiere duo fuerunt Cardinales Nicolaus Albergatus tituli Sanctæ Crucis, & Julianus Cæſarinus tituli Sanctæ Sabinæ, qui primùm Concilio Baſileenſi

Digitized by Google

leenſi Apoſtolicus à latere Legatus præſederat, deinde Baſileenſes deſerens in apertum ſchiſma conſpirantes ad Eugenium ſeceſſerat. His adjuncti ſunt Andræas Archiepiſcopus Rhodius, Aloiſius ſeu Ludovicus Epiſcopus Forojulienſis ex ordine Minorum S. Franciſci, alijque duo Sacerdotes Monachi & in Theologia Magiſtri, quorum unus erat Provincialis Viſitator Longobardiæ Ordinis Prædicatorum, cui Joanni de Montenigro nomen fuiſſe S. aſſerit Antoninus. Sexti vero ad diſputandum electi incompertum eſt nomen. Ex parte Græcorum electi ſunt ad diſputandum, Marcus Epheſinus Metropolites, Iſidorus Rutenus Metropolites, Beſſarion Nicænus, Xantopulus magnus Scevophulax, id eſt Vaſorum Eccleſiæ cuſtos, Michaël Balſamon magnus Eccleſiæ Bibliothecarius, & Georgius Gemiſtus.

7. Seſſio III. exorſa die 14. Octobris diſputationum campum aperuit. In hac & quatuor ſequentibus ſeſſionibus inijt diſputatio de additione ad Symbolum Conſtantinopolitanum hujus vocis *Filioque* circa Spiritus ſancti proceſſionem quam Græci negabant à Filio dimanare; at Latini eſſe ſimul aſſerebant à Patre Filioque. Primo iſto certamine quaſi in circo ex carceribus effuſi ſunt pro Græcis Marcus Epheſinus, pro Latinis autem Andræas Rhodi Epiſcopus qui dicitur Coloſſenſis in actis hujus Concilij, errore inde orto quia multis perſuaſum erat Coloſſenſes ad quos ſacram Epiſtolam ſcripſit Apoſtolus Paulus non alios eſſe quam inſulæ Rhodi incolas, eoſque ita denominatos fuiſſe ab æneo ſolis Coloſſo cubitorum ſeptuaginta olim inter ſeptem orbis miracula celebrato, quem Chares Lyndius inſigni fama Statuarius Lyſippi diſcipulus in aditu portus Rhodi conflaverat. Certum tamen eſt urbem Coloſſi dictam ad cujus cives dirigitur illa Pauli epiſtola fuiſſe in Phrygia, cujus eſt apud Strabonem & Plinium mentio. Negabat Epheſinus licuiſſe quidquam ad Symbolum adjungere, hoc enim diſtrictè octo Synodis œcumenicis vetitum. Coloſſenſis ſutinebat non eſſe propriè loquendo additionem ſed explicationem orthodoxam verbi hujus *à Patre*. Additiones quidem contrarias ſemel decreto fidei eſſe interdictas, ſed non illas per quas exponitur fides. Tantum vero abeſſe ut eas ſacræ Synodi prohibuerint ut potius eas in praxim eædem ipſæ reduxerint: nemo enim negaverit à Nicæna prima Synodo additam fuiſſe Filij Dei conſubſtantialitatem cum Patre, aliaque non pauca ad Symbolum Apoſtolorum. Conſtantinopolitanum autem perſpicuum eſt addidiſſe ad Symbolum Nicænum, quemadmodum poſtea factum eſt à Concilijs Epheſino & Calchedonenſi. Nec enim poſſent ulla ratione de novo inſurgentes hæreſes refelli ſi non liceret per expoſitionem aliquid ad dogmata fidei ſuperaddere. Quod autem licuit veteribus ad ſymbolum Apoſtolorum & poſterioribus Synodis ad ſymbola & fidei decreta Synodorum quæ præceſſerant addere: Non eſſe ademptam Eccleſiæ ſubſequentium ſæculorum parem poteſtatem. Idem enim quo vetus Eccleſia regebatur & illuminabatur Spiritus Dei, pollicitus eſt ſe eidem nunquam defuturum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Ipſaque Eccleſia quæ in Canticis Turri Davidis poſitæ contra Libanum ex qua mille clypei pendent & omnis armatura fortium confertur, nullos haberet niſi elingues & inermes omniſque conflictus incapaces milites, ſi ad Scripturas exponendas quibus crebro abutuntur hæretici, & ad priſtina fidei decreta omnes verborum & explicationum acceſſiones eſſent interdictæ. Nec tamen inde inferri poſſet tum Scripturas tum Symbola tum priora fidei decreta eſſe imperfecta. Fuere namque perfecta ad veritatem & fidem commonſtrandam: etiamſi pleniorem notitiam non exprimerent ad naſcituros omnes in poſterum errores refellendos, niſi quatenus ſtandum eſſe in omnibus ambiguis jam inde ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ejus conſtitutum ac definitum ſemper fuit Eccleſiæ judicio: quam regulam quicunq; ſequetur nunquã aberrabit ab æternæ ſalutis itinere. Fuerat conſtans ab initio doctrina Eccleſiæ Spiritũ ſanctum à Patre procedere: emerſit in oppoſitum Macedonij & Eunomij hæreſis non à Patre ſed à Filio procedere, quemadmodum enim Ariana perfidia Filium eſſe Patris creaturam ſuoque progenitore longè inferiorem blaſphemabat, hoc idem de Spiritu ſancto prædicarunt Eunomius & Macedonius reſpectu Filij, eſſe hujus creaturam longeque inferioris ab illo dignitatis: hunc errorem Synodus Conſtantinopolitana ſuo ſymbolo refellit definiendo Spiritus ſancti & vivificantis proceſſionem à Patre, nihil vero de proceſſione à Filio pronunciavit, cum id ſuperfluum judicaret conſentientibus in hoc unum tam orthodoxis quam Macedonianis. Verumtamen ſeptima Nicææ habita apud Græcos œcumenica Synodus formulam fidei illam penes ſe recitatam approbavit in qua perſpicuis verbis decernebatur Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere. Antiqui etiam Græci Patres nunc diſertè docent (ut Latinos omittam) Spiritum ſanctum à Patre Filioque produci, nunc etiam à Patre per filium procedere; quæ expreſſio non aliter intelligi poteſt quam ejus productionem ſimul eſſe à Patre & Filio. Ipſeque Photius ſchiſmatis præcipuus autor nonnullas Romanorum Pontificum epiſtolas laudat & approbat in quibus aſtruitur illa Spiritus à Patre Filioque proceſſio. Prohibitiones vero Pauli Apoſtoli ne quiſquam adderet ad ea quæ Galatis evangelizaverat, & Joannis ne quis ullum Verbum ad ſuam Apocalypſim adjungeret, nihil officiunt pleniori eorumdem Scriptorum expoſitioni, dummodo à fide Catholica non deflectat. Certum quippe eſt ſequioribus temporibus addita fuiſſe non pauca Apoſtolicæ doctrinæ quæ neque in ſacris Paginis, neque in præcedentibus decretis continebantur. Sic adverſus impium Arij dogma Nicæna Synodus vocem Conſubſtantialis aſſignavit ut teſſeram qua ab hæreticis Catholici ſecernerentur: hujuſmodi pariter vocem illam Θεοτόκου ſeu Deiparæ quam Synodus Epheſina ad convellendam Neſtorianam hæreſim introduxit: Vocem quoque τριάδος & Trinitatis circa divinas Perſonas, neque divinarum Scripturarum codices, neque Symbola Apoſtolorum aut Nicenæ aut Conſtantinopolitanæ Synodorum exprimunt, quam tamen univerſi Sancti tam Græci quam Latini Patres laudant & paſſim uſurpant. Inſtabant ex oppoſito Græci licet hoc quaſi verum ſupponeretur quod tamen ipſi conſtanter negabant, Filio quoque attribuendam Spiritus ſancti proceſſionem, nullatenus tamen licitum fuiſſe Filij vocem articulo Symboli Conſtantinopolitani inſerere, quia id prohibuerat inſequens Epheſina Synodus: ſed Latini prohibitionem illam aliquid addendi interpretabantur quæ fieret privata alicujus libidine, non vero publica

publica Eccleſiæ autoritate, quæ ſemper eadem eſt nullaque lege coërcetur: prætereaque vetitas quidem eſſe additiones ſacris fidei decretis oppoſitas, ſed non illas quæ fidem ipſam dilucidius explicarent, eſſentque neceſſariæ ad reprimendum naſcentis alicujus hæreſis progreſsũ. Replicantibus Græcis ſuum conſenſum ad id non fuiſſe requiſitum, reſponſum eſt nec id eſſe aut fuiſſe neceſſariũ, nec enim in pleriſq; Græcorum Synodis ſive œcumenicis ſive Nationalibus de fide tractantibus Latini intervenerunt, ſatis enim eſt ad eas roborandas ſi eas cathedra Apoſtolica comprobaverit. In his concertationibus qui fuſius & prolixius diſputarunt ad finem uſq; Concilij fuerunt ex parte Græcorum Marc. Epheſinus & Beſſarion, ex parte Latinorum Julianus Cardinalis & Joan. Prædicatorũ Longobardiæ Provincialis, quorum primus admirabili ingenij & memoriæ vi dicendique facultate præcelluit; alter vero tanta inexhauſtæ eruditionis luce præfulſit, ut Epheſini quanquam audaciſſimi & loquacis mentem ſæpius perſtrinxerit, & ad confuſionem adegerit.

8. Volebant Græci additione illa quam criminabantur rem totam eſſe confectam: inſtabant ex oppoſito Latini diſcutiendas & examinandas eſſe cauſas additionis. Si enim juſtæ proferrentur ejus cauſæ, nihil eſſe rationis cur additio eſſet arguenda ſive in ipſa fidei formula ſive alibi uſpiam eſſet inſerta. Seſſione poſtmodum 15. Marcus Epheſinus cupiens Latinorum ingenia confundere, prolixiſſimum habuit in reprobationem additionis ſermonem, plenum confuſionis, inordinatum, & multiplici rerum verborumque congerie refertum. Sed reſpondẽtis Cardinalis Juliani admirabiliter præfulſit animi præſentia, & inexhauſta memoria cum vigore ingenij & judicij conjũcta, ſermonẽ etenim Epheſini affectata multitudine rerũ inordinatarũ ad confundendũ adverſarij animum, redundantem Julianus nulla parte omiſſa in duodetriginta capita diſtinxit, atque ad ſingula ſolidiſſimè reſpondit tum ex ſacris Scripturis, tum ex Patribus, tum ex Philoſophiæ penu, tum ex Eccleſiaſticis hiſtorijs. Imitari piſcem Sepiam Marcus conſultò affectarat, cujus ea eſt aſtutia ut atramenti quo plena eſt ſuccum effundat quo nigreſcit & turbatur aqua ſtagni, & ſic aſpectum eludit & manus evitat piſcatoris. Sed Julianus arte contraria eaque laudabiliori, confuſiſſima & inordinata Marci argumenta in apertum ordinem & lucem eduxit & palam refutavit, admotoque ingenij ſui lumine, victoriam retulit glorioſam, quam Marcus per tenebras & confuſionem illi conabatur eripere.

9. Seſſ. 16. Ingruente jam intra Ferrarienſem civitatem peſtilentia transferendi Florentiam, Concilij neceſſitas incubuit. Eugenius & reliqui Antiſtites Græci Latiniq; communi aſſenſu Ferrariã digreſſi Florentiam cõcedunt. Eugenium egredientẽ præceſſit ſacratiſſ. Euchariſtia intra arculam equo magnificè phalerato ſuperpoſitam ſub umbella cũ Clericorum & laicorum pſalmodijs & facibus accenſis, ut ſcribit actor hujus Synodi teſtis & ſcriptor Græcus autor. Similis fuerat ritus obſervatus in Greg. Papæ XI. itinere ex urbe Roma Anagniã ſecedentis an. 1377. præcedente per aliquot horarũ intervallum ſanctiſſ. corporis Chriſti Sacramento, ut ſcripſit eo tempore Amelius Epiſcopus Senogallienſis. Tandemq; menſe Januario ineunte Latini ſimul & Græci Florentiam devenere. Seſſ. 18. cum ſatis ſuperque apud Ferrariam diſceptatum fuiſſet, de additione voculæ ad Symbolum cœptum eſt Florentiæ diſputari de ſancti & vivificantis Spiritus proceſſione an ex Patre ſolo an etiam ex Filio eſſet, inter Marc. Epheſ. acris & præſtantis ingenij virum & Joan. ſupra commemoratum longè ſublimioris & ſolidioris præ Marco eruditionis. Hæc diſceptatio ſex tenuit ſeſſiones donec Marcus tanto impar adverſario ſæpè nihil habẽs quo poſſet illius urgentẽ vim retundere, pudore tandẽ ſuffuſus ceſſit palæſtra, ſimulatoq; morbo non eſt auſus in Synodum prodire. Cũ tamen Ioannes nemine congredi auſo per aliquot ſua repetens argumenta veritatem Catholicam altius in auditorũ animos infigeret, doceretque Spiritus divini productionem ab unico ſpirationis Patri Filioq; communis principio dimanare nõ vero à duobus ſeu principijs ſeu cauſis tametſi verè à duabus perſonis prodeat ac producetur, ſed tamen per unicum & indiviſum Patriq; & Filio communem amorem. Provectis feliciter ad ſtabiliendam unionem rebus, adverſarius pacis conatus eſt zizaniã ſuperſeminare, objectiſq; diverſis ab Imperatore obſtaculis tam excellens bonũ præpedire, ſed partim hortatu Ioſephi Patriarchæ viri pientiſſimi, qui tunc extrema ægritudine decumbebat, ad cujus cubiculum frequentes erant Imperat. & ſelectiorum Græcorũ conventus, partim cohortationibus & officijs Eugenij Põtificis, partim etiã Beſſarionis & Iuliani opportuno interventu, accedente reliquorum Græciæ Antiſtitum conſenſu, ſoloque Epheſino inceſſanter obſiſtente, utrinq; tandem & voce & ſcripto conventum eſt vocis Filij additamentum ad Symbolum æquo jure ac licitè factum eſſe. Spiritum S. quoque à Patre Filioq; in unitate principij ac originis prodire. Rom Pontificẽ univerſæ Eccleſiæ caput eſſe cui Chriſtiani toto orbe diſperſi in rebus æternã ſalutem ſpectantibus ſubeſſe & morem gerere teneantur. Valere ad corporis Chriſti Sacramentum panis triticei cõſecrationẽ, ſive ſit azymus ſive fermentatus quali utuntur Græci, Eccleſijs Orientalibus proprios ritus eſſe conſervandos præſertim in Liturgijs ſeu altaris oblationibus & ſacrificio. Sanctos ex hac vita decedentes poſtquam omnes animi labes ſive in hac mortali vita ſive in Purgatorio eluerunt, ſine mora vel dilatione conſpectu Dei perfrui, neque ad ſæculorum finem ipſorum protelari felicitatem.

10. Videnda eſt ſuperius prima noſtra ad generale Lugdunenſe Concilium diſſertatio, qua probatur antiquitas fidei Orientalium ſimul & Latinorum communis de Spiritus ſancti à Filio proceſſione, ſimulque additionis explicativæ ad Symbolum. Quibus adjungere viſum eſt aliam probationem à Joſepho Methonenſi Epiſcopo Græco adductam in ſua adverſus libellum Marci Epheſij reſponſione falsò aſſerentis iſtud additamentum cauſam fuiſſe Orientalium diſſidij. Ejus vero dialogiſmi fragmentum hic attexendum judicavi quia paucis verbis illa complectitur quæ prolixiſſimè in actis Concilij diſceptata ſunt. Sic autem Epheſini Marci aſſeverationem refellit, pro ſua tamen defenſione Latini reſpondebant tibi per Archiep. Rhodi falſa eſſe oſtendẽtes quæ dicebas: Quod nequaquã Eccleſ. Romana nec additamentum origo fuerit diviſionis & pugnæ. Neq; enim ſolum ante ſchiſma Eccleſiarum appoſitũ erat Symbolo, ſed ante ipſas Synodos œcumenicas ſeptimam dico & ſextam, ut teſtatur confeſſor Maximus in epiſt. ad Marinum Presbyt. Cyprium: nec ante illas tantum ut dictum eſt, ſed mox à ſecunda Synodo tẽpore Papæ Damaſi ut aſſerit Georg. Ariſtinus hiſtoricus. Quare hinc redargueris commentitia dicere; neque enim addi-

tamentum cauſam dedit ſejunctionis Eccleſiarum. Nam ſi poſt ſeptimam Synodum exortum eſt ſchiſma & multo etiam eſt illâ poſterius; additum verò fuerat Symbolo poſt ſecundã Synodũ, & Eccleſiæ concordabant uſque ad ſeptimam, & altera alteram hujus rei cauſa non accuſabat, quî fiat ut ex additamento ſit ortum diſſidium? Imo potius ex hoc oſtenditur Orientalibus explanationem hanc fuiſſe acceptam, quandoquidem addita etiam ſymbolo voce illa *Filioque* non diſſidebant.

11. Deinde aliquibus interjectis calumniã Epheſini de objectis ſibi à Latinis libris ignotis & apocryphis, & teſtimonijs depravatis & corruptis, ejuſque falſam jactãtiam ſe cum illis congreſſum ſententiam abſurdã eſſe apertè demonſtraſſe & libros depravatos perſpicuè probaſſe hac reſponſione refellit. Primus de dogmate Joannes ille in re Theologica ſummi vir ingenij, atque in inſtituto S. Dominici præfecti dignitate ornatus diſputationem inſtituit: Accepta inquiens benedictione Patris beatiſſ. quæſtionem de proceſſione Spiritus ſancti vobiſcũ habebo: quando non ex apocryphis ignotiſque libris protulit textus aut corruptis & depravatis ut ipſe ais: niſi apocrypha intelligas Baſilij magni & Athanaſij opera, necnon Epiphanij & S. Cyrilli, quorum dicta Joannes proferebat Latinorum nomine, per quæ demonſtrare conabatur dogmatis veritatẽ. Noluerunt enim ſacri illi viri Occidentalium auctoritate DD. ſed Orientalium probare hoc dogma ne quod etiã evenit poſſetis contradicere. Tu vero cum ferre non poſſes veritatem corruptos & depravatos vocabas DD. libros: quando etiã magno tuo dedecore, univerſa te Synodus ſugillavit ita dicentẽ, & præſertim ulterioris Franciæ Præſules, ut audierunt Orientalium DD. libros vocari à te corruptos magna voce exclamarunt: Hæreticus eſt maledictus, æterna feriatur excommunicatione, DD. enim rejicit & ſi ſuis Orientis DD. fidem non tribuit, quid de noſtris Occidentalibus dicet? hinc commotione excitata conſurgentes nihil aliud egiſtis. Proxima vero ſeſſione cum illi ex magni Cyrilli verbis argumenta duxiſſent, tu omnino S. Cyril. negaſti ita dicere. Cũ vero Joan. Epiph. eandẽ quæ Cyril. dicentem protuliſſet, tu hæc ipſa etiam adulterata vocaſti. Inde coactus profundæ ille ac ſublimis Theologiæ vir Baſilium magnum attulit in libro contra Eunomium conſimilia prioribus differentem, tu vero illa quoq; depravata dixiſti. Ita libros omnes qui producti ſunt corruptos vocãdo ſtultiſſimus ab omnibus habitus es. Quando miſiſtis etiam Nicomedienſis Præſulis miniſtrũ ut afferret codicem S. Baſilij in quo dictũ illud habetur: Cur enim neceſſe eſt, &c. Ille vero ſive malitia ſua permotus, ſive etiam à vobis admonitus voluit occulere veritatem atque accepto codice venit ad feneſtram cogitans dictum illud abradere, ſignatoq; folio in quo ſententia habebatur cultellum quærebat quo illam eraderet, at vero Spiritus veritatis non permiſit id fieri ne veritas extingueretur; excitat vero flantem auram per quã factum eſt ut folio in quo dictũ erat mutato, aliud ſe offerret: ille feſtinans aliud expunxit pro alio, deinde celeri greſſu reverſus ad Synodum audacter ibat ad convincendos Latinos. Ut vero pater librũ ejus aperuit & integram ſententiam vidit, torve in miniſtrum intuens rem commonſtrabat, at ille tremebundus exclamavit: ita Domine tua mihi proſit benedictio deraſi illam, quomodo autem rurſus integra ſit ignoro: ita cum inventa eſſet ſententia confuſi receſſiſtis. Hactenus Methonenſis.

12. Joſephus Conſtantinop. Patriarcha qui plurimum ad hãc unionem contulit, nondũ dirempto Concilio diem clauſit extremũ in Florent. civitate, relictâ ſchedulâ à ſe ſcriptâ qua profitebatur Roman. Papam eſſe univerſæ Eccl. caput. Et Spiritum ſanctum à Patre Filioq; procedere. Seque hac in re alijſq; omnibus fidẽ ſequi & profiteri Apoſtolicæ Eccleſ. ſenioris Romæ. Elatus honorificentiſſimo apparatu ac ampliſſima funeris pompa fuit, cui omnes interfuere Cardinales: in templo Fr. Prædicat. Græco ritu ſepultus eſt menſe Iunio an. 1439. huic ſublectus eſt ſucceſſor Metrophanes ex Epiſc. Cyziceno qui Concil. Florent. interfuit. Dein Metrophani Greg. Hieromonachus qui in Florent. Synodo locum tenuerat Patriarchæ Alexandr. fueratq; à confeſſionibus Joan. Palæologi Imperat. & dignitate Protoſyncellus. Hic vidẽs prævalere Conſtantinopoli perſecutionem in eos qui Florentino Concilio conſenſerant, ſeque nihil in oppoſitũ proficere relictâ Græciâ Romam confugit atque ann. 1459. quo Pius II. Mantuæ conventum habebat defunctus eſt cum opinione ſanctitatis, ut idẽ Pius Papa refert lib. 11. Comment. vitæ ſuæ ſub nomine ſuppoſito Gobelini. Scribit Chalcondyles lib. 6. Eugen. Pontificem dolentem vehementer eo quod Græci Florentinã Synodum averſarentur à Marco Epheſino ejuſq; diſcipulo Scholario ſeducti, miſiſſe Conſtantinop. doctiſſ. quoſdam viros ut Græcos reducerent & mendacia Marci & Scholarij à quibus ſeducebantur palam refellerent, ſed cum apud ſeductos operam perderent neq; audirentur Romã revertiſſe. S. Antoninus expreſſius enunciat miſſũ ab Eugenio cum doctiſſ. viris Cardinalem Venetũ Franciſc. Condelmeriũ ſpecie Legationis ad Græciæ Imperat. Joannem ipſum qui Synodo Florent. interfuerat & conſenſerat obtinuiſſe ab Imperat. ut fieret publica de rebus in Synodo decretis concertatio Barthol. inter Epiſcopum Coronenſem conſummatiſſimum Theologum linguæque Græcanicæ peritum, & Marcum Epheſ. populi ſeductorem, hunc vero licet tergiverſantem ab Imperat. compulſum prodijſſe ad diſputandum quem Coronẽſis publicè diſputans tanta ingenij vi convicit falſæ doctrinæ, & ad populum pervertendum tam inſignium impoſturarum, ut Epheſinus hauſto inde mœrore ac triſtitia, poſt paucos dies expiraverit in obſtinata perfidia. Plebs tamen ſeducta à cõceptis erroribus non reſilivit. Plerique Græci ſapientiſſ. libris Marci libros refutavere, hi ſunt Greg. Hieronomachus, Beſſarion Nicænus, Joſeph. Methonenſis. Georg. Scholarius ſapientiſſ. Senator Græcus qui Joan. Palæolog. Imperat. ad Synodũ comitatus tres luculentas orationes pro concilianda Eccleſiarum unione, viamque hujus ineundæ commonſtrantes pronunciavit, præclaram quoque defenſionem contexuit quinque capitulorum in Synodo Florentina decretorum adverſus eorum impugnatorem Marcum Epheſinum.

13. An. 1439. quo fuit communi Latinorũ Græcorumque conſenſu confecta inter utroſque apud Florentiam unio religionis & fidei, ſubſequuta eſt pariter Armenorum cum Eccleſia Romana unio: de qua hæc ait Græcus actorum Florentinæ Synodi ſcriptor: *Poſt aliquot dies venerunt ex Armenia apocriſarij Patriarchæ Armeniorum virtute præſtantes viri, quærentes & ipſi unionem fideique rectitudinem, qui etiam beatiſſimum Papam venerati Imperatorem viſerunt; conſiliumque ſuum & animum ſuum de conficienda cum Eccleſia Catholica unione expoſuerunt, petentes ut ferret auxilium &*

*prudentiã*

Digitized by Google

*prudentia ſua juvaret. Imperator autem reſpondit multum ſibi placere eorum ſtudium: & gratum fore ſi acceſſerint ad orthodoxam fidem & Catholicam Eccleſiam, & precari Deum pro dirigenda eorum unione: quæ ſi fieret ſe quoque promiſit ad negotium quodlibet & quidquid illis opus fuerit adjutorem. His dictis receſſerunt Armenij: nos vero Florentiâ exeuntes, Venetias petivimus, & inde rurſus domum redijmus.*

14. Armeni Eutychetis errorem duas in Chriſto naturas in unum confundentis ideoque in Synodo Calchedonenſi condemnati ſequebantur, atque etiam nunc conſectantur & Synodum Calchedonenſem reprobant & averſantur. Poſt Græcorum abſceſſum relicti ſunt Florentiæ aliqui Cardinales cum Epiſcopis nonnullis & ſelectis Preſbyteris eruditione inſignibus qui Concilium continuabant quandiu perduraret Baſileenſium conventus. Ab his Florentiæ verſantibus auditi & inſtructi ſunt Armeni, eorumque animis inſidentes difficultates diſcuſſæ ac elucidatæ. Eiſdem Eugenius Conſtantinopolitanum Symbolum cum acceſſione vocis *Filioque* tradidit in ſolemnioribus Miſſis decantandum; deinde Concilij Calchedonenſis decretum de duabus diſtinctis & inconfuſis in una Verbi perſona ſubſiſtentibus naturis atque operationibus; aliudque ſextæ Synodi contra Monothelitarum hæreſim quo aſtruuntur duæ diſtinctæ Chriſti voluntates & actiones; doctrinam prætereà de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, in qua etiam definitur confirmationis Sacramentum (quod Armeni reſpuerant) quamvis nonniſi per Epiſcopos qui Apoſtolis ſucceſſere conferri debeat, nonnunquam tamen ex Apoſtolicæ diſpenſatione ſedis, ob rationabilem cauſam & urgentem poſſe ab inferiori Sacerdote miniſtrari, dum ſolo chriſmate utatur quod Epiſcopus confecerit; prætereaque in ſacro Calice infundendam eſſe modicam ad vinum aquam ante conſecrationem, contra veterem Armeniorum ritum qui nihil aliud quam vinum in ſacrum Calicem infundebant cujus meminit Conciliabulum Quiniſextum. Eiſdem quoque tradidit Eugenius attributum Athanaſio fidei ſymbolum cum Apoſtolicis unionis literis an. 1439. Acceſſere Florentiam poſt Armenorum digreſſum Jacobini & Jacobitæ dicti anno 1441. hi per Orientem diſperſi jam inde ab Heraclij tempore Sectam conſtituebant Monothelitarum quâ ejuratâ eos plenius inſtructos ad Romanæ fidei unionem Eugenius aſcivit. Æthiopas etiam miſſis nuncijs & literis Eugenius ad eamdem fidei unionem invitaverat. An. igitur 1442. quo Eugenius Concil. Romam ex Florentia ad Lateran. ædem tranſtulit, adventarũt Romam Legati Æthiopum ſeu Abiſſinorũ Regis dicti Zerah-Iacob, id eſt ſemen Iacob, deferentes illius nomine Eugenio ſubmiſſionem & obſequiũ, & cum Eccleſia Romana cujus in omnibus fidem amplectebatur unà cum ſubditis ſibi populis unionem ſuppliciter rogantes. Verumtamen ſive noſtrorum neglectu, ſive operariorum defectu, ſive immensâ locorum & regionum diſtantiâ, ſive linguarum imperitiâ ſive ex alio quocumque defectu contigerit præclara illa & decora converſionis gentium exordia parem felicitatis progreſſum non ſunt ſortita, omneſque illæ gentes abdicato ſincero Dei cultu priſtinas ſuperſtitiones ac hæreſes reſumpſere: contigitque ipſis illud Evangelij de ſeminibus iactis in petroſa loca, quæ quia non habebant radicem aruerunt. *Hi ſunt qui continuo cum gaudio ſuſcipiunt Verbum Dei, non habent autem in ſe radicem, facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum continuo ſcandalizantur.* Matth. 13.

## *DIATRIBA DE ADDITIONE ad Symbolum.*

1. Concilium Epheſinum actione 6. refert initio Symbolum Nicænum αὐτολεξεὶ ſingulis verbis vacuum omnibus additionibus quæ Conſtantinopolitana Synodus poſt Nicænam adjunxit, nec vero Conſtantinopolitani ſymboli ullatenus meminit. Nicænum vero hac ſexta actione relatum, de Spiritu ſancto nihil aliud pronunciat quam verba iſta καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα. *Et in Spiritum ſanctum.* Deinde ſic decernit Epheſina Synodus τούτων τοίνυν ἀναγνωσθέντων, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι, παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν τῇ νικαίων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι. τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν, τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν· τούτους εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι, ἢ κληρικοί, ἀλλοτρίους εἶναι τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τοῦ κλήρου. εἰ δὲ λαϊκοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι. Id eſt. His igitur perlectis, ſtatuit ſancta Synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu ſancto congregati ſunt. Qui vero auſi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, ſive ex gentilitate, ſive ex Judaïſmo, ſive ex qualicumque hæreſi; hos quidem ſi ſunt Epiſcopi aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos à Clericatu decrevit: ſi vero laici fuerint, anathemati ſubjici.

2. Quinetiam ipſe qui Epheſinæ Synodo præſedit Cyrillus Alexandrinus tractat. in ſanctum Symbolum non aliud exponit quam Nicænum quod ibidem ad ſingula verba totum prodit, deinde ſingulos ejus articulos exponit omiſſo Conſtantinopolitano quantumvis uberiore. Neque ipſa ignorabat Epheſina Synodus iſtud Conſtantinopoli editum eſſe Nicæno poſterius atque verbis & rebus uberius. Idcirco ne illa condemnatio quam poſt recitatum Nicænum ſymbolum proferunt adverſus quoſcumque aliam fidem inducentes, ne fraudi ſit & condemnationi formulæ fidei Conſtantinopolitanæ quæ non pauca addidit ad illam quæ præceſſerat formulam Nicænam, quod procul utique erat à mente Concilij Epheſini, neceſſe eſt Epheſinum iſtud decretum non aliter intelligi quam de oppoſitis fidei doctrinis aut novis & antea indeciſis, quas aliqui privata autoritate auderent invehere: alioqui enim hoc idem decretum pari damnatione Conſtantinopolitanum ſymbolum involueret. Supereſt ut duo illa Symbola proprijs eorum Verbis proferamus, ut ex obtutu primo ipſaque αὐτοψίᾳ quam multa id quod poſterius fuit ad præcedens Nicænum addiderit. Quæ ut faciliùs diſcernantur, additiones hujuſmodi poſteriores diſtinctis characteribus exprimemus.

3. Symbolum fidei Nicænæ. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum, hoc eſt ex Patris ſubſtantia unigenitum; Deum de Deo lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt,& quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit & incarnatus eſt, & homo factus paſſus eſt. Et reſurrexit tertia die. Et aſcendit in cœlos, & ſedet in dextera Patris. Et venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum ſanctum. Qui autem dicunt erat quando non erat; & antequam naſceretur non erat; & quod factus eſt ex non exiſtentibus, aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia; aut qui filium Dei mutabilem eſſe affirmant; eos anathematizat Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

4. Symbolum Conſtantinopolitanum. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem FACTOREM COELI ET TERRÆ viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei UNIGENITUM, ex Patre natum ANTE OMNIA SÆCVLA, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, Genitum non factum, conſubſtantialem Patri per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit DE COELIS, & Incarnatus de Spiritu ſancto EX MARIA VIRGINE, & homo factus eſt. CRUCIFIXUS ETIAM PRO NOBIS SUB PONTIO PILATO PASSUS AC SEPVLTVS. Et reſurrexit tertia die SECVNDVM SCRIPTVRAS. Aſcendit in Cœlos & ſedet ad dexteram Patris. Inde venturus eſt CVM GLORIA judicare vivos & mortuos. CUJUS REGNI NON ERIT FINIS. CREDIMVS in Spiritum ſanctum DOMINVM ET VIVIFICANTEM EX PATRE PROCEDENTEM, CVM PATRE ET FILIO ADORANDVM ET CONGLORIFICANDVM, QVI LOQVVTVS EST PER PROPHETAS. ET VNAM SANCTAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM. CONFITEMVR VNVM BAPTISMA IN REMISSIONEM PECCATORVM. EXPECTAMVS RESVRRECTIONEM MORTVORVM. ET VITAM VENTVRI SÆCVLI AMEN. Vides in iſto Conſtantinopolitano Symbolo complura ad Nicænum addita, præſertim ad finem plures diſtinctos fidei articulos: & ex adverſo ſuppreſſionem ultimorum fidei articulorum quibus Nicænum terminatur. Nemo tamen dicere auſit Epheſinos Patres intendiſſe damnare Conſtantinopolitanam ſacram Synodum, cum non ignoraret quas fecerat additiones ad Nicænam fidei formulam. Ut autem crimini eximantur Conſtantinopolitani Patres aſſerenda eſt intra Eccleſiam autoritas addendi ad priſtina fidei ſymbola in majorem fidei elucidationem, aut etiam fateri neceſſe eſt Epheſinam illam prohibitionem dirigi ad homines privatos aut etiam reſtringi ad expoſitiones & additamenta fidei adverſantia. Ut levis & improbus fuerit eorum prætextus, quorum ambitio & æmulatio ſacrilega ſchiſmatum occaſiones conſultò exquiſierat. Cæteroquin ipſi quoque Nicænæ Synodo vitio verti poſſet ſuo Symbolo Nicæno addidiſſe Apoſtolorum Symbolum.

5. Prima quæ legitur ad Symbolum facta additio de proceſſione iſta ex Filio viſitur in Concilio Toletano III. anni 589. quo Hiſpaniarum Gothi ejurata hæreſi Ariana fidem profeſſi ſunt orthodoxam. Eaque additio in tribus legitur ejus Concilij locis. Primum in proloquio Regis Recaredi ad Concilium his verbis: *Spiritus æquè ſanctus confitendus à nobis eſt & prædicandus à Patre & Filio procedere, & cum Patre & Filio unius eſſe ſubſtantiæ.* Deinde inibi refertur Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione. Credimus & in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem ex Patre & Filio procedentem. Tertio in ejuſdem Concilij can. 3. *Quicunque Spiritum ſanctum non credit aut non crediderit à Patre & Filio procedere anathema ſit.* Anno deinde 633. Concilium Toletanum IV. cap. 1. ſic effatur: *Spiritum vero ſanctum nec creatum nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur.* Toletanum ſimiliter VI. anni 638. cap. 1. Eadem habet verba. Quæ etiam repetitur profeſſio in Concilio Toletano VIII. anni 653. cap. 1. in profeſſione fidei. *Credimus in Spiritum ſanctum Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Decipitur itaque memoriæ lapſu doctus Bellarminus dum ait fieri cœptam additionem à Concilio Toletano VIII. cum tamen ante factam fuiſſe liqueat à tribus quæ præceſſerant Synodis Toletanis. Concilium etiam Forojulienſe anni 791. cui præſedit Paulinus Aquileienſis Patriarcha tum in proloquio Paulini, tum in recitatione Concilij Conſtantinopolitani, formulæ quam omnes ibi profeſſi ſunt, vocem addidere *Filioque*. Tum etiam in ampliore ibidem facta Concilij declaratione fidei, ter repetitum legitur Spiritum ſanctum à Patre ſimul Filioque procedere. Quinetiam his omnibus antiquius Concilium Bracarenſe primum anni 411. in editione Labbeana expreſsè profitetur Spiritum ſanctum à Patre & Verbo procedere.

6. Longè à vero aberrant quicunque affirmant primum hujuſce additionis autorem fuiſſe Romanum Pontificem. Id enim de nullo aſſeri aut probari poteſt: oppoſitum vero probatur ex relatis ab Anaſtaſio Bibliothecario Eccleſiæ Romanæ in vita Leonis Papæ III. *Hic vero pro amore* (ait) *& cautela orthodoxæ fidei fecit ubi ſupra* (ſcilicet in templo Sancti Petri Apoſtoli) *ſcuta duo argentea ſcripta utraque ſymbolo, unum quidem literis Græcis & aliud Latinis, pendentia dextrà lævaque ſuper ingreſſum corporis.* Id factum clarius explicant teſtes duo, Græcus unus ſcilicet Photius in epiſt. ad Patriarcham Aquileienſem: Latinus alter ſcilicet Petrus Lombardus lib. 1. ſententiarum diſtinct. 11. Scribunt enim in utroque clypeo inſculptum ſymbolum fuiſſe Conſtantinopolitanæ Synodi cum proceſſione Spiritus ſancti à Patre nulla facta filij mentione, Græcè quidem in uno ancylium, & Latinè in altero: noverat enim ſapiens Pontifex Græcorum in Romanam Eccleſiam æmulationem, ideoque omnem volebat illis adimere offenſæ occaſionem metu defectionis ad quam proclives eſſe perſpiciebat. Et tamen ut paulo poſt probaturus ſum Leo III. pro fidei veritate habebat illam ex utraque perſona proceſſionem, quam tamen in illis temporum circunſtantijs non eſſe per illud ſymbolum promulgandam, id enim Græcos jam malè affectos ad pejora traduxiſſet.

7. Quod vero de doctrinæ veritate perſuaſus eſſet cuperetque id cunctis fidelibus eſſe perſuaſum

d by Google

ſum, conſtat ex eo quod cum Synodus Aquiſgranéſis anni Chriſti 809. coacta ſuper quæſtione iſta de proceſſione Spiritus ſancti, velletque definire illam pariter eſſe à filio, Carolus magnus rei judicium ſuſpendit donec haberetur ſummi Pontificis reſponſum Leonis III. ideoque ad ipſum legatos miſit Bernarium Epiſcopum Vormacienſem & Jeſſe Ambianenſem Epiſcopum atque Adelardum Monaſterij Corbeienſis Abbatem quibus reſpondit Pontifex. [Ita ſentio ita teneo cum his autoribus & ſcripturæ ſacræ autoritatibus. Si quis aliter hac de re ſentire vel docere voluerit, defendo. Et niſi converſus fuerit, & ſecundum hunc ſenſum tenere voluerit, contraria ſentientem funditus abjicio. Non tamen conſenſit ut Symbolo infereretur atque inço ſolemniter cantaretur ut fidem facit Smaragdus relatus à Baronio & à Sirmundo & à Labbeana Conciliorum editione.

8. Photius poſtmodum Conſtantinopolitani Patriarchatus invaſor, vir ad omne facinus audax, ambiens per Romani Pontificis extruſionem eſſe ſummum univerſæ Eccleſiæ caput, occaſionem ac prætextum ſumpſit in Nicolaum primum laudatiſſimum Pontificem anathematis brutum fulmen intorquendi, eo quod vocem illam *Filioque* toties agitatam contra prohibitionem Epheſinæ ut aiebat Synodi ad Symbolum inſeruiſſet aut inſeri conſenſiſſet, ut ſcribit S. Antoninus parte 3. tit. 22. cap. 13. §. 10.

## *CONCILIVM ROTOMAGENSE anni* 1445.

1. CONCILIUM iſtud coëgit Rodulfus Rotomagenſis Archiepiſcopus die 11. Decembris Pontificatus Eugenij quarti anno 15.

2. Can. III. *Præterea damnat omnes libellos ſeu quoſdam tractatus artium magicarum & divinatoriarum. Et ſuper hoc deinceps ſolliciti ſint ordinarij per ſuas diæceſes inquirere ſi qui ſint tales libri, & ad ſe evocare.*

Adverſus magos, incantatores, ariolos & eos qui cum ipſis conſuetudinem habent aut ad illos recurrunt extat Nicænus canon Arabicus 22. ex verſione Abrahami Echellenſis & canon 42. Concilij Turonenſis III. ſub Leone Papa III. & Carolo magno, edicens: *Admoneant Sacerdotes fideles populos ut noverint magicas artes, incantationeſque quibuſlibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedij conferre: non animalibus languentibus, claudicantibuſve, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas oſſium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodeſſe: ſed hæc eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.* De his vide apud Gratianum cauſa 26. qu. 1. 2. 3. 4. & 5. & paulo inferius can. 6. Huc ſpectat Concilij Carthaginenſis IV. canon 89. Augurijs vel incantationibus ſervientem excommunicans.

3. Can. IV. *Item ſtatuit quod ſi quis contra Deum vel aliquem ſanctorum ſuorum & maxime contra Beatam Virginem linguam in blaſphemiam, abnegando præſumpſerit relaxare, per Epiſcopum ſuum pœnâ mulctetur annotatâ in capitulo ſtatuimus rubricæ de maledicis.* Hæc porro ibi pœna ſtatuitur: *Vt ſeptem diebus Dominicis pro foribus Eccleſiæ in manifeſto dum aguntur miſſarum ſolemnia blaſphemus exiſtens ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat: ligatus corrigia circa collum ſeptemque præcedentibus ſextis ferijs in pane jejunet & aqua, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus. Quolibet autem prædictorum dierum tres ſi poterit, alioqui duos reficiat pauperes, ſive unum. Et ſi ad hoc nec ejus ſuppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur; cui etiam ſi renuerit recipere ac peragere pœnitentiam ſupradictam, Eccleſiæ interdicatur ingreſſus & in obitu Eccleſiaſtica careat ſepultura. Per temporalem præterea poteſtatem coactione (ſi neceſſe fuerit) Epiſcopi diæceſani adhibita contra eum, blaſphemus ſi dives fuerit, quadraginta ſolidorum, alioqui triginta, ſive viginti: & ſi ad id non ſufficiat, quinque ſolidorum uſualis monetæ pœnâ mulctetur: nullam in hoc miſericordiam habiturus: quod etiam inter alia communitatum ſtatuta ponatur.*

Olim ſecundum canones laicus excommunicabatur, clericus deponebatur. 22. q. 1. c. Si quis per capillum. Sed jure civili blaſphemi morte puniuntur in authen. ut non luxurientur homines contra naturam collat. 6. circa medium.

4. Canon VI. Item quod ſi qui inventi fuerint invocatores dæmonum & de hoc legitime convicti, quemadmodum fieri publicè ſolitum eſt, publicè prædicentur cum mitra in ſignum perpetuæ infamiæ. Qui ſi abjuraverint hunc errorem, poſt peractam pœnitentiam, ad arbitrium diœceſani miſericorditer poterunt relaxari. Si vero contumaciter in ſuo errore perſeveraverint: Si ſint clerici, degradati prius perpetuis mancipentur carceribus: ſi vero laici, relinquantur curiæ ſæculari puniendi. De alijs autem ſortilegijs & alijs ſuperſtitionibus, puta carminatoribus & brevia ad collum hominum & equorum, ſeu alibi ſuſpendentibus, ordinat hæc ſancta Synodus quod pœnâ jejunij & carceris unius menſis puniantur pro prima vice. Si vero perſeveraverint, pœna graviori ad arbitrium Epiſcopi compeſcantur.

Can. VII. *Item damnat modos illos qui videntur introduci gratiâ quæſtus, denominando imagines utpote; Noſtre Dame de recouvrance, Noſtre Dame de pieté, & de conſolation, de grace &c. Nam talia ſunt occaſio ſuperſtitionis in multis, quaſi ſit plus in una imagine quam in alia. Abuſores pœnâ arbitrariâ compeſcantur.*

5. Can. X. *Item præcipit ipſa Synodus quod unuſquiſque Parochianus habeat ſemel in anno omnia peccata ſua confiteri proprio Sacerdoti; & ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum reverenter ſuſcipere, juxta decretum omnis utriuſque ſexus, & ſub pœnis in eo contentis.*

Parochus non eſt magis proprius Sacerdos in ſua

ſua parochia quam Epiſcopus in tota diœceſi. Et quidem in pleriſque Parochijs impoſſibile eſt omnes proprio Parocho in paſchate confiteri, cum non poſſit unus ſufficere confeſſioni ſuorum omnium Parochianorum; ita ut neceſſe ſit auxilium ab alijs Sacerdotibus aſſumi, ſi vero id licite ſit de conſenſu Parochi pari aut etiam potiori ratione id licite fiet de conſenſu Epiſcopi. Idcirco damnata eſt olim à Joanne Papa XXII. Joannis de Poliaco Theologi Pariſienſis doctrina quâ aſſerebat eum qui confeſſus eſſet Sacerdoti regulari invalide confeſſum fuiſſe & teneri eadem peccata denuo proprio Parocho confiteri, ita ut non tantum Epiſcopus ſed neque ipſe Papa poſſit ab hac regula de proprio Parocho cum ullo diſpenſare contra canonem Lateranenſem omnis utriuſque ſexus. Quam doctrinam Joannes Papa damnavit in extrav. commu. c. vas electionis de pœnit. Poteſt quidem Epiſcopus huic juri ſuo cedere quando & quatenus ex juſta cauſa placuerit, omnemque hanc poteſtatem delegandi confeſſarios in Parochum pro aliquo tempore transferre. Sed aliud eſt agere ex mero & communi jure, & agere per liberam & ſpontaneam conceſſionem.

Can. XIII. *Item quod collatores ſcholarum, ſcholas ipſas perſonis ætate, & ſcientiâ, & moribus probatis committant, & liberaliter ac ſine exactione concedantur.*

Can. XIV. *Item quod beneficia Eccleſiaſtica perſonis idoneis & benemeritis tam ex parte patronorum Eccleſiaſticorum & laicorum, quam collatorum & ordinatorum, liberaliter & abſque ulla illicita pactione conferantur, & ad illa præſententur.*

6. Can. XV. *Item quod promovendi ad ſacros ordines ordinario aut ab eo deputandis examinatoribus tali tempore ſe præſentent, quod ab illis bene & mature poſſint examinari: nec recipiantur aliqui ad ordines ipſos, niſi per examinationem ſufficientem & debite factam reperiantur ætatis & qualitatum, aliarum quas ſacri definiunt canones.*

Poſteriorum Eccleſiæ ſæculorum uſus laxior eſt & ſolutior, quo indulgetur clericis beneficium Eccleſiaſticum poſſidentibus de illius fructibus vivere, quamvis ſæculares etiam opes poſſideant ſeu patrimonia, dummodo quæ ſibi ſuperflua ſunt ex utriſque uſufructibus in pauperes aliave pietatis opera erogent. At antiquior diſciplina videtur hæc fuiſſe ut clerici ſtipendijs Eccleſiæ minimè participarent, ſi aliunde ex proprijs & ſæcularibus bonis ad honeſtum victum ſuppeteret, ut autoritate Hieronymi & Proſperi ſive quis alius autor ſit librorum de vita contemplativa 1. qu. 2. c. clericos. c. paſtor & c. ſi quis probat Gratianus. Quibus adjunge Capitulare iſtud Caroli magni quod etiam fidem facit diſciplinam iſtam axactiorem autoritate niti Conciliorum: cujus hæc verba ſunt in capitularibus 76. 77. & 78. tertiæ Additionis: *Volumus atque præcipimus ſicut Synodali atque canonica autoritate à paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ ſæpe admoniti ſumus, ut canonici clerici qui in civitatibus vel monaſterijs degunt, qui beneficia habent unde victum & veſtimentum habere poſſunt; ut his juxta Apoſtolum contenti ſint, & ſtipendia fratrum unde pauperiores & hi qui aſſiduè in prædictis locis domino famulantes excubant, atque ibi aſſiduum divinum explentes officium vitam ſuſtinent, nequaquam aſſumant aut in ſuis uſibus convertant. Scimus enim quia abſque periculo atque diſpendio animarum ſuarum hoc nullatenus facere poſſunt. Si quis hæc ſtatuta contempſerit, utriſque careat ideſt & beneficio & præbendâ, atque ſi gradibus fruitur Eccleſiaſticis, his privetur: Quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus commune: nec aliquid inde eis qui ſibi de ſuo ſufficiunt convenit erogare. Quando nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere. Nec illi qui ſua poſſidentes dare ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat accipiunt.* Optabile eſſet ut Carolus magnus ſingillatim recenſuiſſet hoc loco (quemadmodum alibi ſolet) illos Synodorum canones de quibus generaliter hic loquitur. Fruſtra enim ad hoc produxerit aliquis can. 11. Concilij Vernenſis anni 755. cum fateatur doctiſſimus Ludovicus Tomaſſinus non loqui de alijs quam de Monachis qui contra editam à ſe profeſſionem reſumptis ſæculi opibus quibus renunciaverant, à Monaſterijs receſſerunt. Concilium vero Aquiſgranenſe anni 816. regnante Ludovico Pio Imperatore celebratum quodque vivendi regulas canonicis & ſanctimonialibus præſcripſit can. 115. diſerte ait licitum eſſe clericis propria bona dare & accipere; & in hoc à Monachis differre quibus id nefas eſt. *Quanquam enim* (ait) *canonicis quia in ſacris canonibus illis prohibitum non legitur liceat linum induere, carnibus veſci, dare & accipere proprias res, & Eccleſiæ* (ſcilicet res) *cum humilitate & juſtitia habere, quod Monachis qui ſecundum regularem inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, pœnitus inhibitum eſt: non tamen in cavendis vitijs & amplectendis virtutibus, eorum à Monachorum diſtare debet vita.* (Et poſt pauca) *Quia Monachi nihil ſibi proprium reliquerunt, manifeſtum eſt illos copioſioribus Eccleſiæ ſumptibus quam canonicos qui ſuis & Eccleſiæ licitè utuntur rebus indigere.* In ſumma intendit Aquiſgranenſe Concilium clericos patrimonium habentes poſſe quidem fructus Eccleſiæ poſſidere, ea tamen moderatione ut ad vitæ uſum, aliquid etiam de patrimonij ſui fructibus impendant. Epiſcopi vero qui tam multas ſub Carolo magno habuere Synodos non auſi ipſi ullo Synodico canone decernere, apud Carolum magnum ſæpiſſime (ut ipſe ait) apud ipſum contenderunt ut proprio edicto id decerneret, quod perfectius erat & priſtinæ Eccleſiæ (quos inſtaurari cupiebant) uſibus conformius. Sed tam ardua perfectio in commune introduci potuit & clericorum relicta eſt libertati, dummodo ab eo quod licitum eſt non deflecterent ut ſcilicet quæcunque à modeſto victu ſuperſunt in uſus pietatis erogentur, hac enim lege omnes clerici beneficia habentes Eccleſiaſtica aſtringuntur, quorum fructibus licite veſci poſſunt ſecundum ipſius Apoſtoli conceſſionem, *ut qui altari deſerviunt cum altari participent. Ita & dominus ordinavit ijs qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere.*

Can. XVII. *Item inhibet ipſa Synodus quibuſcunque Sacerdotibus ne pro miſſis per eos celebrandis turpes aliquas pactiones faciant.*

Can. XVIII. *Item ordinat ipſa Synodus quod*

*quod omnes clerici in ſuis beneficijs juxta eorum fundationes habitibus decentibus reſideant. Et præcipit Eccleſiarum Parochialium rectoribus quod ſaltem dominicis diebus & alijs ſolemnibus Parochianos ſuos in fide & moribus inſtruant.*

Eadem providit pro diebus omnibus dominicis & feſtis Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 4. de refor.

7. Can. XXI. *Item ordinat ipſa Synodus quod ſi quis clericus beneficiatus per menſem poſt publicationem præſentis ordinationis publicus concubinarius repertus fuerit, rigoroſe per ſuum ordinarium corripiatur: Et ſi poſt alium terminum qui ſibi pro ea abijcienda ſtatuitur non repulerit, ipſo facto fructus beneficiorum ſuorum perdat per tres menſes, qui ad utilitatem ipſorum beneficiorum applicabuntur. Quam ſi abunde retinuerit, omnibus beneficijs ſuis privetur, & aliàs canonice puniatur. Cæteri autem tam laici quam clerici fornicatores & adulteri moneantur ut deinceps contineant: alioquin contra ipſos procedatur prout ipſorum exegerit culpa.*

Fuerant hæc in Concilio Baſileenſi conſtituta. Indeque in pragmaticam ſanctionem tranſpoſita; ex eaque in Concordatum inter Leonem Papam X. & Franciſcum I. Francorum Regem initum & à Lateranenſi quarto Concilio approbatum derivata ſunt. Sic vero ſancitur illo Concordato: *Et inſuper ſtatuimus ut quicumque clericus cujuſcunque ſtatus, conditionis, religionis, dignitatis etiamſi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui deprehenſus fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam Eccleſiæ vel evidentem aliam Eccleſiarum utilitatem ex quibus hi fructus percipiuntur convertat. Nec non hujuſmodi concubinarium ut primum talem eſſe noverit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, ut intra breviſſimum terminum concubinam dimittat. Et ſi illam non dimiſerit, vel dimiſſam, ſeu aliam publice reſumpſerit, jubemus ut ipſum ſuis omnibus beneficijs omnino privet. Et nihilominus hujuſmodi concubinarij uſquequo cum ijs per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem, fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumve ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem reſiduo vomitu ad hujuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicuius diſpenſationis, ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quodque ſi hi ad quos talium correctio pertinet, eos ut prædictum eſt punire neglexerint, eorum ſuperiores tam in ipſos de neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animadvertant.* (Et poſt pauca interjecta) *Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi quorum concubinatus per ſententiam aut confeſſionem in jure factam, ſed per rei evidentiam quæ nulla tergiverſatione celari poſſit notorij ſunt; ſed etiam qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & diffamatam tenent, ex quo per ſuum ſuperiorem admoniti, ipſam cum effectu non dimittunt.*

8. Can. XXII. *Item inhibet ipſa Synodus omnibus in ſacris ordinibus conſtitutis, ne mulieres aliquas niſi de illis ſint in quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari, ſecum teneant: & quod ipſi ſuos filios aut filias illegitimas in domo ſua non habeant; nec eis per eoſdem filios in Eccleſia ſerviatur.*

Eadem prorſus decernit Concilium Colonienſe provinciale anni 1452. cui Nicolaus Cuſanus Cardinalis Legatus per Germaniam Apoſtolicus præſedit. Eadem præterea ex Concilio Baſileenſi adverſus clericos concubinarios repetuntur in Concilio provinciali Senonenſi anni 1485. præſide Archiepiſcopo Triſtando de Salazar art. 2. cap. 5. de concubinarijs.

9. Can. XXIV. *Item quod nullus citetur ex officio niſi prius aliqualis præceſſerit informatio quæ officiali loci oſtenſa fuerit: nec excommunicetur aliquis propter contumaciam niſi in ſcriptis, aut aliàs legitime conſtiterit quod fuerit citatus: & literæ excommunicatoriæ rectoribus Eccleſiarum infra menſem ad tardius præſententur.*

Quoad primam canonis hujus partem nec ordo judiciorum nec æquitas naturalis patitur ut quis ſine aliqua probatione criminali judicio implicetur. Quinimo de alicujus delicto non eſt inquirendum ex officio niſi aliqua præceſſerit infamia, non utique apud malevolas aut maledicas perſonas, ſed apud providas & honeſtas. c. qualiter il 2. de accuſatio. Quod ſpectat ad ſecundam canonis partem. Comperta res eſt quod cenſura quæcumque ſed præſertim excommunicatio quæ ab judice fertur circa præſens delictum cum contumacia conjunctum (ſecus enim eſt de cenſura quæ fertur à canone cujus non alia requiritur, ut incurratur conditio, præter canonis promulgationem, poſt quam contraveniens homo ipſo ſuo facto cenſura irretitur) ferenda vero ob delictum cenſura prærequirit trinam in ſcriptis admonitionem c. omnes decimæ 16. q. 7. & c. de Presbyterorum 17. q. 4. c. contingit il 2. & c. ſacro de ſent. excom. & c. conſtitutionem de ſent. excom. in 6. Præterea quævis cenſura præſertim excommunicatio decerni per ſcripturam debet cum expreſſione cauſæ, alioqui nulla & inanis erit cenſura & judex à quo lata eſt ſuſpenſus manet per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ & à divinis, ex conſtitutione Concilij generalis ſecundi Lugdunenſis ſub Innocentio Papa quarto quæ habetur in c. cum medicinalis de ſent. excom. in 6.

## CONCILIUM SENONENSE anni 1485.

1. ISTI Concilio præſedit Triſtandus de Salazar Senonenſis Metropolites, in quo inſtaurantur conſtitutiones alterius quod præceſſerat Concilij Senonenſis habiti anno 1462. cui præfuerat Ludovicus de Melidano Archiepiſcopus. Quibus tamen etiam acceſſere novæ hujus poſterioris Synodi ſanctiones. Dividitur hæc Synodus in quatuor articulos, ſinguli vero articuli in plura capita diſſecantur.

2. Articuli

Digitized by Google

2. Articuli 1. caput 1. divina chori officia ſic ordinat. *Vt omnes quibus nullum obſtat legitimum impedimentum vel juſtæ exemptio, horis debitis ſigniſque præmiſſis, cum tunica talari & ſuperpelliceis ultra medias tibias longis, vel cappis juxta temporum & regionum diverſitates, Eccleſias ingrediantur non capucia ſed almucia vel bireta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint gravitatem ſervent quam locus & officium exigunt, non in ſimul aut cum alijs fabulantes aut colloquentes, aut litteras aut ſcripturas alias legentes, & cum pſallendi grati ibidem conveniant, muta aut clauſa labia tenêre non debent, ſed omnes præſertim qui majori funguntur honore, in pſalmis hymnis & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, omnes conſurgant. Cum nominatur illud glorioſum nomen, in quo omne genuflectetur cœleſtium terreſtrium & infernorum, omnes caput inclinent. Nemo ibidem dum horæ in communi publicè cantantur, legat vel dicat privatim officium: Nam non ſolum obſequium qui obnoxius eſt choro ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debite obſervandis alijſque ad divini officij proſecutionem ac chori diſciplinam ſpectantibus, decanus vel cui incumbit onus diligenter invigilet; Hinc inde ne quid inordinate fiat circumſpiciens. Horum autem tranſgreſſores, illius horæ in qua circa ſupradicta exceſſerint, diſtributionibus vel alia majori prout tranſgreſſionis gravitas exigit plectantur pœnâ. Qui in matutinis ante finem illius pſalmi Venite exultemus, in alijs horis ante finem Pſalmi primi, in Miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon uſque ad finem divino officio non interfuerit, niſi forte neceſſitate cogente, aut petita & obtenta à præſidente chori licentia diſcedere oporteat, pro illa hora abſens videatur. Saluis tamen Eccleſiarum conſuetudinibus ſi quæ forte circa hæc arctiores exiſtant. Idem obſervetur in his qui à principio uſque ad finem in proceſſionibus non permanſerint. Pro cujus executione deputetur aliquis onus habens notandi perſonas ſingulas ſtatuto tempore non convenientes, juramento aſtrictus agere fideliter & nulli parcere.*

Sanctionem iſtam ab initio uſque ad verba hæc, *Saluis tamen conſuetudinibus*, eruit Synodus Senonenſis per ſingula verba ex Concilij Baſileenſis ſectione 21. in qua etiam admonentur qui ad divinum officium conveniunt ut animo ſe præparent ac recolligant; ſecundum quod ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 18. Ante orationem præpara animam, ne ſis quaſi qui tentat Deum.

3. Articuli 2. cap. 1. *Epiſcopi in ſuis diæceſibus niſi ex cauſa neceſſaria honeſta vel probabili reſideant: & principaliter poſt tempus viſitationis diæceſium ſuarum & locorum ſuorum campeſtrium in civitate ſua manſionem & determinationem habeant & faciant. In feſtivitatibus ſolemnibus per ſe in Eccleſijs ſuis ſolemniter celebrent. Ab omni deformitate & nota in cappis capucijs ſuis & habitibus penitus abſtineant. Domui ſuæ bene præſint, & familiam moderatam & diſciplinatam habeant & teneant. Honeſtos & doctos & Eccleſiaſticos viros in divinis ſcripturis & canonibus eruditos, præſertim in viſitationibus ſuis ſecum habeant. Ordines munde & ſancte conferant, doctis & probatis de beneficijs provideant. Ab indebitis & injuſtis exactionibus ceſſent & abſtineant ſuoſque officiarios & commiſſos abſtinere faciant.*

Sanctus Gregorius Papa per allegoriam divini mandati apud Exodum 29. ut de oblatis pacificis victimis ſeparetur armus & pectuſculum in partes & victum Aaronis filiorumque ejus Sacerdotum, effigiem & officium boni animarum paſtoris repræſentat in 2. parte paſtoralis cap. 3. dicens: *Divina lege armum Sacerdos dextrum in ſacrificium accipit & ſeparatum: ut non ſolum ſit operatio ejus utilis ſed ſingularis: nec inter malos tantummodo quæ recta ſunt faciat, ſed bene quoque operantes ſubditos, ſicut honore ordinis ſuperat, ita etiam amore virtutum tranſcendat. Cui in eſu quoque pectuſculum cum armo tribuitur: ut quod de ſacrificio præcipitur ſumere hoc de ſemetipſo autore diſcat immolare: & non ſolum pectore quæ recta ſunt cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia armo operis invitet: nulla proſpera præſentis vitæ appetat, nulla adverſa pertimeſcat.* Epiſcopum autem non ſolum in propria diœceſi ſed etiam in qua ſedes ejus eſt conſtituta, jampridem cautum fuerat can. 5. Concilij Carthaginenſis V.

4. Caput V. Eſt de concubinatu coërcendo, eademque ijſdem propemodum verbis conſtituit quæ haud multo ante adduximus ex Concilio Rotomagenſi poſt Baſileenſe Concilium, quo eadem prius accurate ſancita fuerant. Quocirca ne per eamdem lineam reciprocando ſerram moleſti ſimus require ſuperius Concilium Rotomagenſe anni 1445. can. 21.

5. Cap. VI. Conſtituit ut Eccleſiaſtici ſive in habitu ſive in capillitio inordinati ſi moniti non deſiſtant, ab Eccleſiæ miniſterio ad tempus arceantur. Sed ſi poſt præſtitutum tempus in contumacia perſiſtant, omnibus Eccleſiaſticis emolumentis & beneficiorum fructibus priventur abſque ulla perſonarum acceptione.

6. Cap. VII. Reducit in praxim antiquos de vita & honeſtate clericorum canones; quibus acceſſum ad tabernas prohibet, omnemque ebrietatem, negociationes, mercimonia, negotiorum ſæcularium geſtiones, & procurationes.

7. Cap. VIII. Clericos aleatores taxilliſque aut ludis cum violentis corporis exercitijs conjunctis ſe applicantes canonicis pœnis ſubjicit, niſi admoniti deſiſtant.

8. Cap. IX. Quæſtores qui diverſis locis vagantes ſæpe etiam prædicationis officium ſine canonica approbatione uſurpantes per diverſas quas peragrant plagas & regiones, falſas ſæpenumero literas ac bullas circumferentes ad extorquendas hominum credulorum & ſimplicium titulo eleemoſynarum pecunias, reprimit ſubiicitque ordinariorum cognitioni & examini: renovatque conſtituta Concilij Lateranenſis generalis ſub Innocentio

centio III. relata in c. cum ex eo de pœnit. & remiſſ. nec non Concilij Viennenſis in Clement. abuſionis, eod. tit.

9. Articulus III. Verſatur omnino circa religioſorum reformationem.

10. Articulus IV. Officia & obligationes proſequitur laicorum.

11. Denique ad plenam eorum quæ Concilio ſtatuta ſunt obſervationem præcipit ſancta Synodus ut in ſingulis diœceſibus omnia hæc inter Miſſarum ſolemnia publicentur ac promulgentur. Singuliſque diœceſibus teſtes Synodales nominatim expreſſos aſſignat qui ſolicite invigilent & perquirant ſi qui ſint qui Concilij decreta tranſgrediantur, aut ſi paſtores debitam in his diligentiam adhibeant aut adhibere negligant, admoneantque Metropolitanum ac ſingulos ſuffraganeos Epiſcopos, atque ad primum futurum Concilium referant.

# ECCLESIÆ DECIMI SEXTI SÆCVLI HISTORICA SYNOPSIS.

1. EXTINCTO Carolo VIII. abſque prole ulla ſucceſſit in Franciæ regnum Ludovicus Aurelianenſium Dux, Ludovici illius nepos quem Ioannes Burgundiæ Dux Pariſijs interemerat, filius vero Caroli Aurelianenſis qui in Azincurtenſi certamine captus, annos viginti quatuor ab Anglis in cuſtodia detentus fuerat. Simulac Ludovicus ejus nominis XII. regnum exorſus eſt, ſe utriuſque Siciliæ atque Ieroſolymorum regem, Mediolanenſemque Ducem appellari voluit. Et ſubinde facto divortio cum Joanna Ludovici XI. Franciæ Regis filia à ſe intacta, quam invito ipſi ſed præ metu conſentire fingenti pater induxerat, Annam Britannicam Regis Caroli VIII. viduam approbante Alexandro VI. ſummo Pontifice ſumpſit uxorem anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo. Novus ergo Rex jura ſua repetens ab avia ſua Valentina Ioannis Galeacij Mediolanenſium Ducis filia; cum tamen Franciſcus Sforcia qui primus gentis ſuæ Mediolanenſi ducatu potitus eſt illam retinuiſſet ditionem jure affinitatis & adoptionis ſuæ à ſocero Philippo ultimo Mediolanenſium ducum ex progenie Vicecomitum, qui Blancam filiam ſuam illegitime natam Franciſco Sforciæ dederat uxorem, eumque ſibi filium adoptaverat, ex quo ortus Ludovicus Sforcia cognomento Maurus Ducatum Mediolanenſem poſſidebat. Huic igitur Rex Ludovicus bellum indixit Alpibuſque tranſmiſſis Alexandriam vi ſubegit, aliaſque urbes & oppida partim armis partem deditione ſubjugavit. Sforcia ſpe omni excidens ad Maximilianum Cæſarem fugere coactus cætera victoribus prona reliquit. Sic brevi Mediolanum in Francorum poteſtatem cum arce redactum eſt. Subijt cum Inſubria tota Francorum Imperium opulentiſſima civitas Italiæ Genua, ab æmulis inter ſe diverſarumque partium viris Adornis & Fregoſijs certatim Regi tradita. Cæterùm poſt quintum exilij menſem reverſo in Galliam Rege diſſidentibus inter ſe conſtitutis proregibus Aubignio & Trivultio ab Inſubribus Sforcia revocatur profugus: qui cum fratre Aſcanio Cardinali ex Germania regreſſus, primùm Comum ad Larium Lacum ſitam urbem ultro dedentibus ſe civibus occupat. Dein Mediolanum celeriter advolans urbe ſumma gratulatione excipitur, Trivultio verſus Novariam recedente. Uno impetu Ticinum urbeſque cæteræ Tranſpadanæ præter arcem Mediolanenſem & Novariam reducem Sforciam admittunt. Rex vero è Gallia novum copiarum delectum in ſubſidium mittit Duce Ludovico Trimollio militari laude percelebri, adjuncto Cardinale Georgio Amboſio qui prudentibus conſilijs publicam rem promoveret. Acies inter utramque partem apud Novariam conſeritur, victus uterque Sforcia Novariam ſe recipit in qua erat Helvetiorum præſidium, ſed præſidiarij ab eo deficientes loci deditione facta cum ex conventione cum Francis pacta loco exirent in armis & ordine militari, Franci gemino hinc inde ordine inſidentes Helvetioſque obſervantes Sforciam cum tribus fratribus Sanſeverinis in habitu gregalis militis Helvetijs immiſtum deprehendunt captivumque abducunt. Aſcanius accepta fratris clade dum perfugium quærit in manus quoque Francorum incidit. Ludovicus Sforcia Lochijs

carcere detentus decennio fuit ibique vivere deſijt. Aſcanius vero Cardinalis in Bituricenſi turri captivitatem ſuſtinuit, unde biennio pòſt gratiâ Cardinalis Amboſij in libertatem eſt eductus. Duo autem Ludovici Sforciæ liberi Maximilianus & Franciſcus tuti in Germania conſederunt. Secunda hæc victoria Francis obtigit primo hujus ſæculi anno.

2. Sequenti porro ſcilicet 1501. Ludovicus Franciæ, & Ferdinandus Hiſpaniæ Reges fœdus mutuum inierunt deturbandi ex Neapolitano regno Friderici, illudque inter ſe dividendi, ut Hiſpanus Apuliam, & Calabriam, Francus vero Neapolim cum reliqua regni parte ſortiretur. Francus jus obtendebat inveſtituræ Carolo Andegavenſi ſancti Ludovici fratri, ejuſque hæredibus ab Hurbano IV. conceſſæ & à Clemente IV. & Gregorio X. alijſque Romanis Pontificibus confirmatæ, excluſa ob perduellionem erga Romanam ſedem & infamia cum Saracenis impiaque fœdera, Friderici ſecundi Imperatoris prole. At Hiſpanus nullo jure fretus quam proprij emolumenti, adjuncto prætextu belli communibus utriuſque Regis viribus adverſum Turcas ſuſcipiendi, nec non approbationis Alexandri Papæ VI. qui ſub ſpecie Turcicæ expeditionis in eamdem regni Neapolitani partitionem conſenſerat. Sed ſperabat Ferdinandus (nec ipſum ſpes fefellit) ſucceſſu temporis Francos à ſe per Hiſpanas artes & Francorum conſuetam incuriam brevi dejectum iri. Fridericus vero jus ſuæ poſſeſſionis ab Alfonſo Arragonum Rege cognomine magno repetebat qui nulla legitima relicta prole, Neapolitanum regnum ad ſpurium filium Ferdinandum tranſmiſerat. Pius vero Papa ſecundus hoc etiam regnum confirmaverat, excluſo Renato Andegavenſi, ejuſque filio Ioanne. Ipſe vero Fridericus ortum ducens ab Alfonſo ſucceſſionem aviti regni nactus erat. Quin etiam Ferdinandus ipſe Hiſpaniarum Rex ſe proximum ipſi Alfonſo legitimumque ſucceſſorem aſſerebat, cui cum nefas fuiſſet ſpurio ex geminoque adulterio nato (mater enim Ferdinandi quando hic in lucem editus eſt alteri viro nupta erat) ſucceſſio jure proximo legitimæ conſanguinitatis fratri Alfonſi ejuſque poſteris debebatur; is autem erat Joannes Arragoniæ Rex, inter quem & nothum Ferdinandum Alfonſus duo regna ſua diſtribuerat, ut Ioannes Arragoniæ regnum, Neapolitanum autem Ferdinandus filius ſuperius nanciſceretur: cui deinde jure conſanguinitatis, Fridericus ſucceſſerat. Ferdinandus vero primùm Arragonum Rex, deinde auctus per conjugium cum Iſabella regno Caſtellæ, filius erat Ioannis Arragonij ex legitimis nuptijs; atque ita legitimæ conſanguinitatis jure proximus omnium Alfonſum patruum contingebat. Contracto itaque fœdere Apuliæ & Calabriæ dominato penes Ferdinandum eſſe debebat cum nomine ducatus, penes autem Ludovicum reliquæ illius regni provinciæ & arces unà cum Neapoli ſub titulo regni. Siciliæ vero inſulæ integrum jus & dominatum Ferdinando poſſeſſori relinquebat. Miſer autem Fridericus ſe potentiſſimis adverſarijs perſpiciens viribus imparem, prælegit ſeorſim cum Ludovico quàm cum Ferdinando cui magis diffidebat paciſci: deſertis igitur quas poſſidebat ditionibus, Franco ſe ultro tradidit, à quo penſione munifica donatus privatam & tranquillam in Gallia reliquam triennio vitam egit. His ita conſtitutis Ludovicus in Franciæ regnum ſeceſſit, conſtitutis ad novum regnum adminiſtrandum Gallicanis ducibus non quidem inexpertibus belli, ſed prudentiâ & diligentiâ longe imparibus Fernando Conſalvo, quem ſui loco in parta recens ditione præfectum reliquit Rex Ferdinandus, quo duce novis mox turbandæ pacis prætextibus quæſitis Francos parum cautos, numeroque imminutos, deficientes pecuniâ & ſtipendijs, neceſſarijſque ad victum & pugnam commeatibus deſtitutos, & popularis gratiæ excolendæ inſcios, brevi Neapolitano regno exegit anno 1504.

3. Infauſta morte per venenum quibuſdam Cardinalibus & proceribus necandis à Cæſare Borgia præparatum per pocillatoris errorem extincto Alexandro Papa VI. datus eſt ſucceſſor Pius III. Sed & iſto poſt undecim à coronatione dies vita functo provectus ad Romanam ſedem fuit Iulianus Revereus Cardinalis opibus auctoritate & amicis potens, omnis expers literaturæ, indole ferox, iræ impotens, gloriæ militaris appetentiſſimus, in comminando audax & truculentus, qua occaſione ne omni virtute videretur vacuus, proditum fuit de eo nullatenus fuiſſe diſſimulandi artificem. Hic per decennium continuas cum Alexandro Papa habuerat ſimultates, ob quas Româ totaque Italiâ ſemper abfuit, verſatus apud Franciæ Reges Carolum VIII. & Ludovicum XII. quos ad Italica bella inceſſanter impellebat. Ipſique Carolo arma in Italiam inferenti comes adhæſit. Anno demum 1504. creatus Pontifex maximus ſuos omnes conatus & conſilia contulit ad recuperandas ditiones Romanæ olim Eccleſiæ prærepras, uſus armis & fortitudine Ludovici Franciæ Regis qui ſolus cum Francis omnia belli pericula & ſumptus in ſe recepit,

cepit, Maximiliano Cæſare qui fœderis quoque particeps erat, nullum cum ſuis Germanis ſubeunte diſcrimen. Primus armorum conflictus ad Agnadellum ſeu Chiaradaddum adverſus Venetos quorum multa oppida & urbes Julius Papa repetebat factus eſt, quo tam luctuoſam cladem Veneti accepere, ut amplius decem millibus in acie peremptis ipſoque eorum Duce capto Bartolomæo Alviano, ejuſque oculo lanceæ acumine perfoſſo, tormenta ſignaque & impedimenta victori Franco in prædam ceſſerint. Ea clade Venetorum animi uſque adeo conciderunt ut de dimittenda tota continente ſoláque urbe Venetiarum tuenda cogitarint. Uno victoriæ curſu Rex Caravagium, Bergomum, Cremam & Cremonam invadit, mox Peſqueriæ arcem quam Veneti crediderant inexpugnabilem vi capit cæſis præſidiarijs. Julius quæcunque optavit oppida ſolis uſus Francorum viribus in deditionem accepit. Et nullatenus communicato cum Rege conſilio, quem occulte tota Italia omneſque Francos poſt exhibitam ſibi illorum operam & obſequia moliebatur, fœderis cum Ludovico initi & obſequiorum exhibitorum immemor mortalium omnium ingratiſſimus, pacem novumque fœdus nulla habita Regis Franci mentione, cui deſiderabat Venetos implacabili odio remanere infenſos, cum devicta gente percuſſit, ut ipſorum operâ & armis adverſus Francos à quibus graviſſima paſſi fuerant damna uteretur. Simulque miſſo ad Heluetios Sedunenſi Epiſcopo, Heluetios à jurato cum Franco Rege fœdere divellit & ſub ſua ſtipendia recipit. Atque in hoc Ludovicus ex nimia imprudentique bonitate peccabat, quod cùm religioni duceret populo ſuo nova tributa quæ ab exordio regni ſui à præcedentibus regibus impoſita ſuſtulerat, indicere exiſtimabat bella ſolius regiæ domus proventibus ſe poſſe ac debere perficere, quæ cauſa Heluetios à Iulio ſollicitatos, & majora ſtipendia à Franco depoſcentes alienavit. Ferdinandum præterea Hiſpanorum & utriuſque Siciliæ Regem ad ſua fœdera Iulius facile pellexit ut contra æmulum & hoſtem Francum, uſurpatum Neapolitanum regnum Iulio Pontifici tributarium ſibi tueretur. Henricum etiam VIII. Angliæ Regem & Francis jampridem ob tranſacta bella æmulum pari facilitate in idem fœdus per Ferdinandum ejus ſocerum aſcivit, Catharinam enim Ferdinandi & Iſabellæ filiam habebat, cui ex futura Ludovici Franci ruina nihil minus quam provinciarum ampliſſimarum Aquitaniæ & Normaniæ recuperationem pollicebatur. Anglus itaque claſſem inſtructiſſimam in oram Aquitaniæ tranſmiſit: quæ tamen nullo operæ pretio facto in Angliam remeavit. Ferdinandus vero oppreſſo tum improviſa invaſione, tum ſceleratorum quorumdam proditione Ioanne Albreto, Cantabrorum ſeu Navarrorum Rege, Francis fœderato, Pampelonam & reliqua oppida & arces regni intercepit.

4. Interea Maximilianus Imperator à Iulio in idem fœdus enixe interpellatus, cum neque Ludovicum Regem deſerere neque bellum contra Pontificem ſuſcipere auderet, diſſidentes ad pacem reducere ſatagebat, attamen Iulius bello gerendo addictus iniquas prorſus neque admittendas poſtulabat conditiones, ut Genuæ totiuſque Liguriæ regnique Neapolitani dominio ac juribus abdicatis, revocatiſque ab univerſa Italia Francorum præſidijs Alfonſi Eſtenſis amicitiæ renunciaret donec Comachio in gratiam Pontificis cederet, quam urbem à ſuis majoribus Eſtenſis poſſidebat ad mare ſuperum ſitam, optimis abundantem ſalinis unde copioſa vectigalia Principi affluebant ex confluxu populorum Longobardiæ & Flaminiæ ad comparandum ſalem. Hac de cauſa Iulius locum illum ut feudum Eccleſiæ depoſcebat quod eſſe Imperij Alfonſus profitebatur. Antequam vero adverſus Alfonſum Iulius proficiſceretur diris egit adverſus eum & quotquot ei aut opem tuliſſent, aut ferrent, vel laturi eſſent, quibus pronunciatis anno 1510. ſuum continuo exercitum ad obſidionem Ferrariæ progredi juſſit etiamſi hiems differendam ſuaderet, verùm quo Gallis Ferrariæ juvandæ facultas adimeretur viſum eſt primùm expugnandam eſſe Mirandulam quæ in Regis Franciæ clientela erat, ideóque illam deſinente menſe Decembri obſidione cinxit. At Ludovicus peſſimo conſilio cùm res ſibi eſſet cum ardentiſſimo & diligentiſſimo aggreſſore, profectionem ſuam Italicam in ver ſubſequens diſtulit. Quinetiam deteriore conſilio & Chriſtianiſſimo Rege prorſus indigno, ſuiſque rebus pernicioſiſſimo, quandoquidem cauſam ſuam hoc auſu apud omnes reddidit deteriorem, hoſti autem ſuo juſtum addidit & ſpecioſum titulum (quo nihil poterat optatius Julio accidere) belli acrius gerendi, populoſque in Ludovicum quaſi impium & Eccleſiæ ſchiſmaticum hoſtem concitandi; cœpit enim cum Maximiliano Imperatore de Concilio

propria utriuſque autoritate cogendo ad Iulium Papam in ordinem redigendum, novumque Pontificem conſtituendum. Tum vero judicatum eſt quantæ jacturæ fuiſſet quæ præceſſerat mors Cardinalis Amboſij, qui pro certo Regem à pernicioſis ejuſmodi conſilijs deterruiſſet.

5. Id Conciliabulum Piſanum dictum, Piſis inchoatum eſt anno 1511. cui præſedit exautoratus à Iulio Cardinalis Bernardinus Carvajalius Hiſpanus. Illud ut diſſolueret Iulius, exemplum ſequutus Eugenij quarti qui ut Baſileenſe Concilium jam ad ſchiſma propendens,ſeque altius adverſus ſupremam ſedem efferens reprimeret, Concilium Ferrariæ in primis deinde Florentiæ indixerat, aliud ipſumque legitima fultum autoritate Romæ in Lateranenſi æde celebrandum inſtituit, ad quod demum Cardinales Piſani ſoluto infauſto conventu, ut privati acceſſerunt poſt Iulij Papæ interitum, ejuſque ſucceſſori Leoni Papæ X. & Concilio Lateranenſi veniam ſupplicantes dictâque palinodiâ abſolutionem obtinuere priſtiniſque honoribus benignitate Leonis reſtituti ſunt in integrum. Rex vero Ludovicus miſſis oratoribus Claudio Seiſſel Epiſcopo Maſſilienſi & Ludovico de Forbin Solerij Domino in gratiam Leonis & ſacri Concilij honorifice receptus fuit: Piſanus vero conventus Piſis inceptus inde Mediolanum tranſlatus, tandemque Lugdunum fœdum ibi exitum ſortitus eſt.

6. Multo laudabiliorem ſe Ludovicus præſtiterat in convocatione Antiſtitum & inſignium doctorum Regni ſui apud Turones,à quibus etiam ſapientiora & modeſtiora reſponſa retulit, quam in convocatione Piſani illius cœtus ex quo exitialia decreta prodierunt. Turonenſi convocationi propoſitæ examinandæ octo propoſitiones quibus reddita ſunt totidem præclara reſponſa quæ ſequuntur. Quæſitum eſt 1. Utrum Papæ liceat, ubi neque de religione agitur, neque de fundis & juribus Eccleſiæ Romanæ,bellum inferre Principibus temporalibus aut terris quæ non ſunt ejus patrimonia? Concluſum eſt non licere nec poſſe nec debere. Secundo. An licitum ſit Principi ſic laceſſito vim vi repellere terraſque Eccleſiæ invadere, non quidem mente illas retinendi, ſed ſolum impediendi ne Papa per illas fiat potentior ad injuſtam offenſionem ac deinde compoſita pace eaſdem reſtituendi? Reſponſum eſt his conditionibus licitum eſſe. Tertio an hujuſmodi odium Papæ implacabile quo etiam alios Principes & reſpublicas adverſus Principem iſtum concitavit ut ejus terras invadant, qui potius benevolentiâ ob multa in Papam & ſedem Apoſtolicam collata beneficia dignus eſt, fas ſit Principi ſic læſo ab ejuſmodi Pontificis obedientia ſe ſubtrahere? Reſponſum eſt fas eſſe, non tamen abſolute & indiſtincte, ſed pro tuitione tantum ac neceſſaria defenſione jurium ſuorum temporalium. Quarto hujuſmodi facta ſubtractione, quid agendum ſit tum Principi ipſi ac ſubditis ejus, tum etiam Prælatis & Eccleſiaſticis regni in his de quibus ad ſedem Apoſtolicam recurri conſuetum erat? Reſponſum eſt ſtandum eſſe juri antiquo & pragmaticæ ſanctioni tunc temporis in Gallia vigenti. Quinto an liceat eidem Principi armis tueri & defendere alium Principem juſte fœderatum? Reſponſum eſt licere, ſi alius Princeps injuſte laceſſitur. Sexto ſi quod jus talis Pontifex ad ſe pertinere contendat ut patrimonij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ partem, & contra Princeps talis juris poſſeſſor (Ducem Ferrarienſem Alfonſum deſignabat) pluſquam centenaria præſcriptione ſeſe defendat, & alioqui jus eſſe Imperij non Eccleſiæ contendat, ac nihilominus de ea controverſia offerat ſtare judicio vel arbitrio bonorum virorum,utrum eo caſu liceat Pontifici abſque alia cauſæ cognitione, bellum inferre huiuſmodi Principi: & ſi fecerit, utrum liceat Principi armis reſiſtere & aliis ei adeſſe? Reſponſum eſt licere utriſque. Septimo ſi nihilominus Pontifex contra Principem deſignatum articulo præcedenti pronunciaret ſententiam an ei obtemperare teneatur; maximè cum non ſit tantum eidem ad ſedem Romanam ire vel mittere? dictum eſt non teneri. Octavo ſi Pontifex non ſervato juris ordine, manu armata publicet aliquas cenſuras contra Principes ſibi reſiſtentes, eorumque ſubditos & fœderatos, utrum eis parendum ſit? Reſponſum eſt ejuſmodi ſententiam nullam eſſe, nulloque jure ligare. Fidem faciunt hiſtorici nullatenus ſuſpecti ejuſdem temporis Itali qui res uti gerebantur videbant, & perſpicuè norant Ludovicum pacis cupidiſſimum nihil omiſiſſe eorum quæ Pontificem placare & lenire debuiſſent, ſed Julium quo magis ſe Ludovicus demittebat & continebat, eo plus excanduiſſe, magiſque anſam inde ferociendi & pertinacius inſultandi arripuiſſe.

7. Indictum bellem Julius acrius proſequens obſidionem Mirandulæ ſuâ præſentiâ urget, omnia in caſtris ſedulò explorat, ipſe loricatus & enſe ſuccinctus tormenta ænea moveri, collimari & explodi jubet locis opportunis, atque urbem demum aggreſſione capit. Inde digreſſus Ferrariam aggreditur,

ſed

ſed aſperrimam obſidionem cum magna Pontificiorum internecione, Pontifex ſolvere compellitur. Alia ex parte cum Rex rerum Italiæ præfecturam Gaſtoni Foxio ſororis ſuæ filio, Duci Nemorenſi ingentis ſpei adoleſcenti commiſiſſet, iſte nihil moratus tranſmiſſis Alpibus aſperrima hyeme cum novis copijs in Italiam contendit. Bononiam quam Trivultius Gallicani exercitus præfectus Julio eripuerat, Julius ipſe cum valido Hiſpanorum & Italorum exercitu obſidione cinxerat, adjuvantibus inſignibus & veteranis Ducibus. At Foxius victor rediens ab expugnata Brixia quam Venetis cæſis illorum copijs eripuerat, opportunè adveniens hoſtes ab obſidione fugavit Bononiæ quæ jam in extremas redacta fuerat anguſtias. Inde converſis in Ravennam viribus adventanti ad ferendam civitati opem Julij exercitui ex Italis, Hiſpanis & Venetis collecto ardens juvenis occurrit conſertoque acerrimè prælio multam edidit Pontificiorum ſtragem, reliqui in fugam effuſi multi hoſtium duces captivi abducti ſolæ quædam Hiſpanæ cohortes ſupererant, quæ ſervatis ordinibus non fugientes ſed æquo paſſu recedebant. Eas juvenili temeritate ſolâ comitatus equitum alâ inſequitur generoſior quam cautior adoleſcens, eaque dimicatione haſtâ in latus adactâ interficitur. Hujus jacturæ indignatione commoti Galli per muri ruinam furente impetu Ravennam ingreſſi, civium ſtragem latè dedere, civitatemque diripuère anno 1512. ut ſcribunt Guicciardinus & Rubeus.

8. Julius Lateranenſi præſedit Concilio quod auſpicatus eſt quarto nonas Maij feſto Inventionis Sanctæ Crucis anno 1512. præſentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Archiepiſcopis & Epiſcopis ſeptuaginta ſeptem. Sed ſuperveniente febri poſt quartam ſeſſionem, deinceps Julius intereſſe non potuit, ejuſque loco præſedit Cardinalis Raphael Riarius Epiſcopus Oſtienſis. Fidem facit Guicciardinus lib. 11. Julium ſub vitæ exitum nomine Concilij compoſuiſſe decretum, quo titulus Chriſtianiſſimi ad Regem Angliæ ejuſque regni ſucceſſores transferebatur, Rexque Galliæ regia dignitate privaretur ejuſque regnum proſcriberetur & prædæ exponeretur, ſed pernicioſas ejus molitiones Deus ejuſdem morte avertit per lentam & tenacem febrem ex animi mœrore contractam, ut ſcribit Petrus Bembus lib. 12. hiſtoriæ Venetæ ad finem, inde concepto quod Venetos in amicitiam cum Cæſare Maximiliano inducere fruſtra tentaſſet ut conjunctis amborum viribus poſſet Francos exterminare, adeo violentis voluntatibus agitabatur. Antequam expiraret Cardinales circumſtantes adjuravit ne ſinerent ſucceſſorem à Concilio eligi, ſed ut ſoli juxta conſuetudinem in conclavi id officium exequerentur. Obijt nono Calendas Martij anno 1513. Promotus eſt in ejus ſedem conſueto ritu Joannes Mediceus Florentinus patre natus Laurentio tota Italia celeberrimo dictuſque eſt Leo Papa X. Iſte concitatos à prædeceſſore in mutuum exitium Principes & Reſpublicas quantâ valuit prudentiâ & clementiâ ſtuduit ad pacem revocare. Cardinales etiam & alios Prælatos qui fuerant Piſani conciliabuli autores veniam deprecantes impoſitâ ſalutari pœnitentiâ cenſuris exſolvit & ad priſtinas dignitates admiſit: procuratores Ludovici Regis comiter & perhumanè in Concilio Lateranenſi excepit, qui Regis nomine Piſanum conventum ejurarunt, & Leoni obedientiam præſtiterunt Concilioque Lateranenſi cum ſubmiſſione animi adhæſerunt.

9. Lateranenſe iſtud Concilium duodecim ſeſſionibus conſtat, duravitque quinquennio, ſæpe tamen ob graves intercurrentes cauſas interruptum. Cœptum quippe anno ut dictum eſt 1512. deſijt menſe Martio anni 1517. Ipſe vero Ludovicus tot caſibus agitatus vitâ exceſſit Calendis Januarij anni 1515. Credi vix poteſt quanto dolore Franciæ Regnum funus ejus proſequutum fuerit. Nemo anteriorum regum populi ſui gratiam ſtuduit pluribus beneficijs & tributorum liberaliori relaxatione demereri: neque ullus uſpiam populus Regem ſuum pari complexus eſt charitate. Cumque tot inter bella pecuniarum copia ad impenſas neceſſaria videretur, non modo nullum unquam novum vectigal impoſuit, ſed veterum etiam majorem partem remiſit, ſolitus dicere gregem pinguem optimi paſtoris indicium eſſe. Omnibus ſe acceſſu facilem & affabilem exhibebat, cognomenque propterea patris populi fuit conſequutus. Nemo etiam illatas ſibi offenſas pari clementia remiſit quin etiam beneficijs compenſavit. Ludovici æquitatem & optimam fidem adeo ſuſpexit Philippus Hiſpaniæ Rex pater Caroli, qui poſtea fuit Imperator ejus nominis quintus, ut moriens teſtamento tutelam eiuſdem filij ſui ei commendaverit, qui de ordinum Flandriæ conſenſu eam commiſit prudentiſſimo Guilelmo Croïo Ceurio nobili Flandro qui diligentiſſimè functus eo munere fuit. Quale exemplum olim præceſſerat in Arcadio Auguſto qui moriens Theodoſij filij tutelam Ildegendi Perſarum Regi teſtamento reliquit, qui eam

ex fide capeſſens pupilli curam mandavit Antiocho eruditiſſimo viro ut refert Procopius, & qui contra illum quidquam molirentur ijs ſe hoſtem venturum eſſe denunciavit.

10. Ludovici demortui regnum excepit proximus conſanguineus ejuſque gener, ductâ Claudiâ Ludovici primogenitâ Franciſcus Valeſiorum Dux, hic Mediolanenſis ditionis bello recuperandæ cupiditate accenſus, Alpes incredibili celeritate ſuperavit. Maximilianus Sforcia qui Ducatum illum dejectis Ludovici adhuc viventis præſidijs favente Julij Papæ factione receperat, gnarus quanta ſibi tempeſtas impenderet, inita cum Maximiliano Cæſare & Leone Pontifice belli ſocietate Helvetiorum copias admodum numeroſas operâ Cardinalis Sedunenſis conductas Francis opponit. Poſt atrociſſimum & pertinaciſſimum utrinque conflictum ad Marignianum quarto à Mediolano diſtans lapide oppidulum, Helvetij multis ſuorum cæſis in fugam aguntur; quorum quindecim millia in acie cæſa numerantur. Mediolanenſes ne quid deterius ab irato victore paterentur civitatis deditionem repente faciunt, arx poſt trigeſimum oppugnationis diẽ à Sforcia qui eâ ſe concluſerat redditur, totaque demum Inſubria brevi ſubacta eſt. Contigit hæc victoria an. 1515. ſecundùm quam factus eſt Bononiæ Leonis Papæ, & Franciſci Regis congreſſus quo inter ſe pacti ſunt ut Franciſcus abdicata Pragmatica Sanctione conſentiret in annatas Epiſcopatuum & Abbatiarum regni Romano Pontifici perſolvendas: Rex vero Galliæ nominandi quem libuiſſet idoneum ad ſingulos Epiſcopatus & Abbatias in regno vacantes jus haberet. Anno ſequenti Ferdinandus moritur 1516. eique ſuccedit Carolus Auſtrius ex Joanna filia Ferdinandi & Philippo Hiſpaniarum Rege & Belgarum ſequanorum Burgundionum Principe natus, qui avo ſuo Maximiliano defuncto ſuffectus eſt Imperator anno Chr. 1519.

11. Lateranenſe porro Concilium decretâ ad ultimum in Turcas expeditione finitum eſt anno 1517. qui fuit Eccleſiæ luctuoſus atque funeſtus hæreſis Luteranæ exortu, cujus autor Martinus Luterus apud Iſlebium oppidum Mansfeltani Principatus natus anno iſto contra Indulgentias ad ſacrum bellum in Lateranenſi Concilio publicatas concinnari cœpit, deinde in licentiam effuſior, Romano Pontifici conceſſam à Chriſto poteſtatem aliaque permulta Catholicæ documenta Eccleſiæ convellere ac impugnare, tantumque ejus nequitia prævaluit ut indictum adverſus Turcas Chriſtiani nominis hoſtes bellum in mutua inter Chriſtianos Principes bella deflexerit, ſeductiſque per hæreſim populis, Germania aliæque pleræque nationes hoc incendio conflagrarint. Cum vero debuiſſent Chriſtiani Principes in ſocietatem ſacri belli prout fuerat à Lateranenſi Synodo conſtitutum coire, ex oppoſito factum eſt, ut Turcæ nemine prohibente Chriſtianis inter ſe bello decernentibus Chriſtianorum fines invaderent ſuæque poteſtati ſubjugarent. Poſtquam vitâ functo Maximiliano vacavit Imperium ambientibus illud æmulis duobus Carolo & Franciſco huic ille Prælatus eſt. Nec diu pax inter ambos conſtitit. Bellandi factum eſt initium apud Cantabros Franciſco regnum Navarræ à Ferdinãdo materno Caroli avo violenter occupatum in Joannis Albreti prolem cui fuerat ereptum vindicare. Hoc itaque bello capta eſt à Francis regni caput Pompeiopolis, quam Pampelonam dicunt reliquaque illius regni oppida & arces. Sed Hiſpani paulo poſt ejectis Francis amiſſa omnia recuperarunt. Mediolanenſis ditio alternis vicibus nunc amiſſa nunc iterum recepta denuoque amiſſa fluctuavit. Poſtquam Helvetij Cardinalium Medicæi & Sedunenſis ab Rege defecerunt, inſubreſq; mutatis animis in Francum rebellarunt hoſtes brevi Mediolano potiti ſunt: ſequutæ fortunam multæ civitates Alexandria, Ticinum ſeu Papia, Parma, Cremonaque, ſed hoſtium viribus maximo fuit incremento præſtantiſſimi potentiſſimique in bello Ducis Caroli Borbonij Franciæ Comeſtabilis, cujus ductu & victorijs res Francicæ proſperè ceſſerant, ad Carolum Cæſarem defectio, indignantis ſe ab Aloyſia Sabauda Regis matre litigioſis ac forenſibus concertationibus appetitum connivente filio Rege, ſuis opibus ſpoliatum atque ad inopiam redactum, moleſteque ferentis Bonivetum Galliæ Admiralium conſilio & peritiâ militari imparem ſibi præferri gratiâ Regis fretum, & ab Aloyſia promotum in ipſius Comeſtabilis invidiam. Hunc vero Regis ſui proditorem, & à patria ſua profugum Carolus Imperator exercitibus Italiæ præfecit. Qui mox Bonivetum in Italiam à Rege præmiſſum acie profligavit. Inde Maſſiliam oppugnatum contendit Borbonius, ſed re infecta diſcedere poſt quadrageſimum obſidionis diem coactus eſt. Reverſus in Italiam reliqua partium Gallicarum oppida ad defectionem compulit. Rex jam inde non per Legatos ſed præſens bellum iſtud conficere in animum induxit, perſuaſus ſe iſto conſilio & Inſubres domare poſſe, deinde hac victoria iter ſibi ad acquirendum Neapolitanum regnum

gnum apertum iri. Igitur ſub Octobris finem florentiſſimo collecto exercitu iter per Alpes ingreſſus Mediolanum venit ab hoſtibus deſertam urbem, quam non ingreditur, curam obſidendi arcem cum ſufficienti præſidio Trimolio relinquens. Hiſpani firmo præſidio Ticinum quæ Papia dicitur miſſo, & Antonio Leva præfecto impoſito cum reliquo exercitu Laudem Pompeij quæ Lodi vulgo dicitur receſſerant.

12. Relicto igitur cum aliquot copijs Trimolio apud Mediolanum Rex Ticinum oppugnat, & cùm augendus potius quam minuendus eſſet exercitus, Rex illum nimia diminutione debilitavit. Enimvero Joannem Stuardum Scotum Albaniæ Ducem cum decem millibus peditum ac mille equitibus Neapolim, & Michaëlem Antonium Salutiarum Principem cum aliquot expeditis cohortibus in Genuenſes mittit. Ita ſparſæ Gallorum vires ſequuturo mox infortunio viam aperuerunt. Accerſito enim ex Germania novo virium ſubſidio novoque habito in Italia militum delectu Borbonius regia caſtra adoritur, ſimulque ex compoſito factâ ductore Antonio Leva eruptione extra urbem acris pugna conſeritur. Alenſonius Dux ad belli pericula multum ineptus contra quem Leva milites Ticino eduxerat primo congreſſu territus ratus omnia jam perdita & profligata, cum quadringentis equitibus fugam cepit, & prætervectus Helvetios ijs fidem fecit Francos omni loco victos & depulſos qui avitæ ſuæque fortitudinis haud ſatis memores dimicationi ſe ſubduxerunt. Totum interea pondus prælij in Regem incumbit. Germani ad ejus latera fortiter dimicantes ad unum pro ſalute Regis cæſi ſunt nemine terga vertente. Nobiles quoque Franci Regis latera tegentes pari fide & fortitudine animi in armis conciderunt. Rex ſuffoſſo ſemel atque iterum equo femore ſaucius certamen pedeſtre intrepide inijt ubi Mars atrociſſimus erat, cumque in extremo vitæ diſcrimine verſaretur accurrens Pomperantius qui Borbonio comes deſerenti Franciſcum hæſerat, hic vero in pedes deſiliens irruentes ſtricto ferro propulſans Regem texit pugnantem donec adveniret Lancius Prorex Neapolitanus cui Rex Borbonio diffidens ſe tradere maluit. Contigit hæc ad Ticinum clades Februarij 24. an. 1525. Bonivetus cujus infelici conſilio alijs enixè diſſuadentibus Rex Italiam profectus fuerat, & Ticinum obſidione cinxerat, ne vivus in Borbonij veniret poteſtatem, ſive impar doloris magnitudini, in confertiſſimam aciem ultro irrumpens per plura vulnera emiſit animum. Maxima nobilium pars vel in conflictu perijt, vel in captivitatem abducta eſt. Carolus Alenſonius cum Lugduni reſpiraret è fuga, ejus infamia tantum dolorem admiſit, ut octavo die vitam quam periculo eripuerat amiſerit, & in eo ſtirps Alenſonia deſijt regio exorta ſanguine.

13. Franciſco Rege captivo in Hiſpaniam abducto dum in cuſtodia detinebatur propoſitæ ſunt pacis & libertatis admodum duræ conditiones, quarum prima & præcipua fuit, ut Burgundiæ Ducatum cum multis ejus appendicibus Cæſari traderet omni ſupremo jure poſſidendum. II. Ut omnibus Regni Neapolitani, Principatus Mediolanenſis, Genuæ, Aſtæ quibuſcumque juribus, necnon Flandriæ & Arteſiæ ſupremo juri cederet, atque urbes quas in eis poſſidebat reſtitueret. III. Eleonoram Cæſaris ſororem Emmanuelis Luſitaniæ Regis viduam duceret. IV. Borbonio ablatas omnes ditiones & opes reſtitueret. V. Duos filios ſuos natu majores obſides datæ fidei de his alijſque conditionibus adimplendis traderet: eo quod Rex excuſaret jure ipſo non valere à quocumque pacta conventa qui liber ſuique juris non eſſet, præſumi namque ab invito per vim extorta. Addita quoque fuit ea quam Attilio Regulo captivo Carthaginenſes indixerant, ut ſi conditiones undecunque advenientem impedimento effectum non ſortirentur Rex ipſe rediret ſeque priſtinæ cuſtodiæ ſubjiceret. Rex libertatis cupidus his conditionibus fidem ſuam obſtrinxit. Adducti ſunt regij liberi impuberes Franciſc. Delphinus novennis & Henricus Aurelianenſis Dux octennis qui eodem momento ab Hiſpanis recepti ſunt quo pater eorum dimiſſus. Qui redditus libertati promiſſis non ſtetit eorum prætexens duritiem, & iniquitatem, ſuique ad promittendum in captivitate coactionem. Convocata etiam regni comitia proteſtata ſunt non poſſe ab ullo Rege convelli coævam regno legem de non minuenda tantiſper Francica ditione. Burgundi quoque decernunt armis ſe tueri ne à Regno divellantur. Prætereaque fœdus initur inter Pontificem Clementem VII. Regeſque Franciæ & Angliæ & Venetos & Franciſcum Sforciam Mediolanenſium Ducem ſocialis belli, pro Italiæ libertate tuenda, Sforciæ Principatu aſſerendo, & recuperandis Franciſci Regis filijs concluſum die Maij 17. an. 1526. Quo eodem Romæ potens Columnenſium familia Carolo Imperatori addictiſſima occultè adverſus Pontificem conſpiravit. Cardinalis Columnenſis Veſpaſianus ejuſque frater Pompeius cum Hugone Moncada Hiſpano nocte

nocte quæ vigeſimum Septembris diem præceſſit cum octingentis equitibus & tribus peditum millibus ſumma celeritate incedentes, nemine de ipſorum molitione ſuſpicante Urbem ſummo mane ingreſſi ad Vaticanum contenderunt. Quorum adventu conſternatus Pontifex cum nonnullis Cardinalibus quibus magis confidebat in arcem ſancti Angeli ſe recepit. Hoſtes autem Palatio Pontificio ſacra omni profanaque ſupellectile direpto in Baſilicam quoque Sancti Petri nefarias manus injecere eamq; pariter diripuere cum opulentioribus illius ſuburbij domibus. Moncada vero ad colloquium accito, induciæ reclamantibus licet Columnenſibus ac præcipuè Cardinali, compoſitæ inter Pontificem ac Cæſarem fuere: quibus Pontifex ſtatim copias quas circa Mediolanum habebat removere, Columnenſibus & omnibus qui hoc motu implicati fuiſſent ignoſcere, cenſuriſque exſolvere, atque obſides de his dare pollicitus eſt, Cæſariani vero & Columnenſes copias Româ, & ex finibus dominationis Pontificiæ educere promiſere.

14. At Clemens cujus officij erat ſacrilega & deteſtanda facinora reprimere, neque ſinere illa impunè dilabi, Columnenſes poſtmodum omnes hoſtes Eccleſiæ pronunciavit meritiſque pœnis ſubjecit. Et Cardinalem dignitate exautoravit, diriſque devovit ac per Vitellium copiarum ſuarum Ducem cuncta ferè oppida Columnienſium diripuit incendit aut diruit, Cardinali interim à ſententia in ſe lata, Neapoli ad futurum Concilium provocante. Appulſo autem Caietam cum Hiſpana claſſe Lanoio Prorege Neapolitano ad finem anni, & in Inſubriam pariter confluentibus Gallorum & Germanorum copijs, bellum utrinque magnis contentionibus recrudeſcere cœpit. Carolus Cæſar Borbonium egregium Imperiorum ſuorum adminiſtrum, ac potentiæ ſuæ ſtruendæ præcipuum adjutorem ex Hiſpania in Italiam cum copiis dimittit, qui fruſtra tentatâ Florentiâ nobili & copioſa civitate, cujus direptionem pro ſtipendio à biennio ferè militibus Germanis non perſoluto deſtinaverat: qui etiam per ſeditionem tentorium ipſius ingreſſi occiſis quibuſdam ejus contubernalibus omnem ejus ſupellectilem expilaverunt. Hunc ergo exercitum magnis itineribus ſine machinis aut impedimentis Romam adduxit ut civitatis adeo opulentæ direptio illis eſſet pro ditiſſimo ſtipendio. Anno igitur 1527. die Maij 5. Borbonius in pratis Vaticano vicinis caſtrametatus urbem adoritur, ipſeque inter primos ſcalis admotis conſcenſo muro glande plumbea ad ilia trajectus mortuus concidit. Arauſiacus Princeps cui primæ à Borbonio partes vidit cadentem, obtectoque cadavere ne militum ardor deferveret locum demortui occupans (ut Publio Valerio Conſule in acie cæſo Publium Volumnium feciſſe olim produnt hiſtorici) id peregit, ne ſenſus ejus interitus ad militem deveniret antequam urbs omni ex parte eſſet expugnata. Teterrima fuit captæ urbis facies effuſis in omnem licentiam prædonibus, nullum templum ſacrilegis eorum manibus inviolatum manſit, neque matronæ neque virgines etiam ſacræ violenta eorum ſtupra evadere potuerunt, nullæ fuere procerum aut aliorum commodè viventium ædes militum manibus intactæ, qui poſtquam obvia quæque diripuerant, tormentis adhibitis inquilinos cruciabant immaniter, ut ſi quid abdidiſſent manifeſtarent. Clemens Summus Pontifex in molem Adriani quæ Sancti Angeli caſtrum vocatur vix evaſit. Hanc arcem Auraicenſis Dux perductâ in circuitu foſsâ diſpoſitis per loca præſidijs circumvallavit, ne qua ſubſidia vitæ incluſo Pontifici miniſtrarentur, ut ſcilicet fame & penuriâ ad deditionem adigeretur: ad quam demum coactus ſub duriſſimis conditionibus fuit, nec libertati dimiſſus niſi poſtquam omnes illas adimplevit. O præclaram Caroli V. Cæſaris religionem duobus æternis inſignitam monumentis per ea quæ Romæ geſta ſunt tum per Columnenſes & Moncadam, tum deinde per Borbonium & Arauſicanum! Nec vero Pontifex Clemens huic ſecundæ ereptus eſt captivitati, etiamſi peſtis quæ Romam innumeris funeribus hauſerat in arcem quoque Sancti Angeli pervaſiſſet, & aliquot Pontificis familiares, niſi poſtquã Cæſar ſibi periculum imminere perſpexit ex acceſſu adventantis Francici exercitus Duce Lautreco cui Franciſcus Rex mandarat, ut quàm citiſſimè Summum Pontificem ex captivitate eriperet. Sed neque Franciſcus immunis eſt à peccato ſpretæ religionis, qui Turcas belli ſocios accivit adverſus Cæſarem, obtinuitque ab eorum Imperatore Solimano ut Barbaroſſa inſignis pirata Rex Algerum præfectuſque maris Turcici ſibi in auxilium mitteretur, qui claſſe adducta Niciam Sabaudi Ducis urbem obſedit nec tamen expugnavit, nihilque inde ad ſua reverſus contulit Franco præter dedecus ac vituperium. Quantam vero nomini ſuo labem aſperſit quum miſſis Legatis Solimannum hortatus eſt, ut extrema regni Neapolitani littora invaderet dum ipſe in Principatum Mediolanenſem irrumperet? Quæ tamen ſollicitatio Deo melius Eccleſiæ ſuæ providente omni caruit effectu.

15. Dum

15. Dum vero Chriſtiani Principes mutuis odijs & internecinis bellis Chriſtianas Provincias quaſi mercede conducti a Turcis fœdè vaſtabant & populabantur, Turcarum Imperator Solimannus impigrè in exitium Chriſtianæ reipublicæ incumbebat. Belgradum quippe validiſſimum Chriſtianorum propugnaculum anno 1521. expugnavit, annoque inſequenti Rhodum ſexto ab obſidione menſe, nemine per id tempus in auxilium accurrente, Chriſtianis eripuit. Exinde fuſis Hungarorum copijs eorumque Rege Ludovico, dum poſt immanem ſuorū ſtragem fugā ſibi conſulit gurgite paludis immerſo, Budā regni caput omnemque longè lateque circumfuſam regionem ſubjugavit anno 1526. Exinde à Viennæ obſidione repulſus Albam Regiam, Strigonium, aliaque deinceps Pannonum oppida & arces ſubegit anno 1529. Sed etiam hæreſiarchæ ſæculi iſtius majorem Eccleſiæ perniciem invexerunt Luterus ex Auguſtinianorum ordine perfidus apoſtata, Saxoniam primum, deinde univerſam ferè Germaniam extremaſque Septentrionis plagas Daniam, Sueciam, Nordvegiam infecit contagio perverſæ doctrinæ, quam Fridericus Elector Saxonicus primus inter Principes excepit, ejuſque patrocinium ſuſcepit; ſingulari gratia & ſtudio Luterum complexus, tum quia Luteri ſtudia promoverat, ſumptuſque ad ejus ſolemnem in Doctorem Theologum ſuſceptionem, in ea quam Princeps idem fundarat Univerſitate Vvitembergenſi, pia liberalitate ſuppeditaverat, cumque illius ingenium atque in concionando eloquentiam & in diſputando ſolertiam & acumen ſuſpiceret, magnum Academiæ Vvitembergenſi decus Luterum promovendo contuliſſe rebatur. Erat Friderico patruelis Georgius alter Saxoniæ Dux fidei Catholicæ ſtudioſiſſimus. Hic ad convincendos Luteri errores inſignem in Academia Ingolſtadienſi Theologiæ profeſſorem Joannem Eckium, Lipſiam quæ ad Georgij Principis ditionem pertinebat evocavit, ipſumque Luterum ad diſputandum mutuo adhibitis ſcribis, qui diſputantium dicta ſcripto exciperent. Luterus Joannem Caroloſtadium ſibi fidiſſimum Doctorem à cujus manu Doctoris lauream in Academia Vvitembergenſi receperat, ſecum adduxit. Multorum dierum fuit hæc diſputatio, quam primis diebus auſpicati ſunt Eckius & Caroloſtadius, ſed huic diſputatione convicto & fatigato ſucceſſit, quaſi ſuccenturiatus miles Luterus, qui in progreſſu diſputationis cum rationibus Eckij urgeretur, more pertinacium quibus rationes deficiunt, in iras & convicia prorumpebat, ideoque blande admonitus ut nihil per iram, ſed modeſtè ageret nec auditoribus ſcandalum ingereret, impijſſimè reſpondit, non propter Deum hanc rem cœptam eſſe neque propter Deum finituram. Lutero ſe pugnæ ſubtrahente prodijt denuo in arenam Caroloſtadius: tandemque decimo quinto certaminis die de palæſtra receſſerunt, cauſantes ſuam Vvitembergæ neceſſariam eſſe præſentiam. Ex Luteriana radice prodijt venænatus Anabaptiſtarū ſtolo Chriſtianos ætate infantili baptizatos adulta jam ætate rebaptizantiū, & decernentium nulli quarumcunque legum aut præceptionum, ne quidem ipſius ſacræ Scripturæ ſtandum eſſe præjudicio, ſed ijs duntaxat quæ proprius ſpiritus ſuggerit, id enim eſſe divini Spiritus impulſum cui reſiſtere ſit nefa. Hujus delirij autorem quidam dicunt Nicolaum Storkium alij Balthazarem Pacimontanum. Sacramentarij quoque hoc ſæculo prodierunt & ſtupendum in modum propagati ſunt, autoribus Caroloſtadio qui hac in re cœpit a Lutero diſcedere: unde tantum inter ambos proceſſit odium quantus antea fuerat amor quo erant colligati. Sacramentariorum ſectam primum apud Helvetios invexerunt Udalricus Zuinglius Tigurinæ parochus Eccleſiæ, & Joannes Oecolampadius apud Baſileenſes ex Ordine regularium Sanctæ Birgittæa poſtata, & apud Gallos Joannes Calvinus Noviodunoin Picardia oriundus. Iſte Francia excedens ſedem Genevæ fixit, quæ paucis ante annis incitante Guilielmo Farello ſuum cum omni clero Epiſcopum expulerat. Calvinus poſt aliquot annos Michaëlem Servetum Hiſpanum qui Genevam ſe receperat hæreſis poſtulavit adverſus ſanctiſſimam Trinitatem, quam inſtaurata Pauli Samoſatenſis hæreſi humanum eſſe commentum aſſerebat, nec niſi unam perſonam Deo attribuebat quamobrem accuſante & urgente Calvino Magiſtratus ſententiâ, Servetus rogo colligatus vivus eſt combuſtus.

16. Henricus Angliæ Rex ejus nominis VIII. qui edito adverſus Luterum libro defenſoris fidei titulum meruerat, Annæ Boleniæ amoribus irretitus cum Catharina uxore Ferdinandi & Iſabellæ Hiſpaniæ Regum filia, & Caroli V. Imperatoris matertera divortium facit anno 1532. & nuptias ſacrilegas cum Bolenia init. Eaque de cauſa Summi Pontificis ſententiā piorum communione ſejunctus, hoſtem ſe Romanæ profeſſus Eccleſiæ, ditionem ſuam ab ea divulſit, ſeque Anglicanæ caput Eccleſiæ cōſtituit & quoſ-

cunque ſubditorum ſibi renitentes ultimo ſupplicio quaſi perduelles affecit:in his Thomam Morum Regni Cancellarium illuſtrem probitate atque eruditione virum, & Ioannem Fiſcherum Roffenſem Epiſcopum, purpurâ, dum carcere detinebatur Anglico à Summo Pontifice ornatum anno 1535. gladio ſubjecit. Annam pellicem ſed ementito nomine dictam uxorem, ex qua prognata erat Elizabetha quæ in perniciem Eccleſiæ multos poſtea regnavit annos, cervicis amputatione damnavit. Ipſe vero ad ſextam uſque conjugem connubia multiplicavit, ex quarum una filium ſuſcepit Eduardum, in quem ſuam tranſmiſit Anglici & Hibernici Regni ſucceſſionem. Sed hoc juvenili ætate mortuo,bina delata ſunt Regna Mariæ Henrici & Catharinæ filiæ. Hæc Catholicam fidem in Angliam reduxit & Philippo ſecundo Hiſpaniarum Regi nupſit,cui tamen nullam reliquit prolem,Regnum exorſa ab anno quo fato functus eſt Eduardus 1553. accitoque Reginaldo Polo Cardinali, & propinquo ſuo Regnum Romanæ fidei communionique reſtituit. Verumtamen ſexto pòſt anno qui fuit Chriſti 1558. Mariæ defunctæ ſuccedens Elizabeth Henrici & pellicis Annæ filia priſtinam perfidiam reduxit & Catholicos omni crudelitate inſectata eſt.

17. In vicina Scotia Jacobus V. ejus Rex Catholicæ fidei ſtudioſiſſimus, poſt ſchiſma Anglicanum ab Henrico invectum, dum vixit ſollicitè obſtitit ne hæreſis ex Anglia æmula in ſuum regnum pervaderet. Poſtquam autem obijt anno 1542. unicâ relictâ legitima prole Mariâ infantulâ dierum octo, res Catholica cœpit in eo regno fluctuare, ortis contentionibus de regni adminiſtratione, quarum occurſu hæreſis ſe inſinuavit in regnum, tandemque omnino prævaluit anno 1559. quo Joannes Knoxus ipſe Scotus Presbyter & Monachus religionis Catholicæ perduellis, qui pœnas ſceleribus ſuis debitas fugâ evadens in Angliam primùm, deinde Genevam ad Calvinum ſe contulerat, ubi communicatis cum illo conſilijs, & ſeditionum atque deſtructionum artibus apprime inſtructus in patriam rediens, junctus ſeditioſis quibuſdam primoribus conjuratis, adeo rem auxit concionibus ſuis & invectivis, ut matrem Reginam & Reginæ pupillæ tutricem adminiſtratione regni deturbarint, ipſa vero pupilla Maria ne ſub poteſtatem conjuratorum caderet in Galliam traducta eſt Franciſco ſecundo Regi deſponſanda. Jacobus vero Stuardus nothus Jacobi V. Regis filius Moraviæ Comes, Catholicæ religioni infenſus, Epiſcopos cum Clericis & Monachis regno exegit, ſacriſque omnibus conculcatis & Eccleſiæ opibus expilatis, adjutore uſus ſeditioſiſſimo Knoxo hæreſim Calvinianam toto regno ſtabilivit. Mortuoque Franciſco Rege ſponſo Reginam Mariam in Scotiam reducem continuis rebellionibus, infandis calumnijs & contumelijs vexavit. In odium autem Catholicæ religionis quam profitebatur Henricus Stuardus,quem illa ſibi conjugem invito Jacobo Stuardo notho elegerat, & ab hæreticis pulſum ab exilio revocarat, hæretici Henricum Regem proclamatum interfecerunt, Reginamque Mariam carcere concluſerunt, concitante Jacobo notho: illa vero clam è cuſtodia dilapſa confugit ad Elizabetham Angliæ Reginam, quæ conſtantiſſimam in retinenda Catholica fide ideoque inviſam & exoſam, carcere viginti annis detentam per carnificem capitis ſupplicio addixit, ejuſque filium Jacobum Stuardum Angliæ regno deſignatum hæreticis Magiſtris tradidit educandum.

18. Anno 1546. memorabilem de Germanis hæreticis & rebellibus victoriam Carolus Cæſar retulit ad flumen Albin. Perduellis exercitus ductores erant Joannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector, & *Philippus* Lantgravius Haſſiæ, copiarum numero Cæſare longè ſuperiores: commiſſum eſt prælium trans Albin non procul à Mulbergo oppido, novemque continuis horis ad uſque noctem pugnatum eſt octavo Calendas Maij. Saxo nullum ſtrenui Ducis officium prætermittens,cum disjectis copijs ſuis contra inſequentes acriter dimicaret in facie vulnere accepto capitur à Ferdinando Toletano Albæ Duce, viro multâ belli peritiâ claro in quo ſummam fiduciam Cæſar collocarat, à quo etiam oblatus eſt Imperatori undante per faciem ſanguine in cujus conſpectu Saxo ſic dixit: Quando ita fortuna tulit,ecce me tibi clementiſſime Cæſar captivum ſiſto. Dicturum plura interfatur Cæſar, ergone tibi nunc ego Cæſar quem nuper verbis & ſcriptis Carolum Gandavenſem ſe pro Cæſare gerentem vocabas? Ita enim compellaverat eum miſſo per fecialem provocatorio libello. Cum ille pergeret atque ut ſe captivum pro dignitate haberet conſtanti vultu rogaret, Cæſar nihil aliud reſpondit quam ſe pro merito illum accepturum, aſpernantique ſimilis obverſo tergo diſceſſit. Deinde datus eſt in cuſtodiam una cum Erneſto Brunſvicenſi, qui ſimul captus fuit, tribuno militum. Lantgravius etiam morte unà cum Saxone damnatus, dilata capitalis ſententiæ executione, ambo per alios Principes interceſſores vitam duris tamen conditionibus obtinuerunt.

*19.* Mirificè

19. Mirificè divinum præſidium & providentia effulſit in prælijs quæ Helvetiorum Catholici pagi adverſus hæreticos pagos proſperrimè geſſerunt an.1531.ex tredecim Helvetiorum pagis,quinq; opibus & civium numero longè reliquis qui a Catholica fide deflexerunt longè inferiores avitam religionē conſtanter retinuerunt,qua ex cauſa reliquis octo deſpectui erant atque ab eis continuis graſſationibus laceſſebantur ſuaſore & impellente Zuinglio in odium ſacræ Religionis quam profitebantur. Primo igitur in prælio octo millium Catholicorum adverſus viginti millia hæreticorum Catholici ſtrenuè adverſarios adorti eorum tria millia occiderunt, alioſque totidem captivos abduxerunt reliquis in fugam verſis, ſed quod ingenti fuit emolumento mortui ſunt belli autores præcipui qui in prima acie collocati fuerant ut ſtrenuitate ſua alijs animos adderent. Inter hos belli fax & incentor Zuinglius pugnãdo cecidit. Obſervatumq; fuit trecentorũ Senatorum numerum alijs in pugna necatis fuiſſe ad ſeptem duntaxat redactum. Relata vero ſunt ex pugna complura ſigna militaria inter quæ fuit vexillum maximum pagi Tigurini & tormenta muralia novemdecim quadragintaq; caſtrenſia. Quanquam autē nulli dubiũ erat quin illa omnia Dei optimi maximi feliciſſimis auſpicijs fuiſſent cõfecta, mireque ipſius Zuinglij interitus hoſtes perterruiſſet: multitudine tamē & numero ſuorum confiſi, iterũ prælio decertare fortunãq; experiri decreverunt. Itaque brevi redintegratis viribus delectiſque ex omnibus pagis hæreticis militibus aliiſque quotquot potuere auxiliaribus Germanorũ qui ſuperiore conflictu non potuerant intereſſe, in quinque pagos caſtra moverunt.Sed hi ſubito & præter omnem ſpem hoſtium cõcurſu uſq; adeo acri in eos impetum fecerunt, ut eum ſuſtinere non valentes loco pulſi,deinde diſſipati univerſi terga verterint. Quos Catholici inſequuti compluribus captis magnum eorum numerum trucidarunt. Multos quoque ex illis repentinus terror ac fuga in quaſdam locorum anguſtias impulit quibus intercluſi, ex præruptis altiſſimiſque rupibus Catholicis urgentibus ſe præcipitavere.

20. Hoc certamine feliciſſime ab orthodoxis confecto, cum Lucernenſes qui inter pagos catholicos in maximo habentur honore aliquot oppida ab hoſtibus intercepta recepiſſent, ea qua Chriſtianos decuit manſuetudine uſi,Legatos de communi quinque pagorum conſilio ad Tigurinos miſerunt,qui teſtarentur ſe quæcunq; feciſſent nullis privatis inimicitiis,ſed tantum repellendæ injuſtæ aggreſſionis & tuendæ avitæ Religionis, cujus cauſa fuerant vexati & laceſſiti feciſſe, & rogare ut depoſitis deinceps ſimultatibus ad priſtinas amicitias & fœdera rediretur. Tigurini his commoti Deique advertentes manifeſtam pro injuriam paſſis protectionē, omnes qui hujus ſecundæ expeditionis autores fuerant ut publicæ quietis perturbatores confeſtim è ſuo pago expulerunt & antiqua fœdera inſtaurarunt.

21. Præter novas terrarũ cognitiones quæ præcedenti ſæculo per navigationes Chriſtophori Columbi evenerant & Americi Veſputij quorum hic Florentinus ille Genuenſis erat, iſto quoque 16.ſæculo aliæ quoque regiones Europæis incompertæ innotuerunt. Anno quippe 1497. Emmanuele Luſitaniæ Rege naves & ſumptus conferente Vaſco Gama nobilis Luſitanus ex littore Oliſiponenſi cum quatuor navibus ſolvens 7. idus Iulij poſtquam primùm inſulas Fortunatas deinde inſulas viridis promontorij quas antiqui heſperidas dixerunt,verſus meridiē curſum promovens magnis ſuperatis difficultatibus & tempeſtatibus ſuorumque comitum reditum in patriam poſtulantium rebellionibus,primus omnium Bonæ ſpei promontoriũ prætergreſſus eſt,quo circumducto in Orientem deflectens Calecutum pervenit urbem per amplam & mercatu aromatum celeberrimum Orientis emporium. Incolæ idolorum cultores, umbilico tenus nudi cætera uſque ad tibias bombycinâ ſeu goſſipina veſte contegebant. Rex ejus potentiſſimus cui cæteri Malabares tanquam Domino parebãt, unde illorum ſermone Zamorinus, id eſt Imperator dicebatur, à quo perhumanè exceptus Gama pro Luſitana gente obtinuit commercij facultatem. Inde iter idem quo profectus erat iterum emenſus poſt biennium cum duabus navibus & ſociorum tertia parte Oliſſiponem appulit ad finem Auguſti 1499.

22. Exorto pridem inter Reges Caſtellæ & Luſitaniæ diſſidio de Molucis inſulis unde aromata advehuntur, ad cujuſnam eorum partem in diviſione novi Orbis à Romanis Pontificibus facta illæ inſulæ pertinerent, Ferdinandus Magellanes Luſitanus ingentis animi vir à proprio rege Emanuele alienatus, eo quod præmiis ſperatis ex navigatione Indica ſub Albuquercio facta ſe fruſtratum quereretur, ad Regem Carolum poſtquam ex Belgio in Hiſpaniam appulit ſe contulit, pollicitus ſe illi breviorem aditum hactenus incognitum per Oceanum ad Molucas aperturum. Inde acceptis à Carolo quinque navibus optimè inſtructis Hiſpali ſolvens poſt immenſos labores directis inter occaſum & meridiem proris, demum ad tertium & quinquageſimum ultra

AAaa 2 mediam

mediam cœli plagam gradum, reperit fretum quo uterque jungitur Oceanus, deinceps ab ejus nomine dictum Magellanicum per vaſtiſſimum Oceanum inſulam Subam attigit auri feracem & incolis frequentem, cujus Regulus amicitiam ſimulans Magellanem cum aliquot præcipuis ejus ſocijs in convivium vocatum proditoriè occidit. Reliqui vero ſocij ad Molucas tandem cum duabus navibus pervenerunt. Corraſis ibi ſubitò abſente Luſitana claſſe aromatibus in ſpecimen ac fidem navigationis, atque ex duabus navibus altera ad ſcopulos alliſa, quæ reliqua erat diverſo itinere prætergreſſa Bonæ ſpei promontorium prima poſt omnem hominum memoriam univerſo terrarum orbe circumnavigato Hiſpalim pervenit tertio poſtquam inde ſolverat anno. Huic navi victoriæ nomen fuit.

23. Anno 1520. Ferdinandus Corteſius ex Hiſpania Bætica nobili genere ortus, capta Mexica Mexicani Imperij capite omniumque novi Orbis urbium præcipua, atque in ea Monteſuma illius multarumque Provinciarum Rege capto, eoque ſive per imprudentiam ſive de induſtria cæſo, Imperium Hiſpanorum Regi fundavit quod nunc nova dicitur Hiſpania miſſis ſubinde Hiſpanorum coloniis. Idem Corteſius ampliſſimam & mirificam civitatem expugnavit, dictam Themiſtitam in medio lacu ſitam in modum Venetiarum navigiis undique perviam diverſis pontibus terræ adnexam. Nec vero difficile fuit hominibus ferro & fulmineis machinis armatis & equitandi peritis, ſeminudos inermes noſtriſque pugnis inaſſuetos omnem ferri uſum ignorantes debellare, ac pecorum ritu horrendaque immanitate miſeros & innocentes trucidare aut intolerabili ſervitute opprimere.

24. Franciſcus Piſarrus Hiſpanus alterum Hiſpaniarum Regi acquiſivit Imperium: primus enim Peruanam invenit Provinciam cujus Metropolis Cuſco magni civitas nominis Incarum, id eſt regionis illius Principum ſubjiciebatur Imperio. Capto regionis Inca, id eſt Rege Atabalippa quem contra datam jurejurando fidem ut indicaret ſi quos occultos haberet theſauros, una cum fidiſſimis ejus adminiſtris nulla innocentiæ, nulla juſtitiæ, nulla regiæ dignitatis habita ratione, tormentis laceratum & ignibus uſtulatum ſtrangulavit. Subditos autem ejus perfodiendis altiſſimè terris ad eruendum Peruanum aurum aliiſque laboribus & fame, alijſque egeſtatibus, per immanem avaritiam oppreſſos majori ex parte interemit. Ejus vero milites & miniſtri quibus pro ſtipendio erant rapinæ omniumque criminum impunitas, omni licentia graſſabantur imitatores Ducis ac domini ſui. Denique Verrazanus Florentinus anno 1525. auſpiciis Franciſci primi detexit verſus Septentrionem in orbe novo ſupra Floridam, regionem habitatam hominibus barbaris & incultis quæ Canada dicitur cui poſtmodum novæ Franciæ inditum nomen. Tota regio inculta eſt, & inamœna ſuiſque poſſeſſoribus infructuoſa: eo tamen miſſæ ſunt ex Francia coloniæ incolis barbaris perutiles ad erudiendos illos & imbuendos Chriſtiana religione & civilibus artibus; ſtructæque locis opportunioribus munitiones ad arcendos finitimos barbaros, à quibus Canadenſes aſſiduis incurſionibus infeſtabantur & capti devorabantur.

25. Hoc eodem quoque ſæculo Japonia noſtris innotuit, tribus præcipuis conſtans inſulis aliiſque pleriſque minoribus, quæ interfluentibus quibus diſtinguntur Euripis. Præcipua inſula vocatur Meaco, ſedes præcipui Regis cui ſubſunt per varias inſulas diſperſi minores reges: primam regionis notitiam habuere mercatores quidam Luſitani procelloſis ventis illas in oras impulſi; ſed ad prædicandum populis Evangelium primus in plagas illas penetravit Apoſtolico ſpiritu repletus Franciſcus Xaverius è Societate Jesu vitâ & miraculis ſtupendus, qui poſt plurimas Indiæ gentes ad fidem Chriſti converſas, in Japoniam penetrans innumeros ex idololatria ad Chriſti cultum traduxit. Deinde cupidus Evangelij per ampliſſimam Sinarum regionem propagandi, vicinam inſulam Sancianum adiit: in qua dum occaſionem Sinas ingrediendi præſtolatur, gravi ſuperveniente morbo ſolus & omni humano ſolatio deſtitutus, divino æſtuans amore, ad cœleſte regnum migravit quarto nonas Decembris anno Chriſti 1552. & peregrinationis ſuæ Indicæ undecimo.

26. Solimanno Turcarum Imperatori qui quas commemoravi clades in Pannonia & apud Rhodum intulit, ſucceſſit filius Selimus qui Cypri regnum Chriſtianis ademit, capta Famaguſta quam tuebatur Marcus Antonius Bragadinus Patucius Venetus incredibili virtute ac fortitudine, atque indefeſſis defenſorum ad paucos redactorum laboribus; tandemque extrema urgente fame, disjectis per murales machinas mœnibus & propugnaculis, nullaque relicta ſubſidiorum ſpe deditio facta eſt honeſtis conditionibus utrinque conventis, quarum tamen perfidus infractor Muſtapha quem Selimus huic bello præfecerat, quique antea Nicoſiam Cypri urbem expugnarat, Bragadinum apprehenſum contumelioſè eluſum auribus multavit;

tavit; deinde barbarica immanitate excoriavit: quo in tormento vir fortiſſimus ad ultimum uſque ſpiritum Chriſtum invocare non intermiſit. Qua percitus indignitate ſanctiſſimus Pontifex Pius V. ſacrum contra Turcas bellum indixit. Igitur contractis in unam claſſem Pontificiis, Hiſpanis, Venetiſque navibus, ductore Joanne Auſtrio, Caroli V. Cæſaris filio Notho, pugnatum eſt ad Naupactum vulgo Lepanto in ſinu Corinthiaco, quâ pugnâ victi barbari, eorumque ducentæ triremes partim captæ partim depreſſæ, Turcarum cæſa vel captiva fuere viginti quinque millia, reddita vero libertati ex triremibus Turcicis viginti Chriſtianorum millia. Dies memorabilis hujus victoriæ fuit Octobris 7. ejuſdem anni quo capta fuit Famaguſta dicta olim Salamis 1571. Confœderata Claſſis magnum ex hac victoria conſequi potuerat emolumentum, cum eſſent Barbarorum portus & ſtationes navibus evacuatæ, terrore etiam animi illorum conſternati; ſed diſſidentibus Chriſtianis ducibus abſque ullo alio operæ pretio claſſis dirempta eſt. Selimus qui accepto cladis nuncio fuerat terrore perculſus, animum recepit, ſuiſque addidit, dicens accepto de claſſis noſtræ diſſolutione ac reditu nuncio, ſibi à Chriſtianis abraſam eſſe barbam quæ cito creſceret, ſe vero occupata Cypro abſcidiſſe illis brachium nunquam recuperandum. Hujus Selimi ſecundi avus Selimus primus maximo incremento Turcicam ditionem auxerat, duabus ampliſſimis ſubjugatis provincijs Ægypto & Syria quibus Sultanus Ægyptius dominabatur, validiſſimis expugnatis urbibus Damaſco Syriæ & Cairo Ægypti, quæ victoria poſt initium contigit hujus decimi ſexti ſæculi anno ſcilicet 1517. quo Mammaluchorum ſive Circaſſorum dominatum extinxit, eorumque Sultanum Tomanibaſium ſuſpendio apud Cairum necavit.

27. Franciæ regnum hæretici quos Hugonottos vulgus appellat, Regibus peræquè ut Eccleſiæ rebelles, continuis & civilibus bellis totos ſeptuaginta annos infeſtum habuere. Nihil intentatum Franciſcus primus ejuſque filius Henricus ſecundus reliquerunt, ut naſcentem hæreſim ſuffocarent, ſed his vita functis ſuccedente in regnum Franciſco ſecundo Henrici filio, ætate juvenili & inexperta, hæreſis armis & facibus inſtructa caput extulit Ludovico Borbonio Condæo regij ſanguinis Principe, qui hac peſte infectus ut ſuam prætextu religionis poteſtatem augeret, caput illorum ſe conſtituerat, æmulatione quoque incitatus adverſus Guiſios quos populi Catholici ut fidei Catholicæ vindices ſuſpiciebant & venerabatur. Anno itaque 1559. Hugonotti contra Franciſcum Regem ſecundum nomine conſpirant & Ambaſiâ ubi tunc erat clam diſpoſitis armatis conantur abducere. Re vero per certos indices cognita Ludovicus Condæus cuſtodiæ traditur. Sed mortuo paulo poſt Franciſco Rege proximus ei frater Carolus nonus regnum adijt. Sub quo hæreticorum furor in apertam rebellionem erupit. Numeroſos exercitus rebelles eduxere adjunctis Germanorum proteſtantium auxilijs, & quatuor potiſſimum generalibus prælijs dimicaverunt quorum victoriam Dei providentia Catholicis indulſit, nec tamen in officium reducti ſunt rebelles. Primo prælio ad oppidum Drocas duo primarij partium duces capti ſunt ex parte quidem hæretica. Condæus ab Franciſco Guiſio Catholicorum Duce captus eſt. Ex Catholica vero parte Annas Montmorancius in perduellium poteſtatem venit anno 1561. Secunda pugna Sandionyſiana duabus à Lutetia Pariſiorum leucis in qua Catholicæ partis Dux & Franciæ Coneſtabilis ſtrenue dimicans acceptis vulneribus occubuit. Cæſis tamen Calviniſtis aut in fugam actis victoria penes Catholicos ſtetit anno 1567. Tertia poſtmodum ad Jarnacum in Santonibus edita eſt, in qua ducente Catholicos Henrico Andegavenſium Principe, Caroli Regis fratre Condæus mortem oppetijt anno 1569. Quarta in Pictonibus ad Moncontorium pugna eodem anno & Imperatore facta in qua hæretici magna ſtrage proſtrati. Quinta apud Cutracum in qua regij dux exercitus Annas Joieuſa ſaucius occubuit, magnaque cæde regij attriti ſunt ab Henrico Navarræ Rege, qui poſtmodum legitima ſucceſſione Franciæ regnum obtinuit. In hoc ſolo univerſali prælio Hugonottis victoria ceſſit anno 1587. tertio regnante Henrico.

28. In Belgio quod Margarita Caroli V. Cæſaris illegitima filia nomine fratris ſui Hiſpaniarum Regis Philippi regebat, quemadmodum & in Gallia duce & concitatore Ludovico Naſſovio Auraicenſi Principe hæretici rebelles graſſabantur. Miſſus ad hanc provinciam pacandam & conſpiratores coërcendos Ferdinandus Toletanus Dux Albanus aſperitate regiminis ac præſertim duorum primariæ nobilitatis Comitum Egmondani & Hornani capitali ſupplicio Flandros ſic irritavit ut in apertum bellum proſilierint anno 1572. excuſſo Hiſpanorum Imperio quod immodicis exactionibus inviſum reddiderat Albanus. Batavi quos Hollandos vocant & Mattiacarum inſularum incolæ Zelandicas vulgo nominant, aliæque conju-

ratæ urbes in eam coaluere rempublicam quæ Fœderatorum ordinum excluſo penitus Catholico Dei cultu.

29. Sæculo iſto divinis auſpicijs inſtitutus eſt ordo Societatis Jeſu autore Ignatio Loiola nobili Cantabro quem ſanctitate vitæ & ſignis illuſtrem Gregorius Papa XV. ſanctorum albo aſcripſit. Hanc Societatem ſanctorum doctiſſimorumque religioſorum fertile ſeminarium primus autoritate Apoſtolica approbavit Paulus Pontifex tertius die 27. Septembris anno 1540. Prodijt etiam Clericorum regularium inſtitutum quos Teatinos vocant conditore Joanne Petro Caraſa nobili Neapolitano tunc Epiſcopo Teatino (unde nomen Teatinis acceſſit) poſtea vero ſummo Pontifice dicto Paulo IV. cui comes acceſſit Marcellus Caietanus Tieneus nobilis Vicentinus, Protonotarius Apoſtolicus, qui meruit ſolemni ritu in cœlitum canonem referri. Hic ordo ad tria communia regularium vota quartum adjungit nullos reditus poſſidendi, nihilque ad victum petendi, ſed ſolis & ultroneis oblationibus victitandi. Idque inſtitutum Clemens Papa VII. anno 1524. ſuo diplomate ratum eſſe juſſit. Multæ quoque veterum ordinum regularium reformationes, & Clericorum acceſſere congregationes, inter quas Romæ inſigni ædificatione uberrimoque animarum fructu præclara viget Sacerdotum Oratorij Congregatio; cujus eſt conditor admirandus ille ſanctus Philippus Nerjus patria Florentinus: quæ Congregatio doctiſſimis ſcriptoribus Cæſare Baronio, Thoma Boſio, Odorico Rainaldo alijſque inſignis meriti nobilitatur.

30. Gravis & plane irreparabilis clades regni Luſitaniæ ex bello Africano accepta eſt anno 1578. Abdemelechus Seriphius Feſſæ & Maroci Rex de utroque regno quod antiquis uno nomine Mauritaniam Tingitanam ad Occidentalem Oceanum ſeu mare Atlanticum conſtituebat, cum fratris ſui filio Muleio Mahomete contendebat, quem utroque regno bis acie victum patruus deturbavit. Muleius regno pulſus Sebaſtiani Regis Luſitanorum auxilium, ut reſtitueretur imploravit, qui juvenili ardore gloriæ aviditate incenſus opem ferre & bello intereſſe ſuis licet diſſuadentibus, collectoque exercitu in Africam trajecit. Abdemelechus quamvis gravi corporis ægritudine conflictaretur, lecticâ in caſtra deferri voluit, cumque conſerto acri prælio ſuos titubare animadvertiſſet conſcenſo equo ſuos ad fortiter dimicandum & hoſtes repellendos incitavit, ſed præ vi morbi exhauſtis viribus ex equo cadens in lecticam delatus eſt, admotoque ori digito proximos ſibi jam loquendi impotens admonuit, ut ſuam mortem celarent qui lecticæ repagula adduxerunt intra quæ ille animũ efflavit. Ejus vero copiæ reſumptis animis eo viſo alacrius dimicantes Luſitanas copias luctuoſa internecione cæciderũt. Sebaſtiano ſtrenue adeo dimicante ut tres equos ictibus ſuffoſſos mutaverit, ſuiſque in fugam converſis ipſe cum paucis in confertos hoſtes irruens, tandemque viribus ex diuturna & violenta pugna deficiens, repetitis vulneribus confoſſus eſt, ſolo ſuperſtite Nonio Maſcaregna reliquis nobilibus paucis qui vitæ ſuæ prodigi Regem deſerere noluerant ad ejus latera interemptis. Hametes qui fratris Abdemelechi exercitui præfuerat inſcius ejus mortis ad lecticam illius accurrit de victoria gratulaturus, lacrymis ſupra corpus fraternum ubertim effuſis à cunctis unanimi aſſenſu Maroci & Feſſæ Rex eſt ſalutatus. Mulejus quippe Mahometes qui eodem in conflictu alæ ſiniſtræ præerat quemadmodum dexteræ Sebaſtianus inter cadavera repertus eſt mortuus. Atque ita inſolito & ſingulari exemplo tres potentiſſimi Reges in una acie ceciderunt. Hametes viſo Sebaſtiani cadavere ingemuit miſeratus rerum humanarum ſortem & inconſtantiam, illudque apud ſuos humari juſſit, deinde Septam transferri quæ Luſitanæ dominationis erat curavit. Hametis vero corpus pelle ſpoliari quam ſale conditam & paleis refertam per utrumque regnum circumferri curavit, ut ejus mors omnibus innoteſceret, neque quiſquam ejus prætextu & occaſione turbas cieret. Sebaſtiano Henricus Presbyter Cardinalis avi illius frater ſenio provectus affectaque valetudine ſucceſſit, quo mortuo multis de regni ſucceſſione contendentibus, Philippus ejus adijt poſſeſſionem præpotens Hiſpaniarum Rex anno 1580.

31. Henricus tertius Francorum Rex neceſſitate adactus belli conſopiendi, quòd hæretici novum fœdus cum Alençonio Regis fratre & cum proteſtantibus Germaniæ Principibus iniverant, edictum promulgavit Catholicis odioſum, quale armati requiſierãt hæretici menſe Majo anni 1576. quo hæreticis in omnibus regni locis permittebantur conventus & publica religionis eorum exercitia, multaque præterea indulgebantur Eccleſiæ Catholicæ pernicioſa. Qua ex cauſa Catholici Principes regni fœdus unionis inter ſe procuderunt ad obſiſtendum ne quis hæreticus Princeps regij ſanguinis Henrico tertio in regnum ſuccederet, neve permitteretur exercitium ullum ipſorum religionis publicum quod fœdus juramento

ſancitum

ſancitum Ligam vocitarunt, ipſeque Pontifex Sixtus V. ſuo diplomate comprobavit, quo etiam Henricum Vaſconem & Condæum ambos regij ſanguinis & hæreticos anathemate ferijt, & regiæ ſucceſſionis declaravit incapaces. Franciſcus vero Alençonius jam ex anno 1584. fato conceſſerat Junij 10. ad quem ſucceſſio regia pertinuiſſet, neque ullus ſupererat Catholicus Princeps regiæ ſtirpis poſt Henricum Regem, niſi Carolus Borbonius Cardinalis Archiepiſcopus Rotomagenſis, Legatuſque Avenionēſis, Henrici Navarrei hæretici patruus, cui jus illud ſucceſſionis & Sixtus Pontifex & Rex Henricus addixerant. Princeps vero Henricus Condæus vitâ ceſſit anno 1588. die Martij 5. Admonitus Rex conjurationum quas plerique in ſe moliebantur, apud plebem præſertim Pariſienſem, addicti Henrico Guiſio quem regno deſtinabant, milites pro ſui tutela Pariſios advocavit, atque per diverſas urbis ſtationes diſperſit. Qua de re murmurante plebe, Rex ſibi à Guiſio metuens ad ipſum Sueſſione cum Borbonio Cardinali alijſque fœderatis Principibus agentem Pomponium Bellieurum miſit ne Pariſios adventaret, nunciaretque regem nullatenus ſiniſtris de illo relationibus ſibi delatis fidem habere, verum tamen experturum eſſe hac occaſione quid animo gerat. Tum Guiſius ſe graviter dolere reſpōdit quod Rex dubitaret de ſua fide ac obſequio multo ſibi præ vita cariore, & cujus tāta erant à ſe exhibita ſpecimina Regi non incognita. Nihilominus à Pariſienſibus ut adveniret identidem rogatus, decrevit demum eò accedere, atque ut plenam ſui fiduciam Regi teſtaretur cum ſolis octo ſocijs, ſed in urbis ingreſſu exultans populus tantis illum acclamationibus excepit die nona Maij anno 1588. ut affectatæ dominationis ſupremæ auxerit ſuſpicionem. Rex diſſimulans illius excuſationes admittere præ ſe, tulit admonuitque, ut daret operam qua ipſo facto quæ aſſerebat deinceps comprobaret. Cumque Rex initio potuiſſet per eas quas in urbem advocarat vires ſeditioſos ac fœderatos imparatos opprimere, adventu Guiſij inflati excitique ſeditioſi, derepente tabernæ mercatorum & artificum occluduntur, catenæ per vias tenduntur, dolia & contabulationes ad viarum platearumque aditus comportantur, arma tota civitate expediuntur ad regios milites tum arcendos tum intercludendos, teſſera Regis à Præfecto mercatorum qui ſummus in urbe magiſtratus eſt, recuſata, quam autem miſit Guiſius acceptata eſt. Nocte inſequenti cum plebs tota urbe commota ſe accingeret ad Luparæ obſidionem ne Rex elabi poſſet, territus ipſe conſilium populi anteverrit, matureque ad hortos Lateranos fugam ſecreto capeſſens inde evaſit, Carnutumque acceſſit. Eodemque deſinente anno 1588. indictis à ſe totius regni comitijs interfuit unaque cum primoribus Franciæ Henricus Guiſius ejuſque frater Ludovicus Cardinalis, quos privatim ad ſe quaſi ad conſultationem evocatos Rex occidi à ſtipatoribus juſſit, qui cum ſe hoc facinore abſolutius regnaturum crediſiſſet contra accidit, ut provinciæ regni ubique rebellionis vexilla erexerint, ſibique Carolum Meduanum occiſorum fratrem ſummum belli ducem præfecerint. Sixtuſque Pontifex ob interemptum Cardinalem adverſus Regem anathema intorſerit. Bleſis vero digreſſus Rex Henricum Navarrum proximum ac legitimum declaravit regni ſucceſſorem; & cum eo viribus junctis Pariſios obſidione cinxit poſitiſque ſtativis, infelix Rex qui pro ſtemmate duas inferiores pingebat coronas, quibus regna duo Franciæ & Poloniæ repræſentabantur, tertiamque ſuperius locatam lumine ſplendentem, his appoſitis verbis: *Manet ultima cælo.* Ex regno quod expertus erat perpetuis calamitatibus infeſtum, tranſijt in beatius regnum (ut credere par eſt) ſumptis cum magna contritionis & humilitatis ſignificatione ſacramentis; execrando parricidio vulneratus ad mortem, adacto in ventrem cultro venænato. Hac morte Valeſiorum ſtirps regno idonea evulſa eſt, regnique jus & ſucceſſio in Borboniorum familiam ab Roberto Claromontano Comite, ſecundo ſancti Ludovici filio deductam, deflexit anno 1589. Calendis Auguſti.

32. Dira deinde ſequuta eſt rerum perturbatio. Cum enim Henricus quartus adhuc hæreſim profiteretur divulſo in duas partes regno intra eaſdem & familias & civitates, alijs novo Regi, alijs Meduano adhærentibus, bellis civilibus quaſi vaſtiſſimo incendio totum regnum conflagrabat. Quo temporis tractu Rex Henricus nobilem de fœderatis hoſtibus victoriam quæ Iuriaca dicitur reportavit, per quam Egmondanus Comes Hiſpanorum auxiliorum ductor occubuit. Inde victor Lutetiam arcta obſidione vallat. Dumque feruet ubique civile bellum, Henricus qui ſe inſtruendum eximijs quibuſdam Theologis præbuerat, divino tandem lumine illuſtratus Catholicam profitetur fidem die Julij 25. qua edita profeſſione, Romam ad Clementem VIII. Pontificem impetrandæ veniæ cauſa Legatum mittit Nivernenſem Ducem, quod cum anxius Pontifex differret (Hiſpana enim factio aperte his intercedebat) non diſtulit

Henricus

Henricus ſui regiam conſecrationem, Autrici enim Carnutum oleo ſacro perungitur menſe Februario anno 1594. exiſtente adhuc Durocotto Remorum, ubi id ex more peragi ſolet in hoſtium poteſtate. Inde Lutetiam Martij 22. cum armato milite clam introducitur. Tandemque anno 1595. vota piorum obſecundante Deo ab Jacobo Perronio Legato difficultates omnes objectas eximio animi lumine peritiaque & eloquentiâ, cui nemo obſiſtere poterat, amoliente, cujus etiam operâ converſus Rex fuerat, exoratus Pontifex abolitâ damnationis ſententiâ, Regem Eccleſiæ ſolemni ritu, publicaque Romæ exultantis feſtivitate, reconciliavit, tubis tormentis & tympanis undique perſtrepentibus. Tum vero certatim proceres & civitates regni Henricum Regem proclamarunt. Ad poſtremum ne qua diſſidiorum veſtigia ſupereſſent anno 1598. Maij 2. auctore per Legatum Alexandrum Medicæum Cardinalem Pontifice, pax inter Reges Franciæ & Hiſpaniæ conſtituta eſt.

33. Præſenti ſæculo quemadmodum natæ ſub illo hæreſes magnum dedecus aſperſerunt, eidem ex adverſo ingentem contulit ſplendorem illarum occaſione celebratum Concilium Tridentinum, ex anno cœptum 1545. Paulo III. Romano Pontifice; idque proſequutus Iulius III. terminavitque Pius IV. in longum protractum aliquando & interruptum ob Principum Chriſtianorum diſſidia.

34. Permulti ſæculum iſtud illuſtrarunt Eccleſiaſtici ſcriptores Joannes Major natione Scotus anno Domini 1500. Theologiam apud univerſitatem Pariſienſem celebri fama & ſtudioſorum frequenti concurſu profitebatur, ſcripſitque in quatuor libros ſententiarum, commentarios in Evangelium Matthæi & Hiſtoriam majoris Britanniæ. Sylveſter Prieras natione Pedemontanus ex ordine Prædicatorum, ſacri palatij magiſter, ſublimi vir ingenio primus omnium adverſus naſcentem Luteri Hæreſim perhibetur ſcripſiſſe, commentarios etiam in quatuor libros ſententiarum elucubravit, & ſummam conſcientiæ. Joannes Eckius natione Suevus ex primis fuit qui Hæreſiarchæ Lutero & viva voce & ſcriptis voluminibus diſputando ſtrenue ſe oppoſuit, edidit enchiridion in quo fidei controverſias breviter & erudite diſcutit, & ſeorſim de miſſæ ſacrificio libros duos, tres etiam alios de primatu Petri, librum quoque de pœnitentia. Itemque homilias tum de tempore, tum de ſanctis. Multa etiam Philoſophica in Ariſtotelis libros octo Phyſicorum, in libros de cœlis, & de anima, & de meteoris. Franciſcus Titelmanus Belga qui ex mitiore obſervantia in ordinem tranſijt Capuccinorum, vir ſanctitate & doctrinâ linguarumque peritiâ clarus, ſcripſit apologeticum pro vulgata bibliorum tranſlatione, & in epiſtolam ad Romanos contra Jacobum Fabrum Stapulenſem, & contra Deſiderium Eraſmum Roterodamum. Ad hæc expoſitionem in pſalmos, in Cantica & in priora capita libri Iob, multa etiam Philoſophica. Ioannes Fiſcherus Anglus Epiſcopus Roſſenſis, deinde Cardinalis & Chriſti Martyr, varios edidit adverſus Luterum & Ioannem Oecolampadium tractatus. Item de unica Magdalena contra Fabrum Stapulenſem. Albertus Pighius Batavus eximiam commeruit laudem ſcriptis & viva voce diſputando adverſus Luterum, & Bucerum & Oecolampadium, cujus inter alia opus eſt egregium de Hierarchia. Item Ruardus Tapperus Lovanienſis decus, & validus hæreticorum profligator, duobus eruditiſſimis libris articulos Lovanienſes contra Lutherum editos ſolide explicavit. Aloiſius Lipomanus Venetus Epiſcopus Veronenſis, Catenam ex Græcis & Latinis patribus in Geneſim & Exodum & Pſalmos additis quoque ſuis annotationibus compoſuit. Collegitque inſuper vitas ſanctorum octo voluminibus. Ioannes Trithemius Abbas Spanheimenſis in Germania obijt anno 1519. multa ſcripſit ex quibus notiora ſunt de illuſtribus viris Germanis, de illuſtribus viris ordinis ſancti Benedicti. De ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Chronicon Monaſterij Hirſaugienſis. Chronicon Monaſterij Spanheimenſis. De origine Francorum. De ſucceſſione Ducum Bavariæ, & Comitum Palatinorum. Epiſtolas quoque, Sermones, variaque opera ſpiritualia. De ſeptem ſecundis intelligentijs orbem moventibus. Et opus inſcriptum Stenographiam ideſt occultam ſcriptionem: quod opus prohibitum merito eſt (inquit Cardinalis Bellarminus) cum ſit plenum pernicioſis dogmatibus ad magiam pertinentibus, quod & ipſe agnovit & confeſſus eſt. Ex Gallis Ioachimus Perionius Theologus Pariſienſis, Cormeriaci in Turonibus natus, elegantiori ſtylo Ariſtotelem in Latinum vertit. Multa pariter ex patribus Græcis pari elegantia in Latinam tranſtulit linguam. Gilbertus Genebrardus Alvernus primum regius Hebraicarum literarum apud Lutetiam Pariſiorum profeſſor, deinde Romæ Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, poſtremo Aquiſextienſis Archiepiſcopus, diverſa ingenij ſui reliquit monumenta de ſacra liturgia, de Eccleſiaſticis electionibus. Ex Hebræoquoq; plures libros in Latinum vertit. Ioſephi etiam opera ex Græco

d by Google

Græco in Gallicum vulgare tranſtulit. Luculentum etiam Chronicon ab orbe condito ad ſua tempora perduxit. Commentarios in pſalterium doctiſſimos emiſit in lucem, ex quibus poſtmodum Robertus Bellarminus eruditiſſimas conjecturas primitivi Hebræi contextus tranſlatione ſeptuaginta interpretum nixas, antequam acceſſiſſent puncta, in ſuos pſalterij commentarios derivavit, nulla facta Genebrardi ex quo hauſerat mentione. Inter præliatores Gallicanos qui voce & ſcriptis acrius adverſus Calvini hæreſim decertarunt, atque aſcendentes ex adverſo murum oppoſuerunt pro domo Iſraël, ut ſtarent in prælio pro domo Domini inſigniter claruerunt Simon Vigorius, Claudius Eſpencæus, Fevardentius ordinis minorum ſancti Franciſci, & Claudius Sanctesius Epiſcopus Ebroicenſis, qui opus eruditiſſimum de ſacra Euchariſtia decem diſtinctum libris elucubravit. In Italia floruit vir acutiſſimi ingenij conſummatæque eruditionis Thomas de Vio, Caietanus patriâ, dignitate vero Prior generalis Ordinis Prædicatorum, deinde Cardinalis Presbyter à Leone X. creatus, ſcripſit commentaria in omnem ſacram ſcripturam præterquam in Prophetas & in Apocalypſim. Præterea in univerſam Theologicam ſummam S. Thomæ, permultaque opuſcula, librum Ientaculorum & ſummulam caſuum conſcientiæ. Dominicus Soto Hiſpanus patriâ Segobienſis Ordinis Prædicatorum ſcriptor doctiſſimus, interfuit Concilio Tridentino anno 1545. Edidit commentarium in epiſtolam ad Romanos. De natura & gratia libros tres. De ratione tegendi & detegendi ſecretum libros tres. De juſtitia & jure libros decem. Commentaria in quatuor libros ſententiarum in duos diſtincta tomos. Aliaque in dialecticam & Philoſophiam Ariſtotelis, diverſaque opuſcula. Ejuſdem Ordinis Dominicani floruit hoc ſæculo Santes Pagninus patriâ Lucenſis, qui an. 1541. Lugduni deceſſit: Fuit autem Latinè Græcè, Hebraicè, Caldaicè doctiſſimus, ut ejus verſio veteris novique teſtamenti, Theſaurus quoque linguæ ſanctæ, Iſagoge ad ſacras literas & ad myſticos ſcripturarum ſenſus fidem faciunt: Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandavenſis, & Ioannes Maldonatus è Societate Ieſu doctiſſimis commentarijs quatuor Evangelia elucidavere. Martinus Aſpilcueta Navarrus vir utriuſque juris peritiſſimus & pijſſimus, poſtquam ingenti fama & concurſu profeſſus eſt in univerſitate Toloſana, accitus inde in Hiſpaniam publice in Salamanticenſi juriſprudentiam docuit. Inde Romam accito conſultationes de rebus ad conſcientiam pertinentib: ex diverſis provincijs & regnis deferebantur quaſi oraculo. Qua in urbe obiit anno ætatis ſuæ nonageſimo quarto; Chriſtianæ autem epochæ an. 1586. ut ejus epitaphium fidem facit. Scripſit manuale caſuum conſcientiæ, conſilia, aliaque canonica quæ ſimul ſex tomis continentur collecta.

## *CONCILIUM GENERALE Lateranenſe quintum ſub Iulio II. & Leone X. Pontificibus inchoatum anno 1512.*

1. QUINQUE communiter recenſentur generalia Lateranenſium Concilia. Primum quidem an. 1123. pro recuperanda de Saracenis Palæſtina tempore Caliſti Papæ II. & Henrici V. Imperatoris. Secundum tempore celebratum Innoc. II. & Lotarij II. Imperatoris adverſus Pſeudopontificem Anacletum. an. Ch. 1139. Horum duorum Conciliorum neque acta extant neque ulli canones. Tertium œcumenicum Lateranenſe anni 1188. contra Valdenſes Hæreticos Pontifice Alex. III. & Frid. Ænobarbo Imperatore. Quartum habitum anno 1211. contra diverſas hæreſes & pro indicendo ad terram ſanctam recuperandam ſacro bello ſub Innoc. Papa tertio & Friderico II. Imperat. Quintum denique iſtud eſt ſub Iulio & Leone Pontificibus ad profliganda ſchiſmata, & providendum diverſis Eccleſiæ negotijs Maximiliano Imperat. Exorſum eſt iſtud an. 1512. diſſjtque anno 1517. Minor fuit in hoc Concilio numerus Epiſcoporum quam fuerit in alio ullo œcumenico, nunquam enim ad centeſimum & vigeſimum attigit.

Seſſione 1. Ordinantur poſt preces & ſupplicationes ad Deum Concilij præliminaria & creantur officiales.

Seſſ. 2. Damnātur ſchiſmatici Conc. Piſani acta.

Seſſ. 3. Pœnæ in ſchiſmaticos Cardinales alioſque conciliabuli Piſani autores decernuntur ac infliguntur.

Seſſ. 4. Pragmatica ſanctio proſcribitur.

2. Seſſ. 5. Abſente per ægritudinem Iulio præſedit Raphaël Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis. Perlecta eſt Iulij conſtitutio & à Concilio approbata, non ſolum diſtrictè vetās omnem in creatione Romani Pontificis Simoniam, ſed etiam ſic factam electionem abrogans & invalidam declarans, neque ullam ſic electo conferre poteſtatem; ipſoſq; Cardinales qui ſic elegerint eſſe ipſo facto cardinalatu & alijs quibuſcunque dignitatibus & beneficijs abſque alia declaratione privatos; prætereaque excommunicatione reſervata irretiri, à qua non niſi à ſummo Pontifice legitime electo poſſint extra vitæ diſcrimen ſolui, paribuſque pœnis ſubijci omnes & ſingulos hujuſce ſimoniæ fautores conſiliarios & proxenetas. Faxit Deus ne unquam hujuſmodi caſus eveniat, ſi enim interveniente ſimonia valeret iſta conſtitutio vel ignota eſſet ac occulta ſimonia, & tunc Eccleſia credens ſe alicui in terris capiti ſubjectam eſſe falleretur eſſetque acephala, nulluſque valere poſſet ad Pontificem maximum recurſus quo illa neſciens careret, atque quicumque vel cenſurâ vel aliâ reſervatione ſupremæ ſedis eſſent irretiti, tametſi recurrerent ad putatum & exiſtimatum Pontificem

inſolubili adhuc nexu ligati remanerent, quia recurſus fieret ad eum cui ſua electio nullam poteſt tribuere poteſtatem, qui eſt excommunicatus, & ab ipſo Eccleſiæ corpore divulſus. Si vero illa ſimonia innoteſceret, dici non poteſt quanta inde pernicies emergeret illo per factiones ſibi Pontificatum aſſerente, innumeroſque procul dubio habituro fautores & clientes, alijs novam alterius Pontificis efflagitantibus electionem. Quonam quæſo judice nulli partium ſuſpecto, & cujus ſententiæ acquieturi omnes eſſent controverſia iſta dirimeretur? Minus videtur eſſe damnum ſi univerſalis Eccleſia ſub uno capite quamvis malo indignoque conſentiat & conquieſcat, quam ſi in atrocia & immedicabilia ſchiſmata diſſiliat nullo certo capite conſtituto. Sub his intermoritur Julius Pontifex, cujus in locum ſuffectus eſt à Cardinalibus Leo X. qui ſuccedentibus poſthac ſeſſionibus præſedit.

3. Seſſione 6. Diverſi deſignantur Prælati, qui operam navent inter Principes conciliandæ paci, & de ſchiſmate extirpando curent. Alijs demandatur Curiæ Apoſtolicæ in melius reformatio. Alijs fidei propagandæ ſollicitudo. Alijs pragmaticæ abolendæ ſanctionis officium.

4. Seſſione 7. Lecti ſunt ſupplices libelli Bernardini Caravaial & Friderici à ſancto Severino ſchiſmaticorum Cardinalium, quibus illi ejurato ſchiſmate & conciliabulo Piſano, agnitoque errore veniam poſtularunt, ſimplici clericali habitu veſtiti, & ad pedes Pontificis Leonis proſtrati: qui poſt ſolemnem ſchiſmatis abjurationem, priſtinæ reſtituti ſunt dignitati.

5. Seſſione 8. Definitum eſt animam rationalem eſſe immortalem nec unam in pluribus hominibus ſed totidem numero quot ſunt homines contra delirium Averrois Arabis. Profeſſoribus Philoſophiæ diſtricte injunctum eſt ut principia & concluſiones ethnicorum à Chriſtiana religione diſſidentes, ut ſunt de æternitate mundi, aut de humanarum animarum interitu aliaque hujuſmodi, ſolide refellant.

6. Seſſione 9. Procurator Concilij accuſat Antiſtitum Gallicanorum contumaciam ad ſacrum Concilium minime accedentium. Sed ex adverſo Claudius Seiſſellus Maſſilienſis Epiſcopus Regis Chriſtianiſſimi orator, eoſdem excuſat exhibitis ſcriptis ipſorum extra regnum unde animo ad Concilium veniendi exceſſerant, cauſantium ſe à Genuenſibus & Inſubrium Duce impeditos ab acceſſu ad ſacram Synodum. Leo his perſpectis providet ut amoveantur iſta impedimenta mandans ad Mediolanenſem Ducem & Genuenſem rempublicam ut ab his deſiſtant, prorogatque præſcriptum Gallicanis Prælatis veniendi terminum. Bullæ poſtmodum reformationis Romanæ curiæ ex ambone leguntur, & multiplicia conſtituta promulgantur ad corrigendos clericorum mores. Quamobrem inſtaurat Pontifex Leo Alexandri tertij conſtitutionem de ætate, morum integritate & gravitate & ſcientia illorum qui ſunt ad Epiſcopatus, Abbatias aliaſque Eccleſiaſticas dignitates promovendi, quam in tertio Lateranenſi Concilio retulimus, fiatque de his diligens inquiſitio & relatio antequam in conſiſtorio proponantur. Præterea ne beneficia cuiquam poſthac commendentur ad vitam. Item ne penſionibus onerentur niſi in gratiam reſignantium illa. Prohibet inſuper uniones beneficiorum perpetuas, præterquam in caſibus à jure permiſſis ex rationabili cauſa. Statuit quoque ut de cætero Parochiales Eccleſiæ aut dignitates majores & principales, aliaque beneficia Eccleſiaſtica quorum fructus & proventus ducentorum ducatorum auri de camera valorem non conſtituunt, nec non Hoſpitalia, Leproſariæ, Xenodochia cujuſcunque valoris quæ ad pauperum uſum & alimoniam inſtituta ſunt ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, niſi per obitum familiarium ſuorum vacaverint, quæ illis commendari poſſint, ut illa ad illarum perſonarum ſibi gratarum & idonearum commodum infra ſex menſes dimittere teneantur. Ordinat prætereà ne Eccleſiarum ac quoruncumque monaſteriorum & militarium membra à ſuo capite quod eſt abſurdum, abſque legitima & rationabili cauſa, disjungantur ac ſeparentur. Statuit quoque ut ſpeciales reſervationes quorumcunque beneficiorum ad cujuſvis inſtantiam minime concedantur.

7. De Cardinalibus etiam ita ſancit: *Et cum ſancta Romana Eccleſia Cardinales cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt ſummum Pontificem honore ac dignitate præcedant, convenieus eſt ac debitum ut vitæ mundicià ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam ſtatuimus & ordinamus ut de cætero quilibet Cardinalium pro tempore exiſtens juxta doctrinam Apoſtoli ita ſobrie caſte ac pie vivat, ut non ſolum à malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus luceat, Deumque honorificet, ſint omnes vigiles ac divinis officijs miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque capellas ſuas in loco honeſto prout facere conſueverunt. Sitque eorum domus familia menſa ſupellexque, non faſtu aut pompâ, neque ſuperfluis rebus, neque alio modo reprehenſibilis, ne peccandi excedendique modum licentia inde naſcatur, ſed ut æquum eſt modeſtiæ & frugalitatis ſpeculum dici mereantur. Illis itaque ſint contenti quæ Sacerdotalem præſeferant modeſtiam, ac Prælatos & quoſcunque alios inſignes viros ad Romanam curiam venientes benigne honorificeque, tam publice quam privatim tractent, & apud nos & ſucceſſores noſtros gratioſe liberaliterque eorum negocia commendata ſuſcipiant. Præterea miniſterium indecorum Epiſcoporum Prælatorumque in domibus ſuis non habeant, ne cæteris præeſſe inſtituti, & ſacro charactere inſigniti, in vilia miniſteria deſcendant, paſſimque paſtoralis officij contemptum inducant. Cumque Romano Pontifici communi omnium Chriſti fidelium patri aſſiſtant, perſonarum advocatos & acceptatores eos fieri valde inconveniens eſt. Propterea ſtatuimus ne partialitatem accipiant aliquam, neque Principum aut communitatum, vel quoruncumque aliorum contra quemquam niſi quantum juſtitia & æquitas poſtulant, eorumque dignitas & conditio requirit, promotores vel defenſores fiant, ſed à privata omni paſſione ſejuncti, ſedandis & componendis inter quoſcumque litibus omni diligentia vacent incumbantque: Principum & quorumcunque aliorum, & præſertim pauperum*

*perum & religioſorum juſta negotia pio promoveant affectu, oppreſſos & injuſte gravatos juxta vires ſuas, & officij debitum adjuvent. Tituli ſui loca ſi præſentes in curia fuerint perſonaliter, ſi vero abſentes per vicarium idoneum ſemel ſaltem ſingulis annis viſitent: clericos & populos Eccleſiarum titulo ſuo ſubjectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum divinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis & vitam clericorum & Parochianorum ſolerter explorent, eoſque omnes & ſingulos ad recte honeſteque vivendum paterno moneant affectu.*

*Pro reverentia autem ſedis Apoſtolicæ, utilitateque & honore communi Pontificis & ipſorum Cardinalium, ut ſcandalorum quæ naſci poſſent, occaſio tollatur, majorque in ſacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque ut par eſt Cardinali cuique ſecundum Deum & conſcientiam ſuam libere & impune quodcumque ſentiat dicere: ſtatuimus ne quis Cardinalium vota in conſiſtorio data, & quæcunque ibi geſta aut audita aut dicta, quæ in odium aut præjudicium aut ſcandalum alicujus redundare poſſint, ſcripto aut verbo vel quovis alio modo revelet, ſub pœna perjurij & inobedientiæ. Et quotieſcumque à nobis & Romano Pontifice pro tempore exiſtente ſpecialiter & expreſſe ultra præmiſſa, indictum fuerit ſuper aliqua re ſilentium, ſi quis ultra fecerit, ultra pœnas alias, excommunicationem latæ ſententiæ incurrat: à qua non poſſit abſolui niſi à nobis vel præfato Romano Pontifice & cum expreſſione cauſæ, præterquam in mortis articulo.*

8. Seſſione 10. Edita eſt conſtitutio declarans montes qui dicuntur pietatis juſtos & licitos eſſe, prohibetque univerſis illorum damnare uſum vitioque uſuræ inſimulare ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, tametſi enim rectores iſtiuſmodi montium exigant à mutuatarijs aliquid ſtatuto definitum præter ſortem, ea tamen ſuperexactio nullatenus eſt ad lucrum ſed ad indemnitatem, propter neceſſarias expenſas ſine quibus illud pietatis inſtitutum non poſſet ſubſiſtere: eo autem corruente gravi ſubſidio fraudarentur inopes mutuatæ pecuniæ quâ ipſorum neceſſitates ſublevantur: Eadem ſeſſione ſancitum fuit ne de cætero libri novi imprimantur niſi præceſſerit examen & approbatio inquiſitoris hæreticæ pravitatis, aut ordinarij Prælati ſub pœna excommunicationis. Huic ſimile decretum edidit Concilium Tridentinum in fine ſeſſ. 4. Quod idem ſancitum fuit in prohibitorum librorum indice regula 10.

9. Seſſio. 11. Præſcribitur lex concionatoribus ſervanda in prædicatione verbi Dei, ut conſtanter ſacræ ſcripturæ Myſteria & Documenta populis enuncient, non ex privato ſuo ſenſu, ſed juxta Sanctorum Patrum expoſitionem, nec ad inanem gloriam & oſtentationem, ſed ad animarum inſtructionem & ſalutem, ne novas revelationes aut miracula non approbata temere enuncient, ne in Eccleſiæ Prælatos invehantur, aut in privatam aliquam perſonam, ſed populum à vitijs abſterreant & ad virtutes informent ac exhortentur. Concionatoribus porro has leges infringentibus excommunicationis pœnam intentat, præſertim vero illis qui ſine Prælatorum miſſione ac venia concionibus ſe ingerunt. Non abs re fuerit hic referre quæ de prædicatorum officio ſcripſit S. Cyrillus Alexandrinus epiſt. 2. ad Reginas ſic dicens. *Eis qui divinum illud cœleſteque prædicandi munus adminiſtrant, univerſorum Deus per Iſaiæ Prophetæ vocem ejuſmodi oratione hac præcipit. Super montem excelſum aſcende tu qui Evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam qui Evangelizas Ieruſalem: exaltate nolite timere. Etenim qui in Sacerdotum ordinem aſciti, eam ſortiti ſunt provinciam ut Chriſti omnium noſtrum ſalvatoris myſteria ediſſerant, populoque proponant, illi ſenſum nequaquam abjectum, humive repentem aut ignavia victum, aut metu fratrum obtinere debent, ſed ſublime velut incedentem, & quaſi in monte collocatum: quo nimirum ad eum modum collocati, eximiam illam verorum dogmatum venuſtatem rimari ac introſpicere, verbaque intrepide facere valeant: quantumvis ex ijs qui ſacris informantur, nonnulli inſtar equorum inſolentium, qui infrenari non poſſunt, duros & intractabiles ſe præbeant: de quibus beatus David ſummum illum rerum omnium opificem interpellans, ita ſcribit: in camo & freno maxillas eorum conſtringe qui non approximant ad te. Quod ſi tali animo prædictis nihilominus vim inferre oportet, quomodo abſurdum non fuerit apud vos ſilere, piiſque veſtris auribus ſacrarum literarum notitiam, velut dulcem quendam vivificumque laticem nolle ſubinde inſtillare? Quod quidem Deus per Iſaiæ prophetæ vocem quondam loquutus ejuſmodi verbis nobis promittit: haurietis inquit aquas de fontibus ſalvatoris. Salvatoris autem fontes appellamus ſanctos Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos. Hi enim ſalutari cœlitiſque hauſtâ doctrinâ mundum hunc irrigant, ſpiritu ſancto imbuti, totumque hunc orbem lætificant. In ejus proinde profunda ſenſa mentis oculos conjicientes, veritatis inventionem inde hauriamus. Quemadmodum ergo agricolæ fragrantiſſimos quoſque flores opportuno tempore ex agris decerpunt, decerptoſque ac ſcite in calathis compoſitos Dominis ſuis offerunt; quos illi mox benevole gratoque animo complectuntur, eorumdemque decore ac venuſtate mirifice afficiuntur: ita nos qui docendi munus ſuſcepimus, ex divina ſcriptura veluti ex agro quopiam, non florum cito marceſcentium decorem offerimus, ſed ſermonum doctrinæque quæ per ſpiritum ſanctum pietatis in Chriſtum immarceſſibilem venuſtatem continet, magnaque ſuavitate & ubertate illius myſteriorum redolet fragrantiam. Scriptum eſt enim quod Chriſti bonus odor ſumus Deo.*

10. Hac eadem ſeſſione lecta & approbata fuere Concordata Bononiæ inita inter Leonem Pontificem & Galliæ Regem Franciſcum primum: quibus abrogatæ pragmaticæ ſanctioni ſubrogatur iſta inter ambos facta conventio: ut annatæ beneficiorum Galliæ conſiſtorialium Romano Pontifici perſolvantur, & viciſſim Rex quaſi patronus perſonas idoneas quas libuerit, præſentandi jus habeat. Concordata iſta multis capitibus diſtincta leguntur ad finem Concilij hujus inſerta.

11. Seſſione 12. Qua Concilium dirimitur excommunicantur quicunque domos Cardinalium tempore electionis novi Pontificis invadunt. Denique ad ſacram adverſus Turcas expe-



Digitized by Google

ditionem exequendam, decimæ fructuum ex Eccleſijs monaſterijs & quibuſcumque beneficijs in triennium indicuntur.

## CONCILIVM PARISIENSE anni 1528.

1. Lutetiæ Pariſiorum convocatum fuit, eique præſedit Antonius à Prato Cardinalis Presbyter tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Senonenſis Archiepiſcopus, ſub Franciſco Rege magnus Franciæ Cancellarius. Concilij pars prior diverſa continet fidei decreta contra Luteranam impietatem jam tum in Gallia pullulantem ac invaleſcentem. Pars vero ſecunda quam hic proſequimur, verſatur circa mores & diſciplinam Eccleſiæ, ex qua hi qui ſequuntur canones præcipuo ſtudio ſunt obſervandi.

2. Can. III. *Statuimus ut promotionis tempore ordo qui proxime ſequitur diligenter obſervetur. Vt quantum attinet ad ætatem & mores, non prius promoveant diœceſani ſuos ad aliquem ordinem ſacrum, quam prius videant literas teſtimoniales Presbyteri parochiani quæ contineant duorum aut trium teſtium probatorum non ſuſpectorum depoſitiones juramento ſolemni firmatas de ſufficientia ætatis promovendi, & de probata & inculpata illius vita. Quo abſoluto inquirant ſi promovendus habet ſcientiam à jure ad ordinem ſuſcipiendum requiſitam.*

Canon Nicænus IX. promotos ſine examine Sacerdotes à ſacrificio excludit εἴ τινες ἀνεξετάςως προσήχθησαν Πρεσβύτεροι ϗ τοῖς τοιούτοις παρὰ κανόνα χεῖρα ἐπιτεθήκασι, τούτους ὁ κανὼν ἐ προσίεται. Si qui ſine examine promoti ſunt ad Presbyterium & talibus præter canonem manus impoſita fuerit, eos canon non admittit ſcilicet ad Sacerdotalia: Hoc idem habetur in Aquiſgranenſi Capitulari Caroli magni cap. 2. Statuitur pariter in Concilio Nannetenſi can. 11. & citatur apud Gratianum c. quando diſt. 24. his conformatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. can. 7. de refor.

3. Can. V. *Et quamvis Epiſcopus originis beneficij aut domicilij non ſolum ad ordines promovere, ſed etiam literas dimiſſorias ad ipſos ordines concedere poſſit; injungimus tamen ſuffraganeis noſtris ut ſi quando literas dimiſſorias ad ſacros ordines indulgere voluerint, ne indigni aſſumantur, obſervent ordinem qui ſequitur: videlicet quod volentes impetrare literas dimiſſorias accedant ad diœceſanos: qui ſuper præmiſſis ætate, literatura, moribus, beneficio, ſeu patrimonio inquirant, ſerventque diligenter prædictas ſolemnitates perinde, ac ſi in propria ordinare vellent. Ac tunc ſic examinato concedantur literæ dimiſſoriæ; remittaturque examinatus cum literis ipſis: in quibus etiam declaretur prædicta ſolemnitas ſic obſervata, fiatque mentio expreſſa de beneficio aut patrimonio, ut Epiſcopus ad quem ſe conferet ordinandus eum ſine ſcrupulo promovere & ordinare poſſit. Quod ſi propter infirmitatem aut aliam cauſam rationabilem is qui literas dimiſſorias obtinere cupit, non poſſit commode accedere ad ſuum Epiſcopum, tunc remittatur ſuper ætate, literatura, moribuſque, ut prius examinandus ad Epiſcopum cui literæ dimiſſoriæ præſentabuntur: inſeraturque in illis literis dimiſſorijs clauſula: ſuper quo conſcientiam tuam oneramus. Proviſo tamen quod numquam concedantur literæ dimiſſoriæ niſi illi qui habet beneficium aut patrimonium prætaxati valoris.*

Similem pridem præcautionem eſſe adhibendam ſanciverat Alexander Papa III. in Concilio generali Lateranenſi tertio. *Si* (inquit) *Epiſcopus aliquem ſine certo titulo de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu ei neceſſaria ultra ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet, niſi talis ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere.* Et allegatur in c. Epiſcopus de præben. Et his adjungit Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de refor. *Beneficium ad vitam neceſſarium non poſſe reſignari ab ordinato niſi facta mentione quod ad illius beneficij titulum ſit ordinatus: neque ea reſignatio admittatur niſi conſtito quod aliunde commode vivere poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit. Eo quoque perſpecto de patrimonio vel penſione vere ab ordinandis obtineri, taliaque eſſe quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint.* De examine autem faciendo per ordinarium antequam dimiſſorias literas concedat, ita ſanxit Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 3. de refor. *Epiſcopi per ſeipſos ordines conferant: quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter quam jam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Atque in univerſum vetat Concilium Carthaginenſe III. c. 22. Quemquam ordinari clericum niſi examine probatum.

4. Can. VI. *Sed quantum attinet ad jam promotos ad Sacerdotium, injungimus ſuffraganeis noſtris ut ſuper illis diligentem & accuratam faciant inquiſitionem. Et quos invenerint promotos ante legitimam ætatem, juxta juris diſpoſitionem ab executione ordinum ſuſpendant, donec ad ætatem legitimam pervenerint. Et quos vita reprehenſibiles cognoverint, debite coërceant. Quos inſuper non eſſe literaturæ ſufficientis deprehenderint, ab executione ordinum ſuſpendant, donec in ſcientia quæ eſt ordini requiſita ad plenum fuerint inſtructi.*

His addendum ex officio providendum eſſe ab Antiſtite

Antiſtite Vicarium in beneficijs quibus animarum cura aut miniſterium aliquod ex fundatione incumbit, quandiu ſuſpenſio durat & donec proviſus fiat idoneus, ideoque aſſignandam eſſe fructuum partem ſubrogato Vicario, donec proviſus ſeu Rector ſubjacet ſuſpenſioni remota omni appellatione, juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 6. & ſeſſ. 25. cap. 14. & in Decreto c. quicunque 26. q. 5. & c. inventam 16. q. 7. Item toto tit. de Cler. ægrot. vel debil. & Clemen. multorum de pœnis. Quod item ſtatuitur in Concordato Bononienſi.

5. Can. VII. *Rurſus quia nonnulli ſuæ ignorantiæ & incapacitatis & delictorum conſcij, fugientes examen ſuorum Epiſcoporum, ſcientes ſe non eſſe ab illis promovendos, ad Curiam Romanam confugiunt, etiam abſque literis dimiſſorijs eorumdem Epiſcoporum, & in eadem curia ſe faciunt promoveri ad omnes ſacros Ordines per quoſdam aſſerentes ſe eſſe Epiſcopos, & habere à Romano Pontifice autoritatem ordinandi, de quorum poteſtate ac commiſſione non apparet: ſintque ordinati hujuſmodi promoti extra tempora, ac interdum tribus ſucceſſivis diebus: talibus Diœceſani non permittant executionem ſuorum ordinum niſi viſis diligenter eorum literis: conſtito etiam ſufficienter de poteſtate ordinantium, & eorum permiſſione eis à Romano Pontifice conceſſa. Ad hæc etiam quod rurſus examinentur de vita, ſcientia, & ætate ac inquiratur de patrimonio ſeu beneficio. Qui ſi in prædictis aut aliquo præmiſſorum inventi fuerint minus ſufficientes, declarentur ſuſpenſi ab executione ordinum, modo & forma ſupra declaratis.*

Præfato poſtmodum abuſui obviam itum eſt à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. de reform. ſic decernente: *Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes & populo Chriſtiano, cum ferè vagabundi ſint & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti ſed alienas oves inſcio proprio paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe Pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci ordinarij expreſſa licentia, & in perſonas eidem ordinario ſubjectas tantum, prohibitos vident exercere, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſua temeritate eligunt, & quoſcunque ad ſe venientes etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum literas commendatitias non habeant, Clericali charactere inſignire, aut ad ſacros Ordines etiam Presbyteratus promovere præſumunt: quo plerunque fit ut minus idonei & rudes, ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerint, ordinati, nec divina Officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare: Nemo Epiſcoporum qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, aut exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegij ſibi de promovendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſorijs ad aliquos ſacros aut minores Ordines, aut primam tonſuram promovere ſeu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione ordinum ſic ſuſceptorum donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.*

Can. VIII. *Cæterùm quia Eccleſiæ Dei nihil magis officit quam quod indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum aſſumantur regimen, qui ſeipſos regere non poſſunt: Diœceſani ergo ad Parochiales Eccleſias non inſtituant præſentatos ab Eccleſiaſticis laicisve patronis, niſi eos prius diligenter examinaverint, neque indignos præficiant, aut incapaces admittant. Quod ſi qui ſint inſtituti vel proviſi etiam per Sedem Apoſtolicam, nihilominus Diœceſani eos examinent: & ſi minus idonei fuerint inventi, ad adminiſtrationem beneficij non admittantur: ſed loco eorum per Epiſcopum inſtituantur Vicarij idonei quibus congrua portio aſſignetur. Et tandiu in beneficio adminiſtrent, donec ſic inſtituti aut proviſi literaturarum ſufficientem aſſequuti ſint, aut ſint ætatem legitimam adepti.*

6. Can. IX. *Cumque grave nimis ſit & abſurdum quod quidam Eccleſiarum Prælati cum poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non vereantur indignos, quibus nec morum honeſtas nec literarum ſufficientia ſuffragatur; carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Eccleſijs damna proveniant nemo ſanæ mentis ignorat. Nos ergo volentes huic morbo mederi præcipimus omnibus & ſingulis collatoribus ut prætermiſſis indignis idoneos aſſumant, qui Deo & Eccleſijs gratum valeant impendere famulatum. Fiatque juxta ſacrum Lateranenſe Concilium, in Provinciali Concilio diligens inquiſitio, ut qui poſt primam & ſecundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à beneficijs conferendis per ipſum Provinciale Concilium ſuſpendatur: inſtitutâ in eodem Concilio perſonâ providâ & honeſtâ quæ ſuſpenſi ſuppleat defectũ in beneficijs conferendis.*

Huc referri poteſt Hincmari Remenſis Archiepiſcopi pars epiſtolæ ſcriptæ ad Comitem Tardunenſis pagi cujus meminit Flodoardus lib. 3. cap. 26. hunc enim Comitem cujuſdam tunc vacantis Eccleſiæ patronum intra præfixum terminum urget ad nominandum illum qui Eccleſiæ vacanti ſit præficiendus, ſitque ea præfectura dignus, præſcribens illi nominandi terminum aduſque proximas quatuor temporum ordinationes: alioqui enim comminatur ſe de digniore Clerico proviſurum. *Et ſi ipſe non præſentaverit eum qui dignus poſſit inveniri, ille ordinaturus eſſet qualem meliorem poſſet invenire.*

Can. XI. *Rectores Eccleſiarum (quorum ſingularis electa eſt induſtria) compellantur per ſuffraganeos noſtros quoad fieri poterit ad perſonalem reſidentiam: neque cum illis de non reſidendo, niſi cauſa probabili intercedente diſpenſetur. Et in Eccleſijs Parochialibus per ſingulos dies*



Digitized by Google

*teri Parochiales curati per ſe aut Vicarios eorum clara voce & intelligibili, ac verbis maternis annuncient decem præcepta Decalogi & articulos fidei. Et ſi qui fuerint Presbyteri quibus non ſuppetat doctrina aut prædicandi gratia, legant & declarent prædicta die Dominica unum capitulum Ioannis de Gerſon in opere ſuo tripartito.*

7. Can.XII. *Admoneant curati frequenter ſuos Parochianos ut interſint Miſſæ Parochiali diebus Dominicis & Feſtis per hebdomadam occurrentibus, & ut ad illa omnia quæ per ſingulos dies Dominicos in pronis proponuntur diligenter attendant. Quod ſi legitimo ceſſante impedimento, abſque licentia ſui curati, per tres Dominicas neglexerint intereſſe Miſſæ Parochiali, denuncient ſtatim promotoribus ut pro menſura contemptus vel offenſæ puniantur. Hortentur inſuper iidem curati eoſdem Parochianos ſuos ut frequenter peccata ſua confiteantur & ſacramentum Euchariſtiæ percipiant, præſertim in Feſtis ſolemnibus, & tempore infirmitatis, aut peſtis, aut ubi inſtat periculum mortis: ſeu quum mare ſunt navigaturi, aut per diverſa loca peregrinaturi. Quos etiam commoneant ne peregrinentur ſine literis teſtimonialibus Chriſtianitatis eorum: quas iidem curati per ſe aut eorum Vicarios ſi petantur liberaliter tradant. Curati diligenter advertant ſi Parochiani eorum ad minus ſemel in anno ſanctam Eccleſiæ communionem Euchariſtiamque percipiant, & communicantium nomina ſi commodè fieri poteſt ſcripto redigant.*

Concilium Illiberritanum can.21. ſub pœna excommunicationis, ipſis etiam laïcis prohibet ab Eccleſiæ conventu per tres hebdomadas abſque neceſſitate abeſſe. Concilium autem Sardicenſe cui præſedit idem Oſius Cordubenſis, qui præcedenti Illiberritano legitur ſubſcriptus, parem facit Epiſcopis prohibitionem ne à ſuis abſint Eccleſijs pluſquam tribus hebdomadis can.14. Agathenſis vero Concilij can.64. Diaconos & Presbyteros qui tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerint à communione triennio ſuſpendit: quam eamdem quoque pœnam infligit Clericis quibuſcunque qui ab Eccleſia diebus anni ſolemnioribus defuerint Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchæ & Pentecoſtis.

8. Can.XXX. *Cum ex multiplicatione confratriarum ſæpe monopolia oriri contingat, & quæ in uſus pios conſumenda ſunt in crapulam converti videantur: ſiquidem dies feſtos confratriarum non aliter ſe confratres dignè celebrare putant, niſi comeſſationibus & ebrietatibus deſerviant: ſacro approbante Concilio ſub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliqui cujuſcunque ſtatus extiterint confratrias erigere & de novo inſtituere ſine Epiſcoporum expreſſo conſenſu & approbatione audeant. Antiquas autem quas per Epiſcopos inſtitutas aut aliter approbatas fuiſſe conſtiterit toleramus, omnes tamen conventiculares comeſſationes maximè diebus feſtis illarum confratriarum & ex denariis earundem fiendas ſeu ſolvendas ſub prædictis pœnis prohibentes. Ordinamus inſuper quod quantum ad antiquas confratrias attinet, teneantur confratres ſeu procuratores intra ſex menſes à die publicationis præſentium afferre Diœceſanis eorumve Officialibus & Vicariis ſtatuta ſi qua habent, & eoſdem Diœceſanos inſtruere de modo & forma quam in eis ſervant, de quantitate redituum, & in quos convertant uſus; ut ſic juſtitia mediante, quod ſuper his opportunum fuerit ſtatuatur, omniaque ad ſobrietatem & modeſtiam revocentur. Alioquin elapſis ſex menſibus ad earum annullationem procedatur. Confratriarum proviſores, procuratores ſeu magiſtri vel gagiatores Eccleſiarum Parochialium teneantur præſtare juramenta in initio officij ſuſcepti, coram Epiſcopis aut eorum officialibus, eliganturque ſingulis annis mox reddituri de receptis & ſolutis rationem. Et pecuniæ quæ ſupererunt applicentur per eos vel in uſum reparationis Eccleſiæ, aut curam ſeu alimoniam pauperum, aut alios pios uſus prout Epiſcopus arbitratus fuerit. Ex nunc autem juramenta quæ in ingreſſu novi confratres præſtare ſolent, omnino reprobamus cum ſint cauſa & occaſio frequens perjuriorum, prohibentes ne deinceps juramenta ſuper obſervatione ſtatutorum prædictarum confratriarum præſtentur aut exigantur. Et etiam ubi confratriæ erunt permiſſæ, volumus quod ab invitis pro egreſſu nihil exigatur.*

Sciendum eſt pecuniam quam fideles confratrijs & ſodalitijs Eccleſiaſticis conferunt ſacram eſſe, ac proinde abſque ſacrilegio non poſſe in profanos uſus impendi. Hujuſmodi pecuniæ fit mentio lib.4. reg. cap.12. & 22. & lib.2. Machabæorum cap.3. & apud Sozomenum lib.8. hiſt. Eccleſ. c.12. Concilium Trident. ſeſſ.22. de refor. cap.9. ſtatuit hujus pecuniæ rationes coram ordinario, aut eo quem ordinarius delegaverit eſſe reddendas. Quod idem ſancitum pariter eſt Francicis edictis Caroli noni Bleſis 3. Octobris anno 571. & Henrici IV. 16. Martij an.1609. & Ludovici XIII. Turonibus 4. Septembris an.1619. Quo etiam edicto diſtrictè vetatur judicibus regijs ne ſe rationibus immiſceant. Tria regia hæc edicta integra leguntur inſerta ad finem Codicis Henricei.

9. Can.XXXI. *Inſuper ne quis per excommunicationem quam pro præcipuo mucrone Eccleſia habet à fidelium communione ex levi cauſa innodetur, ſacro approbante Concilio prohibemus, quatenus de cætero nullæ excommunicationes concedantur niſi pro gravi cauſa: & eâ cognitâ, ſecundum formam juris generaleſque monitiones in forma malefactorum, non decernantur pro injurijs verbalibus, niſi fortè atrocioribus: quarum diſtinctio arbitrio officialium relinquatur. Quos nihilominus diligenter & diſtrictè monemus ut omnino caveant ab illarum multiplicatione*

*tione, ne in vilipendium & contemptum deducantur.*

Docet S. Auguſtinus nullam eſſe in Eccleſia pœnam excommunicatione majorem in tractatu de correptione & gratia cap. 15. & citatur c. corripiantur 24. q. 3. unde Gloſſa ibid. infert ſi excommunicatio eſt maxima pœna, ergo non debet infligi pro levibus criminibus. Quod idem ſanxerunt diverſa Concilia, nimirum Agathenſe can. 3. & 4. Meldenſe can. 56. Aurelianenſe V. can. 2. Vormatienſe ſub Hadriano Papa ſecundo can. 13. vide c. Epiſcopus & c. nemo Epiſcoporum, & can. nullus Sacerdotum 11. q. 3. Concilium denique Tridentinum ſapientiſſimè admonet ſeſſ. 25. can. 3. de refor. *Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris. Sobriè tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmiſſis ad revelationis finem ut aiunt, aut pro deperditis ſeu ſubtractis rebus ferri ſolent, à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur, & tunc non aliàs quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſcopum examinatâ quæ animum ejus moveat. Nec ad eas concedendas cujuſvis ſæcularis etiam Magiſtratus autoritate adducatur, ſed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum.*

## *CONCILIVM COLONIENSE ſecundum anni 1549.*

1. PRimum prodierat Concilium Colonienſe anno 1536. ſatis prolixum, in quatuordecim partes diſtinctum ſub Hermanno Archiepiſcopo Imperiique electore, ſtylo magis declamatoris quam legiſlatoris, incertum an ſincero animo, an vero ut ſuſpicionem propriæ hæreſis amoveret, ſeque diſcrimini propriæ amittendæ dignitatis eriperet: quâ tandem juremerito ſpoliatus fuit, poſtquam compertum omnibus fuit ipſum non modo à Catholica fide apoſtatam evaſiſſe; verumetiam omni ſtudio laborare Luteranam impietatem ſtabiliendi & propagandi, Luteranos concionatores undique accerſendo, Melanchtonem, Bucerum, alioſque peſtilentis doctrinæ viros quorum conſilio utebatur, & quibus prædicandi miſſionem impertiebatur, ſinceræ pietatis Doctores callide ſubmovendo. Sed connitentibus Paulo III. Pontifice & Carolo V. Imperatore, ſede ſuâ motus, nec judicio ſiſtere auſus, fugâ ſe ſubripuit, & apud Luteranos hæreſim apertè profeſſus reliquum vitæ exegit, electo ejus in locum Adolpho ex Comitibus Schavemburgenſibus, qui magna ſollicitudine pene collapſam Catholicam religionem in integrum reſtituit.

2. Anno itaque 1549. ab undecima Martij die ad ſextam uſque Aprilis peractum eſt Adolpho præſidente iſtud Colonienſe Concilium, in quo cum antiquorum canonum exactior ſeveritas ſtatim revocari in uſum abſque motu graviore in uſque adeo depravata Provincia non poterat, ad media quædam ſacris tamen Canonibus conſentanea, quibus Clerus & populus ad pleniorem reformationem ſenſim perduceretur, viſum eſt eſſe confugiendum, quorum remedio plurimum momenti ad durabilem & efficacem reformationis executionem collatum iri. Sunt igitur ſelecta ſex media quæ ſequuntur. I. Inſtauratio ſtudiorum potiſſimum ſacrorum. II. Examen ordinandorum ad ſacra miniſteria & Prælaturas inſtituendorum. III. Officiorum ſeu munerum ſuſceptorum ſedula perfunctio. IV. Viſitatio Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, Archidiaconalis, & eorum quibus hoc incumbit. V. Synodorum frequens celebratio. VI. Juriſdictionis Eccleſiaſticæ jam propemodum collapſæ & abuſu depravatæ reſtitutio.

### *De primo medio, quod eſt ſtudiorum inſtauratio.*

3. Primum quidem inſtaurationem ſtudiorum quoad ea quæ reformatio & Eccleſiæ neceſſitas exigit, nemo præſtiterit melius quam Scripturarum ſacrarum, Canonum, & munerum Eccleſiaſticorum peritus. Sive enim regere Eccleſias, & populum docere, ſive hæreticos convincere, & Scripturarum aperire myſteria, ſive Sacramenta conficere eaque adminiſtrare, ſive examinare ex ordine miniſtros Eccleſiæ, ſive viſitare Diœceſes, aut Synodos celebrare, vel judicia Eccleſiaſtica exercere oporteat, ſcientiâ opus eſt: alioqui ut inquit in Evangelio Chriſtus: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.* Quo etiam modo Iſaias indoctos Eccleſiæ Prælatos cæcos & mutos appellat dicens: *Speculatores ejus cæci neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare.* Non valentes etiamſi vellent latrare, id eſt officia ſua exequi. Ergo providetur 1. ne ulli ſuſpectorum morum aut fidei Ludimagiſtri ac profeſſores Scholis præficiantur, niſi de quorum probis moribus & Catholica fide conſtet, facta de his inquiſitione ac examine. 2. Ne communibus & approbatis derelictis docendi formis, compendioſas quaſdam regulas & extraordinarias conſectentur. 3. Ut certo cujuſque hebdomadæ die diſcipulos edoceant receptas ab Eccleſia regulas fidei & morum. 4. Ne illi prælegantur autores qui ſinceram religionem aut mores pervertere queant. 5. Ut ſeligantur ex ſtudioſis & bonæ expectationis ex ſingulis cathedralibus juvenes Canonici mittendi ad ſtudia Univerſitatum, in quibus triennio ſacris Scripturis & Theologicis diſciplinis informentur, & ubi conducere videbitur hoc etiam tempus prorogetur, qui tempore ſtudij præbendarum ſuarum integros percipiant fructus non tamen diſtributiones. Singulis autem annis teſtimonia certa perquirantur utrum in ſtudijs & bonis moribus proficiant & an vanis ſe ſtudijs addicant. Debent tamen ſtudioſi providere ut ipſis abſentibus alij eorum in divinis ſuppleant vices. Qui vero ad Univerſitates miſſi deſides ac otioſi comperti fuerint, ab eorumdem privilegiorum uſu & fructuum perceptione repellantur. 6. Ut Theologus in prædictis Eccleſijs alatur, qui Clericos omnes qui ſunt de gremio doceat, cui præter præbendæ ſtipendium à Choro abſenti, pridie quam legit ſimulque ipſo quo legit die concedantur. Jampridem Concilium Lateranenſe tertium ſub Alexandro Papa III. can. 18. conſtituerat providendum eſſe in ſingulis Cathedralibus de beneficio uni Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ & alios pauperes gratis doceat, & habetur c. 1. de

Magiſtris.

Digitized by Google

Magiſtris. Itemque poſtmodum Concilium Tridentinum ſeſſ.23.cap.18. de reform. Et ſub Innocentio Papa III. Concilium quartum Lateranenſe can.11. jubet conſtitui Theologum qui Sacerdotes & alios doceat ſacram Paginam, & ea quæ ad curam animarum ſpectant. Et habetur cap. quia nonnullis de Magiſtris. Quam deinde conſtitutionem innovavit Concilium Tridentinum ſeſſ.5. cap.1 de refor. Denique Honorius III. ſancit ut Prælati & Capitula ad ſtudia Theologiæ Scholares dociles tranſmittere teneantur, qui in abſentia reditus præbendarum ſuarum & beneficiorum ſuorum per quinquennium integrè percipiant: & ubi proprij reditus non ſufficiunt, jubet Prælatis & Capitulis aliunde ſuppleant. Unde liquet quam neceſſaria ſit Eccleſiæ ſcientia.

### *De ſecundo medio, quod eſt examen Ordinandorum.*

4. Deinde viſum fuit ad ſtabilem & duraturam Eccleſiaſtici ordinis reformationem comparandam neceſſarium eſſe ut initiandi ſacris Ordinibus ritè examinentur. Hi vero qui ad prælaturas & regimen animarum aſſumuntur novo eidemque rigidiori examini ſubjiciantur: propterea quod mortales omnes ſequi quotidie ſuum genium experiamur, & aſinum manere aſinum etiamſi exuvijs leonis induatur: atque ita evenire ut quum vitijs dediti homines aſſumuntur ad dignitates & prælaturas, vertant dignitates & prælaturas non quò oportet, ſed vel ad avaritiam implendā, vel in ventrem ſaginandum, aut ad faſtum & pompam, quidam etiam ut in luxu & delicijs vivant. Quibus profectò rebus fit ut planè in diverſum abeant officia & munera divinæ juſſionis, nec ferè ulla ſit animarum & Eccleſiaſticarum rerum vera cura, ſed imagines tantum & apparatus; nec ſeria bene inſtitutæ reformationis executio, ſed major in dies morum & doctrinæ corruptela. *Quamobrem in primis ſtatuimus & ordinamus ne quis ad ſacrorum Ordinum perceptionem admittatur niſi diligenter examinatus de fide quam teneat, de affectu quo ducatur ad petendos ordines, de ſcientia quæ ſufficiat ad ordinis quem petit miniſteria explenda, de moribus ordinem decentibus, & ætate legitima. Quare matura præhabita deliberatione declaramus Epiſcopos non debere aliorum examinationibus perfunctoriè factis ſtatim acquieſcere, atque ita inutiles & indignos homines, nonnunquam etiam ſceleratos ab alijs fortè quos ea cura non admodum tangit, dignos judicatos, ſacris illis Ordinibus contra conſcientiam propriam inſignire. Eaque de cauſa requirimus Provinciæ noſtræ Epiſcopos in Domino, ut vel ipſimet huic ſuo muneri ſatisfaciant, vel curam illam imponant viris pijs, doctis, & de Eccleſiæ profectu ſolicitis, quorum diligentia ſit eis explorata, niſi certiſſimo experimento cognoverint Scholaſticum vel eum ad quem id officium pertinet diligentiam talem cui merito fidant, adhibuiſſe.*

5. *Secundo ſtatuimus ut nemini poſthac (ubi digna & juſta cauſa non eſt) dentur licentiatoria ordines extra ſuam recipiendi, niſi ſit prius juxta modum præſcriptum in ſua Diœceſi examinatus. Ad hoc enim comperimus quoſdam licentiatoria petere ut examen ſubterfugiant.*

6. *Tertio ſtatuimus quoniam non oportet ſacros Ordines quaſi furtim ſuſcipere, ut quemadmodum jungendi matrimonio trina proclamatione populo denunciantur, ita majoribus Ordinibus initiandi trina proclamatione denuncientur in Eccleſia Parochiæ quam inhabitant ad percipienda impedimenta ſi quæ ſunt, quæ debeat Parochus Epiſcopo aut officialibus ejus ſignificare.*

7. *Quarto mandamus ut volentes ad Subdiaconatus vel Diaconatus ordinem promoveri præſententur & dent intitulatoribus nomina ſua feriâ quartâ diem ordinationis præcedente, ac eodem & ſequenti die examinentur horâ quam eis conſtituent examinatores. Promovendi verò ad Sacerdotij gradum dent nomina ſua feriâ quintâ ante diem ordinationis, quibus ſimiliter ſtatuetur hora, cum ſimul ob multitudinem examinari non poſſint. Afferant vero omnes promovendi ſecum teſtimonia non modo ſuorum Parochorum, verum etiam præceptorum aut proborum virorum apud quos majorem vitæ partem tranſegerunt per examinatores diſcutienda, unde poſſit Epiſcopo utrum irreprehenſibiles ſint conſtare.*

8. *Quinto ſtatuimus & ordinamus ut nemo electus confirmetur, nemoque præſentatus ad dignitates vel animarum curam inſtituatur priuſquam ſit à ſuo Epiſcopo aut Archidiacono Epiſcopi, aut hac in parte Vicario, alijſque ſacrarum Literarum, Canonum, & traditionum Eccleſiaſticarum peritis, quos Epiſcopus vel Archidiaconus ad hoc deſignabit, examinatus & comprobatus idoneus, poſſitque & velit muneri ad quod vocatus eſt pro virili ſatisfacere, & formulam reformationis qua parte eum concernit exequi. Quod ſi quis Archidiaconorum vel jus inſtituendi habentium contra hanc conſtitutionem præſumpſerit aliquem non ita examinatum inveſtire, ipſe quidem pro judicio Epiſcopi per certum tempus ab officij ſui executione, & fructuum perceptione ſuſpendetur: inſtitutus vero euſque donec Epiſcopo comprobabitur qualificatus & idoneus. Neque tamen per examen Epiſcopale derogatum volumus juri examinandi ſi quod alij Prælati habent.*

9. *Sexto ad hæc ſtatuimus & ordinamus ut in permutationibus & reſignationibus beneficiorum eadem cura adhibeatur examinandi eum in cujus favorem permutatio vel reſignatio cōcepta eſt. Et præſertim diligens fiat inquiſitio, etiam per diſerta juramēta, num permutatio ſit ad contegendum ſimoniæ vitiū fraudulenter excogitata ac ſimulata: Quod ſi vel examinis tempore vel in poſterum compertum fiat pactionem illicitam & jure non probatam interceſſiſſe, uterque permutantium pro ſimoniaca fraude puniatur.*

### *De tertio medio, quod eſt officiorum perfunctio.*

10. Non prodeſt ad Eccleſiæ ædificationem & reformationem Prælatos & Paſtores curam animarum habentes fuiſſe diligenter examinatos probatos, & legitima manuum impoſitione inſtitutos atque admiſſos, niſi præſtent etiam officium ad quod ſunt vocati, & cujus gratia ſtipendia ab Eccleſia percipiunt. Idcirco pro conſequenda reformationis executione curandum eſt ut Prælati & Paſtores ſuo munere ſtrenuè perfungantur. Quod niſi fiat jacent omnia quæ reformatio exigit. *In primis igitur ſancimus & ſtatuimus ut Epiſcopi Archidiaconi & omnes qui functionem munerum ſuorum non per ſe ſed per Miniſtros aut Commiſſarios aut Collectores ſolent obire, vices ſuas non committant hominibus levibus, vitioſis aut conjugatis ſed tantum Eccleſiaſticis gravibus & probatæ opinionis viris.*

11. *Secundo ad tollendum gravem & ſcandaloſum*

ſum

ſum abuſum, quo quidam pecunijs oblatis comparant ſibi à Prælatis commiſſiones & officia, non ſalutem animarum, ſed pecuniam uberiorem ex officijs quærentes, ſtatuimus & mandamus ne quis Prælatus cujuſcunque ſit dignitatis, ſuam juriſdictionem & munera ulli commiſſario ſeu collectori licet Eccleſiaſtico plus offerenti, pro pecunia, aut pro certo annuo cenſu, committat vel vendat, ſub pœna excommunicationis quam emens ſeu pecuniam paciſcens ipſo facto incurrat; vendens vero præter pœnas canonicas, amittat etiam actionem pactam pecuniam exigendi: decernentes contractum illum illicitum eſſe, à jure damnatum, nullumque eſſe & haberi debere.

12. Tertio quia magno populi Chriſtiani ſcandalo quidam ad quos pertinet vitiorum correctio, relinquunt peccata ob pecunias & munera impunita, non perpendentes pudendum eſſe crimen, crimina non coërcere; nec quidquam eſſe quod atrocius Epiſcopos & Prælatos coram Deo accuſet, quam hujus rei neglectus. Idcirco deliberatione cum Concilio habita, mandamus & ſancimus ne Epiſcopi, Archidiaconi, vel alij juriſdictionem habentes, aut alij officiales, eorumque commiſſarij vitiorum correctiones diſſimulent, permittentes cuiquam pecuniæ munerum, vel neceſſitudinis cujuſcunque gratiâ in eis hærere: ſed delicta præterita caſtigent, pœnitentia ſalutari pro delicti gravitate impoſita: nec pœnitentiæ loco pecuniam emungant, propoſitâ canonicâ pœnâ in contravenientes ſuſpenſionis, ab officio privationis, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum amiſſionis.

13. Quartò querela eſt Collegiorum præpoſitos quoſdam ad quos præſtito juramento pertinet jura & ſtatuta Eccleſiarum tueri atque defendere, nihil agere minus; ſed percipere tantum amplos fructus, ceterum Eccleſias quarum causâ illos percipiunt relinquere incultas aut indefenſas, immemores jurisjurandi, & illius quod beneficium propter officium datur. Hinc decernimus & ſtatuimus ut ſi iſtiuſmodi præpoſiti à ſuis Collegijs ad bonorum, privilegiorum, jurium, & ſtatutorum defenſionem, expenſis capitulorum & neceſſitatis tempore, vel imminente diſcrimine, muneri ſuo ſatisfacere neglexerint, & inde Eccleſia illa ſeu Collegium damnum accipiat, in pœnam incidant pro damni accepti magnitudine, & præpoſiti negligentiâ, ab Epiſcopo ſeu Superioribus taxandam & moderandam.

14. Quinto quia videmus Decanis abſentibus vel officio ſuo ſegniter perfungentibus, leviſſimorum quorumdam Canonicorum & Vicariorum inſolentiam prævalere ferè adverſus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi ludibrio, officia negligi divina, neque ritè neq; ab omnibus perſolvi; cantum præcipitari, vitæ & morum honeſtatem periclitari, diſciplinam prorſus nullam eſſe, breviter licere pravis quibuſque quidquid libeat. Præcipimus idcirco & mandamus ut Decani apud ſuas Eccleſias perſonaliter reſideant, & officio ſuo per ſeipſos ſtrenuè perfungantur, exceſſuſque ſubditorum quoties opus erit caſtigent, ſub pœna privationis fructuum Decanalium, pro rata temporis quo abſque cauſa rationabili non reſederint, fabricæ aut pauperibus applicandorum, ubi aliàs non eſt pœna digna contra non reſidentes decreta; niſi fortè neceſſitatis cauſa contigerit eos abeſſe: quo caſu capitulari alicui qui ſuſcepti officij rationem reddere poſſit, quemque inferiores revereantur, vices ſuas committant, niſi talem abſentis Vicarium peculiaria Collegiorum ſtatuta deſignent.

15. Sexto idem ſtatuimus de Abbatiſſis Collegiorum nobilium virginum canoniſſarum, quas tanto magis oportet Collegijs ſuis adeſſe & perpetuo reſidere, quanto virgines illæ majori cuſtodia ſunt dignæ. Quibus præterea mandamus ut diligenter obſervent num omnes in dormitorio communi nocte decumbant, & in habitu ipſas decente incedant, ac Horas Canonicas ritè perſolvant, cæteraque quæ reformationis Caſaneanæ formula & probatæ earum conſtitutiones exigunt diligenter obſervent, ſub pœna ſuſpenſionis à perceptione fructuum in fabricam Eccleſiæ applicandorum donec pareant. Illas vero Abbatiſſas quæ duobus Collegijs contra decreta Sanctorum Patrum præpoſitæ ſunt, & duorum in ſe recipiunt curam, cenſendas decernimus juxta decretum de reſtringenda pluralitate beneficiorum inferius paulo ſubjectum. Huc refer Canones vetantes unum Abbatem duobus præeſſe Monaſterijs, quales ſunt Agathenſis Concilij can. 57. & Epaonenſis can. 9. citati in decreto Gratiani 21. qu. 1. c. unum Abbatem.

16. Septimo mandamus & præcipimus ut Abbates quorumlibet Monaſteriorum non niſi intra Monaſteriorum ſepta, cum fratribus habitent, nec moram longam extra ea trahant.

17. Octavo cupientes ex animo quantum in nobis eſt, prohibere ac tollere odioſum illud & inſatiabile (quod & Patrum Canones deteſtantur) ſtudium coacervandi plura beneficia curam animarum habentia, unde populus fidelis graviter ſcandaliſatur, & optimorum quorumcumque animi à Clero alienantur, ſpoliantur Eccleſiæ debitis miniſterijs, ceſſatio inducitur cultus Divini. Fundatores quorum ſacroſancta & inviolabilis debebat haberi ſuprema voluntas ſpe & expectatione ſua fraudantur, meliores quibus beneficium aliquod Eccleſiæ certæ deberetur, quique miniſtrare in eo poſſint & cupiant non abſque injuria & offenſione Dei excluduntur & ad ſtudia profana impelluntur, ubi Eccleſiæ poterant eſſe ornamento, donec Cæſarea majeſtas proviſionem meliorem adverſus licentiam hanc à Summo Pontifice impetret, id quod ab Eccleſiaſticis Imperij ſtatibus rogatus in ſe recepit à ſanctitate ejus eniti ac flagitare velle, ſtatuimus & communi maturaque deliberatione cum Concilio præhabita, quod juſtiſſimum eſt & ad Eccleſiæ ædificationem pertinet, ſancimus ut beneficiatus quiſque, ſi beneficia habet à curis libera, aut beneficium curatum unum, aliud ſimplex, ſatisfaciat officio cujus gratia beneficium accepit ſecundum intentionem fundatoris, ſacros Canones, & Patrum decreta: & ab Eccleſia ubi beneficium negligit non participet. Etenim divini juris eſt ut qui ſervit altari de altari vivat: nec bono jure is qui non ſervit altari vivit de altari; ſicut ſtipendium non debetur niſi militanti. Si vero curatum habet beneficium, apud Eccleſiam ubi beneficium habet, reſideat, & officio ſatisfaciat, alioqui nihil percepturus: pertinebitque ad Epiſcopum ſive illos quibus id juris competit, ut de præbenda ſive beneficij fructibus ad Eccleſiæ illius utilitatem diſponant: niſi beneficiatus ille Eccleſiæ Dei utilius aliquod ſervitium interim impendat. Quod ſi quis juxta caput de multa de præbendis, qualificatus jam impetravit à Sede Apoſtolica facultatem plura quam unum beneficia retinendi, mandamus ut hanc Epiſcopo ſuo aut ejus viſitatoribus, ſecundum diſpoſitionē capitis Ordinarij de officio ordinarij in 6. præſentet atq; exhibeat. Quæ ſi appareat ſufficiens, curet Epiſcopus ut beneficia

*debitis officijs non fraudentur. Alioqui beneficiatus uno quod non maluerit retento, reliqua liberè reſignet aut remittat viris idoneis perſonaliter reſidere volentibus, abſque præjudicio tamen præſentantium, eligentium, & collatorum conferenda. Si vero diſpenſatum ſit cum indigno, Summo illud Pontifici curet Epiſcopus ſignificare ut digniori de beneficio provideatur per eos quibus alias competit jus eligendi, conferendi vel præſentandi.* Damna ex præbendarum pluralitate dimanantia fuſius proſequitur Joannes XXII. extravag. execrabilis de præbend.

18. *Nono ubi Collegia vel Monaſteria vel habentes dignitates, habent Eccleſias Parochiales incorporatas cum decimis juribus & cenſibus quas communiter ſoleant Paſtoribus vel perpetuis Vicarijs cum aſſignatione portionis fructuum regendas committere, ſi portio talis ſit acciſa nec ſufficiat ut honeſtè ac decenter ex ea vivatur, nec cauſa ſit ut animæ negligantur, aut deſeratur officium, vel ad curas ſordidas Paſtor ille pro victu comparando adigatur, mandamus & decernimus ut juſta portio ſecundum reformationem ei de decimis Collegij, vel Monaſterij bonis aſſignetur, ſive per Epiſcopum loci, ſive per ejus viſitatores. Similiter ubi temporales Rectores ad regendas Eccleſias conducuntur, decernimus ut ijs juſtum & dignum ſtipendium detur pro locorum & perſonarum conditione ab Epiſcopo moderandum, quod decentem eis atque honeſtum victum atque veſtitum ſuppeditet.* Sacri Canones ſolicitè providerunt ut Rectoribus Eccleſiarum aſſignentur ſufficientes portiones ad vitam honeſtè ſuſtentandam, c. extirpandæ & c. expoſuiſti de præbend. & c. 1. eod. tit. in 6. & noviſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 13. & 15. de refor.

### *De quarto medio reformandi Eccleſiam, quod eſt viſitatio.*

19. Non aliàs melius quam in viſitatione deprehenduntur corriguntur & eradicantur errores & vitia quæ viſitatoribus dormientibus ſeminantur, creſcunt & ſecurum robur acquirunt. Sic in Evangelio dicitur, cum dormirent homines venit inimicus homo & ſuperſeminavit zizania morum nimirum & doctrinæ corruptelam. Dormiunt Prælati qui non viſitant. Soli vigilant & cuſtodiunt, ſervant cuſtodias noctis vigilantes ſuper gregem ſuum, qui mala quæ metuuntur viſitatione præcidunt. Inprimis igitur mandat & præcipit omnibus quibus viſitandi onus incumbit, tam Epiſcopis quam Archidiaconis, ut per frequentes & accuratas viſitationes ijs medeantur de cætero damnis graviſſimis, quæ defectus viſitationum neglectarum aut ſolummodo perfunctoriarum paſſim per Diœceſes invexit. Cum vero neſciretur utrum Tridentinum Concilium (quod futurum Cæſar promiſerat & needum finitum erat) aliquid ſuper Epiſcopali exemptorũ regularium viſitatione decreviſſet, ſtatuitur iſto Provinciali Concilio ut ſaltem offeratur regularibus viſitatio & ubi obtineri non poterit, vocẽtur regularium Prælati & adhortentur ad reformationem Monaſteriorum ſibi ſubjectorum, de quibus ab eis rationem exiget univerſorum Judex, vitiaque coërceant ſubditorum, ſcandala cuncta præcidant & regulæ obſervationi ſedulò invigilent. Concilium vero Trident. Epiſcopis poteſtatem fecit viſitandi regularium exemptorum Eccleſias, ſed non interiora Monaſteriorum regularium & exemptorum niſi de ipſorum conſenſu ad evitanda ſcandala quæ naſcerentur ex regularium reſiſtentia, qualia contigere in viſitatione Monaſterij Lirinenſis, quam aggreſſus fuerat Epiſcopus Forojulienſis Fauſto exiſtente illius Monaſterij Abbate. Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 11. de refor.. Sanè Monachos ac regulares extra Monaſterium degentes ſi deliquerint poſſunt ab Ordinarijs viſitari, puniri & corrigi ſeſſ. 6. c. 3. Obſervatione ſpeciali dignum eſt Trident. decretum ſeſſ. 7. cap. 8. *Locorum Ordinarij Eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur: & opportunis juris remedijs providere ut quæ reparatione indigent reparentur: & cura animarum ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequijs minimè defraudentur: appellationibus, privilegijs, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorũ inhibitionibus penitus excluſis.* Idem tamen Concilium ſeſſ. 21. c. 8. de refor. Omnia etiã regularia & exempta Monaſteria in quibus non viget regularis obſervantia, ſi ſint commendata viſitari jubet ab Ordinarijs ac Epiſcopis, qui congruentibus remedijs etiam per fructuum ſequeſtrationem, quæ renovatione ac reparatione indigent, reficient & ordinabunt curam animarum, aliaque debita obſequia ut ritè exerceantur, quam viſitationem ſingulis annis iterari præſcribit.

20. Secundo providet iſta Colonienſis Synodus ut viſitentur pariter hoſpitalia, cum ſint Epiſcopi patres pauperum & infirmorum, eorumque officij ſit curare ne debitæ illis eleemoſynæ ſubtrahantur.

21. Tertio admonet ut quam minimis fieri poterit viſitandarum expenſis Prælati officium iſtud exequantur, nec eas jam multis hoc miſerabili tempore tributis ac vectigalibus gravatas, majoribus quam neceſſe ſit evectionibus procurationibus & famulitij comitatu atterant aut victualium ſumptu. De Parochijs vero ubi tenues ſunt reditus providet (niſi res præſentiam urgeat) ut advocentur viſitandi ad proximum illius Decanatus locum, aut eo mittatur Sacerdos viſitatoris electus comes cum ſufficienti poteſtate, qui quæ præſentiâ indigent perluſtret & reformet.

22. Quarto ne quid omittatur eorum quæ reformatione indigent, præſcribit ut Prælatus antequam viſitationi ſe accingat, formulas ſibi præſcribat, quibus contineantur quæcunque in actu viſitationis perquirenda & percipienda atque ordinanda erunt.

### *De quinto reformandi medio neceſſario, ſcilicet Synodo.*

23. Synodorum convocatio omnibus medetur, quæcunque vel officiorum neglectus vel pravitas morum in Parochias invexit, & Parochos ad majorem ſedulitatem excitat, à vitijs & defectibus deterret, & quæcunque in Eccleſijs vel promovenda vel corrigenda ſunt aperit & reformat in meliorem ſtatum & ordinem exigit, ergo Concilium iſtud ut vel bis vel ad minus ſingulis quibuſque annis per ſingulas quaſque Diœceſes celebrentur. At vero Provinciales ſingulis triennijs juxta præſcriptum Baſileenſe ſeſſ. 15. quod deinde Tridentinum Concilium inſtauravit & in uſum revocavit ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.

De

*De ſexto medio, quod eſt Eccleſiaſtica juriſdictio.*

24. Juriſdictionis Eccleſiaſticæ poteſtate tanquam ſupremo refugio compelluntur qui ſponte non inducuntur ad vitæ emendationem. Hanc Chriſtus Eccleſiæ in Petri perſona promiſit Math. 16. Tibi dabo claves regni Cœlorum, quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Quã promiſſionem non ad unum Petrum pertinere, ſed in omnes reliquos Apoſtolos tranſmiſſam alio loco inſinuat ubi dicit Math. 18. Amen dico vobis, quodcunque ligaveritis ſuper terram erit ligatum & in cœlis & quodcumque ſolveritis ſuper terram erit ſolutum & in cœlo. Primum igitur decernit ut ſinguli Provinciæ Antiſtites curias ſuæ juriſdictionis reforment, conſtituantque officiales ac miniſtros timentes Deum ab omni munerum cupiditate, & largitionibus prorſus alienos, quos nec odium neque favor aut gratia à recto tramite abducat, quos etiam jurejurando aſtringant.

25. Secundo quia judex Eccleſiaſticus officio ſuo perfungi nequit, ubi Magiſtratus & ſæculares homines contumacibus, flagitioſis & rebellibus patrocinium ferunt adverſus Eccleſiaſtica judicia vel illa impediunt, ad Imperatorem communibus precibus Concilij, alioſque ſæculi Principes recurrendum admonet ut Magiſtratus, & judices ſubditos ad opitulandum judicijs Eccleſiaſticis adigant.

26. Tertio ut Prælati judicibus & officialibus ſæculi excommunicationes interminentur & decernant, ſi de matrimonialibus alijſque ſpiritualibus rebus judicium uſurpent; præterquam in acceſſorijs temporalibus, ut ſunt dotium jura & conventiones mutuæque partium donationes.

## *CONCILIVM MOGVNTINVM anni 1549.*

1. TRes ſunt Archiepiſcopatus quibus adnexa eſt dignitas Electorum Germanici Imperij Colonia, Moguntia & Treveri. Porro Moguntiæ quæ civitas Rheno adjacet convocatum eſt Concilium anno Chr. 1549. cui præſedit Archiepiſcopus & ſacri Imperij Princeps Elector Sebaſtianus ad Luteranas hæreſes condemnandas quæ dire totã Germaniã graſſabantur, & ad inſtaurandam collapſam Eccleſiæ diſciplinam. Primam Concilij partem occupant canones quadraginta ſeptem hæretica dogmata proſcribentes quos prætermittimus, non ſolum quia cunctis notiſſimi ſunt, verumetiam quia inferius in majori ac generali Concilio Tridentino referuntur. Altera vero Moguntini Concilij pars, canonibus ſeptem & quinquaginta conſtat, quibus mores & ſacra diſciplina ordinantur ac moderantur.

2. Canone XLVIII. Admonemur non tantum divina præcepta, ſed etiam Eccleſiaſtica non poſſe ſine grandi piaculo violari, cum in divinis Scripturis religioſam Eccleſiæ conſtitutionibus obſervantiam ac obeditionem præſtari Deus ipſe jubeat, præcipiatque Matth. 18. ſi quis Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et Apoſtoli loquentes de quibuſdam ſanctionibus illas divino Spiritui attribuere non reformident dicentes Act. 15. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Et Paulus ſcribat Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Maximè autem augetur temerè violantium reatus, ſi accedat conteptus aut proximi ſcandalum.

Can. LXI. *Quò Dei gloria in obſervatione divini cultus magis illuſtretur, & fidelium devotio minus impediatur, diebus Dominicis & Feſtivitatibus celebrioribus mercimonia, tripudia, ſaltationes quas damnat Concilium Toletanum, & profana ſpectacula decernimus non permittenda. Simul etiam ludicra quædam à pietate aliena, & theatris quam templis aptiora cenſemus in Eccleſias non admittenda.* De ſaltationibus in diebus Dominicis & Feſtis S. Auguſtinus hæc ait in Pſalm. 91. *Sabbathum in præſenti tempore otio quodam temporaliter languido, & fluxo, & luxurioſo celebrant Iudæi. Vacatio noſtra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operibus eſt. Melius eſt enim arare quam ſaltare. Illi à bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant.* Idemque ſermo. de tempore 215. *Ne detrahendo, malè loquendo, & in Sanctis feſtivitatibus choros ducendo, cantica luxurioſa & turpia proferendo, de lingua ſua unde debuerant Deum laudare, inde ſibi vulnera videantur infligere.*

3. Can. LXXIX. *Virginum Monialium velut imbecillioris ſexus continentiam & munire præſidijs & adjuvare opportunis auxilijs volentes, præſenti ſtatuto inhibemus ne ſanctimoniales cujuſcunque ordinis quas votum ſub perpetua clauſura manendi adſtringit, quacunque de cauſa (niſi ſola inevitabili neceſſitate compulſæ aut tali morbo infectæ, unde ex contagione alijs periculum immineret) conſortium ſororum ſuarum relinquere aut extra Monaſterium prodire, ullo modo præſumant. Viciſſim vero quominus animi Deo dicatarum virginum pravis cupiditatibus tententur, aut à ſalutaribus meditationibus diſtrahantur; omnibus perſonis ſive Eccleſiaſticis & regularibus ſive laicis, præſertim viris ſerio interdicimus, ne in ipſa Monaſteria quarumcumque Monialium ſeu clauſuras niſi ex neceſſaria cauſa, cum honeſto comitatu, & de manifeſto conſenſu Superioris ad quem pertinet, introire audeant. Alioqui huic noſtræ prohibitioni temerè contravenientes ſi Eccleſiaſtici ſint, ſuſpenſionis ab officio & beneficio; ſæculares, excommunicationis pœnâ percellantur.*

Sapienter decrevit Bonifacius Papa VIII. ut Moniales profeſſæ clauſuras Monaſterij egredi non poſſint, nec alij ad eas intrare niſi cauſa legitima, ſimulque Superioris licentia interveniat. Simulque ſtatuit ut locorum Ordinarij in ſubjectis ſibi Monaſterijs propriã, in exemptis Apoſtolica autoritate clauſuram procurent. Quam conſtitutionem (quæ habetur in cap. periculoſo de ſtatu Monach.



Digitized by Google

Monach. in 6. Concilium Tridentinum renovat ſeſſ.25.cap.5. de regularibus. Addens quibuſcunque contravenientibus excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœnam.

4. Can.LXXX. *Paſtoribus etiam & ijs qui curata beneficia obtinent, injungimus ut Eccleſijs in quibus per conſenſum Diœceſani inſtituti ſunt, nec tamen eiſdem per ſe præſunt, Vicarios idoneos & Canonicè inſtitutos præficiant, eiſque pro ſufficienti victu portionem congruam de proventibus Eccleſiæ aſſignent: nec ſic à ſe inſtitutos Vicarios ab eadem Vicaria amoveant, niſi ipſi jam actu Sacerdotes Eccleſias ſuas per ſeipſos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis cauſam contra Vicarium coram Diœceſano aut ejus officiali, probaverint.*

Hic tamen admonendus eſt lector quod quoties Vicaria quæpiam erecta eſt in titulum beneficij, nequaquam liberum eſt Rectori ad illam adminiſtrandam ſe ingerere per ſeipſum. His adde plerumque hujuſmodi Rectores non eſſe ad curam animarum ſatis idoneos.

Can.LXXXV. *Ad confuſionem & dehoneſtamentum Eccleſiaſtici ordinis facit, ſicubi honorum diſcrimina tolluntur, nec ſuus cuique honor habetur. Vnde ordinamus & decernimus ut inferioris dignitatis Clericus ſeu Vicarius ſive Canonicus, Prælato ſuo ſive in aſſurgendo, ſive in alijs prærogativis reverentiam juxta conſuetudinem illius Eccleſiæ debitam ſubtrahens, fructuum prebendæ ſubtractione ad tempus pro exceſſus qualitate puniatur. Quod ſi ſimultate & animi arrogantia provectus in tali contemptu Prælati ſui perſeveraverit, à reliquis confratribus velut inobediens & juramenti ſui immemor, à conſortio Eccleſiæ & omni fructuum perceptione amoveatur: non niſi de ipſius Epiſcopi conſenſu ad eamdem rurſus admittendus, ut diſcat poteſtatem ſupra ſe poſitam, velut Dei ordinationem agnoſcere & venerari.*

Can. LXXXIX. *Ne ex incuria aut negligentia ſicut conſuevit, damna Eccleſijs accidant, Capitulis Metropolitanæ Cathedralium, & Collegiatarum, aliarumque Eccleſiarum Rectoribus & Curatoribus mandato injungimus, ut ſingulis annis ſemel ad minimum, omnes Eccleſiarum res & ornatus inſpiciant, & indice ſingula diligenter conſcribant, quo ſi quid inde deperierit facilius deprêhendi & ſarciri, & ratio ab his quibus ea cura commiſſa eſt expoſci & reddi queat. Eâdem diligentiâ volumus & præcipimus ut omnium Eccleſiarum prædia & reditus, tum communes tum etiam ad ſingulas dignitates ſeu beneficia pertinentes, in libro ad id deputato exactiſſimè conſcribantur. Literæ vero originales cenſuum tam communium quam ad ſingula beneficia pertinentium; non apud ſingulos poſſeſſores relinqui; ſed in publica & bene munita cuſtodia, (copijs earumdem extractis apud poſſeſſores retentis) aſſervari debent. Vnde ſi occaſio exegerit depromi & ſingulis perſonis ſub cautione redhibitionis permitti poterunt.*

Can.XC. *Vt Eccleſia per Provinciam noſtram conſtitutæ à damnis quæ nonnunquam ex infida procuratione accipiunt in poſterum vindicentur, decernimus & ordinamus ne poſthac ſolis laicis, ſed cum aliquot laicis cujuſque Eccleſiæ rectori ſeu plebano velut principali, officium fabricæ ſeu procuratio Eccleſiæ committatur; ita tamen ne ipſi Eccleſiarum rectores ſeu plebani, officio exactionis cenſuum, proventuum ſeu redituum, ſeu procurationis labore graventur. Tales etiam Eccleſiarum procuratores de pecunijs ſeu proventibus Eccleſiarum nihil in ſuum privatum uſum convertant; ſed omnia in Eccleſiæ utilitatem impendant, & de omnibus acceptis & expenſis debito tempore, ad minimum ſemel in anno, coram ipſo plebano ſeu rectore Eccleſiæ & alijs ad hoc deputatis rationem conficiant. Volumus etiam ad ſingulas Eccleſiarum ciſtas in quibus literæ cenſuum, ſeu pecuniæ, & pretioſiores Eccleſiarum res aſſervantur, diverſas ſeras, & ad minimum duas fieri, & ex clavibus ſemper unam apud Parochum ſeu rectorem Eccleſiæ relinqui & cuſtodiri: ſic ut tales ciſtæ non ab uno aliquo procuratore, nec unquam abſente Parocho, aut rectore Eccleſiæ, poſſint aut debeant aperiri. Huic vero noſtræ conſtitutioni in Eccleſiarum fraudem non parentes, ipſi plebani nobis aut Vicarijs noſtris denuncient, debita monitione prævia excommunicandos.*

5. Can.XCI. *Vt ab inſtitutione ad Eccleſiaſtica beneficia omnem ambitionem, omnemque ſimoniæ pravitatem præcidamus, præſenti ſtatuto ordinamus & decernimus, ut quicunque vel muneribus vel pollicitationibus, ſeu quibuſcunque pactionibus unius aut plurium ſibi favorem conciliaverit, ut per eos ad beneficium ſive dignitatem qualemcunque (quatenus ad noſtram diſpoſitionem pertinent) promoveatur, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat, & reddatur inhabilis ne unquam ad tale beneficium ſeu dignitatem amplius eligi & aſſumi poſſit. Quod ſi electus & aſſumptus poſtea fuerit deprehenſus tales donationes, promiſſiones ſeu pactiones feciſſe, talis beneficio ſic occupato privari & de dignitate deponi debet. Simili modo quicunque penſiones non legitimè aſſignatas aut dederint, aut receperint, aut alioqui illicitis modis beneficia aut dignitates occupaverint, pro exceſſuum qualitate puniri, & talibus beneficijs aut dignitatibus privari debent. Quæ ut arctius obſerventur, nullus in poſterum Clericus ad aliquod beneficium ſeu dignitatem admitti debet, niſi prius juraverit quod in ejus adeptione nullam commiſerit ſimoniam, aut illicitam fecerit pactionem.*

De

De ſimonia in beneficio habetur 1. q. 1. fere per totam & Concil. Tolet. VI. c. 3. & c. cum ſemper de confeſſis & toto fere tit. de ſimon. Denique Concil. Trident. ſeſ.24. cap.14. de ref. omnes in re beneficiaria ſimoniacos,pœnis contra ſimoniacos editis à ſacris canonibus, & varijs ſummorum Pontificum conſtitutionibus quas innovat teneri decernit.

6. Can. XCIV. *Clerici aliunde advenientes nec in illis ordinibus quos jactant miniſtrare permittantur, nec ad ulteriores ordines promoveantur, niſi fide digno teſtimonio docuerint ſe eos ordines quos habere ſe aſſeverant, rite & legitime ſuſcepiſſe. Peregrini autem Sacerdotes ad miſſarum celebrationes non admittantur, nec ultra menſem in aliquo Presbyterorum conſortio foveantur, niſi teſtimoniales literas ſuper vita, moribus & receſſu ab eo Epiſcopo à quo receſſerunt, ſimiliter admiſſionis teſtimonium ejus Epiſcopi ad cujus diœceſim ſe contulerunt, oſtendant.*

Vetat Apoſtolorum canon ſine commendatitijs ἄνευ συστατικῶν quemquam extraneum ſive Epiſcopum ſive Presbyterum ſive Diaconum ſuſcipi.can. 32.Huc pertinent Nicæni Concilij ca.5.& Antioc. can.6.& 7.Sardicen. ca.19. Laodicenus ca.41.prohibet Sacerdotibus & quibuſcunque clericis peregre ſine canonicis literis proficiſci. Concilium Carthaginenſe tertium can.28. *Ita ſciſcit, Epiſcopi trans mare non proficiſcantur niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo ſuæ cujuſque provinciæ, ut ab eo præcipue ſumere poſſint formatam.* Similiter decernitur c. fraternitati. de cler. non reſid. *Clericum alterius diœceſis abſque commendatitijs literis ſui Epiſcopi non debes recipere, niſi pro eo receperis ab Apoſtolica ſede mandatum.* Poſtremo Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 16. *Nullus clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui Ordinarij literis, ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda & ſacramenta adminiſtranda admittatur.* Plura ſi lubet require ſuperius ad ſecundum ſæculum in noſtra de formatis ſeu canonicis literis diſſertatione.

7. Can. CI. *Sortilegia quæ ad injuriam ſacræ religionis noſtræ deteſtando malorum dæmonum commercio exercentur omnibus Chriſtianis prohibenda; in clericis vero omni pœnarum acerbitate coercenda cenſemus: proinde clericum ſortilegum protinus ab omni functione Eccleſiaſtica & ordine removendum, & excommunicationis ſententiâ cenſemus alligandum: à qua niſi in articulo mortis à nemine quam à ſuo diœceſano, aut à ſummo Pontifice, ſeu Legato ejus ad id poteſtatem habente abſolui debet. Et ſi incorrigibilis eſſe perſpexerit, ad monaſterium arctum pro agenda pœnitentia detrudatur, aut prorſus abjiciatur. Laici vero ab hac arte execrabili publicatione bonorum ſuorum aut pervicacia eorum exigente perpetua captivitate, aut graviore etiam animadverſione coërceri debent.*

Illud verbum *prorſus abjiciatur*, hoc loco degradationem ſignificat. De qua pœna intelligi quoque debet canon Laodicenus 36. quo jubentur Sacerdotes & quilibet clerici magi & incantatores & amuletorum τῶν φυλακτηρίων opifices ab Eccleſia projici ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας. Cum enim canon iſte Moguntinus ſupra pœnam ſuſpenſionis privationis & excommunicationis quam pronunciarat, adjungat aliquid gravius ſi reus in contumacia perſiſtat, iſta gravior pœna debet eſſe à prioribus jam declaratis diſtincta. Nec vero tantummodo in clericos magos, ſed etiam in eos qui magos ipſos conſuluerunt depoſitionis & in monaſterium ad pœnitentiam delicti condemnationis pœnam ingerit Concilium Toletanum IV. can.28. citatus in decreto Gratiani c. ſi quis Epiſcopus. 26. q. 5.

## *CONCILIVM TREVERENSE anni 1549.*

1. ANNO 1549. ſedente ad clavum Apoſtolicæ Eccleſiæ Paulo III. Ioannes Treverorum Archiepiſcopus & Princeps Germanici Imperij Elector Synodum hanc provincialem celebravit. In hac in primis jactum eſt ſtabile ac inconcuſſum fundamentum Chriſti oraculo confirmatum & conſtitutum ſupra firmiſſimam petram, quando Petro Apoſtolorum apici & Coryphæo traditis regni cœleſtis clavibus ſuam Eccleſiam ædificavit,adverſus quam portæ inferi,falſa ſcilicet dogmata, nunquam eſſent prævalitura, Romanæ ſcilicet Cathedræ fides quam Petrus & Paulus ſanguine ſuo conſecrarunt, & per traditionem nunquam intermiſſam, nec unquam juxta Chriſti ſtabilem promiſſionem intermittendam ad nos tranſmiſerunt,atteſtante autore & fidei Eccleſiæ conſummatore Chriſto Ieſu ſe cum eadem Eccleſia indivulſe permanſurum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

2. Inde progreditur ſacra Synodus ad commendandam in verbi divini & ſacramentorum miniſterio neceſſariam miſſionem, quâ notâ omnes hæreſes deſtituuntur & ab orthodoxa Eccleſia certiſſime diſcernuntur adeo, ut nec ipſe ſponſus & fundator Eccleſiæ prædicaverit niſi accepta ab æterno patre miſſione, quam innumeris ſignis ac miraculis & veterum prophetarum oraculis, ac perſpicuis prædictionibus quaſi ſigillis confirmavit. In cujus perſona ſic loquitur Iſaias cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, ad Evangelizandum pauperibus miſit me.* Quod vero ſpectat ad ſacramentorum diſpenſationem cæteraque Pontificia, non ſine miſſione Chriſtus eadem præſtitit, ut præclare Paulus atteſtatur Hebr.5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum filius meus es tu, ego hodie genui te: quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Itemque Apoſtolus Rom. 10. per pulcherrimam gradationem ſalutis noſtræ ſummam ad miſſionem prædicantium reducit dicens: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* At vero hæreticis omnibus



Digitized

iſtud commune eſt cum falſis prophetis quod expoſtulat Deus Jeremiæ 23. n. 21. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant, non loquebar ad eos & ipſi prophetabant.* Quamobrem ſtatuit hæc Synodus. *Proinde nos Evangelicæ & Apoſtolicæ regulæ innitentes ſtatuimus & præcipimus ne quiſquam poſthac etiam quamcunque religionem profeſſus, publicè prædicare præſumat niſi ab Epiſcopo ordinario, vel ejus Vicario admiſſus fuerit. Et ſi quis etiam religioſus Apoſtolicæ ſedis privilegio nitatur, tenebitur nobis aut Vicarijs noſtris de hoc fidem legitimam facere. Laicis vero prorſus interdicimus ne prædicandi officium uſurpent, aut occulta conventicula faciant. Omnes vero & ſingulos, aliter quam præmiſſum eſt, publice vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumentes, præſentis ſtatuti rigore excommunicationis vinculo innodamus, & excommunicatos declarari publice mandamus: & niſi reſipuerint, aliàs competenti pœna à nobis aut noſtris ſuffraganeis vel locorum ordinarijs plectendi ſunt.*

3. Can. V. Deus etſi ſpiritus ſit, non tamen internis tantum effectib. fidei ſpei & charitatis, verum etiam externis actibus colendus & adorandus eſt ut cor & caro exultent in Deum vivum. Eſt enim externus cultus ſignum ac manifeſtatio quædam cultus interni. Qualis eſt laus communis & orationes publicæ quæ per Eccleſiæ miniſtros, ex perſona totius populi fidelis Deo offeruntur, quo alij quoque (quatenus per ipſorum occupationes licet) ad laudes Dei & gratiarum actiones excitentur. Neque enim Eccleſiaſticæ melodiæ ſua deeſt energia. Id quod Auguſtinus teſtatur referens Ambroſium Mediolani canticum inſtituiſſe Eccleſiaſticum, ſecundum morem Eccleſiarum Orientalium lib. 8. confeſſionum cap. 7. Eumque cultum celebrari cœptum, magno ſtudio fratrum Hymnos & Pſalmos Canentium, quem etiam cæteræ Eccleſiæ imitatæ ſunt: ſed & ipſe Auguſtinus quantum Eccleſiaſticis fuerit cantibus affectus his verbis teſtatur cap. 6. Quantum flevi Domine in Hymnis & canticis tuis, ſuaveſonantis Eccleſiæ vocibus acriter commotus? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ & mihi bene erat cum illis. Et rurſus: Cum reminiſcor inquit lacrymas quas in primordio fidei meæ fudi ad cantus Eccleſiæ, & nunc quoque commoveor non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & convenientiſſima modulatione, magnam hujus inſtituti utilitatem rurſum agnoſco, magiſque adducor conſuetudinem approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Hæc cum ita ſe habeant hortamur omnes & ſingulos clericos, ut omnes pariter convenienti modulatione, conſona denique voce debitum Deo cultum nocturnum & divinum devote & religioſe exhibeant & exequantur eo modo, his ritibus & ceremonijs quibus hactenus uſa eſt Eccleſia, & ut à ſanctis patribus eſt traditus, atque à majoribus noſtris obſervatus.

4. Can. VI. Quicunque tempore quo divina officia peraguntur, ſpatiari in Eccleſia vel circa eam deambulare, ſimul & otioſis fabulis vacare comperti fuerint, tanquam abſentes pro die illo habeantur. Et ſi ſemel admoniti non deſtiterint, ſed pertinaces fuerint, graviorem ſubeant pœnam arbitrio Prælatorum, aut vices eorum gerentium, infligendam. Quos & ipſos hortamur, imo eis diſtricte injungimus, præſertim in Metropolitana Eccleſia noſtra Treverenſi, & in Cathedralibus ſuffraganeorum noſtrorum tanquam inſignioribus & frequentioribus Eccleſijs, ut nulla ratione patiantur divina officia quorumcunque colloquiorum, confabulationum, deambulationum, aut canum, avium, morionum, & ſimilium ſtrepitu, garritu & latratu, ſive à laicis perturbari aut irreverentiâ affici. Sed nec ipſi Prælati, quorum maxime intereſt removere ſcandala, atque ea quæ verbis imperant facto & exemplo confirmare, in ijs ſeſe culpabiles reddant, neque in correctione ſubditorum negligentes ſe exhibeant; & quod nullus in peccatis excuſationi locus relinquatur, præſentis decreti tenore in irritum revocamus & annihilamus omnia ſtatuta, ordinationes, conſuetudines & privilegia exemptionum quibuſcunque Eccleſijs, militijs, hoſpitalibus, locis, & Monaſterijs quorumcunque ordinum, quacunque autoritate & qualitercumque conceſſa, quæ reformationi prædictorum abuſuum, & correctioni perverſorum morum adverſantur, aut in mora ſunt ut contra perſonas, & loca prædictarum Eccleſiarum, ordinum, domorum, militiarum, hoſpitalium, Monaſteriorum, ſine omni exceptione ad correctionem ſive emendationem procedi non poſſit aut valeat. Cujus executio in caſu negligentiæ à Capitulis ad Prælatos, & Prælatorum negligentia intercedente, ad officiales vel Vicarios locorum, aut eorum ſuperiores devolvatur.

5. Can. XI. Religioſos varij nominis & regulæ, ſimul & pia loca, ſancta Romana Eccleſia benigno favore ſemper proſequuta, ſpecialibus gratijs, privilegijs, immunitatibus, & exemptionibus decoravit: ea omnia nos per noſtram Diœceſim, & provinciam noſtram Treverenſem nullatenus imminuere, ſed magis illibata conſervare, & quatenus aliorum jure ſalvo poſſumus augere & extendere in votis habemus & intendimus. Sed ita ne ſub ovina pelle gregem dominicum truculentia lupi rapacis invadat, & ſub pietatis imagine virus hæreticæ pravitatis obrepat, & ſub prætextu converſationis Evangelicæ ſpiritus malignus illudat. Cujus rei gratiâ (prærerſingulorum ordinum ab Eccleſia receptorum conſtitutiones regulares quas tanquam ſalutares ab omnibus & ſingulis, prout illos reſpective concernunt, obſervari mandamus) varij canones editi ſunt, à quibus (quod dolenter referimus) ſi non ab omnibus neque in omnibus, à pleriſque tamen & multis declinatur, non ſolum in propriæ ſalutis diſcrimen, ſed & in religionis opprobrium, & plurimorum fidelium ſcandalum, ſed & in illius cui ſuam integritatem ſpontanea voluntate devoverunt, gravem offenſam. Quapropter quæ in ijs ab Eccleſia & prædeceſſoribus noſtris ſancte & canonicè ſtatuta ſunt, ut inviolabiliter obſerventur, ſerio mandamus & præcipimus.

6. Et inter cæteros abuſus reformandos curent Prælati, Abbates, Priores, Guardiani, ſimul & Monaſteriorum viſitatores, & alij quocunque titulo nominentur, ne aliquis ante decimum quintum annum ad probationis annum admittatur. Item ne quis probationis anno non completo ad profeſſionem recipiatur. Item receptis ſic præceptores idonei deputentur, qui eos in regulari obſervantia & divinis officijs, non minus quam in literis, & econverſo inſtituant & forment. Ad

ſacros

ſacros Ordines ſuſcipiendos non niſi ætate, & ſcientiâ ſufficientes præſentent. Item idonei ad juſſum ſuperioris ſui, excuſatione legitima ceſſante ſe faciant promoveri. Quoque gratis ſinguli ad profeſſionem recipiantur, nullo accepto pretio neque aliqua facta conventione, & ne hæc ſub paupertatis prætextu pallientur diſtrictè inhibemus.

7. Non patiantur Abbates, Priores, Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ ut ſuorum Monaſteriorum Monachi aut Moniales, honeſtatis habenis & Monachali modeſtia laxatis, impudenter ſe ſæcularibus negotijs involvant, aut extra Monaſteriorum ſepta deambulent, vagentur, & diſcurrant, & ſi qua inevitabilis neceſſitas intercedat, quod tunc nullus egrediatur niſi honeſta ſubſit cauſa. Et tunc non niſi de expreſſa licentia ſuperioris, & cum habitu decenti, & honeſto ſocio. Cæteris canonibus de veſtitu, cibo, peculio, officio, capitulis, viſitatoribus, & correctione Monachorum promulgatis, in ſuo robore permanentibus, volumus ut omnes Abbates, Priores ac Superiores regulares diligenter tales obſervare procurent, quod eis diſtrictè præcipiendo injungimus.

8. Moniales vero quarum ſexus fragilior eſt, nulla ratione vel cauſa, niſi tanta & talis ſit, quod omnino notoriè excuſet, Monaſteria ſua egredi facultatem non habeant: ſed & tunc non niſi cum honeſto & decenti habitu, & ſociatæ egrediantur; idque de expreſſa licentia Epiſcopi, Abbatis, Viſitatoris, aut ab ijs poteſtatem habentis, quam patri confeſſori pro tempore exiſtenti concedi prohibemus.

9. Nulli prorſus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ, niſi rationabilis & manifeſta cauſa ſubſit, ac tunc ſpeciali licentiâ illius, ad quem ſpectat conceſſio, petitâ & obtentâ, acceſſus vel ingreſſus ad Moniales pateat. Et quæ de clauſura in regularibus ordinum conſtitutionibus mandantur, omnino & illibate teneantur & obſerventur: ut ſic à publicis & mundanis conſpectibus ſeparatæ ſervire Deo liberius valeant, & ſublata laſciviendi opportunitate, corda & corpora ſua in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire poſſint. Prohibemus inſuper diſtrictè ne Moniales ordinem aliquem profeſſæ, confeſſarium habeant alium quam ejuſdem ordinis & regulæ. Religioſi omnium ordinum ut ſiniſtræ ſuſpicionis etiam tollatur occaſio, quaſcunque mulieres & religioſas & ſervientes Deo, in ambitum ſeu periodum Monaſterij recipere, aut introducere nullatenus præſumant.

10. Religioſi convivia ſæcularium non frequentent, ſed nec facile illos ad cœnobia invitent, niſi neceſſitas & honeſtas ad ſuperiorum dictamen id ſuadeant. Religioſi menſam non nimium lautam aut ſumptuoſam, neque delicijs ad luxum exquiſitis redundantem habeant: quam à benedictione auſpicari, ſacræ lectionis paſtu fovere, hymno & gratiarum actione abſolvere convenit. Interim à longo accubitu, comeſſationibus fœdis, compotandi ſtudio, à crapula & ebrietate omnino abſtineant.

11. Religioſi ut omnibus bono exemplo, nullis vero quantum in ipſis erit, offendiculo ſint, honeſto prædeceſſorum ſuorum more, non nudis byrrhis aut pileis, ſed capitibus cucullo tectis, in publico incedant. Et nullatenus ad balnea promiſcua, aut alia loca publica intrent; ſed nec ad nuptias, aut nuptiarum convivia vadant; neque pueros de ſacro Baptiſmatis fonte per ſe vel ſuffectas perſonas ſuſcipere præſumant.

12. Inſuper ſtatuimus, imo Patrum antiquorum canones renovando mandamus quod nullus Monachorum pro lucro terreno de Monaſterio ſuo exire, nefandiſſimo auſu aut ſæcularibus negotijs ſeſe immiſcere præſumat. Itaque religioſos à curtibus Monaſteriorum ſuorum ad Monaſteria revocari, & curtes per fideles laicos ſeu præbendarios adminiſtrari jubemus. Inſuper mendicantium ordinum Prælati omnino provideant ne poſthac terminarij eleemoſynarum partem quovis modo ſibi vendicent, ſed eas colligentes cum honeſtate morum, Dei habito timore, omni ſcandalo ſemoto, integram ad conventum & in commune conferre & præſentare, ad evitandam proprietatis notam ſtudeant.

13. Can. XII. Præterea inhibemus hac noſtra Synodali conſtitutione ne quis aliquam religionem profeſſus, Eccleſiarum Parochialium gubernacula & curam ſuſcipiat, niſi de noſtra vel Ordinariorum admiſſione, ſubſiſtente cauſa legitima, & Superiorum ſuorum voluntate & licentia obtenta: ita tamen quod per ſuos Superiores revocari poſſint, ac revocati humiliter obedire teneantur. Et ſi qui hactenus aliter admiſſi ſunt vel aſſumpti, volumus & jubemus per officiales noſtros in civitate ac Diœceſi Treverenſi & per Suffraganeos noſtros eorumdemque Vicarios per totam Provinciam Treverenſem ad Superiores illorum remitti, ut dignas dent temeritatis ſuæ pœnas. Eccleſias vero Monaſterijs unitas vel incorporatas, ſi non tanta intercapedine diſtant, quin religioſi earumdem curam habituri in communis vitæ regulari obſervantia & obedientia degere poſſint, per hujuſmodi religioſos provideri & regi, modo idonei ſint, permittimus. Si vero Vicarios alios ſive in propinquis ſive in diſtantibus Parochijs, perpetuos vel amobiles pro arbitrio ſuo conſtituere velint, hæc non præſumant, niſi per nos noſtros Suffraganeos & Officiales noſtros & Vicarios tanquam habiles & idonei, reperti & admiſſi fuerint. De caſibus vero nobis reſervatis hoc ſtatuimus, ne quis eorum deciſionem ſibi arroget, niſi à nobis ſpecialiter ſibi commiſſum fuerit. Sciendum eſt quatenus Ordinariorum poteſtas & juriſdictio in exemptos regulares protendatur & quibus finibus per horum privilegia circumſcribatur, ne ſcilicet Epiſcopi eorumve generales Vicarij pluſquam ſibi jure licet aggrediantur, neve ex oppoſito ſuo deſint corrigendi officio in ijs quæ ſuæ ſunt poteſtatis. Certum eſt in primis non tantum poſſe verumetiam ex officio debere regularium Eccleſias viſitare, atque ſuper his decernere, atque ordinare quæcunque reparatione, atque reformatione indigent ſi Eccleſiæ ſint Parochiales. Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 7. de refor. Imò etiam generaliter poſſe quaſcunque Eccleſias quæ ſunt intra Diœceſim quomodolibet exemptas tametſi non Parochiales ſingulis annis viſitare & quæ in eis reparatione indigent juridicè ordinare appellationibus, privilegijs, conſuetudinibus & inhibitionibus penitus excluſis. Ibid. cap. 8. Poſſunt Ordinarij tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati corrigere & punire regularium delicta extra Monaſterium commiſſa ſeſſ. 6. c. 3. de refor. Et poteſt interdicere prædicationem cuicunque regulari, qui etiamſi in propria vel aliena exempta Eccleſia errores aut ſcandala diſſeminaverit in populum.

Quod

Quod ſi hæreſes prædicaverit poteſt Epiſcopus eadem autoritate contra ipſum ut in cauſa criminis procedere, etiamſi prædicator generali vel ſpeciali privilegio ſe prætendat exemptum, ſeſſ. 5. §. ſi vero, Regulares exempti præter licentiam à proprio regulari Prælato obtentam debent ſe perſonaliter coram Epiſcopo præſentare, & ab eo benedictionem petere tenentur antequam prædicare incipiant. In Eccleſijs vero quæ ſuorum ordinum non ſunt ultra licentiam ſuorum Superiorum, tenentur Epiſcopi quoque petere licentiam, ſine qua ipſi in Eccleſijs non ſuorum ordinum nullo modo prædicare poſſunt. Ibid. §. ſi quæ vero. Regulares exempti in ſpectantibus clauſuram ſibi ſubjectarum Monialium ſubjiciuntur Epiſcoporum autoritati, tam ex diſpoſitione veteris juris communis c. periculoſo, de ſtatu regular. in 6. quàm ex præſcripto Concilij Tridentini ſeſſ. 25. de regular. c. 5. Quibus Bulla Gregorij XV. incipiens: Inſcrutabili, adjungit exemptos tam ſæculares quam regulares ſi deliquerint contra clauſuram aut circa perſonas intra ſepta clauſuræ degentes, vel circa bonorum Monaſterij adminiſtrationem, ab Epiſcopo loci tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato puniri poſſe. Edictum etiam Caroli IX. Januarij menſis anni 1564. ſubmittit etiam Epiſcopali juriſdictioni Monialium clauſuram, ut ejus obſervationi provideant per cenſuras Eccleſiaſticas, invocato etiam ubi opus erit brachij ſæcularis auxilio nulla obſtante quacunque appellatione. Edicitque ne ulla Monialis profeſſa egrediatur clauſtro, neve ulla perſona externa illud ingrediatur, niſi de licentia & approbatione Epiſcopi. Sunt & alia plura ſcitu digna circa Ordinariorum erga exemptos regulares poteſtatem enumerata in præfata Gregorij XV. Bulla, ſed longè plura fuſius à nobis pertractata in noſtro opere de theoria & praxi Canonici juris lib. 1. cap. 10. & 11. præſertim circa dependentiam regularium ab Ordinarijs in materia confeſſionum perſonarum ſæcularium, & ordinationes per loci Epiſcopum, aut hujus in ſcriptis permiſſionem. Qua etiam de re decernitur à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 15. & ſeſſ. 25. cap. 11. de regular.

14. Can. XIX. Præſcribitur canone iſto lex de vita & honeſtate Clericorum, ut ſe irreprehenſibiles præſtent ad Eccleſiæ cujus miniſtri ſunt ornatum & ædificationem, ſintque non ſolum à gravibus criminibus ſimoniâ, concubinatu, ſortilegio, crapulâ & ebrietate, atque uſuris prorſus alieni, ſed virtutibus quas eis Canones ſacri & generalia Concilia illis præſcribunt effulgere ſtudeant. Sacroſanctum Tridentinum Concilium ſeſſ. 22. cap. 1. de refor. *Sic decet* (inquit) *omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam moreſque ſuos omnes componere ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religioſum præ ſe ferant. Levia etiam delicta quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* (Et paucis interjectis ſic proſequitur) *ſtatuit ſancta Synodus ut quæ aliàs à Summis Pontificibus & à ſacris Concilijs de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcunque criminibus, necnon ſecularibus negotijs fugiendis copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem impoſterum iiſdem pœnis vel majoribus, arbitrio Ordinarij imponendis obſerventur: nec appellatio executionem hanc quæ ad morum correctionem pertinet ſuſpendat.* De habitu quæ prima res eſt quam Tridentini Patres iſto decreto commemorant, quippe quæ ſe primum in aſpectum offert, primumque exhibet protinus morum indicium, de quo Aquiſgranenſe Concilium anni 816. tempore Ludovici Pij egregiè admonet can. 124. *Ut humilitatem quam corde geſtant, actu, habitu, inceſſu, ipſa etiam equitatione religioſiſſimè demonſtrent, pluſque velint ſancta converſatione, eximiiſque moribus, quam ornatu veſtium fulgere. Si enim more conjugatorum in ſe ornandis, nitore veſtium phaleriſque equorum, cæteriſque humanæ vanitatis rebus abuſi fuerint, in quo eorum converſatio à laicorum diſtare videbitur? Non enim ſpecialiter præſumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id eſt nec plus juſto cultior veſtis, nec inſolita atque deformis. Quia in utroque illorum, aut elationis, aut certè ſimulationis (id eſt hypocriſis) noxa pateſcet.* De fœdiſſimo autem Clericorum Deo conſecratorum crimine coërcendo, quas conſtituerat pœnas Concilium Baſileenſe ſuo loco ſuperius relatum, quaſque in Concordato Bononienſi approbaverat Concilium Lateranenſe ſub Leone Papa X. renovavit Synodus Tridentina ſeſſ. 25. cap. 14. quod ſuo loco integrum referetur.

## *CONCILIUM TRIDENTINUM generale ac œcumenicum, exorſum anno Chriſti 1545.*

1. QUod labefactatæ violenterque per hæreſes concuſſæ Dei Eccleſiæ, quod dilapſis in deteriora Catholicam fidem profitentium moribus, quod reparandis reipublicæ Chriſtianæ ruinis, & peſſumdatæ ſacræ diſciplinæ inſtaurandæ perneceſſarium erat, quod omnium proborum votis erat optatiſſimum, quod ipſi hoſtes Eccleſiæ impenſè expetere ſe fingebant, nec tamen futurum exiſtimabant, quinetiam abhorrebant & averſabantur, quamvis inſolenter ut id fieret provocarent, felix ille tandem annus obtigit milleſimus quingenteſimus quadrageſimus quintus, fauſtuſque ille dies Iduum Decembris orbi terrarum illuxit, qui celeberrimæ ſimulque ſaluberrimæ Tridentinæ Synodo initium dedit, quam biennio ante Paulus III. Pontifex Maximus ſacro edicto indixerat die undecimo Calendas Junij anno 1542. qui Pontificatus ſui octavus fuit. Prima ſeſſio celebrata eſt die 13. Decembris anno 1545. indictione 3. præſidentibus Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo S. R. E. Cardinalibus. Nomina Prælatorum qui adfuerunt cenſita ſunt, lectaque ad eos admonitio Legatorum Apoſtolicorum. Seſſione II. anno 1546. edita ſunt Concilij præliminaria die Januarij 7. Seſſio III. die 4. Februarij propoſitum confirmatumque eſt fidei Symbolum. Seſſ. deinde IV. die 8. Aprilis promulgatum eſt de Canonicis Scripturis decretum. Seſſione V. die 17. Junij editum eſt de peccato originali decretum & capita quædam de reformatione. Seſſio VI. die 13. Januarij ann. 1547. verſata eſt circa canones de juſtificatione. Seſſione VII. die 3. Martij edita ſunt decreta de Sacramentis in genere, ſpecialiterque de Baptiſmo & de Confirmatione, actumque de transferendo propter

propter ingruentem peſtem Concilio. Inde ſeſſione IX. Patres Bononiæ conſederunt ibique decreta eſt prorogatio quæ iterata eſt ſeſſionib. X. & XI.

2. Sub Julio Papa III. Edita eſt Bulla reſumptionis Concilij Tridentini 18. Calendas Decembris anno 1550. Itemque ejuſdem mandatum ad Legatos Marcellum Cardinalem, Sebaſtianum Pighium Archiepiſcopum Sipontinum, & Aloïſium Lipomanum Epiſcopum Veronenſem, in reductione Concilij apud Tridentum. Seſſione XII. die 1. Septembris anni 1551. decreta eſt prorogatio. Seſſione vero XIII. die 11. Octobris actum eſt decretum de ſanctiſſimo Eucharistiæ ſacramento & expeditus eſt proteſtantibus ſalvus conductus. Seſſio XIV. die 25. Novembris 1551. verſata eſt circa ſacramentum pœnitentiæ primùm; deinde circa ſacramentum Extremæ-Unctionis. In XV. ſeſſione 25. Januarij anni 1552. decreta eſt prorogatio Synodi. & ſeſſ. XV. die 18. Aprilis decreta eſt ejuſdem ſuſpenſio bellorum inſurgentium occaſione.

3. Sub Pio quarto Pontifice Bulla celebrationis Concilij 3. Kalen. Decembris anno 1560. Breve Pij quarti ſuper ordine ſedendi in Concilio non habita ratione dignitatis Primatialis cum declaratione Legatorum ſuper illo decreto. XVII. ſeſſio die 18. Ianuarij an. 1562. in qua emanavit decretum de celebrando Concilio & indictio futuræ ſeſſionis. Seſſio XVIII. die 26. Februarij in qua decretum de librorum delectu, & de omnibus ad Concilium publica fide invitandis, cum ſaluo conductu conceſſo Germanicæ nationi, & ejus extenſione ad alias nationes. In ſeſſione XIX. die 14. Maij decreta eſt Synodi ſacræ prorogatio. Seſſione XX. decreta iterum prorogatio. Seſſione XXI. die 16. Iulij agitata eſt doctrina de communione ſub utraque ſpecie. Seſſione XXII. die 17. Septembris excuſſa eſt doctrina de ſacrificio miſſæ, & decretum ſuper petitione conceſſionis calicis. Seſſione XXIII. die 15. Ianuarij anni 1563. actum eſt de Ordinis ſacramento. Seſſione deinde XXIV. die 11. Novembris ejuſdem anni 1563. tractatum eſt de ſacramento matrimonij. Seſſione XXV. eademque ultima die 3. Decembris ejuſdem anni decretum eſt de purgatorio, de invocatione, veneratione, & reliquijs ſanctorum, & ſactis imaginibus, Item de regularibus & monialibus. In proſequutione ſeſſionis die ſequenti die 4 Decembris decretum fuit de Indulgentijs, de ciborum delectu, de jejunijs, de diebus feſtis, de indice librorum, Catechiſmo, Breviario, & Miſſali, de loco oratorum, de recipiendis & obſervandis decretis Concilij quæ ſub Paulo & Iulio ſtatuta definitaque ſunt, de terminando ſacro Concilio, ejuſque confirmatione à ſummo Pontifice efflagitanda cum acclamationibus patrum in fine Concilij quibus præivit Cardinalis à Lotaringia. Poſtremo edictum confirmationis ſacroſancti Concilij publicatum Romæ 7. Kalendas Februarij anno 1564. Univerſus Clerus Gallicanus in provincialibus quæ paſſim totâ Galliâ poſtea coacta ſunt Concilijs, atque in Generalibus ſacri Cleri Comitijs ſacroſanctæ hujus Synodi decreta ita complexus eſt ut nefas ſit eis refragari.

4. Antonius Filiolus Ganapo oriundus Bojorum oppido tractum illum incolentium qui nunc in Gallia Borbonij vocitantur, fuit inter primos qui ab initio Tridentum conceſſerunt (erat autem Aquiſextienſium Archiepiſcopus) vir Theologiæ rerumque Eccleſiaſticarum peritiſſimus, ideoque ab Apoſtolicis Legatis cæteriſque patribus electus, ut particularibus congregationibus præeſſet in quibus maturo judicio quæſtiones omnes diſcutiebantur ac elucidabantur antequam à plenario Concilio definirentur. Huic debemus multarum deliberationum peritiam ſcriptis ab eodem conſignatam quæ in Archiepiſcopali archivio Aquenſi recondita ſervantur, quorum etiam mentio eſt apud Henricum Spondanum Appamiarum Epiſcopum in ſupplemento ad annales Baronij & apud Cardinalem Palavicinum in hiſtoria quam edidit ampliſſimam iſtius Concilij. Poſt multas ſacræ Synodi remoras ac dilationes Paulus Pontifex ultimam ac peremptoriam aſſignaverat dominicæ tertiæ adventus quæ occurrebat die 13. Decembris anni 1545. Galliarum Rex Franciſcus ad Concilium ſuos deſtinaverat oratores Claudium Duſé Forcſiorum præfectum, Jacobum de Lignerijs in Curia Pariſienſi tertiæ Judicum decuriæ Præſidem, ac Petrum Daneſium Suzennarum propoſitum, Rex tamen admonitus à Gallicanis Tridenti verſantibus Prælatis exiguam eſſe Concilij generalis ſpem illos omnes ſuis literis revocaverat. Quod moleſte ferentes Apoſtolici Legati quaſi eſſet indicium non probari Regi Concilium omnem adhibuere ad illos retinendos conatum. Hic tamen in re perplexa placuit modus ut cæteris Tridenti perſiſtentibus ad uſque ſecundam regiæ voluntatis quam præſtolabantur ſignificationem, ſolus Redonenſis Epiſcopus ad Regem rediret cui fidem faceret res Concilij in meliori ſtatu verſari quam ipſi perſuaſum fuiſſet. Quod ipſum conſilium Regi placuit, reverſuſque Tridentum fuit Redonenſis Antiſtes cum mandatis ad Gallicanos ut Synodum proſequerentur.

5. Idibus itaque Decembris publicatis toto Chriſtiano orbe ſupplicationibus & Iubilæo univerſali, ad opem divini Numinis pro Concilio implorandam; exorſum ipſum fuit à Pontificijs Legatis, unà cum quatuor Archiepiſcopis, & viginti duobus Epiſcopis Pontificali habitu ornatis. Aderant Ordinum regularium Generales, alijque plerique doctores tum ſæculares tum regulares. Cardinalis de Monte primus Legatorum ſolemnem celebravit Miſſam in Cathedrali ſancto Vigilio Tridentinæ civitatis Epiſcopo & Martyri dedicata, ibidemque Cornelius Muſſus ordinis Minorum Bitontinus Epiſcopus eloquentiſſimam è ſuggeſto habuit ad patres Concilij orationem. Deinde mandato Legatorum alta voce lecta eſt exhortatoria ad patres admonitio. Lectæ quoque fuerunt bullæ Pontificiæ præſens Concilium concernentes. Iteratiſque novis ad Deum ſupplicationibus, Cardinalis de Monte percontatus eſt à Patribus placeretne ad laudem & gloriam ſanctæ & individuæ Trinitatis decernere & declarare ſanctum Tridentinum & generale Concilium incipere, inceptumque eſſe? Cumque omnes placere reſpondiſſent. Confeſtim ſubjunxit num ob celebritatem proximam Nativitatis Domini aliaſque feſtivitates labentis & incipientis anni placeret proximam futuram ſeſſionem habendam eſſe die ſeptima Ianuarij anni proxime ſequentis? Reſponderunt ijdem placere. Tunc demum dicto Hymno Te Deum laudamus, omnes ordine receſſerunt.

6. Secunda ſeſſione poſt ſolemnem miſſam & ſermonem



Digitized by Google

ſermonem conſuetaſque preces, lectum eſt de ſuggeſtu decretum de modo vivendi ab omnibus ſingulis Concilij patribus quandiu ipſum duraret obſervando, quotidiana ſcilicet Miſſæ auditione, ſacramentorum frequentiâ, miſſa ab ijs qui Presbyterij conſecratione inſigniti eſſent, quolibet ſaltem die dominico celebranda, de jejunij ſingulis ſextis ferijs obſervatione, de eleemoſynarum erogatione, de quotidianis precibus ad Deum dirigendis pro pace, Principum & Eccleſiæ unitate, de præſtandis frugalis vitæ, in verbis & omni actu, & modeſtia morum, laudabilibus exemplis, & ut in refectionibus ſuis ſcripturarum lectionem admiſcerent. Prætereaque ut in ipſa Synodo ac ſententijs dicendis nemo immodeſtis vocibus perſtreperet, aut vanis & obſtinatis diſceptationibus contenderet, ſed ſinguli modeſte atque pacifice ſua ſenſa proferrent. Cautum denique fuit ſi forte contingeret aliquos debito loco non ſedere, aut ſententiam non ſuo ordine dicere, nulli propterea præjudicium inde naſci, aut novum jus acquiri.

7. Quæ ſequutæ ſunt ſeſſiones quotidianis adventantium Prælatorem acceſſionibus augebantur. Seſſione III. juxta veterum Conciliorum ritum propoſitum fuit fidei ſymbolum quale in miſſis concini ſolet. Seſſione IV. editum fuit decretum de canonicis ſcripturis quarum eſt attextus index utriuſque teſtamenti: prolatum anathema fuit in eos qui aut aliquem ex his libris aut eorum aliquam partem de ſacro canone demerent. Definitumque eſt ſacras traditiones tum ad fidem tum ad mores pertinentes continua ſucceſſione ab Eccleſia receptas, tanquam à Spiritu ſancto inſpiratas & dictatas pari cultu cum ſcripturis divinis eſſe obſervandas atque tenendas, ſub eadem anathematis pœna. Verſioni autem vulgatæ Latinæ autoritas eſt conciliata quam nemini liceat infringere. Earumque ſenſum & intelligentiam ab ipſamet Eccleſia ſanctiſque Eccleſiæ patribus eſſe ſumendam: Atteſtante Apoſtolo Petro 2. epiſ. cap. 1. *Quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit.* Qui & idem cap. 3. aſſeverat in epiſtolis Pauli *eſſe quædam difficilia intellectu quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem*: Cum igitur triplex ſit circa divinas ſcripturas error: Primus quidem excludentium à ſacro canone libros quoſdam. Secundus vero eorum qui librorum etiam, quos ipſimet recipiunt, partes aliquot tamen ut ſpurias & addititias rejiciunt: cui duplici medetur errori index & canon ſacrorum voluminum, una cum partibus quibuſdam quæ tametſi in hebræis voluminibus qualia nunc ſuperſunt, non reperiantur, habentur nihilominus Græcè in tranſlatione Theodotionis, & Latinè in vulgata editione. Tertio demum errori quo falſus & commentitius verbo Dei ſcripto ſenſus affigitur, efficax antidotum adhibetur adverſus omnes hæreſes, quibus iſtud commune eſt, ut per adulterinas expoſitiones ſacris abutantur ſcripturis, iſto Concilij decreto: *Præterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram ſcripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſcripturarum ſanctarum; aut etiam contra unanimem conſenſum patrum ſcripturam interpretari audeat.* Huc ſpectat ſaluberrimum divi Auguſtini monitum contra epiſtolam Fundamenti Manichæi cap 5. *Si ad Evangelium te tenes, ego ad eos me teneam quibus præcipientibus Evangelio credidi; & his jubentibus tibi omnino non credam.* Dixeratque paulo ſuperius: *Ego vero Evangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret autoritas.* Quibus illud plane concluditur, ex eadem Eccleſiæ autoritate hauriendam eſſe ſcripturarum intelligentiam & ſenſum ex qua ipſas accepimus ſcripturas.

8. Seſſione V. cap. 1. de refor. Statuitur, *ut Epiſcopi aliique paſtores animarum ſacram ſcripturam per ſeipſos in ſuis Eccleſiis interpretentur ac exponant, ſi fuerint idonei: ſin minus, per idoneum ſubſtitutum cum debitis ſtipendijs proviſum ac præbendatum. In Eccleſiis autem tenues proventus habentibus, provideatur ſaltem ex conſilio Epiſcopi & Capituli magiſter qui pauperes & quoſcunque clericos illiteratos gratis grammaticam doceat. In monaſterijs quoque in quibus commode fieri queat, lectio habeatur ſacræ ſcripturæ. Qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, illos opportunis remedijs compellant Epiſcopi tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati.*

Idem jus circa præceptorias præbendas conſtituerat pridem Lateranenſe ſub Alexandro III. Concilium can. 18. de Theologo autem qui ſacras literas exponat, poſterius alterum Lateranenſe ſub Innocentio III. can. II. Eôdem ſpectant Gallicana Caroli IX Edicta in Comitijs Aurelianenſibus cap. 1. art. 8. & 9. Itemque Henrici III. in Bleſenſibus regni comitijs art. 33.

9. Eadem ſeſſ. V. cap. 2. decernitur, *Verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum Epiſcoporum munus.* Sanctus Gregorius Nazianzenus hoc ipſum confirmat dicens ſerm. 1. αὐτὴν τοῦ λόγου διανομὴν λόγω τὸ πρώτιστον τῶν ἡμετέρων. Ipſam verbi diſtributionem aſſero primum eſſe noſtrûm officium. Ibidemque ſic proſequitur Tridentinum decretum: *Archipresbyteri, plebani quoque & quicumque parochiales vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias, per ſe vel per alios homines idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & gloriam æternam conſequi valeant.* Additque ſubinde: *Si ab Epiſcopo præmoniti hanc nihilominus functionem abjecerint, poſſe Epiſcopum ex beneficij parochialis fructibus, alteri qui munus hoc præſtet honeſta ſtipendia aſſignare.*

Ibidem pariter ſancit *Regulares in Eccleſijs quæ ordinis ſui non ſunt non poſſe ſine Ordinariorum licentia prædicare. Si vero contingeret ſæculares aut regulares diſſeminare errores aut ſcandala in populum, etiamſi in Eccleſijs ſuis vel aliorum ordinum prædicarent, debere illis omnibus prædicationem per Epiſcopum interdici. Quod ſi*

Digitized by Google

*ſi quantumlibet exemptus hæreſes prædicaverit, debere Epiſcopum tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatum adverſus eum ſecundum juris diſpoſitionem procedere.*

10. Seſſionem iſtam V. auſpicati ſunt patres quinque decretis fidei de peccato originali cum totidem anathematiſmis. Ad quorum finem declarant, *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto de propagatione originalis peccati beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Xyſti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis quas innovat.*

11. His omnibus peractis lectæ ſunt literæ Franciſci Regis Chriſtianiſſimi quibus Petrum Daneſium Vaurenſem Epiſcopum ſuum ad Concilium oratorem conſtituebat. Fuerat hic primus in Academia Pariſienſi linguæ Græcæ profeſſor, deinde Delphini Franciæ præceptor, cujus extat oratio copioſa & facunda in quinta iſta ſeſſione pronunciata in laudem regni Galliarum ejuſque Regum, atque Eccleſiæ Gallicanæ commemorans continuam ac perpetuo vigentem Catholicam Regum fidem, & quanta pro illius propagatione, pro Romanorum Pontificum protectione, atque in ſuam ſedem reſtitutione, & Eccleſiæ Romanæ locupletatione atque amplificatione præſtiterint: & quanto ſtudio Franciſcus Rex laboraverit in conſervanda illibata Catholica fide, in ſectandis hæreticis, & promovendo ſacro Concilio cujus decretis ſua ope ac patrocinio adfuturus eſſet. Cæterum de hoc Daneſio narrat Genebrardus in ejus à ſe pronunciata funebri oratione: cum poſt hæc in eodem Concilio quidam ex doctoribus Gallicanis qui aderant declamaret contra rerum beneficialium abuſus tunc in Romana curia vigentes, aliuſque curiæ illius officialis cui ſermo diſplicebat aſſidentibus dixiſſet Gallum cantare, reſpondiſſe confeſtim Daneſium: *Vtinam iſto Gallicinio Petrus ad reſipiſcentiam & fletum excitetur.*

12. Seſſio VI. Decretum de juſtificatione ab ipſo limine continet ſic definiens cap. 3. *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen beneficium mortis eius recipiunt, ſed ij duntaxat quibus meritum paſſionis eius communicatur. Nam ſicut reverà homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione per ipſum dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant: ita niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarentur, cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis eius, gratia quâ iuſti fiunt illis tribuatur.* Quemadmodum vero adulti per gratiam Salvatoris juſtificentur ita docet cap. 5. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe. Hoc eſt ab eius vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata averſi erant à Deo, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam, ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo & cooperando diſponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui poteſt illam & abjicere; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit. Vnde in ſacris literis cum dicitur Zachariæ 4. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus: Converte nos Domine ad te & convertemur Thren. 5. Dei nos gratia præveniri confitemur.* Remque plenius dilucidans ſubjungit cap. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam dum excitati divinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ iuſtitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam miſericordiam Dei, ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore: illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam quam ante baptiſmum agi oportet.*

En igitur ſeriem & ordinem quo peccator ad juſtificationem ſecundum ſacroſanctum Concilium diſponitur. Auſpicatur ac præcedit gratia excitans, ſequitur actus fidei, timor pœnæ ex divina juſtitia, actus ſpei, initium amoris adhuc imperfecti, odium ac deteſtatio peccati. Quæ tandem omnia perficiuntur per ſuſceptionem juſtificantis ſacramenti quod eſt cauſa gratiæ inſtrumentalis, efficiens autem Deus ipſe, meritoria demum Chriſtus. Cauſa porro formalis ipſa Dei iuſtitia non qua ipſe iuſtus eſt (quod eſt delirium Luteri & Calvini) ſed qua nos ille juſtos facit, ut egregie proſequitur docet ac definit inſequens caput VII.

Ejuſdem ſeſſionis cap. XI. ſic proſequitur ac decernit: *Nemo autem quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa & à patribus ſub anathema prohibita voce uti audeat: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuvat ut poſſis. Cuius mandata gravia non ſunt, cuius iugum ſuave eſt & onus leve. Qui enim filij Dei ſunt Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum ut ipſe teſtatur ſervant ſermones eius; quod utique cum illo divino auxilio præſtare poſſunt.*



Digitized by Google

Deſumpta ſunt iſta ex Auguſtino lib. de natura & gra. cap. 34. & ex Concilio Arauſicano ſecundo cap. 25.

Sequuntur canones circa juſtificationis fidem ex quibus hos qui ſequuntur ſelegimus.

Can. III. *Si quis dixerit ſine præveniente ſpiritus ſancti inſpiratione, atque adjutorio hominem credere ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Can. IV. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet: neque poſſe diſſentire ſi velit; ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Can. VIII. *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.*

Can. XVI. *Si quis dixerit magnum illud perſeverantiæ donum uſque ad finem ſe certo habiturum abſoluta & infallibili certitudine, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.*

Can. XVIII. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe impoſſibilia, anathema ſit.*

Can. *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Can. XXXI. *Si quis dixerit juſtificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.*

13. Ejuſdem ſextæ ſeſſionis de refor. cap. 1. aſtringit ad reſidentiam Epiſcopos; eoſque ſi per ſex continuos menſes (legitimis ceſſantibus impedimentis ſeu juſtis ac rationabilibus cauſis) à ſuis Eccleſijs abfuerint, quarta fructuum unius anni parte, Eccleſiæ aut pauperibus loci applicandâ mulctat. Hoc tamen ipſum Concilium poſtmodum ſeſſ. 24. cap. 1. hanc obligationem & pœnam adauget: *Vt qui ad ſummum tres menſes in uno anno, ſine legitima & valde urgente cauſa, ſive continuos ſive interpolatos, Epiſcopus etiam Cardinalis, non reſederit in ſua diœceſi, præter peccati mortalis reatum quo aſtringitur, nullatenus poſſit fructus ſuos pro rata abſentiæ ſuæ facere; ſed teneatur eos fabricæ Eccleſiarum aut pauperibus loci erogare.*

14. Ejuſdem ſeſſionis VI cap. 3. hoc ſtatuitur. *Regulares ordinum quantumvis exemptorum aut privilegiatorum extra monaſterium degentes, ſi deliquerint, à locorum Ordinarijs, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis, viſitari, inquiri, corrigi, & puniri debent.*

Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio quarto allegatum c. volentes, de privileg. in 6. ſubjicit regulares ratione delicti extra clauſtra commiſſi juriſdictioni Ordinariorum loci. Præterea ſtatuitur c. quanto de offic. ordin. ut Ordinarius ſuppleat per ſe Abbatis negligentiam erga vagos & errabundos monachos. Quod idem confirmatur Gallicano jure in Comitijs Aurelianenſibus ſub Carolo Rege IX. art. XI. Iſtudque ipſum Tridentinum Concilium ſeſſ. 21. cap. 8. ſancit: *Vt quando exemptorum regularium prælati ſuo deſint officio circa ipſorum correctionem, ſi admoniti intra ſex menſes non correxerint monachos ſubditos, tunc Epiſcopi ut ſedis Apoſtolicæ delegati corrigere & viſitare poſſint, prout poſſent eorum Prælati regulares, juxta eorum inſtituta; non obſtantibus quibuſcumque appellationibus, ac exceptionibus remotis.* His apprime quadrat Synodi Chalcedonenſis Canon IV. & Trullanæ Canon XLII.

Cap. IV. Ejuſdem ſeſſionis VI. *Capitula Cathedralium & aliarum majorum Eccleſiarum, illorumque perſonæ nullis exemptionibus, conſuetudinibus, ſententijs, juramentis, concordijs, quæ tantum ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint, quominus à ſuis Epiſcopis, & alijs majoribus Prælatis, per ſeipſos ſolos, vel illis quibus videbitur adjunctis, juxta canonicas ſanctiones, toties quoties opus fuerit, viſitari, corrigi, emendari, etiam auctoritate Apoſtolica poſſint & valeant.*

Qua occaſione viſum eſt hic ſubjicere tit.

*Collectanea de poteſtate Epiſcoporum.*

15. Sacrum Concilium Tridentinum è republica Chriſtiana tanti eſſe duxit illam quam Chriſtus Dominus noſter ad regimen Eccleſiæ ſuæ Epiſcopis contulit poteſtatem, integram illibatamque ſervari, ut prædictæ ſeſſionis VI. cap. IV. omnes ceſſare voluerit diminutiones quæ vel temporum præſcriptionibus vel anterioribus judicijs, aut tranſactionibus fuerint introductæ, ne per ejuſmodi prætextus & evaſiones licentia delictorum augeretur & ſcandala impunitate creſcerent aut foverentur. Eademque ſacroſancta Synodus hæc enunciaverit ſeſſ. XXIV. de refor. cap. XI. *Privilegia & exemptiones quæ varijs titulis pleriſque conceduntur, hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur.* Sic enim Hierarchicus perturbatur ordo, inferiores ſuperioribus ſuis inſultant, eorumque regimini ſubeſſe detrectant, atque deformis anarchia intra Eccleſiam introducitur. Ad ſanctuarij pondus expendenda ſunt hæc Apoſtoli Pauli monita quæ habentur Actuum Apoſt. cap. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos poſuit ſpiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Si ea poteſtas atteſtante Apoſtolo à ſpiritu ſancto inſtituta eſt, ſpectat ergo ad jus divinum iſtud Eccleſiarum ſub proprijs Epiſcopis regimen, ideoque par eſt inviolabile conſervari. Idemque Apoſtolus hæc ſcribit ad Titum Cretenſium Epiſcopum. *Hujus gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros ſicut diſpoſui tibi.* Idemque ad Timotheum Epheſinum

Digitized by Google

Epheſinum Epiſcopum : *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus : peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*

16. Hoc inſtitutum à Spiritu ſancto exorſum & ab Apoſtolis acceptum, ſancti Apoſtolorum diſcipuli ſolicito ſtudio conſervaverunt. Sanctus martyr Ignatius nihil tam frequenter urget quam ut Presbyteri, Diaconi cæterique clerici ſimul & laici Epiſcopis ſuis obtemperent in epiſtolis ſuis ad Polycarpum, ad Magneſios, ad Philadelphienſes, ad Trallianos. Additque in epiſtola ad Smyrneos non licere in Eccleſia quidquam gerere citra veniam Epiſcopi. Præterea ſic jubet Apoſtolorum canon XL. *Præcipimus ut Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat : nam ſi pretioſæ hominum animæ ejus fidei committendæ ſunt, multo utique magis oportuerit & de pecunijs mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur.* Sanctus quoque Chriſti martyr Cyprianus epiſt. 34. Clero ſubjectæque plebi mandat ut Celerino & Numidico lectoribus parem cum Presbyteris oblationum partem erogent, dicens : *Cæterum Presbyterij honorem deſignaſſe nos ipſis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Concilia Nicenum can. 5. Antiochenum item can. 5. & Sardicenſe can. 13. ſanciunt clericos debere eſſe ſubjectos proprijs Epiſcopis à quibus ſi refractarij ſint excommunicari poſſunt, & ſic excommunicati quocunque ſe conferant, nullatenus ad communionem poſſint ab ullo alio admitti, donec à proprio qui ligavit Epiſcopo exſoluantur, aut à provinciali Synodo ſi ad eam appellaverint. Antiochenus can. 3. vetat clericis ſine literis Epiſcopi peregrinari alioqui deponẽdis gradu ſuo. Canones Apoſtolorum 15. 16. & 32. Synoduſque Sardicenſis can. 16. 18. & 19. prohibent quemquam Presbyterum, Diaconum aut Subdiaconum in miniſterium aut communionem recipi ſi ſit alterius diœceſis, ſine Epiſcopi proprij commendatitiis literis ; aut quemquam in clerum admitti vel ordinari ſine ejuſdem dimiſſorijs. Eaſdem itérat prohibitiones Concilium Carthaginenſe primum ſub Iulio Papa can. 5. Eò pariter reſpicit Concilium Tridentinum ſeſſ 22. in decreto de obſervandis & evitandis in celebratione miſſæ hiſce verbis : *Deinde ut irreverentia vitetur, ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus interdicant ne cui vago & ignoto Sacerdoti miſſas celebrare liceat.* Et ſeſſ. 23. de refor. cap. 8. *Unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi aliquis ab altero Epiſcopo promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores, Ordinarij ſui teſtimonio commendentur.*

17. Calchedonenſis Synodi canon IV. cunctis monachis prohibet novas erigere Eccleſias aut monaſteria aut oratoria injuſſu Epiſcopi, cui etiam eoſdem Monachos jubet eſſe obtemperantes ac morigeros. Idem iterat decretum canon Agathenſis 58. & Juſtiniani Auguſti conſtitutiones Auth. de Eccleſiaſ. titulis §. ſi quis autem. & Authen. de monachis §. 1. & Authen. ut nullus fabricet do. orat. præter voluntatem Epiſc. Similiter Aurelianenſe Concilium III. citatum in decreto de conſecra. diſt. 1. c. nemo Eccleſiam & inſuper c. autoritate de privil. in 6. eandem iterant prohibitionem.

18. Quod attinet ad Eccleſiarum oblationes, Concilium Aurelianenſe III. totius Galliæ nationale anni 540. tempore Vigilij Papæ regnante Childeberto, ſic ſtatuit can. 5. *Si quæ oblationes in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint baſilicis in civitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in ejus ſit arbitrio, quid ad reparationem baſilicæ aut ob ſervientium ſibi ſubſtantiam deputentur. De facultatibus vero parochiarum vel baſilicarum in pagis civitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſervetur.* Huc refer ſuperius allegata ex Cypriano & canone Apoſtolorum 40.

19. De correctionibus autem hominum idem Aurelianenſe tertium Concilium can. 11. ita decernit : *Si qui clerici miniſteria ſuſcepta quacunque occaſione agere ſicut & reliqui detrectant, & excuſationem de patrocinijs quorumcunque ne officium impleant prætendunt, ac Sacerdotes ſuos* (intelligit proprios Epiſcopos) *ſub hujuſmodi cauſa æſtiment per inobedientiam contemnendos inter reliquos clericos canonicos* (*ne hac licentia alij vitientur*) *nullatenus habeantur ; neque ex rebus Eccleſiaſticis cum canonicis ſtipendia ulla aut munera percipiant.* Itemque Concilium generale Lateranenſe ſub Calliſto ſecundo habitum anno 1122. ſic decernit cap. 4. *Secundum Apoſtolorum canones omnium Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante diſpenſet.* Et cap. 7. *Nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Præpoſitus, aut Decanus animarum curam aut præbendas Eccleſiæ ſine judicio vel conſenſu Epiſcopi alicui tribuat. Imo ſicut ſanctis canonibus conſtitutum eſt, cura & rerũ Eccleſiaſticarum diſpenſatio in Epiſcopi judicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hæc facere, aut poteſtatem ad Epiſcopum pertinentem ſibi vendicare præſumpſerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Sanctus quoque Gregorius magnus allegatus in c. ſi quis de majorat. & obed. jam ante ſic ordinaverat : *Si quis venerit contra decretum Epiſcopi ab Eccleſia abijciatur.*

20. His ſuffragantur poſteriora Gallicana jura. Aurelianenſis enim Caroli Regis IX. conſtitutio anni 1560. in comitijs regni art. II. ſic edicit : *Statuimus omnes & ſingulos canonicos & capitula tam regularia quam ſæcularia, ſive cathedralium ſive collegiatarum Eccleſiarum indiſcriminatim ſubijci Epiſcopo diœceſano, nec ullo potiri privilegio poſſe exemptionis ab Epiſcopali viſitatione, aut delictorum pœna & animadverſione.* Idem etiam Rex Carolus mittens ſuos ad Tridentinum Concilium oratores in ſcripto quod eis mandavit commonitorio articulus 26. hæc habet. *Reſtituantur Epiſcopis intra omnem diœceſim Eccleſiaſticæ juriſdictiones, & omnes tollantur exemptiones.* Cui articulo conformatur præfatum caput. 4. Tridentinum ſeſſ. 6. & olim c. cum non liceat. De præſcript. ſtatuens ſubditos nullo tempore præſcribere contra obedientiam Prælatis debitam. Denique Carolus Feuretus Gallicanus Juriſconſultus tract. de abuſu lib. 3. cap. 3. §. 12. regulas colligens diſcernendarum legitimarum appellationum ab illegitimis ſic docet in regula 10. Ejuſmodi eſt jus publicum Epiſcopalis juriſdictionis violari per exemptiones à poteſtate & juriſdictione Ordinariorum, per inordinata privilegia legitimorum Superiorum juribus derogantia, debitæque ſubjectioni tam canonicorum quam regularium, ex quibus nulla in Eccleſiam dimanat utilitas : ſed



Digitized by Google

ex adverſo contentiones, rebelliones, & perpetuæ lites cum ſcandalo inter exempta Capitula & Ordinarios. Idcirco ſupremæ regni Curiæ in hoc elaborant ut ab ejuſmodi exemptionibus permaneat incolumis Epiſcoporum ſacra juriſdictio ac dignitas. Autor etiam tractatus de juribus immunitatibus & libertatibus Gallicanarum Eccleſiarum, plurima refert Senatuſconſulta per quæ hujuſmodi exemptiones ab Epiſcopali poteſtate abolentur.

*Proſecutio Tridentinorum Decretorum.*

21. Seſſio 7. Ad conſummationem ſalutaris de juſtificatione doctrinæ quæ in præcedenti proxima ſeſſione promulgata fuit, conſentaneum viſum eſt de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur. Hujus itaque ſeſſionis 7. canon 1. hæc definit : *Si quis dixerit Sacramenta nova legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum, anathema ſit.*

Can.VI. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ, & notæ quadam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.*

Can.IX. *Si quis dixerit in tribus ſacramentis Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit.*

Can.XIII. *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Paſtorem Eccleſiarum mutari poſſe, anathema ſit.*

22. Seſſionis iſtius 7. cap.8. de refor. *Locorum Ordinarij Eccleſias quaſcunque quomodolibet exemptas auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remedijs providere, ut quæ reparatione indigent reparentur; & cura animarum ſi qua illis immineat, alijſque debitis obſequijs minimè defraudentur; appellationibus, privilegijs, conſuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus excluſis.*

Et hæc quidem de exemptis Eccleſijs; at vero de perſonis exemptis, hoc idem Concilium ſeſſ.21. cap.8. ita decernit : *Ut quando regularium exemptorum Prælati ſuo deſint officio circa ipſorum correctionem, ſi admoniti intra ſex menſes non correxerint ſubditos, tunc Epiſcopi ut Sedis Apoſtolicæ delegati, corrigere poſſint ac viſitare, prout poſſent Prælati regulares, juxta eorum inſtituta; quibuſcunque appellationibus, exceptionibus, & privilegijs remotis.* Require ſuperius quoad regularium delicta extra clauſtrum commiſſa quæ ab Ordinario puniri poſſunt ſeſſionis 6. cap.3. de refor. cui ſimile decretum adjunximus Concilij generalis Lugdunenſis ſecundi. Ejuſdem ſeſſionis 7. cap.10. de refor. vetatur Capitulis vacante ſede intra annum dimiſſorias ad ordines concedere niſi illis qui beneficij recepti vel recipiendi occaſione arctantur. Ejuſdem cap.13. de refor. decernitur non eſſe inſtituendos electos, aut præſentatos vel nominatos ad quæcunque beneficia niſi prius fuerint ab Ordinarijs locorum examinati & idonei reperti.

23. Ad finem hujus ſeſſionis 7. ingruente peſtilenti morbo apud Tridentum, quæſitum eſt num adhuc Tridenti perſiſtendum eſſet in proſecutione Concilij, an vero urgente periculo alium in locum eſſet transferendum, juxta conceſſam transferendi aliò facultatem per Bullam Pauli III. Pontificis, quandocunque ſacra Synodus juſtam eſſe transferendi aliò cauſam definiret : quæ Bulla fuerat Romæ expedita Incarnationis Dominicæ anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto, octavo Kalen. Martij. Hac in re conſulti ſacræ Synodi Medici Hieronymus Fracaſtor Veronenſis & Balduinus de Balduinis de Berga, ſcripto atteſtati ſunt evidentem eſſe Tridento diſcedendi neceſſitatem. Quæ omnia (inquit Henricus Spondanus) continentur in actis Archiepiſcopi Aquenſis Antonij Fillioli. Itaque ſeſſione Concilij 8. ſciſcitantibus Apoſtolicis Legatis Joanne Maria de Monte Epiſcopo Præneſtino & Marcello Cervino tituli Sanctæ Crucis Presbytero Cardinalibus, (Tertius quippe Legatus Reginaldus Polus Sanctæ Mariæ in Coſmedim Diaconus Cardinalis aberat) num placeret ſacrum Concilium Tridento Bononiam transferri? reſponſumque fuiſſet placere. Cumque eſſent Epiſcopi circiter ſexaginta, Cardinalis Paciecus Hiſpanus cum alijs quindecim Epiſcopis Cæſareæ partis diſſenſit; & Cæſareus orator iſtis diſcedere prohibuit, donec certior factus fuiſſet quid Carolus Cæſar fieri cuperet, ſignificaſſet. His igitur Tridenti perſiſtentibus, nec tamen quidquam decernētibus in commune, ſchiſmatis vitandi cauſa, quale olim invexerat Joannes Antiochenus cum ſubjectis ſibi Epiſcopis adverſus œcumenicam Synodum Epheſinam, cui præerat Apoſtolicus Legatus Cyrillus Alexandrinus. Duo igitur Legati præcedente elata cruce reliquis Patribus comitantibus, Tridento abſceſſerunt, & Bononiam conceſſerunt: in qua nonam Concilij auſpicati ſunt ſeſſionem approbante Paulo Pontifice: Carolo autem Imperatore qui nolebat extra Germaniæ fines Concilium haberi, his qui Tridenti ſubſtiterant prohibente inde diſcedere. Duæ celebratæ ſunt in civitate Bononienſi ſeſſiones Concilij nona, & decima, in quibus nihil ſpeciale decretum præter Concilij prorogationes. Poſt habitam iſtam decimam ſeſſionem die 2. menſis Junij anni 1547. graves ſupervenere inter Pontificem Paulum & Carolum Cæſarem ſimultates, pro ditione Parmenſi & Placentinenſi quam Paulus Pontifex ab Eccleſiæ Romanæ Dominio in filium ſuum Petrum Aloiſium quem conſpirantes poſtmodum nobiles Placentini trucidarunt, tranſtulerat; Paulus vero haſce ambas Æmiliæ civita-

tes

Digitized by Google

tes aliis duabus permutaret, Camerino & Nepe, quas Carolus Cæſar ad ſe pertinere quaſi partes Mediolanenſis Ducatus contendebat. His advenientibus diſſidijs, & Farneſiæ familiæ (cujus Paulus Pontifex ſtipes & pater erat) calamitatibus, interruptum fuit Concilium, nec reſumptum niſi ſub Julio tertio quem Paulus habuit Pontificiæ dignitatis ſucceſſorem.

24. Noſtri porro Antonij Fillioli cujus tanta fuerat in omnibus ſub Paulo habitis Tridentinis ſeſſionibus tamve illuſtris exiſtimatio & autoritas, nullibi deinceps mentio habetur. Sed Aquaſſextias è Tridento regreſſus, multa ſecum detulit Concilij apud Tridentum acta autentica, quæ in tabulario ædium Archiepiſcopalium aſſervantur, quæ quia permultum ad hiſtoricam hujus Concilij cognitionem conferunt hic ſubjicere viſum eſt.

*XXII. Decemb. M.D.XLV.*

25. Fidem facio ego Notarius infra ſcriptus quod anno à Nativitate Domini 1545. die vero 22. menſis Decembris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pauli divina Providentia Papæ III. anno 12. In generali Congregatione ſacræ Synodi, ad propoſita per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Epiſcopum Agathenſem de expectandis oratore ſereniſſimi Domini Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ac regni ſui Prælatis, ipſa ſacra Synodus reſpondit quod tam quoad ipſa propoſita, quam quoad reliqua omnia habebat ſemper rationem Chriſtianiſſimi Regis quantum ſecundùm Deum, & rectam rationem, & honorem ipſius Synodi fieri poterit. Hortatur autem & rogat Majeſtatem ſuam ut conſiderans quam expediat hoc tempore celebrationem Concilij non differri: velit ac dignetur quantocius mittere Legatum ſive oratorem ſuum & excitare Prælatos regni ſui ut veniant ad Concilium jam Dei munere inceptum cum magna omnium Chriſti fidelium lætitia. Super quibus ipſa ſacra Synodus injunxit mihi fieri unum vel plura, publicum vel publica inſtrumentum ſeu inſtrumenta. Acta fuerunt iſta Tridentina in civitate, anno, menſe, die, & Pontificatu quibus ſupra, præſentibus viris Reverendis Domino Sebaſtiano Picchino Auditore Rotæ, & Hercule Senerolo Concilij Promotore, teſtibus ad præmiſſa vocatis. Et inferius ego Claudius della Caſe Clericus Tullenſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali autoritate Notarius, necnon actorum ſacri Concilij Notarius, publicum hoc inſtrumentum manu aliena mihi fida ſcriptum ſubſcripſi, ſignoque meo ſolito munivi rogatus. †.

*X. Menſis Aprilis M.D.XLVI.*

26. In Dei nomine Amen. Cum ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina conſideraſſet quamplurimos abuſus in populo Chriſtiano circa ſacros Codices ob malignitatem temporum & pravorum hominum impietatem irrepſiſſe, & ob id non parum detrimenti plebi Dei acceſſiſſe: omnem zizaniam ex agro Domini delere cupiens, die Veneris quinta menſis Martij anno à Nativitate Domini 1546. in generali Congregatione Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum D. Antonium Fillioli Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Patres Dominum Marcum Viguerium Senogallenſem, D. Joannem Thomam de Sancto Felicio Cavenſem, D. Joannem Fonſecam Caſtellimaris, D. Petrum Bertramnum Janenſem. D. Cornelium Muſſum Biſuntinum, & D. Didacum de Alga Aſtoricenſem reſpectivè Epiſcopos: necnon venerabiles fratres Alfonſum de Caſtro Ordinis Minorum de Obſervantia, Ambroſium Catharinum Politum Ordinis Prædicatorum, & Ricardum Cenomanum etiam Ordinis Minorum de Obſervantia, S. Theologiæ Doctores & Magiſtros ad dictos abuſus tam quoad vetus quam quoad novum Teſtamentum colligendos, & eis opportuna remedia invenienda, quos & quæ deinde ſacræ Synodo in generali Congregatione referre debeant, deputavit & conſtituit. Cum autem dicta ſacra deputatio per nonnullos dies exacta cura & diligentia complures abuſus ſupra dictos collegiſſet, & unicuique eorum conveniens & decens remedium adhibuiſſet & applicaſſet, eoſque abuſus & remedia in generali Congregatione, die Mercurij decima ſeptima ejuſdem menſis Patribus oſtendiſſet & obtuliſſet, ipſa ſacra Synodus decretum ſuper iiſdem abuſibus & remedijs conficiendi curam & Provinciam eiſdem ſupra nominatis dominis Deputatis in generali Congregatione die Sabbati tertia Aprilis demandavit. Cæterum cum ipſa ſacra deputatio dictum decretum ſeu decreta confeciſſet, & in generali congregatione die Lunæ quinta Aprilis Patribus legiſſet & oſtendiſſet, ſacræ Synodi judicio & cenſuræ in omnibus ſe ſubmittens, ipſa Synodus attenta dominorum Deputatorum Præfatorum ſingulari erga religionem Chriſtianam pietate & zelo, & circa ſacras Literas & jus Canonicum conſummatâ doctrinâ & experientiâ, prædictum decretum ſeu decreta firmanda, aptanda, & ultimam eis manum imponendam, à ſupradictis dominis Deputatis, una cum Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominis Præſidentibus & Legatis, eſſe in generali Congregatione die Mercurij ſeptima dicti menſis Aprilis decrevit. Quæ omnia cum vera ſint & in actis Concilij notata fuerint, ego Angelus Maſſarellus Sancto Severinas Clericus Camerinenſis diœceſis, Iuris utriuſque Doctor, dicti ſacri Concilij Secretarius, & Protonotarius Apoſtolicus, de eiſdem votis per præſentes manu mea propria ſcriptas & ſubſcriptas fidem facio indubitatam. Datum Tridenti, die decima menſis Aprilis ejuſdem, anno à Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto ut ſupra, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Pauli divina Providentia Papæ tertij anno duodecimo. Idem Angelus Maſſarellus de quo ſupra. †.

*XXV. Septembris M.D.XLVI.*

27. In Chriſti nomine Amen. Poſtquam Decretum de peccato originali in hoc ſacroſancto Concilio editum & publicatum fuit in 5. Seſſione die Iovis 17. menſis Iulij anno Domini 1546. Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini ſacri Concilij Præſidentes & Legati ſucceſſivè articulum de juſtificatione examinandum propoſuerunt. Quod factum eſt in generali Congregatione die Mercurij 30. ejuſdem menſis Iunij. Qui quidem articulus trifariàm ab ipſis Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis dominis Præſidentibus diviſus Patribus in ipſa Congregatione propoſitus eſt, videlicet circa tres

tres ſtatus hominum adultorum infidelis vel impij : fidelis juſtificati : & peccatoris relapſi: quorum ſtatuum primus ſeparatim ab alijs duobus à patribus Concilij diſputatus & examinatus eſt. Super quo primo ſtatu patres ſententias dixerunt, per octo continuas congregationes, à die videlicet quinta menſis Julij, uſque ad diem Martis decimam tertiam ejuſdem. Cum autem Reverendiſſimus pater & Dominus D. Antonius Filiolus Archiepiſcopus Aquenſis Primas ſit & caput omnium Prælatorum in hoc ſacro Concilio exiſtentium ( Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Cardinalibus exceptis ) ipſe Reverendiſſimus Archiepiſcopus Aquenſis poſt reverendiſſimum & Illuſtriſſimum D. Cardinalem Geennenſem ſuam ſuper hoc articulo & primo ſtatu, juſtificationis protulit & in ſcriptis exhibuit ſententiam : quæ cum ut Catholica & pia ab omnibus laudaretur, omnes quotquot adfuerunt patres in octo illis congregationibus de quibus ſupra, tam Archiepiſcopi, quam Epiſcopi, quam abſentium procuratores, Abbates, & generales ordinum, dum vota & ipſi ſua proferrent, in eamdem dicti Reverendiſſimi Archiepiſcopi ſententiam devenerunt : paucis admodum exceptis qui vel ex diverſitate verborum, vel ex intellectu & interpretatione ſcripturarum, non idem ad unguem uſque dixerunt vel ſenſerunt : licet nihilominus & ipſi ſacræ Synodi judicio & cenſuris ſe remiſerint. Qua ratione omnes idem ſentire dicendum eſt. Hoc primo ſtatu abſoluto, ijdem Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Præſidentes ſuper ſecundo & tertio ſtatibus juſtificationibus ſupra dictis vota à patribus rogarunt. Qui duo ſtatus per novem continuas congregationes generales examinati & diſcuſſi fuerunt, à die videlicet Jovis XV. dicti menſis Julij uſque ad diem veneris XXIII. Super quibus duobus ſtatibus idem Reverendiſſimus Archiepiſcopus Aquenſis poſt Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Dominum Cardinalem Geennenſem, ut dictum eſt, omnium Prælatorum caput ſententiam ſuam protulit & ſimiliter in ſcriptis exhibuit : quæ cum ſimiliter ab omnibus tanquam Catholica commendaretur, in eam ut in aliam fecerant, omnes facillime dum vota & ipſi ſua protulerunt, deſcenderunt, paucis ut dictum eſt exceptis, qui eodem modo vel verbis diverſis, vel ſcripturarum intellectu & interpretatione alia non idem ſenſerunt vel dixerunt : ſe nihilominus ſacræ Synodi cenſuræ & judicio ſubmittentes, ita ut à communi patrum ſententia diſcedere noluiſſe oſtenderent. Quæ omnia cum vera ſint à me Angelo Maſſarello de ſancto Severino his omnibus congregationibus ſupradictis præſente & intereſſente, ut Concilij ſecretario & protonotario Apoſtolico annotata fuerunt, ea ipſa omnia in hanc patentem formam redegi : & de his omnibus, univerſis ad quos præſentes pervenerint fidem facio indubitatam. Datum Tridenti die XXV. menſis Septembris, anno Incarnationis Dominicæ M. D. XLVI.

Idem Angelus Maſſarellus de ſancto Severino ſecretarius Concilij & protonotarius Apoſtolicus qui ſupra manu propria. †.

*Die I. Octobris M. D. XLVI.*

18. Quoniam inter alia quæ ad Concilij celebrationem præcipua requiruntur, maxime neceſſarium eſt ut in loco in quo Concilium celebratur magna annonæ copia habeatur, atque omnia alia ad victum opportuna affluant : ac illud in primis curandum eſt ne res cariori pretio quam deceat & æquum ſit vendantur, neve hoſpitia injuſta & indebita mercede conducantur. Igitur ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina die Jovis XXIII. menſis Septembris anno Domini M.D.XLVI. Reverendiſſimum patrem Dominum D. Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Dominos Hieronymum Theodorum Gaditanum, & Joannem Fonſecam Caſtellimaris, & Galeatium Florimontium Aquinatenſem, reſpective Epiſcopos in generali congregatione elegit & deputavit. Qui una cum Reverendo Domino D. Jacobo Jacobello Epiſc. Bellicaſt. commiſſario Apoſtolic. dictæ annonæ procurare copiam, rebus honeſtum pretiũ imponere, ac ut locationibus & conductionibus hoſpitiorum juſta merces perſolvatur, nec non alia hujuſmodi quæ circa ea neceſſaria ſunt facere & procurare debeant. Et cum ſupra ſcripta omnia à me Angelo Maſſarello de ſancto Severino Camerinenſis diœceſis ut Concilij ſecretario & protonotario Apoſtolico dictæ Congregationi præſente, in actis Concilij adnotata fuerint, ex eiſdem actis ſupra ſcripta extraxi, ac de eis omnibus ad quos præſentes mea manu propria ſcriptæ & ſubſcriptæ pervenerint indubitatam fidem facio. Datum Tridenti die 1. Octobris anno Domini M. D. XLVI.

Idem Angelus Maſſarellus ſacri Concilij Tridentini ſecretarius & protonotarius Apoſtolicus manu propria. †.

*Die XII. Octobris M. D. XLVI.*

19. Cum ſacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus varijs hiſque graviſſimis occupationibus & negocijs tum ſanctæ noſtræ fidei dogmatum conſtitutionem & inſtaurationem, tum morum reformationem concernentibus detineatur; ac propterea ſingula quæque in generalibus congregationibus commode expediri & tractari nequeant, ſacras deputationes perſæpe facere conſuevit. Quare menſibus elapſis ipſa ſacra Synodus elegit & deputavit Reverendiſſimum patrem & Dominum D. Antonium Filioli Archiepiſcopum Aquenſem & Reverendos Dominos Thomam Campegium Feltrẽſem, & Didacum de Alga Aſtoricenſem reſpective Epiſcopos qui mandata & procurationes abſentium Prælatorum ac cauſas in dictis mandatis expreſſas ob quas ſe abſentes excuſant proſpicere & diligenter examinare deberent, ac per eos acta in generali congregatione deinde referrent. Quæ quidem deputatio ad quatuor uſque menſes conſtituta eſt. Quibus menſibus elapſis, cum ipſa ſancta Synodus aliam deputationem eadem ex cauſa facere vellet, conſiderans animadvertenſque prædictorum dictorum deputatorum fidem, doctrinam, probitatem, & diligentiam, eoſdem Reverendiſſimum patrem ac Dominum D. Archiepiſcopum Aquenſem & Reverendos Epiſcopos Feltrenſem & Aſtoricenſem præfatos, in generali congregatione die Lunæ XXI. menſis Junij anno Domini M. D. XLVI. habita deputavit & elegit ad eadem, ſcilicet abſentium Prælatorum mandata, procurationes, & cauſas quibus ipſi abſentes Prælati impediti ad Concilium ut tenentur, minime venire poſſe excuſantur:

eſantur : ac deinde quæ per ipſum Reverendiſſ. Archiepiſcopum & Rev. Dominos Epiſcopos acta erunt in generali Congregatione referant, ut deinde ſacra Synodus ſuper his deliberate & decernere queat. Quæ deputatio uſque ad primam proximam ſeſſionem ſit perduratura. Quæ omnia cum à me Angelo Maſſarello de S. Severino Camerinenſis Diœceſis I.V. Doct. & Concilij Secretario & Protonotario Apoſtolico in dicta Congregatione præſente in actis ſacri Concilij adnotata fuerint, ex eiſdem actis ſupra ſcripta extraxi, ac de eis omnibus ad quos præſentes manu mea propria ſcriptæ & ſubſcriptæ pervenerint fidem indubitatam facio. Datum Tridenti die 12. menſis Octobris anno Domini 1546.

Idem Angelus Maſſarellus I.V.D. ſacri Concilij Secret. & Protonot. Apoſt. qui ſupra manu propria. †.

*Die XX. Ianuarij M. D. XLVII.*

30. In nomine Domini Amen. Poſt celebratam V. Seſſ. ſacroſancti œcumenici & generalis Concil. Tridentini die ſcilicet Jovis 17. menſis Iunij anni Dom. 1546. Reverend. & Illuſtriſſ. D. ipſius ſacri Concilij Præſidentes & Apoſtolici de latere Legati, Patribus in generali Congregatione pro dogmate in futura abinde ſeſſione publicando propoſuerunt. Qui quidem articulus de juſtificatione per multos menſes maxima cum diligentia & exactâ curâ in multis Congregationibus generalibus, à Patribus examinatus diſputatus diſcuſſuſque eſt, ſuper quo tandem decretum compoſitum & formatum fuit. Quod etiam decretum cum per multos dies in generalibus Congregationibus, à Patribus examinatum & diſcuſſum eſſet, & aliquæ cenſuræ ſeu notationes ſuper eo conſideratæ eſſent quæ ſacram Theologiam merè concernebant, ijdem Rev. & Illuſtriſ. D. Præſidentes & Legati deputaverunt ex ſacra Synodo eos Patres qui præcipuè ſacram Theologiam profitebantur ut dictas cenſuras notationeſque examinarent, diſcuterent, ac ſecundùm Catholicam veritatem decretum reformarent: qui deputati Patres Theologi fuerunt Rev. Patres ac Dom. Anton. Filliolus Archiepiſc. Aquenſis, Salvator Alexius Archiepiſcop. Iurritanus, & Robertus Vaucop Archiepiſc. Armacanus, necnon Benedictus de Nobilibus Acienſis, Dionyſius Chironenſis, Baldazaum Limpus Portuenſis, Baldazar de Heredia Baſſonenſis, Angelus Paſchalis Motulanus, Joannes Fonſeca Caſtellimaris, Petrus Bertrannus Janenſis, Aloyſius Lipomanus Veronenſis, Ioan. Salazar Lancianenſis, Cornelius de Muſſis Bituntinus, Jacobus Jacobellus Bellicaſtrenſis, Thomas Caſellus Britonorienſis, Thomas Stella Salpenſis, Antonius de Cruce Canarienſis, & Ambroſius Catharinus Minoricenſis, ac etiam Rev. Patres Generales Ordinum. Qui quidem Rev. Dom. Deputati per aliquot dies convenientes coram ipſis Rever. & Illuſtriſſ. Dominis Legatis & Præſidentibus, dictas cenſuras ſeu notationes & puncta diſputarunt atque diſcuſſerunt, & ſecundum ſententiam eorum decretum de juſtificatione præfatum aptatum & reformatum eſt: & deinde in generali Congregatione ſacræ Synodo exhibitum : & denique in ſexta & publica Seſſione die Jovis 13. Ianuarij an. 1547. publicatum. Quæ omnia cum vera ſint & his ego Angelus Maſſarellus S. Severinas Clericus Camerinenſis Diœceſis I.V. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, & ejuſdem ſacri Tridentini Concilij cum præſens Secretarius ſemper fuerim, de his fidem facio indubitatam omnibus ad quorum manus præſentes manu propria ſcriptæ & ſubſcriptæ literæ pervenerint. Datum Tridenti die 20. menſis Ianuarij an. Dom. 1547. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri Pauli divina Providentia Papæ III. an. 13. Idem Ang. Maſſarellus. †.

*Die XXIV. Ianuarij M. D. XLVII.*

31. In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejuſdem 1547. die vero Iovis 13. menſis Ianuarij Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Dom. noſtri Pauli divinâ Providentiâ Papæ III. an. 13. celebrata fuit ſexta ſeſſio publica ſacroſancti œcumenici & generalis Concilij Tridentini, in qua dum celebrabatur, inter cætera poſt publicationem decretorum egregius vir Dominus Hercules Severolus Promotor ipſius ſacri Concilij petijt accuſari contumaciam abſentium Prælatorum & declarari eos incurriſſe pœnas contentas in Bullis ſanctiſſimi ejuſdem Dom. noſtri Papæ ac decerni proceſſus contra eos, &c. Necnon conſtitui Iudices coram quibus de his agnoſceretur. Tunc Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Cardinalis Dominus D. de Monte primus Præſidens & Legatus reſpondit altâ voce ſibi placere ut accuſaretur contumacia contra abſentes qui non ſunt detenti legitimo impedimento. Nominavitque judices coram quibus de hac re agi debeat. Reverendiſſimum videlicet in Chriſto Patrem & D. Antonium Filliolum Archiepiſcopum Aquenſem, & Reverendos Patres Dominum Didacum de Alga Aſtoricenſem, & Joannem Baptiſtam Cicadam Albiagannenſem reſpectivè Epiſcopos ibidem præſentes & cum alijs Reverendis Patribus ſeſſionem ipſam cum pluvialibus & mitris ut moris eſt celebrantibus. Quæ quidem contumaciæ accuſatio votis Patrum perſcrutatis à majori parte approbata eſt. Prænominatorum autem Iudicum deputatio toti Sacræ Synodo unanimiter placuit. Cumque prædicta omnia vera ſint & à me Angelo Maſſarello de S. Severino Clerico Camerinenſis Diœceſis I.V.D. & Protonotario Apoſtolico, atque ejuſdem ſacri Concilij Secretario adnotata fuerint, de his indubitatam fidem facio omnibus ad quorum manus præſentes manu mea propria ſcriptæ & ſubſcriptæ pervenerint. Datum Tridenti die 24. Ianuarij anno Domini & Pontificatu ut ſupra.

Idem Angelus Maſſarellus manu propria. †.

*Die Februarij XX. anno M.D. XLVII.*

32. In nomine Domini Amen. Cum per ipſius Dei omnipotentis gratiam peracta fuiſſet ſexta publica ſeſſio hujus ſacroſanctæ œcumenicæ & generalis Synodi Tridentinæ, in qua celeberrimum illud de juſtificatione decretum unanimi omnium Patrum conſenſu & placito confirmatum & approbatum fuit die 13. Januarij anno 1547. Ipſa ſacra Synodus ad ea quæ in proximè futura ſeſſione tractanda eſſent, accedens, pro dogmate ſacra Eccleſiæ Sacramenta & pro reformatione ea quæ reſidentiæ Epiſcoporum adnexa ſunt præ manibus ſumpſit. Quæ duo capita per ſacras Congregationes particulares primum diſcutienda & examinanda, deinde in generalibus Congregationibus referenda

renda & concludenda fore die Sabbati 15. ejuſdem menſis, in generali Congregatione deputandorum facultatem judicio Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum Dominorum ipſius ſacræ Synodi Præſidentium remiſit. Itaque ipſi Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Præſidentes pro dicto articulo reſidentiæ annexis examinandis diſcutiendiſque, eos Prælatos delegerunt qui præcipuè jus Canonicum profitentur. Hi autem fuerunt infra ſcripti videlicet Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Dominus Petrus Paceeus Cardinalis Gremenſis, ac Reverendiſſimi Domini D. Antonius Filliolus Archiepiſcopus Aquenſis, & Joannes Michael Sarracenus Archiepiſcopus Materanenſis, & Reverendi Epiſcopi Thomas Campegius Feltrenſis, Elizeus Arpinas, Soranus, Jacobus Corteſius à Prato Tolonenſis, Joannes Campegius Parentinus, Ludovicus Simoneta Piſaurenſis, Joannes Petrus Ferretus Mylenſis, Franciſcus Navarra Pacenſis, Didacus de Alga Aſtoricenſis, Philippus Archintus Salutiarum, Joannes Baptiſta Cicada Albinganenſis, Bernardus Diaz Calagurritanus, Sebaſtianus Pighius Aliphanenſis, qui Domini deputati coram Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis Dominis Præſidentibus & Legatis ſæpius convenientes, dictam materiam annexorum reſidentiæ examinarunt & diſcuſſerunt; atque tandem ſecundum eorum judicium decretum confectum eſt, quod deinde in generali Congregatione exhibitum fuit concludendum atque firmandum. Quæ omnia cum vera ſint ego Angelus Maſſarellus de Sancto Severino Camerinenſis Diœceſis, Iuris utriuſque Doctor, ejuſdem ſacri Concilij Secretarius, & Protonotarius Apoſtolicus, omnibus ad quorum manus præſentes devenerint, indubitatam fidem facio. Datum Tridenti 20. Februarij anno Domini 1547. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri. D. Pauli divinâ Providentiâ Papæ III. anno 13.

Idem Angelus Maſſarellus ſacri Concilij Tridentini Secretarius manu propria. †.

His omnibus ſubjicitur inſtrumentum atteſtationis de veritate præcedentium atteſtationum ſignatum & appenſis ſigillis munitum per Antonium de Picolis de Leudro Vicarium Generalem Domini Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Chriſtophori Presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Tridentini, & per Petrum Foſcherium Prætorem juridicum Tridentinæ civitatis expeditum in eadem Tridentina civitate die 15. menſis Martij anno 1547. Pontificatus Pauli III. anno 13.

33. Poſtquam è vivis exceſſit Paulus Papa III. communibus purpuratorum ſuffragijs Pontificiam nactus eſt dignitatem idem qui primi Legati Apoſtolici titulo Tridentinæ Synodo præſederat Cardinalis Ioannes Maria de Monte Epiſcopus Præneſtinus qui ſibi Iulij III. nomen aſcivit, creatus cum obmutuas Cardinalium altercationes vacaſſet Romana Sedes tres ferè menſes, initio Pontificatus ut ſe gratum erga Farneſios exhiberet, Octavio Farneſio quam eidem Paulus Pontifex ipſius avus ademerat reſtituit Parmam civitatem. Idemq; primo ſui Pontificatus anno edictum promulgavit reſumptionis Concil. Trid. Cujus prima ſub Iulio ſeſſio numeratur ab ipſo Concilij exordio undecima, celebrata Kal. Maij an. 1551. duodecima vero inita die 1. Septembris ejuſdem anni: in quibus duabus quia pauci Prælati Tridentũ convenerant, majorque pro certo Prælatorum numerus expectabatur in dies, nihil aliud extitit decreti niſi de prorogando ulterius Concilio.

34. Seſſ. XIII. actum eſt de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, cujus cap. 7. circa præparationem ad illud ſumendum neceſſariam juxta præceptum & admonitionem Apoſtolicam. *Qui manducat & bibit indignè judicium ſibi manducat & bibit; non dijudicans corpus Domini: probet autem ſeipſum homo.* Hæc ſtatuunt Tridentini Patres: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus etiam ab ijs Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Huc refertur Evangelica parabola ejus qui non habens veſtem nuptialem ad convivium acceſſerat: ideoque projici meruit in tenebras exteriores. Hiſque aſtipulantur veteres Sancti Patres dicente Ambroſio lib. 6. in Lucam cap. 9. *Nemo cibum accipit Chriſti niſi qui fuerit ante ſanatus,* &c. Et mox: *Ubique ergo in hoc myſterio hic ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet.* Baſilius quoque lib. 2. de Baptiſmo: *Mundemus* (inquit) *ab omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, ut judicium eorum qui Dominum occiderunt effugiamus. Propterea quiſquis ederit panem, ac biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.*

35. Ejuſdem Seſſ. XIII. cap. 3. de refor. *Non poteſt ab Ordinarij ſententia interlocutoria appellari niſi tale ſit gravamen, ut nequeat per ejuſdem Ordinarij definitivam reparari.*

Hoc ipſum pridem ſtatuerat c. ut debitus, & c. cum ceſſante, de appellat. Idemque cautum fuerat in Concordato Bononienſi inito inter Leonem X. Papam & Franciſc. I. Regem Franciæ. Iſtud idem iterat Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. cap. 20. Obſervandum peræquè à correctione legitima non poſſe provocari niſi modus excedatur c. ad noſtram, & c. reprehenſibilis §. fin. de appellat. hiſque Gallicana jura conſentiunt, edixit enim Franciſcus I. Rex anno 1539. art. 5. appellatione à judicum ſententijs per Eccleſiaſticas perſonas in materia correctionis, diſciplinæ, & alijs Eccleſiaſticis cauſis, nullum produci ſuſpenſivum ſed tantum devolutivum effectum; adeout his non obſtantibus, & citra ſententiæ præjudicium poſſit Eccleſiaſticus judex ſuum ulterius judicium proſequi. Et in Comitijs Bleſenſibus Henric. III. hoc pariter edixit. Similiter jure communi appellatio non ſuſpendit excommunicationem, ſuſpenſioné aut interdictum latæ ſentẽtiæ ſed ſolum devoluit ad ſuperius tribunal c. cum ad hæc, de appellatio. Cõmunis ſententia eſt incarcerationem cenſendam eſſe inter illa quæ damnum irreparabile inferunt, ideoque ſubſiſtere ac valere appellationem ab interlocutoria ſententia quâ decernitur captura ſeu incarceratio, & Ordinarium teneri huic appellationi deferre, atque proceſſum, ad judicem appellationis tranſmittere, ſine tamen ulla ſententiæ ſuæ ſuſpenſione, quia reus interim carcere concludendus eſt, donec ſuperior judex cauſa cognita, aliud juſſerit.

Alioqui

Digitized by Google

Alioqui enim gravium criminum rei libertati redditi per fugam facile evaderent. Idemque judicatum fuit à ſacra Cardinalium congregatione Pontifice approbante, ut refertur in declarationibus & remiſſionibus ad cap. 20. Tridentinæ ſeſſ. 24. Atque idem docent Barboſa ad l. 2. ff. ſolu. matrim. in princ. Mainardus Gallicanus Juriſconſultus lib. 2. Deciſionum cap. 23. & alij.

36. De viſitatione quoque Congregatio ſacra Concilij 7. Martij 1596. declaravit non poſſe Epiſcopum in viſitatione recuſari ut ſuſpectum, dum tamen proceſſum in ea non involvat, ſeque intra viſitationis limites contineat. Eademque Congregatio Maij 25. an. 1601. cenſuit Epiſcopum viſitationem aggredientem, atque etiam in præparatoria inquiſitione non poſſe quaſi ſuſpectum recuſari nec probatione ſuſpicionis præpediri quo minus pœnâ extraordinariâ quæ morum correctionem & emendationem reſpiciat, viſitatos punire queat, ut legitur in Collectione declarationum ad hanc Tridentinam ſeſſ. 13. cap. 1.

37. Seſſionis ejuſdem XIII. Cap. VI. *Cum non raro contingat ſubditos ab Epiſcopo pro ipſius officio correptos illi ex malevolentia cauſam criminis intentare, cujus moleſtiæ metu ſegniores reddantur in officio Epiſcopi, aut ab Eccleſijs ſuis abeſſe & vagari pro ſui defenſione, cum magno Eccleſiarum detrimento, & Epiſcopalis dignitatis diminutione cogantur: ſtatuitur Epiſcopum niſi ex cauſa ob quam dignitate propria deponendus foret, etiamſi contra ipſum ex officio aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, aut accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur, nequaquam eſſe citandum aut monendum ut perſonaliter compareat.*

Provida & notabilis eſt iſta conſtitutio, qua & Epiſcoporum dignitati & Eccleſiarum utilitati conſulitur. Summi Pontifices Liberius & Nicolaus olim reſcripſerunt inconveniens eſſe, ſi Epiſcopus ex cauſa infeſtationum aut adverſitatum quas ab alijs patitur gregem compellatur ſibi commiſſum relinquere c. ſuggeſtum & c. ſiſcitaris 17. q. 1. Quando vero fas ſit Epiſcopo à propria Eccleſia diſcedere, præclarè diſſerit S. Auguſtinus ſcribens ad Honoratum Epiſcopum epiſt. 180.

38. Seſſionis XIV. Cap. IV. definit. *Contritionem eſſe animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Docet præterea contritionem ſi perfecta ſit, hominem Deo per charitatem reconciliare, etiam ante pœnitentiæ Sacramentum ſuſceptum: eo quod in ea contineatur cum dolore & amore infuſo votum ipſius Sacramenti. At vero contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ metu concipitur, eſſe donum Dei & impulſum Spiritus ſancti, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine pœnitentiæ Sacramento per ſe non juſtificet peccatorem; attamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere. Hoc enim timore utiliter concuſſos Ninivitas ad Ionæ prædicationem, miſericordiam à Domino impetraſſe.*

Tu hic obſerva contritionem quæ juſtificat, eſſe quidem anteriorem juſtitiâ & gratiâ ad quam diſponit, neceſſe eſt enim diſpoſitionem & cauſam præcedere, deinde formam & effectum ſequi. Cæterum hæc omnia unico temporis inſtanti perficiuntur; licet diverſa ibidem concipiantur & intercurrant ordinis ſeu naturæ ac rationis inſtantia. Verum eodem temporis inſtanti quo exiſtit contritio pariter gratia coëxiſtit.

39. Eadem ſeſſione XIV. Cap. V. *Oportet à pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* ( Et quibuſdam interjectis) *Colligitur præterea etiam eas circunſtantias in confeſſione explicandas eſſe quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec à judicibus innoteſcant.*

Porro circunſtantiæ quæ ſpeciem peccati mutant in triplici differentia ſunt. Quædam enim adjungunt mortalem alterius ſpeciei malitiam, ut ſi quis Sacerdotem occidit, non ſufficit de homicidio accuſatio: qualitas enim Sacerdotis adjungit huic peccato ſacrilegium lethale. Idem dicendum in homicidio communi laici ſed intra Eccleſiam perpetrato, ea quippe loci circunſtantia ſacrilegium pariter inducit. Aliæ quædam circunſtantiæ id præſtant ut peccatum quod veniale duntaxat eſſet fiat mortale, ut ſi quis alterius famæ leviter detrahat, hac intentione ut audientis odium & gravem vindictam concitet adverſus illum de quo ſermo eſt. Tertio demum ex oppoſito circunſtantiæ peccatum ita mitigant, ut quod mortale foret non niſi veniale ſit; cujuſmodi eſt ſubreptio, defectus ſufficientis deliberationis, inadvertentia judicij, ignorantia leviter culpabilis. His tribus caſibus non datur Sacerdoti ſufficiens peccati notitia ut omnes conſentiunt Theologi. Sed in tertia præfata circunſtantia ſi bona fide facta ſit confeſſio, neceſſitatem negant in altera confeſſione hunc defectum reparandi. In cæteris autem duabus neceſſe eſt ſuppreſſionem circunſtantiæ mortalis reparare; imo ſi per malam fidem ſcienter ſuppreſſa fuerit, non ſolum id peccatum ſed tota etiam confeſſio eſt iteranda: utpote ex perverſâ confitentis diſpoſitione, invalida & interiori abſolutione deſtituta.

Seſſionis ejuſdem XIV. Cap. VI. de refor. ſtatuitur. *Vt Clerici qui in ſacris ſunt, aut qui beneficium Eccleſiaſticum poſſident, Eccleſiaſticum habitum deferant: & ſi poſtquam ab Epiſcopo moniti ſunt, habitum adhuc deferre recuſant, per ſuſpenſionem ab ordinibus aut beneficio ejuſve fructuum privatione ab Ordinario puniantur quantumvis exempti forent. Si vero correpti adhuc neglexerint, per officiorum aut beneficiorum privationem coërceantur.*

Idipſum ante conſtituerat Concil. Vienneſe Clement, quoniã innovando. de vita & honeſ. Cler.

Ejuſdem Cap.X. *Regularia beneficia in titulum regularibus profeſſis provideri conſueta, cum per obitum aut reſignationem vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religioſis tantummodo illius ordinis, vel ijs qui habitum omnino ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur & non alijs conferantur; nec veſtem lino lanâque contextam induant.* Deut.22.

Cap.XI. *Quia vero regulares de uno ad alium ordinem tranſlati, facile à ſuo ſuperiore licentiam ſtandi extra Monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi & apoſtatandi occaſio tribuitur: nemo cujuſcunque ordinis Prælatus vel Superior vigore cujuſvis facultatis aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi ut in ordine ipſo ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat, ac taliter tranſlatus etiamſi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia ſæcularia etiam curata omnino incapax exiſtat.*

40. Julius Papa III. morte ſua quæ decimo Kalendas Aprilis obtigit anno 1551. Concilium interrupit: cujus electus eſt loco Marcellus Cervinus Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Crucis in Jeruſalem qui ſub Paulo Papa III. fuerat ſecundus in Synodo Tridentina Apoſtolicus Legatus. Hujus jam inde à pueritia totâ vitâ perſpecta pietas, & cum ſanctitate morum prudentia & ſapientia in ſpem excelſam probos omnes erexerat. Sed eum Deus tantum oſtendit terris, retentoque priſtino Marcelli II. nomine vigeſimo ſecundo Pontificatus die ad cœlum evocavit. Cui datus eſt ſucceſſor Cardinalis Carrafa Epiſcopus Oſtienſis ſacrique Collegij Decanus, qui ſibi Pauli quarti nomen indidit: exactoque in ſuprema dignitate amplius quadriennio, vacuam ſedem reliquit ad quam provectus eſt Cardinalis S. Priſcæ Presbyter Ioannes Medices Mediolanenſis, dictus deinceps Pius IV. hujus ergo Pontificatus anno tertio Chriſtique 1562. Ianuarij 18. Tridentinum Concilium ſub Iulio tertio ſuſpenſum & dilatum, reſumptum eſt, hortante impenſe Sancto Carolo Borromeo Pij Pontificis ex ſorore nepote, qui ab avunculo creatus Cardinalis, univerſæ Chriſti Eccleſiæ velut ſydus effulſit: primaque ſub Pio quæ numeratur à Concilij exordio 17. ſeſſio inita eſt, in qua dum expectatur maior ac frequentior Prælatorum concurſus conſtituta eſt prorogatio in diem Februarij 26. ejuſdem anni, atque inter hæc proviſum eſt de librorum examine ac delectu eaque demandata cum quibuſdam Patribus examinis & contexendi noxiorum librorum indicis ut zizania à tritico ſegregarentur. Invitati etiam ſunt ſectarij ut ad Concilium animo pacifico accederent benignè ſuſcipiendi & audiendi, eaque de cauſa promulgatum eſt publicæ fidei ac ſecuritatis edictum ſeu ſalvus conductus qualis ab eodem Concilio fuerat initio expeditus ſub Paulo tertio. Seſſiones 18. 19. & 20. nihil geſtum continent præter ſupplices ad Deum preces & ſacri Concilij iteratas prorogationes.

41. Seſſione XXI. ad nova decreta & ſanctiones ventum eſt. In primis declaravit ſacra Synodus conformiter ad Conſtantienſe Concilium ſeſſione 13. Laicos & Clericos non conficientes minimè aſtringi jure divino ad communionem ſub utraque ſpecie. Secundo hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret vel mutaret quæ ſuſcipientium utilitati ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis judicaret expedire. Quam rem Apoſtolus non obſcurè videtur innuere dum ait: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1.Cor.4. Atque ipſum hac poteſtate uſum fuiſſe ſatis conſtat in hoc ipſo Sacramento cum ordinatis nonnullis circa ejus uſum, *Cætera inquit cum venero diſponam*, 1. Cor. 11. Quare cognoſcens Sancta mater Eccleſia ſuam iſtam in adminiſtratione Sacramentorum autoritatem, licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens uſus utriuſque ſpeciei fuiſſet; tamen progreſſu temporis, gravibus & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit & pro lege habendam decrevit: quam reprobare aut ſine ipſius Eccleſiæ autoritate pro libito mutare non licet. Tertio declarat totum & integrum Chriſtum ac verum Sacramentum ſub qualibet ſpecie ſumi. Quartò parvulos non obligari ad communionem Sacramentalem. Siquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Inde progreditur ad decreta reformationis.

Cap. I. *Quoniam ab Eccleſiaſtico ordine omnis avaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonſuræ, nec pro literis dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, nec alia quacunque de cauſa, etiam ſponte oblatum Epiſcopi & alij ordinum collatores, aut eorum miniſtri quovis prætextu accipiant. Notarij vero in ijs tantum locis in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis literis dimiſſorijs aut teſtimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere poſſint; dummodo eis nullum ſalarium ſit conſtitutum pro officio exercendo: nec Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus, directè vel indirectè provenire poſſit.* Huc refer Calchedonenſis Concilij can.2.

Cap.II. *Cum non deceat eos qui divino Miniſterio adſcripti ſunt cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, compertumque ſit complures pleriſque in locis ad ſacros Ordines nullo ferè delectu admitti, qui varijs artibus ac fallacijs confingunt ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: ſtatuit ſancta Synodus ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientiâ, & ætate, ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum quod ſibi ad vitam honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Id vero beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione quod ad illius beneficij titulum ſit promotus, ne-*

*que*

Digitized by Google

que ea reſignatio admittatur, niſi conſtito quod aliunde vivere commodè poſſit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium vero vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiarum ſuarum: eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant unde vivere poſſint: antiquorum canonum pœnas ſuper his innovando.

Eadem ſtatuit Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro Papa III. p. 1. cap. 5. huc pertinet c. ſi Epiſcopus de præbend. in 6.

Cap. IV. *In omnibus Eccleſijs parochialibus vel baptiſmalibus in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis ſacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, Epiſcopi tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, cogant rectores vel alios ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda & cultum divinum celebrandum. In ijs vero in quibus ob locorum diſtantiam ſive difficultatem parochiani ſine magno incommodo ad ſacramenta percipienda & divina officia audienda accedere non poſſunt, novas parochias etiam invitis rectoribus, juxta formam conſtitutionis Alexandri III. quæ incipit ad audientiam, de Eccleſ. ædific. conſtituere poſſint. Illis autem Sacerdotibus qui de novo erunt Eccleſijs noviter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus: & ſi neceſſe fuerit compellere poſſit populum ea ſubminiſtrare quæ ſufficere poſſint ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam, quacunque reſervatione generali vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis Eccleſijs non obſtantibus. Neque hujuſmodi ordinationes & erectiones poſſint tolli nec impediri ex quibuſcunque proviſionibus, etiam vigore reſignationis, aut quibuſvis alijs derogationibus vel ſuſpenſionibus.*

42. Cap. V. *Vt etiam Eccleſiarum ſtatus in quibus ſacra Deo officia miniſtrantur ex dignitate conſervetur, poſſint Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis delegati, juxta formam juris ſine tamen præjudicio obtinentium facere uniones perpetuas quarumcumque Eccleſiarum parochialium, & baptiſmalium, & aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, & in cæteris caſibus à jure permiſſis: etiamſi dictæ Eccleſiæ vel beneficia eſſent generaliter vel ſpecialiter reſervata, aut qualitercumque affecta. Quæ uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi, vigore cujuſcunque proviſionis, etiam ex cauſa reſignationis, aut derogationis, aut ſuſpenſionis.*

Vide c. ſicut unire de exceſſib. præla. ubi poteſtas uniendi Eccleſias ex juſta cauſa reſervatur Epiſcopis & dummodo ſint intra unam eamdemque diœceſim, denegatur autem inferioribus Prælatis. Et tamen hoc ipſum Concilium Trident. ſeſ. 24. cap. 13. de refor. iſtiuſmodi uniones Papæ reſervat.

Cap. VI. *Quia illiterati & imperiti parochialium Eccleſiarum rectores ſacris minus apti ſunt officijs, & alij propter vitæ eorum turpitudinem potius deſtruunt quam ædificant, Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ ſedis legati eiſdem illiteratis & imperitis ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque eiſdem fructuum pro ſufficiente victu aſſignare vel aliter providere poſſint, quacunque appellatione & exemptione remota. Eos vero qui turpiter & ſcandaloſe vivunt, poſtquam præmoniti fuerint coërceant & caſtigent: & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficijs juxta ſacrorum canonum conſtitutiones, exemptione & appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant.*

Cap. VII. *Vbi Eccleſiæ vetuſtate collapſæ ſunt, nec per inopiam inſtaurari valent, Epiſcopi poſſunt vocatis illis quorum intereſt, in matrices Eccleſias locorum illorum aut vicinorum, illas cum emolumentis ſimul & oneribus annexis transferre, erigendo in prædictis matricibus capellas vel altaria ſub eiſdem invocationibus: parochiales autem Eccleſias etiamſi juriſpatronatus ſint, ita collapſas refici & inſtaurari curent ex proventibus earumdem: qui ſi non ſufficiant, patronos alioſve qui fructum aliquem ex earumdem proventibus percipiunt, aut his deficientibus parochianos ipſos omnibus opportunis remedijs compellant, quacumque appellatione, exceptione, aut exemptione remota. Quod ſi omnes nimia egeſtate laborent, ad matrices ſuas viciniores Epiſcopi transferant, cum facultate convertendi in profanos non tamen ſordidos uſus dirutas Eccleſias, erecta ibi cruce.*

Seſſionis XXII. Cap. IV. de refor. *Vt nemo de Eccleſia ſive ſæculari ſive regulari, vocem habeat in capitulo, etiamſi id ei ab alijs conceſſum fuerit, niſi in Subdiaconatus ſaltem ordine conſtitutus ſit.*

Hoc ipſum jampridem conſtituerat Viennenſe Concilium Clement. ut ij qui in divinis de æta. & qualit. & ordine præficiendorum.

43. Hoc eodem cap. IV. vetatur ne deinceps de beneficio cuiquam provideatur quam illi qui

ætatem cæteraſque omnes qualitates & habilitates habent, ut ſtatim actu omnia beneficij onera exequi poſſint per ſeipſos: alioquin irritam declarat proviſionem. Huc pariter intendit d. Clement. ut ij qui. Verumtamen uſus obtinet ut in beneficio Sacerdotali cui etiam cura incumbat animarum, ſufficiat ſi proviſus in eo ſtatu ſit & aptitudine, ut poſſit intra annum ordinari Sacerdos. c. cum in cunctis de electio. & c. licet canon de electi on. in 6. Si vero non fuerit intra annum promotus in Sacerdotium (niſi ex juſta & probabili cauſa ortum fuerit impedimentum) vacet ipſo jure præbenda. Cæterum ſi ex lege fundationis vel ſpeciali ſtatuto aut conſuetudine Sacerdotalis ordo actu exigeretur in impetrante, tunc non ſufficeret præfata in annum aptitudo. In univerſum edicit Trident. Synodus hoc ipſo cap.4.& inſuper ſeſſ. 24. de reform cap. 4. 5. neminem. Ut nemo quodcunque beneficium cui ſit aliquod annexum onus obtinere poſſit, niſi aptus ſit ut intra ipſum annum ordinem ſuſcipiat ad id oneris requiſitum. Hoc enim vetera quoque jura inſtituerant c. cum in cunctis. 5. inferiora de elect. & c. 1. de æta. & qual. & ordine præficien. & d. Clement. ut ij qui.

44. Poteſt igitur aliquis de curato beneficio provideri nondum Sacerdos, dummodo annum XXIII. ſic expleverit, ut exacto inde anno ætatis XXIV. ac proinde incepto XXV. juxta Trident. ſeſſ. 23. cap. 12. de ref. poſſit conſecrari Sacerdos. Cum enim Concilium duo hæc perſpicuè declaret, poſſe quem anno inchoato vigeſimo quinto Sacerdotio initiari; & præterea beneficium curatum poſſe illi conferri qui Sacerdotio poſſit intra annum promoveri: ſequitur ut tale conferri beneficium poſſit illi qui annum vigeſimum tertium expleverit; ut docet Proſper Fagnanus in c. cum in cunctis de electi on. addens hanc vigere praxim, judicijs quoque Cardinalium ſacræ Congregationis firmatam n.63. & 64. Porro conceſſum illum promotionis ad Sacerdotium annum approbant jura pariter Gallicana edicto Bleſenſium comitiorum ſub Henrico Rege III. artic.9. Cui accedit Henrici IV. conformis conſtitutio anni 1606. art.1. cum Francicis Juriſconſultis Rebuffo in praxi tit. de non promotis intra annum num.44. Papone lib. 3. Senatuſconſultorum deciſ.3. Bochello in praxi benefic.ver. An de promotion. alijſque.

Ejuſdem Seſſionis XXII. in decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ hoc decernitur: *Singuli Epiſcopi in ſuis Diæceſibus interdicant ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare permittant. Neminem præterea qui publicè & notoriè calumnioſus ſit aut ſancto Altari miniſtrare aut ſacris intereſſe permittant.* Vide ſuperius adnotata ad Seſſ 13. cap.7.

Ex eodem decreto de obſervan. & evit. in celebr. Miſſ. *Neque patiantur Ordinarij privatis in domibus atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum cultum tantummodo dedicata oratoria ab eiſdem Ordinarijs deſignanda & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus aut regularibus quibuſcunque peragi.*

Concilio Laodiceno hoc idem prohibetur can. 58. vide ibid. mea ſcolia. Idemque cavetur de conſecra. diſt. 1. c. 1. & c. hic ergo & c. nullus Presbyter & c. unicuique & c. Clericos ibid.

45. Seſſionis ejuſdem cap. 8. de ref. Ordinarijs demandatur cura hoſpitalium cæterorumque locorum pietatis. Et cap. 9. ſtatuitur ut eorumdem locorum pariterque confraternitatum adminiſtratores ſingulis annis coram Ordinarijs rationes reddant. His ſuffragatur Clement. quia contingit de religio. domib. & lex 45. de Epiſc. & Cler. & tit. Cod. de Xenodoch. atque Henrici III. Melodunenſe edictum. Rex vero Ludovicus XIII. an. 1643. Novemb. 27. ſedens in ſuo ſupremo Conſilio præcedentiam adjudicavit Vicario Archiepiſcopi Remenſis ſupra Locumtenentem generalem, ſimulque juramenti requiſitionem in reddendis rationibus Rectorum Hoſpitalium cæterorumque piorum locorum, ut refertur in actis Cleri Gallicani, & lex Franciſci I. anni 1545. art.9. quam refert Charondas in Cod. Henriceo lib. 1. tit. de Hoſpitalibus jubet Hoſpitalium rationes quotannis reddi in præſentia Epiſcopi aut ejus Vicarij generalis.

46. Seſſione XXIII. Cap. II. *Epiſcopos electos etiamſi Cardinalium gradu præfulgeant, ſi intra tres menſes conſecrati non fuerint (legitimis tamen ſecluſis impedimenti cauſis) ad fructuum tamen reſtitutionem teneantur. Sed ſi alijs tribus menſibus conſecrari neglexerint, Eccleſijs ſuis ipſo jure privati ſint.*

Calchedonenſis etiam œcumenica Synodus can.25. Epiſcopis quoque præcipit electis intra trimeſtre conſecrari citra neceſſitatis inevitabilis occurſum. Antiochena vero ſub Julio Pontifice can.17. communione fidelium excludit Epiſcopum jam conſecratum quandiu ad creditam ſibi Eccleſiam negligit proficiſci. Quò etiam ſpectat canon quoniam diſt.75. & c.1. diſt.100. Quæ autem Tridentini Patres ſancivere de Epiſcopis vim quoque habere ijdem decernunt in inferioribus animarum paſtoribus, ut in ſuis reſideant Eccleſijs: neque ab ipſis toto animi decurſu abeſſe liceat pluſquam duos vel tres menſes ſive continuos ſive interpolatos. Iſtam reſidendi materiam ſuperius jam excuſſi ad Seſſionis VI. cap.1.

47. Eadem Seſſio XXIII. cap.4. de refor. *Prohibet tonſurâ initiari niſi qui Confirmationis Sacramentum ante ſuſceperint, quique legere & ſcribere ſciant, & de quibus ſit probabilis conjectura eos hoc intuitu ſtatum eligere Clericalem ut perfectius Deo ſerviant.*

Quandoquidem Clericorum ordo ſublimioris eſt perfectionis præ laicorum ſtatu, convenit ut nullus ad Clerum promoveatur qui Confirmationis Sacramento non fuerit conſignatus. Eſt ſiquidem confirmatio atteſtante Dionyſio Eccleſ. Hierar. cap.2. Τελεωτικὴ χρίσις perficiens unctio ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις. Sacra divini ortus ac generationis perfectio. Docetque præclarè S. Thomas 3.p. quæſt.62. art.1. in corp. Quod ſicut in vita corporali ſpecialis quædam perfectio eſt, quod homo ad perfectam devenerit ætatem & perfectas actiones producere ac exequi poſſit hominis ratione utentis: unde Apoſtolus dicit 1. Cor. 13. *Cum eſſem parvulus agebam ut parvulus, loquebar*



Digitized by Google

*ut parvulus, cogitabam ut parvulus: cum autem factus ſum vir evacuavi quæ erant parvuli.* Inde eſt quod præter motum generationis quo aliquis accipit vitam corporalem, eſt motus augmenti quo aliquis perducitur & roboratur ad perfectam ætatem. Sic igitur vitam ſpiritualem accipit homo per Baptiſmum qui eſt ſpiritualis regeneratio. In Confirmatione autem accipit quaſi perfectam ætatem & robur ſpiritualis vitæ. Congruit igitur ut antequam homo à ſtatu communi laicorum ad perfectiorem qui Clericorum eſt ſtatum elevetur, ſit jam ſpiritualiter perfectus & præmunitus ſacramento Confirmationis, ut ſtatutum fuit à Patribus Tridentinis. Cui decreto quiſquis ſciens & volens contravenit ſe peccato lethali ut ego quidem reor aſtringit, legem enim tranſgreditur ut oſtenſum eſt in re gravis momenti. Ita cenſent Toletus lib.1.inſtruct.cap.71.Bonacina de Sacram. diſp.8. qu.unica p.5. propoſ.2. Franciſcus Hallier doctiſſimus Sorboniſta de ſacris electio.ſect.4.c.2. art.2. Neque enim accedendum hic duco opinioni Navarræ, Suaris, Coninkij & aliorum qui hanc omiſſionem ſecluſo contemptu in quibuſlibet initiatis ac ordinatis non pluſquam venialem autumant. Quod vero objiciunt Chriſtum ipſum ſuos Apoſtolos primum pridie quam pateretur conſecraſſe Sacerdotes, cum tamen non eos Spiritus ſancti miſſione confirmaverit, niſi poſt ſuum ad Patrem aſcenſum, id probare quidem poſſet confirmationem non eſſe de ſubſtantia ordinationis neque ejus defectum eidem officere, non tamen ejus omiſſionem eſſe quid leve: pari enim ratione alius concluderet non eſſe niſi veniale peccatum communicare non jejunum, aut in menſa communi, non vero in altari ſolemni ritu qualem Eccleſia præſcripſit cum unctionibus & ſigillis non conſecrato ſacrificare, quia ſecus factum fuit in ultima Cœna: & licitum eſſe cuivis abſque peccato mortifero in Sacramentorum celebratione quaſlibet Eccleſiæ ſanctiones infringere, hac ſola ratione quod ſint cæremoniales neque eſſentiæ derogent Sacramentorum. Iſte vero canon ut nemo niſi confirmatus Clericali militiæ aut ordinibus aſcribatur non ſumpſit exordium à Concilio Tridentino, quippe qui viguit jam inde ab ipſis Eccleſiæ primordijs ut probat luculenter Sancti Cornelij Romani Pontificis ad Fabium Antiochenum epiſtola apud Euſebium lib.6. hiſt.Eccl. cap.35. Ibi namque Cornelius aſſeverat non recepiſſe Novatum in ſua illa Sacerdotali inauguratione Spiritum ſanctum eo quod ſignaculo dominico non fuiſſet antea conſignatus, quod ut ibi diſertè aſſerit fieri antea oportuerat κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. Secundum Eccleſiæ canonem.

Ejuſdem pariter Seſſionis & Capitis V. textu ſtatuitur: *Ut qui ſunt ad ſingulos majorum ordinum promovendi bonum habeant à Parocho & Scholæ Magiſtro teſtimonium: atque uno ſaltem menſe ante ordinationis expetitæ tempus, conveniant Epiſcopum, qui Parocho aut alij cui viſum fuerit committat ut nominibus ipſorum publicè in Eccleſia propoſitis, de natalibus, de moribus, de ætate, & vita eorum diligenter inquirat à fide dignis (ſimili modo inquirendum eſt de tituli aut patrimonij ſufficientia) & literas teſtimoniales inquiſitionis iſtius fidem facientes ad Epiſcopum maturè tranſmittat.*

48. Poſtmodum eadem Seſſ. Cap.VIII. *Unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegij prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus ab executione ſuſceptorum ordinum, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Concilium Carthaginenſe III. tempore Siricij Papæ ſic edicit can. 21. *Ut Clericum alienum niſi concedente ejus Epiſcopo nemo audeat vel retinere vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Clericorum autem nomen etiam lectores & pſalmiſtæ & oſtiarij retinent.* Eamdemque fuſius iterat ſanctionem idem Concilium ad querimoniam Epigonij Epiſcopi adverſus Iulianum Epiſcopum expoſtulantis de prærepto ſibi Clerico can.44. Inter Græcas Synodos jampridem hoc ipſum de alieno Clerico prohibuerat Sardicenſis can.18.

49. Quinimo non ſolum prohibebatur alieno Clerico injuſſu proprij Epiſcopi ordines conferre quod etiam nunc ubique illicitum eſt, ſed neque licebat alieno Clerico in alteram Diœceſim commigrare aut ulli Epiſcopo illum ad ſe tranſmigrantem abſque proprij Epiſcopi veniâ & literis commendatitijs ſuſcipere, vel in communionem admittere. Quod inſtitutum pene abolitum & exoletum renovarunt Tridentini Patres hujus Seſſionis cap.8. Apoſtolorum canonibus 12. & 14. & 15. prohibetur Clericis alio commigrare aut commigrantes recipere ſine proprij eorum Epiſcopi literis commendatitijs. Quod idem vetatur Laodiceno can.41. qui allegatur de conſecr diſt.5. c.non oportet. Carthaginenſis Concilij IV. can. 27. Sacerdotibus alijſque Clericis non aliter permittit ad alias Eccleſias tranſmigrare niſi cum commendatitijs aut conceſſione ſuorum Epiſcoporum. Concilium Andegavenſe anni 453. can.1. *Clericis* (inquit) *de loco ad alium ſine Epiſcopi permiſſione tranſire non liceat, nec ſine commendatitijs Sacerdotum ſuorum literis commeare.* Similiter Concilium Veneticum anni 465. can. 5. *Clerici ſine commendatitijs Epiſcopi ſui literis licentia non pateat evagandi: & in omni loco ad quem ſine epiſtolis Epiſcopi ſui venerint à communione habeantur alieni.* Concilium pariter Epaonenſe anni 517. can. 6. *Presbytero vel Diacono ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.* Synodus œcumenica Calchedonenſis his omnibus concinit can.13. *Peregrinos Clericos & Lectores in alia civitate præter commendatitias ἀνευ συςατικῶν ſui Epiſcopi, nuſquam penitus adminiſtrare debere.* Gelaſius quoque primus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap.4. ait. Non ambiant Epiſcopi ſibi vindicare Clericos poteſtatis alienæ. Denique hoc ipſum Tridentinum Concilium hujus 23.Seſſionis cap.16. hoc ſtatuit: *Nullus Clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui Ordinarij literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.*

Cap.IX. *Epiſcopus familiarem ſuum non*

*ſubditum*

*ſubditum ordinare non poſſit niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude ceſſante ſtatim reipſa illi conferat: conſuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obſtante.*

50. Cap. XII. *Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur. Sciant tamen Epiſcopi non ſingulos in ea ætate conſtitutos debere ad eos ordines aſſumi, ſed dignos duntaxat & quorum probata vita ſenectus ſit. Regulares quoque in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegijs quibuſcunque quoad hoc penitus excluſis.*

Primo quidem Eccleſiæ Chriſti exortu cum nondum eſſet fidelium populorum copia, nonnulli adhuc in juvenili ætate conſtituti modo eſſent ſpectabilis meriti ad Epiſcopale culmen aſſumebantur. Hinc Paulus ad Timotheum Epheſi Epiſcopum ſcribens 1. Timo. 4. ait: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* Multiplicato exinde fidelium numero certa præfixa fuit ætas citra quam neminem liceret ſacris ordinibus inaugurare. Vetera quippe Concilia Neocæſareenſe can. 11. deinde Agathenſe can. 17. Carthaginenſe III can. 4. & Toletanum IV. can. 19. ad Diaconatum efflagitant annos 25. ad Sacerdotium annos 30. At vero Tridentini patres certis rationibus adducti mediam conſectati ſunt viam.

Cap. XV. *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione abſoluendi poteſtatem à peccatis accipiant, decernit tamen ſancta Synodus nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcularium audire etiam Sacerdotum nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut Epiſcopis per examen ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ illis gratis detur obtineat, privilegijs & conſuetudine quacunque etiam immemorabili non obſtantibus.*

Cap. XVI. *Cum nullus ordinari debeat qui judicio Epiſcopi ſui non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſijs, Sancta Synodus ſexti canonis Calchedonenſis veſtigijs inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur qui illi Eccleſiæ aut pio loco pro cuius neceſſitate aut utilitate aſſumitur non aſcribatur. Vbi ſuis fungatur muneribus neque incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit ei ſacrorum exercitium interdicitur. Nullus præterea peregrinus clericus ſine commendatitijs ſui Ordinarij literis, ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda & ſacramenta adminiſtranda admittatur.*

Vide quæ anticipate dixi ad hujus Sectionis XXIII. Cap. VIII. Iſtam in rem obſervatu dignus eſt Calchedonenſis Synodi can. 20. ſic edicens: *Clericos in ſuis Eccleſijs conſtitutos ſicut jam definivimus non liceat in alterius civitatis Eccleſijs ordinari: ſed quieſcant in ea in qua ab initio miniſtrare meruerunt, exceptis illis qui proprias civitates perdiderunt & ex neceſſitate ad alias Eccleſias migraverunt. Si vero quicunque Epiſcopus poſt definitionem iſtam ad alium Epiſcopum pertinentem clericum ſuſceperit, placuit ſanctæ Synodo & eum qui ſuſcepit, & eum qui ſuſceptus eſt tandiu excommunicatos manere, quandiu ipſe clericus revertatur ad propriã Eccleſiam.* c. clericos diſt. 71. Sextum vero Calchedonenſem hoc Tridentino canone commemoratum appoſui ſub titulo Synodi Calchedonenſis.

51. Cap. XVIII. Injungitur ut in ſingulis diœceſibus collegia Eccleſiaſtica ſeu ſeminaria inſtituantur, in quibus juvenes Eccleſiæ ſervitio deſtinati educentur, atque ſcientijs, functionibus, & ritibus Eccleſiaſticis, cantu, diſciplinis clericalibus, & ſanctis moribus informentur. Hæc eadem fuerant antiquioribus Concilijs præſcripta quæ ſupra commemoravi ad quarti Toletani Concilij can. 24. Tanti porro momenti ſeminariorum erectiones eſſe duxerunt Tridentini patres, ut in hunc finem Epiſcopis jus & poteſtatem tribuant obligandi ad annuas pro conſtituendis & fovendis ſeminarijs contributiones quoſcunque beneficia poſſidentes, atque etiam uniendi pro eorumdem fundatione aliqua beneficia ſimplicia cujuſcumque ſint dignitatis vel qualitatis, etiam antequam vacent, ſine cultus divini & illa obtinentium præjudicio; uſque adeo ut talis unio nulla poſſit appellatione ſuſpendi aut impediri. Hæc Tridentina conſtitutio viget in regno Galliæ, quippe quæ regijs quoque editis roboratur. Sanctio namque Melodunenſis art. 1 Epiſcopis injungit, ut provideant ſacræ diſciplinæ conſtabiliendæ, *Et à l'inſtitution des ſeminaires ſuivant les ſaints decrets.* Quibus ultimis verbis deſignatur Sanctio hæc Tridentina. Subſequutum eſt Bleſenſibus comitijs alterum procuſum edictum art. 24. admonens Antiſtites ut ſuis in Diœceſibus ſeminaria inſtituant, etiam *par l'union des benefices ainſi qu'ils verront bon eſtre.* Per quæ verba eadem Præſulibus attribuitur poteſtas quæ ſacræ Synodo conceſſa eſt.

52. Seſſione XXIV. Ea pertractantur quæ ad fidelium matrimonia pertinent. Speciali vero nota ſunt obſervandi ſequentes iſti canones. Quorum primus hic eſt.

Can. I. *Si quis dixerit matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferre anathema ſit.*

Can. IV. *Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

Can. VII. *Si quis dixerit Eccleſiam erraſſe cum docuit & docet juxta Evangelium & Apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonij vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque vel etiam innocentem qui adulterio cauſam non dedit, non poſſe altero conjuge vivente aliud in matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſâ adulterâ aliam duxerit,*

*rit, & eam quæ dimiſſo adultero alij nupſerit, anathema ſit.*

53. Can. XII. *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos anathema ſit*. can. 12. Sequitur decretum de reformatione matrimonij cujus cap. 1. ita ſancitur. *Tametſi dubitandum non eſt matrimonia clandeſtina libero contrahentiũ conſenſu facta rata & vera eſſe matrimonia quandiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi (ut eos ſancta Synodus anathemate dãnat) qui ea vera & rata eſſe negant: quique falſo affirmant matrimonia à filijs familias ſine conſenſu parentũ contracta irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe: Nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt atque prohibuit. Verum cum ſancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugijs ortum habent &c. Qui aliter quam præſente parocho vel alio Sacerdote de ipſius parochi ſeu Ordinarij licentia & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum inhabiles omnino reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit.*

Saluberrimũ utique decretũ quo innumeræ lites, inextricabiles anfractus & ambages, perjuria & nuptiarũ incertitudines, partiũ fraudes & deceptiones quarum una neget, altera aſſeveret & dejeret interveniſſe clandeſtinas cõvẽtiones, unde rebus nõ probatis tranſitus ad poſteriora non conjugia ſed adulteria prioribus clandeſtinis ſtipulationibus coram Deo in ſuo robore perdurantibus. Quæ omnia incõmoda & crimina hoc Tridentino decreto præcidũtur.

54. In noſtra theoria & praxi canonici juris l. 3. uberius diſputavi de poteſtate Eccleſiæ nova indicẽdi matrimonij dirimendi impedimenta: & docui potuiſſe quidẽ regias cõſtitutiones opponere civilia obſtacula contra filiorũ familias connubia quæ inſcijs aut invitis parentibus cõtrahũtur. Cæterũ his legibus nõ attingit ſacramenti vigorẽ aut validitatẽ, neque poſſe Principũ aut magiſtratuũ autoritatẽ de ſacramẽtorũ eſſentia quidquã decernere, ſicut hoc ipſo cap. 1. decernit Trid. ipſa Synodus de matrimonijs filiorũ familias parẽtibus invitis aut inconſultis: poſſunt tamen civiles leges ejuſmodi nuptias prohibere quaſi non tantũ humano ſed etiã divino jure vetita, utpote adverſantia Dei præcepto de parentibus honorãdis, tametſi ratio ſacramẽti ſubſiſtat in his ipſis illicitis nuptijs contractis. Multa enim facta tenent quæ fieri prohibentur, multaque impediunt contrahẽda quæ non dirimunt jam cõtracta l. patre furioſo ff. de his qui ſunt proprij vel alieni juris. Sed tamen nullitas illa civilis ſpectatur ſecundũ civiles actus nuptialiũ conventionũ invaliditates, ſucceſſionũ incapacitates, actionũ civiliũ denegationes & ſimilia. Hæc diſerte docent Gallicani Juriſconſulti Lovetus ſupremæ Pariſienſis Curiæ ſenator nonnulla referẽs ampliſſimi ſenatus illius judicia lit. M. tit. 6. & Carolus Feur. quãvis in pleriſq; parũ æquus Eccleſiæ juriſdictioni lib. 5. de abuſu tit. 2. diſtinguit inter conventiones & ſacram. matrimonij; docetq; ſacramentũ quidẽ exiſtere in conjugijs filiorũ familias contra edicta Gallicana factis dum acceſſerit parochi proprij duorũq; teſtiũ præſentia: Sed penes curias regni contractus ſeu cõventiones quoad civilẽ effectũ pro nullis haberi. Deinde in obſervatione XIV. ad ſuum illud opus vir Senat. conſ. Gallic. diligẽtiſſimus perſcrutator hæc ipſa verba effatur: *Curia ſuprema in clãdeſtinis filiorũ familias matrimonijs* (loquitur autẽ de clãdeſtinis reſpectu parentũ etſi parochus & duo ſaltẽ teſtes interfuerint) *diſtinguere ac ſecernere ſolẽt conventa nuptialia ab ipſo ſacramẽto, & quoad iſta ſola conſueverũt decernere matrimonij nullitatẽ ac invaliditatẽ, nõ tamen ullatenus annullare conjugij vinculũ, neq; convellunt mutuũ illũ partiũ conſenſũ qui materiã præbet ſacramẽti, quia laici judices incõpetẽtes ſunt in ſpiritualibus & ſacramẽtis.* Additq; abuſũ exurgere ſi judex ſæcularis judiciũ ferret de validitate aut invaliditate fœderis ejus ad quod parochi præſentia exigitur. Sicut ex oppoſito judex Eccleſiaſticus abuteretur, ſi auderet de dote & nuptialibus donationibus judiciũ ferre. His demũ iſta ſubjungit quæ rem iſtã extra omnẽ dubij aleã ponũt. Refert enim ibid. Feuretus: Clerus Gallic. poſtquã promulgatũ fuit Lud. XIII. edictũ an. 1629. ſupplex regem rogavit admonuitque hujus Edicti art. 39. per hæc verba: *ſoiẽt tels mariages declarez non valablement contractez*, gravẽ naſciturã cõfuſionẽ & ambiguitatẽ eo quod à nonnullis ea referri cõtingeret ad ſacramẽtalẽ ipſũ fœderis ſpiritualis nexũ quẽ ſacroſancta Syn. Trid. ita arctũ & inſolubilẽ eſſe ſanciverat, ut anathemate feriat quoſcunq; id vinculũ ſolvere attentãtes, cũ agatur de fide & ſacramentis circa quæ verſatur inconcuſſa juriſdictio quã Chr. Dominus ſuæ contulit Eccleſiæ; nec ulli Chriſtiano licitũ eſt dubitare in ejuſmodi rebus definitionẽ œcumenici Concilij eſſe infallibilẽ & omnibus tenendã. Regem vero re primarijs Conſilij arctioris magiſtratibus communicata matureq; examinato ſcripto Gallic. cleri cõmonitorio hæc ſcribi juſſiſſe, prædicta edicti verba nihil præjudicari ſacramenti vinculo, ſed ſolum civilibus partiũ conventionibus de quibus laici judices cognoſcere ſolent. Atque ita Rex ipſe & Clerus inter ſacramẽti vinculũ & pacta dotalia diſtinguendũ judicarunt. Hæc ipſa à Feureto referuntur. Quam referũt quoque hiſtoriã Acta impreſſa Cleri Gallic. to. 3. quæ fidem faciunt commiſſum fuiſſe à Rege reſpondendi officium magno regni Cancellario, qui poſt initam cum ſelectioribus ſanctioris Conſilij officialibus deliberationem, præfato modo fuiſſe ſcripto expeditum reſponſum quale jam dictum eſt.

55. Hic jam quæritur valeatne matrimonium in præſentia inviti atque repugnantis parochi contractum? Reſpondetur valere. Non enim efflagitat ſacra Synodus parochi proprij conſenſum ſed ſolam cum alijs duobus tribuſve teſtibus præſentiam: ut per hæc matrimonijs furtivis quæ juridicè probari non poſſunt obvietur. Id confirmatur per l. coram Titio. ff. de verborum ſignifi. quam ſolent doctores in iſtiuſmodi quæſtionibus allegare, quamque in hac connubiali quæſtione allegat præfatus Feuretus lib. 5. de abuſu cap. 1. ad finem. Vbi poſt verbatim prolatum hujus legis textum hanc ita dirimit quæſtionem. *Nihil intereſt autem an parochus ipſe conſentiat aut contradicat, ſufficit enim præſentem eſſe & intelligere.* Et recte quidem ille atque conformiter ad hæc iſtius legis verba: *Id videtur præſente aliquo factum ſi intelligat; nam ſi furioſus ſit, aut infans, aut dormiat, non videtur quid coram eo factum fuiſſe.* His communiter ſuffragantur canoniſtæ & ſummiſtæ: Sanchez de matrimonio lib. 3. diſp. 39. Filliucius tract. 10. cap. 6. n. 225. Ledeſma quæſ. 45. ar. 5. puncto 3. dub. 2. Conink. diſp. 27. du. 4. concl. 3. Bonacina quæſt. 2. pun. 8. 23. Proſper Fagnanus in c. quod nobis n. 48. & ſeqq. de clandeſ. deſpon. Qui ijdem declarationem proferunt ſacræ Cardinalium con-

gregationis hoc ipſum aſſerentium ſed tamen Parochum ita intereſſe debere,ut appareat eum fuiſſe hac de cauſa vocatum, quamvis alio quopiam & falſo prætextu fuerit reique gerendæ inſcius ac renitens & invitus aſſiſtat. Fagnanus hac ratione concluſionem confirmat quia parochus non eſt hujus ſacramenti miniſter ſed tantum præcipuus & neceſſarius teſtis ad quod ſufficit ſola cum rei cognitione præſentia. Ipſi autem contrahentes ſunt ſibi invicem miniſtri. Atque ita in diverſis Gallicanorum Officialium tribunalibus vidimus judicatum. Partes ipſæ tamen quæ ſic matrimonium inirent graviter delinquerent, niſi quando parochus injuſte recuſaret, poſſentque juridice puniri, non enim omne illicitum invalide fit, quemadmodum intentio avaritiæ aut ambitionis illicitæ nullitatem inducit beneficiariæ proviſionis, dummodo nullâ vitietur ſimoniâ.

56. Poteſt parochus aſſiſtere matrimonio ſui parochiani quoad ejus efficaciam & validitatem, etiam in aliena parochia imo & in altera Diœceſi, nec habita licentia parochi vel ordinarij loci. Adhuc enim qualitatem proprij ejus qui contrahit parochi retinet. Nam ejus audire quoque confeſſionem & abſoluere eidem parocho licet, dummodo ſolemnitas & ſcandalum evitetur. Sunt enim iſti actus gratioſæ juriſdictionis quæ licite & cum debita præcautione quocumque in alieno loco poteſt erga proprium ſubditum exerceri.

57. Præterea tametſi illicite, at ſaltem valide poteſt proprius parochus matrimonio ſui Parochiani aſſiſtere contra ſui Ordinarij prohibitionem. Illa enim prohibitio non illi amovet titulum & jus proprij parochi; & multa facta tenent quæ fieri vetantur. Id ita declaravit ſacra Cardinalium congregatio atque ita docent Sanchez de matrimonio lib. 3. diſp. 32. Bonacina quæſ. 1. p. 8. n. 21. alijque communiter. His amplius docet Fagnanus in c. literæ quas, de matrim. cõtracto con. interd. Eccl. valere quoque matrimonium etſi parochus aſſiſtẽs fuiſſet non tantum prohibitus ſed etiam ſuſpenſus ab Ordinario. Quamvis enim parochus ſubalternetur Ordinario ſecundum juriſdictionem quam poteſt eidem reſtringere vel adimere, per hoc tamẽ non deſinit eſſe parochus, ejuſque ad matrimonium aſſiſtentia non eſt juriſdictionis actus, nihil enim hic judicat, nihil prohibet, nihil decernit, ſed ſolum quaſi teſtis ſuam exhibet præſentiam. Sic etiam licet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 7. de refor. matrim. prohibeat parochis vagorum matrimonijs intereſſe Ordinario ſuo inconſulto: hæc tamen matrimonia ex parochi loci præſentia convaleſcunt. Similiter contra interdictum Epiſcopi nuptiæ non minus ideo valent ut docet gloſſa & cum ea Papa Innocentius quartus in c. ad diſſoluendum, de deſp. impub. has quæſtiones operæ pretium viſum mihi exactius diſcutere quia magni momenti ſunt, & frequenter occurrunt, & occurrentes gravia negotia ſacris paſtoribus faceſſere ſolent.

58. Cum igitur atteſtante Paulo Epheſ. 5. Chriſtianum matrimonium ſit magnum in Deo ſacramentum in Chriſto & in Eccleſia & Hebr. 13. ſit honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus. Atque Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 24. & lib. 9. de geneſi ad literam cap. 7. tria bona connubij Evangelicæ legis dinumeret, prolem, fidem mutuam & ſacramenti ſanctitatem, ſolicite curandum eſt, ut quæcunque ad id pertinẽt ſancte gerantur, ideoque in facie contrahatur Eccleſiæ & ſecundum Eccleſiæ leges, ut juxta Ambroſium ep. 70. ad Vigiliũ Conjugium velamine Sacerdotali & benedictione ſanctificari oporteat, ac ut Tertullianus loquitur lib. 2. *ad uxorem ſit matrimonium quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum angeli renunciant, pater ratum habet.*

59. Dictæ ſeſſionis XXIV. Cap. II. Gradus affinitatis longius olim productos & irritum reddentes matrimonium, quorum inobſervantia ex ignorantia facti cognitu difficilis contingens irrita & invalida reddebat pleraque contracta matrimonia, prudenter ad minorem numerum reduxit. In primis quod ad ſpiritualẽ affinitatẽ attinet, eam concluſit inter baptizatum & ſponſores ſeu ſuſcipientes de fonte baptiſmi. Item inter baptizantẽ & baptizatũ. Præterea intra patrẽ & matrem baptizati & ſuſcipientes. Inſuper inter baptizãtẽ & baptizati patrẽ ac matrẽ. Similiter inter ſponſorem & confirmatũ, nec non inter ſponſorẽ & confirmati progenitores.

60. Olim prohibebantur quidem & in irritum adducebantur nuptiæ ad ſeptimum cognationis inter collaterales gradum, computando etiam ipſos gradus per numerum perſonarum dempto communi ſtipite in Eccleſia ſaltem Latina; ut perſpicue docent teſtimonia tum S. Gregorij Papæ in ep. ad Felicem Meſſanæ Epiſcopũ & Iſidori. Itemque Alexandri Papæ II. quæ congerũtur in decreto 35. q. 5. Quæ leges procul dubio erãt innumerabilium ambiguitatum & inceſtuoſarum nuptiarũ ignoranter contractarum & laqueorum animæ intricantium. Ideoque Lateran. ſub Innoc. III. Conciliũ generale provide omnia ad quartum gradũ reduxit impedimenta, & refertur c. non debet. de conſanguinit. & affinit. Jure autem civili Roman. etiam fratrum & ſororum filij matrimonio ungebantur Inſtit. de nuptijs §. duorũ. & l. 3. ff. de ritu nupt. Conciliũ vero Trid. circa carnalis cognationis & affinitatis nexũ quatuor incluſive graduum ſanctionem Lateranẽ. confirmat. Porro jus illud Romanarũ legum̃ circa fratrum ſeu ſororum liberos olim quoque invaluit inter Chriſtianos. Filiæ namque magni Conſtantini Cõſtantina & Helena nuptui traditæ ſunt, Cõſtãtina quidẽ primũ Annibaliano filio Dalmatij fratris magni Cõſtantini; deinde Gallo Cæſari filio Cõſtãtij alterius fratris ejuſdẽ Cõſtan. Magni. Helena vero nupſit Jul. alteri filio memorati Cõſtãtij.

61. Cap. III. Publicæ honeſtatis impedimentum coarctat ad primum in ſponſalibus validis, cũ ante ad quartũ protenderetur. Cæterùm ſi ſponſalia ipſa invalida fuerint nullũ prorſus pariunt impedimentũ. At vero ex matrimonio rato ſed nõ conſummato exurgit dirimens ad quartum uſque gradũ impedimentum, ut declaravit Pius Papa V. in conſtitutione incipiente *Ad Romanũ*. Ex cujus inadvertẽtia Toletus & Lopez hoc impedimentũ prodiderũt eſſe publicæ honeſtatis & deſinere ſtatim à primo gradu. Jam hic quæritur utrum ex ſponſalibus non quidem morte ſed mutuo partium conſenſu ſolutis exoriatur quoque publicæ honeſtatis impedimẽtũ? Hanc agitat diſputationẽ Th. Sanch. l. 7. d. 68. n. 2. & noviſſime Petrus Fagnan. commen. ad c. ad audientiã. de ſponſalib. refert Romæ à ſacra Congregatione judicatũ die Jul. 6. an. 1658. quod hic quoq; ſubſiſtat impedimentum iſtud, factaque relatione apud Alexandrum Pampam VII. qui hanc examinari quæſtionem juſſerat fuiſſe ab ipſo approbatum Cardinalium judicium Julij 10. juſſumque iſtud poſt hac ubique à cunctis fidelibus ſervari.

62. Cap. IV. Impedimentum affinitatis ex illicito congreſſu natum limitat ad ſecundum gradum, cum olim quartum etiam complecteretur: qua occaſione plurimi etiam contingebant inceſtus & invalidæ nuptiæ.

63. Cap. V.

63. Cap. V. *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat : idque multo magis in eo locum habeat qui non tantum matrimonium contrahere ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit eiſdem ſubjiciatur pœnis. Non enim dignus eſt qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod ſubeſſe poſtea cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius & gratis cum eo diſpenſari poterit. In contrahendis matrimonijs vel nulla omnino detur diſpenſatio vel raro : idque ex cauſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes & ob publicam cauſam.*

Vtinam in eo ſtatu res eſſent ut ad præſcriptum hujus ſacri Concilij non niſi gratis diſpenſaretur, nec niſi ob gravem cauſam, nec niſi in ijs qui non ſcienter, ſed tantummodo per excuſabilem ignorantiam lapſi ſunt. In ſecundo autem gradu nunquam niſi inter Principes non quidem mediocres, ſed ut requirit ſacroſancta Synodus magnos, idque non indiſcriminatim, ſed ut eadem præſcribitur hic, ob cauſam publicam diſpenſaretur. Legimus apud Nicetam Choniatem Græcum & ſchiſmaticum hiſtoricum, ſemel accidiſſe ut Patriarcha Conſtantinopolitanus non per pecunias, ſed ſolo rogatu Imperatoris Andronici Comneni, matrimonij contrahendi indulſiſſe diſpenſationem, non in ſecundo ſed in tertio duntaxat gradu, non inter proletarias aut vulgares perſonas, ſed inter ipſius Andronici Imperatoris ſpuriam ac illegitimam filiam Irenem, & Alexium Commenum principem Imperatoriæ ſtirpis : cui matrimonio Theodoſius Patriarcha virtutis veræ cuſtos rigiduſque ſatelles, ne conſentire cogeretur maluit Patriarchali faſtigio deponi, atque in ſolitudinem relegari. Sed eidem ſuffectus pſeudo patriarcha Camaterus Baſilius facile conſenſit, ut Imperatoris gratiam iniret : qua tamen ex facilitate non alium retulit fructum quam infamiam & execrationem apud omnes probos, ſuique deſpectum apud ipſum cui complacere ſtuduerat Imperatorem. Qui plura ſcire volet tractatum Bernardi legat de præcepto & diſpenſatione. Sed iſta ſufficiant ad Epiſcopos diœceſanos admonendos qui ſibi ipſis diſpenſandorum conjugiorum effuſiorem libertatem indulgent in tertio ſeu quarto gradu ob leviculas cauſas erga ſubditos vilis conditionis à quibus pro certo nullatenus pendet orbis Chriſtiani tranquillitas aut populorum felicitas.

64. Cap. VI. Inducit dirimens & juſtiſſimum impedimentum inter raptorem & raptam quandiu hæc in raptoris manſerit poteſtate. Non enim raptor in eo ſtatu fructu ſui criminis potiri debet, neque rapta plenam habet ſui libertatem.

Cap. VII. *Multi ſunt qui vagantur & incertas habent ſedes, & ut improbi ſunt ingenij, prima uxore relicta, aliam & pleranque plures illa vivente, diverſis in locis ducunt, cui morbo cupiens ſancta Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat paterne admonet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant : magiſtratus etiam hortatur ſæculares ut eos ſevere coërceant : parochis autem præcipit ne illorum matrimonijs interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Illos qui ſimul plures habent viventes uxores excommunicatione damnat Concilium Agathenſe can. 25. habetur vero apud Gratianum 33. q. 2. c. ſæculares qui conjugale.

65. Cap. IX. *Ita plerunque temporalium dominorum ac magiſtratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes maxime divites & ſpem magnam hæreditatis habentes, minis & pœnis adigant cum ijs matrimonium invitos contrahere, quos ipſi Domini vel magiſtratus illis præſcripſerint. Quare cum maxime nefarium ſit matrimonij libertatem violare, & ab eis injurias naſci à quibus jura expectantur; præcipit ſancta Synodus omnibus cujuſcunque gradus dignitatis & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœnâ quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos vel quoſcunque alios cogant, quo minus libere matrimonia contrahant.*

Libertati matrimoniorum proviſum eſt c. cum locum c. requiſivit c. Gemma de ſponſal. & c. nullus 36. q. 2. ubi anathematis quoque pœna infligitur. In regno Galliæ conſtitutio Bleſenſium comitiorum illos dominos aut magiſtratus qui ſubditas perſonas invitas ad matrimonium compellunt de gradu dejicit nobilitatis, & pœnis ſubjicit criminis raptus.

66. Sub eadem ſeſſione XXIV. ſanctionibus de matrimonio adjiciuntur decreta de reformatione ſacræ diſciplinæ, quorum cap. 1. agit de Epiſcoporum electionibus quæ ejus momenti ſunt, ut ſi pro rei magnitudine expendantur nunquam ſatis cautum de his videri poſſit. Totius enim familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore non inveniatur in capite. Itaque ſtatuit ut cum primum Eccleſia vacaverit ſupplicationes ac preces publicè privatimque habeantur, atque à capitulo per civitatem & diœceſim indicantur, quibus clerus populuſque bonum paſtorem à Deo valeat impetrare. *Omnes vero & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus habent aut alioquin operam ſuam præſtant mortaliter peccare declarat niſi quos digniores & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus hominū, vel quovis humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, & doctrinâ atque omnibus alijs qualitatibus præditos ſciant, quæ juxta ſacros canones & decreta requiruntur.*

67. Cap. II. Sancit ut ſingulis triennijs Concilia Epiſcoporum provincialia renoventur, quotannis vero diœceſana. Hac de re videri poſſunt quæ ſuperius congeſſi ad Nicænæ Synodi can. 5.

68. Cap. III. Decernit de viſitationibus in Diœceſi faciendis ſingulis annis aut ſi amplitudo diœceſis non id permittat, ſingulis ſaltem bien-

nijs. Atque ob rationabiles cauſas Metropolitanis priſtina jura provinciam ſuam viſitandi adimit, niſi ob cauſam quæ fuerit in provinciali Synodo approbata.

69. Cap. III. *Moneat Epiſcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem ſæcularis vel regularis etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. Iidem etiam ſaltem Dominicis & alijs feſtivis diebus, pueros in ſingulis parochijs fidei rudimenta & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab ijs ad quos ſpectabit doceri curabunt.*

De prohibita ſæcularibus & regularibus quibuſcunque prædicatione injuſſu Epiſcopi, hoc idem ſtatuerat Viennenſe in Gallia Concilium generale, ſimulque de confeſſionum auditione, idque habetur Clement. dudum de Sepultur. & firmatur in Gallia edicto Melodunenſi art. 6. & conſtitutionibus Gregorij XV. quæ incipit Inſcrutabili, & Clementis X. an. 1670. quæ incipit ſuperna.

70. Cap. VI. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſoluere impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum, non eorum vicarijs ſit permiſſum.*

Quid ſi contingat Epiſcopum ipſum his cenſuris ac delictis occultis eſſe irretitum? Eo caſu docent Joannes Gallemartius & Auguſtinus Barboſa in hoc ipſum caput ſcribentes, licitum eſſe in hæc prolapſo Epiſcopo ad ſe abſolvendum proprium ſibi deligere confeſſorem, cum eadem autoritate quam poteſt erga proprios ſibi ſubditos exercere. Ijdem pariter admonent ſub nomine abſolutionis & diſpenſationis quam poteſt Epiſcopus indulgere in occultis, nequaquam comprehendi rehabilitationes pro quibus recurrendum eſt ad Apoſtolicam ſedem. Atque ita poſſe quidem ab Epiſcopo in occulta v.g. ſimonia abſolui ſimoniæ crimen & inde conſurgentem excommunicationem abſolui: nullatenus tamen rehabilitari ſimoniacum ad beneficia in poſterum obtinenda, neque ad retinenda beneficia eorumque fructus quæ & quos per ſimoniam illam occultam eſt adeptus.

Cap. VIII. *Apoſtolus monet 1. Timo. 5. publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam injungi oportet publicam, ut quos exemplo ſuo ad malum provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare quando ita magis judicaverit expedire. In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſijs ubi id commode fieri poterit pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim in choro præſens cenſeatur.*

Cap. IX. *Datur poteſtas Epiſcopo proximiori, non ſolum Eccleſias ſæculares exemptas, verum etiam eas quæ nullius diœceſis ſunt viſitandi, quibuſcunque privilegijs nihil obſtantibus.* Deinde ſequenti Cap. X. ſic proſequitur ſtatuens generalem regulam. *Nec in his ubi de viſitatione aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, aut appellatio ſeu querela etiam ad ſedem Apoſtolicam interpoſita executionem eorum quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat aut ſuſpendat.*

Cap. XI. *Quoniam privilegia & exemptiones quæ varijs titulis pleriſque conceduntur hodie perturbationem in Epiſcoporum juriſdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur, hac de cauſa Sacrum Concilium Epiſcopis autoritatem delegatorum Apoſtolicorum indulget, ut hoc titulo in eos qui honorariorum aliquot titulorum protonotariorum, comitum palatinorum, capellanorum regiorum, aliorumque id genus titulorum decorantur, poſſint animadvertere, judicare, & canonicis pœnis coërcere: exceptis illis qui Eccleſijs privilegiatis, & ſacris militijs actu ſerviunt. Si tamen hi quoque beneficia tenent Eccleſiaſtica, in his ſaltem erunt Epiſcopali ſubjecti juriſdictioni.*

71. Cap. XII. *Obtinentibus in Cathedralibus aut collegiatis Eccleſijs dignitates canonicatus, præbendas, aut portiones non liceat vigore cujuſlibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultra tres menſes ab ijſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe: ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus quæ longius ſervitij tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum quos ratione etiam præſentiæ aut reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentiâ privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia, contra eos juxta ſanctorum canonum conſtitutiones procedatur. Diſtributiones vero qui ſtatis horis interfuerint recipiant. Reliqui quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant juxta Bonifacij VIII. decretum quod incipit: Conſuetudinem, Quod ſancta Synodus revocat in uſum. Omnes vero per ſe & non per ſubſtitutos divina compellantur obire officia. Epiſcopo celebranti, aut alia*

Digitized by Google

*alia Pontificalia exercenti aſſiſtere & inſervire debent Canonici atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter diſtinctè devoteque laudare. Veſtitu inſuper decenti tam in Eccleſia quam extra, aſſiduè utantur. Ab illicitiſque venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant; atque ea morum integritate polleant, ut meritò Eccleſiæ Senatus dici poſſint.*

Commemorata hoc capite Bonifacij VIII. conſtitutio his concipitur verbis ſub tit. de Cler. non reſid. in 6. *Conſuetudinem quæ in quibuſdam partibus inolevit, quâ Canonici & alij beneficiati ſeu Clerici Cathedralium & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum diſtributiones quotidianas, quæ aliàs manualia beneficia ſeu victualia nuncupantur, & tantum reſidentibus tribuuntur, qualitercunque in civitatibus & alijs locis in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ, ſint præſentes, licet divinis Officijs non interſint, ex integro percipiunt, ac ſi continuè ipſis Eccleſijs in eiſdem officijs deſervirent, penitus improbantes: ſtatuimus ut diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcunque rebus conſiſtant, Canonicis, ac alijs beneficiatis, & Clericis ipſarum Eccleſiarum, qui eiſdem officijs in ipſis Eccleſijs adfuerint tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuſlibet ordinationem rationabilem jam factam ſeu faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam acceperit (exceptis illis quos infirmitas, ſeu juſta cauſa, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret,) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas, imò ad omnium reſtitutionem quæ contra noſtram hujuſmodi conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniverſarijs idem decernimus obſervandum.*

72. Cap. XIV. Mandatur Epiſcopis ut conſuetudines aboleant tanquam ſimoniacas & ſordidas, per quas ab admittendis in capitulum vel chorum munera exiguntur ſingulis de capitulo largienda: Solis illis in robore permanentibus quæ in pios uſus convertantur. Eadem legitur prohibitio in c. veniens, & c. Jacobus de ſimon.

73. Cap. XVII. *Cum Eccleſiaſticus ordo pervertatur quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſanctè ſacris Canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus Eccleſijs conſcribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſeipſos non Deum decipientes, ea quæ bene conſtituta ſunt varijs artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt: ſancta Synodus debitam regendis Eccleſijs diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto quod in quibuſcunque perſonis etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ſtatuit ut in poſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſæcularia quam regularia quæcunque etiam commendata pertineant, cujuſcunque ſint tituli, aut qualitatis exiſtant. Illi vero qui in præſenti plures Parochiales Eccleſias aut unam Cathedralem & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino quibuſcunque diſpenſationibus ac unionibus ad vitam non obſtantibus, una tantum Parochiali vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra ſpacium ſex menſium dimittere: alioqui tam Parochiales quam beneficia omnia quæ obtinent ipſo jure vacare cenſeantur, ac tanquam vacantia liberè alijs idoneis conferantur; nec ipſi antea illa obtinentes tutâ conſcientiâ fructus poſt dictum tempus retineant. Optat autem ſancta Synodus ut reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur.*

Sciendum eſt in generali Concilio Lateranenſi ſub Alexandro Papa III. conſtitutum fuiſſe ut qui duobus aut pluribus proviſus fuit incompatibilibus beneficijs ſcilicet plures reſidentias aut animarum curas requirentibus, unum ſibi alijs dimiſſis retineat, ſi autem poſthac habens beneficium curæ aut reſidentiæ adnexum aliud tale de novo accipiat iſtud poſterius collatum vacet ipſo jure. Id refertur c. quia nonnulli de Cler. non reſid. Sed ſubſequutum alterum Lateranenſe pariter generale Concilium ſub Innocentio III. edixit ut ſi quis habens beneficium aliud novum priori incompatibile acquirat, confeſtim vacet primum ſolumque retineat ſecundum. Quod ſi utrumque ſimul retinere contendat, utrumque amittat. Iſtud habetur in capite de multa 28. de præbendis. Quod quia notabile eſt ejus verba ſubjicio. *De multa providentia fuit in Lateranenſi Concilio prohibitum ut nullus diverſas dignitates Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parochiales reciperet contra ſacrorum Canonum inſtituta: alioqui recipiens ſic acceptum amitteret, & largiendi poteſtate conferens privaretur. Quia vero propter præſumptiones & quorumdam cupiditates nullus hactenus fructus de prædicto ſtatuto pervenit: nos evidentius & expreſſius occurrere cupientes, præſenti decreto ſtatuimus ut quicunque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit ipſo jure privatus: & ſi fortè illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur. Is quoque ad quem ſpectat prioris donatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat cui meritò viderit conferendum: & ſi ultra ſex menſes conferre diſtulerit, non ſolum ad alios ſecundum Lateranenſis Concilij ſtatutum ejus collatio devolvatur, ſed etiam tantum de ſuis cogatur proventibus in utilitatem Eccleſiæ cujus eſt illud beneficium aſſignare, quantum à tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem in perſonatibus decernimus eſſe obſervandum: addentes ut in eadem Eccleſia nullus plures dignitates aut perſonatus habere præſumat, etiamſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen & literatas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficijs honorandæ: cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.*

74. Plures uni Clerico præbendas conferri vetant primo Concilium Calchedonenſe can. 10. deinde Nicænum ſecundum can. 15. Agathenſe can. 57. Epaonenſe can. 9. Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 29. Tridentinum ſeſſ. 7. cap. 4. & ſeſſ. 24.

cap.17. & præfata Bonifacij VIII. conſtitutio. Itemque Joannis XXII. extravagans execrabilis de præben. ſimilis quoque habetur in c.veniens & in c. Iacobus de ſimon. S Thomas in quotlibeticarum quæſtionum opere quotlibeto 7. art.15. Theologicè de iſta quæſtione diſtinguendo diſputat. Utrum habere plures ſine animarum cura præbendas ſit peccatum mortale? ſupponit enim de pluribus præbendis animarum curam habentibus regulariter atque ut plurimum eſſe mortale contra jus divinum & naturale, niſi fortè ſint plures campeſtres ac infrequentes curæ, exigui reditus, & convicinæ, in quibus etiam unus idemque curio poteſt jejunus pluries in die Miſſas celebrare, ob Presbyterorum raritatem & incolarum paupertatem. Sic vero diſtinguit Angelicus Doctor ut rerum aliquæ talis ſint conditionis ut eis deformitas ſit inſeparabiliter annexa, ut eſt fornicatio, adulterium, &c. In his porro annumerari poteſt pluralitas curatarum Eccleſiarum incompatibilium, quibus unicus Clericus ſufficere non poſſit. Et huc pertinet prohibitio capitis de multa de præben. ex Concilio Lateranenſi. Quædam vero ſunt res materialiter indifferentes ut levatio feſtucæ de terra, & ſimilia quorum in genere negat eſſe plurium præbendarum poſſeſſionem, quarum vel nulla vel unica ſit curæ animarum annexa: quia in hac pluralitate ineſt quædam deordinatio & cultus divini diminutio dum unus loco plurium inſtituitur. Ergo multo minus cenſeri poteſt iſta pluralitas in genere rerum de ſe bonarum, cujuſmodi eſt eleemoſynarum erogatio. Denique ſunt quædam actiones tertium genus rerum conſtituentes quæ abſolutè conſideratæ deformitatem & inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus advenientibus circumſtantijs bonæ efficiuntur ſicut occidere & percutere hominem, quæ tamen adjiciendo circumſtantias quaſdam efficiuntur bonæ, ut fit in occiſione malefactoris propter juſtitiam, & in percuſſione delinquentis propter correctionem qui duo actus non erunt vitioſi ſed virtuoſi. *In numero harum actionum* (verba hæc ſunt S. Thomæ) *videtur eſſe habere plures præbendas.* Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliquæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita cohoneſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuantur: utputa ſi ſit neceſſitas in pluribus unius obſequij, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ vel tantumdem abſens, quam alius præſens, & ſi qua alia ſunt hujuſmodi. Et tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum ſecundum jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, & lautius vivat, ut facilius ad Epiſcopatum perveniat, non tolluntur prædictæ deformitates ſed augentur: quia cum tali intentione etiam unum beneficium habere eſſet illicitum. Et ſic quidem dicendum eſſet ſecundum jus naturale, etiam nullo poſitivo jure interveniente: Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum *Patet etiam huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam, per quam quidam dicunt illam prohibitionem eſſe abrogatam.* Deinde poſt aliqua interjecta ita concludit S.Thomas: Si autem antiqua jura ſint per conſuetudinem abrogata, tunc prædictis circumſtantijs intervenientibus, etiam ſine diſpenſatione, licitum eſt plures præbendas habere: ſine quibus circumſtantijs licitum non eſt, quantumcunque diſpenſatio intervenerit, eo quod diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis ſed ſolum ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt. Et ex his de facili poteſt patere reſponſio ad objecta. Hactenus Sanctus Thomas.

75. Seſſionis hujus XXIV. Cap.18. Mandatur Epiſcopis ut beneficio animarum curæ annexo vacanti, non aliter provideant quam per concurſum & per concurrentium examen accuratiſſimum, poſt publica ad id proclamata & in ſcriptis affixa edicta; illeque poſt exactum ab examinatoribus juramentum eligatur qui plus omnibus judicatus fuerit idoneus. Et addit: *Caveantque examinatores ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante nec poſt accipiant. Alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi quam alij dantes incurrant, à qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficijs quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in poſterum inhabiles reddantur.*

Cap.XIX. *Decernit ſancta Synodus mandata de providendo & gratias quæ expectativæ dicuntur; nemini amplius, etiam Collegys & Vniverſitatibus, Senatibus, & alijs ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam & alio quovis colore concedi: nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec alia quæcunque gratiæ ad vacatura beneficia, nec indulta ad alienas Eccleſias vel Monaſteria alicui, etiam ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus concedantur, & hactenus conceſſa abrogata eſſe cenſeantur.*

Alexander Papa III. prohibet beneficia promitti ejus qui adhuc vivit c.accepimus de pactis, & c.1. & 2. de conceſ. præben. In Galliæ regno per Concordatum Bononienſe gratiæ expectativæ ceſſavere.

76. Seſſione XXV. Poſt decreta fidei de Purgatorio, de invocatione, Reliquijs, & veneratione Sanctorum, & ſacris imaginibus, pleraque admodum utilia ſancita ſunt de Regularibus & Monialibus.

Cap. I. *Quò facilius ac maturius ubi collapſa eſt vetus & regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius ubi conſervata eſt perſeveret, præcipit ut omnes regulares tam viri quam mulieres ad regulæ quam profeſſi ſunt præſcriptum vitam inſtituant & componant. Atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi qua alia ſunt alicujus regulæ & ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum & veſtitum pertinentia fideliter obſervent. Omniſque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedant: cum compertum ſit ab eis non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim ea*

*quæ*

Digitized by Google

*quæ baſes ſunt & fundamenta totius diſciplinæ regularis exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.*

Cap. II. *Nemini igitur regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere vel tenere; ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui inferiori concedere, etiam ad uſumfructum, ad uſum, vel adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum ſeu Conventuum ad ſolos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis quam profeſſi ſunt conveniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod eis neceſſarium ſit denegetur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ regulæ & ordinis conſtitutiones puniatur.*

Cap. III. *Concedit ſancta Synodus omnibus Monaſterijs & domibus tam virorum quam mulierum & mendicantium, exceptis domibus Fratrum Capucinorum S. Franciſci, & eorum qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps eis bona immobilia poſſidere liceat.*

Cap. IV. *Prohibet ſancta Synodus ne quis regularis ſine ſui Superioris licentia prædicationis vel lectionis aut cujuſvis pij operis prætextu ſubjiciat ſe obſequio alicujus Prælati, Principis, vel Vniverſitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuſcunque perſonæ, ſeu loci, neque ei aliquod privilegium aut facultates ab alijs ſuper ijs obtenta ſuffragetur. Quod ſi contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat regularibus à ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint. Qui vero ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit ab Ordinarijs locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Illi autem qui ſtudiorum cauſa ad Vniverſitates mittuntur, in conventibus tantum habitent: alioqui ab Ordinarijs contra eos procedatur.*

77. Cap. V. *Decernitur atque etiam iubetur ſub obteſtatione divini judicij & interminatione maledictionis æternæ, ut clauſuræ ſanctimonialium curam gerant Epiſcopi, in Monaſterijs quidem ſibi ſubditis ex jure Ordinario, in alijs vero tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati. Et ut nemine obſiſtere auſo decernant, atque inobedientes ſibi per cenſuras Eccleſiaſticas aliaſque pœnas compellant; & ubi opus fuerit invocato brachij ſæcularis auxilio.*

Conſtitutio Papæ Bonifac. VIII. cujus eſt in iſto capite mentio habetur c. periculoſo de ſtatu Monach. in 6. In quo pariter Ordinarijs locorum demandatur circa Monaſteriorum etiam exemptorum clauſuram Apoſtolicorum Legatorum autoritas. Ibidemque Monialibus profeſſis clauſuras Monaſterij egredi prohibetur, externiſque ad illas ingredi niſi ex cauſa legitima & manifeſta, cum ſuperioris licentia. Concilium etiam Matiſconenſe primum can. 2. prohibet Epiſcopis & quibuſcunque Clericis & Laicis niſi ex cauſa neceſſitatis Monaſteria puellarum ingredi, aut cum illis temerè colloqui. Similia quoque ſtatuta fuere Concilij Epaonenſis can. 38.

78. Cap. VI. *In electione Superiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, atque aliarum præpoſitarum, quò omnia recte & ſine ulla fraude fiant, in primis ſancta Synodus diſtricte præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, itaut ſingulorum nomina eligentium nunquam publicentur. Nec in poſterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores aut alios quoſcunque titulares, ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si vero contra hujus decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit. Et his qui ad hunc effectum ſe in Provincialem Abbatem aut Priorem creari permiſerit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis exiſtat. Facultateſque ſuper his conceſſæ eo ipſo abrogatæ cenſeantur: & ſi in poſterum aliæ concedantur, tanquam ſubreptitiæ habeantur.*

Hac Tridentinâ eligendi formâ vetuſtior aboletur quam Lateranenſe ſub Innocentio Papa III. Concilium introduxerat: ut ſcilicet tres de Collegio electi ſuffragia ſingulorum ac vota diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent; & refertur c. quia propter. de electione. Fraus enim multiplex per tres electos poterat effingi libertas etiam & ſecretum votorum ac vocalium poterat impediri aut violari. Cui periculo rectè obviatur per ejuſmodi ſcrutinia dudum ſcripta & plicata, quæ ſinguli ad communem ac in medio poſitam capſulam deferunt. Præterea poterat peræquè intervenire diſſidium in ipſa trium electione qui vota perquirerent, ſicut in electione Officialis aut futuri Superioris.

79. Gallemartius & Barboſa in hoc Tridentinum caput admonent declaratam fuiſſe à ſacra Cardinalium Congregatione Concilij abuſivam illam electionis formam, ideoque nullam & invalidam qua Prælatus qui præſidet electioni proponit ex toto Capitulo duas aut tres perſonas eligendas cæteris excluſis; fit enim cæteris omnibus injuria duplex, primùm libertati eligentium quæ injuſtè coarctatur. Deinde juri quod reliqui habent ut eligi poſſint, cum tamen ſine rationabili cauſa & omni excluſo juridico proceſſu priventur voce

voce paſſiva quâ eligi poſſunt. Præterea ſub hac forma multa monopolia partialitates & ambitus foveri ſimul & occultari poſſunt in commune damnum. Similes quæſtiones in electionibus occurrentes vide plenius & fuſius pertractatas in noſtra theoria & praxi canonica lib.2.cap.22.

80. Cap. X. *Attendant diligenter Epiſcopi & cæteri Superiores Monaſteriorum ſanctimonialium, ut in conſtitutionibus eorum admoneantur ſanctimoniales, ut ſaltem ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant; ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo & alÿs Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat. Quod vero ſanctiſſimum Chriſti corpus intra chorum vel ſepta Monaſterÿ & non in publica Eccleſia conſervetur prohibet ſancta Synodus: non obſtante quolibet indulto aut privilegio.*

De confeſſione & communione à Monachis facienda ſingulis ſaltem menſibus, niſi ex cauſa fortè aliqua quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs Monaſterij intimare Monachi teneantur ut eorum judicio vel abſtineant vel accedant providerat Concilium Viennenſe Clement. 1. §. ſane de ſta. Mon.

81. Cap. XI. *In Monaſterÿs ſeu domibus virorum ſeu mulierum quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas quæ ſunt de ipſorum Monaſteriorum ſeu locorum familia, perſonæ tam regulares quam ſæculares hujuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ÿs quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur niſi de ejuſdem conſenſu ac prævio examine, per eum aut ejus Vicarium faciendo. Excepto Monaſterio Cluniacenſi,* &c.

Ante Tridentinum ex conſtitutione Urbani Papæ III. ad curam Monaſterio ſubjectam non Monachi ſed ſæculares Clerici præficiendi erant ut ſcilicet plenius Epiſcopi diſpoſitioni & juriſdictioni ſubjicerentur c. 1. de Capellis Mona. At Tridentinum etiam curatos regulares Epiſcoporum correctioni & diſpoſitioni indiſcriminatim ſubmittit in omnibus quæ ad curam pertinent animarum.

Cap. XIII. *Controverſias omnes de præcedentia quæ ſæpe cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares quam regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in ijs quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, in deferenda umbella, & alÿs ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat. Exempti autem omnes tam Clerici ſæculares quam regulares quicunque etiam Monachi ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, ÿs tantum exceptis qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.*

82. Cap. XV. Declaratur irrita & invalida omnis religioſa profeſſio emiſſa nondum expleto decimoſexto ætatis anno. Ante Synodum Tridentinam ætas ad profeſſionem requiſita, eadem definita fuerat, quæ ad ineundas nuptias exigebatur: in fœminis ſcilicet duodecim completorum annorum & in maribus quatuordecim annorum expletorum c. ſignificatum & c. cum virum de regularibus. Plura ſuperius requirito quæ congeſſi ad can. 21. Vormatienſis Concilij. Comitia Bleſenſia ſub Henrico Rege III. eamdem cum Tridentina Synodo ætatem poſtulant ad profeſſionem iſtam.

Cap. XVI. *Nulla quoque renunciatio aut obligatio ante profeſſionem facta etiam cum juramento vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi ſive ejus Vicarÿ fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri niſi ſequuta profeſſione: aliter vero facta, etiamſi facta ſit cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita & nullius effectus.* (Et paucis interjectis ſic proſequitur.) *Sed neque ante profeſſionem, excepto victu & veſtitu novitÿ vel novitiæ illius temporis quo in probatione eſt, quocunque prætextu à parentibus, vel propinquis aut curatoribus, ejus Monaſterio aliquid ex bonis ejuſdem tribuatur: ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facile ſi diſceſſerit id recuperare poſſit. Quinetiam præcipit ſancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat. Et ut abeuntibus ante profeſſionem, omnia reſtituantur quæ ſua erant. Quod ut rectè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas ſi opus fuerit compellat.*

83. Cap. XVIII. *Anathemati ſancta Synodus ſubjicit omnes & ſingulas perſonas cujuſcunque qualitatis & conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, ſeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocunque coëgerint aliquam virginem vel viduam, aut aliquam quamcunque mulierem invitam, præterquam in caſibus à jure expreſſis ad ingrediendum Monaſterium, vel ſuſcipiendum habitum cujuſcumque religionis, vel ad emittendam profeſſionem: quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint: quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquomodo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque anathemati ſubjicit eos qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo ſine juſta cauſa impedierint.*

Eamdem

Eamdem ob cauſam quod proximè præceſſit cap.7. conſtitutum eſt ut ſi puella quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit major annis duodecim ſit non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus vel ejus Vicarius aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter. Obligatque Præfectam Monaſterij ut ante menſem veſtitus aut profeſſionis Epiſcopum præmoneat ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ſuo, quandiu Epiſcopo ipſi videbitur. Hoc idem de exploranda futuræ ſanctimonialis per Epiſcopum voluntate ante habitus ſuſceptionem, & pariter ante votorum ſolemnitatem decernitur in Comitijs Bleſenſibus ſub Henrico III. Francorum Rege artic.28.

84. Cap.XIX. *Quicunque regularis prætendat ſe per vim aut metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum eſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque ex cauſa; aut etiam cum habitu ſine licentia Superiorum diſcedere: non audiatur niſi intra quinquennium tantum à die profeſſionis: & tunc non aliter niſi cauſas quas prætendit deduxerit coram Superiore & Ordinario. Quod ſi ante habitum ſponte dimiſerit, nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcunque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur.*

Praxis ſtatim ab ipſo Concilio ubique invaluit, ut ejuſmodi religioſus reclamans ſtatim audiatur, etiamſi habitum dimiſerit: quia hoc plerunque neceſſe eſt ut ſuæ ad reclamandum libertati proſſpiciant, qui ſtatim à fratribus agnoſceretur, & quod ſolet fieri in quibuſdam rigidioribus ordinibus interciperetur & pœnali carcere incluſus in pane & aqua ad pœnitentiam adactus cauſam ſuam agere prohiberetur. Tum quia ſic occurritur gravi hominum ſcandalo, dum conſpicitur quis in habitu regulari ſine comite per devia fugiens aut in diverſorijs degens, moribus fortaſſe inconditis ac diſſolutis. Atque ideo hunc etiam in habitu ſæculari audiendum admonent Martinus Navarra comment.4. de regularib.num.77. & 78. Azorius tom.1.lib.12.cap.4. in fine. Leſſius lib.2. de juſt cap.41. n.64. Bonacina tract. de clauſuris quæſt.2 p.10.difficul.3. & alij commun.

85. In iſta XXV. Eademque poſtrema ſeſſione decretis de regularibus ſubjiciuntur decreta unum & viginti de reformatione, quorum primum reformationem intendit principalium membrorum ac Principum Eccleſiæ, ſcilicet Epiſcoporum ex quorum ſeu capitum influxu & regimine atque exemplis reliquorum membrorum Eccleſiæ corpus componentium ſalus dependet. Quapropter parænesim continet, quæ præcipua illorum qui Eccleſijs præſunt officia his verbis complectitur.

Cap.I. *Optandum eſt ut ij qui Epiſcopale miniſterium ſuſcipiunt, quæ ſint ſuæ partes agnoſcant, ac ſe non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, ſed ad labores & ſollicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant: nec enim dubitandum eſt & fideles reliquos ad religionem innocentiamque facilius inflammandos, ſi præpoſitos ſuos viderint non ea quæ mundi ſunt, ſed animarum ſalutem ac cæleſtem patriam cogitantes. Hæc cum ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam præcipua eſſe ſancta Synodus animadvertat, admonet Epiſcopos omnes ut ſecum ea ſæpe meditantes, factis etiam ipſis ac vitæ actionibus, quod eſt veluti perpetuum prædicandi genus quoddam, ſe muneri ſuo conformes oſtendant: in primis vero mores ſuos omnes ita componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet ut Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat quod à Sancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. Omnino vero eis interdicit ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum canones prohibeant ne res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, ut ijs ut pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant nec diſſipent illorum cauſa: imo quam maximè poteſt eos ſancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica, tam ſæcularia quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud ſanctiſſimum Romanum Pontificem cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non ijs etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplinâ eos fulgere quæ merito omnium in ſe oculos convertant.*

Concil. Carthag. IV. c.15. Concil. Tolet. III. c.7. Concil. Antioche. c.25. Can. Apoſt. 39. & 75.

86. Cap.III. *Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobriè tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat ſi temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potius parere quam ſalutem. Quapropter excommunicationes illæ quæ monitionibus præmiſſis, ad finem revelationis, ut aiunt, pro deperditis, ſeu pro ſubtractis rebus ferri ſolent; à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernantur: & tunc non aliàs, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinatâ quæ ejus animum moveat. Nec ad eas concedendas*

 cujuſvis

*cuiuſvis ſæcularis etiam Magiſtratus autoritate adducatur; ſed totum hoc in ejus arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, perſona, aut loco, vel tempore, eas decernendas eſſe judicaverit.*

Laudatum fuit ab ipſis ethnicis delphicæ vatis mulieris conſtans propoſitum, quæ recuſavit Athenienſibus Magiſtratibus morem gerere, à ſe poſtulantibus ut Alcibiadem diris & imprecationibus devoveret, dicens ſui potius officij eſſe, numinis clementiam precibus & hoſtijs placare atque ad veniam excitare, quam ultionem per execrationes provocare & concitare, ut refert Plutarchus in Alcibiadis vita. Rex Carolus IX. in Comitijs Aurelianenſibus art. 18. Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ admonuit non eſſe monitiones & cenſuras decernendas pro vulgaribus auſis, ſed tantum pro ſcandalis gravibus & criminibus publicis. Quam Aurelianenſem conſtitutionem renovavit edicto anni 1666. Ludovicus Rex XIII. Multis præcedentibus Concilijs hoc idem cautum fuerat ac definitum, ut ſunt Meldenſe can. 56. quo cavetur non ſolum prærequiri ad infligendam excommunicationem, ſed etiam ut non poſſit reus alio remedio emendari & corrigi. Item Aurelianenſe Concilium IV. can. 2. & Vormatienſe can. 13. & Agathenſe can. 3. Videri poſſunt apud Gratianum can. Epiſcopi, & c. nemo Epiſcoporum, & c. nullus Sacerdotum 11. q. 3. S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 15. aſſerit nullam eſſe in Eccleſiæ poteſtate graviorem pœnam ipſa excommunicatione, & citatur in Decreto c. corripiantur 24. q. 3. ubi gloſſa in v. *maior*, ſic infert: ſi excommunicatio eſt pœna maxima, ergo non debet pro levibus criminibus infligi. De hac pœna loquens Apoſtolus 2. Cor. 13. eam refert Eccleſiæ à Domino collatam fuiſſe in ædificationem non in deſtructionem.

Cap. IV. *Contingit ſæpe in quibuſdam Eccleſijs, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus à teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri, vel eleemoſynam hujuſmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facile inveniatur qui velit huic ſe muneri ſubjicere. Sancta Synodus cupiens hæc ad pios uſus relicta quo plenius & utilius fieri poteſt adimpleri, facultatem dat Epiſcopis ut in Synodo Diœceſana: itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis Generalibus re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſijs quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire: ita tamen ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, delegata illi ad pios uſus reliquerunt.*

87. Cap. VII. *Quoniam in beneficijs Eccleſiaſticis omnia quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus ſunt odioſa, Patrum decretis contraria; nemini in poſterum acceſſus aut regreſſus, etiam de conſenſu ad beneficium Eccleſiaſticum cujuſcunque qualitatis concedatur, nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. In coadjutorijs quoque etiam cum futura ſucceſſione idem poſthac obſervetur, ut nemini in quibuſcumque beneficijs Eccleſiaſticis permittantur. Quod ſi quando Eccleſia Cathedralis aut Monaſterij urgens neceſſitas aut evidens utilitas poſtulet Prælato dari coadjutorem, non aliter cum futura ſucceſſione detur, quam hac cauſa prius diligenter à Romano Pontifice ſit cognita; & qualitates omnes in illa concurrere certum ſit, quæ à jure & decretis hujus ſanctæ Synodi in Epiſcopis & Prælatis requiruntur. Aliàs conceſſiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.*

Regreſſus ad renunciata beneficia metu mortis cum ſit poſitivi juris, alicubi admittitur & alibi rejicitur conformiter huic Tridentinæ ſanctioni. Et utique utrinque favent probabiles aliquæ rationes. Rejiciendi cauſa eſt odium hæreditariæ cujuſdam ſucceſſionis in rebus Eccleſiæ, atque major in Eccleſiarum regimine perfectio, ut removeatur procul ab Eccleſijs affectus ſanguinis & carnis. Quæ autem alicubi prævalet oppoſita conſuetudo vim ſumere videtur ex antiquis quibuſdam canonibus quales videntur c. Conſalvus 17. q. 2. ubi Clericus ægritudine preſſus monachiſmum vovit ſi convaleſceret, eaque de cauſa proprio beneficio renunciavit. Sed poſtquam convaluit, Alexandri Papæ ſecundi judicio reſignatum à ſe beneficium reſumpſit. Itemque c. ſuper hoc de renunciatione quo permittitur regreſſus ad reſignatum non ſpontaneè beneficium. Porro metum mortis ex præſenti morbo ſufficere ad reſcindendum actum eo metu factum definitum eſt ab Alexandro Papa III. c. literaturam de voto. Nec vero levis eſt ratio quam in materia regreſſus profert Clemens Papa III. d. c. ſuper hoc, nulla (inquit) ratio veriſimile reddit, ut quiſpiam beneficium multis expenſis & laboribus acquiſitum, quo ſuſtentari debet, facilè ſine magna cauſa ſua ſponte reſignet. Favere pariter videtur alterum regreſſus exemplum approbatum in c. ſi beneficia de præben. in 6. Longè tamen optabile magis & perfectius eſſet ſi Tridentinum hoc decretum ubique prævaleret, quo beneficiorum affectatæ ſucceſſiones & iſtæ in favorem & gratiam ex ſanguinis ac propinquitatis affectu omnino extirparentur, nihil enim poſſeſſor beneficij pateretur detrimenti ſi convaleſceret, quatenus abſque ullo regreſſu in poſſeſſione beneficij perſiſteret quod niſi per mortem vacare potuerat. Atque ita patet reſponſio ad præfatos in oppoſitum allegatos textus ſi per beneficij ſui abdicationem ægrotus non indulſiſſet amori propinquitatis. Vide apud Gratianum multos canones cauſæ 8. quæſt. 1. prohibentes præficere Eccleſijs proprios cognatos: ibidemque exemplum Moyſis propoſitum à S. Hieronymo in c. Moyſes, & ab Origene in c. ſi ergo. Qui cum populi ſimul & tabernaculi præfectura ſublimatus eſſet, nullam præfecturam proprijs liberis commiſit, ſed Joſue ex alia tribu orto: *Ut ſciremus* (ait Hieronymus) *Principatum in populos non ſanguini eſſe deferendum ſed vitæ.*

88. Cap. XI. *Magnam Eccleſijs perniciem afferre*

*ferre ſolet cum earum bona, repræſentatâ pecuniâ in ſucceſſorum præjudicium, alijs locantur: omnes igitur hæ locationes ſi anticipatis ſolutionibus fiant, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validæ intelligantur: quocunque indulto aut privilegio non obſtante: nec hujuſmodi locationes in Romana Curia vel extra eam confirmentur.*

In Concilio Meldenſi & in Capitularibus Caroli Magni & apud Gratianum 12. q.2. habetur iſte canon huc pertinens: *Precaria & commutationes tempore viduatarum Eccleſiarum facta ab his qui loca Epiſcoporum occupaverant reſcindantur.* Ex Concilio autem Bellovacenſi deſumptum c.1. de Precarijs. Precariarum rerum Eccleſiæ tempora definit in quinquennium. Et ſub eodem tit. cap.2. decernitur ſucceſſorem revocare poſſe precariam irrationabiliter à prædeceſſore factam. Denique cap.3. dicit precariam ſolvi obitu ejus cui conceſſa fuerat, ſed non obitu ejus qui conceſſerat, niſi ſucceſſor inde patiatur detrimentum.

89. Cap.XIV. *Quam turpe ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam ac vitæ integritatem miniſtri Eccleſiæ revocentur, populuſque hinc eos magis diſcat revereri, quo illos vita honeſtiores cognoverit: prohibet ſancta Synodus quibuſcunque Clericis ne concubinas aliaſve mulieres de quibus haberi poſſit ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum his ullam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à ſacris Canonibus vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi à Superioribus moniti ab ijs ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum obventionum ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcunque & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus beneficiorum ſuorum & penſionum eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam à beneficiorum ſuorum adminiſtratione quoad Ordinarius etiam uti Sedis Apoſtolicæ delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur: Et ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum ijs etiam verſentur, tunc beneficijs, portionibus ac officijs & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuſcunque honoribus, dignitatibus, beneficijs & officijs in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum ijs ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquam ſemel eas dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat aut ſuſpendat: ſupradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Diaconos aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat: qui ſine ſtrepitu & figura judicij, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. Clerici vero beneficia Eccleſiaſtica aut penſiones non habentes, juxta delicti & contumaciæ perſeverantiam & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis juxta ſacros Canones puniantur. Epiſcopi quoque quod abſit ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint, & à Synodo Provinciali admoniti ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeverent, etiam ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem ſi opus erit, in eos animadvertat.*

Concilium Nicænum can.3. Prohibet cuicumque Clerico ſubintroductam ſecum habere fœminam, unde vel occaſio vel ſuſpicio peccati poſſit ſuboriri. Concilium Arelatenſe ſecundum can.3. pœnam adjungit excommunicationis tam in Clericum quam in fœminam ſi moniti renuant ſeparari. Concilium Toletanum ſecundum can.3. Clericum deponit & excommunicat. Sub tit. de cohabit. Cler. & mul. c. ſi quiſquam jubet Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum ſuſpectam cum fœmina converſationem habentes aut colloquia, ſi ter admoniti non deſiſtant à confabulationibus & colloquijs, excommunicatione feriri c. Clericos, jubet fornicarium Clericum ſi monitus pergat ſuſpendi ab officio ac beneficio, ſed ſi in contumacia perſiſtat, vult penitus ac in perpetuum à beneficijs removeri. Idem edicitur c. ſi autem eod. tit. Sanctio iſta Tridentina contra concubinarios comperitur in omnibus ſuis partibus ferè conformis decreto Concilij Baſileenſis de concubinarijs, quod ſupra ſub eodem Concilio retulimus: quod pariter renovatur in Concordatis Bononienſibus à Synodo quinta Lateranenſi approbatis: quodque iiſdem verbis Concilium Friſingenſe ſuis decretis inſeruit anno 1440. ut accuratè ſervaretur.

90. Cap.XVI. *Statuit ſancta Synodus, ut Eccleſiaſtica beneficia ſecularia quocunque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum inſtitutione, aut aliter quomodocumque retinent, illa deinceps in ſimplex beneficium, etiam aſſignata Vicario perpetuo congruâ portione, non convertantur: non obſtantibus quibuſcumque gratijs quæ ſuum plenarium effectum non ſunt conſequutæ. In ijs vero in quibus contra earum inſtitutionem ſeu fundationem, cura animarum in Vicarium perpetuum tranſlata eſt, etiamſi in hoc ſtatu ab immemorabili tempore reperiantur, ſi congrua portio fructuum Vicario, quocumque nomine is appelletur, non fuerit aſſignata, ea quamprimum & ad minus intra annum à fine hujus præſentis Concilij, arbitrio Ordinarij juxta formam decreti ſub felicis*

*recordationis Paulo tertio aſſignetur. Quod ſi id commodè fieri non poſſit, aut intra dictum terminum factum non erit: cum primum per ceſſum vel per deceſſum Vicarij ſeu Rectoris aut quomodolibet alterum eorum vacaverit, beneficium curam animarum recipiat, ac Vicariæ nomen ceſſet, & in antiquum ſtatum reſtituatur.*

Quemadmodum Tridentini Patres de faciendis ab Ordinario Eccleſiarum unionibus quotieſcumque neceſſarium aut conducibile foret, proſpexerunt ſeſſ.21.cap.5. ita & in hac ſeſſ.25. de uniendis beneficijs quæ perperam olim diviſa fuerant ritè proviſum eſt: prohibitumque ne deinceps quid tale fiat. Enimvero indignum prorſus eſt ut quæ fidelium antiqua pietate deſtinata fuere in ſtipendium eorum qui laborant in Evangelio, diſtrahantur in otioſos & inutiles Clericos, unde deſides & perſæpè cum gravi ſcandalo delicientur ac luxurientur. Vide multa quæ præclarè diſſerit hac de re Gratianus 12. quæſt.1. ex veteri novoque Teſtamento ſelecta. Quibus adde Apoſtoli Pauli effatum: *Qui non vult operari non manducet.* 2.Theſſ.3.

91. Cap.XIX. *Deteſtabilis duellorum uſus fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus eliminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati; ac juriſdictione, & dominio civitatis, caſtri, aut loci in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod obtinent ab Eccleſia dominio, privati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis dominis ſtatim acquirantur. Qui vero pugnam commiſerint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant: & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debeant. Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli tam in jure quam in facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obſtante quocumque privilegio, ſeu prava conſuetudine etiam immemorabili.*

Deinde ab iſto pœnali Tridentino decreto Bullam edidit hujus inſaniæ coërcendæ cauſa ſeveriorem Clemens Papa VIII. In qua cenſuras adverſus criminis hujus reos ſubtrahit alijs quibuſcunque abſolvendas, ſoliſque reſervat Summis Pontificibus præterquam in mortis articulo, quibus etiam involuit quoſcunque duello cooperantes, ipſoſque ex compoſito duelli ſpectatores. Qui ergo hiſce reſervatis excommunicationibus innodantur ad quatuor capita reducuntur: primum ipſi duello decertantes ſive provocarint ſive provocari acceſſerint. Secundo qui locum in ſuis terris ſcienter conceſſerint. Tertio quicunque aliquo modo cooperati fuerint conſilio, mandato, ſuaſione; internuncio, libelli provocatorij ſcripturâ, vel dictamine, vel delatione, & quicunque ſcienter ad hunc conflictum arma ſubminiſtrarint, etiamſi fortaſſe duellum non fuerit ſubſequutum, niſi fortè per ipſoſmet ſteterit ne duellum committeretur qui ab initio cooperati fuerant. Quarto qui de induſtria ſpectatores acceſſerunt: ut colligit Bonacina qui Clementis conſtitutionem per ſingula verba retulit in ſuo tractatu de excommunicationibus extra Bullam Cœnæ Domini diſp.2. qu.3. punct.48. Qui idem ex verbis apertis Bullæ Clementis VIII. infert num.29. cum Filliucio & alijs, eum qui ab alio ad duellum provocatus ipſum acceptavit, ſtatim excommunicatione Bullæ aſtringi, eoſque qui comitantur ad locum pugnæ, non tamen ſi comitentur animo impediendi pugnam; quia tunc actum virtutis exercent & laude dignum. In hac igitur Clementis conſtitutione quidam actus continentur principaliter & propter ſe prohibiti qui idcirco excommunicationi ſubjiciuntur ipſo facto; hi ſunt oblatio libelli provocatorij, ejuſdem acceptatio, acceſſus ad deſtinatum locum, & ipſa pugna ſeu dimicatio etiamſi neutrius mors ſequatur. De cæteris actibus ſi duelli effectus non ſequatur quamvis indubiè peccetur mortaliter & nominatim à Clementis conſtitutione prohibeantur, ſi tamen duellum non ſequitur probabilius eſſe cenſet cum alijs quos citat ipſe Bonacina, minimè incurri cenſuras in illa contentas ob communem & receptiſſimam regulam, ſuadentes mandantes conſulentes non affici Eccleſiaſticis cenſuris niſi efficaciter influxerint ſequuto effectu. Et inſuper pœnas cum odioſæ ſint non eſſe extendendas ſed potius reſtringendas. Denique ut diſtinguatur duellum ab alijs pugnis, & rixis huic excommunicationi non obnoxijs ſic deſcribi ſolet; ut ſit pugna ſingularis, deliberata ab utraque parte ſtatura, ex condicto loco & tempore, cum armis ad occiſionem vel mutilationem vel vulnerationem aptis. Itaque non hic comprehenduntur pugnæ quæ peraguntur pugnis, calcibus, capillorum evulſione; imo neque armis, ſed non ex condicto tempore & loco.

Cap. XX. *Cupiens ſancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolum reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcumque impedimentis conſervari, præter ea quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque Principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos ut Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæque protectores eſſe voluit, jus ſuum Eccleſijs reſtitui non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos & Superiores Ordines reverentiam revocaturos: nec permiſſuros ut officiales aut inferiores magiſtratus Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent: ſed una cum ipſis Principibus debitam ſacris Summorum Pontificum & Conciliorum conſtitutionibus obſervantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, necnon Apoſtolicas*

ſanctiones

*ſanctiones in favorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innovat, exactè ab omnibus obſervari debere. Proptereaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes & ſingulos, cujuſcumque ſtatus & dignitatis extiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tanquam Dei præcipua, ejuſque patrocinio tecta, venerentur: nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, alijſque Dominis temporalibus, ſeu Magiſtratibus, maximeque miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur: ſed ſeverè in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque juriſdictionem impediunt, animadvertant: quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatem, religionem, Eccleſiarumque protectionem exiſtant: imitantes anteriores optimos religioſiſſimoſque Principes, qui res Eccleſiæ ſuæ in primis auctoritate ac munificentiâ auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque in re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet, quo cultus divinus devotè exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in reſidentijs & officijs ſuis, quieti & ſine impedimentis, cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.*

92. Sacri Canones, quos decreto iſto Concilium Tridentinum ſe renovare declarat circa dignitatem & immunitatem Eccleſiæ, habentur circa dignitatem Romanæ Sedis quam nemo judicare poteſt diſt.17. per totam, cui omnes Eccleſiæ & Synodi obtemperare debent. Item diſt.96. c.bene quidem & reliqui canones per totam, ubi decernitur Principes & Magiſtratus ſæculares nullam habere poteſtatem de rebus Eccleſiaſticis diſponendi. Item c. ſi quis ſuadente 17. qu.4. contra percuſſores Clericorum aut Monachorum. Item toto tit. de immunit. Eccl. tum in antiquis, tum in ſexto, tum in Clementinis; tum in extravagantibus. In his paſſim & in c. quanquam de cenſibus prohibetur cenſus & tributa imponi Eccleſijs aut Clericis onera, præſtationes, & vectigalia, vel ſervitutes. Sub pœna excommunicationis ſingularium perſonarum imponentium aut exigentium, & interdictionis Univerſitatum Collegiorum & civitatum ejuſmodi onera indicentium aut exigentium. Item c. felicis de pœnis in 6. contra inſequentes, perſequentes, aut in captivitatem redigentes, percutientes vel occidentes S. R. E. Cardinales, eorumve filios ac nepotes. Itemque adverſus eos qui inſequuntur Clericos vel Religioſos familiares Papæ, & pœnas irrogat poteſtatibus ſecularibus hujuſcemodi inſultus non impedientibus, aut non coërcentibus debitis pœnis. Item in domibus Eccleſiarum non debet judex laicus judicare, aut hoſpitium ſibi aut ſuis vindicare c.1. de immun. Eccl. In Eccleſijs dato humili ingreſſu debet orationibus inſiſti: excluſis clamoribus, ſeditionibus, conſilijs Univerſitatis laicorum, & eorum publicis Parlamentis, vanis colloquijs, negotiationibus & nundinis, ac judicijs ſæcularibus: & in Eccleſijs habitæ à judicibus ſæcularibus ſententiæ atque proceſſus nullatenus valent ſecundum Concilium generale Lugdunenſe ſub Gregorio X. & habetur c. decet domum. de immunit. Eccle. in 6. Concilium etiam generale Lateranenſe ſub Alexandro Papa III. excommunicat quoſcumque collectas imponentes Clericis aut Eccleſijs & quoſcunque juriſdictionem Eccleſiaſticam impedientes aut ſibi uſurpantes judices laicos, & habetur c. non minus de immunit. Eccl. his adde leges ipſas Imperiales l. non ſolent. C. vectigalia nova inſtitui non poſſe, & l. placet C. de ſacroſ. Eccleſ. & Capitularia Caroli Magni. Quibus adjunge c. Valentinianus diſt.63. ut exemplo ſit & documento Chriſtianis Principibus venerationis & obedientiæ religioſæ erga Eccleſiæ ſacros Antiſtites. *Valentinianus Imperator veniens ab Oriente ad Heſperias partes, mortuo Auxentio Arianæ perfidiæ magiſtro, quia Mediolanenſem Eccleſiam ut lupus dilaniaverat, cum vellet Catholicum Deo ordinante ibi conſecrare Epiſcopum, evocans Epiſcopos hæc eis loquutus eſt: Noſtis apertè eruditi quippe divinis eloquijs qualem oporteat eſſe Pontificem, & quod deceat eum non ſolum verbo, ſed etiam converſatione gubernare ſubjectos, & totius imitatorem virtutis ſemetipſum oſtendere, teſtemque doctrinæ converſationem habere bonam. Talem itaque in Pontificali ſede conſtituite, cui & nos qui gubernamus Imperium ſincere noſtra capita ſubmittamus, & ejus monita dum tanquam homines deliquerimus, neceſſariò velut curantis medicamenta ſuſcipiamus. Hæc cum dixiſſet Imperator petijt Synodus ut magis ipſe decerneret ſapiens & pius exiſtens. At ille, ſuper vos eſt iniquitatis electio, vos enim gratiâ divinâ potiti, & illo ſplendore fulgentes melius poteritis eligere. Tunc Sacerdotes egreſſi de Epiſcopali ſede tractabant. Cum autem ordinatione divina, Ambroſius nondum baptizatus electus fuiſſet, exultans Imperator ait, Gratias tibi ago Domine Deus omnipotens & Salvator noſter, quoniam huic viro ego quidem commiſeram corpora, tu autem animas, & meam ſententiam oſtendiſti tuæ juſtitiæ convenire. Cumque Sanctus Ambroſius contriſtaretur de hoc quod acciderat (ut ipſe in ſuis epiſtolis ſcripſit) confortavit eum Imperator & ait: Noli timere quia Deus qui te elegit ſemper te adjuvabit: & ego adjutor & defenſor tuus (ut meum ordinem decet) ſemper exiſtam.* Hoc refert Ambroſius ipſe in epiſtola ad Vercellenſes.

Cap.XXI. *Poſtremo ſancta Synodus omnia & ſingula ſub quibuſcunque clauſulis & verbis quæ de rerum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina tam ſub Felicis recordationis Paulo tertio, ac Iulio tertio, quàm ſub beatiſſimo Pio quarto Pontificibus maximis in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper autoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit & eſſe intelligatur.*

Hoc idem proteſtati fuerant Tridentini Patres ſub Paulo III. Seſſ. VII. de refor. in princ.

Cap.XXII. De Indulgentijs. *Cum poteſtas conferendi Indulgentias, à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa ſit, ſacroſancta Synodus indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum*

*tinendum eſſe docet & præcipit, eóſque anathemate damnat qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Abuſus vero qui in his irrepſerunt & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos & correctos cupiens, præſenti decreto generaliter ſtatuit pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Cæteros vero qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quoquomodo provenerunt, cum ob multiplices locorum & Provinciarum apud quas hi committuntur corruptelas, commode nequeant ſpecialiter prohiberi, mandat omnibus Epiſcopis ut diligenter quiſque abuſus hujuſmodi Eccleſiæ ſuæ colligat, eóſque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententiâ cogniti, ſtatim ad ſummum Romanum Pontificem deferantur: cujus autoritate & prudentia, quod univerſali Eccleſiæ expediet ſtatuatur, ut ita ſanctarum indulgentiarum munus pie ſancte & in corrupte omnibus fidelibus diſpenſetur.*

93. Cap. XXVIII. Decretum fuit de petenda ſacræ univerſalis Synodi à Pio quarto Pontifice Maximo confirmatione, quam ille ſuo diplomate conceſſit anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio Pontificatus ſui anno quinto. Conſtans eſt Catholicorum perſuaſio poſſe errori ſuccumbere Concilia quantumvis numeroſa, niſi approbatione ſupremi totius Eccleſiæ Capitis ac Petri ſucceſſoris muniantur. Cui Chriſtus ipſe promiſit *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* Matth. 16. Et pro certo aſſeruit Lucæ 22. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Nec ſufficienter adeſt totum Eccleſiæ corpus ſi reliquis membris caput ipſum non concurrat vel ſuffragetur. Idcirco Damaſus Pontifex in Romano præſidens Concilio Ariminenſem multo Nicena numeroſiorem damnavit, quâ perfidia Ariana confirmabatur. De qua hæc ipſemet ad Illyrici Epiſcopos ſcribit: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum: quando conſtat neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis Epiſcopatum inviolabiliter cuſtodivit, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum.* Eôdem ſpectat altera iſta ejuſdem Damaſi ad Stephanum & Concilium Africanum ſcribentis ſententia: *Nam ut noſtis Synodum ſine ejus* (loquitur de Romana Cathedra) *autoritate fieri non eſt Catholicum, neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non ſint fulta Apoſtolica autoritate.* Atque ante Damaſi tempora Julius Pontifex in ſua ad Orientales Epiſcopos epiſtola quam integram refert Athanaſius Apolo. 2. itemque Socrates lib. 2. cap. 13. & Sozomenus lib. 3. cap. 9. diſerte aſſerit. *Fuiſſe à Sanctis Apoſtolis traditum, deinde in magna* (hoc eſt Nicæna) *Synodo declaratum non poſſe ullam convocari Synodum inconſulto aut invito Romano Epiſcopo.* Prætereaque ante Nicænam Synodum Marcellus Papa & Martyr in ſua epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ provinciæ, refert ad Apoſtolorum ſanctionem, ut nulla celebretur Synodus abſque Romanæ ſedis beneplacito. Perſpicuum eſt ex ipſa Chalchedonenſis univerſalis Concilij lectione contendiſſe Legatos à latere ſummi Pontificis Leonis magni nefas eſſe Dioſcorum in ſacro Concilio conſedere, eo quod Synodum Epheſi coëgiſſet ſine Apoſtolicæ autoritate ſedis [illegible]: *quod nunquam factum fuerat, neque fieri licitum eſt.* Quibus ex verbis conſtat Concilium Conſtantinopolitanum quod præceſſerat non niſi de conſenſu Damaſi fuiſſe celebratum, cujus etiam patres Orientales approbationem à Damaſo expetiverunt, ut ex ipſorum liquet epiſtola, Concilio ſubjecta. Iſtud præterea magis confirmatur teſtimonio ſeptimæ œcumenicæ Nicænæ Synodi actio. 16. in qua reprobatur præcedens Synodus adverſus ſacras imagines Conſtantinopoli inita, hoc maxime quod inconſulta ſede Apoſtolica fuerit celebrata. Denique in Romano Concilio ſub Papa Symmacho habito, cum Rex Theodoricus convocatis Italiæ Præſulibus diceret ſe ipſos acciviſſe ut cauſam Symmachi criminum aliquorum poſtulati judicarent, reſponderunt univerſi non ad Regem ſed ad Romanum Epiſcopum convocationem Concilij pertinere, quamvis ipſe Papa criminis argueretur: neque prius acquievere niſi poſtquam Symmachus palam aſſeruit ſuo rogatu Epiſcopos fuiſſe à Rege convocatos, ſeque de novo Synodum iſtam approbare. Theologi & ſacrorum canonum periti duas perhibent regulæ iſtius exceptiones. Quarum prima eſt ſi accideret Romanum Epiſcopum infidelem eſſe aut hæreticum. Quo titulo Baronius aſtruit Clerum Romanum legitima fuiſſe inſtructum poteſtate Concilium apud Sinueſſam cogendi, poſtquam compertum fuit Marcellinum Pontificem in perſecutione Diocletiani dijs gentilium immolaſſe. Quod enim à Marcellino minime ſit illa convocata inde liquet, quia ipſe veritatem criminis ſui præfracte denegavit: nec ante veritati acquievit quam multis ſupra omnem dubitationis aleam probationibus ad confitendum demum convictus fuerit & adactus, ut ex actis ipſius Synodi compertum ſit. De hæreſi vero hic docet Bonifacius Moguntinenſis Epiſcopus & Martyr allegatus diſt. 41. c. ſi Papa: *Cunctos judicaturus ipſe à nemine eſt judicandus niſi reprehendatur à fide devius.* Et Innocentius III. Summus Pontifex ſermone 2. de conſecratione Pontificis ait: *In tantum fides mihi neceſſaria eſt, ut cum de cæteris peccatis Deum judicem habeam; propter ſolum peccatum quod in fide committitur poſſem ab Eccleſia judicari.* Altera exceptio aſſignatur in occurrentia ſchiſmatis ſi jus primæ Cathedræ foret inter plures ambiguum; ſicut uſuvenit in Concilijs Piſano & Conſtantienſi, quæ depoſitis illorum temporum ſummis Pontificibus, alios de novo crearunt. Illud quidem Alexandrum V. & hoc poſterius Martinum V.

## *DIATRIBA ECCLESIASTICA circa Tridentinum decretum de vulgata Bibliorum editione.*

1. SESSIONE IV. Sic decernunt Tridentini patres poſt enumeratos ſingillatim divinorum ſcriptorum libros : *Si quis autem libros ipſos integros, cum ſuis omnibus partibus prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Locum iſtum multi perperam detorquent ad ſingulas editionis vulgatæ particulas, cum tamen ſcopus longe diverſus à Concilio intendatur : quod poſtquam libros quoſdam canonicos & ſacros quos hæretici de canone obliterabant, ſacro canoni aſſeruit, ulterius providit hoc eodem decreto, ut ex his etiam libris quos hæretici horum temporum fatebantur nobiſcum eſſe genuinos & canonicæ autoritatis, partes aliquas etiam magnas & inſigniter amplas ſeu ſpurias additiтias & ſuppoſititias eſſe contendebant, debitæ autoritati canonicæ vindicaret. Atque hic eſt verus & germanus atque à Concilio intentus horum verborum ſenſus : *Cum ſuis omnibus partibus.*

2. Hanc vero ſynodum generalem fuiſſe iſto præcipuo fine congregatam, ut provideret ne Chriſti Eccleſia ex erumpentibus Luteranorum, Zuinglianorum, & Calvinianorum, Anabaptiſtarumque ſectis ulterius caperet detrimentum, nemo eſt qui dubitet, idque liquido conſtat ex indictionis diplomate à Paulo III. edito, iſti Concilio præfixo. At vero novatores ſectarij duplicem circa ſacros libros errorem invexerant. Primum enim ſacros aliquos libros de ſacro canone expungebant : quales ſunt Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum : deinde alios quoſdam nobiſcum eſſe canonicos conſentiebant, demptis tamen aliquibus partibus quibus divinam abrogabant autoritatem, eo quod licet in Latinis vulgatis editionibus habeantur, deſunt tamen in Hebræis & Chaldaicis exemplaribus. Huic igitur ſecundo errori occurrere intendit ſacra Synodus per hæc verba : *Cum ſuis omnibus partibus.* Nec vero ulterius ad ſingulas & minutas particulas mens illius collimavit, ut ex ſequentibus nævis perſpicuum fiet, quos jamdudum librariorum incuria & negligentia invexit : quos probatiſſimi & eruditiſſimi Catholici doctores paſſim obſervarunt, quorum permultos hîc recenſebo poſtquam aliquas recenſuero partes quas Catholici unanimes in ſacrarium divinarum ſcripturarum admittunt, ſectarij autem inde tanquam profanas & commentitias eliminant.

3. Negant igitur Novatores eſſe canonica & ſupprimunt ex proprijs biblijs tam Latinis quam vernaculis iſta quæ continentur in Catholicis editionis vulgatæ biblijs Gene. 4. v. 8. *Egrediamur foras.* Et Geneſ. 38. v. 5. *Quo nato parere ultra ceſſavit.* Et Exod. 2. v. 22. *Alterum vero peperit quem vocavit Eliezer, dicens : Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Et 1. Reg. cap. 5. v. 6. *Et ebullierunt villa & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures & facta eſt confuſio mortis magnæ in civitate.* Præterea 1. Regum 10. v. 1. *Et liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt : & hoc tibi ſignum quia unxit te Deus in Principem.* Similiter 1. Reg. 14. v. 41. *Quid eſt quod non reſponderis ſervo tuo hodie? Si in me aut in filio meo Ionatha eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem : aut ſi iniquitas hæc eſt in populo tuo, da ſanctitatem.* Præterea 2. Reg. 4. v. 5. *Et oſtiaria domus purgans triticum obdormivit.* Inſuper 2. Reg. 10. v. 19. *Expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſraël.* Similiter Paralip. lib. 1. cap. 1. v. 32. *Filij autem Dadan Aſſurim, & Latuſſim, & Laomim.* Alia hujuſmodi fere innumera prætermitto, ab hæreticorum biblijs excluſa.

4. Sunt inſuper integra ſacrorum bibliorum capita & partes ingentes in vulgata Latina editione, deſumpta ex Græca Theodotionis tranſlatione, quarum nihil continetur in Hebræis aut Chaldaicis voluminibus, quæ ſimiliter à ſectarijs ut ſpuriæ reſpuuntur, quales legimus in libro Heſter. Et præterea in libro Daniëlis cujus cap. 3. habentur continui ſexaginta ſeptem verſiculi, quos omnes illi expungunt ac rejiciunt. Habentur præterea integra & prolixa capita 13. & 14. comprehendentia Suſannæ & Beli draconis, & carceris Danielis, & tranſlationis prophetæ Habacuc amplas hiſtorias, quarum mentio nulla in Luteranorum & Calvinianorum biblijs vulgaribus aut Latinis. Huic ergo hæreticorum circa libros ſacros errori occurrendum judicavit ſacroſanctum Concilium, quando illos anathemate perculit qui ſacros libros cum ſuis omnibus partibus, quales in vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperint. Neque quidquam definire intendit aut cogitavit de omnibus particulis, aut verborum minutijs univerſis quæ neque res fidei, neque morum diſciplinam convellunt aut labefactant.

5. Ab Apoſtolorum ætate per quatuor fere ſæcula, injuria temporum inevitabili, permulti nævi in Græcam ſeptuaginta interpretum editionem ſimulque in Latinam ex Græco tranſlationem invecti fuerunt. Cui damno mederi volens Romanus Pontifex Damaſus Presbytero Hieronymo linguarum peritiſſimo curam hujus expurgationis demandavit, quâ ſtrenue functus eſt, ut colligitur ex Auguſtini ad Hieronymum epiſtola, & ex ipſius Hieronymi præfatione in Evangelia ad Damaſum. Deinde progreſſu injuriaque ſequentium temporum Sylveſcentibus (quod inevitabile malum eſt) ex innumerorum antiquariorum & tranſcriptorum multitudine mendis, Carolus magnus nunquam ſatis laudatus Princeps ſui quoque officij eſſe duxit hujus emendationis curam. Sic enim de ſe teſtatur in præfatione quam edidit librorum & officiorum Eccleſiaſticorum : *Iampridem univerſos veteris ac novi teſtamenti libros librariorum imperitiâ depravatos, Deo in omnibus adjuvante, examuſſim correxi.* Cæterum poſt multorum ſæculorum decurſum irrepſere denuo in multis bibliorum exemplaribus depravationes, quas emendari & corrigi ſtuduit ipſa Synodus Tridentina. Tantum itaque abeſt ut omnia bibliorum quæ tunc circumferebantur vocabula fuiſſe divinitus inſpirata cenſeret, quin potius in multis locis fuiſſe per ſcriptorum incuriam imperitiam & inadvertentiam vitiata, ideoque accuratiore diligentia corrigenda judicavit. Eamque ſollicitudinem decem ſelectis doctoribus demandavit, inter quos pri-

mus

Digitized by Google

mus nominatus eſt Antonius Filiolus Archiepiſcopus Aquenſis, qui poſt interruptum ſub Paulo Papa III. ſacrum Concilium hujus Synodicæ deliberationis authenticum exemplar Aquas ſextias reverſus, in Archiepiſcopale archivum ab Angelo Maſſarello ſacri Concilij notario acceptum retulit: quod ibidem viſitur, atque inde tranſſumptum, ſuperius una cum alijs ſacris patrum deliberationibus produxi. Filiolus vero non multo poſt ſuum in Gallias reditum diem obijt extremum. Diſtractiſque in diverſa loca correctoribus deputatis, correctiones illæ nunquam in publicam deinceps lucem prodierunt.

6. Enimvero dubitari nullo modo poteſt, eo ipſo tempore quo Tridentina Synodus ipſum iſtud decretum de recipiendis ſacrorum librorum partibus procudebat, ſimulque onus corrigendorum mendorum & abuſuum qui in ſacros libros ſubrepſerant, electis correctoribus imponebat, ſacra vulgatæ editionis biblia tot mendis ſcatuiſſe, ut nullum prorſus Latinorum bibliorum exemplar ab innumeris mendis immune fidelium manibus tereretur. Itaque non potuiſſet de illis hoc ſtatuere quod multis in mentem venit; videlicet omnes hujuſmodi bibliorum particulas & voculas abſque ulla exceptione ſacras eſſe atque canonicas. Sane illo ipſo ſæculo Plantinianæ editionis vulgata biblia ad fidem vetuſtiorum manuſcriptorum totâ Europâ conquiſitorum excuſa, cæteriſque emendatiora judicabant ſapientes doctique viri, & præ cunctis alijs caſtigatiſſima: Et tamen poſt Plantinianam editionẽ aliaſque temporum illorum ſatis caſtigatas & elaboratas, & poſt Concilij Tridentini ætatem, prodijt juſſu Sixti Papæ V. nova & caſtigatior Latinorum bibliorum editio. Qua tamen non contentus Clemens VIII. Pontifex, alteram multis locis correctiorem quam fuerat Sixtina concinnari fecit bibliorum Latinorum editionem quæ nunc prævalet. Et tamen Sixti V. conſtitutio anno edita 1589. cujus eſt initium. *Æternus ille cæleſtium*, quam biblijs ſuâ curâ correctis præfixerat, ita loquitur: *De Apoſtolica autoritatis plenitudine ſtatuimus ac declaramus, eam vulgatam ſacram tam veteris quam novi teſtamenti editionem Latinam qua pro autentica à Concilio Tridentino recepta eſt, ſine ulla dubitatione ac controverſia cenſendam eſſe hanc ipſam, quam nunc prout optimè fieri potuit, emendatam & in Vaticana typographia impreſſam, in univerſa Chriſtiana republica, atque in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſijs legendam evulgamus. Eamque nunc demum Apoſtolica nobis à Domino tradita autoritate comprobatam, pro vera legitima, autentica & indubitata, in omnibus publicis privatiſque diſputationibus, lectionibus, pradicationibus, & explanationibus recipiendam & tenendam eſſe.*

7. Ea tamen Sixti conſtitutio nihil obſtitit quo minus poſtmodum Clemens VIII. poſt Sixtinam editionem, aliam novam priore illa emendatiorem edi curaverit, multis tum additis tum detractis vocabulis, alijſque paſſim tranſpoſitis, nonnulliſque etiam fidei doctrinam non concernentibus, apertam etiam contrarietatem ſeu contradictionem habentibus, ut affirmat ipſa Clementis bulla, quam refert poſt Sixti bullam collector bullarum Cherubinus in ſuo Bullario. Dicendum itaque Sixtum emendatiora quam antea erant biblia ſuppeditaſſe, non tamen ab omnibus expurgata mendis: neque per id poteſtatem futuris Pontificibus fuiſſe præreptam caſtigatiores codices publicandi. Hoc vero unum intendiſſe tam Sixtum quam Clementem, novam quam uterque exhibebat editionem, fuiſſe his quæ præceſſerant expurgatiorem: & præterea ſi quid poſſit eis poſt hac de novo emendari, id omne indifferens eſſe ad ſanam fidei doctrinam.

8. Quinetiam ſubinde poſt Clementinam bibliorum editionem Franciſcus Lucas Theologus & Decanus Cathedralis Eccleſiæ Audomarenſis libellum edidit continentem plures lectionum varietates, quibus perfectior reddi poſſit ipſa Clementis editio, ſi accederet alterius Romani Pontificis autoritas. Collectio autem Franciſci Lucæ comprehendit quatuor mille & amplius loca quæ in biblijs à Clemente correctis ulterius, ut ipſe exiſtimat, poſſent emendari. Idemque in epiſtola hujuſce collectionis dedicatoria refert ex literis ad ſeipsũ ſcriptis Roberti Bellarmini Cardinalis, & Joannis Bapt. Bandini, quorum operâ Clemens uſus fuerat in edita à ſe bibliorum correctione, *Sacra Biblia per illam Clementinam qua de typographia Vaticana paulo ante prodierat editionem, necdum eſſe accuratiſſimè correcta, & ſupereſſe non pauca qua adhuc in melius mutari poſſent.* Hujus quidem Clementinæ præfatio editionis quæ ab ipſis Pontificijs correctoribus præfixa eſt profitetur: *Hanc editionem pro humana infirmitate omnibus numeris abſolutam difficile eſſe affirmare.* Iſte Franciſcus Lucas alteram quoque procudit collectionem, quæ correctiones pluſquam ter mille recenſet, quibus Sixti editio, biblia vulgata quæ Concilij Tridentini erant in communi totius Eccleſiæ uſu defæcavit. Quiſnam igitur hominum aſſerere auſit in biblijs quibus Tridentini Patres & reliqui tunc temporis fideles utebantur, nullam vocem aut particulam extitiſſe quæ non eſſet divinæ autoritatis? Aut quis poterit hoc idem de Sixtina correctione aſſerere, cum inſequens Clementina correctio quam plurima Sixtinæ correctionis loca inſuper emendarit, & adhibiti ab ipſo Clemente correctores, alijque pietate doctrinaque in primis conſpicui doctores pleraque loca quæ in Clementinis codicibus ſuperſunt mendoſa eſſe pronuncient & perſpicuis argumentis probent?

9. Sancti veteres Eccleſiæ doctores nobis aperte ſuffragantur. Hieronymus qui ſcribit nomen *Ieremiæ* quod etiam nunc legitur Mat. 27. verſ. 9. irrepſiſſe pro *Zacharia*. Epiphanius adverſus hæreſ. in ſecta Epicureorum aperte ſcribit eſſe mendum librariorum id quod etiam nunc legimus Matth. 1. verſ. 11. *Ioſias autem, genuit Iechoniam & fratres ejus.* Et iterum Hieronymus nomen *Iſaiæ* quod legimus Mat. 3. v. 3. credit eſſe addititium: *Nos* (ait) *nomen Iſaiæ putamus additum ſcriptorum vitio: quod & in alijs probare poſſumus.* Sic ille. Alij inſuper priſci patres de quibuſdam alijs ſcripturæ locis expoſtulant fuiſſe ex ſcriptorum vitio depravata. Vt alij quoque graves & orthodoxi atque antiquis illis recentiores, qui tamen ante Tridentinum Concilium ſcripſere Nicolaus Lyranus, Alfonſus Toſtatus, Hugo Cardinalis, Thomas Caietanus, Dionyſius Carthuſianus alijque contendunt diverſa per inadvertentiam librariorum irrepſiſſe in ſacros libros menda. Sed in his non remoror ut ad illos progrediar qui poſt Tridentinum Concilium probatiſſimis ſcriptis Eccleſiam illuſtrarunt.

10. Iſtiuſmodi ſunt Joannes Maldonatus, Ludovicus Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, Andreas

dræas Maſius, Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, Joannes Gagnæus, Alfonſus Salmeron, Cæſar Baronius Cardinalis, Jacobus Tirinus, Nicolaus Serarius, Gaſpar Sanctius, Cornelius à Lapide, Franciſcus Ribera, Dionyſius Petavius, Jacobus Salianus, Torniellus, Robertus Bellarminus Cardinalis, ne alios cenſendo prolixior ſim. Summe Deus quales & quanti viri in quibus eximia pietas, profunda eruditio, ſublimis ſapientia de palma inter ſe contendunt! adeo ut licet aliquis unum aut alterum locorum quæ illi in vulgata Latina editione depravata aſſerunt, à depravatione tamen vindicare fortaſſe queat, hoc ſaltem ſuperſit, tantorum Eccleſiæ præcipuorum ornamentorum luminumque judicio Concilium Tridentinum, quod illi omnes præcipua colebant veneratione, & cui contradicere piaculum credidiſſent, minime judicaſſe, ſingulas vocum particulas, nullâ exceptâ prout in vulgata editione Latina reperiuntur, eſſe canonicas ac divinæ autoritatis.

11. Vulgati codices Latini Joſue 21. v. 36. ſic enunciant: *De tribu Ruben ultra Iordanem contra Iericho, civitates refugij Boſor in ſolitudine, Miſor, & Iaſer, & Iethſon, & Mephaath civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis.* Nicolaus Serarius è ſocietate Jeſu comment. in hunc lócum admonet in primis ex præcedenti cap. 20. verſu octavo, alijſque ſcripturæ locis, ex hiſce tribus Rubenitarum urbibus eam ſolam quæ hic vocatur Boſor eſſe refugij. Sed hoc toto capite confunduntur urbes Leviticæ cum urbibus refugij: qui utique defectus non aliunde proficiſci potuit quam ex ſcribentium inſcitia. Quod eſt etiam obſervandum in alijs cæterarum Tribuum hic recenſitis civitatibus. Etenim ex quadraginta & octo Levitarum urbibus civitates refugij non amplius quam ſex refugij fuerunt à Deo aſſignatæ in univerſa ditione Iſraëlitarum: quamvis in hujus capitis vigeſimi primi verſiculis 21. 27. 32. 36. & 37. promiſcuè & indiſtinctè omnes illæ recenſitæ civitates vocentur refugij. Addit Serarius nomen Miſor in vulgatum Latinum contextum verſu trigeſimo ſexto, ex margine irrepſiſſe. Addit præterea vel eamdem eſſe Jaſer cum Cademoth vel cum inſequente civitate Jethſon, ſed probabilius eſſe Jaſer huc per errorem immigraſſe vice Cademoth. Idemque Serarius verba iſta ſubnectit. *Hinc apparet vulnus alicunde textui huic tam in Latinis, quam in Græcis, quam in Hebreis exemplaribus inflictum, quod nondum hactenus curatum ſatis.* Alfonſus vero Toſtatus hunc ſcopulum induſtriè vitavit: textum enim vulgatum hujus & ſequentium verſiculorum ex hiſtorica aliarum ſcripturarum veritate corrigens non aliter proponit niſi in ſingulari numero *civitatem refugij*: qualis ponitur inter recenſitas ultimo loco, non vero *civitates refugij*: quia reliquæ antea denominatæ Leviticæ tantummodo ſunt.

12. Gaſpar Sanctius ejuſdem ſcriptor Societatis qui ſuis commentarijs univerſam pene ſcripturam elucidavit, ad librum quartum Regum capite decimo quarto, numero decimo octavo & ſequentib. multa diffuſe admodum hac de re pertractat, & pro fundamento regulam iſtam profert: *In biblijs vulgatis fuiſſe multa, & nunc etiam eſſe non pauca quæ ſcriptorum & librariorum incuriâ ſenſim irrepſerunt, quæ mutata ſunt & correcta à Sixto, & multa etiam relicta, quæ cum mutanda viderentur, conſultò tamen relicta ſunt.* Eodemque loco Sanctius obſervat *Hieronymum in ſacra ſcriptura (qualem etiam nunc poſt Sixtinam correctionem habemus) librariorum incuriam deprehendiſſe, ut Iſaiæ capite trigeſimo ſecundo & Matthæi 1. ubi ſermo eſt de Iechonia: & Canum libro undecimo de locis theologicis multa obſervare errata in numeris ex eorum incuria qui olim ſacros libros tranſcripſerunt.*

13. Addit Sanctius *ſæpe in Biblijs contingere, ut una dictio à deſcriptore prætereatur quia alia ei ſimilis conjuncta eſt. Et profert ex pluribus* (ſic enim loquitur) *exemplis pauca hæc etiam poſt Pontificiam correctionem. Heb. 11. verſ. 2. propoſito ſibi gaudio, cum tamen juxta codices Græcos legendum velit pro propoſito gaudio ἀντὶ προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, ut legunt Chryſoſtomus, Theodoritus, Theophylactus, Oecumenius. Sic Rom. 11. inveſtigabiles dicuntur viæ Domini pro ininveſtigabiles. Ante vero Sixti correctionem legebatur interpretabilis, at nunc ininterpretabilis. Græcè δυσερμήνευτος. Et pſal. 118. nunc temporis etiam legitur: præveni in maturitate, pro contrario vocabulo in immaturitate, hoc eſt in tempore nondum opportuno.* Adjungit præterea *Sanctum Hieronymum ad locum Iſaiæ 42. Educet in veritate judicium, obſervare hunc locum mutilatè legi apud Matthæum capite duodecimo, omiſſis iſtis non erit triſtis, neque turbulentus donec ponat in terra judicium. Idque ſcriptoris errore contigiſſe qui hanc vocem (judicium) repetitam in illo Iſaiæ loco non adverterit; ideoque ſemel tantum per inadvertentiam poſuit, omiſſis verbis intermedijs. Quam obſervationem idem repetit Hieronymus ad Aglaſiam quæſt. 2.*

14. Deinde proſequitur Sanctius adjungens *Matth. 1. Secunda genealogiæ Chriſti teſſaradecade fuiſſe omiſſos non ab Evangeliſta, ſed à parum cauto exſcriptore tres iſtos Ochoſiam, Ioam, & Amaſiam, ob vicinitatem & ſimilitudinem nominum Ochoſiæ & Oſiæ, ut inconſultò ſcripſerit aliquis antiquarius Ioram genuit Oſiam; pro Ioram genuit Ochoſiam: quod proclive erat, quia præter reliquam conformitatem habent hæc duo nomina eamdem literam initialem O, nec differunt niſi unâ intermediâ literâ.*

15. Similiter probare & perſuadere nititur Sanctius, *In tertia teſſaradecade ſcriptum fuiſſe à Matthæo Evangeliſta: Ioſias genuit Iechoniam, & poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Iechoniam, eo quod Ioacim filius Ioſiæ fuerit etiam denominatus Iechonias, ut volunt Hieronymus in hunc Matthæi locum (quem idem ſanctiſſimus doctor aſſerit ab exſcriptoribus depravatum) & ſanctus Ambroſius libro tertio in Lucam ad finem, & ſanctus Epiphanius in hæreſi Epicureorum ad finem, qui ſimul depravationem quoque ab exſcriptore hic factam aſſerit.* Hoc ſequuntur teſtimonium prætenſæ hujus depravationis præter Sanctium, Toſtatus Abulenſis, Janſenius Gandavenſis, Mariana in caput primum Matthæi, Garzia Galeriza libro octavo, capite tertio. Difficultates porro quæ opponi poſſunt circa numeros teſſaradecadas nominum, Sanctius abunde conatur explanare.

16. Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus in ſua ad Granuellanum Cardinalem epiſtola quam editis à ſe in Eccleſiaſtici librum commentarijs præfixit, meminit quidem hujus Tridentini decreti : quia tamen aliam eſſe quam à vulgo exiſtimari poſſet iſtius decreti mentem ac ſcopum intelligebat, ſic ibidem de Eccleſiaſtici libro loquitur : *Hic liber præ cæteris ſcripturæ libris, & infelicius apud nos verſus eſt, & corruptiſſimus eſt in pleriſque locis.* Deinde idemtidem per univerſum commentarij ſui opus paſſim pronunciat & oſtendit. *Tranſlationem iſtam qualem nunc habemus vitiatam & corruptam eſſe pluribus locis, ad ſingula capita libri, neque Latinum duntaxat, ſed etiam Græcum exemplar.*

17. Alfonſus Salmeron unus ex primarijs ſancti Ignatij Loiolæ ſocijs qui Tridentino Concilio ſummo jubente Pontifice interfuit, & Joannes Gagnæus Comment. in Act. Apoſtol. capite 27. v. 6. ambo ſcribunt. *Eo loco per errorem irrepſiſſe Lyſtram Lyciæ in Latinis vulgatis, cum ſcribendum eſſet Myram Lyciæ; ſicut habent Græci codices, & legerunt Chryſoſtomus, alijque Græci patres : cum ſit certum Myram eſſe in Lycia : Lyſtram autem hic ipſe liber Actuum cap. 14. collocet in provincia Lycaoniæ.* Iſtam Salmeronis & Gagnæi ſententiam refert Lorinus commentar. in Act. Apoſtolor. capite vigeſimo ſeptimo.

18. Joannes Maldonatus ejuſdem ſcriptor Societatis comment. in Matth. 1. verſ. 11. *Ait hunc verſiculum eſſe ſcriptorum vitio depravatum, & ſic legendum eſſe Ioſias autem genuit Ioacim & fratres ejus, &c.* Deinde verſum 12. *Similiter ipſius judicio depravatum ſic eſſe legendum : Ioacim autem genuit Iechoniam.* Idemque Maldonatus Matthæi vigeſimo ſeptimo verſu nono. *Docet nomen Ieremiæ quod ibi legitur, fuiſſe ab aliquo indocto margini appoſitum, deinde ab altero æque imperito tranſlatum in ipſum textum : cum tamen memorata ibi prophetia non ſit Ieremiæ ſed Zachariæ.* Iſtam circa hunc locum ſententiam Maldonatus communem habet cum ſancto Hieronymo & Cornelio Janſenio Gandavenſi commentar. in hunc ipſum locum, ut taceam Lyranum, Hugonem Cardinalem, Dionyſium Cartuſianum, qui fuerunt in eadem ſententia ante Synodum Tridentinam.

19. Jacobus Tyrinus ſocietatis Jeſu 1. Paralip. capite quarto, verſu vigeſimo ſecundo. Haud ſatis probat verſiones iſtas : *Qui ſtare fecit ſolem, ut viros mendacij, & ſecurum, & incendentem, cùm ſint nominum propriorum Iokim, & Caſeba, & Ioas.* Quin etiam adjungit, *vocem ſolis quæ legitur in omnibus vulgatis etiam ultimo correctis biblijs, fuiſſe olim hic inſertam à ſciolo, deductamque ex anilibus Iudæorum fabulis.* Idemque Tyrinus nec non ex eadem ſocietate alij duo eruditiſſimi ſcriptores Jacobus Salianus ad annum 3150. numero quinto & ſequentibus, atque Dionyſius Petavius ration. temp. part. 1. cap. 11. Caietanus pariter in 2. Paralipo. & Torniellus in annalibus unanimiter omnes ſcribunt, in libro ſecundo Paralip. capite vigeſimo ſecundo, verſu ſecundo. *Mendoſe legi tam in Latinis quam in Hebrais voluminibus, quadraginta duos annos, pro duobus & viginti, ſicut habetur 4. Regum capite octavo, verſu vigeſimo ſexto.* Cornelius à Lapide comment. ad 2. libr. Paralip. capite vigeſimo ſecundo. *Aperte affirmat eſſe ibi mendum numerorum, & contrarias rationes ſolide rejicit. Additque idem affirmari à Bellarmino Cardinali meritiſſimo in manuſcripta concordia annorum Iſrael & Iuda quam penes ſe habet.* Deinde ſic ait : *Plura in editione vulgata à Romanis correcta ſunt, & corrigi poſſent, ut ipſi correctores in præfatione fatentur. Sic multi demum Cainam à ſerie generationum, in genealogia Chriſti, cum tamen eum conſtanter habeant omnia Græca, Latina, Syra, & Arabica exemplaria Lucæ 3. verſ. 36.* Hactenus Cornelius à Lapide. Qui idem ſcribens in Paulum hæc ejus verba Roman. 6. *An ignoratis fratres quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus?* Mendoſa eſſe ait & corrigenda eſſe ex Græco exemplari, in Chriſtum. Atque ita Latine reddi apud Tertullianum libro de reſurrectione carnis. Similiterque legendum eſſe in mortem : utrumque enim habent Græci prototypi εἰς Χριστὸν & εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ, ut ſit ſenſus genuinus exploratuſque nos per baptiſmum inſeri in Chriſtum & in ejus myſticum corpus coaleſcere : nec non per immerſionem fideles quoſque in ſimilitudinem & repræſentationem mortis & ſepulturæ Chriſti conſecrati & conformari. Similiter Franciſcus Ribera in caput duodecimum ad Hebræos hunc locum mendoſe legi aſſeverat : *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Cum tamen propoſitio iſta *pro* duplicanda eſſet, ut ipſe exiſtimat juxta Græcum exemplar ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς.

20. Moïſius Lipomanus Veronæ Epiſcopus & Andræas Maſius intricati ambo perplexis difficultatibus conciliandi cum narratione Moïſis ea quæ perhibet ſanctus Stephanus de vocatione & migratione Abrahami, nodum iſtum quaſi Gordium exſcindere facilius quam ſolnere duxerunt; & ſcripſerunt : *antiquarios exſcribendo Actuum caput ſeptimum ſive per incuriam ſive per imperitam audaciam vitiaſſe.* Non deſunt tamen rationes conciliandi loca in ſpeciem contraria quas alij quidem expoſitores excogitarunt.

21. Cæſar Baronius Cardinalis de Eccleſia optime eximieque meritus, rationibus quibuſdam Chronologicis adductus aſſerit ad Chriſti annum 59. ſubeſſe mendum in omnibus Pauli Apoſtoli exemplaribus 2. Timo. 4. v. 20. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti, cum autumet dicendum Melitæ.

22. Præ cunctis Bibliorum editionibus præcipuam certe laudem ac venerationem meretur Latina vulgata à melioribus & ſincerioribus ingenijs cæteris omnibus tranſlationibus prælata, quamque univerſa Eccleſia reliquis omnibus poſthabitis complexa eſt : Nec minus tamen ſupra cenſiti Catholici graviſſimique Doctores, alijque quorum mentione ſuperſedeo ipſique illi qui Sixti & Clementis juſſu vulgatam editionem exactius quam antea correxerunt, hoc de ipſa in præfatione quam biblijs à ſe correctis præmiſerunt, teſtati ſunt : *Non poſſe affirmari quod ſit hæc editio omnibus numeris abſoluta, atque in his non pauca relicta fuiſſe quæ mutanda videbantur.* Nimirum quia menda nonnulla ſic ab antiquo irrepſerant, ut nulla ſuppeterent

exemplaria

exemplaria his mendis vacua. At vero ſapientis veterum librorum & maxime ſacrorum recognitoris eſt nihil ex propria mente innovare: ſed cuncta ad fidem vetuſtiorum & optimorum exemplarium exigere, quantumvis poſſit videri ab antiquis non quidem auctoribus ſed exſcriptoribus alteratus locus.

23. Id vero non ſolum in vulgata Latina editione damnum contingere potuit, ſed in ipſis Hebraicis Græciſque exemplaribus reipſa certum eſt contigiſſe: ut nullum exemplar hujuſmodi prorſus immune à depravationibus reperiri queat: ipſaque Eccleſia ſancta in omni ſæculorum decurſu, vix ac ne vix quidem Codicibus Hebraïcis aut Græcis Latiniſque potita ſit quæ omni ex parte illibata expurgataque eſſent. Exempli gratia in multiplicibus verſibus capitis Joſue 21. videbant adhibiti tum à Sixto tum à Clemente correctores, perſpecta rei veritate legendum eſſe potius, *urbs quam urbes refugij*, tum quia in multiplicibus ibi nominatis urbibus ex alijs ſcripturis certo ſciebant ex multis illis urbibus pauciores fuiſſe refugij, tum quia ipſi Hebræi & Græci codices hanc emendationem roborabant, urbem unam duntaxat exprimunt refugij. Hebræi quidem מִקְלָט אֶת־עִיר Ethir-miclat. Græci autem τὴν πόλιν φυγαδευτηρίου. Nec dubitabant expurgatores Latinæ interpretationis autorem tranſtuliſſe in ſingulari urbem refugij: facile quoque animadvertebant ſciolum quempiam & audaculum ſive tranſcriptorem ſive correctorem, ſeu potius corruptorem, videndo non unicam ſed plures deſignari ſimul civitates, inepte judicaſſe non urbem ſcribendum eſſe, ſed urbes. Quia tamen iſta depravatio ab altiſſimis pridem ſæculis ita inoleverat, nec ullum quantumvis diligenter perquiſitum exemplar Latinum occurrebat, maluerunt modeſti & religioſi emendatores rem uti erat relinquere intactam, quam contra vetuſtiſſimorum omnium Latinorum exemplarium fidem, aliquid ex mente propria commutare. Hac eadem ratione in Evangelio Matthæi capite vigeſimo ſeptimo, verſu nono, Ieremiæ nomen reliquerunt ubi ponendus fuerat Zacharias, vel ipſo ſanctorum Hieronymi & Epiphanij judicio. Atque ita verificatur id quod Clementini expurgatores in limine bibliorum proteſtantur, *ſe multa quæ mutanda videbantur, conſultò immutata reliquiſſe.*

14. Hebræa vero Biblia non eſſe jam pridem à mendis exempta & vacua perſpicies, ſi ea conferas cum Græca ſeptuaginta interpretum tranſlatione; cui tantum detuliſſe Chriſtum ipſum ejuſque Apoſtolos perſpicuum eſt, ut quando ex veteri teſtamento teſtimonia proferunt, eadem enunciare ſoleant ipſis ſeptuaginta interpretum verbis, etiamſi nonnunquam ab Hebraico contextu videantur diſcrepare. Conſtat vero ſeptuaginta interpretes à ſummo Sacerdote ſacroque Pontificum & Seniorum Collegio ad Philadelphum Ægypti Regem miſſos, inſtructos fuiſſe quàm emendatiſſimo & illibato Hebraico exemplari. Nec minus liquidò conſtat, ipſos in ſuo illo Hebraico volumine aliter permulta legiſſe quam nunc temporis, atque ab annis pluſquam mille & ducentis legi ſoleat, ut perſpicue oſtendunt in editis à ſe in pſalterium commentarijs Paulus Burgenſis, Genebrardus, Lorinus, Bellarminus. Fateri ergo neceſſe eſt Hebræorum codices quales à Maſoretis habemus depravationem ab antiquo contraxiſſe. Quæ depravatio poſt reprobationem Synagogæ Judaicæ multis ex cauſis ortum habet, ut ſileam exſcriptorum incuriam, inſcitiam, malam fidem, quam etiam Judæis improperat circa ſcripturas & prophetias de Chriſto in ſuo cum Tryphone Judæo dialogo, tum ex plurium Hebraicarum literarum ſimilitudine quâ facile inter ſe confunduntur: tum etiam ex vocalium apud Hebræos defectu, quarum loco alia pro alijs vocalia puncta obtruſerunt Judæorum Rabbini poſt Chriſtianæ religionis exortum: tum Demum ex interpunctionum periodo, & inciſa dividentium collocatione diverſa, quâ ſenſus ſententiarum & verborum quam ſæpiſſime immutantur, & plane diverſus aperitur inter hodierna Hebraica biblia & ſeptuaginta interpretes.

25. Quod vero attinet ad Græcam ſeptuaginta tranſlationem, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus omnem ſortita fuerat in Eccleſijs auctoritatem: in Oriente quidem uſque nunc: In Occidente autem per annos quingentos ubi Romana Eccleſia cæteræque tum Occiduæ tum Africanæ ab Oceano Atlantico ad Cyrenaicam uſque protenſæ Latinis utebantur Biblijs, ex fonte tranſlationis Græcæ derivatis & converſis, indubitatum eſt tamen ipſam ſeptuaginta editionem progreſſu temporum multis locis à primæva ſua puritate excidiſſe, ut conqueritur Origenes ipſe qui tertio ſæculo floruit in ſuis ad caput decimum ſeptimum Jeremiæ commentarijs; quo factum eſt ut ſacræ ſcripturæ Latina volumina ex Græcis illis converſa eaſdem quoque deformitates contraxerint. Ipſe ſane Origenes quantâ potuit diligentiâ ſeptuaginta expurgavit. Sed iſta expurgatio non diu manſit illibata. Quandoquidem ſanctus martyr Lucianus & Heſychius haud multis poſt Origenem annis operam in emendandis ſeptuaginta collocarunt, ſed inter ſeſe ita diverſam, ut fidem faciat Hieronymus Orientalium Eccleſiarum partem uſam Heſychij emendatione, alteram vero Luciani fuiſſe: quæ tamen duorum inſignium virorum expurgationes non obſtitere quominus nova etiam eaque permulta vitia paulo poſt obrepſerint, ut paſſim ipſe Hieronymus expoſtulat.

16. Quod autem ad Eccleſiarum Latinarum Latina Biblia ſpectat, quibus ipſæ per annos quingentos uſæ ſunt, necdum prævalente Hieronymi tranſlatione, quæ ſola & prior ex Hebraicis voluminibus hauſta fuerat, ſic de illis teſtatur ipſe Hieronymus præfatio. in Joſue. *Apud Latinos tot ſunt exemplaria quot Codices, cum unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt.* Cui ſuffragatur Auguſtinus libro ſecundo de doctrina Chriſt. capite vigeſimo primo. His verbis: *Qui ſcripturas verterunt Latini nullo modo numerari poſſunt, ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & qui aliquantulum facultatis utriuſque linguæ ſibimet habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Et ſane ut fuiſſent illæ verſiones alioqui ſinceræ, illas tamen labes neceſſario

contrahebant, quæ temporum injuriâ codices Græcos unde tranſlatæ erant deformaverant. Sola vero vulgata editio cujus autorem Hieronymum eruditiores credunt ex Hebræis fontibus derivata eſt. Sed ipſa quoque (ut in omnibus rebus quæ privatorum hominum manibus paſſim longoque temporum decurſu teruntur ſimul quoque deteruntur ac vitiantur) nævorum ac privationum haud paucas injurias pertulit ab exſcribentibus librarijs & à correctoribus temerarijs & indoctis. Quocirca multis præconijs collaudanda eſt Pontificum Sixti & Clementis pia ſolicitudo, quâ factum eſt ut defæcatioribus nunc Biblijs fruamur deterſis innumeris quibus & ante & poſt Tridentinam Synodum ſcatebant maculis. Certe nunquam permiſit aut permiſſura eſt divina providentia, ut Biblia ſacra quibus publicè Catholica Eccleſia utitur ejuſmodi erroribus fœdentur, qui divinæ fidei morumque ſanctitati directè & manifeſtè adverſantur. Fraus enim cito detegeretur: & huc collimat Ieſu Chriſti erga ſuam Eccleſiam regimen & directio, ut non habeat ullam maculam & rugam.

27. Sanctorum igitur patrum cohortationibus & exemplis incitati, ſacrorum voluminum lectioni & meditationi incumbamus aſſidue. Per divinas ſcripturas Chriſtus nos ſuaviter alloquitur: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. In his nos pijs ſanctiſque affectibus accendit: Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud. In his ijdem incitantur devoti ſenſus illi intra cordis intima quibus vehementer commoti, duo Chriſti diſcipuli dicebant admirabundi: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Per has nobis innoteſcit fluxarum rerum, & mundi vanitas & fallaciæ, quibus irretiti & execrati ejus amatores amittunt æterna bona, atque in ſempiternum exitium præcipites ruunt. In his inter mundi adverſa conſolamur, atque in æternorum bonorum ſpem atque deſiderium erigimur. Quæcumque enim ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. In his quaſi pretioſiſſimis & ſaluberrimis apothecis, omnium animæ morborum medicamina, & vitiorum remedia condita reperiuntur. Quod pulcherrime admonet ac docet magnus Baſilius homil. in pſal. 1. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος διὰ τοῦτο συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ πνεύματος, ἵν' ὥσπερ ἐν κοινῷ τῶν ψυχῶν ἰατρείῳ, πάντες ἄνθρωποι τὸ ἴαμα τοῦ οἰκείου πάθους ἕκαστοι ἐκλεγώμεθα. Omnis ſcriptura divinitus inſpirata & utilis, ad hoc ſalubriter conſcripta à ſpiritu ſancto, ut quemadmodum in communi medicamentorum officina, cuncti homines ac ſinguli nos, proprij quo infeſtamur morbi remedium colligamus. Juvat pariter Ambroſium audire lib. 1. de offic. cap. 32. præclare admonentem: *Pulchrum eſt ergo ut divinarum ſcripturarum irrigemur alloquio, & quaſi ros ſic in nos Dei verba deſcendant. Cum igitur ſederis ad illam menſam potentis, intellige quis ſit iſte potens: & in paradiſo delectationis poſitus, atque in convivio ſapientiæ collocatus, conſidera quæ apponuntur tibi. Scriptura divina convivium ſapientiæ eſt: ſinguli libri ſingula ſunt fercula. Intellige prius quæ habeantur in ferculis dapes. Et tunc mitte manum: ut ea quæ legis vel quæ accipis à Domino Deo tuo operibus exequaris, & collatam in te gratiam officijs repræſentes.*

## CONCILIUM REMENSE

### *Provinciale celebratum anno 1564.*

1. Ut primum ex Tridentino Concilio Carolus Lotharingus Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Presbyter tituli Sancti Apollinaris Archiepiſcopus Remenſis, ex Ducum Lotharingiæ proſapia Princeps, in Galliam reverſus eſt, omnem adhibuit diligentiam, ut juxta Tridentinam ſanctionem Concilium provinciale Durocottori Remorum convocaret. Ideoque idem ipſe in ultima hujus Remenſis Synodi congregatione publicas Deo gratias agit, quod generalem Synodum Tridentinam cui interfuerat finitam viderit, & provincialem primam poſt generalem primus omnium Metropolitanorum celebraverit, viamque cæteris aperuerit.

2. Primis Eccleſiæ Chriſti ſæculis ſingularum provinciarum Epiſcopi deſignatum in locum à Metropolitano convenientes Synodum bis ſingulis annis celebrabant, ut conſtitutionibus antiquis præſcriptum legimus Apoſtolorum canon. 37. & Nicænæ œcumenicæ Synodi can. 5. Antiochenæ ſub Julio Papa can. 20. & Calchedonenſis can. 19. idque renovat S. Leo Papa epiſt. 82. cap. 7. Idemque epiſt. 62. ad Epiſcopos Siciliæ capite 4. Vide Gratianum diſt. 18. per totam. Deinde mitigata ſubſequentibus temporibus fuit illa duarum provincialium ſingulo quoque anno habendarum obligatio, & ad unicam in anno Synodum limitata per duas generales Synodos ſextam & ſeptimam c. quoniam quidem diſt. 18. Itemque Concilij Aurelianenſis tertij can. 1. Concilium inſuper Lateranenſe generale ſub Innocentio tertio can. 6. nihil amplius requirit unico ſingulis annis provinciali Concilio, & habetur c. ſicut olim. de accuſationibus. Deinde reducta eſt univerſa Concilij provincialis obligatio ad unius convocationem ſingulis triennijs à Concilio quinto Lateranenſi ſub Leone X. Seſſione X. conſtitutione 24 circa finem his verbis: *Concilium provinciale de cætero ſingulis trienniis mandamus.* Et à Concilio Tridentino ſeſ. 24. de refor. cap. 2. His ſuffragantur Galliæ Regum edicta ſcilicet Melodunenſe Henrici III. art. 1. & alterum Ludovici XIII. anni 1610. articul. 6. quibus præcipitur, ut cogantur Synodi provinciales ſingulis triennijs. Ad ultimum eo ſegniciei ventum eſt, ut hoc ipſo in quo verſamur ſæculo nulla fere Concilia hujuſcemodi recenſeri poſſint.

3. Statutum 1. *Omnium parochialium Eccleſiarum rectores obteſtatur in Domino ſancta Synodus cum ſuo grege vivere, & ipſi pro officio deſervire. Laudandi ſunt illi qui non vi coacti, ſed charitate ducti, alijs ceſſerunt Eccleſias quas abſentes non poterant regere. Sed de alijs dolendum maxime qui Eccleſiaſtica & regia auctoritate malunt ſine laude ad officium impelli, quam*

Chriſto

*Chriſto obſequi, & gregi ſuo roganti, fidemque atque opem legitimi rectoris ſui imploranti ſubvenire. Hos iterum admonet ſancta Synodus ut infra tres menſes proximos in ſuis Eccleſijs reſideant, aut illis renuncient, aut aliquos nominent, qui ab Epiſcopis per ſelectos examinatores comprobati illarum Eccleſiarum curam & regimen ſuſcipiant. Quod ſi obſtinati perſtiterint, Epiſcopi officij ſui memores, Deique ac ſanctorum Conciliorum præcepta ac decreta ſequuti, poſt dictum temporis ſpatium curabunt juris adhibere remedia, & deſertas Parochias tandē benemeritis viris aſſignare, eaſque illis ut vacantes conferre. Porro ne quis ſe defunctum munere ſuo putet, ſi otioſus in Eccleſia deſideat, intelligat quoniam præcepto divino mandatum eſt omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini & Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam pro viribus gerere: quæ omnia nequaquam ab his præſtari ac impleri poſſunt qui gregi ſuo non aſſiſtunt neque invigilant.*

Hæc eadem de Paſtorum reſidentia & officijs iiſdem ferè verbis præſcripta fuerant in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. in decr. de refor. cap. 1. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt: Sacroſancta Synodus eos admonet & hortatur ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis ex animo in judicio & veritate paſcant & regant.* Et quibuſdam interjectis. *Sacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis ſive continuum ſive interruptum, nullo pacto debere duos aut ad ſummum tres menſes excedere & haberi rationem ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento.* De reſidentia paſtorum Dominici gregis vide c. Pontifices, & c. ſicut vir, & c. pervenit, & c. ſuggeſtum, & c. ſciſcitaris 7. q. 1. Et generaliter Concilium Agathenſe can. 64. *Clericum qui à ſua Eccleſia vel per tres hebdomadas, vel diebus ſolemnibus Nativitatis, Epiphaniæ, Paſchæ, vel Pentecoſtes à communione privat per triennium.* Habetur c. ſi quis in clero 7. q. 1. Vide pariter tit. de Cler. non reſid. per totum.

Statutum III. *Vt fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum fide, reverentia & devotione accedat, Parochi noſtri ſtudeant quam familiariſſimè poterunt pro ſuſcipientium captu, prius illorum vim & uſum juxta Catholicæ Eccleſiæ doctrinam vernaculâ linguâ explicare: ad eorumque dignam perceptionem capaces invitare atque adhortari, ne per impudentiam & hæreticorum deceptionem plebs imperita ignoret quantum ſit ſibi à Chriſto relictum contra peccata remedium, vel eis abutatur ad mortem & damnationem quæ illi præparavit Salvator noſter ad ſalutem & beatitudinem.*

Deſumptum eſt iſtud ſtatutum ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 7. de refor.

Statutum VI. *Quoniam ferè fit ut cujus vita improbatur, doctrina facilè deſpiciatur: ſi publicum ſcandalum de aliquo parochialis Eccleſiæ rectore ad nos delatum fuerit & probatum, etiam juxta ſanctorum Conciliorum ſanctiones cogemur illi coadjutorem de Eccleſiæ proventu dare, & ad depoſitionem uſque progredi, niſi ſcandalum per vitæ probitatem purgaverit, obſervatâ nihilominus in omnibus juris formâ. Sed ne cuiquam moleſti ſimus; hortamur in Domino parochos noſtros ut in omnibus ſe præbeant exemplum bonorum operum, in caſtitate, ſobrietate, morum gravitate, atque omni honeſtate, ut erubeſcant qui nobis adverſantur inſidiatores, non habentes unde Eccleſiæ Chriſti inſultent.*

4. Præter ſtatuta hujus Synodi numero viginti, publicata ſunt ejuſdem acta novemdecim Congregationibus comprehenſa: inter quas notandæ ſunt propoſitæ in Congregatione XI. de Odeto Caſtillioneo quæſtiones, Cardinali hæretico & Eccleſiæ ſimulque Regi rebelli, qui cum eſſet Bellovacenſis Epiſcopus erat unus ex ſuffraganeis Provinciæ Remenſis, necdum tamen huic per apertam hæreſim vacanti ſedi quiſquam fuerat proviſus ac inſtitutus ſucceſſor: Fratres hujus deſertoris Cardinalis, Gaſpar Admiralius ut vocant, ſeu ſummus rerum maritimarum Præfectus in regno Franciæ, & Franciſcus natu minor cognomen inter arma ſortitus intrepidi equitis, ambo præcipui fautores & duces extitere hæreticorum perduellium; quorum parricidialibus armis fortiſſimè obſtiterunt Principes Lotharingij duo Franciſcus Dux Guiſius hujuſce Remenſis Cardinalis & Archiepiſcopi frater, & Henricus Guiſius Franciſci filius præcipui Catholicorum Duces unde internecina odia inter Guiſianos & Caſtillioneos exarſere. Inſtitit in iſta Congregatione Concilij ſacri promotor ut deſertor Caſtillioneus contumax denunciaretur, ea ratione quia nondum depoſito Bellovacenſi Epiſcopatu ad Concilium iſtud accedere neglexerat. Jam illum Pius Papa IV. citatum ex forma juris nec Romæ ſe ſiſtentem habito Cardinalium conſilio exauctoraverat, affixiſque per urbem ſchedulis anathemate damnatum ſignificaverat, expectabatque Regis pro ſubſtituendo ſucceſſore nominationem. At Vicariorum Bellovacenſis Eccleſiæ vacante jam ſede omnis interierat juriſdictio. Tunc vero Illuſtriſſimus Remenſis rogatus ſententiam dicere, reſpondit velle ſe hoc judicio abſtinere, quia inter ſuam & Caſtillioneorum familiam graves jampridem intercedebant offenſiones ac inimicitiæ. Dixitque ad antiquiorem inter ſedentes Antiſtitem pertinere hoc judicium. Is erat Sueſſionenſis Epiſcopus qui cæteris ei contradicentibus Cardinalem perfugum à contumacia excuſabat; reformidans pro ſe ſuiſque hæreticorum odium & vindictam. Synodi ſenten-

tia tandem fuit ut ea de re ſcriberetur ad Regem, ejuſque voluntas expectaretur.

5. Congreg. XIII. Propoſitum fuit de interdicendis choreis. At Illuſtriſſimo Cardinali Remenſi viſum fuit non eſſe prohibendas: quia pudicitiæ minus ſit periculi ex choreis quam ex otio: idque ſæpius ſe audiiſſe ex matre fœmina ſapientiſſima. Illa quidem ratio ex otio deſumpta dies Dominicos & Feſtivos attingit quibus non licet operari ſerviliter: at nec pariter choreis promiſcui ſexus indulgere, cum divino tantum cultui dies illi ſint aſſignati. Atque ideo excogitandæ potius erant rationes quibus plebs à choreis non minus quam à ſervilibus operibus avocaretur; ut ſcilicet divinis Officijs intra Eccleſiam à prædicationibus, & catechiſmis, & piorum librorum lectionibus intereſſet, aut propoſitis publicè aut privatim Sanctis meditationibus, ut ægrotantes etiam aut alioqui afflictas perſonas viſitarent, ut etiam in privatis habitaculis preces vocales & Roſaria recitarent: neque prohibebantur ijs diebus cognatarum perſonarum nullatenus ſuſpectæ viſitationes & moderata colloquia. Neque vero tantæ autoritatis eſt unius ſapientis matronæ hac in re judicium, ut prævalere poſſit multo ſapientioris Præſulis & univerſæ Eccleſiæ præcellentiſſimi Doctoris Auguſtini judicio: qui cum acriter invehatur in choreas & ſaltationes quas Judæi Sabbathis proprijs & neomenijs exercebant, nullatenus digreditur ad Chriſtianos, quos ſanè majori & fortiori ratione perſtrinxiſſet, ſi hi quoque choreis & tripudijs ſacris diebus indulſiſſent. Atque hoc indicium eſt Sanctum Præſulem providiſſe ſolicitè ut gregis ſui oves Feſtorum dies religioſius impenderent. Sic enim ad populum concionatur in Pſalmum 91. *Sabbathum in præſenti tempore otio quodam & languido & fluxu & luxurioſo celebrant Iudæi. Vacant enim ad nugas: & cum Deus præceperit obſervari Sabbathum, illi in his quæ Deus prohibet obſervant Sabbathum. Vacatio noſtra à malis operibus, vacatio illorum in malis operibus eſt: melius eſt enim arare quam ſaltare.* Idemque tractat. 3. in Joan. ad locum iſtum cap. 1. *Lex per Moyſem data eſt.* Sic loquitur: *Iudæi ſerviliter obſervant diem Sabbathi ad luxuriam ad ebrietatem. Quanto melius fœminæ eorum lanam facerent, quam illo die in neomenijs ſaltarent?* Gallicanis etiam edictis choreæ diebus Feſtis & Dominicis prohibentur, & injungitur publicis officialibus ut eas ijs diebus compeſcant ſc. edicto Aurelianenſi ſub Carolo IX. art. 23. & Bleſenſium ſub Henrico III. comitiorum art. 38. Eadem Congreg. XIII. *Viſum eſt decreto de cultu divino addendum eſſe quod laici tertio quoque die Dominico interſint in ſua Parochiali Eccleſia Miſſæ ſacrificio.* Concilium Eliberritanum patem huic ediderat can. 21. & Vaſionenſe can. 12. & Sardicenſe can. 14. aliàs 11. Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. cap. 4. *Moneat* (inquit) *Epiſcopus populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.*

## *CONCILIVM CAMERACENSE anni 1565.*

1. Citati ſuperiore anno ad Remenſe Concilium Cameracenſes Patres, eoque accedere indignum judicantes, ex quo per Pauli Papæ IV. decretum divulſi à Remenſi Provincia, cujus olim ſuffraganei extiterant, eorum Eccleſia in Metropolim erecta fuerat. Quod Pauli decretum ſucceſſor ipſius Pius IV. ſuo diplomate confirmaverat, non illaudabili quadam æmulatione notum fecere ſe neque dignitatis gradu, neque pietatis ſtudio, neque in Eccleſiam affectu Remenſibus eſſe inferiores, ideoque Concilium iſtud ſeorſum ab illis ſequente anno celebrarunt, diverſis titulis & capitibus diſtinctum.

Tit. V. Cap. IV. *Paſtores non ferant quemquam in ſuis Eccleſijs concionari ſine mandato Ordinarij.*

Tit. VII. Cap. V. *Rejectus ab Ordinario ſi Superiorem adeat, ut negatum beneficium ejus autoritate obtineat; Superior illud beneficium nulla ratione illi conferat, niſi cognitis priùs rejectionis cauſis. Et ſi idoneæ fuerint cur rejici debuerit, omnino non conferat.*

2. Cap. VI. *Quotquot habent curata beneficia unita ſuis Eccleſijs ut Capitula & Abbates, non prius committant Paſtores ijſdem beneficijs curatis, quam præſentati Ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam populus ejus curæ commendatus eſt, à quo ijdem rectores poteſtatem quam curam animarum vocant accipient. Nec poſſint Abbates aut Capitula admiſſos & approbatos ab Ordinario revocare, niſi conſenſerit Epiſcopus. Et ijdem rectores conſtituti mandatis Epiſcoporum omnino pareant: ab ijſque corrigantur ſi quid deliquerint.*

Hoc jampridem fuerat ab Urbano Papa III. conſtitutum c. 1. de Capell. Monach. *In Eccleſijs* (inquit) *ubi Monachi habitant populus per Monachum non regatur: ſed Capellanus qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: itaut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio ejus quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.* Et c. Monachi de ſta. Monach. ſtatuitur per Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. Monachos non poſſe ſingulos poni per Parochias & oppida & villas; non enim decet religioſos extra clauſtrum vivere, aut ſolos per villas & agros incedere ad ſubveniendum Parochianis, & ſi delinquat Parochus debet ſubire ab Ordinario correctionem, ne ob conflictum juriſdictionis inter Monaſterium & Ordinarium pro Parocho qui eſſet Monachus, ipſius correctio aut amotio impediatur.

Cap. VIII. *Curati adminicularios Sacerdotes non recipiant ad miniſterium Sacramentorum & reliqua munera quacumque mercede, niſi Epiſcopo oblati, acceptique ab eo & probati fuerint, & ejus conceſſionis literas habeant.*

Tit. VIII. Cap. I. *Quantum probri & incommodi ebrietas afferat, cum omnibus ordinibus reipublicæ, tum Clero maximè res ipſa docet. Atque eam ob rem ebrioſum hominem navigio jactato ſine ullo gubernaculo Salomon comparat. Nec ullum enim poteſt virtutis aut mentis officium*

*præſtare*

Digitized by Google

*præſtare conſtans, qui temulentiam & ebrietatem ſectatur. Propterea lege veteri Sacerdoti mandabatur vino ut abſtineret, quo tempore munus Sacerdotum eſſet obiturus. Quare præcipit ſancta Synodus ut quicumque in Clero, id eſt in ſorte Domini fuerit annumeratus ab hac ebrietatis & crapulæ macula ſe prorſus abſtineat. Tollatur autem omnino turpis ea conſuetudo, qua mutuo ſe provocant ad hauſtus æquales, certantque hac infamiâ reliquos vincere. Iſaias enim ijs execrationem denunciat qui potentes ſunt ad bibendum vinum. Quicunque vero ex Clero hanc normam contempſerit, niſi à Superiore monitus paruerit, caſtigetur: caſtigatus autem niſi reſipuerit, ſuſpendatur ad tempus ſive ab officio ſive à beneficio.*

Tit.XVIII. Cap.XIII. *Porro Moniales ſtudeant quam accuratiſſimè quas de conſenſu Epiſcopi aut Superioris viſitatoris, juxta Tridentini Concilij decretum, educandas & formandas ſuſceperint convictrices puellas piè & catholicè inſtituere: neque nimium curioſè veſtire & ornare. Verum prout decet puellas inter Chriſti ſponſas verſantes, cum modeſtia & timore duntaxat ornentur.*

Tit.XX. Cap.III. *Doceatur præterea populus imagini cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud quod ſit in artificio aut imaginis ſubſtantia; ſed propter rem ſignificatam, ad quam hic cultus & honos præcipuè refertur. Et ſic admonendus eſt animum orantis aut venerantis in rem ſignatam referri, & non in ſignum, quod non audit nec videt nec ſentit.*

Cap.IV. *Præterea admoneatur populus imperitæ plebis cauſa maximè poſitas eſſe imagines, ut illarum aſpectu docti & moniti patrocinium divorum, & pietatem in Chriſto conſervemus, & eorum vitam imitemur.*

3. Cap. V. *Miracula nulla locum aut autoritatem habeant ſine judicio Eccleſiæ per Epiſcopum declarato: ne præſtigiæ dæmonum aut impoſturæ improborum hominum pro certis veriſque miraculis ad contumeliam nominis divini habeantur.*

Titulo ſequenti de novis & ignotis reliquijs non admittendis, niſi quemadmodum de miraculis novis jam dixerat poſt accuratum examen & approbationem Ordinarij adhibito ſapientiſſimorum conſilio. Quæ omnia de imaginibus, de reliquijs & miraculis deſumpta ſunt ex ſacro Tridentino Concilio ſeſſ.25. cap. de invocatione, veneratione & reliquijs Sanctorum.

4. Tit.XXII. Qui eſt de Indulgentijs, concluduntur hujus Cameracenſis Concilij decreta quemadmodum Tridentini, quod poſtquam anathemate ferijt eos qui negant Eccleſiæ conceſſam à Chriſto poteſtatem indulgentiarum; *earum tamen moderationem requirit & adhiberi cupit: ne* (inquit) *nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur. Et præterea præſenti decreto generaliter ſtatuit pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe.* Hæc Synodus Tridentina. Iſta vero Cameracenſis ita decernit: *Quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur; ideo prohibet ſancta Synodus ne quis ullas novas aut ignotas indulgentias populo commendet & promerendas offerat, niſi prius ab Ordinario viſitatæ fuerint & probatæ. Ac præcipit etiam eadem Synodus ut parochi populum ſuum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibuſdam aut etiam impreſſis libellis temerè fidem adhibeant, qui ex levibus vanis & ſuperſtitioſis cauſis exorbitantes indulgentias pollicentur; cum indulgentiæ non niſi ex pijs & rationalibus cauſis concedi debeant.*

## *CONCILIVM PRIMVM MEDIOLAnenſe ſub Sancto Carolo Borromæo Cardinali Archiepiſcopo anni 1565.*

1. SAnctiſſimus hic Præſul Pij IV. Pontificis maximi ex ſorore nepos, magna ſollicitudine & prudentia ſacroſ. Tridentinum Concil. diu intermiſſum inſtaurari & perfici curavit: eoque felici ſucceſſu concluſo, ad Eccleſiam ſuam Mediolanenſem regreſſus, omnem operam & ſtudium contulit ut œcumenicæ Synodi decreta in tota ſua Provincia quam exactiſſimè ſervarentur. Eoque ſibi propoſito fine, ſingulis triennijs dum vixit Provinciales Synodos juxta præſcriptum Tridentinum coëgit numero ſex, in quibus perfectiſſimi regiminis Eccleſiaſtici formam tradidit, & opero ſtabilivit. Horum primum celebravit anno 1565. cui vir Sanctus præſedit autoritate fultus Apoſtolici à latere per univerſam Italiam Legati. Hujuſce Concilij conſtitutionum part.1. tit.6. ita definitum legitur: *Apoſtoli in quorum locum Epiſcopi ſucceſſerunt, ſatis nobis aperuerunt verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum illorum munus qui in Epiſcopali ſede collocantur.* Hoc ipſum ſancitum fuerat à Concilio Tridentino ſeſſ.5.cap.2. cui ſuffragatur S. Gregorius Nazianzenus ſerm. 1. dum ait: *Ipſam divini verbi diſtributionem eſſe Epiſcoporum omnium primum officium.* Eamdemque repetunt ſententiam Tridentini Patres ſeſſ.24.cap 4. de reform.

Ejuſdem Mediolanenſis Synodi p.2. tit.6. *Qui parochialem Eccleſiam non obtinent, etiamſi regulares fuerint, confeſſiones ne audiant quemadmodum ſtatuit Tridentina Synodus, niſi Epiſcopi ſcripto approbati fuerint. Qui contra fecerit excommunicationis pœnam ſubeat.* Vide Tridentinæ ſeſſionis 23. cap.15.

2. Ibidem Mediolanenſes Patres neceſſario prorſus monito præmuniunt quoſcumque confeſſarios. *Caveant confeſſores ne ante debitam ſatisfactionem illos abſolvant, quibus cum facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata quæ ad pias cauſas facta ſunt perſolvendi, illiſque*

quæ

*que qui ut id facerent ſuperiori confeſsione præceptum ſit, præſtare tamen neglexerint; exceptis illis qui periculoſe ægrotant, quos tamen moneant ut id quod debent quamprimum perſolvant. Et quia interdum in manu falſi teſtis eſt ut non ſolum facultatibus, ſed etiam exiſtimatione ac vitâ homines ſpolientur, idcirco neminem abſolvant qui falſum teſtimonium in judicio alterius detrimento dixerit, niſi prius damno dato quatenus id ſarciri poteſt & violatæ illius exiſtimationi ſatisfecerit. Nec illum quidem abſolvant qui poſt publicum Epiſſcopi monitum de indicandis rebus amiſsis quid de ijs ſciat non indicarit, niſi hoc officium ante perſolverit. Iidem adhibita omni diligentia, conſcientiam examinent ſingulorum qui fænerantur, & qui iniquos contractus exercent: neque quemquam in ijs caſibus abſolvant, niſi debita reſtitutio aut ſatisfactio ex canonum præſcripto prius intercedat.*

Concilium Romanum anni 1078. ſub Gregorio Papa VII. can.5. ſic edicit: *Falſas pœnitentias dicimus quæ non ſecundum autoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunque miles, vel negociator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui alterius bona injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, & recognoſcit ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia, vel negotium derelinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat, bonaque quæ injuſtè abſtulit reſtituat: ne tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit hortamur ut faciat, ut omnipotens Deus cor ejus illuſtret ad pœnitentiam.* Hactenus canon Romanus. Idemque Gregor. VII. Pontifex cum reſciſſet in Britannia Armorica ſeu minori hunc prævaluiſſe abuſum, ut à confeſſoribus auditi pœnitentes tametſi indigni & abſolutionis incapaces, atque in iiſdem ſæpius confeſſis peccatis perſeverantes vel raro vel nunquam ſine abſolutione dimittebantur, ſcripſit ad eos epiſtolam 10. libri 7. Synodum illis indicens quâ provideatur ne ulli confitenti reconciliatio per Sacerdotes indulgeatur qui ſe ab occaſione peccati non alienaverit, aut odium proximi à ſe non abdicarit, aut illatum proximo damnum non reſarciat cum id poſſit, aut alias admonitus reſarcire neglexerit. Definitque infructuoſam eſſe qualemcumque pœnitentiam quæ ſic accipitur, ut in ſimili cauſa aut eadem culpa de qua fit aut fieri debet confeſſio permaneatur. Delegat vero Amatum Olorenſem Epiſcopum ut in Synodo præſit titulo Vicarij Apoſtolici. Concilium præterea Burdegalenſe anni 1583. tit. de pœnitentia monet juſtam cauſam exiſtere pœnitentem imparatum remittendi in aliud tempus quo paratior accedat. Ibidemque addit ſuſpendendam eſſe illius abſolutionem qui cum in anteriori confeſſione ſe ablata reſtituturum promiſiſſet, id præſtare neglexerit, etſi facultas reſtituendi adfuiſſet; præterquam in mortis articulo, dummodo tunc provideatur ut ab hæredibus ſcripto mandato per eum adſtrictis reſtitutio fiat. Plura in hanc rem ſuperius require in Lateranenſis Concilij ſecundi œcumenici ſub Innocentio ſecundo can.22. huc ſpectat etiam c. legatur 14. qu.1. & c.ſatisfactio de pœnit. diſt.3. & c.valet diſt.81. & Rituale Romanum tit. de Sacramentis. Item Lucæ 14. *Quicumque non renunciaverit omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et Math.18.v.35. *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis niſi remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Et Matth.5.v.29. & 30. *Si oculus tuus & ſi manus tua ſcandalizat te erue & abſcide & projice abs te.* Et Matth.16. v.26. *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Et Eccleſiaſt.3. v.27. Qui amat periculum in illo peribit. His adde S. Gregorij Papæ homiliam in Evangelium, ubi quæritur cur cum diſcipuli ad piſcaturam redierint, Mattheus tamen ad telonium non redierit, diſtinguitque negotia quæ peccatum non implicant ab illis quæ ſine peccato exhiberi aut vix aut nullatenus poſſunt. Ad hæc autem neceſſe eſt ut poſt converſionem animus non recurrat.

3. Ejuſdem part.2. tit.25. traduntur præceptiones de vita & honeſtate Clericorum. *Arma* (inquit) *Clericorum ſunt orationes & lacrymæ. Idcirco edicimus ne Clerici arma cujuſvis generis ad offenſionem vel etiam ad defenſionem ferant, exceptis cultellis ad domeſticum vitæ uſum accommodatis: niſi fortè extra civitatem ſuſpectis locis iter eis faciendum ſit. Quod ſi Epiſcopi juſta de cauſa id eis permittendum judicaverint, tunc ſcripto impetratâ veniâ, ipſis uti liceat; non tamen publicè niſi rei aut facti neceſsitas poſtulet. Omninò baliſtâ, haſtis & ſclopeto, telis alijſque hujus generis inſtrumentis interdicimus.*

Concilium Pictavienſe can.10. ita ſancit. *Clerici arma portantes & uſurarij excommunicentur.* Citatur cap.2. de vita & honeſ. Cler. Et lib.5. Capitularium Caroli Magni cap. 179. *Clericis arma portare, & venationes exercere prohibetur.*

*Clerici perſonati non incedant.*

*Choreas privatas aut publicas non agent, nec ſpectabunt.*

4. *A venatione abſtinebunt.* Minimè tamen probabile eſt aliud venationis genus prohibitum hoc loco eſſe quam quod exercetur cum ſtrepitu & clamoribus, ut cum adhibentur venatici canes, vel accipitres vel arma, ut ſunt venabula, haſtæ, baliſtæ, ſclopi quos paulo ante Concilium iſtud ipſum Clericis prohibuit. Approbantur ſolæ quæ retibus, caſſibus, pedicis, viſco ſeu glutine exercentur. Huc ſpectat Concilium Turonenſe III. can.8. & Agathenſe can.55. & Trident. ſeſſ.24. can.12.

*Fabulis, Comedijs & Haſtiludijs, alijſve profanis & inanibus ſpectaculis non intererunt: ne aures & oculi ſacris Officijs additi, ludicris aut impuris actionibus & ſermonibus diſtracti polluantur. Clericalis etiam ordinis hominibus omni genere ſaltationis, & ludis præſertim aleæ ac teſſerarum & talorum interdicimus.*

*Prohibemus etiam globos qui malleis ligneis impelluntur, item follis ludum id eſt pilæ majoris.*

Nec

*Nec ſolum ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectatores eſſe nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere.*

*Si autem valetudinis cauſa interdum parvâ pilâ, aut aliquo non indecoro hujuſmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publicè id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facilè pecuniâ æſtimari poſſit.*

*Non in comeſſationibus & ebrietatibus, ſed ut ſobrie vivamus prædicat Apoſtolus: ideo Clerici minus honeſtis convivijs non interſint neque ad bibendum quemquam incitent.* Deinde ſequenti cap. 26. ſtatuit. *Qui Deo militat implicare ſe negotijs ſæcularibus prohibetur. Ideoque edicimus. Ne Clericus ſacris initiatus aut Eccleſiaſtico beneficio præditus coram judice ſæculari Advocati aut Procuratoris nomine cauſas agat: niſi ab alijs in judicium vocatus, ſuam aut Eccleſiæ, aut propinquorum, etiamſi neceſſe fuerit, & mirabilium perſonarum cauſas, ab Epiſcopo facultate prius conceſſa, tueatur.*

*Ne in profanis negotijs officium tabellionis exerceat.*

5. *Ne artem medendi faciat.*

Obſervandum tamen iſtud de arte medendi eſſe aut tunc temporis fuiſſe non ex jure communi, ſed particulari pro Mediolanenſi Provincia. Jus namque commune ſacris etiam Clericis medendi artem dum ejuſdem periti ſint non interdicit, excepta duntaxat alicujus membri abſciſſione vel aduſtione, c. ſententiam ſanguinis, ne Clerici vel Mona. & c. tua nos de homicid. Verumtamen quia profeſſio iſta multis eſt obnoxia periculis, præſertim circa fœminarum ægritudines: & quia non raro contingit ut per inconſiderationem culpabilem, aut defectum ſufficientis peritiæ moriatur æger, prohibitio iſta fieri juſtè ab Epiſcopo Clericis ſubjectis poteſt.

*Ne in negotiationibus & mercaturis ſe interpretem aut medium interponat.*

*Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.*

*Artes vero honeſtas concedimus ut aliquid manibus ſuis lucretur; quo ſibi quæ ad victum neceſſaria ſunt comparare poſſit.*

*Ne aliena prædia lucri cauſa conducat.*

*Ne aliorum tutelam aut curam ſuſcipiat.*

6. S. Cyprianus epiſt. 66. profert decretum Concilij cujuſdam Africani hoc ipſum prohibens. Quocirca vetat fieri oblationes pro defuncto Gemirio Victore eo quod Presbyterum tutorem teſtamento conſtituiſſet.

*Ne pro alijs fidejubeat.*

*Ne alicujus Principis aut alterius negotiorum procurator ſit, ſine facultate ab Epiſcopo prius per literas impetrata ſingulis annis renovanda.*

Magnam horum partem ſtatuunt Conciliũ Calchedonenſe can. 3. & Tridentinum ſeſſ. 14. de refor. in prœmio & cap. 6. & ſeſſ. 22. de refor. cap. 1.

*Neve parum memor ordinis ac dignitatis ſuæ, ſit in famulatu laicorum, etiam Principum eorumve quibuſvis alijs obſequijs: niſi cui ex cauſa aut ad officium Sacerdotali munere non indignum, Epiſcopus hujus rei poteſtatem ſcripto antea fecerit. Hujuſmodi autem licentiæ ſcripto permiſſæ quotannis renoventur, alioqui irritæ & nullæ ſint.*

*Neve præcurſor aut aſſecla fœminarum, aut diſcumbentibus aſſiſtat aut ancilletur.*

Parte 3. tit. 6. *Novitia ne examinetur intra ſepta Monaſterij, ſed extra in publica ejus Monaſterij Eccleſia ut liberè & fidenter ſuam voluntatem exponere poſſit.*

7. *Quod vero profeſſione facta eleemoſynæ gratiâ ad profeſſam ſuſtentandam Monaſterio datur, id quo tempore puella habitum religionis ſuſcipiet, apud virum monialibus & earum ſuperiori probatum deponatur, ut nullo impedimento, tum monialibus præſto eſſe poſſit.*

Quæ ſanctio iteratur in ſecundo Mediolanenſi Concilio inter capita ad moniales pertinentia. In quibus hoc pariter edicitur *ut tempore profeſſionis Epiſcopus ſummam præſcribat pecuniæ quam puella alimentorum nomine monaſterio det.* (Scilicet alioqui ad profeſſionem non admittenda ſi Monaſterij opes ad eam alendam minimè ſufficiant) *niſi cenſus aut alia bona immobilia quorum fructus annui ejuſdem judicio, ad ea alimenta ſatis ſint, Monaſterio attribuantur.* Itaque Sanctus ipſe Carolus alijque una cum eo ſeverioris ac rigidioris diſciplinæ vindices lege Synodali hoc fieri jubent, quod nonnulli ultra modum tetrici aſſeverare audent, eſſe in quovis ingreſſu Monaſterij ſimoniæ crimen, ſine ullâ diſtinctione eorum quæ præcisè dantur pro neceſſarijs ejus qui poſtulat admitti alimentis, cum ijs quæ ſimoniaco pacto conferuntur ad religioſam admiſſionem, quæ utique res eſt ſacra nec pretio æſtimabilis. Hanc require fuſius tractatam diſputationem in ea theoriæ & praxis noſtræ parte in qua uberius de ſimonia diſſeritur, & probatur tamen hujuſmodi pactiones pro alimentis eſſe ſimoniacas ubi dives eſt Monaſterium; ſed poſſe eſſe licitas juxta S. Thomam, S. Bonaventuram, alioſque graviſſimos Doctores in Monaſterijs inopiâ laborantibus, nec ſufficientibus ad hujuſmodi alimenta præſtanda. Quæ cauſa eſt cur S Carolus ejuſque Concilia velint ut taxatio dotis ſuſcipiendarum Monialium ſit penes loci Epiſcopum, cui videlicet perſpectæ ſint ſingulorum Monaſteriorum vires temporales.

## *CONCILIVM MEDIOLANENSE III. anni 1573.*

1. TIt. VIII. *Ne confeſſarij regulares eorum peccatorum (quorum abſolutio Epiſcopo reſervatur) vinculis irretitos pœnitentes abſolvant: quemadmodum à ſancta Sede Apoſtolica declaratum eſt, hoc eis non licere quamvis privilegiorum ſuorum auctoritate.*

Hoc ipſum jam declaraverat Gregor. Papa XIII. in ſuo diplomate quod incipit: *Cum à ſacra; adeout*



Digitized by Google

*ſi quis regularium amplum obtinuerit privilegium ab Apoſtolica ſede, circa quoſcunque caſus etiam Summo Pontifici reſervatos; ejus tamen limitetur & arcetur poteſtas in ſingulis Diœceſibus circa reſervationes ab Ordinarijs locorum editas.* Id vero decretum Gregor. XIII. ejus ſucceſſores multis reſcriptis confirmarunt, inter quos Clemens Papa VIII. declaravit ſpeciali conſtitutione regulares Societatis Jesu in quibuſcunque verſentur locis non poſſe à caſibus quos ſibi Ordinarij reſervaverint abſque ſpeciali eorum licentia ullam impertiri abſolutionem. Vide in noſtra theoria & praxi permulta hac de re Summorum Pontificum reſcripta & conſtitutiones.

2. Indidem Tit. XVII. *Si Parochus Sacerdotem alium coadjutorem habet, cujus etiam miniſterio facultate eidem Sacerdoti conceſſa utatur ad matrimonia contrahenda intra Parochiæ ſuæ incolas, is illam cautionem adhibeat, ut in libro qui eſt de matrimonijs, illius nomen & cognomen tum præterea diem & menſem & annum notet, quo ille Parochialis curæ ſocius & adjutor adjunctus facultatem à ſe vel ab Epiſcopo conſequutus eſt matrimonia celebrandi. Ne autem celebrandi matrimonij poteſtatem Parochus faciat alij Sacerdoti, qui Epiſcopi judicio nondum probatus eſt ut Sacramenta miniſtret.*

Provida cautio ne quod ſubnaſcatur dubium de matrimonij validitate, ſeu de præſentia proprij Sacerdotis: eo quod Sacerdotes coadjutores ex una in alteram Parochiam commigrare ſoleant: & facile contingat ut eorum nulla ſuperſit recordatio miniſterij ipſorum in Parochia in qua brevi tempore deſervierint, aut non ſatis conſtet utrum eo ipſo tempore limitata vel illimitata fuerit ipſis circa Sacramenta indulta poteſtas.

## CONCILIUM MEDIOLANENSE V. anni 1579.

1. Tit. XI. *Parochus ſi per errorem aliud oleum quam quod infirmorum eſt ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamſi chriſmatis aut catechumenorum fuerit, ut erratum emendet, olei ſacri quod propriè infirmorum eſt unctionem eidem adhibeat, tuncque Sacramenti formam iteret.*

Memoriâ retinenda eſt hæc admonitio, cum facile per inadvertentiam poſſit eventus iſte contingere, & re ita peracta grave negotium faceſſere.

Indidem. *Caveat Parochus ne in Sacramento Extremæ-Unctionis miniſtrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioqui ſi ad illius miniſtrationem accerſitus ire neglexerit, tum rationem Deo reddet, tum pœnâ ab Epiſcopo graviter plectatur. Is porro ad omnem hujus Sacramenti in tempore adminiſtrandi diligentiam, præterquam quod præcipuè cura ſua quæ ſanctæ ſolicitudinis plena eſt officio admodum excitetur, propoſito etiam ſibi exemplo ſanctiſſimi Epiſcopi Malachiæ accendatur, qui referente in ejus vita S. Bernardo tam vehementi animi dolore ex eo affectus eſt, quod culpâ ſuâ mulier quædam Sacramenti hujus gratiâ fraudata deceſſerit, ut totam noctem orando, gemendo, lacrymando conſumpſerit, lacrymarumque vi quaſi maximo imbre pro oleo ſancto quod non miniſtrarat mortuam perfuderit. Mane autem exaudivit Dominus ſanctum ſuum, itaut illa è morte tanquam è ſomno excitata, è lecto ſe erigens Sacramētum hoc acceperit ab eo, ac deinceps à morbo convaluerit.*

2. Pars ſecunda conſtitutionum hujuſce Mediolanenſis Concilij quinti titulos triginta complectitur, in quibus copioſè præſcribuntur cautiones tum circa politiam temporalem, tum circa ſollicitudinem ſpiritualem adhibendæ tempore peſtis, cum adhuc recens eſſet memoria peſtilentiæ illius quæ per Italiam graſſata & Inſubriā, occaſio fuerat ſanctiſſimo Præſuli Carolo tot ſpecimina edendi ſummæ prudentiæ, vigilantiæ, præcautionis & inexhauſtæ charitatis; nec aliunde depromi quam ex iſto Concilio tam accuratæ præcautiones quibus perfectiſſimi Epiſcopi & exactiſſimi civitatum Magiſtratus incumbere tenentur, huic malo imminenti obviam ire, aut jam ſævienti & populanti providere & neceſſitatibus publicis privatiſque occurrere. Ejuſmodi namque temporibus plures fame frigoreque intereunt quàm peſtifera lue, etiam ex eis qui peſte conflictantur facileque evaderent, ſi cæteris vitæ neceſſitatibus ſubventum eſſet. Saluti vero animarum non alibi tam accuratè conſuli poſſit, quā hoc loco proviſum ſit.

## CONCILIUM MEDIOLANENSE VI. anni 1582.

1. Tit. X. *Epiſcopus à confeſſionibus audiendis ſuſpendat aut omnino amoveat confeſſarios etiam regulares jam approbatos, quos pro ſua timorata conſcientia religione viderit in eo munere non ita ſincere, integreque, & cum ædificatione ſe gerere, quemadmodum & tanti miniſterij illis commiſſi ſanctitas poſtulat, & animarum ſalus depoſcit, quæ ſuæ fidei concreditæ ſunt.*

Ratio hujus per S. Carolum & ſacrum cui ille præſidebat Concilium decreti, hæc eſt abſolutiſſima Salus æterna populorum ſuprema lex eſto. Quam eſſet animarum paſtori, qui pro earum etiam ſalute ſanguinem ſuum & vitam exemplo Chriſti profundere & exponere debet, luctuoſū & deplorandum ſi ſciret lupum vaſtatorem intra ſuum ovile graſſari qui ex occulto confeſſionis animabus inſidiaretur, & Sacramentum æternæ redemptionis in earum exitium verteret, nec tamen legitimo veroque paſtori facultas eſſet lupum ab ovili ſuo abigendi.

Ibidem. *Salutariter ex doctrina Spiritus ſancti cautum eſt Chriſti fideles de peccatis confiteri debere quotieſcunque rem actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præſens mortis periculum pertimeſcendum ſit. Quamobrē Parochus curet atque efficiat ut præter id quod Pij V. conſtitutione, atque*

Digitized by Google

*que decreto Provinciali de ægrotante ſancitum eſt, ut ſi quis etiam Parochialis eò profecturus eſt ubi ſit aut peſtis aut hæreſis, aut ubi nullam confeſſarÿ copiam habere poſſit, aut ad bellum iturus ſit, aut pugnam initurus, aut iter infeſtum navigationemque periculoſam facturus, antequam via navigationive ſe committat, peccata confiteatur. Idem officium præſtet de mulieribus proximè parituris.*

Ibidem. *Cum autem vel ab itineris, vel à navigationis, vel à belli, alteriuſve rei periculo, aut negotÿ utcumque ſucceſſit, cura difficili, bene juvante Deo liber erit, hoc eum hortetur item ut quamprimum piè confeſſus Deo gratias agat hujus Sacramenti ſumptione; in quo præcipua ratio quædam ineſt, qua Deo pro collatis immenſis in nos beneficÿs aliquam gratiam referamus.*

Ibid. *Ineunte in primis quadrageſima Epiſcopus quam diligentiſſimè inveſtigabit ſi qui vel in urbe vel in Diœceſi ſint qui opera carnis ſectantes, turpiter vivant: ſi qui item odia & inimicitias exerceant: ſi qui alÿ denique in aliqua alia peccandi conſuetudine uſque jaceant: ſi quos porro ejuſmodi ille compererit, omni ratione atque officio illos ad id inducat, ut à via quæ ducit ad interitum ſine mora ſe abducentes, iter ſalutis omnino vereque ſuſcipiant. Quamobrem eos ipſos ut pro facti ratione magis expedire judicabit, vel privatim ad ſe accerſat, atque adeo invitet quemadmodum ait Apoſtolus opportunè importunè arguat, obſecret, increpet cum omni patientia; vel ſeveriori denique diſciplina in eos agat omni jure omnique officio, ad ſacrorum Canonum Pontificiarumque ſanctionum præſcriptum. Nec vero antequam ipſe perſpexerit iſtos ab ea mala agendi via receſſiſſe, peccandique occaſionem ac publicas offenſiones præcidiſſe, permittat (etiamſi aliqui teſtimonium confeſſarÿ afferant) ne in Paſchali quidem celebritate ſacram communionem eis miniſtrari. Quinimo illam tandiu differri jubeat quoad veram vitæ eorum emendationem Epiſcopus cognoverit.*

Tit. XIV. *Sacerdotes Miſſæ celebrandæ munere ſuſpenſi impeditivè, frequenter, & vero præſertim diebus Dominicis & Feſtis ſacram communionem ſumant.*

Tit. XV. *Quibus autem in Eccleſÿs ob multa variaque defunctorum legata Miſſas uſque adeo multas celebrari oportet, ut ratione ſingulorum dierum quos teſtamento aliâve ultimâ voluntate teſtatores præſcripſerint muneri quod pÿs eorum voluntatibus debetur, ſatisfieri non poſſit; aut eleemoſyna eo nomine adeo tenuis eſt ut non facile inveniatur qui huic ſe muneri ſubjicere velit: idem Epiſcopus in Synodo Diœceſana re accuratè cognita & perſpecta, ſtatuat quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderit expedire: ita tamen ut in ſingulis Miſſis quas jure reductionis celebrari continget, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios uſus reliquerunt: debitæ autem commemorationi ſatisfiet per intentionem applicationis Miſſarum, per preces in ſecundo Memento, & per collectas faciendas in illis Miſſis in quibus collectæ fieri poſſunt.* Vide Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. de refor.

Tit. XVI. *Epiſcopus divinorum officiorum quibus præſens in Eccleſia adeſt initium ſtatis precibus verſibuſque faciat, orationeſque ſtatas ipſe dicat, binis accenſis luminibus in ejus conſpectum allatis.*

Ibid. *Feria quinta cœnæ Domini quo religioſius colatur & cuſtodiatur locus in quo ſanctiſſimum Chriſti Domini corpus recondi ſolemne eſt, Epiſcopus diligenter curet ut in baſilica Cathedrali & in Eccleſÿs tam Collegiatis quam Parochialibus, ſemper unus ſaltem Sacerdos, aut ſacris initiatus eo ſacro loco tanquam in ſtatione collocatus excubet, atque evigilet aſſidua precatione, ſanctaque meditatione.*

Tit. XVII. *Decernimus ne in poſterum corpus aliquod ſepeliatur niſi duodecim ſaltem horis poſtquam ſpiritum exhalaverit. Verum ſi aliquem de improviſo mors aut alicujus morbi repentina vis occupavit, is ne in ſepulcrum inferatur ante vigeſimam quartam hujuſmodi repentini eventus horam: niſi ſecus Epiſcopo ejus videbitur cui ipſe id curæ dederit.*

Tit. XXI. *Epiſcopus ut familiam ſuam in bene vivendi regulis atque officÿs perpetuo contineat, deligat aliquem ex ſuis virum prudentem ſpiritualiſque vitæ ſtudioſum: cui id plane mandet, ut quæ in moribus familiæ emendationem aliquando deſiderant, ea quamprimum ſibi referat animo ſimplici ac puro: ut ipſe prout opportunum eſſe viderit remedium adhibere poſſit. At præterea quò diligentius familiæ ſuæ inſtitutioni conſulat, cum fraternam etiam correctionem inſtituendam curet, tum vero frequentes ſpiritalium rerum collationes & exercitationes, diſciplinæque alias regulas ex Conciliorum Provincialium decretis præſcribat. Quas regulas in tabella ordine deſcriptas ipſi familiæ in conſpectu propoſitas certo loco affigi jubeat. Cum vero aliquem in familiam adſcribet, illas eidem proponat, antequam in familiam illum adſcribat.*

Tit. XXVI. *Æquiſſimum eſt & canone Concilÿ Pariſienſis traditum, eum qui Vicariam Epiſcopi perſonam & munus ſuſtinet, ſacris initiatum eſſe. Quamobrem curet Epiſcopus Vicarium generalem ſibi conſtituere, qui præter cætera quæ in Vicarÿ ejuſmodi perſona requiruntur, ſaltem Subdiaconus ſit.*

Gallicano Bleſenſium comitiorum edito art. 45. prohibetur aliquem conſtitui ab Epiſcopo Vicarium generalem aut Officialem niſi Presbyterum & graduatum.

Tit.XXX. *Ne quis Clericus laicuſve cujuſcunque generis, ordinis, conditionis, ſexus, ætatiſve ſit abſque Epiſcopi Vicarijve ejus conceſſu literis exarato, ad Monialium Monaſteria quovis prætextu cauſave, ac ne eo quidem nomine inviſendi, alloquendive puellas tantum quæ ibi educantur unquam accedat, propoſitis pœnis & cenſuris arbitrio Epiſcopi. Ne quis item abſque ejuſdem Epiſcopi facultate ſcripta, intra ſepta Monaſterij Monialium in poſterum ingredi audeat. Si quis contra fecerit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat ex Concilij Tridentini ſeſſ.25. cap.5. de regularib. & Monialib. Apoſtolicarumque ſanctionum quas Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. eo nomine ediderunt præſcripto. A qua excommunicatione non ab alio niſi à Summo Pontifice Romano abſolvi poſſit.*

Ibid. *Neque impoſterum aliquis Eccleſiaſticus ſæcularis, aut regularis, aut laicus, quocunque gradu autoritate aut dignitate præditus cuiquam homini Eccleſiaſtico, etiam regulari, aut laico, facultatem ad Monialium Monaſteria accedendi, ne colloquendi quidem gratiâ concedat: nec vero Monaſterij ſepta ingrediendi poteſtatem faciat, quavis conſuetudine, ſtatuto, lege, privilegijſve etiam Sedis Apoſtolicæ autoritate, ante Concilij Tridentini promulgationem roboratis & communitis non obſtantibus: Si quis contra commiſerit pœnam excommunicationis ipſo facto ſubeat, aliaſve arbitrio Epiſcopi.*

Ibid. *Collocutionum loca in monialium Monaſterijs tam intrinſecùs quam extrinſecùs conſtituta clavi clauſa perpetuo ſint, niſi cum ibi aliquis eſt collocutionis cauſa ex facultate legitima: clavis autem apud præfectam cuſtodiatur. Nec vero aperiantur loca collocutionum niſi pro exhibente ſcriptam Epiſcopi facultatem.*

Ibid. *Facultas ingrediendi ſepta Monaſterij nulla detur niſi in ſcripto: neque vero quæ ſine ſcriptis conceſſa eſt cuiquam ſuffragetur, niſi quando una cum Epiſcopo in Monaſterium ingreditur. Epiſcopus autem ſolummodo at nullo modo Vicarius generalis hanc poteſtatem faciat, niſi ſpeciatim Epiſcopus hanc illi facultatem delegarit, qua alijs ingrediendi facultatem ſcripto dare poſſit: atque Epiſcopus quidem eam auctoritatem minimè alij demandet, niſi Vicario tantum generali, ac neque ei quidem quando Epiſcopus ipſe præſens eſt.*

Ibid. *Epiſcopi & Prælati omnes tam ſæculares quam regulares quibus Monaſteriorum monialium cura concredita eſt, facultate ſibi ex officio data in ea ingrediendi ita demum utantur, ut ſcilicet cum neceſſaria cauſa urget ingrediantur, paucoſque comites, & eos quidem ſeniores ac religioſos homines ſecum adhibeant: ne pœnas ac cenſuras Gregorij Papæ XIII. Summi Pontificis 23.Decemb.1581. ipſo facto inflictas ſubeant, quam conſtitutionem accuratè ſervent.*

## CONCILIVM TOLETANVM 1565. Pio IV. Pontifice.

1. Mihi compertum non eſt utrum per mortem Metropolitani vacaret illuſtriſſima Hiſpaniarum Toletana ſedes quando Concilium iſtud eſt habitum, an vero diutina ægritudine vel abſentiâ alius quam Metropolitanus præſederit, cujus nulla fit in hac Synodo mentio: eique concurrentibus Pij quarti Pontificis, & Philippi Regis Hiſpaniarum animis præſedit Chriſtophorus Rogius de Sandoval Cordubenſis Epiſcopus.

2. Poſt indictas preces & jejunia, editamque fidei profeſſionem, receptaque ſacroſanctæ Synodi omnia decreta, abſolutaque cætera præſentis Concilij præparatoria ſeu præliminaria. Secunda demum actione ſtatutum eſt de reſidentia Epiſcoporum ſub pœnis à Tridentino Concilio conſtitutis additumque iſtud Decretum.

*Caveant tamen Epiſcopi ne extra ſedem Cathedralis Eccleſiæ, locum aliquem Diœceſis ad continuè habitandum eligant: cum ad totius Diœceſis negotia commodius expedienda illic oportet Epiſcopos habitare ubi ſedes Epiſcopalis fuit conſtituta. Alioqui ſint Epiſcopi memores eam reſidentiam neque Deo gratam eſſe, neque ſacris Canonibus conſonam, & ab hac Synodo potius abſentiam quam reſidentiam cenſendam fore.*

3. Secundo præcipit Epiſcopis viſitationem Diœceſis, ſive per ſe ſive per alios, dummodo ad minus tres menſes ſive continuos ſive interruptos ac interpolatos ſingulis annis extra civitatem Epiſcopalem per ſeipſos munus viſitationis obeant, atque ita ſuccedendo univerſam ipſi Diœceſim luſtrent & benefaciendo pertranſeant. Neque ſe quiſquam eorum ab iſtiuſmodi perſonali viſitatione ſe velit excuſatum quocunque alio impedimento vel cauſâ neceſſitatem abſolutam non inducente.

4. Tertio jubet ut Epiſcopus neminem in ſuam familiam aſciſcat qui non ſit probatis moribus, & laudabile de ſe exemplum præbeat foris & intus, ad imitationem Regis Prophetæ Pſal.100. *Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Dicitque Apoſtolus ad Timo. *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Deinde Concilium hæc ſubjungit: *Sit Epiſcoporum ita modeſta ſupellex ut nec auro contexta, nec aureis telis filiſve ornata, extra altaris & Eccleſiæ miniſterium ſervire debeat.* Conſequenter profana colloquia, omnemque ferculorum luxum ab Epiſcoporum menſis ablegat. *Sit igitur* (inquit) *Epiſcoporum menſa ſacra Scripturæ librive alterius Eccleſiaſtici lectione, doctorum piorumque virorum conſeſſu ſplendida, ab eaque procul profana colloquia abſint, ac prorſus eorum ferculorum eliminetur ſplendor, qui falſo cujuſdam decoris*

*decoris nomine ſe menſis Pontificum ingeſſit.* Eadem de frugalitate ſupellectilis & menſæ Epiſcopalis præceperat Concilium Carthaginenſe quartum can. 15. *Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam ac victum pauperem habeat, dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Concilium quoque Tridentinum ſeſſio. 25. cap. 1. de refor. canonem iſtum 15. Carthaginenſem in uſum revocat apud quoſvis Epiſcopos etiam Cardinales; addens ut in reliquo etiam vitæ genere ac tota domo ſua caveant ne quid appareat quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, vanitatum contemptum præ ſe ferat, & quæ nos tantopere commendat ſanctam humilitatem. Iſtud Toletanum Concilium ſubinde monet *Epiſcopis curandum eſſe ut eorum familiares ac domeſtici præmiſſa peccatorum confeſſione, ſaltem diebus Nativitatis Domini, & Reſurrectionis, ac Pentecoſtes, & Deiparæ Mariæ Virginis Aſſumptionis ſacram Euchariſtiam ſumant.* Videndus ſuperius eſt titulus 21. Concilij Mediolanenſis VI. quo forma componendæ ad omnem virtutem familiæ aperitur.

5. Actione III. cap. 1. *Epiſcopi publicum archivum habeant in quo ſcripturæ omnes ad dignitatem Epiſcopalem pertinentes, ejuſque jura & actiones in tutiſſimam cuſtodiam deponantur, cum earum diligenter confecto inventario, quod ſcriptum ab eodem Epiſcopo, vel ejus Vicario generali, & notario, ſimul cum eiſdem ſcripturis ſervetur. Neque ex eo archivo aliqua originalis ſcriptura amoveatur, niſi ex ea cauſa quæ juſtiſſima ſit, & ad utilitatem ipſius dignitatis vel Eccleſiæ pertineat. Et tunc non aliter quam coram duobus teſtibus & notario qui in eodem inventario in publicum teſtimonium ſcribat quæ ſit illa ſcriptura, quæ inde abducitur, quo die, & à quo, & ad quem effectum abducta fuerit. Sede tamen vacante, duæ ſint Epiſcopalis archivi claves, quarum una capitulo, aut ei qui ab eo deputatus fuerit, altera Prælato illius monaſterij in quo archivum ipſum depoſitum extat à Vicario Epiſcopi tradatur, juramento ab eodem prælato præſtito de fidâ ejuſdem clavis cuſtodiâ, quo etiam promittat ſe non permiſſurum aliquam ſcripturam ex eodem archivo abduci abſque Metropolitani vel ſuperioris licentia. Ei vero qui ad vacantem Eccleſiam promotus fuerit, utraque clavis à capitulo & monaſterij prælato libere tradatur, cum ratione earum ſcripturarum quæ juxta huius decreti formam ſede vacante ab eodem archivo fuerint abductæ: & earum quæ ad Capitulum pervenerunt, quemadmodum decreto Tridentino cautum extat. Sed & archivum hoc Epiſcopale quolibet biennio ab Epiſcopo coram notario & teſtibus omnino viſitetur. Sintque Epiſcopi memores juramenti quod in conſecratione de rebus Eccleſiæ non alienandis præſtiterunt. Non enim omnino erunt à culpa alienationis immunes, ſi ob earum negligentiam eæ perierint inſtrumenta quibus res & jura Eccleſiarum defendi, aut inique occupata vindicari poſſint. Illæ vero ſcripturæ quarum cuſtodia capitulo Eccleſiæ Cathedralis aut collegialis incumbit, in publico archivo quod in Eccleſia ſit cuſtodiantur. Cuius quoque archivi duæ ſint claves, quarum unam habeat Decanus aut is qui eam habere ſolet, altera vero penes canonicum ſit, qui præbendam doctoralem iuris pontificij obtinet: Atque in conficiendo inventario & abducendis ex eo archivo ſcripturis, ea ſerventur omnino quæ hoc decreto de archivo Epiſcopali tradita ſunt. Deputeturque quolibet biennio unus ex canonicis qui cum his qui claves habent id archivum viſitare teneantur. Loco autem illius qui præbendam doctoralem habet, cum vel ea præbenda vacaverit, vel is ſit aliqua ratione impeditus, alter à capitulo eligatur qui alteram clavem archivi habeat.*

Hactenus Toletanum decretum in reliquis æquitate fretum. Verumtamen cum frequenter contingat, ut Epiſcopus & Capitulum diſſentientes inter ſe litigent, periculum ſubeſt ne vacante ſede ſi clavis Epiſcopalis archivi penes unum aliquem de capitulo deponatur, ſcripturæ quibus Epiſcopi cauſa nititur per dolum ſubtrahantur & diſpereant. Ideoque videtur alia quapiam ratione proſpiciendum eſſe ſcripturarum archivi Epiſcopalis ſede vacante ſecuritati. His tamen ſimilia de archivi Epiſcopalis cuſtodia ſub duabus clavibus quæ vacante ſede diſtribuendæ ſint, una quidem Vicario capituli, altera vero antiquiori de capitulo, quas ambo redditurі ſint Epiſcopo ſucceſſori, ſimulque rationem redditurі de ſcripturis ſingulis in inventario recenſitis eorum fidei cuſtodiæque commiſſis, conſtituit Concilium provinciale Aquis-ſextijs habitum anno 1585. in fine tituli de Epiſcopis.

Can. V. *Presbyteri parochiales per ſeipſos, aut ſi fuerint impediti per alios ab Ordinario examinatos omnibus diebus feſtis paulo poſt meridiem, Chriſtianam doctrinam pueros & puellas in unum locum prope Eccleſiam vel in ipſam Eccleſiam convocatos docere teneantur: parenteſque eorum admoneant, quos & ſancta Synodus admonet, ut proprios liberos domi bonis moribus verbo & exemplo inſtituentes, ea quæ ad Chriſtianam doctrinam pertinent, ſedulo doceant; eadem crebro repetentes quæ illos parochus docuerat. Quod ſi Presbyter parochialis in hoc munere exequendo negligens fuerit, ab Ordinario & ejus viſitatoribus graviter puniatur.*

6. Neque omittenda ſunt duo admodum conducibilia monita Epiſcopis propoſita iſta Synodo Toletana in actione ſecunda. In primis in articulo V. *Epiſcopi quò facilius in Synodo provinciali rationem muneris ſibi commiſſi reddere poſſint, librum habeant in quo omnes parochiales Eccleſiæ propriæ cujuſque Diœceſis, earumque rectores nominatim ſcribantur: quique ex eis per ſeipſos, quique per vicarios eiſdem Eccleſijs ſerviant: ratione expoſita quo titulo eaſdem Eccleſias obtinuerint, & quæ ex cauſa à reſidentia abſentes fuerint excuſati: aut quo impedimento ad ſerviendum per ſeipſos cogi non potuerint. Habeant & librum alium in quo cu-*

*juſque diœceſis viſitatio quæ per ipſos Epiſcopos, & per eorum viſitatores facta fuerit, in ſumma contineatur: ſubſcribaturque ab ipſis Epiſcopis vel viſitatoribus & eorum notario; ut ſaltem ex eo apud provincialem Synodum conſtare poſſit, quæ Eccleſiæ fuerint ab Epiſcopis vel eorum viſitatoribus viſitatæ.* At ſumma & præcipua ratio eſt ut hæc diligentia Deo & Epiſcoporum conſcientiæ plenius ſatisfiat. Permultum enim confert perſonalis Epiſcoporum viſitatio, tum quia majore nititur autoritate, tum quia proprium hoc Epiſcopis incumbit officium Proverb. 27. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Tum denique quia officio aſtrictus eſt Epiſcopus providendi gregi ſuo ſacramentum confirmationis quod inferiores viſitatores conferre nequeunt. Præterea ejuſdem actionis art. 15. ſalubriter admonentur ſacri Antiſtites: *Notariorum Eccleſiaſticorum, promotoris fiſcalis, publici executoris, & aliorum officia quorumcumque qui juriſdictionis Epiſcopalis & aliorum inferiorum miniſterio operam dare tenentur, nullo modo vendantur: nec ob aliud quodcunque lucrum dentur temporale: Dentur autem hæc officia gratis his qui ſint idonei ad eorum munus exercendum, quique per ſeipſos illis ſervire teneantur. Nec ullo unquam tempore qui hæc officia ab Epiſcopis vel Ordinarijs quibuſcunque etiam inferioribus gratis obtinuerunt, vel in poſterum quomodocunq; obtinuerint, illa vendere vel locare poſſint nec in alios recepto aliquo lucro temporali transferre, vel in eorum favorem illis renunciare.* Sempiternâ dignum memoriâ eſt illud Alexandri Severi Romanorum Imperatoris dictum, qui cum nullo pretio, ſed ſolis virtutum meritis Judices ac magiſtratus conſtitueret promoveretque; Principem dicebat non habere cauſam de publicis officialibus expoſtulandi, ſi quæ jura ipſis vendiderat, à ſubjectis populis in jure dicendo recuperarent venales magiſtratus.

## *CONCILIUM MECHLINIENSE anni 1570.*

1. CONVENIT Concilium iſtud apud Mechliniam Brabantiæ urbem curâ & ſollicitudine abſentis ejus urbis* Archiepiſcopi Antonij Perenoti Cardinalis dicti Granuellani ex Epiſcopo Atrebatenſi ad Mechlinienſis Archiepiſcopatus infulas provecti, cujus loco præſedit huic Synodo Martinus Rithovius Epiſcopus Iprenſis. Interfuere & conſedere Franciſcus Somcius Antuerpienſis, Vuilelmus Lindanus Ruremundenſis, Cornelius Ianſenius Gandavenſis, Remigius Druitius Brugenſis, Laurentius Methius Buſcodunenſis comprovinciales Epiſcopi omnes inſignis meriti & famæ, cumque his Maximilianus Morillenus Vicarius generalis Cardinalis Granuellani Archiepiſcopi. Poſt conſueta Synodi præliminaria conſenſere omnes ad recipienda & ſervanda univerſa ſacroſancti Tridentini Concilij decreta.

Sub tit. de matrimonio Cap. II. *Quia coactæ nuptiæ triſtem plerumque & luctuoſum habent exitum, diligenter inquirant paſtores an matrimonium contracturi ſponte & animo deliberato, non vi aut metu parentum, amicorum, aut aliorum coacti ad matrimonium procedant. Quod ſi invenerint aliquem vel aliquam ex contrahentibus coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant, neque alteri vices ſuas committant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.*

Cap. V. *Si ſponſalia & matrimonium contrahere volentes diverſorum ſint Epiſcopatuum, paſtores à ſuis Epiſcopis tam ſuper ſponſalibus contractis, quam ſuper proclamationibus atteſtationes approbatas habere debeant: neque ante ad matrimonij ſolemnitatem deſponſi admittantur, quam ſuorum Epiſcoporum literis ad hoc expreſſam facultatem habuerint: atque Epiſcopi ratione huiuſmodi literarum pro notario & ſigillifero non ultra octo ſtupheros recipi permittant.*

Cap. VII. *Tempus clauſum à Concilio Tridentino reſtrictum eſt, proinde diligentius obſervetur: ſi tamen ex legitima & urgente cauſa aliqui per Epiſcopum ad matrimonium illo tempore contrahendum admittantur, abſtineatur à ſolemnitate nuptialis convivij, à choreis, & ſimilibus inſolentijs quæ tempori non congruunt, ſub pœna viginti florenorum Remenſium ad pium uſum applicandorum.*

2. Tit. de officijs & cultu divino Cap. VI. *Illos quoque qui ſub dictis officijs divinis aut celebrant aut ad celebrandum ſe præparant, vult hæc Synodus pro eo tempore præſentes in divinis reputari, modo tamen abſoluto ſacrificio ſine notabili mora in chorum redeant.*

Videtur hoc decretum adverſari juri communi, niſi intelligatur de Eccleſijs in quibus tempora miſſarum à ſingulis de choro celebrandarum diſtributa in aliqua communi tabula fuere, ne ſcilicet horis officiorum miſſæ omnino vel altaria vacent. Intelligi quoque debet ſi accidat ob juſtam aliquam occurrentem cauſam is qui choro præeſt dimittat aliquem de choro ad celebrandum ſacrificium, tunc enim juſta cauſa ſubeſt. Aliter autem contingeret ut ſinguli de choro immunitatem ab officijs chori pro ſuo libito ſub prætextu propriæ miſſæ conſectarentur, & chorus deſereretur. In primis ſane ſacri canones in commune ſtatuunt eum qui abeſt ab officijs chori non debere lucrari diſtributiones quæ ſunt ſtipendia chori: ſolis exceptis quos juſta & rationabilis corporis infirmitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret, & contrarias conſuetudines ac ſtatuta reprobant, eoſque qui ſecus receperint reſtitutioni obnoxios declarant c. unico de cler. non reſid. in 6. Sed & Honorius Papa III. in c. licet de præben. ſignificaverat eos qui ſuperiorum permiſſu abſunt ad ſtudendum Theologiæ, fructus quidem percipere præbendarum ſuarum ſed non diſtributiones chori, quia hæ ſolis debentur choro aſſiſtentibus. Concilium Trident. ſeſſ. 24. de refor. cap 12. conſtitutionem Bonifacij d. tit. de cler. non reſid. inſtaurat ac in uſum reducit. Denique Concilium Mediolanenſe quartum ſub ſancto Carolo tit. de diſtributionibus ſanctionem huic Mechlinienſi oppoſitam his verbis edidit: *Quicumque dum alicuius ſtatæ hora*

Digitized by Google

*horæ officium in choro peragitur, miſſam celebrando tunc à choro abſuerit, illius horæ diſtributionis tanquam abſens particeps ne ſit, ut à ſancta ſede Apoſtolica declaratum eſt. Id vero niſi præ abſentia Sacerdotum qui in Eccleſia tunc miſſæ ſacrificium faciant, neceſſitas aliquando inciderit ut præfectus canonicum aliquem Sacerdotem è choro exire, à ſtataque hora officio abeſſe, miſſæ celebrandæ cauſa jubeat, aut niſi à ſede Apoſtolica aliter conceſſum fuerit.* Allegantur inſuper ſacræ Cardinalium congregationis conformia his decreta, necnon doctorum catervæ ſimiliter decidentium. Videri poteſt diſpu. 4. de ſacram. Euchar. quæſt. ult, punc. 7. §. 5. Idemque tract. de ijs quæ ad divin. officium in choro recitan. fac. diſpu. 2. qu. 5. §. 4. Ulterius quæritur ibid. §. 5. Utrum canonicus pœnitentiarius percipere poſſit diſtributiones dum in confeſſionibus excipiendis tempore divinorum officiorum detinetur, Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 8. omnem amovet difficultatem his verbis: *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſijs ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui magiſter ſit vel doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico, & annorum quadraginta, ſeu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.* Verba hæc *In Eccleſia* ſupponunt quod ſi extra Eccleſiam confeſſiones audiret, non lucraretur diſtributiones.

Ibid. Cap. X. *Cohibeant Epiſcopi cantores, organiſtas, & campanarios, & alios quoſcunque à laſciva militari & quavis indecora muſica in cantu, organis, & campanis ſub pœna decem ſtuferorum ad pios uſus arbitrio Epiſcoporum applicanda. Et ſi ſemel puniti non abſtinuerint, pœnâ carceris ac aliàs arbitrariâ plectantur. Deambulationes quoque ac profana colloquia impediant, ac delinquentes tempore divini officij pœnam trium ſtuferorum, & extra tempus divini officij, duorum incurrant ipſo facto: quam pœnam Epiſcopi exequi curent.*

Cap. XII. *Requirantur quoque locorum magiſtratus, ut in omnibus parochijs edicto publico mandent tempore quo divinum officium peragitur, aut verbum Dei prædicatur, tabernas non niſi pro viatoribus aperiri; neque aliquod genus ludi publicè vel privatim inſtitui: & omnino abſtineri à tripudijs & alijs inſolentijs quibus parochiani à viſitatione divini officij, & verbi divini auditione diſtrahi poſſent, ſub pœnis arbitrio eorum imponendis. Ipſi quoque Epiſcopi per ſuas diœceſes in ſingulis parochiis ſub certis pœnis ſuis nominibus ſimilem inhibitionem fieri procurent.*

De choreis & tripudijs ſacris diebus abrogandis conſulito à me ſuperius congeſta ad congregationem XIII. Concilij Remenſis anni 1564.

3. Ex tit. de Decanis. Cap. XI. *Paſtoribus & quibuſcunque Sacerdotibus inhibet ſancta Synodus ſub pœna ſuſpenſionis, ne per ſe vel per alium, directè & indirectè ſtipulentur promiſſis votivis, ad piorum poſtulationem celebrandis: ſed quod eis ſponte oblatum fuerit accipiant. Caveant quoque ne ſtipendium plurium miſſarum ſimul veneantur, ſed qui ratione beneficij aut alterius fundationis ad miſſam certo die celebrandam obligantur, ab alijs eodem tempore abſtineant, niſi ſubſiſtente cauſa, & per alium ſibi incumbens onus adimpleant: qui contra fecerint ſeveriter puniantur.*

Optandum ſane fuiſſet ut hujus Synodi patres iniviſſent aliam quandam viam & rationem expediendi ſimul ab importabili miſſarum onere brevi superventuro Sacerdotes, ſimulque ab indecoris contentionibus & ſordidis eleemoſynarum pro miſſa ſtipulationibus, quibus recuſatur petenti expetita miſſa, niſi largiorem præbeat pro miſſa eleemoſynam. Quam ſordiciem ut excludat Synodus vult abſque ulla concertatione acceptari omne oblatum etiamſi teruncium non excedat. At vero hac facilitate acceptando quodvis oblatum certiſſime adveniet immenſum miſſarum onus cui ſatisfieri nullatenus poterit, acceptatione namque oblati, vel fraudatur tunc temporis ejus qui offert intentio, credentis bona fide ſibi miſſam integram applicatum iri: cum inter dantem ſub conditione, & alterum qui acceptat nec intendit conditionem implere interveniat ſtipulatio, in qua debet bona fides ineſſe, nec tamen ineſt ex parte accipientis niſi fraus & mera deceptio, rem promiſſam non adimplendi. Et aliunde nihil quantumvis exile recuſando brevi exurget impoſſibilitas infallibilis tot miſſarum onera nullatenus adimplendi. Simplexque paupercula quæ Sacerdotis probitati confidit ab eodē Sacerdote qui acceptat oblatum ſponte atque doloſe fraudatur & decipitur. Et minor videtur culpa neque ulla fraus intercedit, nec onus impoſſibile aſſumitur ſi oblatum aperte recuſetur.

Ex tit. de vita & honeſt. clericorum Cap. V. *A tabernarum frequentatione, ebrietate, comeſſationibus, & ſuſpecta cum mulieribus converſatione & cohabitatione omnino clerici abſtineant, neque prandia ad veſperarum horas protrahant, neque choreas ducant, an per plateas vel domos nocte & interdiu larvati incedant: & ſi per quemquam contrarium factum fuerit, privatione diſtributionum & fructuum ſui officij ſeu beneficij per menſem puniatur; & creſcente contumacia creſcat ſimiliter & pœna.*

4. Ex tit. de uſuris. *Quoniam uſura jure divino & canonico omnibus Chriſtianis ſub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda ſunt mala ut eveniāt bona, Synodus ſtatuit & ordinat ne quis tutor aut curator ſub prætextu augmentandi patrimonij pupillorum, aut ſub eorum cautela exiſtentium, pecunias illorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo mutuò dent, retenta facultate repetendæ ſortis quando ad maiorem ætatem pervenerint, aut matrimoniū contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem & arbitrium: declarando huiuſmodi contractus uſurarios, & contra ut præmittitur mutuantes tanquam uſurarios, ad pœnas juris procedendum.*

Hæc ſententia Sanctorum Patrum autoritate confirmatur Auguſtini in pſal. 36. verſ. tota die. Hieronymi

Digitized by Google

Hieronymi in Ezechielem lib.6. ad cap. 18. Ambroſij in Tobiam cap. 14. Concilij Agathenſis can. 8. quorum teſtimonia & verba colligit Gratianus 14. qu. 3. per totam, quorum unanimis ſenſus eſt damnabilem eſſe uſuram ubi amplius requiritur quam datur, verbi gratia ſi dederis ſolidos decem & amplius quæſieris: vel dederis frumenti modium unum & ſuper aliquid exegeris, quod vocat Hieronymus ſuperabundantiam & Ambroſius emolumentum ſupra mutuatam ſortem. His adjungi poſſunt eloquentiſſimi ſermones Baſilij magni ejuſque fratris Gregorij Nyſſeni adverſus divites avaros & Fœneratores. Præterea Chryſoſtomi homilia 38. in Matth. cap.12. Cujus hic verba ſubijcio. *Super omnes* ( inquit ) *mercatores plus eſt maledictus fœnerator: quia mercator dat rem ut jam illam non repetat, iſte autem poſtquam fœneravit, & ſua iterum repetit & aliena tollit cum ſuis. Adhuc dicit aliquis qui agrum locat ut agrariam recipiat, aut domum ut penſiones recipiat, nunc eſt ſimilis ei qui pecuniam dat ad uſuram? abſit, primum quidem quia pecunia non ad aliquem uſum inventa eſt ſicut ager vel domus, ſed ad pretium emendi vel vendendi. Secundo quoniam qui agrum habet, arat eum & fructum accipit ex eo. Similiter & qui domum habet, uſum habitationis capit ex ea. Ideo qui locat agrum vel domum uſum dare videtur & pro eo uſu pecuniam accipere, & quodammodo quaſi commutare videtur lucrum cum æqualis æſtimationis lucro. Pecuniam autem ſi repoſitam in ſacculo habeas & teneas apud te, nullum uſum ex ea capis.* His accedat Lactantij Firmiani de fœnore elegans ſententia. Is enim lib.6. de vero cultu cap. 18. *Pecuniæ* ( inquit ) *ſi quam Dei cultor crediderit non accipiat uſuram: & ut beneficium ſit incolume quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim genere officij debet ſuo eſſe contentus, quem oportet aliàs ne proprio quidem parcere ut bonum faciat. Plus autem accipere quam dederat injuſtum eſt, quod qui facit inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur. At juſtus nunquam prætermittet quo minus aliquid miſericorditer faciat, nec inquinabit ſe ejuſmodi quæſtu, ſed efficiet ut ſine ullo ſuo damno id ipſum quod commodat inter bona opera numeretur.*

## *CONCILIUM ROTOMAGENSE anni Domini 1581.*

1. PRÆSEDIT huic Concilo ſereniſſimus & legitimus ſtirpis regiæ Princeps Carolus Borbonius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tituli ſancti Chryſogoni Rotomagenſis Archiepiſcopus, Primas Neuſtriæ ſeu Normaniæ. Quæ Primatis dignitas quia ipſo in limine faceſſere negotium poteſt dilucidanda eſt. Vir præſtantiſſimæ ſcientiæ Petrus de Marca Pariſienſis Archiepiſcopus diſſertationem edidit ampliſſimam de Primatu Lugdunenſi alijſque Primatibus, quæ inſerta legitur in Labbeana Conciliorum compilarione poſt Concilium ſub Urbano Papa ſecundo Claromontanum. In pleriſque per Occidentem Eccleſijs Romani Pontifices quibuſdam certis Epiſcopatibus ad amplificandam illorum dignitatem ſuas vices affixerunt, ut poteſtate ac juriſdictione plurium Eccleſiarum provincijs præeſſent, ac plures ſub ſe conſtitutos haberent Archiepiſcopos, quemadmodum Archiepiſcopi ſeu provinciarum Metropolitæ pluribus eminebant ſuffraganeis ſeu comprovincialibus Epiſcopis. Atque ita Primates intermediâ fungebantur juriſdictione inter Romanum Pontificem, cujus vices gerebant, & ſibi ſubjectos Archiepiſcopos, quemadmodum in Orientalibus Eccleſijs, Exarchæ quorum fit in Chalcedonenſis Synodi canonibus mentio, intermedij erant inter Patriarchas & provinciarum Metropolitanos.

2. Patriarcharum porro atque primatum qualis eſſet ordinaria in ſubditos ſibi Archiepiſcopos definit Nicolaus Romanus Pontifex ejus nominis primus, in ſua ad Rodulphum Bituricenſem Primatem epiſtola, cujus fragmentum Gratianus contexuit c. conqueſtus 9. qu. 3. his verbis: *Conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater noſter Sigedodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quod clericos ſuos eo invito ad judicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam ſuam pertinentibus eo inconſulto, quaſi jure Patriarchatus tui diſponas: cum hoc neque antiquitas ( cui patres ſanxerunt reverentiam ) habeat, & autoritas ſacrorum canonum penitus interdicat: niſi forte pro cauſis quas apud ſe terminare non poſſunt ad te quaſi ad Patriarcham ſuum provocaverint: vel ſi Epiſcopus ſuus deceſſerit, res Eccleſiæ ſuæ judicio tuo diſpenſare voluerit. Primates enim vel Patriarchas nihil privilegij habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit definimus: ita ut ſecundum Nicænas regulas, ſua privilegia ſerventur Eccleſijs: præterquam ſi Apoſtolica ſedes aliquam Eccleſiam, vel ipſius rectorem quolibet ſpeciali privilegio decreverit honorare.*

3. Sane magnum intercedit diſcrimen inter Africanarum quondam Eccleſiarum Primates, & alios Chriſtiani orbis Primates. Cujuſlibet enim Africanæ provinciæ Primas ille Epiſcopus eſſe ſolebat, qui antiquitate propriæ ordinationis reliquis ejuſdem provinciæ anteſtabat Epiſcopis; huic enim primus debebatur honoris gradus & conſeſſus, ad hunc ab cæterorum Epiſcoporum judicijs devoluebatur appellatio, ſolus provinciales Synodos indicebat, ijſque præſidebat; ut innumeris Africanorum Conciliorum, & Optati Milevitani, nec non Auguſtini, atque Gregorij primi & Leonis noni teſtimonijs comprobatur. Solus quidem poſt Romanum Pontificem Carthaginenſis Epiſcopus Primatis perpetui jure omnibus Africæ Antiſtitibus longe præeminebat, reliquæ vero Africanæ Primatiæ ſingulis provincijs limitatæ nullis erant Eccleſijs affixæ, ſed ſolis antiquiorum Præſulum perſonis. Sex vero cenſebantur Africanarum Eccleſiarum provinciæ, ſcilicet duæ Mauritaniæ, Cæſarienſis & Tingitana, duæ Numidiæ, itemque Byzacena, & Tripolitana. Carthago vero erat comprehenſa in ea Numidiæ parte quæ aliter dicebatur Africa proconſularis. Ad Byzacenam autem provinciam pertinebat Adrumetum. Cæterùm ſub Imperio Conſtantini magni Tingitana provincia jampridem ad Hiſpaniæ præfecturam pertinebat. Sitifenſis autem provincia poſteriori ſæculo dirempta eſt à Numidiæ provincia, ad efformandam novam in Mauritania provinciam, cui nomen Sitifenſi fuit inditum; eique demum ut & olim alijs Africanis provincijs ſeorſim attributa Primatiæ jura. Anno enim 402. initum fuit Milevitanum Concilium cui, ut ejus acta docent, Nicetius

Nicetius interfuit Epiſcopus primæ ſedis Mauritaniæ Sitifenſis : cui pariter interfuit Xanthippus primæ Sedis Numidiæ Epiſcopus Tagaſtenſis, deciſa lite quam illi moverat de prima Numidiæ ſede Victorinus Numidiæ Præſul. Hoc idem convincitur per epiſtolam 217. Divi Auguſtini Hipponis Regij urbis Numidiæ Epiſcopus ad Victorinum Epiſcopum. *Legi* (inquit) *in eadem tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas Provincias ſcimus ſuos nove habere Primates.* Vox illa *nove* refertur ad Mauritaniam Sitifenſem. Alterius enim Mauritaniæ Provinciæ nimirum Cæſarienſis conſtabat ab antiquo proprium extitiſſe Primatem. Ibidemque addit Auguſtinus. *Quod ſi & eis ad Numidiam convocandum eſſet Concilium, oportuit utique ut aliquorum Maurorum Epiſcoporum qui illic priores ſunt nomina in tractoria ponerentur.* Monet deinde Victorinum. *Ut ante omnia quæſtionem de ordine Primatus cum Xanthippo Tagaſtenſi, nempe quiſnam ordinatione prior eſſet, collegarum arbitrio dirimat.*

4. In Galliis Eccleſia iſta Rotomagenſis etiamſi non pluribus Provincijs ſed uni tantum præfuerit, Primatiæ tamen titulo fuit nobilitata, quamvis reipſa nihil amplius dignitatis poſſideret ab alijs Metropolibus Eccleſiaſticis, quemadmodum Primatiæ Africanæ, quarum tamen juriſdictio ultra propriam Provinciam minimè prorogabatur ſola excepta Carthaginenſi, quæ autoritate ſupra quaſcunque Africanas Eccleſias & Provincias præfulgebat. Perhibet Ordericus Vitalis anno 1135. Hugonem Rotomagenſem Archiepiſcopum ſummopere Romano Pontifici adjumento fuiſſe, ideoque ab eodem honoratum fuiſſe Primatu ſuper multos Pontifices. Verumtamen Primatus ille nihil amplius complectitur quam Metropolitana jura in ſuffraganeas ſuæ Provinciæ Eccleſias. Hodieque Rotomagenſis Antiſtes appellatur Neuſtriæ ſeu Normaniæ Primas, tametſi Gregorius Papa VII. Lugdunenſem Epiſcopum quatuor Gallicanarum Provinciarum, ſcilicet Rotomagenſis, Senonenſis, Turonenſis ac propriæ Lugdunenſis Primatem conſtituerit lib.6.epiſt.34. ad Gebuinum Lugdunenſem Epiſcopum. *Confirmamus Primatum ſuper quatuor Provincias Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus.* Id Gregorij decretum haud multò poſt roboravit Urbanus Papa ſecundus in Concilio Claromontano anni 195. Cæterum Turonenſi his decretis obtemperante, Senonenſis & Rotomagenſis hujus ſubjectionis jugum à proprijs cervicibus excuſſerunt.

5. Ex tit. de cultu divino in genere art.6. *Ad has feſtorum profanationes mundandas, decernimus nundinas omnes & negociationes à quibuſcunque feſtis in alios dies rejici: Dominos verò locorum & procuratores & actores & judices eorum excommunicari, ſi Dei mandatis & Eccleſiæ de obſervatione feſtorum parere noluerint, & alios dies ad ſuas nundinas & mercatus deligere.*

His conſonat iſtud Caroli Magni Capitulum: *De mercatis ut in diebus Dominicis non agantur, ſed in diebus quibus homines ad opus dominorum ſuorum debent operari.* Et Synodus Romana ſub Eugenio Papa II. c.30. *Ut die Dominico nullus audeat operationes mercationeſque peragere præterquam in cibarijs rebus.* Item Concilium Grateleanum nationale Anglicanum ab Athelſtano Anglorum Rege convocatum anno 928.cap.6. *Die autem Dominico nemo mercaturam facito: id quod ſi quis egeris & ipſa mercede & præterea triginta ſolidis multator.* Denique in Concilio Colonienſi anni 1452. cui præſedit Legatus à latere Nicolaus Cuſanus Cardinalis ſub Nicolao Papa V. *Item ut ſinguli Diœceſani provideant in ſuis Diœceſibus, ne de cætero diebus Dominicis & Feſtivis ad honorem Dei indictis, mercatus rerum vendibilium quæ ad uſum quotidiani victus neceſſaria non ſunt quomodolibet fiat, niſi in caſibus permiſſis à jure, & præſertim juxta determinationem S.Thomæ de Aquino.*

6. Ibidem cap.9. *Cum deceat domum Dei ſanctitudo, ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus: ſit ad Eccleſiam humilis & devotus ingreſſus, ſit in ea devota converſatio Deo grata, inſpicientibus devota, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat ſed reficiat. Ceſſent in Eccleſijs fraternitatum & ſocietatum quorumlibet concilia & negotia; ceſſent confabulationes qualibet; ceſſent vana & multo potius fœda colloquia & profana; eo nec libri niſi orationis & pietatis, nec alia niſi ſancta inferantur. Ceſſent poſtremo quæcunque divinum poſſunt perturbare officium, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere: ne ubi peccatorum eſt venia petenda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendatur peccata dimitti. De quibus ſinguli curati admonebunt gregem ſuum, & per cenſuras Eccleſiaſticas auctoritate præſentis Synodi ferendas ad obedientiam cogent. Prohibemus inſuper ne in Eccleſijs Cathedralibus, vel alijs pueri aut alij quicunque in feſto Sanctorum Innocentium theatralia aut ridicula exerceant.*

Templum eſt domus non confabulationis, non deambulationis, non curioſæ inſpectionis, non comeſſationis ſed adorationis. Videant ergo quam à Chriſto flagellandi ſint qui illud garriendo, circumſpiciendo, laſciviendo, potando profanant & inhonorant. Nam ut ait Beda in Ioan.2. *Videbantur licitè vendi in templo quæ ad hoc emebantur ut in eodem templo offerrentur Domino, ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenæ negociationis ne ejus quidem quæ honeſta putaretur exhiberi, diſpulit negotiatores & foras omnes ſimul cum ijs quæ negotiabantur ejecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias quæ ſibi immolarentur ementes in templo vidit & eliminare feſtinavit?* Præſertim quia hi ementes & vendentes non degebant propriè in ipſo templo ſed in atrio ac porticu templi, imo in atrio omnibus gentibus communi; & tamen inde à Chriſto ejecti ſunt. Quid ergo faciet Chriſtianis in ſacro ipſo templo, & in conſpectu venerabiliſſimi Sacramenti hæc ipſa & his indigniora patrantibus? Cum igitur domum ſuam Dominus domum prædicet orationis, nihil aliud agendum in ea præter orationes. Et ſapienter admonet Auguſtinus in Regula. *Nemo in oratorio aliquid agat, niſi ad quod factum eſt & unde nomen habet.*

Sub tit. de Sacramentis cap.3. *Præcipimus quamprimum commodè fieri poterit natos pueros ad Baptiſmum deferri propter Sacramenti hujus neceſſitatem. Aliter ſine juſta cauſa agentes, cum Curatis & Vicarijs eorum id fieri non improbantibus, excommunicatione & ſuſpenſione dignos judicamus: ſicut & Sacerdotes privatis in domibus aut noctè citra neceſſitatem baptizantes.*

Tit. de Sacram. Confirmationis. *Epiſcopi ad levamen populi per oppida ſuæ Diœceſis frequentius ad hoc ſacramentum Confirmationis gratis conferendum obambulent: adultis non niſi confeſſis & profitentibus ſymbolum Apoſtolicum tradant. Iubeant vero ut munda & nitida fronte accedant, & nomina confirmatorum in libro deſcribi, ne fortè contingat ipſum Sacramentum iterari.*

Tit. de Matrimo. cap.6. *Quandò probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitiosè impeditum iri, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem paræco cum duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta facilius detegantur. Denunciationes autem vel omnino vel ex parte remitti poſſunt pro ſolius Ordinarij judicio, non tamen abſque cauſa legitima & rationi conſentanea, præſertim ſi qua ſit juſtarum oppoſitionum ſuſpicio. Petitur vero frequentius denunciationum remiſſio ad cavenda maleficia quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam exercentur, vel ad declinandam populi inſultantis diu noctuque nuptijs, maximè ſecundo aut tertio repetitis, laſciviam.*

Indidem cap.13. *Cum nefarium ſit matrimonij libertatem violari, & à quibus jura expectanda ſunt injurias naſci, omnibus cujuſcunque gradus, hominibus, ordinis, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœnâ in quam ipſo facto incurrunt, Sedis Apoſtolicæ & Conciliorum generalium autoritate præcipitur, ne quovis modo, directè vel indirectè, ſubditos ſuos vel alios quoſcunque cogant, quo minus libera matrimonia contrahant. Paræcis tamen mandamus, ne facile ad matrimonia liberos invitis parentibus contrahentes admittant, aut vagos recipiant & ignotos homines, qui plerunque relicta uxore aliam, & nonnulli plures, diverſis in locis ducunt: ſed prius diligenter inquirant de re, & eâ ad Ordinarium delatâ, ab eo quod decebit faciendi licentiam obtineant.*

7. His omnibus præcinuit Concilium Tridentinum ſeſſ.24. in decreto de refor. matrim. cap.1. quo prohibet & deteſtatur matrimonia à filijsfamilias ſine parentum conſenſu contracta utpote illicita. Sed nihilominus anathemate ferit quoſcunque affirmantes eſſe irrita & invalida. Eodemque capite decernuntur quæ Rotomagenſes patres ſancivere de præmittendis matrimonio denunciationibus, vel unâ earum ubi probabilis ſuſpicio ſubeſt matrimoniũ malitiosè impeditum iri, dummodo reliquæ ante conſummationem publicentur, poſtquam contractum coram parocho & teſtibus fuerit. Ibidem Trident. c.7. de vagis hominibus de quibus metuendum eſt ne alio loco uxorem habeant. Deinde cap.9. anathema in eos intorquet qui propria abutentes autoritate libertatem violant ad nuptias contrahendas requiſitam. Leges pariter civiles ſtatis pœnis infractores libertatis puellarum ad matrimonia coërcent, quales ſunt tutores aut curatores aut magiſtratus, alijque magnates. C. de prohib. nupt. inter tuto. & pup. & C. ne quacun. præd. poteſ. l. unica, & C. ſi nupt. ex reſcrip. princ. petan. l.1. & 2. & in noſtra Gallia Carolus Rex nonus in comitijs Aurelianenſibus art.112.

8. Tit. de Epiſcopis & Capitulis. *Epiſcopi in ſpecula conſtituti & ſupra montem poſiti, ſicut debent omnium inferiorum actiones ſuſpicere, ita meminerint ſe omnium aſpectui exponi nec poſſe abſcondi: propterea in ſuis promotionibus, & in converſatione vitæ oportet ipſos eſſe irreprehenſibiles, ut de aliorum proviſionibus & geſtis poſſint efficacius cenſuram agere, omnibus prælucere, ac bonorum operum exemplum præbere. Optamus omnes à Deo, atque à Chriſtianiſſimo noſtro Rege ſupplices precamur electiones reſtitui cum veteri & ſincera eligendi forma. Sed quoniam impetrandi ſpes nondum oſtenditur, cum contigerit ſedem vacare, preces & ſupplicationes ſolemnes ad Deum ut gregi paſtorem det idoneum fieri mandamus.*

Comitijs Aurelianenſibus totius regni anni 1560. ſancitum legimus approbante Rege Carolo IX. ut quoties vacabit aliqua ſedes Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis fiat ſucceſſoris electio, ſi de Archiepiſcopali ſede, ab omnibus convocatis Provinciæ Epiſcopis, ſimulque ab Eccleſiæ Metropolitanæ Capitulo, vocatis etiam duodecim nobilibus viris quos illius Provinciæ nobilitas ad hoc elegerit, & totidẽ mediocribus viris honeſtis, quos populus mediocris ſtatus in metropolis publicis ædibus elegerit. Sed ſi de Cõprovincialis Epiſcopi agitur ſucceſſione, eædem ſervabuntur conditiones ſupra recenſitæ, hac unâ exceptâ, quod electioni præſidebit Archiepiſcopus, fietque una cum Capitulo vacantis Eccleſiæ. Id tamen decretum nunquam praxi receptum fuit. Quinimo poſteriorum temporum felicitas fuit ut Gallicanæ Eccleſiæ per regiam pietatem & nominationem, & conſilia laudatiſſimi Armandi Richelei Cardinalis hæreſis Calvinianæ totâ Galliâ debellatoris viderimus de novo effulgere providentiam, ut multo meliores Eccleſijs regni præficerentur Epiſcopi, quam ſperari potuiſſent ab electione populari innumeris contentionibus obnoxia, ob diverſos & oppoſitos eligentium affectus, & ambientium cupiditates ſimoniacas, quales defectus à nominationibus regijs conſtat fuiſſe quovis tempore remotiſſimos.

9. Indidem Cap.XV. *Canonici Cathedralium Eccleſiarum ea ſint morum integritate ornati,*

Digitized by Google

*nati, ut nomen ſuum tueri & retinere poſſint, ac præ alijs Clericis Canonici ſeu regulares ex obſervata perfectiùs Eccleſiaſticæ diſciplinæ regula nominari mereantur, à quibus cæteros ſtudium, amorem, ac tanquam regulam cultus divini non pigeat accipere.*

Huc ſpectat Canon IX. Moguntiaci Concilij temporibus Leonis Papæ III. & Caroli Magni. *In omnibus*(inquit) *quantum humana permittit fragilitas decrevimus ut Canonicè vivant, obſervantes divinæ Scripturæ doctrinam & Sanctorum Patrum documenta.*

10. Cap.XXXVI. *Sicut non licet Epiſcopo res Eccleſiæ alienare ſine conſenſu Capituli: ita viciſſim nec Capitulo ſine cognitione & licentia Epiſcopi.*

Multis canonibus cautum eſt Epiſcopo non licere res Eccleſiæ alienare ſine conſenſu capituli c.monemus, c.quiſquis, c.non liceat, c. vulteranæ 12. q.2. & toto tit. de ijs quæ fiunt à Prælato ſine conſ.cap. Alijs pleriſque canonibus vetatur capitulo quidquam de rebus Eccleſiæ diſtrahere niſi accedat Epiſcopi conſenſus c.Diaconi, c. hæc hujus placiti, c.Abbatibus, ſi qua, c.placuit, c.ſi Epiſcopus 12. q.2. & tit. Ne ſede vacan. aliquid innovetur.

11. Tit de Epiſcoporum officijs. Prioribus capitibus multa eruit circa ordinationes ex Tridentinis conſtitutionibus ſeſſ.23. Tum etiam de extirpandis ſimonijs & confidentijs cap.16. *Propter nonnullos intrepide vendentes & ementes Sacerdotia ſpe veniæ per indulgentias conſequendæ, cenſuit hæc ſancta Synodus ſanctiſſimo D.N. Papæ ſupplicandum, ne deinceps ſimoniæ crimen niſi cum expreſſa obligatione cedendi beneficio per ſimoniam quæſito remittat.*

12. Sub eodem tit. proponitur forma quam Epiſcopi ex Tridentino præſcripto debent obſtricte ſeduloque ſervare quoties ſacros ordines ſunt collaturi. Ejuſmodi vero hic profertur art. 2. ex Tridentina ſeſſ.23. cap.5. *Epiſcopus ante menſem quàm ordines conferat, per Diaconos rurales in tota Diæceſi ſignificet, ut qui ad Subdiaconatum admitti deſiderabunt, mandatum ab eodem Epiſcopo accipiant, quo ordinãdorum parochus vel alter cui magis expedire videbitur committatur, qui nominibus ac deſiderio eorum qui promoveri volent, per tres dies Dominicos aut Feſtivos publicè in Eccleſia proclamatis, ſicut fit in matrimonijs, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vitâ à fide dignis, diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittat.*

13. Ex eodem tit. cap 8. ex eadem pariter ſeſſione 23. decerptus cap.3. ſic decernit: *Si Epiſcopus ægritudine vel aliquo alio juſto impedimento ab ordinibus conferendis avocatur, non aliter ſubditos ſuos quàm hoc modo jam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittat.* His adſtipulatur Narbonenſe Concilium anni 1609. ſic edicens cap. 21. *Per ſeipſos Epiſcopi ordines conferant ſubditis ſuis examinatis & ſufficientibus repertis, quorum illis ſit probata vita, per diligentem inquiſitionem & atteſtationem à Parocho, Magiſtro Scholæ, & Senioribus loci in quo reſidet ordinandus. Quod ſi infirmitate aut alio detentus impedimento legitimo Epiſcopus proprius ad alium eum remiſerit qui eſt ordinandus, hoc faciet literis dimiſſorijs, quas non concedet pro quocunque ordine, niſi prius examinato & approbato, ac ſi ipſe eumdem ordinem pro quo dimittitur eidem conferre deberet.* (Et paucis quibuſdam interjectis.) *In literis dimiſſorialibus non interſeratur clauſula illa conſcientiam noſtram exonerantes, veſtram onerantes: cum nullus remitti debeat, quin ejus ordinis ad quem ſumendum dimittitur ab Ordinario capax & idoneus fuerit judicatus.* Quinetiam anteriore altero Concilio Narbonenſi Provinciali anni 1551. can.12. ullam haberi fidem prohibetur quibuſcunque dimiſſorijs hanc non exprimentibus clauſulam, *quem idoneum & dignum reperimus*: & ne dentur vel admittantur ad omnes ordines ullæ dimiſſoriæ, ſed ſingulæ pro ſingulis ordinibus. Id vero anterius Narbonenſe coactum fuit ſub Julio Papa tertio quo tempore fuerat intermiſſum Tridentinum.

14. Ex eod. tit. cap.14. *In confeſſionibus de ſimonia diligenter inquirendum, ac confitenti ſe aliquod beneficium pecuniâ aut alia re temporali ſibi aut alteri comparaſſe, (cum ſit caſus Summo Pontifici reſervatus) abſolutio deneganda eſt, niſi in mortis articulo. In eadem confeſſione moneri jubemus de peccato mortali eum qui vel ſolam mentem & intentionem habuerit ad beneficium perveniendi per ſimoniam: & eum qui uſque ad aliquam conventionem progreſſus fuerit gravius peccaſſe: ſed indictâ pœnitentiâ debitâ per legitimum Sacerdotem abſolvi poſſe.*

Hoc cap.14. Rotomagenſes Patres ſapienter diſtingunt tres ſimoniæ criminis gradus. Vel enim completa eſt ex utraque parte ſimonia, dato pretio vel pretij aliqua parte, reſignatoque beneficio. Quæ ſpecies ſimoniæ omnium reliquarum deterrima eſt. Sola quippe excommunicationem inducit ſoli Summo Pontifici reſervatam, per quam vacat ipſo jure beneficium cum obligatione fructuum beneficij ſimoniacè recepti reſtituendorum, & cum ipſo facto contracta irregularitate ab illo qui in ea excommunicatione vel celebraverit Miſſam, vel alium quempiam ordinis ſacri actum exercuerit. Reliquæ duæ ſimoniæ ſpecies quamvis ſint lethiferæ, non tamen includunt cenſuram ullam, neque abſolutionis reſervationem, neque irregularitatem pariunt in eo qui ſacrum aliquem ordinem in eo reatu exercuerit, ut docent hoc loco patres hujus Rotomagenſis Concilij. Et præterea Gomeſius in regulam Cancellariæ de triennali poſſeſſ. quæſ. 12. Navarra Manual. cap.23. n.104. Filliucius qui tres ſimul aſſerunt hanc eſſe Romanæ pœnitentiariæ atque Rotæ praxim. Itemque Zerola in praxi p.1. v.ſimonia num.7. Bonacina tract.de ſimônia diſput.1. quæſ.7. p.2.n.15. alijque communiter hoc ſcribentes, poſſe in conſcientia retineri beneficium Eccleſiaſticum ab eo, qui ut illud obtineret pactus fuerat de pretio, quod tamen reipſa non perſolvit, neque ſtetit promiſſis.

15. Ejuſdem tit.art.21. aduerſus confidentiarios profertur Pij V conſtitutio quæ vtique confidentiarios grauioribus ſubjicit pœnis quam reliqua jura conſtituerint aduerſus reliquos ſimonia-

cos, præter enim excommunicationem latæ ſententiæ quæ ipſo facto tam à confidentiarijs incurritur quam à ſimoniacis Papæ reſervatam, & obligationem dimiſſionis beneficij, ſive per confidentiam, ſive aliâ quacunque ſimoniâ quæſiti, cum fructuum omnium reſtitutione: his addit Bulla Pij V. vacare ipſo jure non tantum beneficium per confidentiam adeptum; ſed etiam reliqua omnia quæcunque beneficia etiam juſtè acquiſita & omnis abſolutionis eſſe incapacem, niſi ante cunctis ſe abdicaverit. Præterea licet alij excommunicati ſimoniaci poſt abſolutionem à ſuprema ſede obtentam poſſint ad nova beneficia promoveri, aliud tamen juris eſt in fiduciarijs quos conſtitutio Pij etiam poſt impetratam abſolutionem declarat perpetuò ad quævis beneficia inhabiles. Nihil tamen pœnale decernit aduerſus criminis hujus participes omneſque pœnas in ſolum fiduciarium, eum ſcilicet qui beneficium hac conditione ſumit vt in alium tranſmittat, cum tamen ſacri Canones paribus pœnis tam dantem quam accipientem ſubjiciant, ipſoſque qui conſilium & auxilium ac operam ſuam ſcienter contulerunt, c. cum deteſtabile & c. ſanè extravag. de ſimon. Iſta duo capita 14. & 21. mente retinenda ſunt cum in uſum veniant conſultationum, & fori pœnitentialis, & judicij contentioſi ſeu contradictorij.

## *CONCILIVM ALTERVM REMENSE anni 1583.*

1. LUdovicus Lotharingus S. R. E. Cardinalis dictus à Guiſia, Remenſis Archiepiſcopus patrui ſui Caroli pietatem æmulatus, à quo fuerat convocatum primum poſt Synodum Tridentinam Remenſis Provinciæ Concilium anno 1564. alterum celebravit ejuſdem Provinciæ cujus erat Metropolita Concilium anno 1583. ex quo hæc ſequentia ſelegimus.

Sub titulo de diebus feſtis Cap. V. *Venditiones quaruncunque rerum (his exceptis quæ ad divinum cultum & victum neceſſarium pertinent) nundinæ publicæ, mercatus, & auctiones diebus feſtis ne fiant, ſub pœna excommunicationis à Parochis in pronao denuncianda.*

2. Sub tit. de Baptiſmo cap. 3. *Parochus moneat ſuſceptores, fidei pro ſuſcepto ſponſores eſſe, itaque eos obligari cum infans ad adultam ætatem pervenerit, eum docere fidei rudimenta ſeu ſymbolum, ut ſaltem ejus verba memoriâ tenere & recitare valeat, niſi id à parentibus præſtetur.*

Ejuſmodi ſuſceptorum de ſacro fonte ritus ab Eccleſiæ primordijs ut pro baptizato curam ſe habituros ſpondeant unde & ſponſorum inditum eſt eis nomen. Quapropter dicit Auguſtinus in ſermone poſt Paſcha incipiente, hodiernus dies. *Vos ante omnia tam mulieres quam viros qui infantes in baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis. Ideoque ſemper illos admonete ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant (& paulo poſt) ante omnia ſymbolum & orationem Dominicam & vos ipſi tenete, & illis quos de ſacro Fonte ſuſcepiſtis oſtendite.* Similia admonere pergit Auguſtinus ſerm. 215. qui eſt ſecundus Dominicæ 10. poſt feſtum Trinitatis. Vide Gratianum de conſecr. diſt. 4. c. vos ante omnia. Præterea Concilium Arelatenſe VI. Leone Papa III. & Carolo Magno can. 19. aſtringit ſuſceptores ex ſacro Fonte ad erudiendum in fide & bonis moribus eos quos ſuſceperunt, & pro quibus fidejuſſerunt in baptiſmo.

3. Alia ex eodem Remenſi titulo de Baptiſmate cap. 7. *Convenire etiam judicamus ut Epiſcopus in propria Diæceſi, Parochus in ſua Parochia, & initiatus ſacris Ordinibus in ſuæ reſidentiæ vel beneficij loco, pueros de ſacro fonte non ſuſcipiant. Nunquam vero Monachus patrinus vel Monialis matrina eſſe queat.*

Similiter ſtatuitur Concilio Antiſſiodorenſi c. 25. *Non licet Abbati vel Monacho de baptiſmo ſuſcipere nec commatres habere.* Vide Gratianum de conſecr. diſt. 4. c. non licet & c. Monachi.

Ex eodem Remenſi tit. cap. 8. *Parochus etiam moneat ne in baptiſmo nomina paganorum pueris imponantur.*

Hoc idem vetatur Synodo Aquenſi anni 1585. præcipit autem de nominibus Sanctorum.

Cap. IX. *Atque antequam puerum baptizet, Parochus diligenter inquirat num ſit perfuſus aquâ, & quâ, quibuſque verbis: & ſi iam baptizatus fuerit & verba Sacramentalia pronunciata (de quo ſufficienti duorum ſaltem teſtimonio Sacerdoti conſtare debet) non baptizetur iterum, ne ſub conditione quidem; ſed tamen omnes cæremoniæ ſuppleantur, atque etiam exorciſmi pronuncientur.*

Ex tit. de Sepulturis cap. 4. *Faces omnes ac cereos funebres, niſi ad certas perſonas de jure vel conſuetudine pertineant, parochis competere decernimus, nec hæredibus licere eos repetere.*

Cap. VII. *Cæmeteria ne beſtijs ſint perviæ muro ac ſeptis cingantur, nec in eis quidquam profanum committatur.*

Cap. VIII. *Nec liceat tumulos ipſa humo altiores erigere nec ibi cuiquam ſtatuas, aut vexilla militaria, vel trophæa ponere.*

4. Cap. XIII. *Qui autem ſunt publici ſimoniaci, fiduciarij, hæretici, ſchiſmatici, venefici, ſortilegi, uſurarij, & qui ſibi manus violentas attulerunt, aut in duello ſuſcepto mortui ſunt, & qui ſubita morte præventi Paſchali tempore nec confeſſi ſunt, nec Euchariſtiæ communionem ſuſceperunt: omnes denique infideles & excommunicati Chriſtianæ ſepulturæ honore locoque priventur. Qui autem eos ſepeliendos quacunque ratione procuraverint, excommunicatione feriantur.*

Rituale Romanum juſſu Pauli Papæ V. editum hæc

hæc præſcribit. *Ignorare non debet parochus qui ab Eccleſiaſtica ſepultura ipſo jure ſunt excludendi, ne quemquam ad illam contra ſacrorum canonum decreta unquam admittat. I. Negatur igitur Eccleſiaſtica ſepultura paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, hæreticis, & horum fautoribus, apoſtatis à Chriſtiana fide, ſchiſmaticis, & publicis excommunicatis majori excommunicatione, interdictis nominatis, & iis qui ſunt in loco interdicto eo durante. II. Iis qui ſeipſos occiderunt ob deſperationem vel iracundiam, (non tamen ſi ex inſania hoc acciderit) niſi ante mortem ſigna dederint pœnitentiæ. III. Morientibus in duello, etiamſi ante obitum ſigna dederint pœnitentiæ. IV. Manifeſtis & publicis peccatoribus qui ſine pœnitentia perierunt. V. Iis de quibus publice conſtat quod ſemel in anno non ſuſceperint ſacramenta confeſſionis & communionis in Paſcha, & abſque ullo ſigno contritionis obierint. VI. Infantibus mortuis abſque baptiſmo. Vbi vero in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.* Hactenus Rituale Romanum.

5. Denique cap. XIV. tit. de ſepulturis hæc Synodus Remenſis duorum admonet; primum per ſepulturam hominis excommunicati ſive Eccleſiam ſive cœmeterium pollui, ac debere reconciliari. Quam rem declarat c. conſuluiſti de conſecr. Eccl. vel alt. Quod idem ſtatuitur de ſepultura infidelis quamvis non poſſit dici excommunicatus, quatenus nunquam baptiſmum ſuſcepit c. Eccleſiam il 1. de conſecra. diſt. 1. Secundo admonet ibidem Concilium iſtud Remenſe polluta Eccleſia pollui ſimul contiguum cœmeterium ſecundum canones: ſed non viceverſa, polluto quippe cœmeterio Eccleſia contigua non amittit benedictionem neque conſecrationem.

Tit. de clericis in genere. *Clerus ſuæ vocationi reſpondeat, niſi ſui nominis oblivisci velit, quo ſemper admonetur ſe in partem & ſortem Domini vocatum. Quod haud dubie conſequetur ſi ſe à crimine & criminis ſuſpicione vel ſpecie reddens immunem, cæteris etiam virtutis & pietatis exemplo præluceat.*

Cap. II. *Prohibemus etiam ne clerici ſacris initiati, aut beneficiati ſe ſuamque operam laicis, quantumvis nobilibus, addicant ad rerum domeſticarum diſpenſationem, negotiorum civilium procurationem, cellæ vinariæ vel annonæ regimen, aut aliquid aliud vile indecorumque ſuo ordini miniſterium; nec ſcurrilia exerceant, nec menſarum aſſeclas ſe exhibeant: alioqui pro delicti gravitate ſeveriſſime coerceantur.*

Canon Apoſt. 6. *Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus ſæculares curas non ſuſcipiat: alioquin deponatur.* Scurrilitatem & ſtultiloquium damnat Apoſtolus Epheſ. 5. v. 4. Clericumque ſcurrilem Concilium Carthaginenſe IV. can. 60. deponendum ab officio judicat.

6. Cap. III. *Ne poſſeſſiones alienas conducant, aut aliorum cauſas lucri gratia ſuſcipiant: non fideiubeant, aut ſæcularibus implicentur negotiis, quibus ab altari divinoque officio avocentur.*

Hæc omnia diſtricte prohibet Synodus Calchedonenſis can. 3. uſuras clericis interdicunt Concilia Nicænum can. 17. Arelatenſe primum can. 12. Laodicenum can. 5. Carthaginenſe III. can. 16. Idemque canone 15. damnat clericos conductores atque negociatores. Alexander Papa III. clericos uſurarios beneficio & officio ſuſpendit c. præterea de uſuris.

7. Cap. IV. *Ebrietati libidinis parenti, crapulæque quæ menti eſt exitio clerici ne indulgeant, tabernas niſi peregrè profecti non intrent: ad æquales hauſtus nec ſeipſos nec alios aſtringant vel provocent. Si ſecus fecerint, & ſuperiori monenti non paruerint, ab officio vel beneficio ſuſpendantur, & aliis pœnis canonicis afficiantur.*

Paulus Apoſtolus hoc vitium crapulæ aliaque vitia paulo ante commemorata & mox commemoranda ab Eccleſiæ præfectis & à Diaconis prorſus remota eſſe jubet, in ſuis tam ad Timotheum quam ad Titum epiſtolis. Et per Iſaiam cap. 28. Deus acerbe exprobrat, *Sacerdos & propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Apoſtolis aſcriptus canon 41. ſancit ut Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus indulgens ebrietati officio deponatur. Et qui ſequitur canon 42. ſubdiaconos lectores & quoſcunque laicos fidelium communione decernit eſſe dimovendos. Deinde ſtatuit quemcunque clericum qui citra itineris neceſſitatem in caupona comederit, ſegregari. Concilium Carthaginenſe III. can. 27. ſancit. *Vt clerici edendi vel bibendi causâ tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Concilium Agathenſe can. 41. & Veneticum can. 13. dierum triginta excommunicationem aut verbera & fuſtigationem decernunt in clericum quem in ebrietatem incidiſſe conſtiterit.

8. Cap. V. *Clerici continentiæ ſint amantes, peſtemque libidinis cane peius & angue quod dicitur exoſam habeant. Qui autem concubinarii reperti fuerint, & moniti juxta formam per Concilium Tridentinum præſcriptam ſeſſ. 20. cap. 14. non reſipuerint, excommunicatione percellantur, nec niſi peccato relicto abſoluantur. Si vero cenſuris neglectis, in ejuſdem voluptatis cœno quaſi ſues perſeveraverint, durius coërceantur adhibito ſi opus fuerit ſæculari brachio, plectanturque nihilominus aliis pœnis contra concubinarios decretis, quas vim ſuam retinere volumus etiam contra ſuperiores qui prudentes ac ſcientes ad ea crimina connivent, nec emendant: cum juxta Apoſtolum non ſolum ſint in vitio qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Admodum nota eſt prohibitio Nicæni canonis 3. ne quiſquam clericus ſubintroductam habeat mulierem, quam renovat Concilium Carthaginenſe tertium can. 17. Et Siricius Papa epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 11. & Toletanum primum can. 6. vetat familiaritatem puellæ Dei cum confeſſore, cum lectore, aliove clerico aut laico convictum, niſi fratris proprii. Concilium



Digitized by Google

lium Eliberritanum can. 19. Epiſcopum vel Presbyterum vel Diaconum qui mœchatus fuerit privat communione etiam in fine vitæ ſuæ. Concilium Neocæſareenſe can. 1. & can. 10. Presbyterum Diaconum qui mœchatus fuerit ab officio deponit & ad pœnitentiam redigit. Aurelianenſe primum can. 29. *De familiaritate* ( inquit ) *extranearum mulierum tam Epiſcopi quam Presbyteri vel Diaconi præteritorum canonum ſtatuta cuſtodiant.* Nimis prolixum & operoſum eſſet ſingulos referre canones quibus clericorum incontinentia coërcetur cum ſint propemodum innumeri. Ad ultimum igitur videndum eſt decretum Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 14. cujus eſt initium : Quam turpe.

9. Cap. VI. *Ab alea, venatione, & omni ludorum genere Eccleſiaſticis perſonis interdicto & indecoro prorſus abſtineant : nec unquam alijs quam honeſtis recreationibus ſe exerceant, nulla ducti lucri cupiditate. Quod ſi cum injuria ordinis Eccleſiaſtici deinceps quiſquam Eccleſiæ bona quibus pauperes ali oportuit , in ejuſmodi luſus profudiſſe convictus ſit , & qui quæſtum fecit rem pauperum male partam reſtituere : & qui jacturam paſſus eſt tanquam ſacri patrimonij dilapidator, graves pœnas exolvere cogantur.*

Alea Epiſcopis & clericis ſacris interdicitur c. Epiſcopus diſt. 35. in qua pariter multa de clericorum ſobrietate congeruntur. Et Concilium Trident. ſeſ. 22. cap. 1. de refor. *vetat clericis nominatim aleas , luſus , luxum , comeſſationes , choreas.* Vide in decretalibus tit. de clerico venatore. Venationem clericis interdicunt Concilium Agathenſe c. 55. & Epaunenſe c. 3. & ſecundum Matiſconenſe can. 13. Et Carolus magnus lib. 9. Capitul. 179. ſacris clericis venatus ſimul & armorum geſtationem vetat.

10. Cap. VII. *Et ut nedum morum probitate ſed etiam univerſo exteriore cultu cæteris modeſtiæ exemplo ſint , mentis honeſtati honeſtus corporis reſpondeat habitus, nihil obſcœnum, nihil leve referens : ſitque gravitate referta omnis illorum actio & oratio. Præterea veſte Eccleſiaſtica eaque talari ac decenti utantur omnes Eccleſiaſtici : nec ſine illa pallium breve aut longum deferant, aut unquam prodeant in publicum, nec criſpatis induſijs vel arte ſciſſis calceis diſſolutorum laicorum perſonas referant.*

Nicænum ſecundum œcumenicum Concilium exteriori clericorum modeſtiæ ſic providit can. 16. *Omnis luxus & ornatus corporeus eſt à Sacerdotali ſtatu alienus. Epiſcopos ergo vel clericos qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant ſe corrigere oportet : ſin autem permaneant ſupplicio tradi: ſimiliter & eos qui ſunt unguentis delibuti. Si inventi fuerint nonnulli eos irridentes qui vilem & modeſtum amictum induti ſunt, pœnâ corrigantur. Quidquid enim non propter uſum , ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur in nequitia reprehenſionem incurrit , ut ait magnus Baſilius. Sed nec ex ſericeis texturis variatum quis veſtimentum olim habebat , neque in extremis veſtimentis adjecta erant alieni coloris additamenta. Ex divina enim lingua audierant quod qui mollibus veſtiuntur in domibus ſunt Regum.* Similiter Melfitanum Concilium cui præſedit ſummus Pontifex Vrbanus II. anno 1089. can. 13. veſtes ſciſſas & pretioſas clericis interdicit, eoque magis quia in fœminis ſæcularibus ab Apoſtolo reprobantur dicente 1. Timo. 2. *Non in veſte pretioſa.* Pari ſapientia Carthaginenſe Concilium quartum can. 45. præcipit : *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet : & nec veſtimentis nec calceamentis decorem quærat.* His aſtipulatur Matiſconenſe primum Concilium anni 581. can. 5. *Vt nullus clericus ſagum aut veſtimenta aut calceamenta ſæcularia niſi quæ religionem deceant induere præſumat.* Concilium Tridentinum ſeſ. 14. de refor. cap. 6. decernit ut clerici habitum indecentem geſtantes ſi admoniti ab Epiſcopo etiam per edictum publicum nõ deſtiterint , ſuſpendantur ab ordine , ab officio , à beneficio , à fructibus , & ſi ſemel correpti , denuo in hoc deliquerint , etiam per privationem officij & beneficij plecti poſſint , ſecundum conſtitutionem Clementis quinti in Concilio Viennenſi editam quæ incipit , Quoniam & habetur in Clement. de vita & honeſ. cler. ſub quo tit. vide plura his ſupra allegatis in decretalibus in Sexto & in Clement. nec non contenta ſub titulo decretalium de cohabit. cler. & mulie.

11. Cap. VIII. *Porro tonſura clericali pro qualitate gradus & ordinis ſui in capitis vertice apertè conſpicuâ ſemper inſigniantur clerici. Barbam vero aut omnino non geſtent ( quod magis probamus ) aut ſaltem totam à ſuperiore labro ob ſacra communionis reverentiam tondeant vel radant. Qui vero in his ſe negligentes præſtiterint & ter moniti etiam per edictum à ſuperioribus non paruerint , ſuſpenſione ab ordinibus officijs beneficijs & horum fructibus ſeu proventibus annuis plectantur. Sin autem correpti denuo deliquerint , eorum beneficiorum privatione coërceantur juxta conſtitutionem Clementis quinti in Concilio Viennenſi cujus initium eſt, Quoniam in Clementinis de vita & honeſ. cler.*

De tonſura ſancitum eſt Concilij Carthaginenſis quarti can. 44. *Clericus nec comam nutriat neque barbam.* Concilij etiam Agathenſis can. 20. *Clerici qui comam nutriunt ab Archidiacono etiamſi noluerint inviti detondeantur. Veſtimenta vel calceamenta etiam eis niſi quæ religionem deceant , uti vel habere non liceat.* Tonſuram quoque à clericis exigit Concilium Toletanum quartum can. 40. Colliguntur vero à Concilio generali Lateranenſi IV. omnes fere quæ clericos concernunt prohibitiones ſuperius memoratæ ; ſcilicet ut ſe à mulieribus contineant cap. 14. Itemque à vino immodico & provocatione ad paria pocula cap. 15. Deinde cap. 16. prohibet eiſdem commercia & officia ſæcularia. Itemque ne mimis , joculatoribus , & hiſtrionibus intendant. Et ut tabernas evitent niſi inter peregrinandum. Atque ne ad aleas & taxillos ludant, neve hujuſmodi ludis interſint. Vt coronam etiam congruentem geſtent ſintque convenienter tonſurati. Vt ſint in divinis officijs & alijs bonis ſtudijs aſſidui. Inſuper ut clauſa deſuper habeant veſtimenta, eaque nec nimia brevitate, nec longitudine conſpicua. Ne ſplendidis coloribus

ribus amiciantur, aut calceis ſæcularibus; & ne frænis equorum, ephippijs, aut calcaribus ſplendidis, ne fibulis aureis aut argenteis utantur, nec annulos geſtent niſi quibus id ex officio dignitatis competit. Concilio iſti Lateranenſi quarto præſedit Innocentius tertius.

## CONCILIVM BVRDIGALENSE anni 1583.

1. CONVOCATUM id fuit ab Antonio Prevotio Sanſaco Burdigalenſi Archiepiſcopo Aquitaniæ Primate, ſtabiliendarum Tridentinarum ſanctionum causâ, ex quibus ſua fere omnia mutuatur decreta, quæ cum in hoc opere paſſim attigerimus & ſemel iterumque in anteactis propoſuerimus minime opus eſt eadem pluries repetere, perque eamdem lineam ſerram diutius reciprocare, nonnulla tamen præcipuæ utilitatis delibare viſum eſt.

Tit. de ordinis ſacramento. *Cum ex Apoſtoli præcepto 1. Timoth. 5. Epiſcopus nemini cito manus imponere debeat, ſingulos provinciæ noſtræ Epiſcopos hortamur, ac ſedulo monemus, ut ijs examinandis qui ad ordines promoveri cupiunt accurate ipſi per ſe incumbant, vel ſi legitimè impediti fuerint, eorum operâ utantur quos pios doctoſque noverint, & quorum diligentiæ atque integritati confidant. In eorum autem examinatione qui ordinandi ſunt hæc præcipuè attendi & obſervari debent.*

*Primùm ne quis ex aliena diœceſi niſi literas facultatis à ſuo Epiſcopo acceptæ proferat, cujus teſtimonio ejuſdem probitas ac mores commendentur, in album ordinandorum referatur.*

*Deinde ne quis non legitime procreatus, vel aliquo membrorum defectu, ſeu inſigni deformitate notabilis, vel qui ætatem à ſancta Tridentina Synodo præſtitutam non attigerit, admittatur. Ideoque nec Subdiaconus ante vigeſimum ſecundum annum, nec Diaconus ante vigeſimum tertium, nec Presbyter ante vigeſimum quintum promoveri debebit.*

*Suſpecti etiam de hæreſi, homicidæ voluntarij, apoſtatæ, ſimoniaci, confidentiarij, excommunicati, energumeni, morbo caduco laborantes, bigami, ac alij jure interdicti, aut reddendis rationibus obnoxij, à ſacris ordinibus omnino arceantur.*

*Primâ tonſurâ nullus initietur qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperit, vel fidei rudimenta non tenuerit, vel legere ac ſcribere neſcierit, vel denique qui ex conjectura probabili exiſtimabitur ob alium finem quam ut Deo fidelem ac perpetuum cultum præſtet, hoc genus vitæ elegiſſe.*

*Et ne clerici qui divino miniſterio adſcripti ſunt cum ordinis ſui dedecore mendicare, aut ſordidum quippiam exercere cogantur, nullus deinceps juxta ſanctorum patrum decreta, ad ſacrum ſubdiaconatus ordinem ſuſcipiatur, niſi prius legitimè conſtet beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, & quidem non controverſum obtinere: quod poſtea reſignare non poterit; niſi aliunde habeat unde commode honeſteque vivere poſſit. Et ne in ea re fraus committatur, nullam reſignationem admittant Epiſcopi, niſi prius vere exploratum habuerint, beneficium quod reſignandum proponitur tituli loco non eſſe.*

*Ad patrimonij vero vel penſionis titulum nullus admittatur qui non ſit utilis aut neceſſarius alicui Eccleſiæ aut pio loco. Sed & prius perſpiciendum erit an patrimonium illud vere obtineat: & utrum ad vitam illius honeſte ſuſtentandam ſatis eſſe poſſit. Id vero deinceps vendere vel remittere, vel alio quovis modo alienare nuſquam liceat, niſi beneficium reipſa prius obtineat: vel aliunde habeat unde victum tranſigere poſſit.*

*Ad ordines promovendi modeſtiæ atque probitatis ſuæ à ſuo parocho & magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant.*

*Epiſcopi diligentiſſime caveant ne pro collatione ordinum aliquid, licet ultrò oblatum, accipiant vel à ſuis accipi permittant. Scribæ vero ſi nullum eis aliunde aſſignatum ſit ſtipendium, decimam tantummodo aurei partem accipere poſſint, ubi non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi.*

Hæc promiſcue derivata ſunt ex Tridentinis decretis de reformatione contentis in ſeſſionibus 21. & 23.

2. Hiſce aureis decretis quaſi pretioſiſſimam gemmam ſancti magnique Pontificis Leonis de ſacris ordinationibus inſerere lubet ex ejus epiſt. 1. alias 87. ad Epiſcopos Africanos provinciæ Mauritaniæ Cæſarienſis, *Ubi eſt* (inquit) *beati Pauli Apoſtoli per ſpiritum Dei emiſſa præceptio, quâ in perſona Timothei omnium Chriſti Sacerdotum numerus eruditur, & proinde unicuique noſtrum dicitur, Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis? Quid eſt citò manus imponere niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem qualis eſt ille qui non meruit ordinari? ſicut enim boni operis ſibi comparat fructum qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium: ita gravi ſemetipſum afficit damno qui ad ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum. Non enim in cujuſquam perſona prætermittendum eſt quod inſtitutis generalibus continetur: nec putandus eſt honor ille legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta collatus.*

Tit. XVIII. de Parochis. *Parochi qui in partem ſollicitudinis & gubernationis Eccleſiarum ab Epiſcopis vocantur, diligenter muneri ſuo attendere debent, non ignari officij ſui præcipuas*

Digitized by Google

*puas eſſe partes, populum in Dei lege atque voluntate inſtruere, ſacramentis Eccleſiaſticis reficere, atque communire, ſacras ad Deum pro eo preces fundere, & laudabilis vitæ exemplo viam ſalutis præmonſtrare.*

*Sciant igitur parochi ad officium ſuum pertinere per ſe vel alios, ſi legitimo præpediti fuerint impedimento, populum ſibi commiſſum ea omnia docere quæ quilibet fidelis Chriſtianus credere, facere, & ſperare tenetur ad æternam gloriam conſequendam. Quæ omnia potiſſimum Symbolo fidei, decalogo, præceptis Eccleſiæ, & oratione dominica comprehenduntur.*

*Proinde præcipimus iiſdem ut ſingulis diebus dominicis Latinè ſymbolum fidei, dominicam precationem, ſalutationem angelicam, decalogi & Eccleſiæ præcepta, & confeſſionem generalem, ita clare & diſtincte pronuncient, ut populus ſingula eorum verba percipere, & pronunciando facile ſubſequi poſſit; eadem ſubinde planius & latius vernacule interpretando.*

*Iiſdem quoque parochis injungimus ut frequenter etiam ſingulos moneant teneri eos hæc ſcire & intelligere: atque in idipſum intendant confeſſores pœnitentibus crebro fidei rudimenta in memoriam reducendo: eos vero qui hæc diſcere neglexerint, tanquam propriæ ſalutis immemores admonere & graviter objurgare non ceſſent.*

*Parochi etiam ſingulis feſtis diebus aliquid ex catechiſmo Tridentino (quem Latine & Gallice auctoritate noſtra editum penes ſe habere ipſis injungimus) populo proponant de iis rebus quas noſſe Chriſtianorum omnium intereſt: ut ſciant fideles quid complectantur articuli fidei, quid contineat decalogus, quid ipſi petant orationem dominicam recitantes, quis ſacramentorum ſit numerus, quæ vis eorumdem ac poteſtas, & quis effectus.*

*Obſervent inſuper parochi ſui gregis vitia & communia vel propria cujuſque peccata, iiſque corrigendis cum omni manſuetudine & charitate tum publice omnes tum privatim ſingulos admonendo, diligentiam adhibeant.*

*Si qui contentione diſcordes fuerint, vel odia in ſe viciſſim ſuſceperint, aut ſimultates exercuerint, curent eos quamprimum ad pacem & fraternam dilectionem atque concordiam revocare.*

*Inquirant præterea de pauperibus ſuæ parochiæ ſtudioſè; præſertim de puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, aliiſque perſonis temporali ſeu ſpirituali miſericordiâ indigentibus, quibus & ipſi pro viribus opitulari, & alios ſuo exemplo, atque hortatu ad id officium incitare ſtudeant.*

*Ut autem de ſuis ovibus rationem cum neceſſe fuerit reddere poſſint, ſingulis annis quatuór libros ſeu indices conficiant. In quorum uno baptizatorum, ſuſcipientium, parentumque nomina cum die & anno deſcribant. In altero contineantur omnes qui ſtatuto ab Eccleſia tempore ad confeſſionem & communionem venerint. In tertio recenſeantur omnes qui matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerint ſecundum formam ſacri Concilii Tridentini. In quarto, mortui & ſepulturæ Chriſtianæ traditi enumerentur: diligenter vero ſervare ſtudeant quæ antea præſcripta ſunt de celebratione matrimonii.*

*Ubi vero parochialium Eccleſiarum fructus adeò tenues & exigui ſunt ut ad vitam rectorum ſuſtentandam minime ſufficiant, curabunt Epiſcopi ex præſcripto & autoritate ſanctorum Conciliorum alia quæcunque beneficia, modo non ſint regularia, hujuſmodi Eccleſiis annectere & incorporare, vel viciniores etiā parochiales Eccleſias unire.*

*Quod ſi hac ratione illis conſuli non poſſit, iidem Epiſcopi efficient, ut per primitiarum aſſignationem & competentis & congruæ portionis ex æquè omnibus decimis quæ in illis parochiis colliguntur conſtitutionem, aut per parochianorum ſymbola & collectas, aut quâ commodiore eis videbitur ratione, ita earum Eccleſiarum reditus augeantur, ut rectorum neceſſitatibus ſufficiant.*

Ex tit. de verbi divini prædicatione. *Interea dum paſtores & parochi ſinguli in ſuis Eccleſiis reſidere compellentur, & Sacerdotes ad divini verbi prædicationem idonei efficiantur, ſubſidioque quod ex ſeminariis expectatur juvari poterit Eccleſia, ſtatuimus ut quilibet Epiſcopus in ſua Eccleſia eligat quinque aut ſex vel plures pauciorеſve (pro ſuæ diœceſis amplitudine) prædicatores, ſive ſæculares ſive regulares, quibus id oneris imponat, ut parochias obeuntes, ſinguli in eo archipresbyteratu vel parte diœceſis quæ illis deſignabitur, fame propemodum enectas Dei oves ſalutari verbi divini pabulo reficiant. Ad eas autem res conficiendas atque alimenta prædicatoribus ſuppeditanda conſultiſſimum omnibus approbantibus viſum fuit, ut quod in communem vertitur utilitatem communibus omnium impenſis efficiatur: atque ex ſingulis beneficiis, unus aut alter ſolidus juxta ejus pecuniæ rationem, quæ Regi ſubventionis nomine ſolvitur, deſumatur. Quod autem ad rationes diſtribuendæ & exigendæ ejuſmodi pecuniæ attinet, Epiſcopus providebit ex conſilio duorum canonicorum quorum alterum ipſe eliget, alterum vero canonici in capitulum convocati: itemque ex conſilio duorum aliorum qui è clero civitatis erunt, quorum quidem alterius ſimiliter ad Epiſcopum, alterius vero ad clerum electio pertineat.*

*Caveant ſummopere prædicatores ne in ſuis concionibus fabulas, jocos, dicteria & ſcommata*

quibus

*quibus riſus excitetur intermiſceant : concionatoris enim eſt non riſum movere ſed lacrymas auditoribus excutere. Videant etiam ne concionando aliquid contumelioſe adverſus præfectos Eccleſiaſticos & civiles magiſtratus, unde in odium & contemptum apud populum abducantur, proferant : quin potius auditores moneant ut præpoſitis etiam dyſcolis pareant & obediant, à Deo aſſiduis precibus efflagitantes, ut eorum animos ad ſui officij & miniſterij partes omnes ad Dei gloriam & populi ſui ſalutem obeundas excitare & impellere pro ſua in gregem ſuum pietate & miſericordia velit.*

3. Ex tit. de uſuris & illicitis contractibus. *Ne cui ex mutuo præter ſortem ex convento vel eo quod datum eſt, aliquid amplius accipere aut ſperare, ſive ejuſdem generis ſive alterius quomodocunque etiam ſi operæ ſint, liceat : etſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex præcepto divino debet eſſe gratuitum.*

Caſus autem nominatim in jure permiſſi ſunt in fundi feudalis hypothecæ fructibus directo domino obvenientibus pro penſione ab ejus vaſſallo debita c. conqueſtus de uſur. & c. 1. de feudis. Itemque in fructibus fundi pro dote oppignorati genero per ſocerum ad ſuſtentanda matrimonij onera, c. ſalubriter. de uſur.

*Ne quis mutuo det frumentum aut vinum vel id genus aliud corruptum aut miſtum, ut tantumdem integri & puri carioris reddatur etiamſi reſtitutio differatur in quodcunque tempus debitori commodum.*

*Si quis debitum loco & tempore reipſa oblatum accipere recuſaverit, nihil præter ſortem vel ratione damni emergentis, vel quacunque alia de cauſa accipere poſſit.*

*Ne quis ob dilatum ſolutionis diem carius vendat quam iuſti pretij ratio ferat.*

*Sed neque etiam ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur juſto pretio, vel minus ſolvatur.*

*Nec cui præſenti pecunia indigenti quidquam carius vendatur, ut ſtatim à venditore per ſe vel per interpoſitam perſonam vilius ematur.*

*Ne res magnæ æſtimationis modico pretio pignori detur aut vendatur pacto redimendi intra certum tempus, ut ſi ad dictum tempus non redimatur maneat emptori libera, aut ei qui pignori accepit.*

*Ne cui liceat ita contrahere ut debitor totam pecuniæ ſummam creditori ſolvat, cum ille partim pecuniâ dederit, partim nominibus quæ difficile exigi poſſunt, vel in rebus pluris quam valeant æſtimatis.*

*Ne in ſocietate in qua alter pecuniam confert, alter operam, lucrum aliter quam ex æquis partibus dividatur.*

*In ſocietate animalium quæ inæſtimata alicui dantur cuſtodienda, ſive ut operas præſtet, omnes caſus etiam fortuiti, ſemper ſint periculo ejus qui dederit, niſi accipientis & cuſtodientis dolo aut magnâ negligentiâ damnum accidiſſe contigerit.*

*Non fiat pactio ut ſors ſit ſemper ſalua, etiam ex primis fœtibus.*

*Et in locationibus animalium quæ fiunt certo pretio, ſi illa abſque dolo aut negligentia ejus qui conduxit deteriora fiant aut pereant, id ſemper ſit damno eis qui locaverint.*

*Ne liceat divitibus tempore meſſis aut vindemiæ frumentum aut vinum vilius emere, ut iſta poſtea quanti voluerint vendere poſſint, neve ijſdem fas ſit tempore ſterilitatis & famis pro libidine annonam vendere, ne pauperes fame conficiantur, vel facultatibus ſuis omnino ſpolientur. Neque enim paucorum avaritiâ perire debet univerſa reſpublica. Quare magiſtratus ad quos hæc cura pertinet hortamur, ut omnium juſtis moderatiſque pretijs provideant ſaluti.*

*Prohibentur quoque annuorum cenſuum contractus in quibus venditor intra aliquem præſtitutum diem redimere cogatur, vel ubi non poſſit redimere niſi poſt certum tempus.*

## CONCILIUM TURONENSE
## *anni* 1588.

1. TIt. IX. de matrimonio. Convenientes omnes hujus amplæ Provinciæ Antiſtites, quibus præſidebat Simon à Maillé Turonenſis Archiepiſcopus, ſic decernunt. *In quarto conſanguinitatis & affinitatis gradu, necnon cognationis ſpiritualis prohibitis gradibus, Epiſcopis diſpenſare non licere declaramus.* His concordat alterum provinciale Concilium Toloſanum anni 1590. parte 2. cap.8. his verbis. *Quos cognationis gradus impedit, niſi viſa prius ſummi Pontificis diſpenſatione, in matrimonij conjunctionem parochi non recipiant.*

Tit. XII. De Epiſcopis. *Epiſcopos autem cum nemo neſciat omnibus Eccleſiaſticorum gradibus eſſe præpoſitos, iiſque præſtare, ita omnibus notum eſſe volumus multa illorum eſſe munera & officia, alijs de jure interdicta Presbyteris, quæ hic inſerere non concinnum judicavimus. Ad eos enim ſpectat, ſacramentum Confirmationis, tonſuram, ac omnes ordines conferre, ſanctum Chriſma conficere, de hæreſi cognoſcere, ſeu hæreticum judicare, Epiſcopos, Abbates & Abbatiſſas, Eccleſias, Altaria, Cœmeteria, Calices,*



Digitized by Google

*patenas & alia vaſa, indumenta etiam, & alia ornamenta conſecrare, & benedicere, pollutas Eccleſias ſeu polluta cœmeteria conciliare, nova miracula probare, novas parochias & alias quaſcunque baſilicas conſtituere, antiquas dividere: plures parochias aut alias Eccleſias ſeu beneficia plura unire, uniones jam factas revocare: hoſpitalia & confraternitates erigere: ſeminaria literarum, & ſcholarum magiſtros inſtituere, dies feſtos ordinare, & jejunia indicere.*

2. Tit. XV. de Chriſti fidelibus laicis. *Sanctorum patrum antiqua decreta renovantes, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuis miſſis parochialibus & alijs ſuarum parochiarum divinis officijs, ſingulis diebus dominicis & feſtivis intereſſe diſtricte præcipimus: à quibus ſi per tres dies dominicos continuè ſequentes illos abeſſe contingat, niſi legitimo impedimento retineantur, pœnas à ſacris canonibus indictas incurrere declaramus; quod illis ſui rectores & confeſſarij ſæpius inculcare non omittant.*

Concilium Tridentinum his conſentit dum ait ſeſſ. 24. cap. 4. *Moneat Epiſcopus populum diligenter teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe ubi commodè id fieri poteſt ad audiendum verbum Dei.* Concilium item Carthaginenſe IV. de parochiali Eccleſia intelligendum eſt ubi ait can. 24. *Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de auditorio fuerit excommunicetur.* De tribus etiam continuis diebus dominicis ſimile decretum haud multo ante Burdigalenſis Synodus provincialis ediderat ſub tit. V. *Sed vetus etiam illud decretum identidem denuncient parochi, quo propoſitâ excommunicationis pœnâ præcipitur, ne quis tribus continuis dominicis à parochialis miſſæ celebratione abſit. Quod ut accuratius adhuc obſervetur ſciſcitentur à pœnitentibus confeſſarij an huic officio ſatisfecerint: & peccati gravitatem ut ab eo in poſterum arceantur, ipſis proponant.* Deſumptum id fuit à duobus antiquiſſimis Concilijs Eliberritano canon 21. & Sardicenſi can. 14. ſtatuentibus laicos à cœtu fidelium eſſe arcendos ſi tribus non interruptis dominicis ab Eccleſia propria abfuerint, nulla præpediti neceſſitate.

Pergunt ibidem Turonenſes patres. *Et ne prætextu divinorum officiorum quæ in alijs Eccleſijs quam parochialibus celebrari ſolent, fidelis populus revocari aut diſtrahi poſſit à propria parochiali, majorem miſſam & veſperas in cæteris Eccleſijs ſive collegiatis ſive monaſteriorum ac regularium, poſt parochiale officium tantum peractum inchoari debere decernimus.*

Indidem. *Vt autem dictis parochianis omnis ad alias Eccleſias diſcurrendi tollatur occaſio, omnibus Presbyteris tam ſæcularibus quam regularibus, etiam mendicantibus, ne quibuſvis perſonis quantumcunque illis notis, nec etiam cujuſcunque confratriæ aut ſodalitatis prætextu, ſacram Euchariſtiam tempore paſchatis, abſque parochi conſenſu, vel ſedis Apoſtolicæ indulto, Epiſcopo exhibito adminiſtrent, omnino vetamus. Sic enim fiet ut paſtor oves & paſtorem oves agnoſcant, dicente ſacra ſcriptura: Agnoſce vultum pecoris tui.*

3. Indidem. *Cum nos doceat Apoſtolus mulierem non velato capite orantem deturpare caput ſuum, nec minus illi turpe eſſe non velari quam tonderi vel decaluari: minimeque eam deceat tortos habere crines, & pectus ſuum nudare, non tantum virgines ſed etiam mulieres: ne ſui decoris oblitæ, officijque videantur immemores, intortis crinibus ac niſi velatis capitibus & pectore, potiſſimum in Eccleſia incedere prohibemus. Indignum eſt enim mulieres Chriſtianas quas decet cum verecundia & ſobrietate ornatas, pietatem per bona opera profiteri, meretricio more intortis crinibus, nudatis capitibus & pectore, ſe veluti nundinatitias populo exponere.*

Huc ſpectat Nicolai Papæ primi reſponſio 58. ad conſulta Bulgarorum ubi Angelos propter quos Apoſtolus 1. Cor. 11. vult mulieres in Eccleſia velari, de Sacerdotibus exponit. Chriſtianarum etiam mulierum immodeſtiæ, pudorem opponit & exprobat fœminarum ethnicarum lib. de velandis virginibus cap. 17. ſic dicens: *Iudicabunt nos Arabiæ fœminæ ethnicæ quæ non caput tantum ſed faciem quoque ita tegunt, ut uno oculo librato contentæ ſint, dimidia frui luce, potius quam totam faciem proſtituere.* Quibus verbis indicat eas non niſi per unum foramen veli vultui ſuo oppanſi res objectas perſpexiſſe.

Indidem. *Pecuniam ſi quis adulterinam aut minus probabilem receperit, quamvis ignoranter, auctorque ſibi ſit incognitus, alteri tradere non præſumat.*

Indidem. *Prohibemus laicis ne in Eccleſia, potiſſimum durantibus divinis officijs, deambulent, ſub pœna excommunicationis quam contra eos qui moniti non deſtiterint, per Ordinarios pronunciari volumus & mandamus.*

Ex tit. de monachis & monaſterijs. *Quia vero magnâ Abbatum ſeu Priorum clauſtralium negligentiâ ſeu incuriâ, hoc in omnibus fere monaſterijs irrepſit malum, ut nulla ingredientium monaſteria, ſeu in eis monachalem habitum ſuſcipientium, nec etiam ordinem profitentium facta fuerit deſcriptio: Hincque multis in locis contigit, ut vere profeſſi non tantum religionis habitum rejecerint, ſed etiam ad ſæculum redeuntes magno religionis Chriſtianæ ſcandalo, & gravi animarum ſuarum damno*

*damno, uxores duxerint, nec potuerint nefariæ ac inceſtuoſæ & deteſtandæ nuptiæ convinci aut annullari dictarum profeſſionum nullo certo apparente teſtimonio. Alij etiam cum certos annos in monaſterijs exegiſſent, nec tamen in his profeſſionem expreſſe emiſiſſent, contra ſacrorum Conciliorum decreta, ſola præſumptione pro expreſſe profeſſis habiti ſunt, ac tanquam tales regularia beneficia ſunt adepti, & alijs profeſſorum prærogativis & privilegijs uſi. Cui malo ut in poſterum occurratur, ſtatuit hæc Synodus in omnibus & ſingulis quorumcunque ordinum monaſterijs certum confici regeſtum, in quo ſinguli Abbates vel priores clauſtrales & alij iiſdem præfecti, omnium & ſingulorum qui prædicta monaſteria poſthac ingredientur, & religionis habitum ſuſcipient, ac etiam vovebunt ſeu ordinem profitebuntur nomina, cognomina, & ætates, una cum die, menſe, & anno quibus & habitum ſuſceperint, ac etiam voverint, annotare tenebuntur. Cui regeſto ut pleniſſima fides adhiberi poſſit, ipſum per Abbatem vel priorem clauſtralem, qui eos ad habitum & votum admiſerint, ipſumque ſuſcipientem vel voventem, nec non duos aut tres teſtes qui adfuerint ſignari, & in monaſterio quam accurate fieri poterit aſſervari mandamus. Vtque magis habitus ſuſceptio & emiſſio voti innoteſcant & palam ſint, mandat Synodus ut publice in ſacrario ſeu choro Eccleſiæ monaſterij poſt majoris miſſæ offertorium, omnibus religioſis aſſiſtentibus, ſaltem intimatis, & de eorum aſſenſu habitus ſuſceptio & voti emiſſio fiant. Quod noſtrum decretum in monialium domibus ſeu monaſterijs omnino obſervari placet.*

4. Ex tit. de ſepulturis. *Eos qui oblationes ſeu legata & pia relicta defunctorum aut negant, aut ſoluere recuſant, illorumve teſtamenta ſeu codicillos celant & doloſe retinent, tanquam animarum egentium necatores ex Concilio Agathenſi excommunicationi ſubjacere decernimus.*

Canon IV. Synodi Agathenſis ab Eccleſijs excludit quoſcumque retinentes aut intercipientes, aut auferre volentes, ſive donata, ſive ultimis voluntatibus relictas Eccleſiæ res. Simile ſtatuit Concilij Vaſionenſis can. 4. Et Carthaginenſis quarti canon 95. nec non Matiſconenſis primi canon 4.

Indidem. *Laicis omnibus etiam nobilibus minime liceat ſepulturas in Eccleſijs jure proprio ſibi vindicare: cum ſepultura ſit proprie & mere jus ſpirituale & Eccleſiaſticum. Neque ſepulturam in illis aſſumere liceat & eligere juxta vel prope majus altare aut ſacrarium, quacumque prætenſa in contrarium conſuetudine vel poſſeſſione non obſtante, niſi forte ſint Epiſcopi aut Eccleſiarum rectores vel fundatores ipſarum. Nullo autem modo in Eccleſijs ſepultura effodiatur, niſi quæ non minore quam ſex aut quinque pedum ſpatio à majore aut digniore altari diſtet. Quibus in Eccleſijs neminem ſine rectoris conſenſu & autoritate inhumare liceat.*

Ex tit. de Juriſdictione. *Sacrorum Conciliorum decretis, juriſque communis diſpoſitione cum ſit cautum, ne clericus adverſus clericum habens negotium Pontificem ſuum relinquat, & ad ſæcularem judicem trahat: omnibus Eccleſiaſticis cujuſcunque ſint dignitatis, ſtatus, qualitatis, aut conditionis, ne clericos ſaltem in ſacris ordinibus conſtitutos in actionibus quarum cognitio & judicium fori eſt Eccleſiaſtici, relicto proprio Epiſcopo ad judices ſæculares trahat ſub pœna anathematis prohibemus: cui eos ipſo jure & facto ſubjacere declaramus, alijs à iure ſtatutis pœnis nihilominus puniendos. Ipſos etiam Eccleſiaſticos qui volentes iiſdem in cauſis ſæcularia iudicia ſubierint, ſimilem pœnam incurrere decernentes: cum hoc beneficium non perſonæ ſed univerſo Eccleſiaſtico ordini publico iure ſit indultum, cui Clerici renunciare non valent.* Eòdem ſpectat Calchedonenſis œcumenicæ Synodi canon 9.

5. Indidem. *Certiſſimi iuris cum ſit matrimoniales cauſas omnes fori eſſe Eccleſiaſtici: ideoque earum cognitionem ac deciſionem judicibus laicis à ſacris canonibus omnino eſſe interdictam, omnibus præterquam Epiſcopis eorumque Officialibus de iis earumque appendicibus & circumſtantijs, veluti ſi de coniugali adhæſione ſit quæſtio, cognoſcere & decidere ſub anathematis pœna prohibemus; Cum atteſtante Apoſtolo Ephe. 5. Chriſtianorum matrimonium ſit magnum in Chriſto & Eccleſia ſacramentum, nemo Catholicus ambigit eſſe juriſdictioni Eccleſiaſticæ reſervatum non ſolum in ſui ſubſtantia, ſed etiam in præparatorijs mere ſpiritualibus, quales ſunt deſponſationes ac futurarum nuptiarum mutuæ promiſſiones.*

Concilium etiam Tridentinum anathemate damnat ſi quis alteri quam Eccleſiaſtico tribunali judicium de matrimonij validitate aut invaliditate auſit aſcribere, ſeſſ. 24. can. 12.

## *CONCILIVM BITVRICENSE anni 1585.*

1. TIt. De adorando Deo. *Præceptor & dominus noſter Eccleſiam univerſam in perſona mulieris Samaritanæ docens admonet ſpiritum eſſe Deum, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportere adorare. In ſpiritu quidem*

*dem adorant qui mentis affectu Deum colunt. In veritate: qui cultu exteriore & pijs operibus mentis affectum ſincerum teſtantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio eſt cum anima ſimul & corpore divino obſequio mancipamur.*

Tit.VI. De invocatione Sanctorum. *Prohibetur populus profana ſodalitia, & comeſſationes, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos diebus feſtis exercere: pompas inſtrumentorum muſicorum & tympanorum in geſtationibus imaginum per vias & compita exhibere: & ſi quid aliud olim Sanctorum invocationibus adverſarijs anſam maledicendi præbuit: à cauponis abſtineant, & nihil niſi quod pietatem redoleat exerceant. Imitentur Chriſtiani totis hiſce diebus Sanctos illos quorum memoriam colunt per opera charitatis.*

Tit. IX. De Eccleſijs. *Curabunt cuſtodes Eccleſiarum ne mendici per Eccleſiam vagentur, aut chorum introeant prætextu eleemoſynæ petendæ, divini Officij vel concionis tempore; ſed in foribus Eccleſiarum eleemoſynas expectent.*

Tit.X. De Reliquijs. *Reliquiæ non oſtendantur extra capſam: ſed cum honore & reverentia ſerventur.*

Tit.XVI. De Cæmeterijs. *Cæmeteria ad ſepelienda Chriſtianorum corpora per Epiſcopos juxta Eccleſias aut alio idoneo loco benedicantur, & à profanis locis diſcernantur: & quæ olim muris cincta fuerant in priſtinum ſtatum reſtituantur. Non pateant brutis animantibus, neque explicandis profanis linteaminibus aut alijs hujuſmodi uſibus. In ijs nundinæ non fiant, neque alia venalia exponantur.*

Indidem. *Si teſtator ſe alibi quam in parochia ſua ſepeliri mandaverit, parochus è domo defuncti corpus educendi jus habeat, & in Eccleſia in qua ſepultura electa eſt dimittat: ſalvo tamen ipſius Parochi jure tum in quarta funeraria, tum in alijs quæ jure, conſuetudine, aut diſpoſitione teſtatoris illi debentur. Si contra hanc conſtitutionem regulares aut alij Eccleſiaſtici fecerint, eaque cauſâ tumultus excitaverint, pœnis juris coërceantur.*

2. Indidem. *In quibus Eccleſijs plura & varia anniverſaria conſtituta ſunt, itaut ad ea celebranda tempus ſufficere non poſſit, abſque diminutione divini quotidiani officij, ſtatuit hæc Synodus ut Epiſcopi auctoritate, ejuſmodi anniverſaria ad certum modum reducantur, & certis diebus celebranda præſcribantur, commemoratione tamen ſemper habita eorum qui legata & anniverſaria reliquerint.*

Ex ijſdem & ſimilibus cauſis Concilium Tridentinum Miſſarum reductionem, Epiſcoporum & generalium Ordinum religioni & prudentiæ ſive in Synodo Diœceſana ſive in generalibus Capitulis commiſit, ſeſſ.25.de refor.cap.4.

3. Indidem. *Non altius erigantur tumuli aut ſepulcra defunctorum in Eccleſijs, in choro præſertim, niſi fortè Prælatorum, Regum, & Principum. Cæteris vero id non liceat ſine auctoritate Epiſcopi cum cauſa cognitione.*

Concilium Mediolanenſe quartum tit.13. de Sepulcris edicit. *Sepulcra è ſolo Eccleſiæ nullo modo extent emineantve, ſed illud planè adæquent.* Et Concilium Remenſe ſub Ludovico à Guiſia Cardinali tit. de Sepulturis c.8. *Nec liceat tumulos ipſa humo altiores erigere, nec ibi cuiquam ſtatuas aut vexilla militaria vel trophæa ponere.*

4. Tit.XXV. De Clericis. *Clericos ex nomine ſuo ſuum ordinem agnoſcere æquum eſt qui pro ſorte & hæreditate Dominum elegerunt, abjecto mundo & deſpectis Satanæ pompis: profitentur enim hoc Davidicum, Dominus pars hæreditatis meæ.*

Huic Synodali monito apprime convenit locus Hieronymi ad Nepotianum. *Clericus* (inquit) *qui Chriſti ſervit Eccleſiæ interpretetur nomen ſuum, & vocabuli definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur, ſi enim κλῆρος Græcè, Latinè ſors appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Dominus ſors id eſt pars illorum eſt. Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet ut vel ipſe poſſideat Dominum, vel poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere debet. Quod ſi quid aliud planè habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini ſum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.* Ita Hieronymus & allegatur in Decreto c.Clericus 12. q.1.

5. Indidem. *Quicunque ſacris initiati ſunt, aut beneficia etiam ſimplicia obtinent, eo veſtitu atque habitu corporis utantur quo ſuum ordinem teſtentur.*

Vide Concilium Carthaginenſe IV. can.4. & ſeqq. *Clerici omnes tonſuram gerant, crines calamiſtratos & retortos non habeant, veſtibus talaribus utantur, itaut manicas non ab humeris dependentes nec diſſectas, ſed brachijs indutas habeant. Sericis indumentis alteriuſve quam nigri coloris omnes Eccleſiaſtici abſtineant, ijs exceptis quibus ratione dignitatis conceſſum eſt. Pileum quadratum ſive birretum ſemper gerant in Eccleſia & extra Eccleſiam, niſi quoties cœli injuria urgebit. Denique tale temperamentum in univerſo corporis cultu adhibeant ut ſordes æquè ac immoderatam elegantiam vitent.*

Tit. de Sacerdotibus. *Clerici qui ab Epiſcopo in ſervorum Dei numerum adſcribuntur mundo & pompis ejus abrenunciant, multomagis decet*

*cet Sacerdotes qui altiora tractant, Sacramenta Domini & Eccleſiæ miniſtrant, mentes à mundo & ijs quæ ſunt mundi omnino abducere. In hunc enim finem Chriſtus Dominus Apoſtolos de mundo non eſſe dixit Ioan.15. cum tamen eos de mundo elegiſſet. Idcirco ne ad terrena deſideria revertantur qui ſemel facti ſunt Sacerdotes.*

Indidem. *Nullus peregrinus ſine commendatitijs literis ſui Epiſcopi ad divina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.*

Ita ſancivere Concilia permulta Antiochenum cap.7. Calchedonenſe can.13. Sardicenſe can. 8. Laodicænum can.41. Aurelianenſe tertium can.15. Aquiſgranenſe can.59. & 61. Tridentinum ſeſſ.23. cap.16. & Apoſtol.c.15. & 16.

Ex tit. de Canonicis. *Si non ſit ſufficiens reditus Canonicis, provideat Epiſcopus ſive per ſuppreſſionem præbendarum, ubi magnus erit earum numerus, ſive per unionem beneficiorum ſimplicium non regularium ut ijs proventus competenter augeatur.* Ita jam providerat Concilium Tridentinum ſeſſ.14.c.15. de refor.

Ex tit. de rectoribus Eccleſiarum Parochialium. *Scriptum eſt Matth.15. Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Ideo abſurdum eſt cæcis cæcos duces præficere. Quapropter ijs animarum cura committenda non eſt qui mente cæci, ſuis affectibus præcipites per ſcelera volutantur. Sed ij ſunt deligendi qui ſibi ipſis imperare norint, quique doctrina & moribus præluceant.*

*Curent ut pœnitentiæ & alijs Sacramentis adminiſtrandis idonei Sacerdotes ſubſtituantur, confeſſionibus vero audiendis præficiantur doctiores ad eum numerum qui populo ſatis ſit: & ad id eos cogant Epiſcopi cum opus erit.* Deſumptus canon ex Concil. Trident. ſeſſ.21. cap.4.

6. *Ijs qui ſuum munus perficere & exequi per ſe non poſſunt, ſubſtituat Epiſcopus idoneos Vicarios.*

Concilium Tridentinum ſeſſ.21. cap.6. Epiſcopis injungit ut Parochis imperitis & illiteratis, ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint, coadjutores aut Vicarios pro tempore deputent, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignent, aut aliter provideant quacunque appellatione aut exemptione remotâ. Eos vero qui turpiter vivunt & ſcandaloſè poſtquam præmoniti fuerint coërceant ac caſtigent, & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficijs juxta ſanctorum Canonum conſtitutiones, exemptione & appellatione quacunque remota privandi facultatem habeant. His vetera jura concordant c. illiteratos diſt.36. c. niſi cum pridem de renuncia. c. cum ex eo de elect. in 6. Concilium Toletanum VIII. c.8. & c. quia frater 7. q. 1.

*Si qui Parochi domos non habebunt, curent Epiſcopi & parochianorum expenſis exſtruantur.*

Tit. de Beneficijs, *Beneficia curata in ſimplicia non convertantur.* Conformatur Tridentino ſeſſ.25. cap.16. de refor.

Indidem. *Cum damnet Scriptura eos qui hæreditate poſſidere attentant Sanctuarium Dei, vetat hæc Synodus ne quis deinceps conſanguineo beneficium cedat ſolius conſanguinitatis ratione: neve hujuſmodi ceſſiones admittantur contra conſtitutionem Pij V. de non admittendis reſignationibus.*

7. Tit. de Monaſterijs. *Religioſæ vitæ duplex genus Chriſtus Dominus docuit, unum Anachoreticæ dum Solitarius in deſerto oravit, jejunavit, & tentatus eſt: in quo præcurſores habuit Ioannem Baptiſtam & Heliam: alterum Cœnobiticæ dum nec ipſe divitijs ſæculi abundare voluit, nec Apoſtolos niſi qui his renunciarent admiſit, & communi victu cum illis uſus eſt: docens eos patri & matri renunciandum & omnibus quæ in poteſtate eorum erant ad ſectandam pietatem & religionem, quod perfectionis Chriſtianæ eſt. Hanc Sanctitatem ſibi propoſuerunt imitandam Anachoretæ & religioſi Cœnobitæ, quorum ſanctis inſtitutis, doctrinis, & exemplis, miraculiſque Eccleſia claruit.*

Veteres Eccleſiæ Patres non plura duobus agnoſcunt religioſorum genera ſupra recenſita, unum Anachoretarum ſeu Eremitarum, alterum Cœnobitarum ſive in commune viventium. Ita enim docet Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium de Virginitate. Auguſtinus lib.1. de moribus Eccleſiæ cap.31. & Caſſianus collat.18. cap.4. & ſicubi commemorant alterum aliquod genus religionem exterius profitentium, non aliter meminerunt quam reprobando ſupernumeralia illa inſtituta tanquam relaxationes & corruptiones vitæ religioſæ adverſantes. Errat itaque Iſidorus lib.2. de divin. Officijs cap.15. ubi tria deſignat Monachorum genera Eremitas, Anachoretas & Cœnobitas: ſunt enim unum & idem Anachoretæ & Eremitæ.

Indidem. *Qui religionis votum emiſerint nihil proprium poſſideant, & omnia vota ſua fideliter cuſtodiant, vivant communi victu, communibus impenſis, communi menſa, eodem dormitorio utantur. Fiatque in eorum menſa ſacra Scripturæ lectio: neque diſcedant à Monaſterio ſine prioris licentia & habitu Monachali.*

Sumpta hæc ſunt ex Tridentinæ ſeſſionis 25. cap.1. 2. 4. in decreto de regularib.

Indidem. *Monaſteria ad omnia feſta ſuæ Diœceſeos celebranda adigantur.* Trident. ibid. cap.12.

Indidem. *Non liceat Religioſis aut Monachis novitios in ſua Monaſteria introducere, aut de officijs providere, ſed id totum Abbati aut ejus Vicario relinquatur. Qui ſecus fecerint nulla eorum receptionis ratio habeatur.*

Indidem. *In Monaſterijs quibuſcunque divina*

*vina officia celebrentur horis à regula præſtitutis.*

8. Indidem. *Monachi cujuſcunque ordinis etiam mendicantium qui profeſſionis votum emiſerunt, & tamen adhuc extra Monaſteria degunt, ad illa ſtatim redire cogantur. Si neglexerint poſt monitionem Epiſcopi aut Superioris excommunicentur, & ſi opus fuerit extraordinariè puniantur.*

Calchedonenſis Synodi canon 4. Monachos temerè in urbibus circumcurſantes pœnâ excommunicationis reprimit. Cui conſonat canon 42. Synodi Quiniſextæ, coërceri jubens ab Epiſcopis Eremitas ſubjectionis jugo ſolutos & vagos. Innocentius Papa III. edicit ut Epiſcopi pœnis Eccleſiaſticis compellant ad reſidendum intra Monaſteria vagantes Monachos, ſi admonitus Abbas hac in re negligat officium c. quanto de offic. judic. ordin. Concilium pariter Viennenſe providit de reducendis intra Monaſteria vagis Monachis. Clement. ne in agro §. quia vero de ſtatu Monach. Quemadmodum etiam Tridentinum ſeſſ.25.cap.4.de regular. Et Gallicanum Caroli IX. edictum in regni Comitijs Aurelianenſibus art.11. ſub hoc eodem titulo de Monachis Concilium iſtud Bituricenſe hoc idem providit circa Moniales. *Moniales* (inquit) *profeſſæ quæ extra Monaſteria in hominum conſortio degunt, etiam ſi penes parentes ſint, ſtatim ad illa redeant. Quæ ſi non obtemperaverint, ſciant in apoſtaſiam incidiſſe, & excommunicationis innodatas eſſe vinculo.*

Indidem. *Quotieſcunque fratrum Religioſorum opera requiretur, in Monialibus quæ adverſa valetudine detinebuntur conſolandis, & Sacramentis adminiſtrandis, duæ aut tres ſorores ſemper præſentes adſint.*

9. Tit. de Confraternitatibus & Sodalitijs. *Confraternitates illæ tantum retineantur quæ pietatis operibus vigent, & ab omni faſtu & pompa ſunt aliena: in quibus etiam leges Chriſtianæ religioni non repugnantes conſtitutæ ſunt. Si quæ aliter fuerint inſtitutæ, Epiſcopi arbitrio vel corrigantur vel tollantur. In poſterum vero nullæ ſine Epiſcopi licentia inſtituantur.*

Addit Concilium Tridentinum ſeſſ.22. cap.9. adminiſtratores earum ſingulis annis teneri reddere rationes adminiſtrationis Ordinario.

## *CONCILIUM PROVINCIALE Aquenſe anni 1585.*

1. ALexander Canigianus Aquarum Sextiarum Archiepiſcopus, & ſecundæ Narbonenſis Provinciæ Metropolites, iſtam coëgit Provincialem Synodum, eique præſedit anno 1585. Præſul ſanè Apoſtolicæ virtutis, qui vitam ſuam ad exemplum Sancti Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſuaque omnia conſilia & mores componere ſtudebat. Conſtituit vero in primis ad ſtabile fidei fundamentum conjiciendum ut cuncti non tantum Clerici verumetiam Laïci ad quamcunque profeſſionem, officium, Collegium, Præfecturam, non ante admitterentur, quam fidei profeſſionem juxta formam à Pio quarto Pontifice præſcriptam, addito jurejurando palam emiſiſſent ſive Latino ſive vernaculo ſermone. Romana etiam de vetitis libris decreta per omnem ſibi ſubditam Provinciam una cum cenſuris promulgavit, & omnes hujuſmodi libros ſollicitè curavit ſupprimi & undequaque eliminari, priſtinumque Eccleſiæ decorem quem hæreticorum licentia fœde deformaverat reparavit, & quaſi alter Nehemias aut Zorobabel collapſum Dei templum & cultum mirificè inſtauravit. Præcipuam vero de Cleri moribus, diſciplinâ & eruditione curam adhibuit, primuſque in hac Diœceſi ſcholas Eccleſiaſticas & Clericorum Seminarium erexit, quod inſequentium temporum calamitate vel neglectu diſſipatum Eminentiſſimus Cardinalis & Archiepiſcopus Hieronymus Grimaldus inſtauravit, & novis ædificijs atque proventibus locupletavit.

Ex titulo de Baptiſmi Sacramento. *Curatus Sacerdoſve extra neceſſitatis caſum, illis pœnâ excommunicationis propoſitâ, ne ad domum cujuſpiam etiam magnatis ad miniſtrandum Baptiſmum accedat: neceſſitas autem illa intelligatur quæ mortem infantis minatur.*

Indidem. *In Baptiſmo compater ne ſit qui ſacro Chriſmate confirmatus non ſit, eademque de commatre cautio ſit: proinde Parochi erit de hoc ſtudioſe ante perquirere. Compater ne adhibeatur regularis aliquis, nec paſſim Clericus ſæcularis ſacris initiatus, aut beneficium Eccleſiaſticum obtinens, nec qui minor ſit quatuordecim annis, ſed qui major vel potius ætate ſit provectiori, ut non ore ſolum, ſed animo atque ſerio ad interrogata quæ in baptiſmo fiunt reſpondeat, ac planè intelligat ſuſcepti à ſe muneris partes. Quod idem de confirmatione intelligatur.*

Ex tit. Quæ ad ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum pertinent. *Cum vero ad ægros omni reverentia omnique religioſi cultus ſtudio, honorificè quoad ejus fieri poteſt afferenda ſit ſacratiſſima Euchariſtia, nocturno tempore non afferatur, niſi ægro mortis periculum inſtet.*

2. Ex tit. de celebratione Miſſæ. *Curatus in ſua Eccleſia nullum permittat celebrare, qui ſcriptis facultatem ab Epiſcopo impetratam non exhibuerit. Et eam licentiam quam anno uno vetuſtiorem repererit ne admittat.*

Statuit Concilium Tridentinum ſeſſ.22. in decreto de celebratione Miſſæ: *Deinde ut irreverentia vitetur, ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus interdicant ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat.* Concilium Laodicenum can 41. *Vetat miniſtrum altaris ſine formata ſeu Canonicis literis aliquò proficiſci.* Idemque ſtatuitur Apoſtolorum can. 13. & 34. Concilioque Aurelianenſi tertio can. 15. ſancitur ne cui Presbytero Diacono Subdiacono ſine literis Epiſcopi ſui ambulanti communio

communio impendatur. Idemque Concilij Epaonenſis can. 6. fuerat conſtitutum. Concilium Moguntinum anni 1149. can. 94. ſic edicit: *Peregrini Sacerdotes ad Miſſarum celebrationes non admittantur niſi teſtimoniales literas ſuper vita, moribus & receſſu ab eo Epiſcopo à quo diſceſſerunt; ſimiliter admiſſionis teſtimonium ejus Epiſcopi ad cujus Diœceſim ſe contulerunt, oſtendant.*

Ex tit. de Matrimonio. *Parochis mandamus ne facile ad matrimonia liberos invitis parentibus contrahentes admittant, aut vagos & ignotos homines qui plerunque uxore relicta aliam, & nonnulli plures diverſis in locis ducunt; ſed prius diligenter inquirant de ea re, quà ad Ordinarium delatà, ab eo quod docebit faciendi licentiam obtineant.*

Eadem conſtituerat Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. matrim. cap. 7.

Indidem. *Caveant parochi ne alienæ parochiæ ſponſum ſponſamve ante matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius parocho ſi ejuſdem vel finitimæ aut non nimis longinquæ Diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit, cujus teſtimonij fide ſibi teſtatum fiat ex Tridentini Concilij præſcripto, denunciationes quæ neceſſariæ ſunt aut Ordinarij ſui voluntate omiſſas eſſe, aut factas quidem, nullumque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum quo minus tale matrimonium contrahi liceat.*

Indidem. *Contra maleficia & ut dignè hoc Sacramentum accipiant, parochus hortetur conjuges ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonij conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedant.*

Id monitum deſumptum eſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 2. de ref. matr. cap. 1. verſus finem.

Indidem. *Grave peccatum eſt homines uxore ſolutos concubinas habere: graviſſimum vero & in hujus ſancti Sacramenti maximum contemptum, uxoratos in hoc damnationis ſtatu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere ac retinere. Quare ut huic tanto malo opportunis remedijs provideatur, decreta ſanctorum Conciliorum inſequendo ſtatuimus, concubinarios tam ſolutos quam uxoratos cujuſcunque ſtatus conditionis & dignitatis exiſtant, ſi poſtquam ab Ordinario etiam ex officio ter admoniti fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſejunxerint, excommunicatione feriendos eſſe, à qua non abſolvantur, donec reipſa & cum effectu admonitioni paruerint. Quod ſi in concubinatu per annum cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedatur.*

Id ex Tridentina ſeſſ. 24. cap. 8. de refor. matri. iiſdem verbis deprompum eſt.

3. Tit. Quæ ad Sacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent. *Dominico illo die qui quatuor ſtata jejunij tempora, quibus ordinis Sacramentum miniſtratur, proximè antecedit, parochi non ſolum ſolemne id jejunium hujus rei cauſa inſtitutum denuncient, verum etiam in ſua unuſquiſque eorum parochiali Eccleſia ſupplicationes Litaniaſque piè ac religiosè vel intus habeat, vel proſequente fidelium multitudine, foris Eccleſiam ſicut moris eſt abeat: tum præterea admonitione populum ad illud excitet, ut non modo eas ſupplicationes omni pietate peragat; ſed etiam illis ipſis ſtatis jejunij diebus frequens in oratione purè ſanctèque verſetur, ut Dei ſanctorumque ope implorata, tum Epiſcopus in eorum delectu quibus ordines conferet Spiritus ſancti lumine illuſtretur, tum illi quibus conferuntur in vita ſanctitate, doctrina, religioſiſque virtutibus proficiant.*

*Conſtitutione Pij II. Pontificis maximi quicunque Clerici ſine canonica diſpenſatione, extra ſtata tempora, vel legitimam ætatem, vel abſque dimiſſorijs Ordinarij ſui literis, ſe ad aliquem ordinem ſacrum promoveri fecerint, à ſuorum ordinum quos ſuſceperint executione ipſo jure ſuſpenſi ſunt. Sique ſuſpenſione durante, illorum ordinum miniſterium functioneſve obierint, ſtatim irregularitatem ſubeunt: ob quam præter alias pœnas contra eos canonum jure ſancitas beneficijs etiam Eccleſiaſticis privari poſſunt. Iis igitur pœnis ne quis facile alligetur, illam conſtitutionem quotannis tum in Diœceſanis Synodis promulgari, tum etiam pridie illius diei quo ſacræ ordinationes habebuntur edici jubemus Clericis qui initiabuntur.*

*Ab omni ſacra Ordinationis limine & ingreſſu arceantur omnes & ſinguli canonicis impedimentis irretiti. Si quis vero aliquo impedimento etiam occulto illigatus tenetur, illud planè ſaltem Epiſcopo patefaciat antequam ſe ſacris iſtis militiæ Clericalis myſterijs obtrudere audeat.*

*Quicunque aliquem ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipit, is ut in Tridentino Concilio juſſum eſt certæ Eccleſiæ aſcribatur, in qua functiones quas ei Epiſcopus præſcripſerit obeat.*

Et utique hoc decernit Tridentinæ ſeſſionis 23. cap. 16. & multo pridem Concilium Calchedonenſe can. 6. adductus à Gratiano c. neminem abſolutè diſt. 7.

*Porro ſciat unuſquiſque ſibi ad examen pro quocunque ordine ſuſcipiendo aditum aliter non patere quam ſi decenti habitu Clericali indutus, & cum congrua pro ſui ſtatus & ordinis coronâ ſeſe coram examinatoribus ſiſtat.*

*Quicunque ad ordines majores promoveri volunt, menſe integro ante ſtatam ordinationis diem ad Epiſcopum conveniant, tum ſua, ſuorumque*

*rumque parentum, patriæ, parochialiſque Eccleſiæ in cujus vicinia nati ſunt, & in qua item habitant, nomina, tum præterea beneficium Eccleſiaſticum, penſionemve, aut patrimonium, aut ſponſionem vel cautionem, cujus nomine titulove unuſquiſque eorum ordine ſacro initiandus ſit, rectè diligenterque ſingula notata ad Secretarium Epiſcopalem afferant. Epiſcopus vero id ipſorum parochis negotij dabit ut publicè propoſitis promovendorum in Eccleſia nominibus, de illorum moribus alijſque præmiſſis à fide dignis gravioribus pagi illius viris juramento obſtrictis diligenter inquirat. Et de his omnibus accurate literis obſignatis ad Epiſcopum reſcribat.*

Deprompta ſunt iſta ex Trident. ſeſſ.23. cap.5. de reform. Concilium etiam Carthaginenſe IV. can.22. exigit civium conniventiam & teſtimonium priuſquam Clericus ordinetur ab Epiſcopo.

*Omnes vero tum iſti, tum alij qui ordinibus etiam minoribus initiari volunt, ſiin urbe illi quidem ſunt feriâ ſecundâ hebdomadæ ordinationem proximè præcedentis, ſi vero Diœceſani, & alij qui extra urbem habitant, quartâ feriâ hebdomadæ in quam ordinatio ſacra incidit, ad nos examinis causâ conveniant. Quo tempore quicunque vel primam tonſuram, vel ordines minores maioreſve ſuſcepturus eſt, ea ſingula quæ mox ordine infra præſcribuntur de ſe literis legitimè teſtata exhibeat Epiſcopo.*

1. *Se legitimo matrimonio natum eſſe, aut de natalium impedimento ſecum ſuper illo quem ſuſcepturus eſt ordine diſpenſatum fuiſſe.*

*Præterea ſe vel origine vel beneficio Eccleſiaſtico quod in Diœceſi ſua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione, Diœceſanum eſſe vel familiarem Epiſcopi, qui per triennium cum illo commoratus ſit.*

*Tum à parocho & ludimagiſtro, eove quem in quovis genere ſtudiorum audit, aut ſi in Seminario aſcriptus eſt ab illius rectore, loco parochi obſignatas literas afferat, quibus de vita ſua diſciplina moribuſque teſtatum fiat. Doctrinæ item Chriſtianæ ſcholas frequentaſſe teſtimonium proferat.*

*Hæc præterea teſtimonia afferet qui primâ tonſurâ initiari voluerit, ſe ſacro chriſmate confirmatum eſſe, in Eccleſia frequenter & religioſè verſatum eſſe, ſpem eſſe ſe in Clericalis ordinis diſciplina permanſurum: hoc vero teſtimonium à parocho habeat: ſacram item communionem crebro per annum ſuſcepiſſe.*

*Qui vero aliquo majore minoreve ordine initiandus eſt teſtimonium præter ea quæ ſupra præſcripta ſunt, afferat etiam de his quæ ſequuntur.*

*De prima tonſura ordineque quem proximè ſuſcepit.*

*De illius functionibus ordinis à ſe præſtitis: idque teſtificationis habeat à præfecto Eccleſiæ cui adſcriptus eſt, in qua verè ac ſpeciatim exprimatur quas functiones quamdiu & quam frequenter, & quam diligenter quam decenter, quam piè præſtiterit.*

*De habitu Clericali poſt ordinem à ſe ſuſceptum continuè geſtato, quam teſtificationem à parocho afferat.*

*De confeſſione frequentiori, cujus rei teſtimonium obſignatum ab aliquo confeſſario Sacerdote approbato ad audiendas confeſſiones proferat.*

*De ſancta Communione crebrius ſumpta, hoc autem teſtatum afferat vel à parocho vel à præfecto Eccleſiæ cui aſcriptus eſt.*

*Quicunque alicui maiorum ordinum aſcribendus eſt, ea præterea de ſe Epiſcopo teſtata faciat. De ſe ex præſcribenda formula denunciationes in Eccleſia Cathedrali, tum in propria parochiali, tum in illa etiam in cujus finibus poſtremò domicilium habuit, tum etiam ubi per Epiſcopum denique juſſum erit publicè die feſto inter Miſſarum ſolemnia factas. Ac præter cætera teſtetur ætatem ſanctione Tridentina præſcriptam: annos ſcilicet viginti duos ad Subdiaconatum, viginti tres ad Diaconatum, vigintiquinque attigiſſe ſi Sacerdotium ſuſcepturus eſt.*

*Cenſum item vel Eccleſiaſticum vel laicalem, quem & pacificè poſſideri, & ſuum eſſe verè conſtet, quantum ad vitæ ejus ſuſtentandæ uſum ſatis eſſe cenſuerit Epiſcopus. Aut cenſus loco ſponſionem certa cautione factam ab aliquo, ſe quæ ad vitæ cultum uſu neceſſaria ſunt, illi qui ſacris initiandus eſt ſuppeditaturum, ſaltem donec ei aliunde proviſum ſit; eaque donatio ſponſiove verè ac ſine fraude dolove facta ſit, ejuſque tabulæ ritè ac rectè confectæ.*

*De eo autem cenſu ſponſioneve factas eſſe publicè die feſto denunciationes inter Miſſarum ſolemnia, tum in Cathedrali Eccleſia tum in Parochiali propria, tum in illa etiam in cujus finibus poſtremò domicilium habuit, tum denique ubi illas fieri per Epiſcopum juſſum fuerit, tum omnino in parochiali Eccleſia intra cujus limites major pars cenſus ſive Eccleſiaſtici ſive alterius generis poſita eſt, fidem faciat.*

*Hortatur autem hæc Synodus omnes qui ad Subdiaconatus, Diaconatus aut Presbyteratus ordines promovendi ſunt, ut antequam accedant, de peccatis omnibus totius anteactæ vitæ generaliter confiteantur, ac ſpirituales aliquas exercitationes ab Epiſcopo præſcribendas obeant, adhibito ſibi duce & moderatore viro religioſo quem Epiſcopus præfecerit. Quod ſi præſtiterint, id teſtatum afferant.*

4. Cæterùm viam & rationem prædictas ſanctiones exequendi aperuit eminentiſſimus Cardinalis

nalis ſuperius nominatus, dum ſedulam operam dedit ne quiſquam ad primam tonſuram aut ad ſingulos ordines admittatur, niſi tempus ſua conſtitutione præſcriptum intra Seminarium in ſeceſſu & ſanctis meditationibus tranſegerit, atque ad omnia quæ ad Eccleſiaſticos ordines ſanctè piéque exercendos exiguntur, fuerit curâ & ſtudio convictorum Seminarij probe inſtructus & præparatus, à quibus deinde referet Antiſtes morum ingenijq; & reliquorum omnium ſuperius memoratorum atteſtationem. Univerſa quippe horum ſollicitudo rectori Seminarij incumbit. Denique viſum eſt futurum operæ pretium haud exiguum ſi attexam egregium Hieronymi ſanctiſſimi Doctoris locum ſcribentis ad hæc epiſtolæ ad Titum 1. verba. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Audiant* (inquit) *Epiſcopi qui habent conſtituendi Presbyteros per ſingulas urbes poteſtatem, ſub quali lege Eccleſiaſticæ inſtitutionis ordo teneatur. Manifeſtum eſt eos qui Eccleſiaſtica lege contempta, Eccleſiaſticum gradum non merito alicui conferre voluerint, ſed gratiæ deferre, contra Chriſtum facere. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſiæ columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, vel ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt.* Sed jam Aquenſis Concilij præſcripta proſequamur.

*Si Epiſcopus ægritudine vel aliquo juſto impedimento ab ordinibus conferendis avocatur, non aliter ſubditos ſuos quam modo ſupradicto examinatos & approbatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittat, habitis prius ab eiſdem omnibus atteſtationibus ut ſupra.*

5. Quod autem tum iſto Aquenſi tum anterioribus Concilijs ac præſertim Tridentino ſeſſ. 23. cap. 4. cautum eſt ne quis in gradum Clericorum per tonſuram aſcribatur niſi ſacræ Confirmationis chriſmate illitus, diſceptationem inter Eccleſiæ Doctores movit an ejus conſtitutionis tranſgreſſio culpam lethiferam pariat an venialem? Et mihi quidem diſpicienti hanc legis in re admodum gravi violationem duo ſimul ſpectabilia involvere, nimirum Sacramentum & introitum ad ſanctiorem Eccleſiæ ſtatum. Hæc inſidet perſuaſio de gravi & mortali culpa cum Toleto lib. 1. cap. 71. Bonacina de Sacramentis diſp. 8. qu. 1. pu. 5. propoſ. 2. Franciſco Hallier Profeſſore Sorbonico de ſacra elect. ſect. 4. cap. 2. art. 2. alijſque. Tametſi pro oppoſita ſtent ſententia Navarrus, Suarez, Coninc alijque levem ac venialem duntaxat culpam ſecluſo contemptu hic dignoſcentes. Ut autem myſterium in hac latens conſtitutione reſeretur, ſacra confirmatio eſt atteſtante S. Dionyſio Eccleſ. Hierar. cap. 2. τελεστικὴ χρῖσις perficiens unctio καὶ ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις, ſacra divini ortus perfectio. Præclareque docet S. Thomas 3. p. quæſt. 62. art. 1. in corp. quod ſicut in vita corporali ſpecialis quædam perfectio eſt, ſi homo ad perfectam ætatem deveniat, perfectaſque vitæ humanæ actiones agere poſſit: ideo dicit Apoſtolus 1. Cor. 13. cum autem factus ſum vir evacuavi quæ erant parvuli, inde fit ut præter motum generationis quo quis vitam adipiſcitur corporalem, ſit etiam motus augmenti quo idem aſſurgit & roboratur ad perfectam ætatem. Pari ratione homo ſpiritualem conſequitur vitam per Baptiſmum quem Chriſtus ipſe Joan. 3. docet eſſe renaſcentiam ac regenerationem ad ſpiritualem vitam: at vero per confirmationem homo perfectam accipit ætatem & ſpiritualis vitæ robur nanciſcitur. Convenit igitur ut antequam Chriſtianus à communi ſtatu laicorum ad perfectiorem aſſurgat & elevetur ſtatum qui eſt Clericorum, ſicque jam ſpiritualiter perfectus ac præmunitus confirmationis Sacramento. Iſte autem canon ne quis niſi confirmatus tondeatur vel ordinetur non deſumpſit à Tridentina Synodo exordium: ſed ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis viguit, ut luculenter probat Sancti Pontificis Cornelij epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 6 cap. 35. Ibi enim aſſeverat Novatum teterrimi ſchiſmatis autorem in ſui Sacerdotij inauguratione nullatenus ſanctum Spiritum accepiſſe, eo quod ſignaculo divino non fuiſſet antea confirmatus ad præſcriptum ſacri Canonis κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα. Secundum Eccleſiæ regulam.

6. Titulis proximè ſequentibus de vita & honeſt. Cleric. & de Epiſcopis. Omnia Clericorum inferiorum quæ ad pietatem, & ædificationem, & modeſtiam ſpectant accuratè proſequitur. Deinde pari ſtudio & exactione cuncta recenſet officia Epiſcoporum, qui in celſiore ſpecula conſtituti, ut ſupra montem poſiti, ſicut debent omnium inferiorum actiones inſpicere, eiſque paſtorali vigilantia proſpicere: ita meminiſſe debent ſe cunctorum aſpectibus expoſitos eſſe, ideoque ſibi elaborandum impenſius eſſe ne cuiquam ſint offendiculo, ſed ut univerſos pia ſedulitate virtutumque exemplis ædificent. S Papa Gregorius ad quatuor Orientis Patriarchas de onere Epiſcopali ſcribēs lib. 1. ep. 24. paucis verbis multa & gravia complectitur dicens: *Omni cura vigilandum eſt ut animarū rector cogitatione ſit mundus, operatione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatē ſocius, cōtra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus.*

7. Tit. de Canonicis. *Tridentini Concilij & Bonifacij VIII. auctoritate nixi decernimus, ut nulla canonicorum aut aliorum pactio remiſſio vel colluſio fiat aut facta vim habeat, nullumque ſtatutum aut conſuetudo quæcunque illa ſit valeat, quibus aut abſenti quavis de cauſa divini Officij aut ſacra hora in qua muneri ſuo defuerit, aut omnino cuiquam contra quàm jure communi & ejuſdem Tridentini Concilij definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint. Quod ſi datæ fuerint, qui acceperit nec in conſcientia, nec alio modo ſuas faciat, ſed eas reſtituere teneatur, diſponaturque de ijs juxta probatas Eccleſiæ illius conſtitutiones. Volumus autem ab hoc decreto excipi eos qui infirmitate detinentur, vel aliâ juſtâ cauſâ à ſacris Canonibus permiſſâ. Inter juſtas abſentiæ cauſas habeatur, ſi unum aut duos ex dignitates obtinentibus, aut canonicis Epiſcopus mittat, aut ſecum pro conſilio deducat ad viſitandum Diœceſim, aut ad Concilium Provinciale, aut ad aliud pro religione*



Digitized by Google

*vel Diœceſi urgens negotium. Non tamen diutius excuſabuntur quam duraverit negotij neceſſitas: excuſentur quoque qui pro negotijs capituli & de ejuſdem licentia aberunt, nec numerentur in diebus abſentiæ dies receſſus & reditus.*

Huc ſpectant Tridentina decreta ſeſſ.23. de refor.cap.1. & ſeſſ.24. cap.12. & c.1. de Cler. non reſid. in 6. Videtur tamen c. de cætero. de Cler. non reſid. excludere Clericos quandiu abſunt propter ſervitium quod proprio Epiſcopo impendunt à quotidianis diſtributionibus, quamvis ijſdem fructus indulgeat ſuarum præbendarum. Et c. licet de præben.etſi dictos beneficij fructus concedat Clericis cum licentia propter ſtudium abſentibus, eiſdem tamen diſtributiones, quæ non niſi præſentibus in Officijs divinis debentur, ſubtrahit. Certè neminem ſibi ſocium aut adjutorem aſciſcit Epiſcopus, cui non ſimul vel proprijs vel Eccleſiarum impenſis provideat de quotidiano victu & itinerario, ne proprijs militet ſtipendijs: quæ utique contributio vel adæquat vel excedit quotidianas chori diſtributiones. Hoc eodem titulo ſub finem decernit Aquenſis Synodus præbendatum pœnitentiarium dum inter confeſſionum auditionem quibus intra Eccleſiam propriam intendit, abeſt à choro, perinde percipere diſtributiones debere ac ſi præſens choro interfuiſſet. Quod idem fuerat in Tridentino ſtatutum ſeſſ.24.cap.8. de refor. his verbis: *Qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim in choro præſens cenſeatur.*

Tit. de Capitulis. *Capitula ne fiant mane, ſed tantum poſt Officium veſperarum peractum, ne divina officia perturbentur, & ne canonici à divinis Officijs abeſſe cogantur: niſi fortè urgens & evidens ingruerit neceſſitas.*

*Si quis inſtrumenta fundationum bonorum, redditunm, privilegiorum & jurium ad Epiſcopatum aut ad capitulum aut ad aliquam dignitatem, aut præbendam, aut capellaniam, vel etiam ad quamcunque Eccleſiam, & Monaſterium ſpectantium apud ſe celaverit, nec intra ſpatiū trium menſium à die publicationis hujus Synodi reſtituerit Epiſcopo aut capitulo, vel ipſarum Eccleſiarum & Monaſteriorum Præpoſitis, maneat per hanc Synodum ipſo facto excommunicatus: nec ab Epiſcopo abſolvatur donec juramento affirmaverit omnia à ſe reſtituta. Ac præſens decretum volumus quotannis tum in Synodis Diœceſanis, & capitulis generalibus, tum ſæpius per annum à Parochis inter Miſſarum ſolemnia publicari.*

Concilium Agathenſe ſimiliter providit can.26. *Si quis* (inquit) *de Clericis documenta quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſarijs fortaſſe tradere damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quidquid per abſentiam documentorum Eccleſiæ illatum eſt, de proprijs facultatibus reddat, & communione privetur. Hi etiam qui in damno Eccleſiæ inſtrumenta Eccleſiæ impiè ſolicitatis traditoribus ſuſceperint, pari ſententia feriantur.* Habetur 12.q.2.c.ſi quis de Clericis. Vide inferius annotata ad Concilium Toloſanum tit. de rerum Eccleſiaſticarum alienatione aut detentione.

*Sicut non licet Epiſcopo res Eccleſiæ alienare ſine conſenſu Capituli vel Superiorum auctoritate, ita viciſſim nec capitulo ſine cognitione & licentia Epiſcopi atque aliorum Superiorum.*

Vide Agathenſem canonem 7. & apud Gratianum c. Caſellas 10. q.2.

8. *Creationes in canonicum* (id eſt coadjutorias Canonicales cum ſpe aut certitudine futuræ ſucceſſionis) *tanquam votum captandæ mortis inducentes omnino prohibemus ne de cætero ullo modo fiant, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ: jam factas vero quæ hactenus effectum ſortitæ non ſunt irritas ac nullas declaramus, ac pro infectis haberi volumus, minimeque ab aliquo ſervari ſub eadem excommunicationis pœna.*

Damnatur omnis promiſſio beneficij nondum vacantis c.nulla, c. ex tenore, & c.fin. de conceſ. præbendæ, & c. deteſtanda eodem tit.in 6. & Concil.Trident.ſeſſ.24.cap.18.

Tit. de Beneficiatis & Manſionarijs. *Præſtent beneficiati hujuſmodi, ac manſionarij per ſeipſos proprium officium in choro, & cum oportuerit ad lectorile accedant, Antiphonas, Reſponſoria & alia hujus generis canant, quoties opus fuerit pluviale induant, & cætera præſtent tam in Pſalmis pſallendis & Miſſis celebrandis, quam cæteris quæ ex fundatione, ſtatutis & conſuetudine præſtare tenētur. Et ut beneficiati ſeu manſionarij hujuſmodi ad prædicta adimplenda capaces aſſumantur, beneficiaturæ ſeu manſionariæ prædicta, tam Eccleſiarum Cathedralium quàm Collegiatarum dictæ Provinciæ, & antiquioribus, & in cæremonijs & muſicâ peritioribus Clericis Eccleſiæ & Capitulo inſervientibus ad inſtar Metropolitanæ Eccleſiæ tantum conferantur.*

9. Tit. Quæ pertinent ab Beneficiorum collationem. *Conficiatur liber, iſque in omni Epiſcopali archivio aſſervetur, in quo libro omnium Diœceſanorum beneficiorum cujuſvis generis, tum vacationis certa dies, modus, ratioque deſcribatur, tum collationes ac proviſiones quæcunque ſint vel à Summo Pontifice, vel ab Illuſtriſſimo Legato, vel ab Epiſcopo, vel ab alio quovis factæ, literarum ac diplomatum exempla, vel ſententiæ ſummatim explicatæ, prout potius Epiſcopus cenſuerit in eumdem referantur. Idem ſervetur de literis Ordinum quibus ſinguli ejuſdē Diœceſis Clerici initiantur.* (Et paucis interjectis.) *Quicunque de aliquo beneficio etiam per literas Apoſtolicas fuerit proviſus, teneatur intra tres menſes à die adeptæ poſſeſſionis, inventarium omnium bonorum, jurium, & onerum illius beneficij Epiſcopo exhibere. Si id omiſerit, Epiſcopi arbitrio puniatur.* (Scilicet ut paulo poſt ſubjungit) *per cenſuras Eccleſiaſticas, retentionem fructuum, atque privationem eorundem beneficiorum, & alia juris remedia.*

Huc

Huc pertinet Henrici Regis eo nomine ſecundi edictum apud fontem Bellaqueum anni 1553. præſcribens inſtrumentorum omnium beneficialium apud tabellarium Epiſcopale, literarumque tonſuræ atque ordinationum inſinuationem, ſub pœna amiſſionis jurium ejuſmodi ſcripturis quæſitorum.

10. Tit. de Vicarijs foraneis. Cum primum Alexander Canigianus Aquenſem Archiepiſcopatum inijt, nihil prius aut antiquius habuit quam ut ſe ad regimen S. Caroli Borromæi conformaret, advenienſque in propriam Diœceſim ejus exemplo ſodalitatem Chriſtianæ doctrinæ per omnes Eccleſias ſibi ſubjectas inſtituit, necnon Seminarium in primaria civitate, diſtribuitque Vicarijs foraneis certas Diœceſis regiones, quarum ſingulæ octo circiter parochias complectebantur, in quarum medio fixam ſedem habentes ſingulos ibi degentes parochos aliosque ſacra miniſteria obeuntes Clericos, ſemel unaquaque hebdomade congregabat: invocatóque divino Numine paſtorales exhortationes nunc per ſe, nunc per alios Sacerdotes pronunciari curabat. Deinde capitula quæſtionum conſcientiæ proponebantur & diſceptabatur, tum etiam difficultates quas quiſque habebat communi collatione diſceptabantur ac reſolvebantur. Invigilabat Vicarius foraneus moribus & miniſterijs Parochorum & aliorum ſibi commiſſæ regionis Sacerdotum, prætereaque cultui & reparationi Eccleſiarum, & ubicunque opus erat ad Epiſcopum referebat, etiam de ordinandis regionis ſuæ Clericis, an idonei an incapaces ac aliquo defectu laborantes. Iſtiuſmodi Vicarij juriſdictionem nullam habent niſi quam libuerit Epiſcopo ipſis impertiri, ſuntque amovibiles.

11. Alterum anno 1612. prodijt Aquenſe Concilium Paulo Huralto Hoſpitali Aquarum-Sextiarum Archiepiſcopo præſidente præſentibus ſuffraganeis Epiſcopis Forojulienſi, Reienſi & Siſtaricenſi, quo damnatus prohibituſque venum exponi, teneri, ac legi anonymus quidam fuit liber inſcriptus de Eccleſiaſtica & politica poteſtate. Eodemque anno alterum Provinciale Concilium Senonenſe Pariſijs coactum fuit, cui præſedit præcellens illud ingenij doctrinæque lumen Jacobus Perronius Archiepiſcopus Senonenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis quo idem liber pari quoque cenſurâ & damnatione perſtrictus fuit.

## *CONCILIUM TOLOSANUM anni* 1590.

1. FRanciſcus de Joioſa S.R.E. tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis Archipræſul Toloſanus, iſtud Provinciale Concilium habuit menſe Maio an. 1590. Edita in primis fidei profeſſione Concilium ſua ab Epiſcopis ſumit primordia. *Quos in cuſtodia Sanctuarij Dominus excubare juſſit, ſpeculatoreſque domui ſuæ præfecit, eos aut incuriâ deſidere, aut inertiâ dormitare ut turpiſſimum ita pernicioſiſſimum eſt. In id igitur Epiſcopi quàm maximâ poterunt diligentiâ incumbant, ut creditos ſibi populos conſervent, errantes in viam reducant, perditos requirere & recuperare nitantur.* Epiſcopos animarum paſtores bonus paſtor Chriſtus Dominus Matth. 5. Lucis mundi & Salis terræ titulis illuſtrat. Qua ratione Concilium Forojulienſe cui Paulinus Aquileienſis præſedit anno Chiſti 791. ſub Hadriano primo Pontifice, & Carolo Magno Francorum Rege, hæc admonet cap. 2. *Si ergo lux mundi ſumus, lucere utique abſque nebuloſa hypocriſis admixtione debemus: & ſi ſal terræ ſumus, condire terrenas mentes ſapientiæ ſapore per verbum prædicationis debemus.*

2. Sub eodem tit. de Epiſcopis Concilium Toloſanum ita hortatur: *Officiarios maximè Officiales & Promotores & morum probitate & eruditione quoad fieri poteſt conſpicuos Epiſcopi habeant.*

Sciendum antiquo jure Archidiaconis incubuiſſe jura omnia & poteſtatem quam poſterioribus ſæculis Epiſcopi proprijs Vicarijs & Officialibus conferre ſolent. Atque ita ſi quando Archidiaconus ab Epiſcopo diſſentiret, aut ſi aliqua ſimultas vel ſuſpicio inter ambos ſuboriebatur, Epiſcopus tametſi invitus illum pati cogebatur Archidiaconum ſecum non convenientem, quippe qui minimè erat amovibilis: adeout ex eorum diſſenſione mutuaque æmulatione detrimentum Eccleſia ſuſtineret, aut etiam in diverſas partes diſcinderetur. Quibus incommodis obviam itum eſt ex quo inolevit conſuetudo, ut Epiſcopi ſibi Vicarios generales atque officiales quos viſum ſibi eſſet eligerent. Antiquiſſimus liber inſcriptus Ordo Romanus hæc perhibet de Archidiaconi poteſtate. *Ut Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe eſſe Vicarium ejus in omnibus, & omnem curam in Clero tam in urbe poſitorum quam eorum qui per Parochias habitare noſcuntur ad ſe pertinere, ſive de eorum converſatione ſive onere aut honore, & reſtauratione Eccleſiarum, ſive doctrinâ Eccleſiaſticorum, vel cæterarum rerum ſtudio, & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt. Et ut de tertio in tertium annum (ſi Epiſcopus non poteſt) Parochiam univerſam circumeat: & cuncta quæ emendatione indigent, ad vicem ſui Epiſcopi corrigat & emendet.* Sanctus etiam Clemens Papa & martyr Archidiaconum eſſe ait oculum Epiſcopi. Sed iſta Archidiaconorum ampliſſima poteſtas intra limites arctiores reduci cœpit poſt quartum Lateranenſe ſub Innocentio tertio generale Concilium, quo poteſtas Epiſcopis collata eſt ſibi Vicarios generales creandi, primùm quidem occaſione regionum ſub una eademque Diœceſi diverſis linguis utentium, ut refertur in c. quoniam de offic. jud. ord. ſed ſenſim ex hoc principio uſus obtinuit, ut illimitatè licitum ſit Epiſcopis Vicarios univerſæ Diœceſi vice ſui præficere, ad voluntariam juriſdictionem, quemadmodum & officiales ad contentioſam, aut utriuſque poteſtatis exercitium ſi ei videatur in unam eamdemque conferre perſonam.

3. Alia quoque hoc titulo Epiſcoporum officia Concilium proſequitur, nimirum ut parochis invigilent, eos admoneant, adhortentur, navatæ in cuſtodiendis commiſſis ſibi gregibus operæ rationem repoſcant. Commonefacit Antiſtites ut faciles adeuntibus ſe præbeant, eumque modum audiendis alloquendis adjuvandiſque omnibus adhibeant, ut homines non magis humanitatem ipſorum diligere, quam gravitatem venerari poſſint. Item ut ſcandala eliminent, moribus invigilent, verbum Dei diſpenſent, Eccleſiarum viſitationibus

tationibus & reparationibus ſedulam navent operam, & inter viſitandum confirmationis ſacramentum adminiſtrent, familiam ſuam pietate informent atque in honeſtat & modeſtia contineant. Divinarum ſcripturarum lectioni ſacriſque ſtudijs incumbant, cum peritioribus ac ſapientioribus Eccleſiaſticis utiliter colloquantur, ſcholarum & ſeminarij ſolicitudinem gerant, ſanctis meditationibus ſingulis diebus vacent, frequentes ad Deum preces & ſacrificia pro commiſſi curæ ſuæ gregis incolumitate & ſalute effundant, pauperum & miſerabilium perſonarum calamitatibus quanta fieri poterit charitate ſubveniant, & oppreſſis opitulentur, puellarum viduarumque pudicitiæ periclitanti conſulant. Pium & prudentem Sacerdotem familiæ ſuæ præficiant qui domeſticos & ſigillatim & commune divinis inſtitutionibus informet, eorum moribus invigilet, ſacrificio divino intereſſe ſingulis diebus curet & communibus ſerotinis precibus, provideatque in epiſcopium acciri externum & probum Sacerdotem cui omnes ſingulo quoque menſe confiteantur. Admonet Epiſcopos iſta Synodus ut menſa utantur frugali, curentque ne in ea lectio conducibilis intermittatur. Harum præceptionum magna pars habetur in Tridentini Concilij ſeſſione 2. & in ejuſdem ſeſſ. 25. cap. de reform.

4. Ex tit. de rerum Eccleſiaſticarum alienatione. *Vt rerum Eccleſiaſticarum conſervationi tutius in poſterum provideri queat, omnes & ſinguli Eccleſiarum, prebendarum, confraternitatum, piorumque locorum omnium rectores, adminiſtratores, & vero Metropolitani, ſuffraganeorum capitula, rerum omnium mobilium & immobilium, jurium, cenſuum, bonorumque aliorum inventarium notarij publici, duorumque aut trium ex antiquioribus civitatis laicorum manu obſignatum, intra duos ab hujus decreti publicatione menſes conficiant. Hujus inventarij duo exempla eaque notarij ejuſdem ſigno laicorumque eorumdem manu ſubſcripta deſcribantur. Alterum in communi Epiſcopi capitulique archivio ſi cathedralis Eccleſia fuerit ſervetur: ad Metropolitanum alterum mittatur. Collegiata unum in ſuo recondat, alterum Cathedralis Eccleſiæ archivio cuſtodiendum tradat. Qui beneficiarij reliqui erunt, alterum propriæ Eccleſiæ archivio recondent, cathedrali Eccleſiæ alterum committent. Quæcunque archivia duabus clavibus obſerentur, unam in Cathedralibus Epiſcopus: in collegiatis præfectus: alteram capitula ſervent.*

Vide decretum exactius de juribus fundationibuſque ſingulorum provinciæ Eccleſiaſticæ beneficiorum in unum librum colligendis, qui ad perpetuam ſervetur memoriam, ſuperius in proximo Aquenſi Concilio notatum ſub tit. Quæ pertinent ad beneficiorum collationem. Admodum conducibile fuerit hoc loco referre Tridentino Concilio ſancitas pœnas adverſus quoſcunque invaſores rerum ac jurium Eccleſiæ piorumve locorum, aliosque ſacrilegos detentores, ſeſſ. 22. cap. 11. *Si quem clericorum vel laicorum, quacunque is dignitate etiam imperiali aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ ſeu ſæcularis vel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumve piorum locorum juriſdictiones, bona, cenſus, ac jura etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque ſubventiones, quæ in pauperum & miniſtrorum neceſſitates converti debent, per ſe vel alios vi aut timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum aut laicorum ſeu quacunque arte aut quæſito colore in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit; ſeu impedire ne ab ijs ad quos jure pertinent poſſideantur aut percipiantur, is anathemati tandiu ſubjiciatur, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ pervenerint, Eccleſiæ ejuſque adminiſtratori ſive beneficiato integre reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam jurepatronatus ultra prædictas pœnas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero qui nefandæ fraudis & hujuſmodi uſurpationis fabricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, necnon quibuſcunque beneficijs privatus ſit, & ad alia quæcunque beneficia inhabilis efficiatur, & à ſuorum ordinum executione etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.*

Ibidem ſic proſequitur provincialis hæc Synodus. *Quæ bonorum Eccleſiaſticorum cautiones fient, publicè fiant: gravatis ære alieno Eccleſiæ bona non locentur: nec prius conductoribus locationis inſtrumenta tradantur, quam locupletes idoneoſque fideiuſſores ipſi dederint. Vbi aliquis Eccleſiaſticus defunctus fuerit, hæredes Epiſcopus compellat, ut quæ ad defuncti beneficia ſcripta, autoritates & inſtrumenta pertinent, ea omnia gratis & ſine pactione ulla ei qui in beneficium ſucceſſerit, tradant.*

Tit. de proviſionibus & renunciatione beneficiorum. *Qui beneficium Eccleſiaſticum deinceps obtinuerit, in manibus Epiſcopi aut ejus Vicarij in hæc ſacramenti verba juret. Ego N. per hæc quæ manibus meis tango ſacroſancta Dei Evangelia juro neque me, neque quemquam alium meo nomine, quidquam beneficij hujus obtinendi cauſa, ſciente me quidquam aut promiſiſſe, aut dediſſe: nec in hoc beneficio tacitam alteri fidem contra ſacros canones accommodare. Ita me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia. Hoc idem jusjurandum Epiſcopus in ſua receptione præſtet.*

Indidem. *Qui præſentato collationemque beneficij poſtulanti, beneficium Epiſcopus aut quiſquam alius conferre recuſarit, is recuſationis cauſas ſcripto exhibeat: & niſi illis inſpectis judicatiſque ſupererior beneficium conferre nequeat: ſi ſecus faxit, collatio irrita nullaque habeatur.*

De examine ad beneficia providet Concilium Tridentinum ſeſ. 7. cap. 13. de refor. & ſeſſ. 24. cap. 18.

5. Tit.

5. Tit. de Patronis. *Ea eſt ſæpenumero importuna patronorum prenſatio & in alienis licentia ut cum patronatis Eccleſijs libera beneficia non raro uniantur patroni quæ libera antea fuerint ſibi vendicent atque in ſervitutem juris patronatus redigant. Id cum Eccleſiæ non mediocri damno ſit, eas omnes uniones ex Tridentini Concilij decretis Ordinarij locorum infringant, irritaſque declarent & quæ unita beneficia fuerint, ea ubi vacaverint, liberè ut antea conferant. Quia etiam contingit paſſim ut patroni patronatarum Eccleſiarum bona ſacrilege occupent & venditionis titulo in alios transferant juſtoſque poſſeſſores quo minus eis potiantur impediant, in patronos invaſores Epiſcopi ex Tridentini Concilij decretis agant, eoſque patronatus jure privatos declarent & anathemate ex proprio facto innexos, donec integrè reſtituerint, & à Romano Pontifice abſolutionem quæ ipſi reſervata eſt impetraverint.*

Hæc fuſius decernuntur à Trident. Concilio ſeſſ. 25. cap. 9. Porro criminis eorum qui rapiunt, invadunt, aut conſultò detinent bona Eccleſiæ aut piorum locorum abſolutio reſervatur Summo Pontifici tum per cap. 17. Bullæ Cœnæ, tum etiam per Tridentinum decretum ſeſſ. 22. de refor. cap. 11. Ad hoc autem ut ſacrilegium rerum mobilium Eccleſiæ inducat excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, neceſſe eſt ut fractio violenta intervenerit, ſicut exprimitur in c. congreſſi ſunt de ſent. excom.

## *CONCILIUM AVENIONENSE anni 1594.*

1. HUic præſedit ampliſſimi meriti vir Franciſcus Maria Tauruſius Archiepiſcopus Avenionenſis factus deinde S.R.E. Cardinalis qui ſub Philippi Nerij Fundatoris Oratorij Romani ſanctiſſima inſtitutione educatus omnium virtutum ſplendore quaſi ſydus orbi univerſo Chriſtiano effulſit. Hanc vero auſpicatus eſt Synodum, ab Epiſcoporum officio ſic exorſus: *Epiſcopos Provinciæ noſtra tum dignitatis tum oneris ſui memores eſſe oportet, ut intelligant non alieno conſilio ſe Eccleſijs ſuis divinitus eſſe præfectos, ac gregibus paſtores datos, quam ut cura pervigili & ſolerti ſtudio animarum ſalutem procurent, in dieſque magis ac magis promoveant. Quod ut facilius aſſequantur, ſe moreſque ſuos ad eam formam quam præcipit Apoſtolus component, in id potiſſimum incumbentes ut vita ſint non modo irreprehenſibili, ſed ejuſmodi quam omnes colant, ſuſpiciant, ac imitandam proponant. Sunt enim Epiſcopi mundi lumina, populorumque duces.* Inde ad ſingula Epiſcoporum officia de viſitatione, de Synodis, de teſtibus Synodalibus, deque examinatoribus conſtituendis deſcendit.

2. Teſtes Synodales præcipit Innocentius Papa III. in ſingulis Diœceſibus ab Epiſcopis conſtitui, ut habetur in Lateranenſi quarto generali Concilio Sacerdotes ætate moribuſque graves, prudentes, ac diſciplinæ Chriſtianæ ſtudioſos qui nominati ac delecti ab Epiſcopo, ſecreto in ejus manibus jurent ex formula præſcripta verborum ſe muneris ſui partes executuros eſſe. Ejuſmodi Synodalium teſtium formula juramenti conceptis verbis habetur in fine Friſingenſis Concilij habiti ſub Eugenio Papa IV. anno 1445. Præcipit autem memoratum Lateranenſe Concilium can. 6. ut ſingulis annis convocetur à Metropolitano Provinciale Concilium in quo exceſſus corrigantur, eligantur vero per ſingulas Diœceſes perſonæ providæ & honeſtæ quæ per totum annum ſimpliciter & de plano abſque ulla juriſdictione ſolicitè inveſtigent quæ correctione vel reformatione ſint digna, & ea fideliter referant ad Metropolitanum & ſuffraganeos & alios in ſubſequenti Provinciali Concilio, ut ſuper his & alijs provida deliberatione procedant. Hæc vero in ſingulis quoque Diœceſanis Synodis proponenda pariter ſunt, ut emendentur. Statuitque iſtud Avenionenſe Concilium, *ut Synodales teſtes inquirant & referant an parochi munus ſuum obeant, ea qua par eſt ſollicitudine, in Sacramentis omnibus quidem, ægris autem præcipuè adminiſtrandis. An ipſi alijque Clerici omnes ullam populo præbeant offenſionem. An in ſuis Eccleſijs reſideant, ſuoque quiſque fungatur officio. Quæcunque vero animadverterint decreta ſancitave nullam adhuc aut non perſpectam executionem habuiſſe, aut quæ rurſus depravata correctionem reformationeque deſiderare viderint, ea tribus ante menſibus quam Concilij proximè futuri ſtata dies veniat, ſingula ordine ſuo referant ad Metropolitanum. Teſtes autem ſingularium Diœceſeon menſe ſaltem ante diem Synodo Diœceſanæ præſtitutum idipſum Epiſcopo præſtabunt.*

3. Exinde Concilium Avenionenſe progreditur ad ſelectos examinatores qui minimùm tres eſſe debent præſente Epiſcopo vel ejus Vicario, ſive inſtituatur examen in providendo beneficio ac præſertim cui adnexa ſit animarum cura, ſive alicujus ordinandi ſive concionatoris aut confeſſoris approbandi. *Quiſquis pro ſacris Ordinibus ſuſcipiendis examinandus eſt ætatis, natalium, alteriuſve cujuſcunque irregularitatis aut in re diſpenſationis obtentæ, beneficij etiam Eccleſiaſtici, vel penſionis, patrimonijve atteſtationes ſcriptas & documenta authentica ante omnia in medium producat: quæ omnia examinatores non perfunctoriè ſed diligentiſſimè perquirent an ullo vitio vel fraude laborent. Nullus examinatorum quempiam privatim doceat qui examen ſubiturus ſit.*

4. Tit. XVIII. de Sacram. Pœnit. *Ut vero inſcitiam quæ calamitoſis hiſce temporibus multorum malorum cauſa eſt facilius propulſent Epiſcopi, lectionem caſuum conſcientiæ ubi id commodè fieri poterit inſtituant: ad quam parochos cæteroſque Sacramenti pœnitentiæ miniſtros ire procurent, aut certè confeſſariorum conferentiam quam vocant fieri curent bis in hebdomada, cui vir doctus & cordatus præſit.*

Hoc idem Concilium ad peritiam Sacerdotum quatuor eis potiſſimùm librorum frequentem lectionem commendat ſacrorum utriuſque teſtamenti Bibliorum, Tridentini Concilij Catechiſmi, Manualis Summæ Navarri, & conſtitutionum Synodalium proprij Epiſcopi unà cum Concilio Tridentino.

dentino. Eoſque ſingulariter libros Avenionenſes patres tit. 32. de vita & honeſt. cler. volunt eſſe omnibus Sacerdotibus familiares.

5. Tit. XXII. De Miſſæ Sacrificio, *Non admittatur Sacerdos alterius diæceſis ad celebrandum miſſam & alia divina officia, qui non habeat literas dimiſſorias.*

Idem proſpectum fuerat à Concilio Tridentino & à can. non oportet de conſecr. diſt. 5. aliiſque pleriſque canonibus paſſim ſuperius adductis. *Clericum alienum niſi concedente ejus Epiſcopo nemo audeat vel retinere vel promovere in Eccleſia ſibi credita.* Id ſancitur à Carthaginenſi Concilio tertio can. 21. & habetur in c. clericum alienum diſt. 72.

6. Tit. XXXII. De vita & honeſ. cler. Clericis ludos interdicit taxillorum & pagellarum, itemque artem medicam quam iiſdem etiam prohibet Concilium provinciale ſub ſancto Carolo primum. Pagellarum autem ſeu chartarum pictarum Concilium Bituricenſe anni 1584. ſub tit. de vita & honeſ. cleric. Itemque Aquenſe anni 1585. & Narbonenſe anni 1609. ſub iiſdem titulis. In quibus etiam vetatur clericis ne ſint ludorum ſpectatores. Quam autem vecordi affectu luſores abripiantur exemplo eſſe poſſunt veteres illi Germani de quibus ſcribit Cornelius Tacitus lib. de moribus Germanorum aleæ ludis uſque adeo addictos fuiſſe, ut poſt deperditas aleâ omnes ſuas opes, de libertate quoque propria colluderent, & eum qui ludo victus fuerat permittere ſolitum ſe à victore funibus ligatum in ſervitutem ejuſdem perpetuam abduci.

Tit. XXXIII. De Capitulo & canonicis. *Vt omnis ſimoniacæ labis ſuſpicio tollatur, juxta decretum Concilij Tridentini, & Bullam Pij V. decernimus nihil in poſterum dandum accipiendumve pro quacumque collatione, proviſione ſive admiſſione in poſſeſſionẽ alicujus Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ beneficij, canonicatuum, præbẽdarum, ſeu ad diſtributiones quotidianas. Quod ſi alicubi vigeat laudabilis conſuetudo qua admiſſi aliquid capitulo conferunt in uſus pios & ornamenta Eccleſiæ erogandum, volumus eam ab Epiſcopo diligenter examinari, qui aliquem deputabit, cui incumbet de acceptis ab admiſſo, coram Epiſcopo rationem reddere.*

Decretum iſtud conformatur Tridentino ſeſ. 14. cap. 14. Allegata vero Pij V. bulla eſt numero 106. incipiens durum nimis.

Tit. XXXIV. De horis canonicis. *Nullus canonicus, nec beneficiatus, neque alius clericus intercanendum dormiat, nugetur, libros aut literas legat, officium privatim recitet, per chorum vagetur, indecore ſedeat, quidquam faciat aut loquatur quod chori diſciplinam & pſallentium intentionem perturbet.*

7. Tit. XLII. De officio parochi. *Studioſè vero parochus ſit ſollicitus de pauperibus ſuæ parochiæ, præſertim puellis nubilibus, viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, ſenio confectis, aliiſque perſonis utrâque miſericordiâ indigentibus, quibus & ipſe opituletur, & alios hortatu ſuo ad id officium invitet. Præcipue de iis Epiſcopum certiorem faciat, ut qui communis eorum pater eſt, iiſdem paternam curam præſtet.*

Concilium Vernenſe anni 755. can. 26. *Vt Clerici* (inquit) *non habeant actiones ſæculares niſi pro cauſa Eccleſiarum, orphanorum, viduarum, ordinante Epiſcopo ſuo vel Abbate.* Et Concilium Francofordienſe can. 40. *De puellis quæ parentibus privatæ fuerint, ut ſub Epiſcoporum & Presbyterorum providentiâ gravioribus fœminis commendentur, ſicut canonica docet autoritas.* Concilium ſimiliter Moguntinum anni 813. can. 8. *Et ut laici in eorum miniſterio obediant Epiſcopis ad regendas Eccleſias Dei, & viduas & orphanos defenſandos.* Concilium Pariſienſe ſub Ludovico Pio an. 829. parte. 2. can. 2. his verbis Reges admonet: *Rex primo debet eſſe defenſor Eccleſiarum & ſervorum Dei, viduarum, & orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non omnium indigentium.* Denique S. Ambroſius lib. 7. epiſt. 56. Ad Valentinianum Imperatorem ait: *Glorioſiſſimum mihi eſt & hoc pro ſalute pupilli Imperatoris: quos enim Epiſcopi magis quam pupillos debemus tueri? ſcriptum eſt enim Iudicate pupillo, & iuſtificate advenam & eruite injuriam accipientem* (ſcilicet Iſaiæ 1.) *& alibi* (ſcilicet pſal. 67.) *patris orphanorum & judicis viduarum.* Hæc Ambroſius.

Tit. XLIV. De quadrageſima. *Canonicos intereſſe concioni omnino volumus quæ in ipſorum Eccleſia habetur, niſi legitime impediantur.*

8. Tit. LIV. De foro Epiſcopali. *Excommunicationum literæ in infra ſcriptis caſibus non concedantur. Primo pro re criminoſa quæque infamiæ notam inurat: pro re occulta omnino: nec pro rebus deperditis paſſim ac parui momenti: pro re quæ ſummam viginti aureorum non excedat, niſi aliter Epiſcopo videatur.*

De non promulgandis excommunicationibus niſi quum rei gravitas id exigit, multis eſt canonibus ſancitum. Vt enim conteſtatur S. Auguſtinus de corrept. & gratia cap. 15. nulla eſt in Eccleſia excommunicatione pœna major. Concilium Meldenſe can. 56. Aurelianenſe quartum can. 2. Vormatienſe can. 13. Agathenſe can. 3. atque apud Gratianum c. Epiſcopi. c. nemo Epiſcoporum c. nullus Sacerdotum 11. q. 3. & Concilium Tridentinum ſeſ. 25. cap. 3. de refor. & Aquenſe ſub tit. de excommunicationibus. Comitia pariter Aurelianenſia ſub Rege Carolo IX. art. 18. & Cleri Gallicani conventus generalis Melodunenſis anni 1579. tit. de his quæ ad juriſdictionem forenſem pertinent, accurate monent excommunicationis gladium non eſſe exerendum niſi ex gravibus cauſis.

CONCILIVM

## CONCILIVM AQVILEIENSE *anni* 1596.

1. HANC Provincialem Synodum convocavit eidemque præſedit Franciſcus Barbarus Patriarcha Aquileiæ anno Chr. 1596. tempore Clementis Papæ VIII. Originem porro hujuſce novi & apud Latinos inſueti Patriarchalis tituli Baronius refert in annum 570. atque ad ſchiſma exortum occaſione damnationis trium capitulorum, quæ Theodoro Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo ſectâ Acephalo malè ſuadente, Juſtinianus Auguſtus ejus nominis primus ſuâ per animi impotentiam abuſus ſæculari potentiâ, in Conſtantinopolitanum ſecundum Concilium invexerat. Cui damnationi Vigilius Romanus Pontifex initio quidem conſtanter obſtitit. Sed cum obſtinatior Juſtinianus rem magis urgeret immineretque funeſtum ſchiſma univerſæ Eccleſiæ atroxque perſecutio; & aliunde tria damnandi capitula ratio ſubeſſet, Vigilius multo pejora formidans eorumdem damnationi conſenſit, qua ex cauſa, ſed multo minus periculoſum ſchiſma emerſit. In Africa enim Facundus Hermianenſis Epiſcopus, Liberatus Eccleſiæ Carthaginenſis Archidiaconus, Victor Tununenſis Epiſcopus, aliique nonnulli. In Europa vero Illyriciani & Iſtriæ Epiſcopi in trium capitulorum defenſione pertinacius hæſerunt. Conciliaque Conſtantinopolitanum & Romanum quibus tria demum capitula Theodoreti, Ibæ Edeſſeni, & Theodori Mopſueſteni proſcripta damnataque ipſi ex adverſo damnarunt, ſeque communioni Vigilij ſubduxerunt. Quò vero major eſſet ſchiſmaticorum autoritas Epiſcopum Aquileiæ ſibi præfecerunt, eique Patriarchæ nomen & inſignia attribuerunt in æmulationem Romani Pontificis & Patriarchæ Conſtantinopolitani. Poſtquam autem Græci oram maritimam Provinciæ Iſtriæ atque Forojulij armis recuperarunt, Longobardis adhuc Aquileiam occupantibus, Græci per deſpectum Aquileienſis Epiſcopi Gradenſem Epiſcopum Patriarcham novum creaverunt. Cum vero ob ſtagnantes aquas aëriſque intemperiem Aquileia inhabitabilis evaſiſſet, Patriarcha ipſe Aquileienſis in Utinenſe oppidum ſedem ſuam tranſtulit; unde dictus Utinenſis Patriarcha: nonnunquam etiam apud Forumjulij conſedit; unde aliquando dictus Forojulienſis Patriarcha, qualem vocat eumdem Valafrid. Strabo de reb. Eccl. cap. 25. Patriarchatum denique Gradenſem an. 1451. Nicolaus Romanus Pontif. V. in urbem Venetâ tranſtulit, & Laurentium Juſtinianum qui jam erat Venetiarum Epiſcopus Patriarchalibus inſignibus & titulo decoravit. In calce hujuſce Aquil. Conc. una cũ Aquileienſi Patriarcha decem & ſeptem recenſentur Epiſcopi nullus tamen aut Utinenſis, aut Forojulienſis, aut Gradenſis Præſul ſubnotatur. Etiamſi vero Concilium iſtud vocetur Aquileienſe ob dignitatem Patriarchatus & Provinciæ Aquileienſis, fuit tamen in urbe Utinenſi celebratum; ut conſtat ex atteſtatione Concilij hujus conceſſa canonico Tergeſtino, quem Tergeſtinus Epiſcopus miſerat ad Concilium, ad excuſandum ſe de ſua abſentia cauſaſque allegandas cur ad Concilium proficiſci non poſſet. Ea vero atteſtatio Concilij ſic exorditur: *In civitate Vtini die 28. Octobris 1596. comparuit coram Reverendiſſimo Domino Patriarcha Aquileiæ Metropolitano Reverend Presbyter Dominus Michael Paſſera Canonicus Tergeſtinus ſpecialis nuncius pro Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Tergeſtino, ad exponendas excuſationes ejuſdem Reverendiſſimi Domini Epiſcopi in Synodo Provinciali Aquileienſi, ut patet mandato ſui Procuratorij ſub die 26. Octobris ejuſdem anni manu Domini Georgij Picardi Notarij Tergeſtini.*

2. Prænuncius hic ſum novæ lucis prope diem acceſſuræ ex præclariſſimo mihi exhibito opere, quod in publicum edere molitur vir multæ eruditionis, ingenuitate præterea morum, ingenijque acumine admodum ſpectabilis, Joſephus Antelmius, de cujus amicitia mihi valde gratulor, cujus lucubratione Forojulienſis Eccleſia intra ſecundam Narbonenſem Provinciam conſtituta, vindicias laudis inſignis ac gloriæ pene ſepultas eſt recuperatura.

3. Tit. XIX. De Monialibus. *In Monaſterys in quibus proprietas exulat & omnis affectio corrupta, ſervetur illa rerum omnium communio quæ nihil habet, & cui nihil deeſt; quæ in egeſtate rerum copiam habet, & nihil omnino habet: ſi quid enim eſt, hoc habet uſu non affectu: quæ quidem dives inopia in omnium Monialium domos & vitam paſtorali prudentia & vigilantiâ invehenda eſt.*

S. Baſilius in regulis fuſius diſputatis cap. 8. *Ipſis* (inquit) *Domini verbis religioſum ac timentem Dei animum magnopere commoveri oportet, qui palam teſtificat: Quicunque ex vobis non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et alio in loco poſt oblatam illam conditionem ſi vis perfectus eſſe, verba illa ſubjecit: vade vende omnia quæ habes & da pauperibus & ſequere me. Atque etiam ſimilitudinem illam de negotiatore huc quoque manifeſtè ſpectare nemo non intelligit, ſimile eſt regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ abijt & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Planum eſt pretioſam margaritam cœleſte regnum ſignificare hoc in loco, quod regnum nos aſſequi poſſe Dominus negat, niſi omnia ſimul quæ habemus divitias, gloriam, genus, & ſi quid ſit aliud eorum quibus plerique ambitioſius inhiant pro eo parando neglexerimus.* Idemque in regulis brevioribus cap. 85. aſtruit in ſocietate fratrum neminem privatim quidquam poſſidere poſſe tanquam proprium, & allegat, Act. 4. de primis Chriſtianis: *Neque quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat.*

4. Indidem. *Communis eſſe debet Monialium menſa, ad quam omnes exceptis ægrotantibus, convenire debent ac tenentur. In menſa communi non deſit ſpiritualis aliqua lectio, quâ corporales cibi ſuaviter condiantur. Debent enim quæ Deo vivunt ſpiritu magis vivere, ut licet neceſſitati corporis ſerviant, plus tamen animo ſemper tributum velint. Liber vero ad lectionem menſæ adhibendus à confeſſario probetur.*

Baſilius in regulis brevioribus cap. 180. ſacram lectionem adhiberi vult ad communem regularium refectionem. Idemque præſcribit Auguſtinus in

Digitized by Google

in regula cap. 7. *Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei.* Et Benedictus in ſua regula cap. 3. *Menſis fratrum edentium lectio deeſſe non debet.* De ablegand a ſingularium rerum proprietate præclare diſſerit Baſilius tract. de conſtitutionibus monaſticis cap. 18.

5. Indidem. *Silentium, obedientia, humilitas, charitas, ac reliquæ Chriſtianæ virtutes inter regulares perſonas gemmarum clariſſimarum loco ſint, quibus præcipuè monialium domus & familia exornetur.*

Baſilius tract. de conſtitutionibus monaſticis cap. 11. ſilentium monachis jubet eſſe præcipuæ curæ atque obſervantiæ, recordantibus ejus quod Chriſtus admonet, de omni verbo otioſo reddendam eſſe apud Deum rationem in die judicij. Et adjungit: *Verborum autem ut opinor utilitas fuerit ſi aut de virtute in loco diſſeratur, aut ſi in rei alicujus quæ facienda inſtet urgeatque uſum ſermo accommodetur, aut etiam denique ad audientium ædificationem referatur. Qui autem in alio aliquo quovis genere ſermones verſentur, ij rejici tanquam ſupervacanei ac inutiles debent. Vitandæ autem omnes omnino in ſermone facetiæ & ſcurrilis dicacitas ſunt. Siquidem fieri ſolet ut qui ſeſe in rebus iſtiuſmodi occupant ij rectam rationem deſerant. Quippe cum ex eo illud fiat ut animus ad ridicula diffundatur, & in tacita ſecum cogitatione gravitatis ſeveritatiſque nervos omnes elidat.* Hactenus Baſilius: qui capitulis ſequentibus reliquas proſequitur excolendas virtutes, manſuetudinem & charitatem cap. 13. prudentiam cap. 14. fidem & ſpem cap. 15. humilitatem quam vocat θησαυροφυλάκιον ἀρετῶν. Cuſtodem theſauri cunctarum virtutum: Deinde cap. 12. Obedientiæ virtutem mirifice commendat.

Indidem. *Quæ à regula nomen ducunt, eam cui ſe ſolemni profeſſione aſtrinxerunt noſſe regulam debent. Epiſcoporum igitur diligentia efficere debebit, ut regula inter moniales (ubi hactenus omiſſa eſt) linguâ Italicâ ab aliqua ex monialibus quæ lectioni obeundæ aptior fuerit, & ab Abbatiſſa ſeu Prioriſſa deputabitur frequenter legatur: atque illa quidem in duas diſtinguatur partes, ita ut quotidie legatur aliquid poſt conventualis miſſæ officium, vel in choro vel alibi ubi commodius poſſit, de tribus quæ emittuntur in profeſſione votis, ut ſæpiſſime inculcentur & auctore Deo aliquando hæreant; alia vero per ordinem, ut quolibet feſto die legantur quatuor aut quinque capita, & à fine in principium redeatur, nunquam vero intermittatur. Inter legendum Abbatiſſa ſeu Prioriſſa moniales moneat & redarguat, ſi quid minus ſervetur aut negligatur: excitet vero ad correctionem, & ad futuræ gloriæ cupiditatem igniculos, addens & ſemina Chriſtianæ pietatis. Si quid pœnæ à regula ob quodcunque commiſſum aut omiſſum ſtatutum eſt, hoc Præfecta exequatur: ſi fuerit oppoſitum impedimentum, confeſſarium conſulat, aut Epiſcopum moneat.*

6. Indidem. *Statis horis tam matutinis quam diurnis & veſpertinis Præfectæ curent, ut omnes moniales in Eccleſiam ad laudes Deo perſolvendas conveniant: nulla vero monialis quocunque prætextu excuſetur à choro, niſi vel ægritudinis cauſâ, vel ægrotantium cuſtodiâ, vel juſti impedimenti excuſatione; quam Præfectarum munus erit cognoſcere, & ſi legitima erit admittere. Quæ in chorum non venerint pœnâ regulæ, aut aliâ etiam graviori pro culpæ modo à Præfecta plectantur, ac ſi contumacius perſeveraverint Epiſcopo ſignificetur, & medicinam conficiat ipſi ægritudini accommodandam.*

S. Auguſtinus in regula cap. 5. ait: *Orationi inſtate horis & temporibus conſtitutis.* Idemque lib. de opere monach. cap. 29. *Multo mallem per ſingulos dies certis horis quantum in bene moratis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum liberas, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotijs ſæcularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præſcindendis.* Agmen teſtium veritatis claudat ſanctus Abbas Claravallenſis homil. de margarita ſic dicens. *Quæ eſt iſta quæſo fratres chariſſimi tam pretioſa margarita, pro qua univerſa dare debemus, id eſt noſmetipſos, quia totum Deo dedit qui ſeipſum obtulit, ut poſſimus eam habere? nonne hæc religio ſancta, pura & immaculata, in qua homo vivit purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citius, præmiatur copioſius?*

## *CONCILIUM MECHLINIENSE anni 1607.*

1. TIt. XV. De ſuperſtitione. *Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda ſuperſtitioſis remedijs utatur; vel ſuper rebus deperditis, aut ſuper futuris eventibus, ac quibuſvis ſecretis, divinos ſeu pro divinis ſe venditantes conſulere præſumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abſtinuerit, mox ipſi Ordinario vel Officiali denuncietur juxta bullam Sixti V. editam contra exercentes aſtrologiæ judiciariæ artem quæ incipit: Cœli & terræ creator. Et quoniam rudis populus ſæpe ex ignorantia, ſuperſtitionibus inquinatur, parochi ſubditos ſuos diligenter de illis doceant. Et inter cætera ſuperſtitioſum eſſe, expectare quemcunque effectum à quacunque re, quem res illa nec ex ſua natura, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione Eccleſiæ producere poteſt.*

2. Indidem. *Nullus omnino exorcizare præſumat ſine licentia Ordinarij in ſcriptis obtenta: nemo etiam utatur alijs exorciſmis, quam ab Ordinario approbatis, vel poteſtate exorciſandi ulla*

*nulla ratione abutatur, ſub pœna perpetuæ privationis illius officij, & aliâ arbitrariâ.*

De ariolis & aruſpicibus ac ſortilegis Levit. 20. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Deuteron. 18. 9. *Quando ingreſſus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, aut incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem: Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.* Sunt & alia innumera in ſcripturis divinis loca. Saul Rex occiſis magis nihilominus Pythoniſſam conſulit, à qua per necromantiam ſui exercitus cladem & ſuam ſuorumque mortem addiſcit. Ochoſias rex Iſraël ægrotans dum mittit ad Acaronitas conſultum de ſua valetudine idolum Beelzebul, occurrit ejus nuncijs Helias Dei Propheta eiſque prædicit Regis mortem imminentem in pœnam criminis quo dæmonium conſulere attentaſſet. Sacra Eccleſiæ Concilia anathemate feriunt quoſcunque ad divinos ſeu magos recurrentes, aut ad dæmoniacas ſortes & phylacteria. Ita Laodicenum, can. 36. Agathenſe, c. 42. Aurelianenſe primum, c. 32. Carthaginenſe quartum, can 89. Plura require apud Gratianum cauſa 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. Varia ſuperſtitionum genera condemnando commemorat Auguſtinus lib. 1. de doctr. Chriſ. cap. 19. 20. & 21. Atque in decretal. de ſortilegis.

## *CONCILIVM NARBONENSE anni 1609.*

1. TIt. XXVI. De Epiſcopis. *Primùm in ſanctis meditationibus & orationibus certam ſibi quotidie horam ſumat Epiſcopus, quam in ſtudio & exercitatione divinarum contemplationum inſumat: in quibus Deo non pro ſe tantum ſed pro fidelibus ſibi commiſſis preces fundat humiliter, ut quod in ipſis confractum eſt divina bonitate alligetur, quod languidum eſt ſanetur, perditum reparetur, & quod bonum eſt conſervetur. Singulis diebus ad veſperam, horam deſignet quâ ſuam familiam in ſacellum domeſticum aut oratorium convocet, ubi ipſo præſente, ſi non impeditus ſit recitari faciat litanias & pias orationes; tum quiſque breve examen conſcientiæ efficiat: profeſtis diebus miſſæ ſaltem ſacrificio interſit Epiſcopus, ſi ipſe celebrare non poſſit: Dominicis vero & feſtivis miſſam dicat, cum ipſe ſit aſſumptus ex hominibus, ut pro peccatis populi ſacrificium offerat.*

*Quotieſcunque munia Pontificalia exercebit, paratus accedet, poſt miſſam celebratam in fine expreſſe orabit, ut ſibi præſto ſit Dei gratia in tali munere obeundo: ut vero populus miniſterij ab eo peragendi, illiuſque inſtitutionis cauſas odorari poſſit, priuſquam ea munia aggrediatur Epiſcopus, eaſdem brevi ad populum habita concione explicabit.*

*Canonicas horas diſtinctè & attente ſi non cum choro, apud ſe recitent Epiſcopi ſtatis horis, quas præveniendo potius quàm tardando perſolvere debent.*

*Singulis diebus feſtis & Dominicis in choro divinis officijs, ſaltem miſſæ & veſperis interſint.*

*Officiarios & maxime officiales ac promotores, viros probâ vitâ & doctrinâ conſpicuos inſtituāt, ut ſi aliquantulum in ſcientia deficiant, illud vita probitate & integritate compenſent.*

*Se faciles adeuntibus præbeant, præſertim vero conquerentibus de injurijs receptis, denunciantibus ex charitate defectus ſubditorum quorumcunque, & pauperum miſerias vel infirmorum dolores declarantibus, quibus ita paterna dilectione provideant, ut egentibus largas eleemoſynas concedant, inimicos reconcilient, infirmos viſitent, quibus ſanctam benedictionem concedendo & dolorem levabunt, & forſan ex Dei bonitate ſanitatem reſtituent.*

*Convivia non faciant frequentia, à laicorum nimia familiaritate abſtineant, ne ſic dignitatem imminuant, ſed tempus pro exercitatione aſſumendum ſacrorum librorum lectioni & pijs hominum colloquijs impendant, petentibus maxime conſilium dent, & afflictos benigne conſolentur.*

*In domibus ſuis fœminas non admittant: domeſticos de fide bene ſentientes, modeſtos & pios habeant, quos ſemel in menſe confiteri & ſacram Euchariſtiam ſumere procurent; & lectionem ſacrorum librorum in menſa per clericum faciendam.*

*Frugali menſa & mediocri ſupellectili contenti ſint Epiſcopi: atque in reliquo vitæ genere frugalitatem ſectentur & mediocritatem; caveantque ne quid in tota familia ſua ab hoc ſancto inſtituto alienum appareat, quodque ſimplicitatem, pietatem, divini cultus ardorem, & vanitatis mundique contemptum non præ ſe ferat: ſicut enim ſordidis & maculatis veſtibus indui non eſt conveniens, ita pretioſis & profanis aut variè contextis uti non decet. Non in publicum prodeant ſine talari tunica & rocheto. Iuxta temporum & locorum rationes veſtiantur modeſte ita ut gravitatem ſapiant, ſive in publio ſive privatim, ſive in itinere ſive in civitate, ſemper in eo habitu & forma incedant, quo appareant & judicentur*

NNnn

*judicentur Epiſcopi. Tonſuram ſemper conſpicuam gerant in capite grandiorem multo quam cæteri inferiores Sacerdotes, tanquam à terrenis curis magis abſtracti. Populo ſemper ſanctam benedictionem impertiantur, dum per civitatem aut diæceſim incedunt.*

*Picturas omnes profanas res repræſentantes domi non retineant: obſcœnas omnino rejiciant, eaſque tantum habeant quæ ad pietatem provocant intuentes.*

*Quos habebunt domi clericos non niſi clericali & decenti habitu uti permittant, illoſque non retineant niſi ſint bonæ exiſtimationis. Opera miſericordiæ frequenter exerceant, ut ſancta converſatione quaſi Epiſcoporum teſtes ſint & imitatores: quorum unum ſuper familiam conſtituant, qui laicorum domeſticorum actiones percunctetur, & videat num aliquid præter decentiam Chriſtianæ converſationis perpetrent, & delinquentes corrigat: non enim fas eſt in tali familia ſcandaloſos aut ullius criminis ſuſpectos eſſe: ideo errantes per ſe ſevere reprimant Epiſcopi, pertinaces excludant è familia, ægrotantes omni ſollicitudine & pietate curent, nec ſumptibus parcant.*

*Gravem aliquem ſæcularem aut regularem confeſſarium eligant, qui ſit ſacrâ ſcientiâ, prudentiâ, & vitæ ſanctitate inſignis, cujus ſtudio & precationis ſpiritu in gravioribus difficultatibus uti poſſint.*

*Capitulis Metropolitanis & Cathedralium Eccleſiarum præcipimus, ut ſtatim poſt mortem Prælati, Metropolitanum & Coëpiſcopos noſtros commonefaciant, qui omnes ſolemni ceremonia miſſam pro defuncto celebrari curabunt: tum indictis publicis ſupplicationibus Deum deprecabuntur, ut orbato gregi velit juxta cor ſuum paſtorem mature concedere.*

2. Reliquæ hujus Concilij conſtitutiones hic omittuntur, quia perviæ frequenteſque ſunt in alijs quæ præceſſerunt: iſtud vero caput de Epiſcopis ſeorſim ſelegimus ea de cauſa, quia partes officij Epiſcoporum ſpeciatim magis & accuratiore diligentia exequitur. His tamen adjungendam ſequentem conſtitutionem ex capite 31. duxi, quâ prudenti cautione providetur ne beneficiorum bona mobilia, inter quæ chartæ & fundationum inſtrumenta aliaque ſcripta jura præcipue ſpectanda ſunt, diſperdantur aut diſtrahantur in ceſſu aut deceſſu beneficiariorum.

3. Cap. XXXI. De beneficijs conferendis. *Proviſionem beneficij recipientes, ejuſdem poſſeſſionem adepti, mobilium ad beneficium pertinentium fieri inventarium procurabunt, ſcientes ſe teneri prout præſenti decreto ſtatuimus & ordinamus, quod beneficiati cujuſcunque beneficij decedentes reſignantes aut permutantes eadem mobilia quæ ad beneficium pertinent ſucceſſoribus relinquant: ad quod omnia & quæcunque bona defuncti aut cedentis beneficium obligata maneant: tum ut fraus omnis vitetur, defuncti beneficiati bona requirente promotore Epiſcopi ſequeſtrentur, ni velint hæredes datis cautionibus de bono ſucceſſori debito reſpondere.*

Inter mobilia beneficio affecta occurrunt ſcripturæ, veſtes ſacræ, vaſa, calices, omniſque altaris ſupellex ſi ſit ex fundatione nec privati juris.

## *CONCILIVM BVRDIGALENSE anni 1624.*

1. POSTREMA hæc à nobis diſcutienda provincialis Synodus, convocata & inita Burdigalæ fuit ab Eminentiſſimo Cardinali Franciſco de Sourdis Burdigalenſium Archiepiſcopo, Aquitaniæ Primate, ſummo exiſtente Pontifice Vrbano VIII. anno 1624. Ludovico XIII. in Gallia regnante.

Tit. IX. De dimiſſorijs literis. *Graviter officiunt rectæ miniſtrorum Eccleſiæ ordinationi facultates de promovendo à quocunque. Quare ut probe norit Epiſcopus ſubditorum Eccleſiæ ſuæ mores, per ſemetipſum ordines conferre teneatur, niſi ægritudine aut aliâ juſtâ causâ impediatur: qua ſubſiſtente ſubditos ſuos aliter quam jam probatos, examinatos, & de quorum probitate moribus & converſatione per denunciationes in Eccleſia factas ſibi conſtet, ad alium viciniorem ſeu alios certos, non quoſcunque dimittat, cauſam in literis exprimendo cur à ſe non potuerint ordinari; neque ad plures ordines ſacros ſuſcipiendos, ſed ad unum ordinem duntaxat: quo ſuſcepto, vel temporibus ordinationum à die facultatis conceſſa proximè ſequentibus lapſis, quaſcunque facultatis literas nullas eſſe, & omni virtute carere declaramus.* Conformatur Tridentino Concilio ſeſ. 7. cap. 11. 12. 13.

*Quia vero complurimi ob incapacitatem & pravam vitam ab Ordinarijs ſuis repulſam paſſi, facultates de promovendo à quocunque obtinentes ſeu habere prætendentes, ſine commendatione & licentia Ordinariorum ſuorum contra ſacros canones ſæpiſſime promoventur: nullus deinceps à quoquam Epiſcopo, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegij prætextu, etiam ſtatis temporibus promoveatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum juxta ſacri Concilij Tridentini decretum, & ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit*

*ſit ſuſpenſus.* Iſtud decernitur in Tridentino ſeſ. 23. cap. 8.

2. *Sed neque liceat capitulis Eccleſiarum aut alijs quibuſcunque in juriſdictione Epiſcopi loco capituli ſede vacante ſuccedentibus, infra annum à die vacationis ordinis licentiam aut literas dimiſſorias ſeu reverendas ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegij aut conſuetudinis vigore, alicui qui beneficij Eccleſiaſtici recepti ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere: Si ſecus fiat, capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: alij autem loco capituli exiſtentes ab officio & beneficio per annum ſint ipſo jure ſuſpenſi; ſic ordinati vero ſi in minoribus conſtituti fuerint, nullo clericali privilegio præſertim in criminalibus gaudeant; in majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati ſint ipſo jure ſuſpenſi. Abbates etiam & alij exempti aut collegia vel capitula quæcunque etiam Cathedralium, literas dimiſſorias aliquibus clericis ſæcularibus, ut ab alijs ordinentur concedere non poſſint; ſed horum omnium ordinatio ſervatis omnibus à ſacro Tridentino decretis, ad Epiſcopos intra quorum fines conſiſtunt pertineat, non obſtantibus quibuſcumque privilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Vnde Superioribus monaſteriorum in quibus religioſi fixam & firmam commorandi ſedem habent, prohibemus ne literas dimiſſorias religioſis ſuis, ut à quocunque ordinentur concedant, ſed à ſuo Pontifice aut ab alio de ejus licentia ordinandos eſſe duntaxat decernimus. Eos vero qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur cum literis provincialium ſuorum de voto emiſſo religionis fidem facientibus, ab Ordinario loci in quo pro tempore degunt tantum admitti præcipimus: ab alijs nunquam niſi atteſtatione prahabita à Pontifice loci ſeu Vicario generali obtenta, quâ cur à ſe non potuerint ordinari perhibeatur. Omnes autem literas ordinis proxime ſuſcepti ordinanti Epiſcopo exhibere, aut aliàs de eodem ſuſcepto fidem facere teneantur.*

Trident. ſeſſ 7. cap. 10. Concilium etiam generale Lugdunenſe ſub Gregorio X. *Eos qui ſcienter ordinaverint clericum alienum, per annum à collatione ordinum ſuſpendit. Et poſtquam ſuſpenſio fuerit manifeſtata, poterunt ſuſpenſi illius Epiſcopi ſubditi ſine hujus licentia à vicinis Epiſcopis præcedente debito examine ordinari*, ut refertur c. eos qui de temp. ordina. Concilium Sardicenſe can. 15. 18. & 19. ipſumque Nicænum can. 16. declarant ejus ordinationem quæ fit ab alio Epiſcopo abſque literis proprij Epiſcopi eſſe irritam, & ut loquuntur *ακυρον*. Huc pertinent apud Gratianum diſt. 71. per totam. Cumque cenſuræ ſi violentur per ſacri ordinis exercitium inducant ipſo facto irregularitatem, is qui violat hoc modo ejuſmodi ſuſpenſionem evadit irregularis, à qua ſi ſit occulta poteſt quidem proprius Epiſcopus diſpenſare juxa Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. ſed ſi publicè innotuerit, ſolus Papa diſpenſare ab illa poteſt irregularitate, eamque remittere. Videndus ea de re Bonacina tract. de diſpenſat. in particu. diſp. 4. qu. 1. p. 11. n. 18. Quod autem violatio cenſuræ cujuſvis per exercitium ordinis ſacri pariat irregularitatem liquet ex c. apoſtolicæ & c. ſi celebrat de cler. excom. miniſtrante.

3. Quanta vero ſit adhibenda in ſacris conferendis ordinationibus cautio, docet Apoſtolus 1. Timo. 5. his verbis: *Manus citò nemini impoſueris, & ne communicaveris peccatis alienis.* Et Leo Papa magnus epiſt. 1. aliàs 87. ad Epiſcopos Africanos, in qua exponit eadem Apoſtoli verba. De eodem quoque Leone refert Sophronius cap. 49. quod cum plures noctes ad ſacram Apoſtolorum memoriam excubaſſet orans pro ſuorum remiſſione peccatorum reſponſum habuiſſe à ſancto Petro ſibi apparenti, omnia ei præterita dimiſſa eſſe peccata, ſolis ijs exceptis quæ in ordinationibus aliquando commiſiſſet. Summus quoque Pontifex Hormiſda epiſt. 25. ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 1. *Vt in Sacerdotibus* (inquit) *ordinandis quæ ſunt præſcripta & à Patribus definita cogitetis: quia ſicut eſt caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem Vicarij Sacerdotes; ſic & in eligendis his curam oportet eſſe præcipuam. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit quos praeſſe neceſſe eſt corrigendis: nec quidquam illi deeſſe perſonæ penes quam eſt religionis ſumma & ſubſtantia diſciplinæ: Et æſtimet quis pretium Dominici gregis, ut ſciat quod meritum conſtituendi debeat eſſe paſtoris. Hoc ita fiet ſi non Sacerdotij gradus ſaltu quodam paſſim laïcis transferantur. Longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula committuntur Eccleſiæ. Diſcere prius quiſque debet ante quam doceat, & exemplum religioſæ converſationis de ſe potius alijs præſtare quam ſumere; emendatiorem eſſe convenit populo quem neceſſe eſt orare pro populo.*

4. Tit. XXII. De Concilio provinciali. *Teneantur omnes Epiſcopi ſub pœnis ſacris canonibus latis, ſtata die Concilio adeſſe. Itaque in benedictionibus tempora prævenire curent, ut illuminata mente & purgato ſpiritu principali affectu, conjunctis & ſollicitis animis Eccleſiæ Dei providere poſſint.*

Et quidem in hoc ipſo Concilio Epiſcopus comprovincialis admonitus & rogatus, ut ad Concilium conveniret, ſuaſque in rebus definiendis partes conferret, nec tamen parere dignatus eſſet, inquiſitum tandem de eo fuit ejuſque malo regimine, ratione cujus ejus Vicarius generalis quem ſibi ſelegerat ſuis conformem moribus & lucro addictiſſimum, inſtante Synodi promotore Synodus ipſa officio depoſuit, eidemque ex officio alterum generalem Vicarium ſubrogavit meritis præcellentem. Antiſtes vero ipſe Sarlatenſis damnatus eſt privatione tertiæ partis proventuum Epiſcopalium, quorum detractione & ſequeſtratione Cathedralis Eccleſia quam ſummopere neglexerat repararetur, ut liquet ex Concilij actis. De Metropolitano quidem decernit Nicolaus Papa ſcribens ad Rodulfum Bituricenſem Epiſcopum, nihil poſſe Metropolitanum aut Primatem in ſuffraganei parochia, excepto appellationis judicio,

ut refertur in c. conqueſtus, 9. q. 3. & c. 1. de officio Legati. Loquitur porro de poteſtate quæ uſu frequentiſſima erat, quotidie namque occurrebant apud Metropolitanum tribunal dirimendæ appellationum cauſæ, minus vero frequentior erat cæterarum prærogativarum uſus & occaſio, inter quas non minima erat indictio & convocatio Synodorum provinciæ & inflictio pœnarum, quibus mulctandi erant ſuffraganei Prælati, qui per contumaciam non adventarent neque excuſationis cauſas allegarent. Concilij Laodiceni canone 40. jubetur Epiſcopis ad Synodum vocatis, ut accedere non pigritentur niſi valetudine impediantur. Habetur diſt. 18. c. non oportet vocatos. Concilij etiam Arelatenſis ſecundi cap. 19. eadem iteratur juſſio ſub pœna ſuſpenſionis uſque ad ſubſequentem Synodum Provincialem, in qua ſe ſiſtens obtenta abſolutione prioris contumaciæ, recipi & conſedere poterit. Habetur can. Si quis autem diſt. 18. Antiquitùs etiam nemini electo in Epiſcopum licebat conſecrationem ſuſcipere niſi de manu proprij Metropolitani, ut conſtituit primum Nicænum Concilium can. 4. & 6. Itemque Antiochenum can. 19. & Innocentius 1. epiſt. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum cap. 1. Et Leo Papa magnus epiſt. 4. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum cap. 4. Et Gelaſius Papa epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ. Quin etiam ſi quando Metropolitanus per ægritudinem aliudve impedimentum non poterat novum ſuffraganeum conſecrare, jus habebat alium vice ſua Epiſcopum delegandi ad hoc munus, cui vices has gerenti reliqui cæteri ſuffraganei cedere tenebantur, ut declarat Innocentius III. c. quod ſedem Apoſtolicam de offic. jud. ordin. Omitto antiquum jus viſitandi provinciam & ad hoc procurationes exigendi c. cum ex officij. de præſcriptionib. aliaque priſca Metropolitarum jura.

## *CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM anni 1642. adverſus impia Calvini dogmata.*

1. FREQUENTI experimento comprobatur aſſertio iſta filij Sirach cap. 10. Eccleſiaſtici: *Secundum judicem populi ſic & miniſtri ejus: & qualis eſt rector civitatis, tales inhabitantes in ea. Rex inſipiens perdet populum ſuum, & civitates inhabitabuntur per ſenſum potentium.* Hoc noſtro ſæculo perditiſſimus Cyrillus vir Græcus egit cum Batavorum Calviniſtarum Oratore, qui pro commercijs gentis ſuæ tuendis & promovendis ad portum reſidet Turcici monarchæ, ſi ejus interventu hoc impetraret, ut ad ſedem Patriarchalem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ promoveretur, ſe tanto obſtrictum beneficio deinceps omni ſtudio elaboraturum, ut Calviniana ſecta toto Oriente propagaretur. Propoſitionem Batavus lubens excepit, egitque cum Batavorum optimatibus, ut vim auri Reſpublica illa ſuppeditaret, quâ corruptus Præfectus prætorio quem magnum Viſirem vocant, Turcorum Monarchæ perſuaderet, ut ſuprema quâ pollet autoritate Cyrillum Eccleſiæ regiæ civitatis Patriarcham conſtitueret, qui etiam corraſâ undique pecuniâ, & pollicitatione dignitatum & emolumentorum Græcanicæ Eccleſiæ, multorum ſtudia ſibi conciliavit. Provectus igitur ad concupitam illam ſedem, Calvinianos errores ſenſim inſinuare exorſus eſt; deinde majore ſumptâ fiduciâ confidentiùs animis inſtillare per ſe & corruptos à ſe concionatores. Et quamvis permulti reſiſterent atque obniterentur, non paucos tamen ſeduxit ſuiſque partibus addixit. Sed tamen veteratoris hujus oppignoratam novatoribus hæreticis fidem, & ſacrilegas ab eo ſuſcitatas de religione cõtentiones ejus diremit interitus. Qui enim ei ſucceſſor datus eſt Parthenius, nuperas Orientalis Eccleſiæ labes ac ruinas coacta Conſtantinopoli Græcorum Epiſcoporum Synodo reparavit anno 1642. Cujus acta & decreta Moldavorum Principi Baſilio Baibondæ dedicata, typis publicis idem Patriarcha Parthenius in Moldavia ab Jaſio typographo imprimi curavit, Græco ſermone poſtmodum in Latinum verſo. Et ſubſcripſerunt Parthenius dictus œcumenicus Patriarcha, Petrus Mogilas Metropolitanus Ruſciæ, cumque his alij plerique Antiſtites, omneſque primarij magnæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ miniſtri ac officiales. Grande fuit operæ pretium Synodi hujus promulgatio, ex qua perſpicuum fit vix ullum eſſe dogma Novatorum à ſacroſancta œcumenica Synodo Tridentina damnatum, quod pariter Synodus iſta Græcanica non deteſtetur. Quod tamen miniſtri ſectarij ſtudioſe diſſimulant & occultant; imo vero imperitis & væcordibus fraudulenter ex occaſione ſchiſmatis execrandi, quo ſe olim Græcanici ab Eccleſia Romana ſejunxerunt, aſſeverare audent habere ſe Græcos ſecum in rebus fidei convenientes, prorſuſque ab Eccleſiæ Romanæ doctrinâ diſſentientes. Per hanc vero Synodum illa manifeſte convincitur impoſtura.

2. Primo quidem decreto Concilij hujus immerito exploditur iſta propoſitio, quam cùm univerſa Eccleſia Catholica ſequaces Calvini Spiritum ſanctum ex Patre filioque procedere; Hoc tamen ab hæreticis diſcrimine, quatenus iſti non ex divina & infuſa divinitus fide iſtud credunt, ſed humana quadam & naturali proprij judicij perſuaſione; ſi enim ex perſuaſione à fide proficiſcente ex Eccleſia quæ falli aut fallere nequit in hujuſmodi propoſitionibus circa res fidei ac æternæ ſalutis id ipſis perſuaſum eſſet, utique in omnem Eccleſiæ doctrinam conſentirent, quandoquidem qui caput Eccleſiæ Chriſtus portas inferi nunquam adverſus eam prævalituras conteſtatur, & evidenter aſtruit, ſi quis Eccleſiam audire noluerit habendum eſſe pro ethnico & publicano, ejuſque Apoſtolus aſſerit Eccleſiam Dei columnam eſſe ac firmamentum omnis veritatis. Præclare ait Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 4. Item quicunque credunt quidem quod Chriſtus Jeſus ita in carne venerit, ut in eadem carne ut dictum eſt venerit, & in eadem in qua natus & paſſus eſt reſurrexerit, & ipſe ſit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre unum, & incommutabile verbum patris per quod facta ſunt omnia; ſed tamen ab ejus corpore quod eſt Eccleſia, ita diſſentiunt, ut eorum communio non ſit cum toto quâcunque diffunditur, ſed in aliqua parte ſeparata inveniatur, manifeſtum eſt eos non eſſe in Catholica Eccleſia. Quapropter quia cum Donatiſtis quæſtio nobis eſt non de capite, ſed de corpore,

Digitized by Google

pore, id eſt non de ipſo Salvatore Jesu Christo: ſed de ejus Eccleſia, ipſum caput de quo conſentimus, oſtendat nobis corpus ſuum de quo diſſentimus, &c. Sanctus Doctor Thomas Aquinas cæterique methodici Theologi hoc idem hoc argumento probant. Tunc fides in aliquo perit quando in eo deperit formale objectum fidei. At vero in hæretico etiam unicum fidei articulum inficiante perit objectum formale fidei, quod eſt veritas prima in Deo atteſtante & docente ac proponente per Eccleſiam & Scripturas divinas ab eadem Eccleſia expoſitas, cujus eſt officium de ſacris Libris judicandi, eorumque veros ſenſus explicandi dirigente Spiritu ſancto, quem eidem affuturum pollicitus eſt Deus omnibus diebus uſque ſæculorum finem & conſummationem. Hæreticus autem qui vel unum ab Eccleſia aſſertum fidei articulum rejicit, quamvis cæteris omnibus aſſentiri profiteatur, ad proprium judicium ac libitum ſuam determinat ac definit conſenſionem, acquieſcens ijs quæ ſibi arrident, reliqua autem ſibi diſplicentia deſpiciens, rejectâ Eccleſiæ proponentis auctoritate. Quapropter l. 1. C. de hæret. eruditè definit hæreticum, ut ſit omnis qui vel minimo negotio à judicio Catholicæ Eccleſiæ aberrat. Igitur etiam in ijs quæ ſimul cum Eccleſia credere ſe profitetur, neque formatam neque informem retinet fidem. Etiamſi enim fides noſtra non terminetur aut reſolvatur niſi ad primam quæ Deus eſt veritatem revelantem, tamen Eccleſiæ propoſitio per quam omnem nos docet veritatem, eſt conditio ſine qua non aſſentiremur Deo revelanti: nec Evangelio, teſtante Auguſtino, crederemus niſi Eccleſiæ jubentis juberet ac ſuaderet autoritas.

3. Excepto primo hujus Synodi decreto quod errori Græcanico velificatur, cætera omnia quæ ſequuntur orthodoxæ fidei conformantur. Quale eſt iſtud ſecundum quo damnantur Calviniani, ſolius ſacræ Scripturæ autoritatem ut unicam rectæ fidei ac religionis normam aſtruentes, ſacras vero traditiones quas magnus Baſilius cæterique veteres Sancti, tum Græci tum Latini Patres ſacris Libris æquiparant, procaciter reſpuentes.

4. Tertio articulo Concilij Patres Calvinianum dogma cum execratione proſcribunt, Deum ſola voluntate, nullaque habita meritorum ratione, quoſdam in æternam gloriam, alios in æterna ſupplicia prædeſtinare.

5. Nec minore deteſtatione quartum damnant, Deum reprobos de induſtria ad peccata impellere ac incitare ea vi cui homo non poſſit obſiſtere.

6. V. Divinæ Providentiæ propriè ac primariò attribuenda eſſe crimina omnia, quæ à cunctis malis tam Angelis quam hominibus ſecundum ejus permiſſionem perpetrantur.

7. VI. Vniverſam naturam humanam infectam fuiſſe peccatis, non ſolum originis per primum parentem Adamum, ſed etiam actualibus ijſque mortiferis, ne maximo quidem inter natos mulierum excepto, neque Virgine inter omnes mulieres benedicta.

8. VII. Tollendas eſſe Sanctorum interceſſiones, & Beatorum Angelorum protectionem & cuſtodiam.

9. VIII. Statuentium fide, abſque operibus homines ſalutem conſequi.

10. IX. Terreſtrem ac cœleſtem Hierarchiam confundens dogma, tollenſque Pontificiam poteſtatem.

11 X. Aſſerentes pari temeritate hujus terreſtris Eccleſiæ membra ſolos eſſe apud Deum electos, neque illos cæteros credentes qui divinorum Sacramentorum ſunt participes, nec tamen ad æternam felicitatem prædeſtinati, atque ita Judam dum eſſet innocens nunquam ad Eccleſiæ corpus pertinuiſſe, Paulum vero dum Eccleſiam perſequebatur ejuſdem Eccleſiæ membrum extitiſſe, eo quod eſſet ab utero matris prædeſtinatus.

12. XI. Quod Calviniani enitentes Patrum doctrinas abolere, Eccleſiam dicant immediatè à Spiritu ſancto doceri, nullatenus utente hominum manibus aut linguâ: cum tamen homines Prophetæ & Apoſtoli fuerint qui verbum Dei à quo mittebantur prædicarint, & ſcriptis conſignarint. Pauluſque Apoſtolus ad Epheſios conteſtetur. *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Patronos & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Dei.* Patres enim divino Spiritu impulſi nos docent non ſecundum hominem ut cum Apoſtolo Paulo loquamur, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Quod vero addunt ijdem ſectarij fieri poſſe ut erret Eccleſia, quamvis & Doctorem Spiritum & Chriſtum caput habeat, quam neque maculam habere neque rugam, ſed totam pulcram & perfectam eſſe, columnamque & firmamentum veritatis ſcriptum eſt, & quam quicunque non audierit juſtum ſit haberi & ethnicum & publicanum, damnat hæc Synodus ut prorſus impium.

13. XII. Damnat quoque illud dogma nullam eſſe bonis operibus in hominum ſalute partem: quo non ſolum virtus omnis cœleſtiſque vita, ſed & omnis ſcriptura ſacra tollitur, quæ homines ad bonas actiones adhortatur ut ſalutem conſequantur.

14. XIII. Aſtruitur contra eoſdem liberum arbitrium hominum.

15. XIV. Damnat in eiſdem abolitionem quinque Sacramentorum τὰ πέντε τῆς ἐκκλησίας ἀῤῥῆτα μυστήρια, τὴν ἱερωσύνην, τὸ ἱερὸν μύρον, τὸ εὐχέλαιον, τὴν διὰ τῆς μετανοίας ἐξομολόγησιν, καὶ τὸν τίμιον γάμον. ἅπερ ὡς ἱερὰ καὶ θείας χάριτος μεταδοτικὰ ἡμῖν ἡ ἀρχαία κατέλιπε παράδοσις. Negat Eccleſiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, ſacram Unctionem, ſacrum Oleum, confeſſionem cum pœnitentia, & honorabile connubium. Quæ omnia ut ſacra & divinam gratiam conferentia, nobis antiqua traditio reliquit.

16. His adjungere mihi viſum eſt hominis Græci, Græcanicæque religionis tenaciſſimi teſtimonium. Is eſt Gabriel Severus Philadelphienſis, qui Græcè opuſculum edidit à ſe elucubratum περὶ τῶν ἁγίων μυστηρίων de ſanctis Sacramentis. Quod idem ipſe curavit Venetijs typis imprimi. Cujus cap. 5. ſic docet Ἑπτὰ εἰσὶ τὰ τῆς ἐκκλησίας μυστήρια, ἤγουν τὸ ἅγιον βάπτισμα, τὸ ἅγιον μύρον, ἡ ἁγία λειτουργία, ἡ τάξις τῆς ἱερωσύνης, ἡ μετάνοια, ὁ τίμιος γάμος, καὶ τὸ εὐχέλαιον. Septem ſunt Eccleſiæ Sacramenta, ſcilicet ſanctum Baptiſma, ſancta Unctio, ſanctum Sacrificium, Ordo Sacer, Pœnitentia, legitimum Conjugium, & ſacrum Oleum. Idemque hæc adjungit cap. 7. de ſacro



Digitized by Google

charactere quem aliqua inſigunt Sacramenta *τὰ μυστήρια παρέχοντα τοῖς αὐτὰ λαμβάνουσι χαρακτῆρας ἀνεξαλείπτους ἐστι τὸ θεῖον δηλαδὴ βάπτισμα καὶ ἱερωσύνη, ἕτεροι δὲ καὶ θεῖον μύρον εὐσεβῶς καὶ ὀρθῶς λέγουσιν εἶναι.* Sacramenta præbentia ſuſcipientibus ea indelebiles characteres, ſunt nimirum divinum Baptiſma & Sacerdotium, alij etiam rectè pieque divinam Chriſmatis unctionem adjungunt.

17. XV. Duo vero duntaxat Sacramenta admittens Calvini ſecta eorum virtutem non rectè exponit. Nam Baptiſmo ipſum ita juſtificari baptiſatum putat, ut perire is nullo modo poſſit: eos quippe qui non ſunt divinitùs electi, etſi exterius ſignum aquæ ſuſcipiant, nullatenus hoc lavacro juſtificari cenſent.

18. XVI. Divinam autem Euchariſtiam ita convellit, ut nihil ipſi aliud niſi nudam figuram relinquat, quaſi adhuc in umbra veteris legis ſerviremus. Negat enim eum qui videtur & comeditur panem jam ſanctificatum eſſe verum Chriſti corpus, ſed ſpiritualiter tantum intellectum, aut potius imaginando fictum, quod omni impietate plenum eſt: neque dixit Ieſus hoc eſt figura corporis mei, ſed hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Hoc ſcilicet quod videtur & accipitur & comeditur & frangitur ſanctificatum jam & benedictum. Græcus textus hæc habet. *Τὴν θείαν δὲ εὐχαριστίαν οὕτω διαρρήγνυσιν ὡς μηδὲν αὐτῇ ἕτερον ἢ μὴ τύπον ψιλὸν ἐγκαταλείπειν ὡς ἂν εἰ ἔτι τῇ σκιᾷ τοῦ παλαιοῦ νόμου ἐλατρεύομεν. οὐ γὰρ φησιν εἶναι σῶμα χριστοῦ ἀληθινὸν τὸν ὁρώμενον ἄρτον καὶ ἐσθιόμενον ἄρτον ἤδη ἡγιασθέντα, ἀλλὰ τὸ νοούμενον πνευματικῶς, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν φανταζόμενον, ὃ πάσης ἀσεβείας ἀνάπλεων. ὁ γὰρ ἰησοῦς οὐκ εἴρηκε τοῦτό ἐστιν ὁ τύπος τοῦ σώματός μου, ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, τοῦτο δηλαδὴ τὸ ὁρώμενον καὶ λαμβανόμενον καὶ κλώμενον ἁγιασθὲν ἤδη καὶ εὐλογηθέν.*

19. Cujus teſtimonium paulo ante adduxi Gabriel Severus Philadelphienſis tractatum alterum contexuit *περὶ τοῦ μυστηρίου τῆς θείας λειτουργίας* de Sacramento divinæ Miſſæ ſeu Sacrificij, in quo tranſubſtantiationem profitetur panis & vini in carnem & ſanguinem Chriſti. Ita vero ſcribit *Λειτουργία ἐστὶ μυστήριον λήψεως τοῦ μετουσιωθέντος ἄρτου καὶ οἴνου εἰς τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν σάρκα καὶ τὸ αἷμα ἅπερ ἐναργῶς παριστῶσι τὴν ταφὴν καὶ τὴν τοῦ κυρίου ἀνάστασιν.* Liturgia eſt Sacramentum ſumptionis tranſubſtantiatorum panis & vini in Salvatoris noſtri carnem & ſanguinem, quibus evidenter repræſentatur ſepultura & reſurrectio illius. Porro hic autor ſchiſmaticus *μετουσίαν* tranſubſtantiationem & vocem *μετουσιοῦν* tranſubſtantiari tum hoc ipſo tractatu, tum in ſua adverſus Occidentes apologia *περὶ τῶν ἁγίων δώρων* ſæpenumero ſanctiſſimæ Euchariſtiæ applicat: qua in apologia idem autor diſertiſſimè aſſerit per hanc *μετουσίαν* deperdi panis & vini ſubſtantiam, tranſmutarique in adorandam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Domini, ſolis remanentibus panis & vini accidentibus per admirabilem Chriſti ad noſtram infirmitatem condeſcenſum. Ideoque Sacramentum iſtud & ſacrificium ſupremo cultu eſſe à fidelibus venerandum *Διὸ καὶ οὐ μόνον προσκυνεῖται ἀλλὰ καὶ λατρεύεται ὑπὸ πάντων τῶν ὀρθοδόξων χριστιανῶν κυρίως εἶναι σάρκα καὶ αἷμα χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν πιστεύοντων, εἰ καὶ τὰ συμβεβηκότα σώζεται τῇ ἀνθρωπίνῃ ἀσθενείᾳ συγκαταβατικῶς τοῦτο χαριζομένου τοῦ κυρίου.* His liquidò convincitur quorumdam hæreticorum Sacramentariorum præſtigioſa impoſtura de Græcanicarum Eccleſiarum religione, apud rerum imperitos mentiri audentium, cum tamen Occidentales Sacramentarij in omnibus rebus in quibus circa religionem à nobis diſſident, ac præſertim circa veritatem tranſubſtantiationis & ſacrificij, circaque divinum Euchariſtiæ cultum à Græcis anathematizentur, nec habeant quidquam cum Græcanicis adverſum nos commune, niſi ſolum apoſtaſiæ ab Apoſtoli Petri cathedra flagitium.

20. XVII. Damnatur Calvinianus error quo Purgatorij fides rejicitur, ut ſimul repudientur pro fidelibus defunctis preces & commemorationes Eccleſiæ per quas ſperat remiſſionem ac refrigerium illis qui torquentur in Purgatorio, propitiante Deo indultum iri *Δι' ὧν ἐλπίζομεν ἄνεσιν αὐτοῖς καὶ ἀνάψυχιν παρὰ θεοῦ παραπέμπεσθαι τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἁμαρτιῶν.*

21. Ultimo demum decreto hæc Synodus eoſdem damnat hæreticos non ſolum quia ſacros Codices alieno à Sanctis Patribus ſenſu exponere audent, ſed etiam quia nonnullos ex divinis libros expungere præſumunt, quos ſanctæ atque œcumenicæ Synodi pro ſacris agnoverunt. Et inſuper eoſdem damnat venerabilium imaginum venerationem & cultum reſpuentes, quem ſancta œcumenica Synodus ſeptima damnando Iconomachos confirmavit.

PRÆTER

# PRÆTERMISSORVM NONNVLLORVM RESTITVTIO.

## DISSERTATIO XX.

### *De priſco eligendi eos qui ad ſacros Ordines initiandi erant ritu.*

Apponenda poſt Diſſertationem XIX. ad finem Sæculi II. Pag. 56.

1. ECclesia Dei quam Spiritus divinus regit ac munit prædicatur in ſacris Voluminibus *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*: pulcherrimus enim in ea effulgens ordo ipſi mirifico decori eſt & ornamento, & inſuper munimini atque præſidio, ejus ſpeciem admirabiliter auget ſimulque invicta fortitudine roborat, terroremque in ipſius hoſtes latiſſimè diffundit. Secus autem accidit in hæreticorum caſtris in quibus ἀναρχία difformis prævalet, ut illis accommodari hoc ritè poſſit quod de tartareis locis in libro Job enunciatur: *In quibus nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.* His namque rebellium conſortijs & ſodalitijs ſpiritus confuſionis Cacodæmon dominatur. Hierarchiæ porro Eccleſiaſticæ, quæ cœleſtes in cœlis ordines imitari ſtudet, præcipua munia his tribus ordinibus continentur, ut fuſius docet ſublimis ille Dionyſ. dictus Areopagita, ſcilicet Epiſcopis Sacerdotibus & Diaconis; quorum promotio & conſecratio ſolis competit Epiſcopis Eccleſiæ Ducibus & Principibus Apoſtolorumq; ſucceſſoribus, juxta regij Prophetæ vaticinium pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.

2. Hoc vero ſciendum tres eſſe diſtinctas res electionem, poſtulationem, & conſecrationem. Iſta quidem tertia quâ poteſtas confertur ac dignitas Eccleſiaſtica ejuſque indelebilis character, ab Epiſcopis duntaxat, nullatenus autem à reliquo Clero vel à populo ſuffragante conferri poteſt. Ad electionem autem vel ad poſtulationem quarum prima jus aliquod ad rem initiat, ſecunda vero ſolis nititur precibus, aliquando ſolus Clerus, nonnunquam etiam laïcorum fidelium vota pro diverſorum locorum temporumque viciſſitudine admittebantur. Veruntamen quia plebis concurſus frequentes pariebat diſſenſiones, ejus ſuffragia jampridem requiri deſierunt, totaque demum res ad optimatum qui ſunt in Clero arbitrium delata eſt.

3. Perſpicuum eſt etiam ab Eccleſiæ naſcentis primordijs Epiſcoporum creationem fieri conſueviſſe accedentibus populorum ſuffragijs, ut contigit in ipſius Matthiæ ad Apoſtolatum electione Act. 1. & ſubinde ſeptem Diaconorum, Act. 6. Quam rem inferius & fuſius probabimus in noſtris ad can. 4. Nicæni Concilij obſervationibus, quas lector perquiret ne frequentius idem à nobis repeti contingat. Rationem requiſiti olim totius civitatis conſenſus iſtam refert S. Pontifex Leo primus epiſt. 12. aliàs 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem cap. 5. *Ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluerit.* Quæ tamen conſuetudo progreſſu temporum exolevit. Enimvero Synodus œcumenica Nicæna ſecunda can. 3. excludit planè laïcorum plebiſque ſuffragia ab Epiſcoporum electionibus. S Joannes Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio jam ante graviter expoſtulaverat quod ſuo tempore à ſuffragijs populorum dependeret Epiſcoporum electio. Ideoque non eſſe admirandum ait ſi flagitioſi præficiantur Eccleſijs, digniſſimi autem in obſcuro jaceant & deliteſcant, cum electionis judicium ab illis petatur, quorum animi ſolis temporalibus lucris & voluptatum illecebris addicti ſunt, nec niſi terrena ſapiunt. Divus Auguſtinus confuſos reformidans tumultus qui ſe defuncto de ſuæ ſucceſſione ſedis exorituri in populo eſſent, id malum ſapienter adhuc vivens prævenit. Quippe congregato in primaria Baſilica populo nominavit & impensè commendavit eum quem ſibi cooptarat ſucceſſorem Eradium Sacerdotem, plebiſque conſenſum rogavit & obtinuit, protinuſque in acta publica referri curavit. Cujus rei ipſe fidem facit epiſt. 110. In qua præterea exemplum profert Severi Milevitenſium Antiſtis qui paulo ante ſibi adhuc vivens ſucceſſorem deſignaverat, in quem congregatus intra cathedrale templum populus lubens conſenſerat. Atque hanc facti ſui rationem adjungit. *Scio* (inquit) *poſt obitus Epiſcoporum per ambitioſos aut contentioſos ſolere Eccleſias perturbari: & quod ſæpe expertus ſum & dolui, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic proſpicere civitati.* Præclarè Cicero in oratione pro Lucio Flacco, Græciæ olim opibus, imperio, & gloriâ florentis poſteriores calamitates huic uni malo aſcribit, *libertati immoderatæ ac licentiæ concionum; Cum in theatro imperiti homines rerum omnium rudes ignarique conſederant, tum bella inutilia ſuſcipiebant, tum ſeditioſos homines reipublicæ præficiebant, tum optimè meritos cives civitate ejiciebant.* Exemplum turbarum quæ inter medios concionum popularium fluctus in Epiſcoporum electione ingruebant, ſuppeditat memorabile Ammianus Marcellinus ſcribens poſt Liberij Pontificis Romani obitum, diviſis inter Damaſum & Urſicinum Romani populi ſtudijs, uno die intra Sicinini baſilicam centum triginta ſeptem homines fuiſſe interemptos. Rufinus etiam eamdem attingens hiſtoriam lib. 2. cap. 10. *Tanta* (inquit) *ſeditio imo vero tanta bella coorta ſunt alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano ſanguine orationum loca.*

4. Cæterum etſi pluribus ſæculis ad Epiſcoporum electionem requiſita fuerint populorum ſuffragia. Cæterorum tamen Clericorum electionem plebibus Laodicæna Synodus interdixit can. 12. Ipſeque Gregorius Papa nonus quoſcunque laicos à quibuſcunque Eccleſiaſticis electionibus longè ſummovet c. Sacroſancta, & c. Meſſana de electio.

Intermedijs

Intermedijs tamen ſeculis tametſi non electiones quidem populi circa inferiores ab Epiſcopatu ordines prævaluere, teſtimonia tamen circa ordinandorum conditiones & vitam Epiſcopi ordinatores perquiſierunt, id etiam præſcribentibus ſacris Eccleſiæ regulis ne quis indignus per ignorantiam promoveatur. Providet enim Concilium Carthaginenſe tertium can. 22. *Ut nullus ordinetur Clericus niſi probatus vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio.* Et quarti Carthaginenſis Concilij can. pariter 22. *Ut Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, itaut civium conniventiam & teſtimonium quærat.* Et quidem de Epiſcopo loquens Apoſtolus 1. Timoth. 3. ait: *Oportet illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.*

5. Contingebat aliquando ut inſignis alicujus meriti perſonæ ſolutæ à populo expeterentur apud Epiſcopos ordinandæ, ut ſcilicet ordinis vinculo aſtrictæ ibidem deinceps reſiderent, & ita populus earum exemplis aut doctrinâ aut eleemoſynis juvaretur & valde proficeret. Quomodo de ſeipſo Paulinus Nolanæ civitatis Antiſtes epiſtola 41. quæ etiam inter Auguſtinianas recenſetur ordine 35. refert cum fortè Barcinone degeret, fuiſſe ad fervèntem Barcinonenſium civium poſtulationem, cum nihil tale cogitaſſet, ordinatum ab Epiſcopo Lampio, noluiſſe tamen ulli Eccleſiæ civitatis ejus addici, cum deſtinaſſet Sacerdotium ab Ambroſio ſuſcipere, ab eoque Mediolanenſis Eccleſiæ obſequijs alligari. Præterea Pinianus nobiliſſimus & perilluſtris Romanus cum Hipponem Auguſtini viſendi gratiâ profectus eſſet, urgente atque ad Clericalem militiam expoſcente ipſum populo, Clericali militiæ ab Auguſtino fuit initiatus & adſcriptus, ut ipſemet perhibet Auguſtinus epiſt. 225.

6. Ineptè autem Novatores hæretici demonſtrare præſumunt divinæ inſtitutionis eſſe, ut Presbyteri per ſuffragia plebis ordinentur eo quod Act. 14. v. 22. ubi de Paulo & Barnaba hoc enunciatur: *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas civitates Presbyteros.* Græcumque exemplar dicat χειροτονήσαντες quam vocem ſic vertunt: Cum per popularia ſuffragia ordinaſſent. Cæterum diſtinguenda ſunt diverſa hujus Græcæ vocis ſignificata. Primum eſt per ſuffragia multitudinis decernere; eſt enim χειροτονία manuum extenſio aut elevatio, quo ſigno populus ſuam indicabat aliquid ſciſcendi ſeu decernendi voluntatem. Quæ eſt apud veteres Græcos admodum frequens ſignificatio qui adventum præceſſere Chriſti: eodemque ſenſu ait Cicero de Græcanico cujuſdam populi decreto in oratione pro Flacco *porrexerunt manus, ſophiſma natum eſt.* Secundo ſignificat abſolutè & indefinitè quodvis decretum etiam privatum & ſingulare. Quo eodem ſenſu legimus Act. 10. dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo. Græcè μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ Θεοῦ. Quis vero dixerit Deum æterno ſuo conſilio per ſuffragia plebis eligere aut decernere? Atque hoc ipſo ſenſu illa intelligenda eſt facta per Apoſtolos eo loco Presbyterorum ordinatio, abſque aliorum ſuffragijs aut concurſu. Poteſt etiam vox illa apprimè juxta tertium ſignificatum concipi, ſcilicet ſacræ ordinationis quæ fit per Epiſcopi manuum impoſitionem, qui ſenſus eſt in uſu Eccleſiæ apud Græcos Sanctos Patres frequentiſſimus. Atque utrolibet duorum iſtorum ſignificato, nullatenus vero primo concipi debet vocabuli hujus in loco ab Heterodoxis allegato. Secunda namque licet actu non interveniat manus ulla, eſt tamen derivatio à priore vocis hujus uſu. Tertia autem manuum etiam porrectionem ac impoſitionem reipſa diſerteque exprimit.

7. Quæ vero electio ex perverſis ducta principijs impietate & ambitione ijſdem pariter ſuffulta & propagata in funeſtas atque diuturnas clades proſiluit, ea vero eſt quâ Ariani Principes primùm occupato per vim Italiæ dominatu Eccleſiam oppreſſerunt, ſibi electionem Romanorum Pontificum cæterorumque Antiſtitum arrogantes. Deinde Orientis Imperatores & ab his conſtituti ſupra Italiam præfecti ſub nomine Exarchatum qui apud Ravennam ſedem fixerant, poſtquam Italiam de Gotthis à ſe devictis receperunt. Poſtmodum Reguli qui debilitata Caroli Magni progenie tyrannicis invaſionibus eamdem Provinciam urbemque Romam, unaque Apoſtolicam cathedram diriſſima ſervitute oppreſſerunt, improvidè, faventibus ipſis ab initio Romanis Pontificibus. Denique plerique Germanorum Reges ac Imperatores qui ſibi indebitam autoritatem aſſeruerunt, ſolo ſuo nutu Romanos eligendi Pontifices, eoſque Apoſtolica ſede exturbandi qui ſe inconſultis in eam conſcendiſſent.

8. Pernicies iſta initium ſumpſit ab Odoacre Principe Barbaro Arianæ impietatis ſectario, poſtquam armorum vi ſub dominationis ſuæ jugum Italiam ſubegit, ſeque illius Regem conſtituit. In quarto enim Romano ſub Symmacho Papa Concilio præfecti ſui voce edixit, ne poſt obitum Romani Papæ ullus ei ſublegeretur ſucceſſor, abſque Regis conſenſu. Quam legem ſacra Synodus repudiavit. Qui vero Odoacrum Italiæ regno vitâque ſpoliavit, ejuſque in ſe transtulit ſceptrum Theodoricus Arianæ quoque ſequax impietatis, eamdem inſtauravit legem, ut ex epiſtola colligitur Athalarici Regis ad Romæ Senatum ſcripta ſuper Felicis tertij electione, quam refert Caſſiodorus lib. 8. epiſt. Succeſſit Imperator Juſtinianus exactis per Beliſarium totâ Italiâ Oſtrogotthis, juſque iſtud quod hæreticorum qui præceſſerant Regum tyrannis invexerat, confirmavit, ſibique non dubitavit aſſerere, atque ad ſucceſſores Imperij tranſmittere: qui paucis exceptis hæreſes Neſtorij, Eutychis, Monothelitarum, Iconoclaſtarum conſectati ſunt. Quæ cauſa deinde fuit immanium adverſus ſacroſanctos Pontifices eiſque ſubjectas Eccleſias perſecutionum. Quinetiam ingenti pretio compellebantur Imperatoris aut etiam Exarchæ Ravennatis conſenſum ad Pontificiam promotionem promercari: adeout ad ſacratum dignitatum culmen non aliter quam per ſimoniaca flagitia conſcenderetur: quod ſacrilegium inauſum inauditumque fuerat erga Romanos Epiſcopos ipſis etiam idololatris Romanorum Imperatoribus. Inde pariter naſcebantur exitialia ſchiſmata dum ſcelerati Clerici ſummum ambientes Pontificium, grandi pecunia & indigniſſimis pollicitationibus nunc Imperatorum, nunc conjugum Auguſtarum, nunc Comitum Palatinorum gratiam aucupabantur.

9. Evidentibus argumentis commonſtrat Eminentiſſimus Cardinalis Baronius ad annum 774. ex quo armis Regum Franciæ Pipini & Caroli Magni extincto Longobardorum in Italia dominatu, Provinciarum quæ victoribus ceſſerant

Francis,

Digitized by Google

Francis, major pars incredibili pene magnificentia Romani Pontificis ditioni attributa eſt ab ijſdem; Imperiumque Occidentale à Leone III. Pontifice Francis collatum eſt, liberas permanſiſſe annis ducentis Romanorum Pontificum electiones, nec ulli aſtrictas Francorum Regum & Imperatorum arbitrio vel confirmationi. Sed ex quo ad Germanos Principes devolutum eſt Romanum Imperium deficiente aut ſaltem ab avita virtute degenere Caroli magni progenie; tum demum Romanæ Eccleſiæ vetus illa ſervitus tot annorum decurſu interrupta recruduit; quo tempore Otho primus è Saxonum gente, hac lege Romanos aſtrinxit, quam idem per Schiſmate intruſum à ſe Leonem ejus nominis octavum, vivente adhuc ſed in ordinem redacto Joanne XII. legitimo Papa ſancivit: ut non niſi præcedente Othonis conſenſu ſuique filij, & deinceps ſucceſſorum Imperij, quiſquam eligeretur aut conſecraretur Romanus Pontifex. Cujus etiam edicti meminit Luitprandus rei geſtæ vivens ac videns teſtis hiſtoriæ ſuæ lib.6. cap 6. Privilegium iſtud (ſi tale vocari poſſit) obſervari voluerunt Imperatores Germani nemine reſiſtere aut obluctari auſo Romæ Antiſtite adusque Gregorij VII. dicti Hildebrandi Pontificatum, qui poſtquam vexillum Pontificiæ libertatis ex arce Romana in ſublime erexit ipſe, & qui poſt ipſum in Pontificiæ dignitatis apicem conſcenderunt, feralibus & atrociſſimis bellis ab Imperatoribus Germanis conflictati ſunt, quibus Italia & Germania horrendum in morem conflagrarunt ſub Othonibus, Fridericis, Henricis, & Bavaris Principibus qui infenſiſſimis bellis ſæpiuſque repetitis univerſam Italiam funeſtarunt: per quos etiam diverſi Pſeudopontifices legitimis ejectis Romanam in ſedem obtruſi ſunt. Donec ipſis aſſentientibus Imperatoribus ſervitutis indebitæ jugum à cervicibus Eccleſiæ Sponſæ Regis Regum amotum eſt.

10. Denique ut huic de ordinandorum electione diſſertationi finis imponatur ſciendum, minimè prorſus intelligendum de ordinatione Epiſcopali veterem illum Eccleſiæ Alexandrinæ ritum cujus eſt apud Hieronymum mentio in epiſt. ad Evagrium. *Alexandriæ* (inquit) *à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi de ſe eligant quem induſtrium noverint & Archidiaconum vocent.* Ritus ille nullatenus Epiſcopum conſecrabat ſed electionem ſequebatur, atque ut vulgus vocat inſtallario, atque in poſſeſſionem immiſſio ad firmandam electionem factam; aut fortaſſe fiebat poſt unctionem conſecrationis myſticæ, quemadmodum ex præſcripto Pontificalis, conſecratores Antiſtites conſecratum à ſe novum Hierarcham ſacræ dignitatis inſignibus decoratum in ſede collocant Epiſcopali.

## *ALIVD ADDITAMENTVM ad finem Canonis II. Calchedonenſis Synodi annectendum.*

EOdem ſpectat Nicenæ Synodi ſecundæ canon 19. ita decernens. *Tanta execrabilis avaritiæ labes Eccleſiarum præfectis invaſit, ut nonnulli eorum virorum ac mulierum qui pij ac religioſi dicuntur, Dominici mandati obliti fallantur, & eos qui ad Sacerdotalem ordinem, & vitam Monaſticam accedunt pecunijs admittant: & quorum reprobum eſt principium, univerſum quoque rejiciendum efficitur, ut ait magnus Baſilius; nec enim Deo licet & mammonæ ſervire. Si quis ergo inventus fuerit hoc facere; & reipſa facit hoc, ſi ſit quidem Epiſcopus, vel Monaſterij præfectus, vel ex Sacerdotali ordine, vel ceſſet vel deponatur, ut vult ſecundus canon Calchedonenſis Synodi. Sin autem Monaſterij præfecta, à Monaſterio excludatur, & alij Monaſterio tradatur in ſubjectionem. Similiter & Monaſterij præfectus qui Presbyterij ordinationem habet. De ijs autem quæ dantur liberis à parentibus inſtar dotis, vel rebus ſuis proprijs oblitis, profitentibus ijs qui ea offerunt eſſe Deo conſecrata, ſtatuimus ut ſive maneant ſive exeant, ea in Monaſterio maneant, ut fuit ipſorum profeſſio; niſi is qui præeſt in culpa fuerit.*

## *ALTERVM ADDITAMENTVM ad finem Canonis I. Concilij Narbonenſis an. Chr. 589. p. 273.*

COnformatur huic diſpoſitioni canon.16. Nicenæ Synodi poſterioris ac œcumenicæ hoc præcipiens: *Omnis jactantia & ornatura corporalis aliena eſt à ſacro ordine. Eos ergo Epiſcopos vel Clericos qui ſe fulgidis & claris veſtibus ornant emendari oportet. Quod ſi in hoc permanſerint, pœnis afficiantur. Similiter & ij qui unguentis inunguntur.* Similiter Concilium Carthaginenſe quartum can.45. edicit: *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.* Alia prætermitto innumera his recentiora Concilia.

## *ALIVD ADDITAMENTVM ad finem hiſtoricæ Synopſis undecimi ſæculi.*

VNdecimo deſinente ſæculo, aut ineunte duodecimo, Gallus quidam nomine Gerardus ex Provincia Provinciæ oriundus, initium dedit florentiſſimo celeberrimoque Ordini S. Joannis Baptiſtæ Hoſpitalariorum, inde nuncupato quia Chriſtianos advenas Ieroſolymam religionis cauſa adventantes, hoſpitio cui hærebat ſacellum Præcurſori Chriſti ſacrum, in urbe Ieroſolymorum excipiebant, & infirmos omni ope fovebant, floruit vir iſte ſub primis Ieroſolymitanis regibus Godefrido Bulione, ejuſque fratre regnique ſucceſſore Balduino primo. Extat diploma Paſchalis ſecundi Romani Pontificis anni Chr. 1113.



Google

ad Gerardum ipſum conſcriptũ, quo gratiæ & privilegia hoſpitali Ieroſolymitano conceduntur, & quo Gerardus ipſe in ipſa inſcriptione declaratur inſtitutor, & Præpoſitus Ieroſolymitani Xenodochij. In ipſo vero textu hæc verba continentur: *Poſtulavit ſiquidem dilectio tua Xenodochium, quod in civitate Ieruſalem juxta B. Ioan. Baptiſtæ Eccleſiam inſtituiſti, Apoſtolicæ Sedis autoritate muniri*, &c. Ipſum vero Gerardum ad Deum ex hac vita migraſſe referunt ordinis Ieroſolymitani monimenta anno Chr. 1118. Quo eodem pariter anno obiere Paſchalis idem Pontifex, & Balduinus Rex Jeroſolymitanus, ejus nominis primus. Poſt quem in Regnum promotus eſt Balduinus alter Comes Edeſſæ. Quo eodem anno nobiles viri decem Duce Hugone Pagano religionem militarem Templariorum inſtituerunt; ſic denominatorum à vicinia Templi Salomonis; juxta quod primam ſibi habitationem conſtituerunt ex Regis & Patriarchæ conceſſione: quorum inſtitutum fuit itinera ad ſanctam civitatem perducentia ſuis armis cuſtodire tuta ab incurſibus & inſidijs infidelium, atque prædonum peregrinos infeſtantium. His regulam ſcripſit S. Bernardus Claravallenſis Monaſterij Abbas. Horum inſigne geſtamen fuit rubea crux candidæ veſti aſſuta. Gerardo autem hoſpitalario ſucceſſit nobilis Gallus Raimundus à Podio, qui ordinem Hoſpitalarium reddidit quoque militarem, erexitque in regularem cum aſtrictione ad tria religioſa vota; ſcripſitque commodam ad hoc inſtitutum regulam, quam ſubinde diverſi Pontifices maximi, ſua approbatione munierunt. Primus ſalutatus eſt ordinis miniſter Raimundus à Podio, ſub cujus moderamine ordo iſte grandia ſumpſit hominum & opum incrementa. Huic credita ſunt præcipua Chriſtianæ religionis adverſus Mahumetanos propugnacula. Primum Acon ſeu Ptolemaïs, deinde Rhodus, poſtremo Melita inſula. Quem ad ſcopulum vaſtiſſima illa Turcarum potentia ſemel & iterum alliſa eſt.



INDEX

Digitized by Google

# INDEX
# COPIOSISSIMUS
## Rerum omnium Notabilium quæ in hoc Opere continentur.

*Prior Numerus ſedem materiæ, poſterior Paginam demonſtrat.*


A

*Abbas.*

Abbates duo in uno Monaſterio creari & præfici non debent. num.12. pag.289
Ne patrocinio ſeculari utantur, nec ad Principis præſentiam accedant ſine Epiſcopi ſui permiſſu. ibid.
Abbates intra ſepta Monaſteriorum cum Fratribus ſuis reſideant. num.16. p.573
Abbas uni tantum Monaſterio præficiatur. n.21. p.236

*Abbatiſſa.*

Abbatiſſa curam habeat ut Virgines ſui Collegij in communi dormitorio decumbant, decenti habitu incedant, & Horas Canonicas ritè perſolvant. num.15. p.573
Abbatiſſa non debet præſidere duobus Monaſterijs. ibid.

*Abſolutio.*

Abſolutionis à peccatis forma in ſacramento Pœnitentiæ in Eccleſia tam Græca quàm Latina. num.1. p.176
Vid. *Sacramentum.*
Abſolvendi poteſtatem Presbyteri in ſua Ordinatione recipiunt, debent tamen approbari ab Ordinario, etiam Regulares. Can.15. p.596

*Adrianus.*

Adrianus Trajani in imperio ſucceſſor perſecutionem contra Chriſtianos excitatam proſequitur. num.5. p.21
Jeroſolymam bello everſam ſub Trajano inſtauravit, & templum Jovis intra eam excitavit. num.6. ibid.
Judæos rebellantes domuit. ibid.
Eoſdem ſub capitali ſupplicio prohibuit inſtauratam Ieroſolymam ingredi. ibid.
Sacra etiam Chriſtianorum loca prophanavit. ibid.
Prole carens Antoninum in ſucceſſorem adoptavit. num.7. p.21

*Adulterium.*

Adultera à marito expellenda. num.26. p.78
An liceat innocenti conjugi aliud matrimonium contrahere, poſt divortium factum cum priore ex cauſa adulterij. n.4.p.327.& n.7. p.334

*Advocati.*

Advocati non recipiantur in publicis cauſis niſi per triennium jura audierint.Can.2.& ſeq.p.449
In priori judicio non recipiuntur in teſtes in judicio appellationis. col.2. p.452
Advocati jurare debent de fideli & diligenti patrocinio clientulis ſuis præbendo. can.19.p.468. & 469
Advocati officio Clerici interdicuntur niſi pro ſua Eccleſia, vel miſerabilibus perſonis. Can.12. p.415

*Ænhamenſe Concilium.*

In Anglia Concilium habitum fuit ſub Ioanne XVI. Pontifice & Ætelredo Anglorum Rege, anno 1010. num.1. p.376
*Can.*11. Præcipitur de cenſu ſeu denario S.Petri ſingulis annis Eccleſiæ Romanæ perſolvendo. num.2. ibid.
Cenſum hunc pium permulti Reges Angliæ indixerunt, confirmarunt, & perſolvi curarunt. ibid.
Anglia Romano Pontifici ſubjecta & tributaria. ibid.
*Can.*14.De portione Parochiali funeraria. p.376

*Æra.*

Æra Hiſpanica eſt modus computandi tempora in Hiſpania uſitatus. Eſt anterior 38 annis Epocha Chriſtiana. num.1.col.1. p.273

*Ætas.*

Ætas ad Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipiendos, à ſacris Canonibus requiſita. n.4. p.96
Vid. *Ordo.* & *Ordinatio.*
Ætas ad Clericalem militiam tam de jure antiquo quàm noviſſimo. num.10. p.141
Ætas ad Ordines ex Concilio Agathenſi anni 506. quod explicatur. num.9. p.233
Ætas requiſita ad regimen Eccleſiæ parochialis. num.2. p.486
Ætas Diaconiſſarum primitivæ Eccleſiæ. num.3. p.25
Ætas ad Sacerdotium & beneficium Curatum. num.43. & 44. p.593.594




Digitized by Google

Ætas ad Subdiaconatum. num. 50. p. 596
Ætas ad profeſſionem vitæ Regularis, quæ requiratur ex Tridentino. n. 82. p. 604

*Agapæ.*

Agapæ ab Apoſtolicis temporibus inter Fideles uſurpatæ. n. 1. p. 32
Agapæ quales eſſent, & quomodo in illis Chriſtiani ſe gererent. n. 2. ibid.
Agapas ſeu convivia in Eccleſia celebrari varijs Conciliorum decretis prohibitum. n. 3. ibid.
Agapæ erant convivia inter Fideles in Eccleſia exhibita olim, poſtea prohibita. n. 15. p. 155

*Agathenſe Concilium.*

Agathenſe Concilium quot Canones contineat. num. 1. p. 230
Quo tempore celebratum. n. 2. ibid.
Illi præfuit Cæſarius Arelatenſis Præſul. ibid.
*Can.* 2. *al.* 1. de Clericis contumacibus, & negligentibus corrigendis. n. 4. p. 231
Clerici primi gradus qui dicantur. ibid.
*Can.* 4. *al.* 3. de his qui oblationes Eccleſiæ factas retinent & defraudant. ibid.
*Can.* 7. De rebus Eccleſiæ non alienandis ab Epiſcopo, ſed integro jure conſervandis. n. 5. p. 231
Quod declaratur, ibid. & num. ſeqq. Vid. *Alienatio.*
*Can.* 8. De Clericis ad ſæculares judices confugientibus excommunicandis. n. 8. p. 232
Quid in gravioribus delictis? exponitur. ibid.
*Can.* 10. Ut Clerici converſationem mulierum fugiant. p. 233
*Can.* 16. De ætate ad Diaconatum requiſita. num 9. ibid.
*Can.* 17. De ætate ad Epiſcopatum. ibid.
*Can.* 18. Ut laici ſacram communionem recipiant diebus ſolemnioribus in Eccleſia. n. 10. p. 233
*Can.* 20. De coma & veſtitu Clericorum. ibid.
*Can.* 21. Quo loco Miſſa celebrari debeat. ibid.
*Can.* 25. Ne ſæculares conjugale conſortium ſine juſta cauſa & Eccleſiæ judicio dimittant. num. 11. ibid. & p. 234
*Can.* 26. Ne Clerici inſtrumenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſiones firmantur, ſupprimant, aut adverſarijs tradant. n. 12. ibid.
*Can.* 27. Ut nova Monaſteria inconſulto Epiſcopo non conſtruantur: neque Monachi parochijs præficiantur ſine conſenſu Abbatis. n. 13. ibid.
*Can.* 28. Vt Monaſteria puellarum longius à monaſterijs Monachorum collocentur. num. 14. p. 235
*Can* 31. De inimicis reconciliandis, & litibus finiendis; & qui per odium pacem recuſaverint, excommunicentur. n. 15. ibid.
*Can.* 35. Vt Epiſcopi ad Synodum invitati conveniant. num. 16. p. 235
*Can.* 36. De ſtipendijs Clericorum. ibid.
*Can.* 38. Ne Clerici abſque commendatitijs epiſtolis ſui Epiſcopi peregrinentur. n. 17. p. 235
*Can.* 44. Ne Presbyter benedictionem populo dare præſumat. n. 18. ibid.
*Can.* 45. Epiſcopus terrulas, & res vilioris pretij neceſſitate poſtulante alienare poteſt. n. 19. p. 236
*Can.* 47. Miſſam integram die Dominico audiri præcipitur. n. 20. ibid.
*Can.* 48. Epiſcopus bona patrimonialia liberè alienare & de illis diſponere poteſt etiam in teſtamento, non verò de rebus intuitu Eccleſiæ quæſitis. num. 21. ibid.
*Can.* 50. De pœnis Clericorum in crimine capitali. ibid.
*Can.* 51. Si Epiſcopus de rebus Eccleſiæ donaverit, aut legaverit, damnum de proprijs reſarciat. ibid.
*Can.* 57. Ne unus Abbas duobus Monaſterijs præſideat. ibid.
*Can.* 59. Res Eccleſiæ nullo tempore præſcribuntur per precarias poſſeſſæ. n. 22. ibid. & p. 237
*Can.* 64. De pœna Clericorum qui diebus ſolemnibus ſine juſta cauſa Eccleſiæ ſuæ defuerint. n. 23. ibid.
*Can.* 66. Ne miniſtri inſacrati vaſa Dominica tangant, neque Secretarium ingrediantur. ibid.
*Can.* 67. De matrimonio cum hæreticis non contrahendo. ibid.
*Can.* 68. De Phylacterijs utentibus excommunicandis. ibid.
*Can.* 69. De ſeditioſis non ordinandis. ibid.
*Can.* 70. De Clerico ſcurrili deponendo. p. 237

*Alexander Imperator.*

Alexander Caracallæ filius licet benè affectus erga Chriſtianos, ipſos tamen, inſtigante Vlpiano præfecto, graviter perſecutus eſt: & ſub eo multi Illuſtres Martyrij coronam adepti ſunt. num. 6. p. 58
Ipſo regnante, gravis contentio orta, occaſione Origenis: ut fuſiùs enarratur. n. 7. ibid.
Item & aliud graviſſimum diſſidium de Baptiſmo ab hæreticis collato, utrum valeret, necne. num. 8. ibid.
Alexandri interfector Maximinus invaſit Imperium, ſimúlque in Chriſtianos immanem perſecutionem exorſus eſt. n. 9. p. 59

*Alexandrinum Concilium.*

Alexandrinum Concilium I. ſub Sylveſtro Pontifice Rom. ab Alexandro Epiſcopo Alexandriæ convocatum, ann. 361. in quo Arius, hæreticus fuit declaratus, & communione ejectus. num. 1. p. 159
Secundum ſub Sylveſtro quoque congregatum, ſed præſidente Oſio Legato Apoſtolico. ibid.
Tertium ſub Liberio, reſtituto in priſtinam Sedem Athanaſio, qui illud convocavit, & præſedit eidem, decernens ut Ariani reſipiſcentes reciperentur in Eccleſiam cum priſtinis gradibus. num. 2. & 3. ibid. & p. 160
In eo damnata eſt hæreſis Macedonij & Eunomij adverſus Spiritus ſancti divinitatem. n. 4. p. 160
Et Sabelliana quæ omne divinarum Perſonarum reale diſcrimen tollebat. ibid.
Vox *Hypoſtaſis* declaratur. ibid. & n. 5. p. 160
Damnavit quoque hæreſim Apollinaris de anima per Verbum non aſſumpta. n. 6. p. 161
Anno ſequenti 363. aliam Athanaſius ipſe indixit Synodum ſub Joviniano Imperatore. ibid.

*Alienatio.*

Alienatio rerum Eccleſiæ ſine conſenſu Epiſcopi & Cleri prohibetur, & facta irritatur. n. 7. p. 97
Ex quibus cauſis alienatio rerum Eccleſiæ valere poſſit, n. 13. p. 172
Alienatio rerum Eccleſiæ non toleranda niſi urgenti gravi neceſſitate, n. 5. p. 231. & ſeqq.
Quæ ſolemnitates adhibendæ in caſibus in quibus

Digitized by Google

quibus talis alienatio permittitur. n. 6. & 7. p. 232
Res minoris momenti & valoris alienari poſſunt. n. 5. p. 231. & n. 19. p. 236
Alienatio, ſubjectio, conceſſio in emphyteoſim, recognitio à Prælatis facta quod Eccleſias ſuas, vel bona illarum à Laïcis tanquam ſuperioribus teneant, prohibetur ſub pœna excommunicationis. Can. 22. p. 469
Alienationes rerum Eccleſiæ protinus revocentur. Can. 1. p. 476
Non licet Epiſcopo alienare res Eccleſiæ ſine conſenſu Capituli, neque Capitulo ſine conſenſu Epiſcopi. n. 10. p. 531

*Ambon.*

Ambonis vox obſervatur & explicatur, n. 10. p. 153 & ex profeſſo. n. 6. p. 40
Ex Ambone minores Clerici pſallebant. ibid. p. 40.
Romæ adhuc ſuperſunt vetuſtiſſimi duo Ambones. ibid.
Quatuor erant portæ in Ambonibus. num. 7. ibid.
Vid. *Eccleſia.*

*Anaſtaſius Imperator.*

Anaſtaſius Zenonis ſucceſſor in Imperio Orientis. num. 1. p. 238
Orthodoxum ſe profitetur per diſſimulationem, bonique regiminis initio regni ſpecimina exhibet. n. 2. ibid.
Firmato imperio ſe Religionis hoſtem, & populorum oppreſſorem præbet. ibid.
Edictum Zenonis henoticum renovat, promittitque nomen Acacij hæretici abolere, modò Rom. Pontifex ſubſcribat henotico. n. 7. p. 240
Quod Schiſmati anſam dedit in Eccleſia Rom. ibid.
Implacabilis Orthodoxorum perſecutor communione Fidelium ſubmotus eſt. n. 8. ibid.
Euphemium Præſulem Conſtantinopolitanum deiicit perpetuóque damnat exilio. n. 12. p. 242
Eutychianam hæreſim totis viribus amplificat, Orthodoxos expellit, perditiſſimiſque hominibus utitur. n. 13. p. 243
Populo rebellante, iterum promittit ſe ſervaturum Concilium Chalcedonenſe; ſed rebus compoſitis, perfidus princeps larvam ſimulationis depoſuit, & hæreticos promovendo, Orthodoxos cædibus, direptionibus, exiliis, incendiis diſperdit. n. 14. ibid.
Fulminis ictu, Deo ulciſcente, interiit. ibid.
Clodovæi amicitiam expetiverat, miſſo ad eum diademate Regio, jura Conſulatus, patriciamque dignitatem ei conferens. n. 10. p. 242

*Ancyranum Concilium.*

Ancyranum Concilium quo tempore celebratum, num. 1. p. 94
Occaſione lapſorum tempore perſecutionis Maximini adverſus Chriſtianos, poſt illam extinctam inditum fuit. ibid.
Ancyra metropolis Galaciæ. ibid.
*Can.* 1. decernitur Presbyteros lapſos, qui alio certamine culpam repararunt, priſtinæ ſedis honorem retinere, ſed excludi à myſtica Altaris oblatione, aliiſque ſacerdotalibus officiis. num. 2. p. 94
*Can.* 2. Statuitur ſimiliter de Diaconis lapſis, ut ceſſare debeant omni Sacro Miniſterio: quæ verba declarantur. ibid. num. 3. & 4. p. 94
*Can.* 10. An & quando Diaconi ordinatio matrimonium ejus impediat. num. 5. p. 95
*Can.* 13. In Græco mutilus & corruptus à Dionyſio & Iſidoro reſtituitur & ſuppletur: nempe de Choreépiſcopis, ne ſine mandato Epiſcopi aliquid agant: ut explicatur. num. 6. ibid.
*Can.* 15. De rebus Eccleſiæ non alienandis. n. 7. ibid.
*Can.* 16. *aliàs* 17. De pœnitentia publica eorum qui nefandam cum pueris, vel brutis libidinem commiſerunt. num. 8. p. 96

*Anglia.*

Angliæ Regni variæ commutationes ab anno 874. ad annum 1066. breviter indicantur. n. 7. p. 370
Anglicanæ Inſulæ Sedes Epiſcopalis primaria ſeu Patriarchalis, quæ fuerit, inquiritur. num. 2. p. 383
Angliarum Primati authoritas Apoſtolica delegata propter longam à Romana Curia diſtantiam. ibid.
Concilium Londonienſe in Anglia, anni 1075. num. 1. ibid.
Angliæ Rex Henricus VIII. prius Eccleſiæ defenſor adverſus Lutherum; deinde infamis pellicis amoribus irretitus apoſtata, ſéque Anglicanæ caput Eccleſiæ conſtituens totum Regni corpus corrupit. num. 16. p. 557
Anglia Sedi Apoſtolicæ tributaria. n. 2. p. 376

*Anima.*

Animæ delictum, de quo in Concilio Nicæno, *Can.* 2. quale ſit. n. 5. & 6. p. 107
Anima rationalis eſt immortalis, nec una plures homines informat, ſed tot ſunt numero quot homines. n. 5. p. 566
Anima unica in homine: damnatúrque hæreſis Manichæorum qui ſenſitivam diſtinctam admittebant, n. 12. p. 351
Damnatur quoque Apollinaris qui tres conſtituebat, & inde ſuam conflavit hæreſim. n. 13. ibid.
Ars Artium regimen animarum. n. 14. p. 434
De Animarum ſtatu poſt obitum. n. 5. p. 589

*Antiochenum Concilium.*

Antiochenum Concilium partim Orthodoxis, partim Arianis conſtans Epiſcopis ſub imperio Conſtantij Ariani habitum ann. 341. n. 1. & ſeqq. p. 133
*Canones* 4. 12. & 15. à quibuſdam Doctoribus poſteriorum ſæculorum rejiciuntur. ibid.
Eorum ſententiā refellit Emmanuel Schelestrates variis argumentis quæ referuntur. num. 2. ibid.
Et ſi qui pſeudo-canones à Julio in cauſa Athanaſij, & Innocentij in cauſa Chryſoſtomi, damnantur, extra Concilium ab Arianis procuſi ſunt. n. 3. p. 133
*Can.* 1. Nicænum inſtauratur decretum de Paſchali ſolemnitate celebranda die Dominico. num. 4. p. 134
*Can.* 2. Non licere cum Excommunicatis communicare, nec pro iis orare. n. 4. & 5. ibid.
Ibidem etiam alia traduntur de Communione quotidiana, & Paſchali intra quindecim dies ab Eccleſia aſſignatos celebranda. ibid.
*Can.* 3. Non debere Clericum propriam deſerere Eccleſiam, & in aliam ſe transferre. num. 6. p. 135
*Can.* 4. Non licere Epiſcopo, Presbytero, vel Diacono à Synodo legitima damnatis aliquid

de Sacro Miniſterio contingere. n.7. ibid.
*Can.* 5. Ne Clerici, proprio contempto Epiſcopo, proprias privata authoritate Eccleſias collectis populis ſibi faciant. n.8. ibid.
*Can.* 6. Ne quis à proprio excommunicatus Epiſcopo ab aliis ſuſcipiatur niſi priùs fuerit reconciliatus. n.9. p.135
*Can.* 7. Nullus externus ſine pacificis ſuſcipiatur, id eſt ſine literis dimiſſoriis. n.10. ibid.
*Can.* 9. De Metropolitanis, ut totius provinciæ curam ſuſcipiant. n.10. ibid.
*In iſto Can.* 9. notatur error verſionis, ut pro, *nihil vel*, reponendum ſit, *nihil niſi*. ibid.
Præterea tres commemorantur Eccleſiaſticæ Præfecturæ gradus. n.11. p.136
*Can.* 10. De Chorepiſcopis; & eorum officio. n 12. ibid.
*Can.* 11. De Epiſcopis & Clericis adeuntibus Imperatorem ſine literis Metropolitanorum, vel Epiſcoporum. n.13. p.136
*Can.* 12. De Epiſcopis & Clericis depoſitis provocantibus ad Imperatorem. n.14. ibid.
*Can.* 13. Nullus Epiſcopus in aliena provincia ordinationes efficiat. n.15. ibid.
*Can.* 14. Iudicium de Epiſcopis crimine accuſatis ad quos pertineat. n. 16. p.137
*Can.* 20. De Synodo ſingulis annis bis celebranda. n.16. p.137
*Can.* 23. Ne Epiſcopus ſibi eligat in Epiſcopatu ſucceſſorem. n.17. ibid.
*Can.* 24. De rebus Eccleſiæ ſervandis & rectè adminiſtrandis. n.18. ibid.
Et de bonis propriis à bonis Eccleſiæ ſeparandis. ibid.
De bullis ſpoliorum. ibid.
*Can.* 25. Ut Epiſcopus diſpenſandi res Eccleſiæ habeat poteſtatem egentibus cum ſumma reverentia & timore Dei. n.19. p.137
Alia Concilia Antiochena contra Paulum Samoſatenum, obſervantur. p.67.& 68

*Antiſiodorum.*

Antiſiodorum urbs eſt Epiſcopalis in Burgundia Senonenſi Metropolitano ſubjecta. n.1. p.270
Concilium Antiſiodorum fuit tantummodò Diœceſanum. ibid.
*Can.* 10. De Miſſæ celebratione. p.271
*Can.* 11. Non licet mortuis nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involui. ibid.
*Can.* 18. De Baptiſmo ſecluſa neceſſitate in diem Paſchæ differendo. ibid.
*Can.* 21. Non licet viduæ Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi, convolare ad ſecundas nuptias. ibid.
*Can.* 36. Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere: & de ritu communicandi. ibid.
*Antonij Fillioli* Archiepiſcopi Aquenſis Acta referuntur à n.24. ad 33. p.587

*Apoſtoli.*

Apoſtoli repleti Spiritu Sancto in publicum proſiliunt prædicantes reſurrectionem, & Aſcenſionem Chriſti Domini ad dexteram Patris, ejuſque divinitatem. n.2. p.1
Nec ſolum curæ animarum intenti, ſed etiam alimoniæ corporum. n.3. p.2
Ea de cauſa ſeptem Diaconos elegerunt quibus temporalium rerum cura incumberet. ibid.
Perſecutionem à Judæis patiuntur. n.4. ibid.
Collato inter ſe fidei Apoſtolicæ Symbolo, de univerſo terrarum orbe ſub jugum Chriſti redigendo conſilium ineunt. n.9. p.3
Apoſtolorum Concilium primum Jeroſolymæ celebratum, in quo Mathias ſuffectus eſt in locum proditoris Iudæ ad replendum ſacrum ipſorum collegium. n.1.p.1.& n.1.cum aliis ſeqq. p.16
Apoſtoli quomodo per electionem ſimul & ſortem Mathiam ad Apoſtolatum admiſerint: ubi referuntur SS. Patrum ſententiæ, num.2. & ſeqq. ibid.
Neotericorum quoque hac de re diſceptationes notantur. n.6.& 7. p.17
*Apoſtolorum* nomen an & quomodo conveniat Epiſcopis. n.7.& 8. p.45
Apoſtolatus honor. n.2. p.377

*Appellatio.*

Appellatio à ſententia Excommunicationis habet ſolum effectum devolutivum, non ſuſpenſivum. n 1.p.111.& n 35. p.590
Appellatio non datur à judicio Eccleſiæ. n.3. p.97 & n.4. p 98
Appellationes ab abuſu aliæ legitimæ, aliæ illegitimæ. n.6. p.331
Appellatio ab interlocutoria Ordinarij non admittitur niſi inferat gravamen irreparabile. n.35 p.590
Neque à correctione legitima niſi modus excedatur. ibid.
Neque à cenſuris Eccleſiaſticis quoad effectum ſuſpenſivum, ſed tantum devolutivum. ibid.
Appellatio admittitur à ſententia interlocutoria quâ decernitur incarceratio. n 35. p.590
Decretum Concilij Baſileenſis, de frivolis appellationibus non admittendis in variis caſibus. num.15. p.535

*Aquenſe Concilium.*

Aquæ ſextiæ. n.4. p.197
Aquenſe Concilium quoddam commentitium anni 1036. Author non agnoſcit. n.1. p.405
Aquenſe Concilium anni 1112. verum & legitimum adducitur, quinque continens Canones. ibid.
*Can.* 1. Ut Eccleſia Aquenſis quartam partem redituum percipiat. n.2. ibid.
*Can.* 2. Ut nullus Clericus Eccleſiam regendam ſuſcipiat ſine conſenſu Archiepiſcopi, vel Archidiaconi. n.3. p.406
*Can.* 3. Ut nullus Clericus alterius Epiſcopatus, ordinatus, vel ordinandus in Epiſcopatu Aquenſi recipiatur abſque literis ſui Epiſcopi. num.4. ibid.
*Can.* 4. De quarta funerali ſolvenda Eccleſiæ cui debetur. n.5. ibid.
Huic Concilio præſedit Petrus Archiepiſcopus qui Pallium à Paſchali II. ſuſceperat n.6. ibid.
Idem baſilicam S. Salvatoris conſecravit, in cujus ambitu viſitur Sacellum à S. Maximino conſtructum. ibid.
Aquenſe Concilium Provinciale anni 1585. n.1. p.641
*Tit. de Baptiſmi Sacramento*: Ne infantes extra caſum neceſſitatis in domo baptizentur. ibid.
Ne admittantur Suſceptores qui non ſint Chriſmate confirmati. ibid.
*Tit. de Euchariſtia.* Ut omni reverentia Sacroſancta Euchariſtia ad ægros deferatur. p.642
Curatus in ſua Eccleſia nullum permittat celebrare ſine literis ſui Epiſcopi: nec licentiam

uno anno vetuſtiorem admittat. num. 2. ibid.
*Tit. de Matrimonio.* Parochus ne facilè filiosfam. invitis parentibus ad matrimonium admittat, nec vagos & ignotos. p.643
Ne alienæ Parochiæ aliquos matrimonio jungat, niſi habito teſtimonio quod nullum ſubſit impedimentum, aut quod factæ ſint denuntiationes. ibid.
Concubinarij tam ſoluti, quàm uxorati, niſi moniti concubinam ejecerint, excommunicentur. ibid.
*Tit. de Sacramento Ordinis.* De imploranda ope divina à Clero & populo, in collatione Ordinum ab Epiſcopo facienda. n.3. p.643
Ne quis extra tempora ſine diſpenſatione, vel non habens ætatem, vel ſine dimiſſoriis ad Sacros Ordines ſe promoveri faciat; neque irregulares. ibid.
Qua ratione ſe præparare & præſentare debeant qui ad majores Ordines promoveri volunt. ibid.
De Inquiſitione facienda Ordinandorum, & teſtimoniis natalium, Baptiſmi, Confirmationis, ſtudiorum, &c. p.444
Item de Ordine inquiritur quem proximè ſuſcepit, de functionibus Ordinis ſuſcepti, de geſtatione habitus Clericalis, & pluribus aliis quæ referuntur ibid. col. 2. p.444
Quorum omnium causâ inſtituta ſunt Seminaria in quibus præparantur promovendi, examinantur, & inſtruuntur. n.4. ibid.
Si Epiſcopus ægritudine vel alio impedimento detineatur, non aliter ſubditos quàm examinatos & approbatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittat. p.645
*Tit. de Canonicis.* Ut Canonici divinis interſint officiis, & abſentes, excepta juſta cauſa, priventur diſtributionibus; & quæ ſint juſtæ cauſæ abſentiæ. n.7. ibid.
*Tit. de Capitulis.* Ut Capitula, non mane, ſed poſt veſperas fiant. col. 1. p.646
Detentores inſtrumentorum ad Eccleſiam ſpectantium excommunicantur niſi reſtituant intra tres menſes. ibid.
Coadjutoriæ Canonicales cum futura ſucceſſione prohibentur ſub pœna excommunicationis. num.8. ibid.
*Tit. de Beneficiatis & Manſionariis*: Ut capaces eligantur, & per ſeipſos Officium in choro adimpleant. ibid.
*Tit. de collatione Beneficiorum.* De libro conficiendo in quo beneficiorum vacationes, ac proviſiones ſummatim deſcribantur. Idem de literis Ordinum quibus Clerici initiantur in qualibet Diœceſi. Et quod proviſi de aliquo beneficio, inventarium bonorum illius conficiant. num.9. ibid.
De Vicariis foraneis quædam notabilia. n. 10. p.647
Concilium Aquenſe anno 1612. celebratum, in quo Liber inſcriptus *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*, damnatus eſt. n.11. p.647

*Aquila Ponticus.*

Aquila Ponticus apoſtata circumciſus novam ſacrorum voluminum tranſlationem procudit, genuinam corrumpere ſatagens. n.12. p.22

*Aquileienſe Concilium.*

Aquileienſe Concilium in urbe Utinenſi celebratum anno 1596. tempore Clementis VIII. Pontificis, à Patriarcha Aquileiæ: & unde titulus ille Patriarchalis, & quare Sedes in Utinenſe oppidum fuerit tranſlata. n.1. p.651
*Tit. 19. de Monialib.* Vt in Monaſteriis omnis proprietas procul exulet. n.3. & 4. ibid.
Ut menſa ſit communis, ad quam omnes, exceptis ægrotantibus, conveniant, & ſacra lectio adhibeatur. n.4. ibid.
Silentium, obedientia, humilitas, charitas, ac reliquæ virtutes inter Religioſas perſonas eluceant. n.5. p.652
Ut Regula inter Moniales vernaculâ linguâ ſcribatur, & frequenter legatur. ibid.
Vt divinis Officiis diurnis ac nocturnis ſedulo interſint, niſi juſta cauſa excuſet. n.6. ibid.

*Aquiſgranum.*

Aquiſgranenſe Concilium ſub Ludovico Pio Caroli Magni filio apud Aquiſgranum ann. 816. celebratum. n.1. p.338
Plura ſunt ejus capitula duobus libris contenta: quorum primus 50. Canones complectitur de diſciplina Eccleſiaſtica, & moribus Fidelium corrigendis & ſanctiùs inſtituendis. ibid.
Secundus liber partim de inſtitutione Monialium, partim alia miſcellanea de rebus Eccleſiaſticis continet. ibid.
Anno inſequente 817. Conventus Abbatum & inſigniorum Monachorum Regni habitus eſt Aquiſgrani, in quo idem Ludovicus Pius liberalitates prædeceſſorum ſuorum Rom. Eccleſiæ factas confirmat, & amplificat. ibid. p.339
Deinde decedit à jure Patribus ſuis conceſſo confirmandi electionem Rom. Pontificis. ibid.
Et generalia capitula de diſciplina Regulari Monachorum in eodem Conventu conſtituuntur. ibid.

*Arauſio. Arauſicanum Concilium.*

Arauſio, civitas Cavarum, pertinens ad inferiorem Provinciam Viennenſem ſub Metropoli Arelatenſi. n.1. p.210
Duobus Conciliis hæc civitas nobilitata. ibid.
Concilium primum Arauſicanum ſub Leone Rom. Pontifice, & Theodoſio juniore, anno 441. celebratum. ibid.
*Can.* 1. Hæretici in diſcrimine mortis poſiti, ſi Catholi fieri deſiderant, deficiente Epiſcopo, à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari poſſunt. ibid.
*Can.* 2. Nullus miniſtrorum qui baptizandi recepit officium ſine chriſmate uſquam progrediatur. n.2. p.210
Quod declaratur n.3. & 4. & de veteris Eccleſiæ conſuetudine circa chriſmatis unctionem ibid.
*Can.* 3. De Pœnitentibus in diſcrimine mortis conſtitutis reconciliandis ſine ſolemni manus impoſitione. n.5. p.211
*Can.* 4. Pœnitentiam deſiderantibus Clericis non negandam. n.6. ibid.
*Can.* 5. De immunitate Eccleſiarum, ut qui ad illas confugerint, tradi non debeant, ſed loci reverentia defendantur. n.7. p.211
*Can.* 11. Ne Epiſcopi ab aliis excommunicatos ſuſcipiant. n.8. ibid.
*Can.* 12. Subito obmuteſcens, baptizari, & pœnitentiam accipere poteſt, ſi conſtet de ejus voluntate. n.9. p.212
*Can.* 13. An & quomodo Sacramenta amentibus conferenda. n.10. ibid.
*Can.* 14. De Energumenis communicandis. num.11. ibid.

*Can.*18. De Energumenorum irregularitate. n. 11. ibid.

*Can.* 22. Continentiæ lex ſolis Presbyteris & Diaconis præſcribitur. n. 13. p. 212

*Can.* 25. Bigami tanquam irregulares arceantur à ſacris miniſteriis & Ordinibus. num. 14. ibid.

*Can.* 26. Diaconiſſarum inſtitutum aboletur. num. 15. ibid.

*Can.* 27. De fœminis quæ viduitatem profeſſæ ſunt coram Epiſcopo. n. 16. ibid.

*Can.* 29. Ne Concilia ſolvantur niſi indicto loco futuri Concilij habendi anno inſequente. num. 17. p. 213

*Concilium ſecundum Arauſicanum.*

Concilium iſtud quo anno celebratum, & quis ei præfuerit. num. 1. ubi Præfatio Concilij refertur. p. 254

Semipelagianorum error perſtringitur, & vera doctrina de Gratia & libero arbitrio proponitur. ibid.

*Can.* 3. De Gratia Dei præveniente. n. 2. ibid.

*Can.* 4. Quod præparatur voluntas à Domino ad juſtificationem, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. n. 3. p. 254

*Can.* 6. Quod gratiâ Dei ſumus id quod ſumus. p. 255

*Can.* 7. Quod non ſumus ſufficientes & idonei cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. ibid.

*Can.* 12. Tales nos Deus amat, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito. n. 4. p. 255

*Can.* 14. De Miſericordia Dei miſeros præveniente. n. 5. p. 256

*Can.* 16. Fortitudo Chriſtianorum, Charitas. ibid.

*Can.* 18. Debetur merces bonis operibus ſi fiant; ſed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant. num. 6. p. 256

*Can.* 19. Natura humana ſine gratia Dei nec ſalutem ſervare, nec amiſſam reparare poteſt. ibid.

*Can.* 20. Nihil boni hominem poſſe ſine Deo. ibid.

*Can.* 21. Nemo de ſuo habet niſi peccatum & mendacium. n. 7. p. 256

*Can.* 25. Neminem divina poteſtate prædeſtinari ad malum. n. 8. ibid.

Duæ voluntates in Deo diſtinguendæ circa æternam hominum ſalutem; una dicitur antecedens, altera conſequens; ut declaratur. n. 9. p. 257

*Arcadius.*

Arcadius Orientis Imperator Eudoxiam duxit uxorem. n. 1. p. 181

Ipſi Rufinus aſſignatur à Theodoſio patre pro adminiſtrando imperio. ibid.

A Stilicone Gaïnas dux exercitus ſpecie tuendæ Græciæ ad Arcadium mittitur. n. 2. ibid.

Gainam conſpiratorem ducem belli adverſus rebelles eligit. n. 3. ibid.

Arcadij vitæ & imperio inſidiatur Gainas. num. 4. p. 181. & 182.

Fravita duce collatis ſignis contra rebelles Gainam interficit. ibid.

*Archiepiſcopus.*

Archiepiſcopi nomen olim non fuit attributum Metropolitanis unius provinciæ, ſed Patriarchis & Primatibus, ſeu Exarchis. n. 11. p. 105

Archiepiſcopus Remenſis an poſſit relaxare ſententiam Excommunicationis latam ab Officialibus Suffraganeorum. col. 1. p. 417

Archiepiſcopi tranſeuntis per omnia provinciæ loca prærogativæ referuntur. n. 16. p. 492

Archiepiſcopi tres inſignes Imperij Germanici Electores. n. 1. p. 575

Archiepiſcopus ſine Pallio Miſſas dicere non præſumat. Can. 6. p. 171

Archiepiſcopi & Suffraganei mutuum ſibi auxilium præſtare debent. n. 5. p. 477

*Arelatenſe Concilium.*

Arelate, & Arelatenſis Epiſcopus. n. 6. p. 198

Arelatenſi Concilio occaſionem præbuit calumnioſa Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi accuſatio, & injurioſa in tribus Donatiſtarum conciliabulis damnatio. n. 1. 2. & 3. p. 97

Vid. *Donatiſtæ.*

Arelatenſe Concilium indictum authoritate Sylveſtri, & mandante ſeu procurante Conſtantino M. cui ipſe interfuit, multis nominibus celebritatem habet. n. 5. p. 98

Arelatenſe Concilium hoc vocat Auguſtinus plenarium & univerſale. ibid.

*Can.* 1. De obſervatione feſti Paſchalis eodem die & tempore per univerſam Eccleſiam. num. 6. p. 98

*Can.* 2. Ne ordinati locum deſerant in quo Ordines ſuſceperunt, & cui adſcripti ſunt. num. 7. ibid.

*Can.* 5. De theatricis & mimis à communione ſeparandis. n. 8. p. 99

*Can.* 7. De Magiſtratibus in Provincias miſſis juriſdictioni Epiſcopali illarum ſubjiciendis, ne prætextu immunitatis poteſtate ſua abutantur. num. 9. ibid.

*Can.* 6. De Afris ad Eccleſiam venientibus non rebaptizandis, ſi in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti fuerint baptizati ab hæreticis. num. 9. ibid.

*Can.* 9. Vſus literarum à Martyribus impetratarum, quibus lapſi ante finitum pœnitentiæ tempus reconciliabantur, aboletur. num. 10. p. 99

*Can.* 11. De puellis fidelibus, quæ Gentilibus nubunt, aliquo tempore à communione ſeparandis. n. 11. p. 100

*Can.* 13. De pœna eorum qui Sacras Scripturas, aut vaſa Dominica, vel nomina fratrum ſuorum Magiſtratibus Ethnicis tradiderint. n. 12. ibid.

*Can.* 14. De calumnioſa fratrum accuſatione amputanda ſub pœna excõmunicationis. n 13. ibid.

Arelatenſe Concilium ſecundum anni circiter 451. pag. 224

Arelatenſe Concilium Tertium anni 455. n. 1. p. 225

Diſſenſio inter Theodorum & Fauſtum huic Concilio occaſionem dedit. ibid.

In illo ſtatutum eſt, ne Monachi Lirinenſes ordinentur quàm ab Epiſcopo Forojulienſi. n. 2. p. 225

De juriſdictione tam Epiſcopo Forojulienſi, quam Abbati Lirinenſi competente. ibid.

Arelatenſe Concilium ſub Carolo Magno, ann. 813. n. 1. p. 130

*Can.* 3. Ignorãtia in Sacerdotibus vitãda. n. 2. ibid.

*Can.* 6. De vita & diſciplina Clericorum & Monachorum. n. 3. p. 330. & 331

*Can.* 7. De clauſura, & Eccleſiis ſeu Oratoriis Monialium. n. 8. p. 312

*Can.* 8. Ne ſupra facultates Monachi aut Moniales recipiantur. n 9. ibid.

*Can.*

*Can.* 17. Vt Epiſcopus ſemel in anno diœceſim ſuam viſitet. ibid.
*Can.*18. De ſacro Chriſmate ſub ſigillo cuſtodiendo. ibid.
*Can.* 19. De inſtitutione liberorum in fide Catholica. ibid.
*Can.*23. Ne placita publica & ſæcularia in Eccleſiis,neque in atriis ipſarum fiant. p.332
*Can.* 25. De reparandis Eccleſiis. ibid.

*Ariminenſe Concilium.*

Ariminenſe Concilium anno 359. celebratum ſub Liberio, & Conſtantio.n.3. p.148
In eo inſtant Ariani pro recipienda ſecunda ſuæ cōfeſſionis formula in cōciliabulo Sirmiēſi procuſa:è cōtrà Catholici Nicænæ fidei Symbolum defendunt,atque ab omnibus recipiendū contendunt:tandéque Ariani declarantur hæretici.ibi.
Legati ab utraque parte mittuntur ad Conſtantium : ſed Legati Orthodoxorum miſerè deficiunt,& formulæ Arianæ ſubſcribunt.n.4.p.149
Reverſi prævaricatores ad Synodum excommunicantur.n.5. ibid.
Ea de cauſa plures labuntur technis Arianorum deluſi. ibid.
Re meliùs perſpecta reſipiſcunt.n.6. p.149
Synodica Epiſtola obſervatu digniſſima. ibid.

*Ariani.*

Ariani Symbolum Fidei Nicænæ Synodi diſſimulanter ſuſceperunt, metu amiſſionis ſuarum Eccleſiarum , & exilij.n.1. p.125
Nicænam Fidem aperto marte , vivente Conſtantino Magno impugnare non auſi , majorem cladem Eccleſiæ intulerunt præferentes Agnorum ſpeciem , intus lupi rapaces n.2. p.126
Subdolis artibus Conſtantini amicitiam ſibi conciliant. ibid.
Arcanorum furor maximè exarſit in Athanaſiū Fidei orthodoxæ vindicem integerrimum.n.3.ibid.
Arianorum fax peſtifera Euſebius Nicomedienſis Conſtantino in primis charus. ibid.
Arianorum calumniæ impudentiſſimæ adverſus Athanaſium.n.4.& ſeqq. p.126
Aliam calumnioſam accuſationem inſtaurant apud Julium Rom.Pontificem.n.2. p.129
Concilium generale poſtulant,quo eis conceſſo, ipſi intereſſe recuſarunt tot flagitiorum & calumniarum conſcij.n.3. ibid.
Conciliabulū,cui Conſtantius Imperator Arianus interfuit,congregant, in quo multas contra Athanaſium injurioſas calumnias repetūt,quem indicta cauſa à ſua Sede deturbant. ibid.
In cujus locū Gregorium Cappadocē hominem crudelē ſuffecerūt,quiAlexādrinā civitatē ingēti clade affecit,vixque Athanaſius mortē evaſit.ib.
Arianorum perſecutiones adverſus alios Epiſcopos Orthodoxos enuntiantur.n.3. p.129
Et nominatim adverſus Paulum Conſtantinopolis Præſulem digniſſimum , Alexandri ſucceſſorem.n.4. p.130
Et adverſus Euſtathium Antiochiæ Epiſcopum Nicænæ fidei defenſorem integerrimum,ſub imperio Conſtantij Ariani.n.5. ibid.
Et adverſus Legatos Synodi Sardicenſis Vincentium & Ephratam,ut refertur.n.6. ibid.
Arianorum impietas ſub Conſtantio Orientis Imperatore,Eccleſias Orientales angebat, & devaſtabat:dum Occidentales pace fruebantur ſub Conſtantino juniore, & Conſtante:quorum defunctorum imperio ſuccedente Conſtantio Ariano,etiam graſſata eſt & Gallias,Hiſpanias,aliáſque regiones infecit.n.7. p.130
Et diſiectis Orthodoxis,quà vi,quà dolis, Ariani Eccleſias permultas inſigniores occuparunt , & miſerè afflixerunt. ibid.
Hilarius Pictavorum Epiſcopus , quòd ſtrenuè Arianis reſiſteret,in exilium mittitur in Orientem.n.7. ibid.
Ariani inſtabiles quatuor Fidei formulas ſcripſerunt Catholicæ non adverſantes,niſi quod Conſubſtantialitatis vocem devitarunt, in Synodo Antiochena.n.1. p.132.& 133
Triennio poſt Quintam addiderunt.n.10. p.137

*Arius.*

Arius presbyter Alexandrinus adhæſit Meletio Schiſmatico.n.9. p.85
Orbis Chriſtiani peſtis teterrima. ibid.
Dum ambiret Sedem Alexandrinam,ſpe ſua fruſtratus novam adverſus Chriſti Domini Divinitatem hæreſim invenit , & pernicioſum virus quaquaverſum effudit.n.11. ibid.& p.86
Damnatus eſt in œcumenico Concilio Nicæno num.12. p.86
Arij ſectatores non deſinunt orthodoxos inſectari. num.14. p.87
Ejus ſcripta hæretica, & obſcæna titulo Thaliæ inſcripta , Edicto Conſtantini Magni flammis addicta in Synodo Nicæna.n.1. p.126
Exilio mulctatur : ſed ſimulata reſipiſcentia revocatur. ibid.
Juſſu Conſtantini,exulante Athanaſio Treviris, in urbem Alexandrinam recipitur, à qua tamen propter varios tumultus ab ipſo excitatos egredi jubetur.n.10. p.128
Reſipiſcentiam ſimulantem jubet Conſtantinus in cōmunionē recipi à Præſule Alexandro Conſtantinopolitano Orthodoxo:ſed poſtridie quaſi triūphans dū ad templū progreditur,effuſis inteſtinis,inſtar Iudæ,ultione divina crepuit.n.11.ib.

*Armentarius.*

Armentarij ordinatio in Epiſcopum cauſam dedit Synodo Regenſi.n.2. p.129
Ejus ordinatio facta contra Sacros Canones irritatur.n.3. ibid.
Relegatur extra Provinciam Alpium.n.4. ibid.
Quid ſentiendum de Ordinatis ab ipſo decernitur.n.5. ibid.

*Arnulphus.*

Arnulphus Carinthiæ Dux,abdicato Carolo Craſſo,Rex Germanorum proclamatur.n 6. p.361
Vlciſcitur injurias Formoſo Pontifici illatas copioſo cum exercitu Italiam profectus. ibid.
Romam obſidet, & ridiculo lepuſculi fugientis eventu ingenti militum clamore excitato terrorem obſeſſis incutiente , urbem in ſuam reducit poteſtatem.n.7. p 362
Sergianos Pontifici infenſos interimit , Sergius ipſe fuga ſibi conſulit. ibid.
Corona Imperiali in æde D. Petri , viventibus etiam Vidone & Lamberto ejus filio,quos priùs Formoſus Papa inauguraverat,ab eodem Pontifice decoratur anno 896.n.6. p.362
Morbo pediculari moritur.n.13. p.363

*Athanaſius.*

Athanaſij Symbolum ab Eccleſia commendatum. num.1. p.54
Athanaſius an ſit illius profeſſionis fidei Author. num.2.& 3. ibid.
De validitate Baptiſmi hæreticorum dubitavit, non ſolum Arianorum,ſed & aliarum ſectarum. num.6. p.66
Adhuc Diaconus à Præſule Alexandrino in Concilium Nicænum introductus Arium diſputando

do repreſſit.n.14. p.87

Ad Sedem Alexandrinam promovetur,nullúmque Arianum permiſit Alexandriæ conſiſtere. ibid.
Calumniis ab Arianis vexatur.ibid.& n.16.p.87
Euſebiani novas adverſus ipſum reſtitutum excitant. ibid.
Iterum Sede ſua Alexandrina expellitur, & ad mortem conquiritur. ibid.
Sardicenſis Concilij decreto revocatur.n.17.p.88
Conſtans Imperator Occidentis urget executionem hujus decreti.n.19. ibid.
Poſt tot exantlatos labores tandem in Cœlum abiit.n.19.p.88.& n.20. p.91
Sub imperio Conſtantini ab Euſebio accuſatur occidiſſe Arſenium, ejuſque manum amputaſſe ad uſum artis Magicæ.n.4.& 5. p.126
Paulus Tyri Epiſcopus impoſturā hāc detexit.ib.
Arſenius calumniæ conſcius, pœnitentia ductus convertitur. ibid.
Ab Iſchyra falſo Sacerdote altera calumnia vexatur Sacri Calicis effracti,everſique Altaris & projecti Divini Sacramenti,Sacri Voluminis diſcerpti, & deſtructæ Eccleſiæ: Euſebianis hanc impoſturam promoventibus,& urgentibus apud Conſtantinum.n.6. p.127
Synodus indicitur juſſu Conſtantini ad cauſam hanc diſcutiendam.n.7. ibid.

Athanaſius proteſtatur primùm de judicum incompetentia: producit Arſenium qui primam aperit & declarat impoſturam.n.8. ibid.
Ex malignantium conventu ereptus novas ab Euſebianis patitur injurias,& à Conſtantino in exilium mittitur.n.10. p.128

Athanaſius à Conſtantino filio Conſtantini Magni ab exilio revocatur, & Sedi Alexandrinæ reſtituitur.n.1. p.128
Novis impetitur calumniis ab Euſebianis ſeu Arianis, quæ coacta legitima Synodo Alexandrina,deteguntur,& in malignantium accuſatorum infamiam refundūtur.ibid.& n.2.& 3.p.129
Iterum temerariam & calumnioſam accuſationem contra Athanaſium Ariani inſtaurant apud Iulium Rom.Pontificem,ad quem Legatos mittunt, Concilium generale poſtulantes; quo eis indulto,furtim effugiunt,& Athanaſij innocentia undequaque effulget. ibid.

Athanaſius in Concilio Romano innocens declaratur, & Sedi ſuæ Alexandrinæ reſtituitur, in quam rediens ad interitum quæritur à Gregorio ipſi ab Arianis ſuſpecto,& vix hoſtis manus evadens in fuga ſex ferè annos exegit.n.3. p.129

*Avenionenſe Concilium.*

Avenione Concilium Provinciale celebratum eſt anno 1270.n.1. p.476
*Can.*1. Ut alienationes bonorum Eccleſiaſticorum revocentur. ibid.
*Can.*2.Legata pia incerta qua ratione ab Executoribus diſtribui debeant.n.2. ibid.
*Can.*3. Ut Archiepiſcopus & Epiſcopi ſuffraganei ſibi invicem in ſententiis ſervandis & publicandis auxilium præſtent.n.3. p.477
*Can.*4.Vt qui habēt Perſonatus,vel beneficia curata Presbyteri fiant intra annum, niſi ex juſta cauſa cum illis diſpenſetur.n.4. ibid.
*Can.*5.Vt expenſæ factæ in Legatos Apoſtolicos de contributione Eccleſiarū ſolvantur.n.5.ibid.
*Can.*6. Vt Perſonatibus & Dignitatibus Eccleſiaſticis certi reditus aſſignentur n.6. p.477
*Can.*7.Ne Religioſi,vel Clerici requirant defenſionem ſæcularem contra Epiſcopos.n.7. ibid.
*Can.* 8. Ne Clericus Epiſcopum vel alium Præpoſitum offendat.n.8. ibid.

Concilium Avenionenſe anno 1326. in monaſterio S.Rufi celebratum.n.1. p.491
*Can.*2.Indulgentiæ conceduntur iis qui reverenter aſſociabunt Corpus Dominicum, dum Presbyter portat in viaticū ægrotis miniſtrādū.p.491
*Can.*16.Vt excōmunicati ab omni officio publico repellantur,& aſſumpti de facto deponantur, & geſta per eos nulla ſint ipſo jure,&c. ibid.
*Can.* 17. Ne mala venena vendantur ad mortem vel abortum, diſtrictè prohibetur ſub pœna excommunicationis, & aliis.n.1. p.493
*Can.* 19. Ne Religioſi exempti prætextu ſuorum privilegiorum excommunicatos ab Ordinariis locorum, interdictos, vel ſuſpenſos, in contemptum Clavium,temerè ſuſcipiant.n.3. ibid.
*Can.*20. Vt Parochus rogetur intereſſe ordinationi teſtantis,ne relicta pia, vel injunctæ reſtitutiones occultentur. p.494
*Can.*28. Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine impoſitione novi oneris conferantur. ibid.
*Can.*29.Vt in Eccleſiis per Monachos ſolitis gubernari, infra ſex menſes præſententur Presbyteri ab Epiſcopo inſtituendi.n.4. ibid.
*Can.*30. De jure patronatus. p.494
*Can.*58.Ut Rectores Eccleſiarum, & Hoſpitalium Pauperum, Inventarium faciant bonorum Eccleſiæ.n.5. ibid.

Anno 1337.in eodem monaſterio S.Rufi altera Synodus habita eſt,in qua anterius Cōciliū cōfirmatū eſt,& alij quidā Canones ſuperadditi n.6.ibid.
*Can.*5.Nova conſtitutio circa carnium abſtinentiam diebus Sabbati.n.7. p.494

Cōciliū Avenionēſe ann.1594. celebratū.n.1.p.649
Ab Epiſcoporum officio incipit. ibid.
Vt Teſtes Synodales ab Epiſcopis conſtituantur qui inquirāt ac referant an Parochi ſuo munere cum debita ſolicitudine fungantur.n.2. ibid.
De Examinatoribus Ordinandorum,vel beneficio præficiendorum.n.3. p.649
*Tit.*18.*de Sacr.Pœnit.* De Confeſſariorum delectu,officio,& eruditione.n.4. ibid.
*Tit.* 22. *de Miſſæ Sacrific.* Vt Sacerdos alterius Diœceſis non admittatur ad Miſſam celebrandam ſine literis ſui Epiſcopi.n.5. p.650
*Tit.*32.*de vit.& hon. Cleric.* Clericis ars Medica, & ludi aleæ,aliáque ludicra interdicūtur.n.6.ib.
*Tit.*33.*de Capit.& Can.*Vt nihil detur pro collatione beneficiorū,vel miſſione in poſſeſſionē.ib.
*Tit.*34.*de Horis Can.*Vt devotè Canonici divino interſint officio,ne dormiāt,aut nugētur,&c.ib.
*Tit.*42.*de Off.Parochi.* Vt Parochus ſit ſolicitus de pauperibus ſuæ parochiæ, puellis nubilibus, viduis, ægrotis, &c. ibid.
*Tit.*44.*de Quadrag.* Vt Canonici interſint concioni. ibid.
*Tit.*54.*de foro Epiſcop.* Vt Excommunicationum literæ pro re crimnoſa, pro re omnino occulta, & pro rebus deperditis levis momenti non concedantur.n.8. p.650

Avenio vēdita Romano Pontifici.n.12.& 13.p.482

*Aurelianum Aurelianenſe Concilium.*

Aurelianum olim Genabum dictum.n.1. p.249
Aurelianenſe Concilium ſub Symmacho Pontifice, & Clodovæo Francorum Rege, ann. 511. & qui illi interfuerint. ibid.
*Ca.*1.De immunitate Eccleſiarū & domus Epiſcopalis,ne ad illas cōfugiētes rei abſtrahātur.n.1.ib.
*Can.*4.Ne quis ad Clericatum promoveatur abſque Regis,aut judicis aſſenſu.n.3. ibid.
*Can.*5. De oblationibus & agris à Rege collatis vel

vel etiam conſerendis Eccleſiis, ut immunitate gaudeant, & fructus in pios uſus convertantur. num.4. p.249
*Can.*7. Ne Abbates, Presbyteri, aliique Clerici ſine commendatione Epiſcoporum ad aulam Principis accedant pro beneficiis petendis.n.5. p.250
Alioquin pœnitentiæ debitæ ſubjiciantur: ubi conciliantur Canones diverſorum Conciliorum de pœnitentia Clericorum.n.6. ibid.
*Can.*17. Ut omnes baſilicæ conſtructæ, vel conſtruẽdæ propriis ſubjiciantur Epiſcopis.n.7.ibid.
*Can.*18. Ne ſuperſtes frater torũ fratris defuncti aſcẽdat, neque amiſſæ uxoris ſororẽ ducat.p.251
*Can.* 19. Abbates Epiſcopis; & Monachi ſuis Abbatibus ſint ſubjecti. ibid.
*Can.* 25. Ne quis Paſchæ, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ, ſeu Pentecoſtes, ſolemnitatem in villa celebret. ibid.
*Can.*26. De jejunio Quadrageſimæ.n.8. p.251
*Can.* 29. De Rogationibus & Litaniis ante Aſcenſum Domini, præmiſſo triduano jejunio, publicè & ab omnibus celebrandis.n.9. ibid.
Aurelianenſe Concilium Tertium anni 538. p.260
*Can.*1. De Synodali Concilio ſingulis annis à Metropolitano convocando.n.1. ibid.
*Can.*2. Ut Subdiaconi, & ſupra, à nuptiis abſtineant, & jã uxorati propriis nõ miſceantur uxoribus ex quo ad Clericatũ cõverſi ſunt.n.2.p.260
*Can.* 20. Clericus, qui ſe putat ab Epiſcopo ſuo oppreſſum, ad Synodum recurrat.n.3. ibid.
*Can.*22. De rebus Eccleſiæ injuſtè occupatis, vel detentis, reſtituendis.n.4. p.261
Etiãſi à Poteſtate acceperit: ut declaratur.n.5.ibi.
*Can.*24. De benedictione pœnitentiæ. ibid.
*Can.* 28. De operis die Dominico permiſſis, vel prohibitis. p.261
Aurelianenſe Concilium Quintum anni 549.p.261
Canones auſpicantur à damnatione Neſtorianorum, & Eutychianorum.n.1. ibid.
*Can.*2. Nullus pro levibus cauſis à communione ſuſpendi debet.n.2. ibid.
*Can.*4. Plebi invitæ Epiſcopus non ordinandus. num.3. p.262
*Can.*5. Nulli viventi Epiſcopo alius ſuperponatur niſi juſtè dejecto.n.4. ibid.
*Can.*13. Nullus oblata Eccleſiæ retinere, ſubtrahere, aut alienare præſumat. ibid.
*Can.*19. De oblatione puellarum in monaſteriis. num.5. p.262
*Can.*20. De reis in carceribus detentis à Præpoſito Eccleſiæ diebus Dominicis requirendis, & ſublevandis. ibid.
*Can.*21. Ut neceſſaria egentibus, & maximè infirmis & leproſis miniſtrentur. p.262
Aurelianenſe Concilium Anno 1017. ſub Roberto Rege celebratum ad extirpandos impios errores, quos Itala quædam mulier præſtigiatrix invexerat.n.1. p.376

*Aurelianus Imp.*

Aurelianus ſucceſſit Claudio, & ſævientem in dies perſecutionẽ in Chriſtianos prorogavit.n.24.p.61
Romanam civitatem murorum ambitu fere incredibili ampliavit. ibid.
Qui tot innocẽtes necaverat, ipſe necatus eſt.ibid.

*Aurelius.*

Aurelij exercitus ab hoſtibus circumcluſus, precibus Chriſtianæ legionis liberatur.n.9. p.21
Perſecutionem ipſorum ea de cauſa edicto prohibuit ipſe Aurelius. ibid.
Sed mox illam acerbiorem excitavit, in qua illuſtres Lugdunenſes Martyrio coronati ſunt. num.10. p.22
Aurelio ſucceſſit Commodus, quo imperante, reddita eſt pax Eccleſiæ uſque ad annum Chriſtianum 202.n.11. ibid.

B.

*Baptiſmus.*

Baptiſmus ab Hæreticis collatus an ſit inanis & invalidus, juxta quoſdam fictitios Canones, qui Apoſtolorum dicuntur, eruditè exponitur.n.1.& ſeqq. p.7.& 8
Baptiſmus eſt janua Sacramentorum omnium, & ipſiuſmet Eccleſiæ.n.1. p.18
Baptiſmi elogia. ibid.
Baptiſmi cæremoniæ & ritus noſtrorũ temporum, ſemper uſitati fuerunt in Eccleſia.n.2. ibid.
Niſi quod olim baptizandorum aures & nares, oleo; nunc ſaliva liniuntur. ibid.
Catechumeni ſive aſpirantes ad Baptiſmum in duplici differentia, audientium, & competentium.n.3. p.28
Baptiſmus parvulorum Apoſtolica traditione receptus, licèt à Tertulliano improbatus. n.4.ibid.
Baptiſmo adultorum præmittebatur peccatorum omnium ad aurem Sacerdotis diſtincta confeſſio.n.5. p.29
Baptizandi denudabantur & inungebantur in tribus corporis partibus ante baptiſmum.n.6.ibid.
Baptizandi ritus antiquiſſimus erat per trinam immerſionem.n.7. ibid.
Baptiſmo ſolemni duo alia ut plurimùm Sacramenta jungebantur, Euchariſtia, & Confirmatio.n.8. p.29
Et lactis ac mellis deguſtatio, & veſtis candida.n.9. ibid.
Epiſcopus linteo ſuccinctus baptizandorum pedes abluebat in Eccleſia Mediolanenſi: quæ cæremonia fuit abrogata in Concilio Illiberitano. num.10. p.29
de Baptiſmo ab Hæreticis collato iterum graviſſimum in Eccleſia diſſidium.n.8. p.58
Iterumque Sedente Romæ Stephano.n.7. p.61
De eadem re varia Concilia celebrata.num.1.& ſeqq. p.65
Baptiſmum ab Hæreticis collatum non probabat Cyprianus.n.1. p.65
Et ſimiliter Dionyſius Alexandrinus, & Firmilianus Cæſareenſis, qui tamen hunc errorem brevi agnoverunt & abjurarunt.n.1.ibid.& p.66
Baptiſmum ab hæreticis collatum, dummodo tres Perſonas enuntient eo modo quo Chriſtus inſtituit, ratum validúmque decrevit Stephanus Papa.n.3. ibid.
Baptiſmum hæreticorum, poſt decretum Stephani, & deciſiones Arelatenſis, & Nicæni Concilij, magni Eccleſiæ Doctores (quod mirum eſt) in dubium revocarunt, ut Baſilius, & Athanaſius, n.5.& 6. p.66
Baptiſmum in tempus ægritudinis differens à Sacerdotio excluditur.n.5. p.97
Baptiſmus Novatianorum cur non reprobatus fuit in Concilio Nicæno, ſicut fuit Pauliniſtarum ratio redditur.n.7. p.67
Baptiſmus Marcionis hæretici, Valentini, Arrij, & Eunomij approbatur ab Auguſtino.n.8. ibid.
Tertullianus in eodem errore fuit, quòd non valeret baptiſmus hæreticorum.n.9. ibid.



Digitized by Google

Baptiſmus à non baptizato collatus, etiam judæo & pagano, modo intendat exequi quod intendit Eccleſia, validus eſt.n.10. p.67. & ex capitul.Caroli Magni lib. 5. c.6. p.527
Baptiſmus à quo, & quando Conſtantino Magno collatus. n.2.3.& ſeqq. p.124
Baptiſmus Paulianiſtarum reprobatur, & converſi rebaptizantur: & quæ fuerit illorum hæreſis. num.6. p.118
Baptiſmus Græcorũ quo ritu perficiatur.col.1.p.177
Baptiſmus, in dubio an quis ſit baptizatus, conferri debet.n.3. p.179
Baptiſmus quo tẽpore adminiſtrandus.col.1. p.171
Baptiſmus quo ritu celebratus in Eccleſiis Hiſpaniæ.n.1. p.281
Baptiſmus certis diebus feſtis dumtaxat conferebatur, ut latè exponitur.n.4. p.355
Baptiſmi formam parochianos ſuos docere debent Parochi, ut in caſu neceſſitatis baptizare poſſint.Can.1. p.459
Baptiſmus infantium.col.1.initio. p.630
Et quod ſuſceptores teneantur docere rudimenta Fidei prolem in baptiſmo ſuſceptam. n.2.p.631
Monachus, vel Monialis prohibentur eſſe ſuſceptores.n.3. ibid.
Nomina paganorum in baptiſmo imponi non debent. ibid.
Inquirat Parochus an infans fuerit baptizatus domi. cap.9. p.632
Baptiſmus extra neceſſitatem domi non conferatur.col.2. p.641
Suſceptores quales adhibendi, vel repellendi. n.3.p.632.& col.2. p.641

*Baptiſterium.*

Baptiſteria extra Eccleſiã erant cõſtructa.n.18.p.41
Baptiſterium Conſtantini juxta Baſilicam Lateranenſem. ibid.
Columbæ in Baptiſteriis collocatæ in quibus Sacra Euchariſtia ſervabatur ad communicandos recens baptizatos.n.15. ibid.

*Baſileenſe Concilium.*

Baſilea eſt civitas Galliæ Belgicæ apud Rauracos in confinio Helvetiorum & Alſaciæ ad fluenta Rheni.n.18.p.513.& n.1. p.531
Baſileenſe Concilium generale à Martino V. indictum, ab Eugenio IV.fuit convocatum anno 1431. ibid.
Ab initio fuit legitimum, poſtmodum jura ſibi uſurpans adverſus authoritatem Pontificis, pernicioſi ſchiſmatis ſemina jactavit. ibid.
Juſtis de cauſis tranſlatum eſt Ferrariam. n. 2. ibid.& n.4.p.532.& n.18. p.513
De unitate Eccleſiæ conſervanda ex doctrina S. Cypriani.n.3. p.531.& 532
Cõcilium iſtud duravit annos octodecim.n.4.p.532
In primis ſeſſionibus magna contentione actum eſt de poteſtate Concilij & Pontificis. ibid.
Sigiſmundi Romanorum Regis interventu pace reſtituta ferè per quadriennium, multa ſalubria conſtituta ſunt:ſed poſtea pervicaces quidam deficientes ab Eugenio, ſchiſma induxerunt.ibid.
*Seſſ.* 15. ſtatuitur ut ſingulis annis Synodus ab Epiſcopo in ſua diœceſi convocetur. n.5 p.532.
Item,ut beneficia Eccleſiaſtica dignis & abſque ulla ſimonia conferantur.n.6. ibid.
Item, Ne bona Eccleſiaſtica ad uſus illicitos convertantur.n.7. ibid.
Item de corrigendis exceſſibus, & moribus, per Epiſcopos,& diſcordiis conciliandis.n.8. ibid.
Item, de Capitulis à Regularibus celebrandis ſtatutis temporibus.n.9. ibid.
*Seſſ.* 19. Editum eſt decretum de his qui volunt ad Fidem converti, quod refertur.n.10. p.533
*Seſſ.*20. Procuſum eſt decretum adverſus concubinarios.n.11.& 12. ibid.
Item, de Excommunicatis aliquo modo non evitandis.n.13. p.534
Item, de Interdictis non leviter ponendis.n 14. p.535
Item, de frivolis appellationibus non recipiendis.n.15. ibid.
Quæ decreta etſi reformationi Eccleſiaſticæ conducibilia, nulla tamen legitima authoritate fulciuntur.n.16. ibid.
*Seſſ.* 39. Baſileenſes in Schiſma incidunt, dum eligunt Pſeudo-pontificem Amedeum,& deponunt Eugenium.n.16. p.535
Baſileenſes Patres operam adhibuerunt in reducendis Boëmis & Moravis ad unionem Eccleſiæ,ſub certis cõditionibus hinc inde propoſitis & certo modo conceſſis,quibus inita eſt concordia anno 1433.ut traditur n.1.& ſeqq. p.536
Quædam per Concilium decreta in rebus beneficiariis, & diſpenſationibus Nicolaus V. anno 1449.confirmavit.n.10. p.538
Quæ fuerint cauſæ tranſlationis Concilij à Baſilea civitate in Ferrariam.n.1.p.531.n.4.p.532.& n.1.p.538.& n.28. p.513
Baſileenſes invitantur accedere ad Concilium in civitate Ferrarienſi congregatum.n.5. p.539
Rogati & diutius expectati cùm non venirent, cognita ipſorum pertinacia Græci conſenſerunt, ut res ob quam venerant gereretur:atque ita factum eſt.n.6. ibid.
Nullo jure Eugenij depoſitionem attentarunt. num.28. p.513
Ab omnibus ea de cauſa ferè deſtituuntur, & Concilium ab initio legitimum,in Conventiculum ſimplicium Sacerdotum aſſumptorum deſinit.n.28 & 29. ibid.
Ipſis nihilominus invitatis,& fruſtra expectatis, decretum eſt in prima ſeſſione Ferrarienſi tranſlationem eſſe legitimam, ipſiſque pertinaciter accedere renitentibus Concilium Ferrarienſe peragendum.n.19.p.513.& n.6. p.539
Baſileenſium facinus in exauthorando Eugenio, & creando Antipapam improbatur ex parte Caroli VII. Francorum Regis, & Friderici Imperatoris, qui in obedientia Eugenij remanſerunt. num.14. p.515
Imò Amedeus ipſe ultro dignitate illa ſe abdicavit,& Nicolao V.Eugenij ſucceſſori ſe ſubjecit. ibid.

*Begardi, & Beguinæ.*

Begardorum & Beguinarum ſecta in Germania. num.1. p.490
Eorum impia dogmata referuntur. ibid.
Damnantur in Concilio Viennenſi.n.3. ibid.
Vid.*Viennenſe Concilium.*

*Bellum.*

Bellum Parthicum ſub Lucio Vero.n.8. p.21
Bellum Marcomanicũ ſub Marco Aurelio.n.9.ibid.
Precibus Chriſtianorum exercitus Romanus fuit liberatus, ibid.
Chriſtianorũ Legio appellata Fulminatrix.ibid.
Ea de cauſa perſecutio tantillùm quievit. ibid.
Bellum Conſtantini adverſus Licinium fœdifragum Chriſtianos vexantem.n.6. p.84

Bellum

Bellum Civile Alborum, & Nigrorum in Italia. num.6. p.480

Bellum Anglofrancicum exarſit ſeculo decimoquarto.n.15. p.483

Bellum inter Helvetios Orthodoxos & hæreticos. num.19.& 20. p.559

*Beneficium.*

Beneficiorum pluralitas prohibetur. numero 13. pag.309. num.4.p.359. n.8.p.387. n.25.p.435. & can.14. p.415. alibíque ſæpiùs paſſim.

Beneficiariorum à præbendatis diſtinctio tàm in Monaſterijs, quàm in Eccleſijs ſecularibus. num.11. p.330

Beneficia Eccleſiaſtica jure hæreditario non relinquenda, vel accipienda. can.5.p.401. can.16. p.404. & col.2. p.641

Sine diminutione conferri debent. n.2. p.410

Beneficia an & quando dividi poſſint, n.2. ibid.

Beneficia dignis & idoneis conferenda. can.30. p.435. & num.6.p.532. & can.14.p.546. & n.6. p.569. Super pluralitate beneficiorum interdum diſpenſatur per Sedem Apoſtolicam circa ſublimes perſonas. n.25.p.435. & n.73. p.601. & n.74.p.602.

Beneficium prius vacat per adeptionem ſecundi incompatibilis, nec datur optio impetranti. ibid.

Beneficium non debet impetrari, nec conferri, priuſquàm vacet. can.7. p.414

Beneficia non ſunt dividenda. n.4. p.461

Beneficiorum ædificia ſarta tecta ſerventur.can.18. p.462

Ad beneficium curatum aſſumendus eſt idoneus ætate, moribus, & ſcientia. n.4. p.467

Beneficia quædam reſervata in Curia Romana. can.21. p.469

Quædam ſunt incompatibilia, quæ ab uno abſque diſpenſatione Pontificis poſſideri non poſſunt. can.18.p.468. & can.4. p.487.

Quædam ſunt commendata. can.31.p.463. & can.14. p.468

Beneficiorum jam poſſeſſorum mentionem facere debet qui novum impetrat. n.6. p.490

Novi beneficij impetratio non facta mentione aliorum quæ impetrans poſſidet, niſi Pontifex motu proprio novum conferat. n.10. p.491

Beneficiorum ſtipendijs quomodo Clerici uti debeant. n.6. p.546

Beneficiorum pluralitas prohibetur.num.17.p.573. & n.73.& 74. p.601, ubi latè.

Beneficia Regularia Regularibus ejuſdem Ordinis conferenda. can.10. p.592

Beneficiorum unio Epiſcopis permiſſa. num.42. p.593

Beneficia non conferantur niſi habentibus ætatem legitimam. n.43. & 44. ibid.

Beneficia curata conferantur dignioribus per concurſum. n.75. p.602

Pacta Acceſſus & Regreſſus ad Beneficia prohibentur. n.87. p.606

Beneficia curata non convertantur in ſimplicia contra primam illorum inſtitutionem. num.90. p.607. & col.2. p.641

Beneficiorum collationem canonicam, per electionem, poſtulationem, vel præſentationem impedientes, excommunicantur. can.15. p.496

Intruſi in beneficio, ipſo jure ſunt privati. n.4. p.497. Et de jurejurando à Beneficiato præſtando. col.2. p.648

Beneficiarij manſionarij. col.2. p.646

Beneficiorum collationem recuſans, cauſam recuſationis ſcripto exhibere debet. col.2. p.648

de Beneficijs. n.9. p.646

*Berengarius.*

Berengarius impiam adverſus adorandum Euchariſtiæ Sacramentum hæreſim fabricavit, num.4. p.370

Inconſtans pluries damnatus, & relapſus, tandem in Catholica profeſſione obijt anno 1088. ibid.

Fuit Archidiaconus Eccleſiæ Andegavenſis. ibid. & num.1. p.380

Ejus impium dogma damnavit Leo IX. in Synodo Romana, & citatus fuit ad futurum Vercellenſe Concilium, in quo iterum damnatur. ibid. & n.3. p.381

In Normanniam conceſſit, ubi tentat Ducem corrumpere, & à viris doctis confunditur. n.2. p.381

Iterum in Synodo Pariſienſi anno 1050. convocata ſub Henrico Rege, Berengarij ejuſque ſectarij anathematizantur, & manu militari conquiruntur, n.4. ibid.

Concilium Turonenſe indicitur, in quo hæreſim abjurat, & ſtatim relabitur: fingit iterum reſipiſcere, & ad vomitum redit; tandemque nonagenarius in unione Catholica interijt. n.5. p.381

*S. Bernardus.*

S.Bernardus Abbas Claravallenſis vocatur ad Synodum Stampis congregatam, in qua graviter Innocentij cauſam & partes ſuſtinet adverſus Schiſmaticos, n.8. p.391

Et poſtea in Claromontana, ibid. & n.9. p.392

Imperatorem Lotharium adducit in partes Innocentij. n.10. ibid.

Sacram expeditionem urget in Palæſtinam, approbante Eugenio Pontifice. n.13. p.393. & n.4. p.426

Scripſit objurgatoriam epiſtolam ad Romanos rebelles Pontifici. n.14. p.394

Ciſtercienſium Ordinem mirificè propagavit & decoravit. n.12. p.396

Multa ſcripſit mira devotione,& eruditione, atque ſtyli jucunditate eximia. n.23. p.397

*Bituricenſe Concilium.*

Bituricenſe Concilium ſub Rom. Pontifice Ioanne XVIII. regnante Henrico I. anno 1031. celebratum. n.1. p.377

*Can.*1. Apoſtolatus honor S.Martiali Aquitaniæ Doctori tribuitur. n.2. ibid.

*Can.*2. Ut Corpus Domini non plus ſervetur quàm à Dominica in alteram. ibid. p.378

*Can.*3. De ſimonia pro collatione Ordinum prohibita.n.3. ibid.

*Can.*4. Ut Archidiaconatum nullus habeat niſi Diaconus efficiatur. ibid.

*Can.*6. Ut Subdiaconus à matrimonio arceatur. n.4. ibid.

*Can.*7. De tonſura Eccleſiaſtica. p.378

*Can.*8. De filijs Presbyterorum ad Clericatum non promovendis. n.5. ibid.

*Can.*9. De ſervis non ordinandis, ibid.

*Can.*11. De irregularitatibus ordinandorum declarandis Epiſcopo ſub pœna excommunicationis. n.6. ibid.

*Can.*12. Nihil exigendum pro Baptiſmo conferendo, neque pro Pœnitentia, neque pro ſepultura, niſi quod ſponte offertur. p.379

*Can.*13. De cereis, & alijs oblationibus à Preſbyteris tanquam proprijs retinendis. ibid.
Bituricenſe Concilium anni 1585. n.1. p.639
*Tit. de adorando Deo.* Adoratio perfecta quæ dicatur. ibid.
*Tit.*6. *de invocatione Sanctorum.* Prophana & minùs religioſa facta laïcis prohibentur diebus feſtis, & Sanctos quorum memoriam colunt per bona opera imitentur. p.640
*Tit.*9. Ne pauperes per Eccleſiam vagentur ſtipis quærendæ causâ, ſed in foribus eleemoſynam expectent. ibid.
*Tit.*10. Reliquiæ ſacræ non oſtendantur extra capſam. ibid.
*Tit.*16. *de Cœmeterijs.* Cœmeteria per Epiſcopos benedicantur, & à prophanis locis diſcernantur. ibid.
De reductione Anniverſariorum ab Epiſcopo facienda, quando celebrari non poſſunt abſque diminutione divini Officij. n.2. p.640
Qua ratione ſepulchra erigi debeant. n.3. ibid.
*Tit.*25. *de Clericis.* De vita & honeſtate Clericorum. n.4. & 5. ibid.
*Tit. de Sacerdotibus.* Sacerdotes mundo & pompis ejus abrenuntient, totique Deo vacent. ibid.
Peregrini abſque literis ſui Epiſcopi ad divina celebranda non admittantur. p.641
*Tit. de Canonicis.* Quomodo Epiſcopus Canonicis providere debeat, quando reditus non eſt ſufficiens. ibid.
*Tit. de Rectoribus Eccleſiarum Parochialium.* Ut Eccleſiæ Parochiales idoneis committantur. ib.
De Vicarijs Parochorum ſeu Rectorum Eccleſiarum Parochialium. n.6. ibid.
Parocho domus conſtrui debet expenſis parochianorum. ibid.
*Tit. de Beneficijs.* Ut beneficia curata in ſimplicia non convertantur. p.641
Ne beneficia conſanguineis cedantur ratione conſanguinitatis & veluti jure hæreditario. ibid.
*Tit. de Monaſterijs.* Duplex vitæ Religioſæ genus Anachoreticæ, & Cœnobiticæ. num.7. ibid.
Religioſi nihil ſibi proprium poſſideant, nec ſine licentia & habitu à Monaſterio diſcedant. ibid.
Debent celebrare feſta Diœceſis ſuæ. ibid.
Solus Abbas, aut ejus Vicarius, poteſt admittere Novitios. ibid.
Ad ſua Monaſteria moniti redeant ſub pœna excommunicationis. num.8. p.642
*Tit. de Confraternitatibus.* Quæ Confraternitates ſint probatæ. num.9. ibid.

*Bracarenſe Concilium.*

Bracara in Hiſpania Metropolis eſt Galliciæ Provinciæ. num.1. p.268
Concilium Bracarenſe adverſus Priſcilliani errores ann.563. celebratum. ibid.
*Can.*3. Ut tam Epiſcopi, quam Presbyteri populum uno modo ſalutent dicentes, *Dominus vobiſcum.* col.2. ibid.
*Can.*6. Ut ſervato Metropolitani primatu, cæteri Epiſcopi ſecundum tempus ſuæ Ordinationis ſedeant. ibid.
*Can.*16. Ut qui ſibi violentas manus inferunt, excommunicati declarentur & priventur ſepultura & ſuffragijs Eccleſiæ. ibid.
*Can.*17. De Catechumenis ſine Baptiſmo defunctis. n.2. ibid.
*Can.*18. Ne corpora defunctorum in ipſa Eccleſiæ Baſilica ſepeliantur. n.3. p.268
*Can.*19. De Oblationibus Fidelium inter Clericos diſtribuendis. n.4. p.269
Concilium Bracarenſe tertium ann.572. num.1. p.270
*Can.*5. De Eccleſia ſeu Baſilica ſine dote non conſecranda. n.2. ibid.
Concilium Bracarenſe quartum anni 675. in quo multi errores emendati, & pravæ conſuetudines repreſſæ ſunt, quæ enuntiantur. num.1. p.291
*Can.*2. In Miſſæ ſacrificio vinum aqua modica permixtum offerendum & conſecrandum. ibid.
*Can.*4. Sacerdotes dum ſacrificant, vel Sacramentum Corporis Chriſti ſumunt, Orarium utroque humero circumpoſitum geſtare debent. num.2. ibid.
*Can.*5. Ne Clerici cum fœminis cohabitent, ſola matre excepta. num.3. ibid.
*Can.*6. De ſacris Sanctorum Reliquijs cum humilitate & veneratione in proceſſionibus deferendis. n.4. p.292

*Budenſe Concilium.*

Budenſe Concilium ſub Nicolao III. Pontifice, & Ladiſlao Rege Hungariæ in Caſtro Budenſi anno 1279. celebratum. n.1. p.474
*Can.*1. Prælati moribus, vita, habitu, & converſatione, ſubditis bono exemplo eſſe debent. ibid.
*Can.*2. De cappis & mantellis Prælatorum. n.2. ibid.
*Can.*3. Ne quid auri vel argenti in ſuis indumentis Prælati gerant. p.475
*Can.*4. Clericis præterquam Prælatis uſus annulorum interdicitur. n.3. ibid.
*Can.*5. Tabernarum ingreſſus Clericis prohibetur. ibid.
*Can.*7. Ne Clerici bellicis actibus aliiſque ſævis ſe immiſceant. n.5. ibid.
*Can.*8. Et ab Officijs & negotijs ſecularibus abſtineant. ibid.
*Can.*9. Item à judicio ſanguinis, ab uſu Chirurgiæ quæ uſtionem vel ſectionem inducit, & à purgatione vulgari ferri candentis, &c. ibid.
*Can.*11. Item ab uſu armorum niſi manifeſti timoris cauſa. p.475
*Can.*21. Ut Chriſma, Oleum ſanctum, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia ſerventur. ibid.
*Can.*32. Ne quis incognitus ad miniſtrandum in ſacris Ordinibus abſque literis ſui Epiſcopi admittatur. ibid.
*Can.*41. Ne ſupellectilia prophana in Eccleſijs reponantur, niſi propter hoſtiles incurſus. p.476
*Can.*43. Ut Eccleſiæ poſt celebratum divinum Officium diligenter claudantur; & ne quid prophani in illis agatur. ibid.
*Can.*44. Ne Monachi, & Canonici Regulares extra Monaſterium vagentur ſine neceſſitate vel licentia Prælatorum, nec cum licentia ſine ſocio. n.6. ibid.

*Burdigalenſe Concilium.*

Burdigalenſe Concilium anno 1583. convocatum ad ſtabilienda ea quæ in Tridentina Synodo ſancita fuerunt. n.1. p.635
*Tit. de Sacramento Ordinis.* Ut ad Ordines promovendi ſeriò examinentur: & quæ in hoc examine

mine præcipuè obſervari debeant. num.1. & 2. ibid.
Epiſcopi nihil penitus accipiant pro collatione Ordinum, & quid de Scriba ſive Secretario. ibid.
*Tit.*18. *de Parochis.* Varia de officio Parochorum decreta referuntur, ut plebem in rebus Fidei inſtruant; vitia redarguant, inimicos ad concordiam revocent, de pauperibus inquirant, præſertim de puellis nubilibus, orphanis, ægrotis, alijſque miſerabilibus, & eis ſubveniri procurent. ibid. & p.636
Vt ſingulis annis quatuor libros ſive Indices conficiant, de Baptiſmo, de Communione, de Matrimonio, & de Obitu ſuorum parochianorum. p.636
Qua ratione per unionem, vel primitiarum aſſignationem Parochiali Eccleſiæ paupertate laboranti ſuccurratur. ibid.
*Tit. de Verbi divini prædicatione.* De Concionatoribus ab Epiſcopo eligendis, & de alimentis ſeu eleemoſynis eiſdem præſtandis. ibid.
De officio Concionatorum, & à quibus abſtinere debeant in ſuis concionibus. ibid.
*Tit. de Vſuris, & illicitis contractibus.* Decernitur quod mutuum debet eſſe gratuitum, & prohibetur aliquid ultra ſortem exigi, niſi in caſibus à jure permiſſis. n.3. p.637
Varij contractus referuntur in quibus vel uſura, vel injuſtitia committitur, ideoque in hoc Concilio prohibentur. ibid.
Burdigalenſe Concilium anni 1624. n.1. p.654
*Tit.*9. *de Dimiſſor. lit.* Epiſcopi ſubditos ſuos ipſimet ordinare ſatagant, nec niſi probatos & examinatos ad alios Antiſtites dimittant ordinandos. ibid.
Ne incapaces & indigni, reſcripti aut privilegij prætextu, à quoquam Epiſcopo ordinentur. ibid.
Ne Capitula Cathedralium Dimiſſorias concedant Sede vacante, niſi poſt annum. num.2. p.655
*Tit.*22. *de Concilio Provinciali.* Vt Epiſcopi ſtatis diebus Concilio adſint, ſub pœnis ſacris Canonibus indictis. n.4. ibid.

*Byſantium.*

*Byſantium*, ſedes Imperij Orientis. n.1. p.161

C

*Cabilonenſe Concilium.*

Dvæ civitates in Gallia vulgari & communi nomine *Chalons* nuncupatæ; Latinè tamen altera Catalaunum, altera Cabilo dicitur. num.1. p.285
Cabilonenſe Concilium anno 550. celebratum fuit ſub Clodovæo ſecundo Francorum Rege, ſedente Martino Pontifice Rom. ibid.
*Can.*4. Ne in una Civitate duo ordinentur Epiſcopi. num.2. p.286
*Can.*5. Ne res Parochiarum laïcis regendæ committantur. n.3. ibid.
*Can.*6. Ne quis res Eccleſiæ invadere ſeu occupare præſumat. n.4. ibid.
*Can.*7. Defuncto Presbytero, vel Abbate, nihil de rebus Parochiæ, vel Monaſterij ab Epiſcopo vel alio auferatur, aut minuatur. n.5. ibid.
*Can.* 8. De Pœnitentiæ neceſſitate. num. 6. p.286
*Can.*9. De mancipijs Chriſtianis ab infidelibus redimendis. n.7. p.287
*Can.*11. Ne Iudices ſæculares Parochias aut Monaſteria viſitare præſumant: quod officium proprium eſt Epiſcoporum. n.8. ibid.
Ne Clerici cogantur coram Iudicibus ſæcularibus cauſam dicere, ſed Epiſcopos judices competentes adeant. ibid. & num.9. & 10. & 11. p.288
*Can.*12. Abbates duo in uno Monaſterio conſtitui non debent. n.12. p.289
*Can.*13. Vt nullus Epiſcopus alterius Clericum retinere præſumat, vel ordinare abſque Epiſcopi proprij voluntate. n.13. ibid.
*Can.*15. Ne Abbates & Monachi patrocinio ſæcularium utantur. ibid.
*Can.*16. Vt nullus Epiſcopus, Abbas, vel Clericus ad ſacrum Ordinem per præmium accedat. num.14. ibid.
*Can.*20. Degradatio quorundam Epiſcoporum. ibid.
Concilium Cabilonenſe II. anno 813. celebratum ſub Carolo Magno. n.1. p.337
*Can.*1. de officio Epiſcoporum, ut legant ſacras Scripturas, & Canones SS.Patrum, & librum Gregorij Papæ de Cura Paſtorali, & verbum Dei prædicent. ibid.
*Can.*3. Vt Scholas in ſuis Diœceſibus inſtituant. num.2. ibid.
*Can.*6. De avaritia Clericorum ſuadentium abrenuntiantibus ſæculo ut res ſuas Eccleſiæ transferant. ibid.
*Can.*8. Vt Sacerdotes de ſuis reditibus aſſervatis pauperibus ſubveniant. p.338
*Can.*9. Decimæ ubi ſint ſolvendæ. ibid.
*Can.*20. De pace & unitate Fidelium. ibid.
*Can.*21. Vt Magiſtratus juſtè judicent ſine perſonarum acceptione. ibid.
*Can.*46. De ſacra Communione devotè frequentanda. p.338
*Can.*49. In quibus locis Miſſarum ſolemnia celebrari debeant. ibid.
*Can.*61. De colloquio Monialium cum ſæcularibus in auditorio Monaſterij. n.4. p.338

*Cæſarauguſtanum Concilium.*

Habitum fuit ſub Damaſo Pontifice ann.381. ad explorandos Priſcilliani errores. n.2. p.166
*Can.*3. Euchariſtiæ gratiam acceptam in Eccleſia non conſumens anathemati ſubjicitur. n.3. ibid.
*Can.*5. De excommunicatis à ſuo Epiſcopo, ab alijs non recipiendis. n.4. ibid.
*Can.*7. Ne quis Doctoris nomen ſibi imponat. ibid.
*Can.*8. De ætate Virginum velandarum. ibid.

*Calvinus.*

Calvinus Novioduno oriundus Genevam ſe recepit. n.15. p.557
Joannem Knoxum Scotum Presbyterum Monachum apoſtatam ad ſe confugientem ſocium adjunxit, & totam Scotiam turbationibus & impijs dogmatibus infeſtavit. n.17. p.558
Deinde Galliam, n.27. p.561
Per ambitionem cujuſdam Cyrilli Græci in Orientem furtim irrepſerat, poſt cujus mortem congregato Conſtantinopoli Concilio impia Calvini dogmata damnata fuerunt: ut per plures articulos traditur à n.1. & ſeqq. p.656

*Cameracenſe*

*Cameracenſe.*

Cameracenſe Concilium anno 1565. fuit celebratum. n.1. p.618

*Tit.5. cap.4.* Paſtores Eccleſiarum non ferant quemquam concionari ſine mandato Ordinarij. col.2. ibid.

*Tit.7.cap.5.* De rejecto ab Ordinario non admittendo facilè ad beneficium Eccleſiaſticum per Superiorem qui inquirere debet de cauſis rejectionis. ibid.

*Cap.6.* De Vicarijs perpetuis ab Ordinario inſtituendis, neque à Capitulis, vel Abbatibus ſine ejus conſenſu deſtituendis. n.2. p.618

*Cap.8.* De Vicarijs ſeu ſecundarijs Parochorum ab Ordinario approbandis. ibid.

*Tit.18.cap.13.* De puellis à Monialibus piè & catholicè inſtituendis. p.619

*Tit.20.cap.3.&* 4. De ſacris Imaginibus Chriſtiano ritu colendis. ibid.

*Cap.5.* Miracula nullam authoritatem habeant ſine judicio Eccleſiæ. n.3. ibid.

*Tit.22.* De Indulgentijs, & poteſtate clavium. ibid.

*Canon.*

Canones Apoſtolorum quam habeant authoritatem. p.7

In Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, multa quidem utilia, ſed alia quoque fictitia, depravata, & apocrypha reperiuntur. n.5. p.8

Canones 45. 46. & 67. de baptizatis ab hæreticis denuò baptizandis, fictitij ſunt. n.1. ibid.

Canones Apoſtolorum nomine inſcripti ab antiquis Græcis allegati, referuntur ad traditiones & ſanctiones quaſdam Apoſtolicas, non verò ad collectionem quæ vulgò præfertur Canonum Apoſtolorum. n.2. & 3. p.8

Quid de quinquaginta à Dionyſio exiguo collectis? n.4. & 5. ibid.

Canonum Eccleſiaſticorum collectionem habuerunt Franci ſub prima Regum ſuorum progenie. n.6. ibid.

*Canon* 5 Statuens pœnam depoſitionis in Epiſcopum, qui Religionis prætextu ſuam dimiſerit uxorem, ab hæreticis & ſchiſmaticis confictus videtur. n.7. p.9

*Canones SS. Apoſtolorum* per Clementem à Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopum, in unum congeſti referuntur. ibid. p.9

*Canones celebres decem* de Gratia, liberóque arbitrio, à Dionyſio Abbate ex ſcrinijs Eccleſiæ Romanæ collecti: de quibus præfatio exhibetur. n.1. p.201

I. Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quiſquam niſi gratiâ Chriſti ſalvatur. n.2. ibid.

II. Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus,niſi participatione ejus qui ſolus eſt bonus. n.3. ibid.

III. Quòd niſi gratiâ Dei continuâ juvemur, inſidias diaboli ſuperare nõ poſſumus.n.4.p.202

IV. Quòd per Chriſtum libero bene utimur arbitrio. n.5. ibid.

V. Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei. n.6. ibid.

VI. Quòd omnis ſancta cogitatio,& motus piæ voluntatis ex Deo ſit. n.7. p.203

VII. Quòd gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam adjuvet ne committantur, & præſtet ut lex impleatur: non ſicut ait Pelagius, facilè, quaſi ſine gratia difficilius poſſit impleri. num.8. ibid.

VIII. Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, quâ genus humanum reparatur. num.9. p.203

IX. Quòd gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis & exſufflationibus ſpiritus ab eis abiguntur immundi. n.10. ibid.

X. Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitùs aſſerendæ. num.11. p.204

*Canones Vermerienſis Concilij* præſente Pipino Francorum Rege, ann.752. de impedimentis matrimonij ratione cognationis, vel affinitatis, vel adulterij cum homicidio conjuncti.n.1.& 2. p.311. & n.2. & 3. p.313

*Can.2.* Si quis cogente neceſſitate in aliam Provinciam fugerit, uxor ejus vel eum ſequatur, vel innupta remaneat. n.3. ibid.

Et utrùm vir aliam uxorem vivente prima ducere poſſit. ibid.

*Canones Concilij Compendienſis* ſub eodem Pepino, an.757. n.4. de impedimento affinitatis ſupervenientis. p.311.& 313

*Can.7.* Maritus, cujus uxor à fratre ipſius mariti vitiata eſt, dimiſſa uxore aliam ducere poterat. num.4. ibid.

*Can.13.* Similiter ſi uxor Religionem profiteatur. ibid.

*Can.16.* Leproſus poteſt dare licentiam uxori ſanæ ut alteri nubat: & viciſſim, mulier leproſa viro ſano. n.5. p.311

*Canones Gregorij III. Papæ*, de pœnitentia delictorum. num.9. p.312

*Can.6.* Qui videns mulierem concupiverit eam, ſi non ſequutus ſit effectus, manifeſtum eſt per divinam gratiam fuiſſe liberatum, neque pro tactu vel oſculo damnandum. ibid.

*Canones novos* identidem Eccleſiæ promulgavit quibus priorum ſæculorum Canonibus circa diſciplinam Eccleſiaſticam derogatum eſt. n.3. p.314

Ex quibus evincitur non eſſe explodendam opinionis probabilis doctrinam. ibid.

Canon Regulam ſignificat. n.10. p.153

*Canonici.*

Canonici unde ſic denominantur. n.10. p.153

De nomine Canonis plura. ibid. & p.154

Habentes jus nominandi Parochos qui eis ſubſunt accedente inſtitutione Epiſcopi. col.1. p.290

Canonici, & Capitula tam Cathedralium quàm Collegiatarum Eccleſiarum, & tam Regularia quàm ſecularia, ſubjacent juriſdictioni & viſitationi Epiſcopi. n.5. & ſeqq. p.331

Nihil agant ſine licentia Epiſcopi. n.3. p.331. & n.2. p.333

Canonici olim vel in Epiſcopio, vel in ædibus illi contiguis in communi vivebant, & ſacram lectionem ſingulis diebus manè, & ad menſam audiebant. n.2. 3. & 4. ibid.

De Canonicorum delinquentium correctione, vel ab Epiſcopo, vel à Capitulo. Can.7.p.429. & can.8. p.430

Canonici ſint aſſidui omnibus Horis Canonicis, & devotè Officium recitent. Can.4. p.528. & n.2.p.527. & n.2.p.548.& n.7.p.645. & Tit.34. p.650

Celebrantes tempore divini Officij pro præſentibus

tibus in Choro habentur. num.2. p.626
Canonici præſertim Cathedralium Eccleſiarum ſingulari ſint morum integritate ordinati. n.9. p.630
Canonicis non habentibus ſufficientem redditum qua ratione provideatur. col.1. p.641
Canonici abſentes non lucrantur diſtributiones, num.7. p.645
De Canonicorum Coadjutoribus repellendis à futura ſucceſſione in Canonicatu. n.8, p.646
An aliquid à Canonicis exigi poſſit ex laudabili conſuetudine in receptione. tit.33. p.650
Canonici interſint concionibus quæ habentur in eorum Eccleſijs, præſertim tempore Quadrageſimæ. Tit.44. p.650

*Cantores, Cantus.*

Cantores nulli in Eccleſia præter Canonicos qui ſuggeſtum aſcendunt. n.10. p.153
De Cantoribus & Pſalmiſtis ibid. remiſſivè.
Cantores, Canonici vocabantur. ibid.
Cantores matrimonium contrahere poſſunt, non tamen cum Judæis, vel hæreticis. can.14. p.221
Cantus & turpis Muſica in Organis, Campanulis, & alijs modis in Eccleſia prohibetur. cap.10. p.627

*Capellæ.*

Capellas ſive Oratoria ædificare non licet ſine venia Epiſcopi illius loci. n.13. p.284
De privatis Oratorijs ſeu Capellis extra Eccleſiam non erigendis. col.1. in fin. p.594
In privatis domibus ſacra non ſunt celebranda. num.29. p.158
De Capellis Monachorum. col.1. p.464

*Capetus.*

Capetiorum Regiæ familiæ origo. n.17. & 18. p.364
Capetus Regnum Franciæ occupat, rejecto Carolo Ludovici Transmarini filio Lotharingiæ Duce, cui jure ſucceſſionis Sceptrum debebatur. n.20. p.365
Carolum proditione Aſcelini Epiſcopi captum cum uxore turri incluſit in qua Carolus moritur. ibid.
Arnulphum Archiepiſc. Rhemenſem dejecit, & Gerbertum ſubſtituit, qui à Joan. Papa XV. deponitur. Primarias Regni dignitates Regibus formidandas & ſuſpectas abolevit. n.21. p.365
Ut proceres ſibi conciliaret Præfecturas illis cum ſummo jure indulſit. ibid.
Filium Robertum in Regni ſocietatem Magnatum & popularium ſuffragijs aſſumpſit. ibid.
Obijt anno 988. ibid. p.366

*Capitularia.*

Capitularia Caroli Magni. Vid. *Carolus Magnus.*
Capitularia Sancti Ludovici. n.1. & ſeqq. p.458 Vid. *S. Ludovicus.*

*Capitulum.*

Capitulum Senatus Eccleſiaſticus vocatur. n.3. p.53
Ad ſimilitudinem Synedrij veteris legis indutum. n.4. & 5. ibid.
Capituli major pars prævalet. n.4. p.113
Capitula Eccleſiarum tam Cathedralium quàm inferiorum quarumcunque, etiam exemptarum ſubjacent viſitationi & correctioni Epiſcopi. n.5. & ſeqq. p.331
In Capitulo vocem non habeat niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine conſtitutus ſit Canonicus. col.2. ad fin. p.593
Capitula quo tempore congregari debeant. col.1. p.646
Capitula Prælati Regulares ſtatutis temporibus convocare debent. n.9. p.532

*Caracalla Imp.*

Caracalla imperante, deferbuit perſecutio in Chriſtianos ab ejus patre excitata, eámque in ipſos vertit perſecutores. n.3 p.57
Fratrem inter matris brachia trucidavit. ibid.
Papinianum Juriſconſultum, quod fratricidium nollet patrocinari, morti addixit. n.4. ibid.
Alexandrinos ingenti ſtrage afflixit. ibid.
Sub ejus imperio, nobilis diſputatio de Fide habita eſt, in qua hæreſis Montani profligata eſt. num.5. p.58

*Cardinales.*

De Cardinalium Eminentia & dignitate. num.7. p.473
Pars corporis Sum. Pontif. & Orbis judices. ibid.
Eligunt Sum. Pontificem. n.6. & 7. ibid.
Funguntur officio erga Romanum Pontificem, quo Seniores Septuaginta apud Moyſem. n.8. p.474
Univerſalis Eccleſiæ Senatum conſtituunt. ibid.
Cardinalium prima mentio in Concilio Romano ſub Sylveſtro I. num.9. ibid.
Inſigne pilei rubri ipſis datum in Concilio generali Lugdunenſi ſub Innocent. IV. celebrato. num.11. p.457
Cardinalium dignitas prima in Eccleſia poſt Summum Pontificem n.7. p.566. ubi plura de Cardinalibus, & eorum familia, & de votis ipſorum in Conſiſtorio. p.567
Cardinalium domos diripientes tempore electionis novi Pontificis excommunicantur. n.11. p.567
Cardinalium frugalitas, modeſtia, & virtutum omnium exemplum. cap.1. p.605

*Carolus Craſſus.*

Carolus Craſſus Rex Franciæ, Imperij coronam de manibus Joannis Papæ VIII. ſumpſit anno 881. n.6. p.363
A Normannis varijs cladibus afficitur. ibid.
Corpore & animo infirmus, omniſque regiminis incapax agnoſcitur, & ab omnibus tum Francis tum Germanis deſeritur, & utroque excidit Imperio. ibid.
Ab Arnulpho ipſius loco ſuffecto in Germania victum precarium habuit. ibid.

*Carolus Magnus.*

Carolus Magnus Pipino in Regno Franciæ ſuccedit. n.12. p.303. & 304
Longobardorum regnum Romanis Pontificibus infenſum extinxit. ibid.
Paternam beneficentiam erga Romanam Sedem confirmat & magnificè adauget. ibid.
Saxones rebelles per tres & triginta annos perdomuit. n.13. p.304
Varias expeditiones bellicas feliciter geſſit. ibid.
Ipſo præſente Leo III. Pontifex adverſus calumnioſas accuſationes, ambone conſcenſo, medio jurejurando ſe ipſum innocentem profitetur. n.14. ibid.
Die Natali Domini Leo Papa Carolum pijs precibus intentum coronat, claráque voce Imperatorem Romanorum ſalutat & proclamat, omni multitudine applaudente. ibid.
Nicephorus Orientis Imperator aſſentit, & cum ipſo fœdus init, ut ipſe Orientis, Carolus Occidentis Auguſtus proclametur. ibid.
Vittichindo belli Saxonici Duci Chriſtianam Religionem amplectenti, non modo veniam,

ſed & Angrianum Ducatum dedit. ibid.
Saracenos rebellantes in Aquitania expugnavit. ibid.
Sub illo Regnum Francicum ſublimiter evectum. ibid.
Chriſtianam Religionem per totam Europam propagavit. n.15. p.305
Collapſam Eccleſiæ diſciplinam convocatis Synodis reſtituit. ibid.
Carolus magnus Danos rebellantes domuit. n.1. p.318
Leonem Papam in Germaniam proficiſcentem magnificentiſſimè excepit. ibid.
Ejus rogatu, Suvibertus ſolemni ritu publicis SS. Confeſſorum tabulis adſcribitur. ibid.
*Anno* 806. condidit teſtamentum in quo Aquitaniæ regnum Ludovico, Italiam & Alemaniæ partem Pipino, reliquas verò Galliæ, Germaniæque Provincias Carolo majori natu aſſignat. num.2. p.318
*Anno* 802. miſerat Legatos in Orientem ut nuptias cum Irene Imperatrice contraheret, quæ impediuntur Nicephori & Logothetæ perfidia. num.3. ibid.
*Anno* 814. vitâ exceſſit ſolo Ludovico filio ſuperſtite relicto, qui ex aſſe ei ſucceſſit in univerſo Imperio, acceptis à Patre ſanctiſſimis monitis ad morum honeſtatem & Imperij adminiſtrationem. n.5. ibid.
Caroli magni elog. n.15. p.305. & n.5. p.318. & 319
Poſteritas ejus omnis extincta, ann.912. n.24. p.324
Caroli Magni, & Ludovici Pij Capitularia ſelecta, num.3. p.316
*Ex lib.1.cap.*1. Ne excommunicati à proprio Epiſcopo, ab alijs Eccleſiaſticis vel laicis præſumptuosè in communionem recipiantur. ibid.
*Cap.*3. Ne quis ordinetur ab alieno Epiſcopo abſque literis commendatitijs. ibid.
*Cap.*4. Ne Clerici mulieres, præter matrem aut ſororem, in domo ſua recipiant. ibid.
*Cap.*13. De Synodo Provinciali bis ſingulis annis celebrando. ibid.
*Cap.*14. Ne Clerici vel Monachi caupones ingrediantur bibendi cauſa. ibid. p.327
*Cap.*16. Nomina aliorum Angelorum præterquam Michaëlis, Gabrielis, & Raphaëlis, reprobantur. ibid.
*Cap.*19. De ordinatione ſimoniaca prohibita ſub pœna depoſitionis & excommunicationis. ibid.
*Cap.*24. Ne Epiſcopi, vel Clerici, in alias Eccleſias migrent. ibid.
*Cap.*26. Vt nullus abſolutè ordinetur. ibid.
*Cap.*38. Vt nemini liceat alium cogere ad bibendum. ibid.
*Cap.*39. Vt mercatus die Dominico in nullo loco habeatur. ibid.
*Cap.*40. Vt Epiſcopus in Eccleſia ſua Cathedrali reſideat. ibid.
*Cap.*74. De Cantu Eccleſiaſtico. ibid.
*Ex lib.*2.*cap.*46 Vt parentes liberos, & Patrini de ſacro Fonte ſuſceptos in ſancta Religione erudire ſtudeant. p.327
*Ex lib.*4.*cap.*33. De pœna falſæ monetæ. ibid.
*Ex lib.*5.*c.*6. de Baptiſmo à nō baptizato collato. ib.
*Cap.*7. de cognatione ſpirituali ex Confirmationis Sacramento proveniente. ibid.
*Cap.*21. De impedimento matrimonij ſupervenienre. n.4. p.327
*Cap.*28. Clerici in propria diœceſi reſideāt. p.328
*Cap.*179. Ne Clerici arma portare præſumant. num.5. ibid.
*Cap.*315. De dignitate Epiſcoporum, & reverentia ipſis debita. ibid.
*Cap.*389. De præſcriptione 40. annorum contra Eccleſiam. ibid.
*Cap.*390. Ut nullus Epiſcopum apud Judices ſæculares accuſet. ibid.
*Ex lib.*6.*cap.*26. De pœna adulterij. p.328
*Cap.*186. De jejunio quatuor Temporum. ibid.
*Cap.*187. De tribus Quadrageſimis ex conſuetudine ſingulis annis celebratis. n.6. ibid.
*Cap.*303. Epiſcopi apud ſæculares accuſari non debent. p.329
*Ex lib.*7. *cap.*49. Nulli Sacerdoti liceat Canones ignorare. n.7. ibid.
*Cap.*71. Ne Epiſcopi non vocati ordinare præſumant in aliena diœceſi, aliaſve diſpenſationes facere. n 8. p.329
*Cap.*113. Ne Clerici militiam profiteantur propter irregularitatem. n.9. ibid.
*Cap.*124. Ne Clerici ſanguinem humanum effundant. n.10. ibid.
Beneficiati Clerici proprijs ſtipendijs debent eſſe contenti. n.11. p.330
Carolus Magnus ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ quinque Concilia indici procuravit, anno 813. in diverſis locis, ut traditur. p.330

*Carolus Martellus.*

Carolus Martellus Pipini hujus nominis ſecundi filius hoſtes domeſticos ingenti animo ſuperat. num.7. p.302
Saxones, Alemanos, Noricos ſuæ ditioni ſubjicit. ibid.
Eudone fugato Aquitaniam occupat. ibid.
Eudo Mauros ad ſe evocat, quorum perfidiam expertus ad Martellum transfugit. ibid.
Commiſſo prælio, trecenta ſeptuaginta quinque hoſtium millia cæduntur. ibid.
Eudone fatis functo Aquitaniam invadit. ibid.
Saracenos iterum incurſantes delevit, & Avenionem, Narbonem, totámque Occitaniam ab illis detentam in ſuam poteſtatem reduxit. ibid.
Gregorio III. Pontifici terras & opes à Luitprando Longobardorum Rege ereptas reſtitui procuravit. n.8. ibid.
E vivis exceſſit relictis quatuor liberis. ibid.

*Carolus V.*

Carolus V. Philippi I. Hiſpaniarum Regis filius tutelæ Ludovici XII. Francorum Regis commiſſus in teſtamento patris, ob ſingularem ejus æquitatem. n.9. p.553
Maximiliano in Imperio ſucceſſit. n.11. p.554
Carolum Borbonium Franciæ Comeſtabilem à Rege deficientem Exercitibus Italiæ præfecit. ibid.
Franciſcum I. Galliæ Regem apud Ticinum ſuperatum & captum ſub poteſtate ſua habuit. num.12. p.555
Captivum ſuum libertate donavit ſub certis conditionibus quæ occaſionem novi belli præbuerunt. n.13. ibid.
Romam invadit, & conſpiratione Columnenſiū Pontificem Clem VII. obſidet, cogitq; ad deditionem ſub duris conditionibus. n.14. p.556
Memorabilem de hæreticis rebellibus victoriam ad flumen Albin anno 1546. retulit. num.18. p.558

Carolus

*Carolus Simplex.*

Carolus cognomine Simplex inungitur & coronatur Galliæ Rex, ſolus ex Regia ſtirpe ſuperſtes: rejecto Odone Comite Pariſienſi, qui Regis titulum uſurpaverat. n.3. p.360

Normanni bello ſuperati Deiparæ Virginis præſidio, cum illo fœdus ineunt, & abjecto idolorum cultu Chriſtianam Religionem ſuſcipiunt. num.15. p.364

Simplicis cognomen ei obfuit. n.16. ibid.

Quorundam Procerum conſpiratione, ipſo abdicato, alij Reges eliguntur, tandemque ab Heriberto Comite ſpecie conciliandæ pacis in arcta cuſtodia incluſus è vita diſceſſit. ibid.

*Carthaginenſe Concilium I.*

Carthaginenſe Concilium I. Gratus ejuſdem urbis Epiſcopus convocavit ad reparandas ruinas quas Donati Schiſma induxerat in Eccleſia. n.1. p.143

*Can.5.* Statuitur, ne Epiſcopus alienum Clericum ſuſcipiat apud ſe retinendum ſine literis Epiſcopi proprij. n.2. ibid.

Neque alterius plebis hominem ordinare præſumat abſque literis commendatitijs. ibid.

*Can.6.* Prohibetur, ne Clerici negotijs ſæcularibus ſe immiſceant. n.3. p.143

*Can.8.* Interdicit Procuratores, Tutores, negotiorum alienorum geſtores in Clerum ordinari, niſi poſt redditas rationes. ibid.

*Carthaginenſe Concilium III. al. II.*

Concilium iſtud Carthaginenſe, quod alijs *Secundum* dicitur, probatur eſſe *Tertium*, cui præſedit Aurelius ſub Siricio Papa ann. 397. n.1. p.166

*Can.1.* Ut Epiſcopi Africanæ Provinciæ obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi accipiant. n.2. p.167

*Can.2.* De Concilijs Provincialibus ſingulis annis celebrandis propter cauſas Eccleſiaſticas. ib.

*Can.3.* Vt Epiſcopi & alij Clerici ordinādi priùs ſacros Canones cognoſcāt, & addiſcāt. n.3. p.167

*Can.4.* De ætate ad Diaconatum requiſita, & pro Virginibus conſecrandis. n.4. ibid.

*Can.6.* Ne liceat mortuis Baptiſmum, neque Euchariſtiam dare. ibid.

*Can.9.* Ne Clerici ad ſæculare judicium appellent, ſed Eccleſiæ judicio cauſas ſuas ſubmittant. n.5. p.167

*Can.11.* Ut Chriſtiani ſive Clerici, ſive Laïci, à ſpectaculis abſtineant. col.1. p.168

*Can.15.* Ne Clerici negotijs ſæcularibus ſe implicent. n.6. ibid.

*Can.19.* Vt Lectores cùm ad pubertatis annos venerint, uxores ducant, aut continentiam profiteantur. n.7. p.168

Lectoris officium quale fuerit, deſcribitur. ibid.

*Can.22.* De Clericis non ordinandis niſi præmiſſo examine & probatione. n.8. p.168

*Can.29.* Vt Sacramenta Altaris non niſi à jejunis celebrentur. ibid.

*Can.32.* De modo reconciliandi pœnitentes. n.9. ibid.

*Can.38.* Non licet fieri rebaptizationes, neque reordinationes, neque tranſlationes. n.10. p.169

*Can.42.* Plebes quæ in diœceſibus ab Epiſcopis detinentur, quæ Epiſcopum nunquam habuerunt, non niſi cum voluntate Epiſcopi à quo tenentur, proprios accipiant Rectores. n.11. ibid.

*Can.47.* Catalogus librorum in Eccleſia legendorum. ibid.

*Carthaginenſe Concilium IV.*

Concilium iſtud quando celebratum. n.1. p.169

Qua ratione Quartum denominetur, an potius Quintum dicendum. ibid.

De Primatu Eccleſiæ Carthaginenſis ſex Provincias habente olim, & quas poſtea habuerit. num.2. ibid.

Iſtud Concilium eſt veluti totius diſciplinæ Clericalis emporium. ibid.

*Can.1.* Qualiter Epiſcopi debeant ordinari. n.3. p.170

De examine Epiſcoporum ordinandorum. ibid.

Carthaginenſis Concilij IV. Canones de Epiſcopis & Clericis ritè ordinandis recenſentur, à n.4. uſque ad 6. p.170

*Can.10.* Quali veſtitu Virgo Deo conſecranda. ibid. p.171

*Can.12.* De viduis vel ſanctimonialibus deſtinatis ad Catechumenas pro ſuſcipiendo Baptiſmo inſtruendas. n.7. p.171

*Can.13.* De Benedictione nuptiali. ibid.

*Can.14 & 15.* De habitatione, & ſupellectile Epiſcoporum. n.8. p.171

*Can.16. & ſeqq. uſque ad* 24. De officio Epiſcoporum. ibid.

*Can.25.* Diſſidentes Epiſcopos, ſi non timor Dei, Synodus reconciliet. p.172

*Can.26.* De Clericis diſſidentibus ad pacem revocandis. ibid.

*Can.27.* Ne Epiſcopi, vel Clerici, per ambitionem de loco ignobili ad nobilem tranſeant. num.12. p.172

*Can.32.* de alienatione rerum Eccleſiæ irrita & revocanda. n.13. ibid.

Praxis Eccleſiæ Gallicanæ de hac materia. ibid.

*Can.34.* Epiſcopus ſedens non patiatur ſtare Presbyterum. n.14. p.172

De honore Presbyteris exhibendo. ibid.

*Can.35.* Vt Epiſcopus in Eccleſia & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat: intra domum collegam ſe agnoſcat. n.15. p.173

*Can.36.* Vt Presbyteri ab Epiſcopo proprio Chriſma petant debito tempore. ibid.

*Can.41.* Clericus neque comam nutriat, neque barbam. ibid.

*Can.45.* Clericus in habitu, & inceſſu profeſſionem ſuam demonſtret. ibid.

*Can.46.* Clericus ne cum mulieribus habitet. num.16. p.173

*Can.47.* Clericus per plateas niſi ex officij neceſſitate non deambulet. ibid.

*Can.51.* Clericus etiam eruditus artificio victum quærat. ibid.

*Can.52.* Idem decernitur & declaratur. col.2. p.173

*Can.60.* Clericus ſcurrilis deponendus. ibid.

*Can.68.* Ex pœnitentibus Clericus non ordinetur: & deponatur ordinatus. n.17. ibid.

De pœnitentia Clericorum lapſorum. num.18. p.174

*Can.69.* De Bigamis non ordinandis. n.19. ibid.

*Can.74.* Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, excommunicetur. ibid.

*Can.76.* De infirmo obmuteſcente & dante ſigna pœnitentiæ abſolvendo & communicando. ibid.

*Can.77.* Pœnitentes, qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant. n.20. p.174

*Alij Canones* de Pœnitentibus traduntur. ibid.

*Can.*83. Pauperes & ſenes Eccleſiæ plus cæteris honorandi ſunt. ibid.
*Can.*84. Infideles poſſunt ingredi Eccleſiam & audire verbum Dei, uſque ad miſſam Catechumenorum. n.21. p.174
*Can.*85. De Baptizandis, quomodo præparari debeant. n.22. p.175
*Can.*86. De Neophytis, ut modeſtiùs vivant & temperantiùs. ibid.
*Can.*87. Ne Catholicus apud judices infideles cauſam proponat. ibid.
*Can.*88. Qui die ſolemni, prætermiſſo Eccleſiæ convẽtu ad ſpectacula vadit, excõmunicetur. ib.
*Can.*90. De Energumenis: & can.91. & 92. p.175
*Can.*93. Oblationes diſſidentium fratrum non recipiendæ in Eccleſia. n.24. ibid.
*Can.*94 Et eorum qui pauperes opprimunt. ibid.
Dona iniquorum non probat Altiſſimus. ibid.
*Can.*95. Ne oblationes defunctorum denegentur, vel negligantur. n.25. p.175
*Can.*97. Qui religioſis fœminis præponitur, ab Epiſcopo loci probetur: Ubi de Confeſſarijs Monialium. p.175
*Can.*104. De habitu religioſo viduarum. p.176
Appendix & diſſertatio ad Canones Concilij Carthagin.IV. num.1. & ſeqq. ubi de ritu adminiſtrandi Sacramenta in Eccleſia tam Græca quam Latina. p.176. & ſeqq.

*Carthaginenſe Concilium V.*

Concilium iſtud utrum fuerit quartum, vel quintum? Author exiſtimat fuiſſe quartum, & præcedens quintũm. Utrique præſedit Aurelius. num.1. p.179
*Can.*1. Clerici non citentur ad teſtimonium dicendum. ibid.
*Can.*3. De continentia Clericorum etiam uxoratorum. num.2. ibid.
*Can.*5. Ut Epiſcopus, relicta Cathedra principali, in aliam ſuæ diœceſeos Eccleſiam ſe non transferat ad reſidendum. ibid.
*Can.*6. De Infantibus, de quorum baptiſmo nullum habetur certum teſtimonium, ſine ſcrupulo baptizandis. n.3. p.179
Similiter de Eccleſijs, de quarum conſecratione hæſitatur, conſecrandis. ibid.
*Can.*7. Vt dies venerabilis Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur. n.4. p.180
*Can.*9. De defenſoribus Eccleſiarum & pauperum adverſus potentiorum oppreſſiones. n.5. ib.
*Can.*11. Vt lapſis Sacerdotibus, ſicut laïcis fit, manus non imponatur. n.6. p.180
*Can.*13. De Clericis vel Monachis ab alio Epiſcopo ordinatis. ibid.
*Can.*14. Vt altaria ſine Martyrum reliquijs erecta per vias, aut agros, ab Epiſcopis evertantur. num.7. ibid.
*Can.*15. Vt authoritate Principum reliquiæ idololatriæ omnimodò deleantur in omnibus locis. ibid.

*Carthaginenſe Concilium VI.*

Carthaginenſe Concilium ſextum; idemque Africanum plenarium an.418. inchoatum ſub Zoſimo Rom.Pontifice, & porrectum in ſequentem annum, & Pontificatum Bonifacij, non ſunt duo Concilia, ut putat Baronius, ſed unum. n.1. p.204
In eo profligata eſt hæreſis Pelagiana: & præcedentium Synodorum Africanarum ſalubriora decreta in unum veluti faſciculum congeſta. ib.
Hujus Concilij præfatio poſt dinumeratas Africanarum Eccleſiarum ſingulas Provincias, conſediſſe refert 217. Epiſcopos. ibid.
Commonitorio Zoſimi reſpondent Patres Africani. ibid.
Epiſtola Concilij per tres Legatos ad Bonifacium qui proximè Zoſimo ſucceſſerat, miſſa, Zoſimi commonitorio reſponſiva. ibid. & num. ſeqq. p.205

*Cathedra.*

Cathedra Epiſcopalis editior erat exhedris aliorũ Sacerdotum in Sanctuario diſpoſitis. n.13. p.41
Non ex iſta Cathedra ſermocinari ſolebant Epiſcopi, ſed ſolum divinis inſerviebat officijs. num.14. ibid.
Cathedra mobilis ſupra celſiorem Altaris gradum Epiſcopo ad plebem concionaturo. ibid.

*Cecilianus.*

Cecilianus Epiſcopus Carthaginis impetitur à Donatiſtis. n.1. & ſeqq. p.97

*Cereus.*

Cereos per diem in Cœmeterijs non incendi, ex Concilio Illiberitano, quomodo intelligendum. num.17. p.75
Cereorum & luminarium uſus antiquiſſimus eſt in Eccleſia Chriſtiana. n.18. ibid.
Cereus Paſchalis. num.5. p.281
Cereus Paſchalis ad illuminanda Altaria. Can.13. p.379
Cerei funebres regulariter ſpectant ad Parochum. col.2. p.632

*Chalcedo, Concilium Chalcedonenſe æcumenicum.*

Chalcedonis ſitus deſcribitur. n.6. p.215
Chalcedone apertum eſt generale Concilium anno 451. ſub Leone Pontifice, & Marciano Theodoſij ſucceſſore. n.7. ibid.
Eutychetis hæreſis, & Pſeudoſynodus Epheſi à Theodoſio juniore à Chryſaphio, & Dioſcoro Eutychianis deluſo indicta, huic Concilio cauſam dedit. n.1. & ſeqq. p.214
Ordo ſeſſionis in Concilio. n.7. p.215
Dioſcorus præſens multis flagitijs convictus de gradu & ſeſſione depellitur: & nominatim quod ſine authoritate Rom.Pontificis Synodum illam Epheſinam cogere auſus fuerit. n.7. & 8. p.216
*Actione Chalcedonenſ.* 2. Recitata ſunt Fidei Symbola Nicænum & Conſtantinopolitanum, & epiſtola Leonis Papæ ad Flavianum, qua perlecta Synodus acclamavit, Petrus per Leonem loquutus eſt, Apoſtoli hoc docuerunt. n.8. ibid.
*Actione* 1. Hujus Concilij inſeritur diſputatio inter Eutychem ſe fingentem ægrotare, & Legatos ſibi à Flaviano miſſos ut diem comparendi à Concilio Conſtantinop. dicerent. n.9. ibid.
Marcianus Auguſtus ad ſacrum Concilium acceſſit. num 10. p.217
*Actione* 7. Concilium, interveniente Marciano Auguſto, decernit de duabus Patriarchijs Antiochena, & Ieroſolymitana: quod decretum poſtea Juſtiniano rogante quinta Synodus firmavit, & Lateranenſis ſub Innocentio III. num.11. ibid.
Finito Concilio, tres Canones falſos ab Epiſcopis Orientalibus adjungi furtim procuravit Anatolites, quos Legati Apoſtolici & reliqui Patres, comperta fraude reprobarunt. num.12. ibid. & n.24. p.223
*Can.*2. Epiſcopi damnantur qui propter pecunias ordinationem fecerint. n.13. p.218

*Can*.3. Ne Clerici, neglecto ſacro miniſterio, rebus ſæcularibus ob lucrum inſerviant.num.14. ibid.
*Can*.4. Ut Monachi ſubjiciantur Epiſcopis, neque nova Monaſteria vel Eccleſias ædificent abſque illorum aſſenſu.n.15. ibid.
*Can*.6. Ut Ordinandi, certis Eccleſiis adſcribantur, neque abſolutè ordinentur. ibid. p.219
*Can*.7. Militiæ Cœleſti adſcripti ad ſæcularem non redeant. ibid.
*Can*.8. Rectores hoſpitaliorum Epiſcopis ſint ſubjecti. ibid.
*Can*.9. Si Clerici inter ſe litigent, coram Epiſcopo cauſam agant.n.16. p.219
*Can*.10. Non licere Clerico duabus eodem tempore Eccleſiis adſcribi, neque per ambitionem de una in aliam ſe transferre.n.17. p.220
*Can*.11. Quibus literæ pacificæ, vel commendatitiæ concedi debeant.n.18. ibid.
*Can*.12. Ut una provincia in duos Metropolitanos non dividatur.n.19. ibid.
*Can*.13. Ut ſine commendatitiis literis Clericus extra ſuam Eccleſiam non miniſtret. ibid. pag.221
*Can*.14. Quod non liceat Clericis alterius ſectæ uxorem ducere. ibid.
*Can*.15. Diaconiſſa non ordinetur ante 40.ætatis annum neque poſt ordinationem nubat.n.20. pag.221
*Can*.16. Monachus, vel Monialis Deo dicata, à connubio arceantur. p.222
*Can*.17. Parochiæ ruſticanæ quibus Epiſcopis ſubjiciantur.n.21. ibid.
*Can*.18. Conjurationes adverſus Epiſcopos prohibentur.n.22. ibid.
*Can*.19. Corripiantur Epiſcopi qui ad Concilium vocati ſine juſta cauſa venire recuſant. ibid.
*Can*.20. Clericus unius Eccleſiæ in aliena non ordinetur. p.223
*Can*.21. Clerici, aut laici, abſque examinatione ad Epiſcoporum accuſationem non admittantur. ibid.
*Can*.25. Ut intra tres menſes Epiſcopi electi ordinentur.n.23. p.223
*Can*.26. Ut Epiſcopi diſpenſatores habeant. ibid.
*Can*.27. In illos qui ſpecie conjugij mulieres rapiunt. p.223
Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ olim ſuffraganeæ Metropoli Heracleenſi dignitas eò devenit, ut poſt Romanam primum gradum teneret. n. 25.& 26. ibid.
Præſeſſio ab Imperatoribus Regiæ urbis Epiſcopis attributa ſupra Antiochenum, & Alexandrinum.n.27. p.224
Ad Præſulem Conſtantinopolitanum provocatio admiſſa à Metropolitanorum judiciis. n.28. ibid.
Vid. Additamentum ad Can. 2. hujus Concilij. pag.661.

*Chorepiſcopi.*

Chorepiſcopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare.n.6. p.95
Non in civitatibus, ſed in minoribus oppidis conſtituebantur. ibid.
De officio, & poteſtate Chorepiſcoporum plura notanda traduntur. ibid.

*Chriſma.*

Chriſma omni tempore confici licere in Concilio Toletano, quomodo intelligendum. n. 8. & 9. pag.196.
De Chriſmatis unctione.n.2.3.& 4. p.210

*Chryſoſtomus.*

Chryſoſtomi magnanimitas & conſtantia adverſus Gainam ducem exercitus Arcadij. num. 4. p.181.& 182.
Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præficitur Epiſcopus.n.7. p.183
Corruptiſſimos omnis ordinis virorum & mulierum, nec non ipſius Cleri mores ad bonam frugem reducere nititur. ibid.
Occaſione pij zeli, omnium murmurationes & odia in ſe excitat. ibid.
Anachoretas profugos à Theophilo Præſule Alexandrino cellis ſuis expulſos benignè excipit, tentátque reconciliare Theophilo.n.8. p.183
Contumeliis & calumniis afficitur.num.8 & 9. pag.184.
Adverſus ipſum malignantium initur conſilium. num.10. ibid.
Synodus ſeu conciliabulum à Theophilo Alexandrino indicitur in ſuburbio Chalcedonis ad quercum, inſtigantibus illis, quorum mores emendare voluerat Chryſoſtomus, videlicet Eudoxia cum tota Aula, & Clero.n.11. p.184
Citatur Chryſoſtomus ad iſtud conciliabulum malignantium, quorum juriſdictionem tanquam incompetentem & ſuſpectam recuſat. ibid.
Damnatur tanquam contumax, excommunicatur, & exilio mulctatur decreto Arcadij. ibid.
Deus hanc injuriam ulciſcitur ingenti terræ motu. ibid.
Chryſoſtomus revocatur & Eccleſiæ ſuæ reſtituitur. ibid.
Occaſione ſtatuæ quam Eudoxia ſibi erigi voluit in conſpectu Templi, ad cujus dedicationem turbato divino officio, irreverentiam taxans iterum vexatur.n.12. p.185
Iteratur Synodus ad Quercum à Theophilo ab Eudoxia accito, in qua iterum damnatus, provocat ad Papam, ſed oppreſſus ſolum vertere compulſus eſt. ibid.
Hanc iterum oppreſſionem Deus vindicat, excitato in æde Sophiæ incendio quod deſcribitur num.13. p.185
Iſtius incendij occaſionem arripiunt Chryſoſtomi hoſtes ut ejus amicos tanquam incendiarios accuſent & crudeliter perſequantur. ibid.
Dejecto Chryſoſtomo ſufficitur Arſacius,& Arſacio poſt 14. menſes Atticus Monachus. n.14. pag.185
Innocentius Papa inſtat ut eraſo Arſacij nomine ex diptychis, Chryſoſtomi nomen obliteratum reponatur. ibid.
Moritur in exilio: & ejus memoria impiis calumniis à Theophilo laceratur. ibid. p.186
Nomen ejus Eccleſiaſticis tabulis reſtituitur. ibid.
Feſtus dies per Orientem in ejus honorem publico cultu inſtituitur.n.15. p.186
Sacræ ejus Reliquiæ ad ſuam Eccleſiam Patriarchalem transferuntur, ibique Theodoſius junior ſupplex orat ſanctoque Pontifici ſe ſuúmque commendat Imperium. ibid.



Digitized by Google

*Ciborium.*

Ciborium in Sanctuario ſitum unde ſic denominetur n.9. p.40

*Cirtenſe Concilium.*

Cirtenſe Concilium celebratum Cirtæ in Numidia, Marcellino Papa ſedente, Secundo Tigiſitano Numidarum Antiſtite authore.n.1. p.80

In ædibus privatis Urbani Cariſi fuit celebratum. ibid.

Qui in eo aderant, fuerunt interrogati de traditione Sacrorum Codicum Magiſtratibus Romanis Chriſtianorum perſecutoribus, omnes crimen confeſſi ſunt, ipſumque Primatem interrogantem ejuſdem delicti redarguerunt.ibid.

Cirtenſis Synodi mentio fit apud Optatum. n. 2. pag.81

Acta in ea Synodo ex Auguſtino recitantur.n.3. ibid.

Paulum ejuſdem criminis reum crearunt Cirtæ Epiſcopum.n.4. p.81

*Claromontanum Concilium.*

Claromontanum Concilium authoritate Urbani II. celebratum Claromonte apud Arvernos occaſione ſacrilegij à Philippo Rege patrati. n. 2. pag.387

In eo Philippus jam excommunicatus & contumax reaggravatur; amiſitque gratiam ſtrumas curandi.n.5. ibid.

Pontifex Chriſtianos ad ſacram expeditionem in Palæſtinam hortatur.n.3. ibid.

Primatus Lugdunenſis confirmatur ſupra quatuor provincias.n.4. ibid.

*Can.* 2. Indulgentiæ Pœnitentibus conceſſæ proficiſcentibus in Palæſtinam ad ſacram expeditionem.n.3.& 6. p.387

*Can.*4. Ne Clerici arma deferant.n.7. ibid.

*Can.* 9. De Clericis concubinariis à beneficio deponendis. ibid.

*Can.*11. De illegitimis ad Ordines non promovendis. ibid.

*Can.* 12. Nullus Clericus duas in eadem civitate præbendas habeat.

*Can.*14. Ut nullus in una Eccleſia geminos honores habeat.ibid. p.388

*Can.*16. Ne Principes ſæculares inveſtituram de honoribus Eccleſiaſticis faciant.n.10. ibid.

*Can.*18. De Capellanis Principum. ibid.

*Can.*19. De Decima perſonali ſeu laborum.n.11. ibid.

*Can.* 28. De Sacra Communione ſub utraque ſpecie ſeparatim facienda.n.12. p.388

*Claudius Imp.*

Claudius dux exercitus Rom. in Dacia Galieni invadit imperium.n.24. p.62

Carnificinam Chriſtianorum à Galieno intermiſſam ſuſcitavit: ut enarratur. ibid.

Peſte occubuit. ibid.

*Claudius Cæſar.*

Claudius Imperator univerſam Britanniam intra ſexdecim dies perdomuit & imperio Rom. ſubjecit.n.18. p.6

Claudij privignus & Imperij ſucceſſor Nero Romam immani incendio conflagravit.n.19. ibid. Vid. *Nero.*

*Clemens VII.*

Clemens Pontifex conſpiratione Columnenſium obſidetur in arce S. Angeli.n.13. p.555

Columnenſes, alióſque Eccleſiæ hoſtes exauthoravit, diriſque devovit.n.14. p.556

Ad deditionem ſub duris conditionibus adigitur, nec liberatur niſi illis impletis. ibid.

A Francis liberatur. ibid.

*Clemens V.*

Clemens V. Sedem Apoſtolicam tranſtulit Avenionem.n.4. p.479

*Clerici.*

Clericorum continentia & cœlibatus Eccleſiæ Latinæ aſtruitur Can.3. Nicæni Concilij.n.1.p.107 Carthaginenſis, & Arelatenſis. n. 2. p.108. & Agathenſis.n.3.& Epiſtola Siricij Papæ. n.4. & aliis ſeqq.ibid.& n.6.7.& 8. p.109

Græcorum incontinentia notatur.n.5. ibid.

Clerici Presbyteri, vel Diaconi, à ſuis Eccleſiis non recedant, nec in alienis admittantur. n. 4. pag.116

Clericorum continentia.n.5. p.95

Et quando liceret Diaconis uxores ducere.ibid.

De vita & honeſtate Clericorum in Tonſura, habitu, inceſſu, victu, & aliis, multi Canones Concilij Carthaginenſis adducuntur à n. 4. & ſeqq. p.175

Clerici Lectores cum ad annos pubertatis venerint, uxores ducant, aut continentiam profiteantur.n.7. p.168

Clerici contumaces, ſeu delinquentes ab Epiſcopo corrigantur.n.4. p.131

Clerici ad Judices ſeculares non confugiant. n. 8. pag.232

Judices ſeculares an in gravioribus delictis cognoſcere poſſint. ibid.

Clericis Venatio interdicta.n.3. p.252

Clericorum accuſatio an & quomodo Laïcis permiſſa.n.9. p.253

Clerici per calumniam depoſiti reſtituendi. n. 11. pag.183

Clerici debent ſtudere, & diſcere quæ in Rituali Eccleſiæ continentur.n.8.9.& 10. p.282

Prohibentur cauſas ſuas dicere coram Judice ſæculari n.9.10.& 11. p.288

Clerici abſtineant à judicio ſanguinis.col.2.p.290. ad fin.

Et à Militia ſeculari.n.9. p.329

Clericorum cœlibatum impugnavit Conciliabulum Quiniſextum ex Can.5. Apoſtolorum malè intellecto, qui explicatur.n.3. p.297

Clericorum vita & honeſtas præſcribitur. num. 2. p.312.& n.5.6.& 7.p.548.& n.8.p.547.& n.89. pag.607

Clerici vitam ſecundum Sacros Canones inſtituant, Epiſcopis ſuis obtemperent, neque peregrè proficiſcantur abſque literis commendatitiis.n.3. p.330

Clericorum correctio ad Epiſcopos ſpectat.num.5. p.311.& Can.14.p.432.& n.8. p.491

Clericorum juniorum pia inſtitutio & educatio. num.3. p.333

Vid. *Præbenda.*

De communi vita Clericorum,ibid.& n.3 p.336

Vid. *Seminaria.*

Clerici concubinarij Miſſam nullus audiat. n. 2. pag.382

Clericorum incontinentia notatur. ibid.& n.3

De communi Clericorum convictu.n.3. p.382

Clerici Regulares ad præcipuarum Eccleſiarum miniſteria vocati, depoſitis aliis ſcandaloſis. ibid.

Clerici Arma non deferant.n.7. p.387

Mulierculas in domibus non retineant, & ne libidine

libidine infanda contaminentur. Can.11. p.415
Advocati officio non fungantur, niſi pro ſuæ defenſione Eccleſiæ, vel pauperum. Can. 12. ibid.
Non diſponant de bonis intuitu Eccleſiæ quæſitis, Can.15. p.416
Clerici à crapula & ebrietate abſtineant. Can. 15. p.432.& à judicio ſanguinis.Can.18.ibid.& n.5. pag.475
Officia & commercia ſæcularia non exerceant. n.19.p.431.& n.5. p.475
Divino interſint officio,& devotè recitent.n.20. p.432.n.2. p.548
Clericorum veſtibus & Tonſura.n.3.p.461.& n.5. pag.548
Clerici reſidere debent in ſuis beneficiis, præſertim curam animarum habentibus.Can.9. ibid.
Annulorum uſus, exceptis Prælatis, eis interdicitur.n.3. p.475
A ſævis omnimodò abſtineant.n.5. p.475
Item à mimis, joculatoribus, luſu aleæ, & armis. ibid.
Nullus incognitus ad miniſtrandum in Sacris Ordinibus admittatur ſine literis ſui Ordinatoris.Can.32.p.475.& n.4. p.487
Ne Clerici Epiſcopum, vel alium Præpoſitum lædant. n.8. p.477
Nec quærant defenſionem ſecularem contra ipſos.n.7. ibid.
De peculio Clericorum: & de quibus bonis diſponere poſſint.Can.5. p.487
De Teſtamentis Laïcorum.Can.6.& ſeqq. ibid. ut ſcilicet in præſentia Sacerdotis fiant. & n. 9. pag.489
Clericorum concubinariorum pœnæ. n.7.p.547.n. 4.p.548.& n.89. p.607
Clerici habentes bona patrimonialia an & quomodo reditibus & ſtipendiis beneficiorum uti poſſint. num.6. p.546
Clericorum ſecularium, & Monachorum differentia, ratione bonorum. ibid.
Clerici ſeparentur à Laïcis in Eccleſia.n.7. p.530
Clericos in ſuis carceribus Judices ſeculares detinere non debent.n.8. ibid.
Clerici Collegiati jura & ſtatuta ſuarum Eccleſiarum diligenter defendant.n.13. p.573
De vita & honeſtate Clericorum.n.14. p.580
Clericorum habitus, quando ſunt in Sacris, vel beneficia poſſident.col.2.in fin.p.591. & num.5. pag.640
Clericus non ordinandus abſque patrimonio ſufficienti.cap.2. p.592
Clericus Rector Eccleſiæ Parochialis imperitus, ſi ſit honeſtæ vitæ aſſumat Vicarios temporales; ſi turpis vitæ, coërceatur, incorrigibilis deponatur.cap.6. p.593
De ætate & qualitate Clerici ordinandi.n.43.& 44. p.592.& 593
Clerici ebritatem in primis fugiant. col. 2. in fin. pag.618
Clerici à quibus abſtinere debeant juxta ſtatuta Sacrorum Canonum latè traditur à n.3.& ſeqq. p.620.& 621.& col.2.p.627.& cap 2.3.4.& aliis ſeqq.p.633.& n 6. p.650
Ebrij, Concubinarij, Aleatores, graviſſimè coërceantur.n.7.8.& 9. p.633
Negotiis ſecularibus ſuo ſtatui indecoris ſe non immiſceant.n 6. ibid.
Non ſolum probitate morum, ſed etiam cultu externo omnibus ſint modeſtiæ exemplo. n. 10. & 11. p.634
Comam non nutriant neque barbam, & Tonſuram gerant Ordini congruentem.n.11. ibid.
Clericorum dignitas ex denominatione cognoſcitur & quàm ſanctè vitam inſtituere debeant. n. 4.& ſeqq. p.640
Clerici Sacerdotes altiorem perfectionem aſſequi contendant. ibid.
Ignoti ſeu peregrini non admittantur ad celebrandum ſine literis proprij Epiſcopi. col. 1. p. 641.& n.2. p.642
Clerici concubinarij & alij ſcandaloſi ſeverè coërcendi.n.7. p.547
Clericorum ordinandorum electio & ritus. diſſert.20. p.659.& ſeqq.

*Clerus.*

Cleri certus numerus Romæ ſtatutus erat.num.6. pag.97.
Cleri Romani Senatus Presbyterium vocatur.n.3. pag.53
Cleri præcellentia & præcedentia extollitur.n.10. 11.12.13.14.15.& 16. p.198.199
Clerus ſuæ vocationi ſeu denominationi reſpondeat ſuis moribus. col.1.p.633.& n.4. p.640
Ad Cleri dignitatem aſpirantium præparatio, qualitates, & examen. p.643.& 644

*Clodovæus.*

Clodovæus Chilperici filius Francorum regnum longè lateque propagavit.n.3. p.238
Ingentem expeditionem parat adverſus Alemannos.n.4. p.239
In extremas redactus anguſtias Dei opem reclamat quem ejus uxor Clotildis colebat: victoriamque reportat. ibid.
Chriſtianam religionem profitetur, & à Remigio Præſule Remenſi baptizatur.n.5. p.239
Solus tunc temporis in toto orbe Princeps Chriſtianus orthodoxus. ibid.
Arma movet in Gundebaldum perfidum fratricidam.n 6. ibid.
Studio propagandæ Religionis Chriſtianæ bellum movet contra Alaricum Viſigotthorum Regem, quem ſua manu interimit.n.10. p.241
Victorias Deo acceptas refert, & diadema ab Anaſtaſio Imperatore miſſum dedicari voluit ad altare Principis Apoſtolorum in gratitudinis pignus erga Deum, & monumentum fidei Catholicæ quam profitebatur. ibid.
Lutetiæ Pariſiorum obiit, partito Regno inter quatuor liberos ſuperſtites.n.11. p.242
Concilium Aurelianenſe procuravit.n.1. p.249

*Collegium.*

Collegia ſine authoritate Eccleſiæ vel Principis inita, ſunt illicita & prohibita.n.22. p.212
Conjurationis crimen. ibid.
Colligationes ſeu conjurationes & confratriæ inter quoſdam Nobiles, cives, milites prohibentur ſub pœna mulctatitia.Can.38. p.448
Collegiorum præpoſiti jura Eccleſiæ & Collegij tueantur.n.13. p.573

*Coloſſus.*

Coloſſus Rhodius à quo fuerit conflatus. num. 8. pag.278
A Saracenis effractus invaſoribus inſulæ. ibid.

*Colonienſe Concilium.*

Colonienſe Concilium ſub Bonifacio VIII. ad inſtaurandam Eccleſiæ diſciplinam anno 1300. celebratum.n.1. p.486

*Can.*

*Can.* 1. De ætate 25. annorum requiſita ad regimen Eccleſiæ parochialis.n.2. ibid.
*Can.*2. Vt Parochus in ſua Eccleſia reſideat ſub pœna privationis.n.3. ibid.
*Can.*3. Ne Clerici extranei in Vicarij officium per Paſtores aſſumantur abſque literis teſtimonialibus proprij Epiſcopi.n.4. p.487
*Can.* 4. Ne quis duo beneficia incompatibilia ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ retineat. ibid.
*Can.*5. De peculio Clericorum, & qua ratione de bonis patrimonialibus, vel quaſi patrimonialibus diſponere poſſint, non tamen de intuitu Eccleſiæ quæſitis teſtari. ibid.
*Can.*5.& 6. De teſtamentis laïcorum de conſilio proprij Parochi condendis. ibid.
*Can.*7. De Legatis piis Fabricæ Eccleſiæ S.Petri, & Parochiali Eccleſiæ ſuæ relictis.num.5. pag.488
*Can.*10 De Executoribus teſtamentariis.num.6. ibid.
*Can.* 11. Vſurarij manifeſti excommunicantur. num.7. ibid.
*Can* 18. Falſas monetas fabricantes eidem excommunicationis pœnæ ſubiiciuntur. num. 8. pag.489
Colonienſe Concilium ſimulatum ab Electore Hermanno apoſtata anno 1536. convocatum. num.1. p.571
In locum Hermanni depoſiti ſuffectus eſt Adolphus. ibid.
Adolpho præſidente Concilium legitimum peractum eſt anno 1549. ibid.
In eo modificata quædam & paulò laxiora remedia Sacris tamen Canonibus conſentanea ad diſciplinam Eccleſiaſticam pene collapſam reſtituendam.n.2.& ſeqq.n.2. p 571
*Remedium* 1.Eſt ſtudiorum inſtauratio.n.3.ibid.
2. Examen Ordinandorum.n.4.& ſeqq. p.572
3. Officij ſibi injuncti perfunctio: quod variis articulis declaratur, à n.10.uſque ad 19. ibid.
4. Viſitationes à Prælatis diligenter faciendæ, à n.19.ad n.22. p.574
5. Eſt Synodorum convocatio.n.23. ibid.
6. Eſt poteſtas Clavium qua prudenter Prælati uti debent ad vitæ emendationem ſibi ſubditorum.n.24.25.& 26. p.575
*Commendæ.*
Commendæ beneficiorum habentibus beneficia curata prohibentur, neque plures Eccleſiæ poſſunt alicui commendari. Can.31. p.465
Neque Eccleſia parochialis non habenti ætatem legitimam. Can.14. p.468
*Commodus Imperator.*
Commodus pacem reddidit Eccleſiæ.n.1. p.57
Vltor perſecutionis Chriſtianorum ab Aurelio ejus patre excitatæ. ibid.
*Communio Euchariſtica.*
Communio duplex eſt, Laïca, & Peregrina: utraque pœnalis reſpectu Clericorum regradatorum.n.1.& ſeqq. p.50
Communio Laïca in pœnam decernebatur Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis, ne intra Sanctuarium Euchariſtiam ſumerent: quæ pœna erat quoddam genus depoſitionis ad tempus, donec reſipiſcerent.n.2. ibid.
Quod ſi quis ob gravius delictum privaretur etiam laïca communione, cenſebatur excommunicatus. ibid.
Communione Eccleſiaſtica motis Clericis, & ad laïcam redactis ſportulæ non præſtabantur: & ex bonis patrimonialibus, vel eleemoſynis victum ſibi quærebant.n.3. p.50
Varia hujuſce depoſitionis exempla referuntur. ibid.
Communionis peregrinæ alia ſpecies exponitur, qua Epiſcopi in pœnam alicujus delicti ad inferiorum Sacerdotum gradum redigebantur; & Sacerdotes ad inferiorum Clericorum ordinem & claſſem.n.4. p.51
Cujus pœnæ etiam exempla traduntur. num.5. ibid.
Communionis peregrinæ mentio in Concilio Regienſi.n.6. p.51
Communionis vox, duplicem habet ſignificationem, ut declaratur.n.6. p.70.& 71
de Communione aliquanto tempore interdicenda, vel ad uſque finem vitæ differenda, vel omnino deneganda.n.11.& 13. p 100
Communio tribus Feſtis ſolemnioribus injuncta Chriſtianis: Can.25.p.251.& num.6. p.337. & Can.13. p.447
Communio Euchariſtica quo ritu ſumebatur olim. num.2. p.171
Non eſt diutiùs differenda, & quanta reverentia & præparatione ſumi debeat.col.2. p.118
Communio ſub utraque ſpecie.n.12: p.388
Confeſſio & Communio ſaltem ſemel in anno. Can.21.p.431.& n.5. p.545
De Communione ſub una, vel duabus ſpeciebus ex profeſſo diſſeritur n.1.& ſeqq.p.536. & n.41. pag.592
De præparatione ad Communionem Euchariſticam.n 34. p.590
*Conciliabula.*
Conciliabulum Tyrium adverſus Athanaſium ab Arianis coactum ſub Conſtantino Magno ab Euſebio Nicomedienſi impoſtore impudentiſſimo ſeducto.n.3.4.5.6.7.8.& ſeqq. p.126
Conciliabulum Arianorum Philippis coactum, recuſantium intereſſe Concilio œcumenico Sardicæ congregato.n.1.2.& 3. p.142
Conciliabulum Ancyranum pro ſupprimenda nova profeſſione Fidei Arianorum in Sirmienſi conciliabulo fabricata, & reſumenda prima formula Semiarianorum.n.4. ibid.
Conciliabulum Seleucienſe in quo Ariani & Semiariani invicem acerrimè contendunt: utrique recurrunt ad Conſtantium, qui ea de cauſa aliud conciliabulum indicit.n.1. p.150
Conciliabulum Conſtantinopolitanum, in quo Conſtantij Ariani ſtupenda inconſtantia notatur.n.2.& 3. ibid.
Conciliabula duo in ſuburbio Chalcedonis ad Quercum à Theophilo Alexandrino Epiſcopo coacta adverſus Chryſoſtomum. num. 11. & 12. p.184.& 185
Conciliabulum Quiniſextum Conſtantinopoli in Trullo habitum, anno 692. ſub Juſtiniano Rhinotmete, ſic dictum ut ei quintæ ſextæque Synodi authoritatem conciliarent, ac ſupplerent Canones de Eccleſiaſtica diſciplina.n.1. p.196
Oecumenicum dici non poteſt, cùm illi nõ præſediſſent Legati Apoſtolici, ut par erat: quinimo Schiſmaticus iſte congreſſus non eſt veritus Romanam damnare Eccleſiam, eique leges imponere, quas ab ea recipere debebant. ibid.
*Can.* 2. Clementis Papæ conſtitutiones ab hæreticis

Digitized by Google

reticis corruptæ rejiciuntur. num. 2. pag. 296
*Can.* 6. Prohibet Hypodiaconis, Diaconis, & Presbyteris uxorem ducere.n.3. p.297
*Can.* 13. Permittit aliquos ex uxoratis ad Sacros Ordines promoveri & cohabitare cum uxoribus, excepto tempore quo ſacro miniſterio functuri ſunt. ibid.
*Can.* 32. Armenos reprobat vinum aquâ non permiſcentes in Miſſæ Sacrificio.n.4. p.297
*Can.* 42. De Eremitis, & Monachis vagis in ſolitudinem, vel monaſterium retrudendis. n.5. ibid.
*Can.* 45. De habitu Monialium recipiendarum reformando. ibid.
*Can.* 47. Neque mulier in virorum monaſterio, neque vir in mulierum dormiat. ibid.
*Can.* 52. De jejunio Quadrageſimali. num. 5. pag.297
Conciliabulum Arianorum adverſus Athanaſium. num.9. p.118
Conciliabulum Arianorum in quo quintam Fidei formulam procuderunt.n.10. p.137
Conciliabulum Quiniſextum in Trullo. num. 13. pag.279
Canciliabulum Photij adverſus Nicolaum I.Pontificem.n.7. p.350
*Can.* 55. Sabbatorum jejunia etiam in Sacra Quadrageſima reprobat.n.7. p.298
*Can.* 63. Legi vetat falſas & confectas Martyrum hiſtorias, quas comburi jubet. num. 8. ibid.
*Can.* 69. Nullus laïcus intra ſepta Sacri Altaris ingrediatur, excepto Imperatore. num. 9. ibid.
*Can.* 79. Abuſivam conſuetudinem reprimit colendi Virginei partus ſecundinas. num. 17. pag.299
*Can.* 82. Jubet Chriſtum ſub humana figura repræſentari & coli: vetat autem ſub Agni figura.n.18. ibid.
*Can.* 84. De infantibus in dubio rebaptizandis.n.19. ibid.
*Can.* 96. Qui Chriſtum per Baptiſmum induerunt, ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt.n.20. ibid.
*Can.* 100. Picturas turpes prohibet, & earum opifices excommunicari præcipit. num. 21. pag.299
*Can.* 101. Quo ritu Sacroſancta Euchariſtia recipienda.n.21. ibid.
Conciliabulum Copronymi.n.3. p.306
Conciliabulum Piſanum. num. 5. pag. 552. 556. & 565

*Concilium.*

Concilium primum poſt Aſcenſionem Domini in Cœlum celebratum, in quo Matthias ſorte divina ſuffectus eſt in locum proditoris Judæ. num.1. p.1
Concilium Ieroſolymæ habitum pro dirimenda controverſia inter Iudæos converſos & Gentiles, circa ceremonias & præcepta legis, quo anno celebratum.n.14 & 15. p.5
Et quid in eo concluſum.n.15. ibid.
Concilia ſunt ornamenta Eccleſiæ Sponſæ Chriſti unicæ.n.1. p.13
Conciliorum celebrandorum jus & poteſtas ex ipſo jure divino & traditionibus Apoſtolicis deſcendit.n.2. ibid.
Conciliorum differentiæ & ſpecies quatuor enumerantur, & declarantur. num. 3. p.14
Concilia majora prævalent & emendant minora, & priora declarantur per poſteriora.n.4. ibid.
Diſcrimen inter generalia, & his minora Concilia unde ſumatur.n.5. p.14
Iudices in Conciliis neceſſarij & ordinarij ſunt Epiſcopi, habentes votum conſultivum & deciſivum.n.6. ibid.
Quod etiam extenditur ad Abbates, & Generales Ordinum. ibid.
Presbyteri quoque ſapientia & eruditione præcellentes, admiſſi aliquando ad ſuffragia conſultiva in Conciliis.n.7. ibid.
Interdum etiam ad deciſiva procuratorio nomine ab Epiſcopis miſſi: & quo ordine ſedebant.n.8.& 9.p.14.& n.10. p.15
Legatis Apoſtolicis honoratior ſedes ſemper reſervata fuit in Conciliis.n.11. p.15
Quales ingenio & peritia Viri ſint convocandi ad Concilia Eccleſiæ.n.12. ibid.
Concilio congregato,ſi literæ mittantur à Principibus ad Concilium, vel ad Legatum Apoſtolicum,quomodo aperiendæ.n.13. p.15
Dum Concilium generale celebratur,ſi Papa deceſſerit,ſucceſſoris electio non ſpectat ad Concilium,ſed ad Collegium Cardinalium.n.14.ibid.
Conciliorum ineundorum præliminaria obſervanda,nempe indictio ſolemnis jejuniorum,ſupplicationum publicarum & privatarũ,&c.n.15.ibi.
Concilij celebrandi ritus: Et quæ in eo definita fuerunt in ſcriptis rediguntur, & mittuntur ad ſummum Pontificem, à quo confirmatio humiliter poſtulatur. ibid.
Concilia celebranda vel in ædibus ſacris, aliiſve locis honorificis.n.16. p.16
In medio Concilij ſolio ſuper pulvinari collocari ſolet ſacer Evangeliorum Codex, & aliquando Sacra Lipſana.n.17. ibid.
Conciliorum Officiales præcipui.n.18. ibid.
Seorſim à cœtu Concilij ſelectorum Doctorum congregationes inſtituendæ diſceptandarum difficultatum gratia, quam poſtea in Concilio decidendæ ſunt.n.19. p.16
In fine Concilij deciſa releguntur & ſubſcribuntur à Patribus.n.20. ibid.
Concilia Apoſtolorum tria fuiſſe celebrata conſtat ex Actis ipſorum.n.1.& ſeqq. p.16
Vid. *Apoſtoli.*
Patres in Concilium convenientes ad definiendas Fidei quæſtiones, humanis quidem rationibus præludunt, ipſa tamen Fides divina illuſtratione & revelatione fundatur & ſtabilitur. num.10. p.17
Concilium ſecundum Apoſtolorum cæterorumque Diſcipulorum refertur *Act. c.* 6. Et quid in eo ſtatutum ſit.n.13. p.18
Concilium tertium Apoſtolorum, de quo *Act. c.* 15. decernit fideles immunes eſſe à jugo circumciſionis, aliarumque ceremoniarum legalium.n.15. ibid.
Quomodo intelligenda prohibitio ab immolatis ſimulacrorum, & à ſanguine, & ſuffocatis, in illo tertio Concilio facta. ibid. & n.16.& 17. pag.18
Concilia varia obſervantur circa celebrationem diei paſchalis.n.1.& ſeqq. p.19
Concilia diverſis locis celebrata ſuper validitate vel invaliditate Baptiſmi ab Hæreticis adminiſtrati.n.1.& ſeqq. p.65



Digitized by Google

Et num. 8. pag. 58. & num. 7. pag. 61.
Concilij Africani ſanctionem de reprobando hæreticorum baptiſmo, quam Cyprianus totis viribus defendebat, reprobavit Stephanus Papa. n.1.& 3. p.65
Concilium Arelatenſe primum approbat baptiſmum hæreticorum.n.3. p.66
Concilium Nicænum, ſolis Paulianiſtis exceptis, cæterorum hæreticorum baptiſmum probat & ſuſcipit.n.4. p.66
Concilia Antiochena contra Paulum Samoſatenum hæreſiarcham.n.1.& ſeqq. p.67
Concilium Eliberinum, ſeu Illiberritanum, quo loco celebratum.n.1. p.69
De tempore ejuſdem Concilij magna etiam eſt controverſia.n.2. ibid.
Opinio Mendozæ refertur.n.3. ibid.
Qua authoritate fuerit indictum, & confirmatum, & de Canonibus in illo præſcriptis. num. 3.& 4. p.70
Concilium Arelatenſe anni 314. celebratum, & alia plura recenſentur, in quibus plures Canones Illiberitani renovantur. ibid.
Concilium Illiberitanum prohibens communionem indulgeri lapſis pœnitentibus etiam in fine vitæ, quomodo intelligendum. n. 6. & ſeqq. pag.70
Concilij Illiberitani Can. 3. explicatur. num. 9. pag.71
*Can*.5. De Maleficis refertur.n.11. p.72
*Can*. 25. De reconciliatione lapſorum à SS. Martyribus poſtulata & impetrata, explicatur. num.12. ibid.
*Can*. 26. De jejunio ſuperpoſitionis exponitur. num.13. p.73
*Can*. 28. De rejiciendis non communicantium oblationibus.n.14. ibid.
*Can*. 29. De Energumenis. num.15.& 16. p.74
Vid. *Energumenus*.
*Can*. 34. De Cereis in Cœmeteriis non accendendis declaratur. num. 7. & 18. p.75
Vid. *Cereus*.
*Can*. 35. Ne fœminæ in Cœmeteriis vigilent. num.19. p.76
Vid. *Vigiliæ*.
*Can*. 36. De picturis in Eccleſia, explicatur. n.22.23.& 24. p.77
Vid. *Pictura*.
*Can*. 60. De eo qui idola fregit, & occiſus eſt. num.25. p.78
*Can*. 65. De Clerico, cujus uxor adulterata eſt, nec illam maritus abjecit.n.26. p.78
*Can*. 71. De ſtupratoribus puerorum. num. 27. ibid.
*Can*. 75. De calumniatoribus Epiſcoporum, Sacerdotum, vel Diaconorum à communione rejiciendis.n.28. ibid.
Concilium Sinueſſanum. Vid. *Sinueſſanum*. pag. 79
Concilium Cirtenſe. Vid. *Cirtenſe*. p.80
Conciliabula duo Carthaginenſia Donatiſtarum. pag.81
Vid. *Donatiſtæ*.
Concilium Nicænum à Conſtantino Magno procuratum ad peſtem Arianam extinguendam. num.12. p.86
Vid. *Nicænum*.
Concilium Sardicenſe Athanaſium abſoluit & reſtituit injuſtè accuſatum & expulſum.n.17.p.88
Concilium Ancyranum. Vid. *Ancyranum*. p.94
Concilium Neocæſareenſe. Vid. *Neocæſareenſe*. pag.96
Concilium Arelatenſe. Vid. *Arelatenſe*. p.97
In Conciliis Orientis, Delegati ab Epiſcopis eodem ordine ſedent, quo ſederent Delegantes. num.1. p.103
Legati Apoſtolici, qui vices Pontificis gerunt, primi ſedent, & ſubſcribunt.n.2.& 3. ibid.
In Concilio Conſtantinopolitano I. nulli Legati Apoſtolici interfuerunt: ubi aſſignatur ratio. num.4. p.103
Epheſino præfuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus tanquam Legatus Celeſtini Rom. Pontificis.n.5. ibid.
Chalcedonenſi qui præfuerint.n.6. ibid.
In Conſtantinopolitano II. præfuit Eutychius ejuſdem urbis Patriarcha, approbante Vigilio Papa Rom.n.7. p.103
In III. ſub Conſtantino Auguſto, in Secretario Sacri Palatij quod *Trullus* dicitur, qui præfuerint.n.8. ibid.
In Concilio Nicæno II. Præſides enuntiantur.n.9. ibid.
In Conſtantinopol. IV. Legati Adriani Papæ II. num.10. ibid.
In Conciliis Occidentalibus Delegati ſeu Procuratores Abſentium non ſemper eodem ordine ſedebant, quo delegantes ſediſſent. num. 12. pag.103
Concilij Nicæni conſeſſus Patrum variè deſcribitur.n.13.& ſeqq. p.104
Conſeſſus Patrum, & ipſius Conſtantini in eodem Concilio ex Baronio.n.15. ibid.
Concilij Conſtantinop. III. Patrum conſeſſus, & Conſtantini Pogonati refertur.n.16. ibid.
Concilia varia quibus in locis fuerint celebrata, ſigillatim declaratur. num. 1. & 2. pag. 105. & 106
Concilium Romanum ſub Sylveſtro examinatur. n.1.& ſeqq. p.123
Concilium Romanum ſub Melchiade in Laterano celebratum, in cauſa Cæciliani Carthaginenſis, eique adverſantium Donatiſtarum ab omnibus pro certo habetur.n.1. p.123
Sed alia duo quæ ſub Sylveſtro indicta ab Iſidoro Mercatore perhibentur, commentitia eſſe multis rationibus Author probat ibid. & num. ſeqq. p.124.& 125
Concilia omnia Sedis Apoſtolicæ Romanæ authoritate debent celebrari. n.8.p.125. & num.7. pag.216
Concilium Romanum à Julio indictum in cauſa Athanaſij, cui ab ipſis Arianis poſtulato non auſi ſunt intereſſe, in quo Athanaſij innocentia ſolemniter declarata eſt, & ipſe Sedi ſuæ reſtitutus, licet per violentiam ab Arianis impeditus ingredi.n.2.& 3. p.129
Et ſimiliter Julij Romani judicio ab ipſis Arianis expetito, tanquam ſupremi in univerſas Eccleſias Tribunalis, reſciſſa fuerunt Conciliabulorum Orientalium decreta, & Epiſcopi Orthodoxi injuſtè dejecti, reſtituti.num.8.9.& 10. pag.131
Concilium Gangrenſe. Vid. *Gangrenſe*. p.131
Concilium Antiochenum anni 341. Vid. *Antiochenum*. p.132
Concilium Oecumenicum Sardicenſe, Anni 347. Vid. *Sardicenſe*. p.138



Digitized by Google

Concilium Carthaginenſe I. ſub Julio Rom. Pontifice anno 348. Vid. *Carthaginenſe*. pag. 143
Concilia Mediolanenſia. Vid. *Mediolanenſe*. pag. 144
Concilia Sirmienſia. Vid. *Syrmienſe*. p.146
Concilium Ariminenſe. Vid. *Ariminenſe*. pagin. 148
Concilium Laodicænum ſub Damaſo Pontifice. Vid. *Laodicanum*. p.151
Concilium Alexandrinum ſub Liberio Papa. Vid. *Alexandrinum*. p.159
Concilium ſecundum Oecumenicum Conſtantinopoli celebratum anno 381. Vid. *Conſtantinopolitanum*. n.1. p.161
Concilium non poteſt eſſe legitimum ſine conſenſu & authoritate Romani Pontificis. num.3. pag.162
Concilia tria ſub Damaſo Pontifice inita ſunt. Primùm, Aquileïenſe, poſtea Romanum, tertiò Conſtantinopolitanum, quæ in unum coaluerunt generale, conſpirantibus Occidentalibus cum Orientalibus.n.4. ibid.
Concilium Aquileïenſe à Valeriano Aquileïæ Antiſtite celebratum, in quo impietas Ariana contrita eſt. ibid.
Concilium Romanum Damaſus Pontifex Romæ coëgit, in quo fuerunt Ambroſius, & Valerianus.n.5. p.162
In eo reprobatum eſt Ariminenſe conciliabulum. ibid.
Hæreſis Apollinaris damnata. ibid.
Concilium Cæſarauguſtanum. Vid. *Cæſarauguſtanum*. p.166
Concilium Carthaginenſe Tertium. Vid. *Carthaginenſe*. ibid.
Concilium Toletanum I. initio ſæculi quinti celebratum, Vid. *Toletanum*.n.1.p.181.& n.1.cum ſeqq. p.194
Concilium Taurinenſe. Vid. *Taurinenſe*. num. 1. pag.196
Concilium Milevitanum. Vid. *Milevitanum*. n. 1. pag.199
Concilium Carthaginenſe VI ſive Africanum plenarium. num.1. & ſeqq. Vid. *Carthaginenſe*. pag.204
Concilium Epheſinum œcumenicum. Vid. *Epheſinum*. p.206
Concilium Regenſe. Vid. *Regenſe*. num.1. & ſeqq. pag.209
Concilium Arauſicanum. Vid. *Arauſio*. num. 1. pag.210
Concilium Vaſenſe ſeu Vaſionenſe. Vid. *Vaſio*. pag.213
Concilium Chalcedonenſe œcumenicum. Vid. *Chalcedo*. p.214
Concilium Andegavenſe anno 453. Vid. *Andegavum*. p.224
Concilia duo Romana ſub Felice III. Vid. *Romana*. p.229
Concilium Agathenſe. Vid. *Agathenſe*. pagin. 230
Concilium Aurelianenſe. Vid. *Aurelianum*.num.1. & ſeqq. p.249
Concilium Epaonenſe. Vid. *Epaonenſe Concil*.n.1. & ſeqq. p.251
Concilium Arauſicanum. Vid. *Arauſio*. pagin. 254
Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna.ibi.
Concilia quædam extemporanea, urgente neceſſitate, quæ longiorem moram non patiebatur, Romæ identidem & Conſtantinopoli collecta. num.1. p.260
Concilium Aurelianenſe Tertium, anno 538. ibid.
Concilium Conſtantinopolitanum Secundum, ipſumque Vniverſale quintum anno 553. collectum. p.263
Concilium Pariſienſe Tertium, anni 557. pagin. 268
Concilium Bracarenſe Secundum, anni 563. ibid.
Concilium Turonicum anni 570. p.269
Hæc tria Concilia ſicut cætera require propriis locis.
Concilium Antiſiodorenſe. Vid. *Antiſiodorum*. pag.270
Concilium Matiſconenſe. Vid. *Matiſcona*. pag. 271
Concilium Narbonenſe. Vid. *Narbonenſe*. pagin. 275.& p.661
Concilij celebrandi forma præſcribitur. num. 3. pag.281
Concilium Cabilonenſe. Vid. *Cabilonenſe*. pag. 285
Concilium Emeritenſe. Vid. *Emerita*. p.289
Concilium Quiniſextum in Trullo. Vid. *Conciliabulum*. p.298
Concilium Forojulienſe. Vid. *Forojulium*. num.1. pag.* 313
Concilium Francofordienſe. Vid. *Francofordium*. num.1. pag.314.*
Concilium Moguntinum. Vid. *Moguntia*. pagin. 333
Concilium Rhemenſe II. Vid. *Rhemenſe*. pagin. 335
Concilium Turonenſe III. Vid. *Turonenſe*. ibidem.
Concilium Aquiſgranenſe. Vid. *Aquiſgranum*. pag.338
Concilium Meldenſe. Vid. *Melda*. p. 339
Concilia in cauſa Goteſcalchi Monachi hæretici diverſis locis celebrata. Vid. *Goteſcalchus*. pag.343
Concilia circa Ebbonem Rhemenſem. Vid. *Ebbo*. pag.344
Concilia in cauſa Rhotadi Sueſſionenſis Epiſcopi: Et alia quoque in cauſa Hincmari junioris Laudunenſis Epiſcopi. num. 1. & ſeqq. pag. 344
Vid. *Rhotadus*. Vid. *Hincmarus*.
Concilium VVormatienſe. Vid. *VVormatia*. pag. 347
Concilia diverſa in cauſis nuptiarum illegitimarum à Francorum Regibus initarum, tum Carolinæ, tum Capetianæ ſtirpis. num.1. & ſeqq. pag.348
Vid. *Nuptiæ*.
Concilium Mantalenſe. Vid *Mantalenſe*. num. 1. pag.353
Concilium Triburienſe. Vid. *Triburienſe*. pag. 354
Concilium Namnetenſe. Vid. *Namnetes*. pag.358
Concilium Enhamenſe in Anglia. Vid. *Enhamenſe*. pag.376
Concilium Bituricenſe. Vid. *Bituricenſe*. pag.377
Concilium Saleguſtadienſe. Vid. *Saleguſtadinum*. pag.376



Digitized by Google

Concilium Lemovicenſe. Vid. *Lemovicenſe*. pag. 379

Concilia plura in cauſa Berengarij hæretici. pag. 380

Vid. *Berengarius*.

Concilium Londonienſe. Vid. *Londonienſe*. pag. 383

Concilium Melfitanum. Vid. *Melfia*. p.384

Concilium Placentinum. Vid. *Placentinum*. pag. 385

Concilium Claromontanum. Vid. *Claromontanum*. pag 386

Concilium Lateranenſe. Vid. *Lateranenſe*. pag. 399

Concilia quædam Aquenſia ſecundæ provinciæ Narbonenſis tum anni 1112. tum etiam anni 1106.n.1. p.405

Iſtud poſterius anni 1306. verum & legitimum eſt, cujus convocandi cauſa exponitur. ibid. Vid. *Aquenſe*. Vbi Nota *quod iſtud Concilium non eſt commentitium, ut Index præfert, huic ſiquidem errori cauſam dederat annus 1036. malè ſignatus pro 1306. atque ideo Index corrigendus*. ibid. in verb. Aquenſe Concilium.

Concilium Senonenſe. Vid. *Senonenſe*. p.407

Concilium Toloſanum. Vid. *Toloſanum*. pag. 446

Concilium Narbonenſe. Vid. *Narbonenſe*. pag. 448

Concilium Lugdunenſe. Vid. *Lugdunenſe*. pag. 450

Concilium Londinenſe. Vid. *Londinum*. pagin. 459

Concilium Budenſe. Vid. *Budenſe*. p.474

Concilium Avenionenſe. Vid. *Avenionenſe*. pag. 476

Concilium Colonienſe. Vid. *Colonienſe*. pagin. 486

Concilium Viennenſe. Vid. *Viennenſe*. pagin. 489

Concilium Vaurenſe. Vid. *Vaurenſe*. p.495

Concilium Conſtantienſe. Vid. *Conſtantia*. pag. 521

Concilium Generale an & in quibus caſibus ſit ſupra Papam declaratur, num.13.p.505.& latius num.21 p.508

Concilium Papienſe-Senenſe. Vid. *Papienſe*. pag. 516

Concilium Pariſienſe. Vid. *Pariſienſe*. pagin. 527

Concilium Baſileenſe. Vid. *Baſilea*. p.531

Concilium Ferrarienſe-Florentinum. Vid. *Florentinum*. p.538

Concilium Rotomagenſe. Vid. *Rotomagenſe*. pag. 545

Concilium Treverenſe. Vid. *Treverenſe*. pagin. 577

Concilium Tridentinum. Vid. *Tridentinum*. pag. 580

Concilium Cameracenſe. Vid. *Cameracenſe*. pag. 618

Concilium Mechlinienſe. Vid. *Mechlinienſe*. pag. 626

Concilium Burdigalenſe. Vid. *Burdigalenſe*. pag. 635

Concilium Aquileienſe. Vid. *Aquileienſe*. pag. 651

Concilium Conſtantienſe. Vid. *Conſtantia*. pag. 503.504

Concilium Baſileenſe.n.18. p.513.& 538

Concilium Piſanum.n.5. p.502

Concilium Lateranenſe. num. 8. & 9. pag. 553.& 554

Concilium Tridentinum qua de cauſa congregatum.n.3. p.564

Concilia ſingulis luſtris celebranda. num.18. pag. 507

*Concionator.*

Concionatores Verbi Dei ſunt in primis Epiſcopi & Paſtores animarum.n.8.& 9. p.582

Concionatoribus Verbi Dei quædam leges præſcribuntur.n.9. p.567

Concionatores quinque, aut ſex, vel plures, ſeculares vel Regulares eligat Epiſcopus, qui Diœceſim obeant & plebem pabulo verbi divini reficiant.col.2. p.636

Concionatorem non ferat Paſtor in ſua Eccleſia, ſine mandato Ordinarij.col.2. p.618

Concionatores Quæſtores eleemoſynarum ignati repellantur.n.4. p.519

Concionatores idoneos ſeligant Epiſcopi, qui id muneris adimpleant in eorum defectum. Can.10. p.430

*Concordata.*

Concordata inter Leonem Papam & Franciſcum I. Galliæ Regem. n.10.p.554. & num.10. pag.567

Succeſſerunt in locum Pragmaticæ ſanctionis quæ ideo abrogata eſt.n.10. p.567

*Concubinarius, Concubinatus.*

Concubinæ nomen quomodo olim accipiebatur. num.6. p.193

Concubinatus in pluribus Conciliis prohibitus. ibid.

Decretum Concilij Baſileenſis adverſus Concubinarios.n.12. p.533

Et ſimiliter Pragmatica Sanctio adverſus Clericos concubinarios.n.7. p.547

De Concubinatu coërcendo. n.4. p.548. & col.2. pag.641

De Clericis Concubinariis. num. 89. p.607. & alibi ſæpius. Vid. *Clericus*.

Concubinarij Miſſam nullus audiat. num. 2. pag. 382

*Confeſſarius. Confeſſio Sacramentalis.*

De Confeſſione Sacramentali, & Pœnitentia pro qualitate peccatorum imponenda. num. 6. pag.286

De Confeſſione ter in anno proprio Sacerdoti, vel alij de ejus voluntate, aut mandato facienda. Can.13. p.447

Ex Concilio Rotomagenſi ſaltem ſemel in anno ad Paſcha.n.5. p.545

In Confeſſione omnia peccata mortalia aperienda ſunt cum circumſtantiis quæ ſpeciem mutant, ſuntque in triplici differentia. num. 39. pag.591

Et de Contritione, vel Attritione. num. 38. ibid.

De Confeſſione & Communione à Monachis vel Monialibus ſingulis ſaltem menſibus facienda. num.80. p.604

Confeſſiones ſecularium nullus Presbyter ſecularis vel Regularis audiat niſi fuerit approbatus ab Ordinario. Can. 15. p.596. & col.2. pag.619

Ex Concilio Pariſienſi Can. 28. Confeſſio peccatorum

peccatorum quinquies ſingulis annis facienda. col.2. p.519
De Confeſſione & debita ſatisfactione à Confeſſario exigenda. n.2. p.619. & 610
Ne Confeſſarij peccatorum vinculis irretijos abſolvant quorum abſolutio Epiſcopo reſervatur. n.1. p.621
Confeſſio præcipitur quoties mortis periculum timeri poteſt: & poſt declinatum periculum in gratiarum actionem.col.2.in fin.p.622. & col.1. p.623
Confeſſarij qui ſuo officio minùs rectè funguntur, ſunt removendi. n.1. col.2. p.622

*Confirmatio.*

Confirmationis Sacramentum ſuſcipiatur ante Tonſuram Clericalem. num.47. p.594. & n.5. p.645. & col.1. p.635
Confirmationis Sacramentum quâ reverentia recipiendum. col.1. p.630
Epiſcopus oppida Diœceſis perambulet ad illud conferendum. ibid.

*Confratria.*

Confraternitatum piarum Rectores ſingulis annis coram Ordinarijs rationes reddant. num.45. p.594
Confratriarum abuſus, & ne novæ erigantur abſque Epiſcoporum aſſenſu expreſſo. n.8. p.570
Confraternitates quæ retinendæ,& quæ tollendæ. num.9. p.642

*Congrua portio.*

Congrua portio Parochiali Presbytero aſſignanda. num.17.p.436. & can.23.p.462. & can.4. & 6. p.593. & p.574. & n.4. p.576

*Conſtantia. Conſtantienſe Concilium.*

Conſtantia Civitas Imperij quam Rhenus interfluit, alluitque amœnus lacus. n.10. p.504
Conſtantienſe Concilium auſpicatum anno 1414. procurante & promovente Sigiſmundo Hungariæ Rege, n.9. p.504. & n.1. p.521
Convocatum fuit ad ſedandum graviſſimum & longiſſimum ſchiſma. num.9. 10. & alijs ſeqq. p.503
In eo comparere noluit Petrus de Luna, quinimo illud tanquam ſchiſmaticum damnavit. num.10. p.504
Comparuit Balthaſſar Coſſa dictus Ioannes XXIII. Pontificaliter celebravit, in prima ſeſſione ſermonem ad Synodum habuit, & præſcriptæ ſunt leges in Concilio ſervandæ. n.11. ibid.
*In 1. ſeſſione* Ioannes profeſſus eſt ſe pacem dare Eccleſiæ per viam ſimplicis ceſſionis Papatus,ſi & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus de Corario Gregorius XII. idem facerent. n.12. p.505
Joannes ab eo clam receſſit, & diſputatum fuit utrùm Concilij generalis authoritas eſſet ſupra Papam. n.13. ibid.
Joannes reducitur, & tam ipſe quàm alij duo Competitores ſeſſ.12. deponuntur, quam depoſitionem Joannes ipſe comprobat. n.14. p.506. & n.3. & 4. p.522
*Seſſione* 14. recipitur abdicatio Gregorij XII. qui biennio poſt obijt. num.15. ibid. & num.6. p.523
Interea damnatur hæreſis Vvicleffiana, cujus aſſertor contumax Joannes Hus Brachio ſæculari traditur puniendus. n.16. ibid.
Sigiſmundus proficiſcitur in Hiſpaniam ad obtinendam pariter abdicationem Petri Lunenſis, quo renuente, deſtituitur à Ferdinando Rege & hactenus protectore. n.17. p.507
Anno 417. & ſeſſ.32. proceditur ad ſententiam definitivam adverſus Petrum contumacem.n.18. ibid.
*Seſſ.*39. Editum eſt Synodale decretum de celebrandis Concilijs ſingulis decennijs. ibid.
*Seſſ.*40. Decretum eſt, ut nonobſtante abſentia Cardinalium Petri Lunenſis, procederetur ad novi Papæ electionem; & quod deinceps electus à duabus partibus Cardinalium,verus eſſet Pontifex. n.19. ibid.
*Seſſ.*41. Eligitur in Summum Pontificem Odo Columnenſis, die feſto S.Martini, qui & ipſe Martinus V. cognominari voluit. n.20. ibid.
Concilium iſtud duravit ferè tres annos & ſex menſes, videlicet ab anno 1414. die 5.Novemb. ad ann.1418. die Aprilis 22. ibid.
Martinus ante Concilij diſſolutionem juxta decretum *ſeſſ.*29. locum futuri Concilij deſignavit, & confirmavit acta Concilij in materia fidei; non tamen abſolutè decretum *ſeſſ.*4.de poteſtate Concilij ſupra Pontificem. n.21. p.508.
Quod decretum declaratur. ibid.
Concilium iſtud pro extinguendo trium Pontificum ſchiſmate quorum jura ſeu prætenſiones referuntur, celebratum eſt. n.1. p.521
*Seſſ.*8. Damnatæ ſunt quadraginta quinque propoſitiones excerptæ ex libris Ioannis Vvicleffi hæreſiarchæ Anglicani, quæ ſigillatim recenſentur. ibid.
Ejuſdem libri fuerunt prohibiti, & flammis addicti: necnon ejus oſſa exhumari Concilium mandavit, & procul ab Eccleſia jactari. p.522
*Seſſ.*13. Decernitur Sacramentum Euchariſtiæ porrigendum ſub ſpecie panis tantùm, & à jejunis ſumendum. Vid. *Communio Euchariſtica.* num.5. p.523
*Seſſ.*15. Propoſitiones hæreticæ Ioannis Hus damnantur, ejus libri igni traditi ſunt, ipſéque contumax hæreticus exhauthoratus traditur Brachio ſæculari,cujus judicio flammis addictus eſt. n.7. ibid.
Propoſitio de Tyrannicidio tanquam hæretica, ſcandaloſa, & bonis moribus contraria damnatur. ibid.
*Seſſ.*19. Hieronymus de Praga vir laïcus hæreſim ejuravit, & poſtea relapſus & contumax judici ſæculari traditus, vivens combuſtus eſt martyr Diaboli. n.8. p.524
*Seſſ.*39. Edicto perpetuo decernitur ut poſt quinquennium aliud celebretur Concilium generale, & deinde poſt ſeptennium aliud,ac deinceps in perpetuum ſingulis decennijs: & de Conciliorum utilitate. n.9. & 10. ibid.
*Eadem ſeſſ.*39. Editum eſt decretum de ſpolijs & procurationibus, quod refert n.11. p.525
*Seſſ.*40. Statuitur, ut futurus Romanus Pontifex, ejuſque ſucceſſores ſtudeant Eccleſiam reformare tam in capite, quàm in membris, & Rom. Curiæ defectus emendare, juxta Catalogum ibi relatum. n.12. p.525
*Seſſ.*41. Electus eſt Summus Pontifex Martinus V. cunctis præ gaudio plaudentibus. n.13. ibid.
*Seſſ.*43. Martinus Pontifex præſedens ſacro approbante Concilio exemptiones Eccleſiarum,

Monaſteriorum, &c. quas indulſerant Rom. Pontifices poſt obitum Gregorij XI. reſcidit, & Ordinariorum poteſtati ſubjecit. n.14. ibid.
*Eadem ſeſſ.* agitur de revocatione unionum & incorporationum tempore obitus Gregorij XI. factarum. ibid.
*Eadem ſeſſ.* 43. ſtatuitur pœna adverſus ſimoniacas ordinationes, electiones, & proviſiones quaſcunque, &c. n.15. p.526
*Eadem ſeſſ.* conſtitutio edicitur circa diſpenſationes. n.16. ibid.
De Decimis & alijs oneribus Eccleſiaſticis etiam proviſum eſt ut refertur n.17. ibid.
Eadem ſeſſio terminatur editis conſtitutionibus de vita & honeſtate Clericorum, circa tonſuram, veſtes, & cultum exteriorem. n.18. p.526
*Seſſ.* 44. Martinus Pontifex deſignat futurum Concilium celebrandum poſt quinquennium in Civitate Papienſi. n.19. ibid.
*Seſſ.* 45. Dimiſſum eſt in pace ſacroſanctum Concilium. n.20. ibid.

*Conſtantinopolitanum Concilium.*

Conſtantinopolitanum Concilium œcumenicum authoritate Damaſi Pontificis celebratum ſub imperio Theodoſij Senioris, an. Chriſtiano 381. num. 1. & 2. p.161
Deſcriptio vrbis Conſtantinopolitanæ. num. 1. ibid.
Tribus de cauſis Concilium fuit convocatum quæ referuntur. ibid. n.2. p.161
Unanimi conſenſu Damaſi & Theodoſij indictum. n.3. p.162
Epiſcopis conſtans 150. cui præſedit primúſque ſubſcripſit Nectarius Regiæ urbis Epiſcopus. num.5. p.162. & 163
*Can.* 1. Inſtauratur & roboratur Nicæna fides de Filij Dei æternitate & conſubſtantialitate cum æterno Patre. n.6. p.163
Impia Macedonij & Eunomij dogmata damnantur. ibid.
Et omnes ſectæ Arianorum: & Sabellianorum: necnon Marcelli Ancyrani, Photini Sirmienſis, & Apollinaris Laodiceni. ibid.
*Can.* 2. Ut Epiſcopi proprias gubernent Eccleſias, nec ad alias accedant niſi invitati fuerint. num.7. p.163
*Can.* 3. *al.* 5. Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat priores honoris partes poſt Romanum. num.8. ibid.
Iſte Canon occaſionem dedit ſchiſmati Eccleſiæ Orientalis. ibid.
*Can.* 4. *al.* 6. de Maximo philoſophico Cynico damnato, ejuſque ordinatione declarata irrita: atque ita ordinationes ab ipſo factæ tamquam à falſo Epiſcopo fuerunt declaratæ nullæ. n.9. p.163. 164
Maximi illius Cynici ambitio & hypocryſis deſcribitur. ibid.
Gregorij Papæ Magni de hujus Concilij decretis judicium obſervatur. n.10. p.164
*Can.* 6. De Epiſcopis, aliiſque Clericis temerè non accuſandis non ab excommunicatis, hæreticis, & alijs inter reos conſtitutis, ipſorumque accuſationibus rejiciendis, priuſquam accuſatores ſe purgaverint. n.11. p.165
Item ut in accuſatione Epiſcopi, poſſit à Provinciali Synodo ad majorem recurri. num.12. ibid.
*Can* 7. De hæreticis errorem ſuum abjurantibus, & rectæ fidei adſcribi volentibus recipiendis, n.13. p.166
Conſtantinopolitani Concilij ſymbolum Fidei, à Sancta Eccleſia in Miſſa decantari ſolitum. p.166
De proceſſione Spiritus ſancti à Patre Filióque remiſſivè. ibid.
Concilium extemporaneum Conſtantinopoli convocatum auſpicijs Juſtini Auguſti, in quo Epiphanius electus eſt Præſul illius Eccleſiæ. n.1. p.259
Poſt Epiphanium ſucceſſit Antimus Eutychianus. ibid.
Antimum depoſuit Agapetus Papa, conſentiente Juſtiniano, & Mennam ſubſtituit. ibid.
Mennas iterum Synodum convocat, in qua multæ epiſtolæ accuſatoriæ adverſus Anthimum, & Severum Antiochiæ Pſeudoepiſcopum, alioſque Eutychianos lectæ ſunt, tandemque Actione quinta ſacra Synodus præfatos hæreticos damnavit. ibid.
Conſtantinopolitanum Concilium ſecundum, ipſúmque univerſale quintum anno 553. habitum. n.1. & ſeqq. p.263
Juſtiniano à Theodoro Cæſarienſi ſeducto inſtante, & Vigilij Rom. Pontificis quamvis inviti authoritate convocatum. n.7. & 8. p.264
Vigilius rogatus fuit ut illi præſideret, quod tamen facere conſtanter recuſavit, veritus dolos, & hac ratione integrum ſibi reſervans approbare vel reſpuere quod in Concilio eſſet decretum. n.8. & 9. p.265
Concilium in Secretario Patres auſpicantur, ac ſuper tribus capitulis propoſitis decernunt. n.10. p.265
In eo Origenis errores damnantur. n.11. & ſeqq. ibid.
Juſtinianus Prælatos recuſantes approbare tria capitula exilijs, varijſque ſupplicijs afficit. n.15. p.266
Ipſum quoque Vigilium ab initio recuſantem in tetrum carcerem detruſit ac per vim compulit approbare. ibid. p.267
Iſtud Concilium quidam non approbant, quòd non de Fide, ſed de perſonis in eo tractatum fuerit. n.16. ibid.
In eo neque Papa Vigilius, neque ullus ejus Legatus interfuit. n.17. p.267
Græcorum licentia in effingendis impoſturis notatur. ibid.
Concilium Conſtantinopolitanum œcumenicum ſextum Agathonis authoritate congregatum miſſis ab ipſo Legatis qui in eo præſederunt ſub Conſtantino Pogonato, in Secretario Palatij Regij, quod Trullum vocabant, an. 680. n.10. p.2-8. & n.5. cum ſeqq. p.293
Ordo ſeſſionis in hoc Concilio exponitur. n.6. ibid.
Macharius Monothelita pervicax Antiochena ſede dejicitur & communione privatur. ibid.
Polychronij Monachi impudens dementia. n.7. p.294
In eo approbantur quæ in quinque præcedentibus Synodis œcumenicis ſtabilita fuerant. n.8. ibid.
Decrevit, contra Monothelitas, duas in Chriſto Domino eſſe voluntates, totidemque actiones, divinam & humanam; iſtamque divinæ per omnia ſubditam & conſentientem: & qui ſecus docuerint

docuerint pro hæreticis damnati. n.10. p.278. & n.8. p.294
Ecthefis Heraclij Monothelitarum dogma aſſerens damnatur. ibid.
Et ſimiliter Conſtantis typus prohibens tam unam quàm duas in Chriſto voluntates & actiones prædicari: cui ſuffragatur Honorij epiſtola ad Sergium Conſtantinopolis Præſulem. n.2. p.292
De Honorio Pontifice circa præfatam epiſtolam multa traduntur & hiſtoricè diſquiruntur, à num.8. & ſeqq. p.294
Concilium Conſtantinopolitanum quartum, & Oecumenicum octavum celebratum anno 869. ſub Adriano Papa II. & Baſilio Imperatore. num.1. & 5. p.349
A Baſilio deponitur Photius invaſor Sedis Conſtantinopolitanæ, & reſtituitur Ignatius ab ipſa per calumniam dejectus. n.2.3. & 5. ibid.
Concilio indicto comparet Photius pertinax, & jam olim à Nicolao Pontifice damnatus, iterúmque ab Adriano, tertiò tandem in hac Synodo, atramento ſanguine Chriſti diluto anathemati Patres ſubſcribunt. n.7. & 8. p.350
*Can.*1. Edicitur ſervandas eſſe traditiones Apoſtolicas non ſcriptas perinde ac divinas Scripturas. n.9. ibid.
*Can.*2. Firmantur Nicolai & Adriani definitiones pro Ignatio contra Photium. n.10. ibid.
*Can.*3. De Sacris Imaginibus venerandis. ibid.
*Can.*4. Photius declaratur nunquam fuiſſe Epiſcopus, & quod ordinationes ab eo factæ irritæ ſunt. ibid.
*Can.*5. Neophyti ad Epiſcopatum non aſſumantur. n.11. p.351
*Can.*10. Quod unica ſit hominis anima. n.12. ibid.
*Can.*11. Ut Epiſcopi ab omnibus colantur, & ipſi ſuæ dignitatis ſemper & ubique meminerint. ibid.
*Can.*12. Principum præſentia in Concilijs, an requiratur. p.352
*Can.*13. Nemo audeat adverſus Sedem Romanam ſive ſcripto,ſive non ſcripto inſanias jactare. n.14. ibid.
*Can.*14.De Pallio Pontificio certis locis & temporibus ab Epiſcopis geſtando. n.15. p.352
Conſtantinopolitanum Concilium anno 1642. à Parthenio Patriarcha celebratum adverſus impia Calvini dogmata, quæ per Cyrillum diſſeminata fuerant. n.1. p.656
Primo quidem decreto Græci ſemper à veritate aberrant circa proceſſionem Spiritus ſancti: in cæteris verò damnant cum Eccleſia Romana omnem hæreſim Calvinianam. num.2. & ſeqq. ibid.
Propoſitiones impiæ & hæreticæ Calvini ſigillatim referuntur in hoc Concilio damnaræ à num.4. uſque ad 21. p.657. & 658

*Conſtans.*

Conſtans tertius Conſtantini Magni filius Catholicus, cui Italia, Sicilia,Africa, & Illyricum teſtamento patris obtigerunt. n.15. p.87
Procurat Sardicenſe Concilium pro defenſione Athanaſij. n.17. p.88
Athanaſium ſedi ſuæ reſtituit. n.19. ibid.
A Gaiſone duce Magnentij Tyranni apud oppidum Helenam interficitur. ibid.

*Conſtantinus Irenes.*

Conſtantinus Copronymi & Irenes filius cum matre annos ferè decem imperavit. num.4. p.301. & num.6. p.307
Taraſium pietate inſignem virum Regiæ urbis Patriarcham fecit. ibid.
Taraſio hortante, Conſtantinus & Irene ſcripſerunt ad Rom. Pontificem Hadrianum ut Synodum indiceret, quæ propter hæreticorum ſeditionem Nicææ habita eſt. n.4.p.301. & n.6. & 7. p.307
Conſtantinus tutelæ & adminiſtrationis maternæ pertæſus & Stauracij miniſtri, Imperium ſolus peſſimè regit. n.5. p.301
Nicephorum patruum,& Alexium Ducem oculis orbavit. ibid.
Ipſe eodem afficitur ſupplicio ab Irene matre quam in ordinem redactam ſub cuſtodia tenebat. ibid.
Moritur, ejuſque mortem ſecuta eſt horrenda caligo 17.dierum. ibid.

*Conſtantinus Magnus.*

Conſtantinus Conſtantij Chlori & Helenæ filius è cuſtodia, qua eum detinebat Galerius, evaſit, ſeque ad Conſtantium patrem recepit. num.1. p.83
Ducit uxorem Fauſtam filiam Herculij Maximiani. n.2. ibid.
Expeditionem parat in Gallijs contra Maxentium, divino Crucis oſtento Chriſtianam amplectitur Religionem. n.3. & 7. ibid.
Imperator Occidentis fœdus init cum Licinio Imperatore Orientis, cui nuptum dat ſororem Conſtantiam. n.5. p.84
Bellum ſuſcipit adverſus Licinium Chriſtianos vexantem: quem tandem fœdifragum occidi juſſit. n.6. p.84
Criſpum filium ex priore uxore Minervina, novercali calumnia Fauſtæ ſecundæ uxoris deluſus necari juſſit. n.7. ibid.
Comperta fraude Fauſtam morti addixit. ibid.
A Donatiſtis interpellatur adverſus Cæcilianum Antiſtitem Carthaginis ab illis in conciliabulo ejectum. n.8. p.84.85
Diſciſſam à Donatiſtis, & ab Arrianis Eccleſiam conatur in concordiam revocare num.11. p.86
Mittit Athanaſium in Ægyptum ad hæreſim Arij compeſcendam & extinguendam. ibid.
Procurat Concilium generale Nicænum, n.12. ibid.
Saporem Perſarum Regem Chriſtianos vexantem mitigare ſtuduit. n.13. p.86
Iberorum Regis Legatos rogantes ut Epiſcopos & Sacerdotes mitteret, quorum ductu baptiſmum & religionem Chriſtianam Iberi ſuſciperent, benigniſſimè excepit. ibid.
E vivis excedit, partito in ſuo teſtamento inter liberos ſuos imperio. n.15. p.87
Conſtantinus procurat Concilium Arelatenſe, ut omnem tergiverſandi Donatiſtis occaſionem præriperet, utque iteratis condemnationibus juſtè ſuccumbentes reſipiſcerent,vel malitia eorum omnibus innoteſceret. n.4. & 5. p.98
Conſtantini pia exclamatio in proterviam Donatiſtarum. ibid.
Conſtantinus ipſemet Concilio Arelatenſi interfuit. n.5. ibid.
Nicæno Concilio interfuit. n.7. 8. & 9. p.102

Libellos

Libellos famoſos & calumnioſos ab Arianis ipſi porrectos adverſus Orthodoxos comburi juſſit. ibid.
Præclarum ejus effatum de occultandis Sacerdotum Dei delictis, vitandi ſcandali cauſa. ibid.
Singulari prudentia & zelo murmurationes in Concilio ſubnaſcentes ſopiebat, & ad concordiam omnes revocare ſatagebat. ibid.
Arium Synodali decreto damnatum exilio multavit; ſed & ipſum reſipiſcentiam ſimulantem ab exilio revocavit. ibid. Vid. *Arius.*
Conſtantinus quando, & à quo baptizatus. n.2. & ſeqq. p.124
Scripta Arij impia, hæretica, & alia obſcœna flammis addicit: jubetque ab omnibus recipi Fidem Nicænam. n.2. p.126
Arianorum fraudes non ſatis perſpexit. ibid.
Euſebij Nicomedienſis dolorum artificis, quem in paucis charum habebat, fraudibus ſeducitur. num.3. & ſeqq. ibid.
Athanaſium calumnioſè accuſatum in exilium mittit, & Arium revocat. n.10. & 11. p.128

*Conſtantius.*

Conſtantius ſecundus Conſtantini Magni filius hæreticus Arianus. n.15. p.87
Athanaſium Sede ſua expellit. n.16. ibid.
Metu Conſtantis fratris orthodoxi Athanaſium revocat. n.19. p.88
Conſtantio Julianus Apoſtata ſucceſſit. ibid.
Conſtantij impietas adverſus Epiſcopos orthodoxos. n.21. p.89
De Magnentio Tyranno victoriam reportat. n.22.23. p.90
Febri moritur. num.23. ibid.

*Conſtantius Chlorus.*

Conſtantius Chlorus Cæſar creatus à Diocletiano & Maximiano, repudiat Helenam matrem Conſtantini, & Maximiani Herculij privignam Theodoram duxit. n.27. p.63
Conſtantius affectu erga Chriſtianos propenſus Gallijs & Britannijs contentus, Italiam, Hiſpaniam, & Africam ſponte ceſſit Galerio Armentario. n.1. p.83
Conſtantius in complexu Conſtantini filij ſui è cuſtodia Galerij feliciter elapſi lætitia effuſus paulo pòſt obijt. ibid.

*Conſtantinus Copronymus.*

Conſtantinus Copronymus nequiſſimo patri Leoni nequior filius ſucceſſit in Imperio. num.3. p.301
Sic denominatus quod ſacrum lavacrum dum baptizaretur ventris ſordibus conſpurcaverit. ibid.
Impietati paternæ adverſus ſacras imagines novas addidit impietates & ſacrilegia. ibid. & n.3. p.306
Magicis præſtigijs & flagitijs execrandis totus addictus. n.2. p.306
Rebellat populus & Artabaſdum Curopalatem Imperatorem deſignat, & ſacras Imagines priſtinis locis reponit. ibid.
Copronymus collecto ingenti exercitu Conſtantinopolim capit, eruit oculos Artabaſdi, univerſos dirè affligit, & Pſeudopatriarcham Anaſtaſium ejus impietatis fautorem magna & crudeli infamia affecit. ibid.
Pſeudoſynodum Conſtantinopoli indixit, qua in ſacras Imagines conclamatum eſt. n.3.p.301. & num.5. p.306
Senatores aliquos & Clariſſimos Viros quòd ſacras Imagines occultaſſent & coluiſſent varijs cruciavit ſupplicijs. ibid.
Conſtantinum Pſeudopatriarcham Anaſtaſio ſuffecit, quem poſtea jugulari juſſit. n.4. p.306
Ipſe tandem Copronymus inter horrendos cruciatus miſerum in modum moritur. ibid.
Leonem filium ſucceſſorem habuit, qui brevi ob ſacrilegium extinguitur. n.5. ibid.

*Correctio.*

Exceſſus per Epiſcopos corrigendi. n.8.p.532.& n.13.p.579
Correctio delinquentium ad quos ſpectet in utroque foro. n.3. p.536
A correctione legitima non admittitur appellatio, niſi modus excedatur. n.35. p.590
Decanorum poteſtas circa diſciplinam Eccleſiaſticam. n.14. p.575
Epiſcoporum poteſtas & juriſdictio circa correctionem Eccleſiaſticorum. n.13.p.579. & can.8. p.430
De reformatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, n.6. & 7. p.566
Correctio Clericorum ad Epiſcopos ſpectat. n.5. p.331
Correctioni Clericorum Epiſcopi diligenter intendere debent ex Concilio Viennenſi. num.8. p.491
Vid. *Clericus.* Vid. *Epiſcopus.*
*Cultus* Dei externus. num.3. p.578

*Crux.*

Crucem, in qua Chriſtus Dominus ſuum ſacrificium pro redemptione generis humani conſummavit, cum ingenti captivorum multitudine Coſroës aſportavit. n.5. p.277
Heraclius inita pace cum Siroë filio Coſroïs illam recuperavit, & ſuis humeris Ieroſolymam tranſportavit. ibid.
De adoratione Sanctæ Crucis, & quo cultu adoretur. n 9. 10. & 11. p.314.

## D

*Decimæ.*

Decimæ cui Eccleſiæ ſolvendæ ſint. can.9. p.338. & n.6. p.355
Decimæ & Nonæ perſolvendæ ex rebus Eccleſiaſticis. n.7. p.341. ubi explicatur.
De Decimis fideliter ſolvendis pulchra S.Auguſtini doctrina refertur. n.5. p.355
Decimis ſuis vetus Eccleſia non eſt privanda, ſi in eodem loco nova ædificetur. n.6. p.355
Decimæ perſonales, n.11. p.388
Decimæ à Laïcis non poſſideantur, nec ſacrilegè retineantur. Can.10.p.404. can.14.in fin. p.416
Decimæ ſolvi debent ante deductionem ſeminis, impenſarum, tributorum, & cenſuum. num.37. p.440
Ciſtercienſes an & quomodo eximantur à Decimis. can.55. ibid.
Religioſi retrahentes in ſermonibus ſuis audientes à ſolutione Decimarum, excommunicantur. num.17. p.492

*Delictum.*

Delictum animæ, ψυχῆς ἁμάρτημα de quo in Concilio Nicæno can.2. quale ſit. num.5. & 6. p.107



Digitized by Google

Delicta non debent manere impunita. num.12. p.573

*Decius.*

Decius filium ejuſdem nominis aſcivit in imperium, n.12. p.59
Crudeliſſimam in Chriſtianos perſecutionem indixit. ibid.
Aliquot recenſentur illuſtres Chriſtiani martyrio coronati. ibid.
Secundo tamen imperij anno Monſtrum illud fuit extinctum. n.13. p.60
Ei ſucceſſit Gallus Hoſtilius ab Exercitu Romano creatus Imperator. ibid. & brevi interemptus. n.16. p.61

*Diaconi.*

Diaconi intra ſuos limites remaneant, & quo ordine Euchariſtiam ſumant. n.2. p.117
Diaconi ſeptem eſſe debent. n.61 p.97
Diaconi lapſi quomodo dicuntur ceſſare ab omni ſacro Miniſterio, etiamſi inierint novum Fidei certamen. n.3. p.95
Diaconi qui in ipſa Ordinatione proteſtantur ſe velle uxores ducere, manent in Miniſterio: aliàs non. n.5. p.95
Diaconorum Officium. n.4. p.94
Diaconi inter Presbyteros non ſedent. num.12. p.154

*Diaconiſſæ.*

Diaconiſſarum primitivæ Eccleſiæ multiplex erat Officium. n.1. p.25
Parti Eccleſiæ præficiebantur ad quam ſolæ fœminæ admittebantur. ibid.
Mandata Sacerdotum & Diaconorum exequebantur apud fœminas in diſtribuendis eleemoſynis, aliiſque pijs operibus. n.2. ibid.
Diaconiſſæ viduæ neque bigamæ, neque minoris ætatis ſexaginta annorum admittebantur. n.3. pag.25
In Virginibus & ſacris Monialibus ſufficiebat ætas 40. annorum, ad velamen accipiendum. ibid.
Diaconiſſæ poſtea admiſſæ ſi ætatem haberent 40. annor. ibid. & n.10. p.221
Diaconiſſarum habitus à ſæcularium habitu fuit diſtinctus, & qualis fuerit, declaratur. num.4. p.26
Diaconiſſarum officium & miniſterium erga ægrotos. ibid.
Diaconiſſarum ordinatio fiebat per manuum impoſitionem. n.5. p.26
Non quidem Sacramentalem, ſed ceremonialem. n.6. ibid.
Diaconiſſarum uſus & miniſterium paulatim in deſuetudinem abijt, ipſarumque conſecratio abrogata. ibid.
Diaconiſſam non eſſe ordinandam ante 40. ætatis annum & cum accurata examinatione: & plura de Diaconiſſis. n.10. p.221

*Dies.*

Dies Paſchæ Formatarum literarum ſubſcriptione omnibus intimetur. num.4. p.180. & num.2. p.167
Diebus Feſtis venditiones rerum, exceptis quæ ad divinum cultum, & victum neceſſarium pertinent, prohibentur. n.1. p.632
De Diebus Dominicis & Feſtivis ſanctificandis: & quod à ſpectaculis, Choreis, compotationibus, abſtineatur. n.5. p.618. & cap.11. p.627
Diebus feſtis nundinæ, & aliæ prophanæ negotiationes prohibentur. num.5. p.619. & num.1. p.632
Dies Dominicales, & Feſti, abſque omni opere ſervili in ſancta devotione ſerventur. Can.25. p.529
Abuſus quo Barbitonſores, & Mareſcalli putant ſibi licere ſua exercere miniſteria, reprobatur. ibid.

*Diocletianus & Maximianus.*

Diocletianus, extincto Numeriano, Imperator renuntiatus Maximianum creavit Auguſtum, ſimúlque varia bella proſperè peregerunt. n.27. pag.63
Bellum atrocius & injuſtius adverſus Chriſtianos excitarunt. n.28. ibid.
Diocletiana perſecutio immaniſſima enarratur. ib.
Ambo Auguſti Imperium ſponte dimiſerunt: quibus Chlorus, & Maximianus cognomine Armentarius ſucceſſerunt. n.29. p.64
Diocletiani & Maximiani abdicatio locum fecit Galerio Armentario, Maxentio, Maximino, & Licinio. n.1.2. & ſeqq. p.83
Diocletianus quietem vitæ privatæ præfert Imperio. n.2. ibid.
Miſerè moritur. n.5. p.84

*Diptycha Eccleſiaſtica.*

Diptycha ſunt commemoratio tum viventium, tum mortuorum illuſtrium inter ſacra myſteria facta, pro quibus Eccleſia fundebat preces ſpecialiter. num.1. & ſeqq. p.49
De quo variæ ex SS. Patribus authoritates referuntur. n.2. ibid.
Ex Diptychis nomina eradi identidem contendebant qui Eccleſijs præficiebantur, vel ex odio; vel ex juſtis cauſis. n.3. ibid. & n.4. p.50
Exemplum dabit Chryſoſtomi perſecutio. n.14. p.185. & 186

*Divortium.*

Divortium ſine juſta cauſa & ſine judicio Eccleſiæ fieri non debet. col.1. p.234
Divortium quoad torum ex tribus cauſis fieri poteſt quæ traduntur. ibid.
Divortium Infidelis converſi & aliæ nuptiæ cum fideli permittuntur, ſi conjux infidelis nolit remanere cum fideli abſque injuria Creatoris, ſive Chriſtianæ Religionis. ibid. & n.17. p.185
Divortium fieri poteſt ex cauſa adulterij alterutrius conjugis. n.8. p.312
Et an liceat innocenti ad alia vota tranſire. n.4. p.327. & n.2. p.313. & n.7. p.334

*S. Dominicus.*

S. Dominicus Ordinis Prædicatorum inſtitutor. num.17. p.423
Ipſo præeunte, Crucifixi effigiem geſtante, centum millia armatorum Albigenſium, ab octingentis equitibus & mille peditibus, Montefortio Duce, in acie profligata fuerunt. n.7. p.420
Interfuit Concilio generali Lugdunenſi, ab Innocent. IV. indicto, qui approbavit ejus conſilium inſtituendi Ordinem Prædicat. n.6. p.446

*Donatiſtæ.*

Donatiſtæ hæretici & Schiſmatici pertinaciter à Sede Petri receſſerunt, neque ullum in ſectam ſuam aſciverunt niſi priùs ejurato baptiſmo in Eccleſia Catholica ſuſcepto. n.2. p.65
Donatiſtæ objiciebant Catholicis lapſum Marcellini. n.1. p.79
Donatiſtarum Schiſmaticorum ſecta impia originem duxit ex perfidia quorundam Epiſcoporum aliorumque

aliorumque Clericorum obtemperantium Edictis Diocletiani & Maximiani Sacros Codices Magiſtratibus tradiderant. n.2. p.81
Donatiſtarum factio adverſus Cæcilianum Carthaginis Epiſcopum ut ſibi ſoli Eccleſiam illam totius Africæ primariam aſſererent.num.1. p.81
Donatiſtæ accuſabant falsò Cæcilianum quod ſacros Codices Magiſtratibus Ethnicis tradidiſſet. ibid.
Et nihilominus in ſecundo ipſorum conciliabulo Epiſcopos ſuæ factionis ejuſdem criminis reos ad communionem admiſerunt. n.2. p.81 82
Interpellant Conſtantinum pro confirmando Majorino ab ipſis ordinato in Antiſtitem Carthaginenſis Eccleſiæ, adverſus Cæcilianum legitimum Epiſcopum & calumnioſè ab eiſdem accuſatum. n.8. p.85
Donatiſtæ ut calumniatores ſubmoventur, & Cæciliani confirmatur electio à Rom. Pontifice. ibid.
Repelluntur ſimiliter in Concilio Arelatenſi. ibid.
Provocant iterum ad Imperatorem, à quo novæ damnationis ſententiam receperunt, addita exilij pœna, quæ tamen poſtea remiſſa eſt. ibid.
Donatiſtæ à Donato à caſis nigris authore ſchiſmatis denominati. n.2. p.97
Triplici calumnia Cæcilianum Epiſcopum Carthaginis incuſant, & injurioſè expellunt, Majorinum ejus loco ſufficientes. n.1 & 2. ibid.
Cauſa remittitur ad Melchiadem Rom. Pontificem, qui jus omne Cæciliano adjudicat,rejectis Donatiſtarum calumnijs. ibid.
Donatiſtæ pervicaces provocant ad Conſtantinum; qui plenioris atque ampliſſimi examinis gratia Concilium Arelate cogendum permittit. n.3. ubi verba Auguſtini hac de re recenſentur. p.97
Quæ provocatio non eſt appellatio ab Eccleſiæ judicio, ſed reclamatio ad reviſionem proceſſus. ibid.
Exclamatio Conſtantini M. in Donatiſtarum proterviam. n.4. p.98

*Duellum.*

Duellorum uſus ſub graviſſimis pœnis prohibetur. num.9. p.608
Duellantes, & patrini, & quovis modo duello cooperantes,ſpectatores,anathemate feriuntur: & alia notatu digna referuntur latè. ibid.

E

*Ebbo.*

Ebbo Rhemenſis Archiepiſcopus perduellis, & perduellium fautor adverſus Ludovicum Pium. n.1. p.344
Conciliabulum convocat, ſatagitque, ut in eo Ludovicus declaretur indignus Imperio, & in Monaſterium relegetur. ibid.
Pœnitentis ſpeciem poſtea induit,& Epiſcopatu ſe tamquam indignum abdicat ibid.
Ebbonem depoſitum Eccleſiæ ſuæ Lotharius,cujus gratiâ depoſitus fuerat reſtituit. n.2. p.344
Ebbo Rhemos rediit, multáſque fecit Ordinationes,de quarum validitate dubitatum fuit. ibid.
Regno Caroli ſtabilito,iterum Ebbo relicta Sede ad Lotharium remeavit ibid.
In Concilio Bellovacenſi providetur Eccleſiæ Rhemenſi cui præficitur Hincmarus.n.3. p.344
In Sueſſionenſi poſtea celebrato an.853. in quo pronuntiatum Ordinationes Ebbonis depoſiti damnabiles. n.4. ibid.
Ebbonis depoſitionem Sergius Papa confirmavit, ipſumque ad laicam communionem redaxit. ibid.
Nicolaus Papa Clericos ab Ebbone rectè fuiſſe ordinatos decernit, in duabus Epiſtolis. ibid.

*Eccleſia.*

Eccleſiæ diſciplina exterior mutari poteſt mutatis temporibus & cauſis: Fides tamen ipſa firma & immutabilis eſt. n.1 & ſeqq. p.19
Eccleſiæ Chriſtianæ perſecutiones variæ: Vid. *Perſecutio.*
Eccleſiæ pax reddita ſub Commodo Imperatore. num.11. p.22
Eccleſiæ primitivæ ritus & diſciplina inveſtigatur. num.1. & ſeqq. p.24
Vid. *Manuum impoſitio.*
Eccleſiæ veteres, quæ Baſilicæ vocabantur, quatuor conſtabant partibus. n.1. p.39
Pars prima,Porticus ſeu veſtibulum; altera,Navis; tertia Ambon, ſive Suggeſtum; quarta Sanctuarium vocabantur. ibid.
Eccleſiæ pars prima, ſive porticus, quid eſſet? explicatur. n.2. p.39
Eccleſiæ januas ingreſſis occurrebat navis, quæ erat Pœnitentium Auditorum ſtatio n.3. ibid.
Eccleſiæ navim ingreſſis occurrebat Tabulatum virorum & fœminarum ſtationem dirimens, à foribus aduſque ambonem pertingens. num.5. pag.40
Eccleſiæ tertia pars Ambon ſive Chorus dicebatur, vel Suggeſtum, & quid eò loci fieret,explicatur. n.6. & 7. ibid.
In Eccleſijs Græcorum locus erat amboni & Sanctuario intermedius, qui Solea dicitur. num.8. ibid.
In Ambonibus quatuor erant portæ. n.7. p.40
Eccleſiæ quarta pars Sanctuarium, vel Secretarium, vel Tribunal, vel Sancta Sanctorum denominabatur: eráque pars ſacratiſſima & penitiſſima, quæ deſcribitur. n.9. ibid.
In ea erat Tabernaculum ſeu Ciborium, & Altare. ibid.
Eccleſiæ Sanctuarium, interjectis cancellis, à reliqua Eccleſia erat diviſum. n.10. Vid. *Sanctuarium.* p.41
In Eccleſiæ introitu fons erat, ad quem manus abluebant ingreſſuri locum ſacrum. ibid.
Eccleſiarum ſitus Orientem ſpectabat. n.11. p.41
Baptiſteria non intra, ſed extra Eccleſiam conſtructa erant. n.18. p.42
Eccleſiæ Romanæ Primatus. n.1. p.111. & 112
Eccleſiarum privilegia & prærogativæ ſervandæ. n.1. ibid.
Eccleſia ſub Principibus Chriſtianis potentior & ſplendidior opibus, minor virtutibus. n.1. p.142
Eccleſiæ nemo prohibeatur ingreſſu ad audiendum Verbum Dei. n.21. ibid.
Eccleſiæ matricula. n.4. p.231
Ludicræ ſaltationes & alia indecora in Eccleſia fieri non debent conſuetudine non obſtante. n.1.p.273. & can 43 p.496. & can.2. p.528
Vela ad oſtia Eccleſiarum appenſa. num.5. p.274
Eccleſia non eſt conſecranda ſine dote. num.2. p.270

Unitas

Unitas duplex in Eccleſia. n.10. p.296
Solium Principis in Eccleſia quale ſit. num.10. 11. & 12. p.298
Eccleſia progreſſu temporis illuſtratur. num.9. 10. & 11. p.307. & 308. & n.1.2.& 3. p.313
Eccleſiarum œconomi. n.12. p.309
Colloquia prophana ab Eccleſia eliminanda. col.2.in fin. p.376. & n.4. p.578
Laïcorum ædificia Eccleſijs juncta tollantur. col.1. initio. p.413
De Reverentia, modeſtia, pietate & devotione Fidelium in Eccleſia. Can.25. p.470. & can.43. p.476
Eccleſiæ unitas conſervanda tanquam neceſſaria ad ſalutem, ut latè diſſeritur. n.3. p.531.532
De Eccleſiarum unione authoritate Epiſcopi. n.42. p.593
De Eccleſijs reparandis. cap.7. ibid.
Eccleſiæ exemptæ, & nullius diœceſis, poſſunt viſitari ab Epiſcopo proprio, vel proximiori. Cap.9. & 11. p.600
Eccleſia Parochialis frequentanda ad audiendum Verbum Dei. n.69. p.600. & n.2. p.638
Ab Eccleſia omnia prophana arceantur. cap.10. p.627
Eccleſiæ quanta reverentia adeundæ ſunt. num.6. p.629
Eccleſiæ Primatiales Galliæ, & aliorum Regnorum. n.1.2. & 3. p.628. & n.4. p.629
Eccleſia polluitur per ſepulturam excommunicati. num.5. p.633. ſimulque Cœmeterium contiguum. ibid.
Laïci divinis interſint Officijs in Eccleſia Parochiali, ut diſtrictè per plura capita præcipitur, num.2. p.638
Mulieres in Eccleſia velato capite orent. n.5. ibid.
Deambulationes in Eccleſia prohibentur. ibid.
Eccleſiarum cuſtodes curabunt ne mendici tempore divini Officij per Eccleſias vagentur. Tit.9. p.640
Eccleſiæ ingreſſus ad audiendum Verbum Dei nemini etiam gentili & hæretico prohibendus. num.21. p.174
Quod declaratur. ibid.
Eccleſiæ poteſtas in adminiſtrandis Sacramentis. num.8. p.179
Eccleſiæ juriſdictio ſpiritualis & poteſtas clavium eſt ſupremum refugium ad vitæ emendationem & jura Eccleſiæ tuenda. n.24. p.575
Eccleſia ſobriè ſuprema ſua poteſtate & excommunicationis gladio uti debet. n.86. p.605

*Electio.*

Electio Summi Pontificis. can.1.p.413. & can.2. p.465
Electionis forma præſcribitur. n.23. p.434
Electio Prælati per ſæculares reprobatur. Can.25. ibid.
Quales ſint eligendi ad Prælaturas. Can.26. ibid.
In Electionibus vota conditionalia, alternativa, & incerta reprobantur. col.2. p.451
Electio Prælatorum, & quomodo ab ea appelletur. num.3. p.466
De Electi conſenſu, & confirmatione Electionis petenda intra legitima tempora. can.5. p.467
Electus ante confirmationem non adminiſtret. can.4. ibid.
Electio quomodo poſſit impugnari. Canone 7. ibid.
De Electione Summi Pontificis & de Cardinalibus latè diſſeritur. n.1. & ſeqq. p.472
De veteri forma eligendorum Epiſcoporum. n.2. & ſeqq. ibid.
Electio Pontificis ſimoniaca decernitur irrita. n.2. pag.565
Electio Superiorum Regularium. num.78. & 79. p.603
Electiones promovendorum ad Sacerdotium Turbis non ſunt committendæ, nec permittendæ. num.9. p.153
Electio canonica Pontificis à nefarijs Principibus impedita fuit aliquando, unde Eccleſia graviſſimas calamitates paſſa eſt. num. 5. pag.361
Jus eligendi Pontificem Othoni Imperatori & ejus ſucceſſoribus conceſſum à Leone anno 963. quæ conceſſio multa ſchiſmata invexit. num.28. p.367
Electionum quarundam formulæ reprobantur. col.1. p.451
Electio, poſtulatio, & conſecratio, diſtinguntur. num.2. p.659
De priſco eligendorum Prælatorum ritu. n.1. & 3. & ſeqq. ibid.
Electio inferiorum Clerico[illegible] olim plebi permiſſa, poſtea interdicta. n.4. [illegible]. p.659
Χειροτονία in electione Clericorum vel Prælatorum ordinandorum quid ſit, exponitur. num.6. p.660
Electio ab Arianis Principibus uſurpata per vim in Eccleſia. n.7. & 8. ibid.
Electio libera Summorum Pontificum à Regibus Franciæ reſtituta, poſtea à Germanis Principibus violata, tandemque plena libertas Eccleſiæ reddita. n.9. ibid. & p.661.
Electio Epiſcopi Alexandrini. n.10. p.661

*Emerita.*

Emerita Auguſta Romanorum colonia, olim Luſitaniæ Metropolis, à Mauris everſa, Eulaliæ natalitio & Martyrio nobilitata. n.1. p.289
Jus ipſius Metropoliticum Callixtus Papa in Eccleſiam Compoſtellanam tranſtulit. ibid.
Concilium Emeritenſe auſpicati ſunt Patres à ſymboli Conſtantinopolitani profeſſione. ibid.
*Can.12.* Clerici in miniſterium Epiſcoporum aſſumpti, à reſidentia in ſua Eccleſia excuſantur, dummodò in Parochijs ſufficiantur Vicarij idonei qui debitum peragant officium, aſſignato ſtipendio. n.2. p.289. & 290
De jure nominandi Parochos Canonicis Cathedralium Eccleſiarum competente, accedente proviſione Epiſcopi, &c. ibid.

*Energumenus.*

Energumeni etymon. num.15. p.74
Energumeni varijs modis agitantur. ibid.
Eorum nomen cum oblatione ad altare non recitatur. ibid. & n.4. p.291
Nullum in Eccleſia miniſterium exercere poſſunt. ibid.
An ad Euchariſtiæ communionem admittantur? Variæ conſtitutiones referuntur. ibid. & num.16. p.74
Stupenda de quadam puella energumena hiſtoria narratur. ibid.
Quæ ſint conſideranda circa Energumenos. pag.75



Digitized by Google

Energumenis locus erat intra Eccleſiæ limina. n.8. p.96
Energumenis omni die Exorciſtæ manum imponant. n.23. p.175
Energumeni furore correpti aliquando, ſunt irregulares. n.4. ubi quorundam Canonum antinomiæ conciliantur. p.291
Energumenis in domo Dei aſſidentibus victus quotidianus miniſtretur. n.23. p.175

*Epacta.*

Epacta ad rationem diei Paſchalis ineunda declaratur. n.1. & ſeqq. p.122
Epactæ & Cycli decemnovennalis notitia requiritur, ut certus aſſignetur annus quo Sol & Luna ſuum ſimul in Zodiaco curſum inchoant. num.2. ibid.
Epacta quid ſit? exponitur, eod. num.2. & ſeqq. ibid.
Epactarum ſubductio nulla erat apud Judæos olim; hodie ſecus. n.5. p.123

*Epaonenſe Concilium.*

Epaonenſe Concilium quando, & quò loci fuerit celebratum, quique illi præſederit. n.1. p.251
*Can.*3. Pœnitentiam profeſſi ad Clericatum penitùs non vocentur. n.2. ibid.
*Can.*4. Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus non liceat habere canes & accipitres ad venandum. num.3. p.252
*Can.*6. Presbytero, vel Diacono ſine literis proprij Epiſcopi peregrinanti communionem nullus impendat. ibid.
*Can.*9. Unus Abbas duobus Monaſterijs non præſideat. n.4. ibid.
*Can.*11. Nè Clericus ſæcularem judicem interpellet, ſed ad illum citatus compareat. num.5. p.252
*Can.*16. Ut hæretici decumbentes urgente neceſſitate, à Presbyteris; ſani verò converſuri ab Epiſcopo Chriſma ſuſcipiant. n.6. ibid.
*Can.*17. de teſtamento Epiſcopi. n.7. ibid.
*Can.*22. De Presbytero, aut Diacono capitalis criminis reo degradando, & in Monaſterium detrudendo. n.8. p.252
*Can.*24. Clerici poſſunt accuſari à laicis, modò vera ſuggerant. n.9. p.253
*Can.*25. De Reliquijs Sanctorum in Oratorijs villaribus non ponendis, niſi in illis adſint Clerici. ibid.
*Can.*27. Metropolitani ordinem teneant Provinciales ad celebrandũ divinum officium. ibid.
*Can.*28. De inceſtis nuptijs omnino cohibendis. ibid.
*Can.*36. Nemini ad Eccleſiam revertenti, & veniam humiliter petenti aditus obſtruatur. n.10. p.253
*Can.*38. De Clauſura Monialium, & prohibito Clericorum vel aliorum intra ſepta Monaſterij ingreſſu ſine neceſſitate. can.11. ibid.
Concilij Subſcriptiones. n.12. p.254

*Epheſinum Concilium.*

Epheſino Concilio œcumenico celebrato an.431. cauſam dedit Neſtorij hæreſis duas in Chriſto comminiſcentis perſonas divinam & humanam invicem diſtinctas, & dignitatem Matris Dei, Sanctiſſ. Virgini Mariæ denegantis. n.1. p.206
Huic errori conſtanter ſe oppoſuit Cyrillus Alexandrinus Præſul. ibid.
Et Ioannes Antiochenus Patriarcha, qui poſtea miſerrimè labitur. n.2. ibid.
Res nova defertur ad Cœleſtinum Pontificem qui coacta Romæ Synodo multorum Epiſcoporum, errorem Neſtorij condemnat, depoſitos à Neſtorio Prælatos reſtituit, & executionem ſui decreti delegat Cyrillo Alexandrino. ibid.
Theodoretus Cyri Epiſcopus Cyrillum calumniatur quòd Apollinaris hæreſim ſuſcitare velit. ibid.
Concilium Epheſi generale indixit Theodoſius authoritate Cœleſtini, ad ſedandas iſtas procellas. n.3. p.207
Neſtorius Concilium antevertit, ut adventantes Epiſcopos in partes ſuas traheret, neque tamen Synodum ingreſſus eſt. n.4. ibid.
Joannes Antiochenus Neſtorianus moras nectit, ut prætextum habeat conquerendi, quod illo abſente Synodus Neſtorij errorem damnaverit. ibid.
Neſtorius legitimè citatus non veniens, libris ejus perlectis, deponitur, & excommunicatur. num.5. p.207
Joannes Antiochenus quinto pòſt die adveniens expoſtulat quòd diutiùs non fuerit expectatus; conventiculum congregat, in quo acta omnia ſanctæ Synodi reſcindit, Patres excommunicat, & calumniatur apud Theodoſium, Cyril. Alexand. in vincula conjicitur. ibid.
Concilium tamen ſuo pergit fungi officio, Sectarios citatos contumaces, & convictos damnans & excommunicans. ibid.
Apertis poſtea calumnijs, & malis artibus atque erroribus Neſtorij & Sectatorum, Theodoſius admiſſis Sanctæ Synodi decretis, Neſtorium expellit, & relegat; ejus libros flammis addicit; & Joannem Cyrillo reconciliat. num.6. p.208

*Epiſcopus.*

Inter Epiſcopos & Presbyteros multiplex aſſignatur differentia, adeo ut graviter errent, qui nullam agnoſcere volunt, n.1. & ſeqq. p.44
Epiſcopus differt à Presbytero & ratione Ordinis, & ratione dignitatis. ibid.
Quod plurima authoritate probatur num.1. & ſeqq. ibid.
Epiſcoporum Ordo eſt ad gignendos Patres, id eſt Sacerdotes. ibid.
Epiſcopi multi ab ipſis Apoſtolis conſecrati, n.3. ibid.
Epiſcopatus Jacobi Ieroſolymæ. n.4. ibid.
Epiſcopatus Marci Evangeliſtæ Alexandrinæ. n.5. p.45
Epiſcopi in ſingulis Eccleſijs ab Apoſtolis fundatis conſtituebantur. n.6. ibid.
Epiſcoporum nomine quandoque Sacerdotes ſecundi Ordinis appellari: ſed mera denominatio eſt quæ rei diſcrimen non tollit. n.7. ibid.
Epiſcopi pluries appellantur; ſed inde non ſequitur parem habere cum Summo Pontifice poteſtatem. ibid.
Epiſcopi in una urbe plures eſſe non poſſunt. ibid.
Epiſcopi an fuerint vocati Apoſtoli, num.8. p.45
Epiſcopi nomen ab Apoſtolis tributum quibuſlibet Eccleſiæ Presbyteris, tradit Hieronymus, qui explicatur. n.9. ibid.
Epiſcopi in quibus cum Presbyteris conveniant, & in quibus diſcrepent. n.10. p.46
Ordinationis poteſtas in Epiſcopo non eſt ſola prærogativa

prærogativa per quam differt à Preſbytero ſimplici.n.11. ibid.
Hieronymus ipſe agnovit differentiam inter Epiſcopos & Preſbyteros.numer.9.10.11.& 13. p.45.& 46.
Epiſcoporum præeminentiam in omnem Clerum & populum commendat Ignatius Martyr Apoſtolorum diſcipulus.n.14. ibid.
Epiſcopus à quo quis Clericus erat conſtitutus & certæ Eccleſiæ adſcriptus, olim dicebatur proprius illius Clerici, qui propterea ad eum recurrere debebat pro ſuſcipienda Ordinatione. n.1.& 4. p.51
Epiſcopus proprius etiam dicebatur ratione originis ſeu loci ex quo Ordinandus oriundus erat. num.1. ibid.
Domicilium tamen pro origine reputabatur.n.3. ibid.
Paulini Epiſtola 45. refertur ex qua duo notatu digna circa ordinationem alieni ſubditi eliciuntur.n.5. p.52
Alia quoque exempla hujuſmodi Ordinationum apud Veteres referuntur. n.6. & aliis ſeqq. ibid.
Epiſcopus proprius hodie dicitur vel ratione originis, vel domicilij, vel beneficij.n.14. p.53
Epiſcopo à conſiliis erat presbyterium ſive Collegium Sacerdotum & Diaconorum pro bono regimine Eccleſiæ.n.1.2.& ſeqq. p.53
Epiſcopi qualiter conſecrari debeant ex Nicæna Synodo.n.1.& ſeqq. p.109
Tres Epiſcopi intervenire debent:& utrùm hæc ſolemnitas ſit de neceſſitate Sacramenti, vel præcepti? n.2.& ſeqq. p.110
Epiſcopus accuſari non debet ab hæretico, vel excommunicato, niſi priùs ſe purgaverit. num.11. pag.165
Epiſcopus accuſatus poteſt recurrere ad majorem Synodum, neque judicari poteſt niſi in Synodo à Rom. Pontifice convocata.n.12. ibid.
Epiſcopus ad Synodum vocatus ire debet niſi gravi neceſſitate impediatur.n.10. p.171
Plura de officio Epiſcopi à n. 11. & aliis ſeqq. pag.172
Epiſcoporum tres prærogativæ notantur Presbyteris non convenientes.n.8. p.196
Epiſcopus Simoniacus deponendus.n.13. p.218
Epiſcopis turpe lucrum interdicitur.n.14. ibid.
Epiſcopi conſecratio ultra tres menſes non differenda abſque gravi neceſſitate.n.23. p.223
Epiſcopus non detur invitis.n.5. p.262
Epiſcopo viventi alius non ſuperponatur. num. 4. ibid.
Epiſcopi duo in eadem civitate eodem tempore non ordinandi.n.2. p.288
Epiſcopus defenſor populi adverſus violentiam potentiorum.n.12. p.283
Epiſcopalis character adimi non poteſt: & quomodo Epiſcopus injuſte dejectus reſtituatur. n.11. p.282.& 283
Epiſcopo Monachi ſubjiciuntur.n.15.p.218.& 219.
Niſi probentur exempti.col.2. p.225
Epiſcopus de quibus bonis teſtari poſſit. num. 21. pag.236
Epiſcopus capitale crimen committens quomodo puniatur. Can.50. ibid.
Epiſcopus de rebus Eccleſiæ diſponere ſeu legare non poteſt, niſi tantundem de proprio ſuppleat. num.7. p.252
Epiſcoporum reſidentia commendatur.n.23. p.137
Epiſcopi plebem ſibi commiſſam protegere debent adverſus violentiam potentiorum.n.12. p.283
Epiſcopalis conſtantiæ illuſtria exempla. ibid.
Epiſcoporum reſidentia.n.10 p.317.& n.3. p.584
Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat. num.3. pag.311
Epiſcopi juriſdictio in Clericos, tam ſeculares quam Regulares, etiam Exemptos, latè declaratur.ibid.& n.5.6.& 7. p.131.& 332
Epiſcoporum prærogativæ quæ cæteris Presbyteris non ſunt conceſſæ.Can.8. p.347
Epiſcoporum dignitas veneranda.Can.11. p.351
Epiſcopi idonei eligendi.Can.3.p.413. & num.66. pag.599
Epiſcopi, & alij Prælati, in corrigendo non excedant.Can.7. p.429
Et quomodo exceſſus ſubditorum inquirere & punire debeant.Can.8. p.430
Epiſcopi non ligantur excommunicatione niſi expreſſa de illis mentio fiat.col.2. p.457
Epiſcopus reſideat, per ſe celebret diebus ſolemnibus, vel ſaltem ſit præſens, & debitum exhibeat miniſterium. Can. 12. p. 461. & num.3. pag.548
Epiſcopi electi confirmatio non concedenda niſi præmiſſa canonica inquiſitione.n.7. p.463
De electione Epiſcoporum.n.1. p.472
Epiſcoporum aliorumque Prælatorum dignitas quò eminentior, eò moribus, vitâ, & converſatione præcellentior eſſe debet.n. 1. 2. & ſeqq. ubi plura de vita, moribus, & habitu Prælatorum. p.474
Epiſcopus ſuppleat negligentiam Regularium, etiam exemptorum, in conferendis beneficiis. num.7. p.491
De Epiſcopis à propriis Sedibus injuſtè expulſis. num.9. ibid.
Epiſcopi & alij Prælati diligenter fungantur ſuo officio.n.10. p.572
Promoventes indignos ad beneficia Eccleſiaſtica ſuſpenduntur à beneficiis conferendis.num.6. pag.509
Epiſcopi & Prælati vices ſuas non committant. num.11. p.572
Epiſcopis & aliis Prælatis honor & reverentia exhibenda.Can.85. p.576
Epiſcopi an quando Religioſorum exceſſus corrigere poſſint in Provincia Treverenſi. num. 13. pag.579
Et viſitare eorum Eccleſias, etiam exemptas. ibid.
Et caſus ſibi reſervare. ibid.
Epiſcopi, aliique Paſtores per ſe ipſos, aut per idoneas perſonas Sacras Scripturas exponant. num.8. p.582
Epiſcoporum munus proprium eſt & præcipuum prædicare Verbum Dei.n.9. p.582
Epiſcoporum poteſtas in exemptos, ex Tridentino.n.14.& ex aliis Conciliis latè diſſeritur.n.15. & ſeqq. p.584
Epiſcopus viſitans an poſſit recuſari tanquam ſuſpectus.n.36. p.591
Epiſcopus in quibus caſibus accuſari poſſit & citari perſonaliter.n.37. ibid.
De Conſecratione Epiſcopi, intra tres menſes. num.46. p.594
Epiſcopus Clericum ſibi non ſubditum ſine dimiſſoriis ordinare non debet.n.48. p.595



Digitized by Google

Quid de ſuo familiari.cap.9. ibid.
Epiſcopus bonus continuis precibus à Deo impetrandus.n.66. p.599
Debet viſitare ſingulis annis, aut ſaltem bienniis ſuam Diœceſim.n.68. ibid.
In quibus irregularitatibus diſpenſet. num. 70. pag.600
Epiſcopus proximior poteſt viſitare Eccleſias nullius Diœceſis.col.2. ibid.
Epiſcopus controverſias de præcedentia componat.cap.13. p.604
Curam habeat Monialium.n.77.p. 603.& n.80. & 81. p.604
Epiſcoporum Officium & frugalitas commendatur.n.85. p.605
Epiſcopus ſolus decernere poteſt Excommunicationes pro revelatione rerum deperditarum. num.86. p.605
Epiſcopus quomodo procedat ad reductionem Miſſarum.cap.4. p.606
Vid. *Miſſa.*
Epiſcopi officium, præcipuum prædicare Verbum Dei.n.1. p.619
Epiſcopus debet inveſtigare initio Quadrageſimæ peccatores in conſuetudine peccandi jacentes, & revocare ad pœnitentiam.col.1. p.623
Divinis interſit officiis. ibid.
Epiſcopus familiæ ſuæ inſtitutioni & diſciplinæ conſulat.tit.21. p.623
Epiſcopi Vicarius generalis qualis requiratur. tit.26. ibid.
Epiſcopus ne extra Sedem ſuam transferat domicilium.n.2. p.624
Singulis annis Diœceſim viſitet.n.3. ibid.
Neminem in familiam ſuam aſciſcat niſi probatis moribus.n.4. ibid.
Publicum Archivium habeat in quo Scripturæ ſuæ Eccleſiæ deponantur.n.5. p.625
Cohibeat Organiſtas, & Campanarios ab indecora, laſciva, & militari muſica.cap..o. p.627
Epiſcopus ſit irreprehenſibilis.n.8. p.630
Non alienet res Eccleſiæ.n 10. p.631
Epiſcopus collaturus Ordines debet priùs illud ſignificare per totam Diœceſim.n.12. p.631
Si fuerit impeditus ſubditos niſi jam probatos dimittat ad alium Antiſtitem ordinandos. n.13. ibid.
Epiſcopi officium declaratur Tit.12.p.637. & n.1. & 2.p.647.& n.1. p.649
Epiſcopus poteſt decernere Vicarium temporalem Parocho illiterato.n.6. p.641
Quomodo provideat Canonicis non habentibus reditus ſufficientes. ibid.
Epiſcoporum Officiales & Promotores quales eſſe debeant.n.2. p.647
Epiſcopus defendat pauperes oppreſſos. num. 12. pag.283

*Epocha.*

Epochæ Chriſtianæ difficillimè ad annos Conſulares Romanorum reduci poſſunt, ut Chronologi ab his ambagibus ſe expedire nequeant. num.28. p.63.& 64
Epocham dinumerationis ſuorum temporum ſumunt Mahometani ab Hegira ſeu fuga Mahometis.n.5. p.123

*Euchariſtia.*

Euchariſtia primis quinque ſæculis ſolebat tradi Laïcis ad proprias ædes deferenda & aſſervanda.n.1. p.29
Quo ritu initio ſæculi octavi excipiebatur. n.2. pag.30
Euchariſtia infantibus etiam lactentibus adminiſtrata eorumque ori Chriſti Sanguis de Sacro Calice infundebatur.n.3.4.& 5. ibid.
Tridentinæ Synodus decretum de hoc ritu. ibid.
Fideles ſub unica tantùm ſpecie communicare poſſe colligitur ex illo veteri ritu. ibid.
Miraculum inſigne de Euchariſtia puero Judæo adminiſtrata refertur.n.6. p.31
Euchariſtiam divinam mittebat olim Epiſcopus Romanus ad cæteros Epiſcopos qui cum Eccleſia Rom.communionem habebant.n.7. ibid.
In communione Euchariſtica, vinum, in quod pars aliqua Sacratiſſimi Sanguinis ex myſtico Calice infuſa fuerat, populo loco ſanguinis olim ſubminiſtrabatur.n.8. ibid.
Alius ritus Euchariſtiam ſumendi ab Epiſcopo, vel Sacerdote, dum ordinabantur in Eccleſia Romana.n.9. p.31
Euchariſtia etiam mortuis fidelibus exhibita.n.10. ibid.
An puer poſſit urgente neceſſitate illam adminiſtrare. ibid.
Euchariſtia Sanguine Chriſti madefacta & intincta communicantibus porrigebatur multis in locis.n.11. ibid.
S.Lucianus in carcere à Tyranno detentus, ſuo pectore pro altari uſus eſt ad celebrandum divinum ſacrificium, ſéque & circumſtantes fideles ſacra communione refecit.n.12. p.32
Euchariſtia in armario ad Sanctuarij latus aſſervata.n.15. p.42
Aliquando intra columbam ſupra Sanctum altare ſuſpenſam, Aliquando in vaſculo, quod funiculo ſerico elevari & demitti ſolebat ad communionem populi. ibid.
Euchariſtia corporibus defunctorum non detur. n.4.p.167.& col.1. p.271
Euchariſtiam nuda manu mulieri non licet accipere, & quo ritu viri ſumebant.n 2. p.271
Euchariſtia non diutiùs ſervetur quàm à Dominica in alteram.Can.2. p.378
Sacra Euchariſtia, Chriſma, & Oleum Sanctum ſub fideli cuſtodia conſerventur. Can. 21. pag 475
Euchariſtia ad ægros honorificè deferenda. col. 2. pag.6.2
Euchariſtia à Sacerdote ſumenda, non manu propria.n.5. p.195

*Eudoxia.*

Cum Jeſabel comparata, impia, crudelis, &c. n.11.12.& 13. p.184.185.& aliis ſeqq.

*Eulogia.*

Eulogiarum definitio.n.1. p.43
Eulogiarum variæ ſpecies referuntur. ibid.
Eulogiarum prima inſtitutio. ibid.
Eulogiarum materia, benedictio, & diſtributio. ibid.& n.3.
Eulogiæ non tantum ex azymis, ſed ex fermentis quoque conficiebantur.ibid.& n.2. p.43
Eulogiæ non diſtribuebantur in feſto Paſchæ, & ratio aſſignatur.n.1. ibid.
Quid in Quadrageſima. ibid.
Eulogiæ aliquando datæ fuerunt Catechumenis in Paſcha: quod poſtea fuit prohibitum. num. 4. ibid.
de Eulogiis refertur conſtitutio Pij Papæ I.n.5.p.43
Eulogiæ privatæ quæ dicuntur.n 6. p.44

*Eunuchiſmus.*

Eunuchiſmus ex cauſa infirmitatis à Medicis illatus non inducit irregularitatem.n.1. p.106
Idem ſi ab hoſtibus. ibid.
Voluntarius prohibetur & reddit irregularem. num.2. ibid.

*Euſebiani, Euſebius.*

Euſebiani Athanaſio infenſiſſimi novas adverſus illum turbas excitant.n.16. p.87
Euſebiani conciliabula convocabant, ut ſub illorum prætextu Nicænam fidem impugnarent, & Orthodoxos Epiſcopos expellerent.n.17. p.88
Conventiculum habuerunt Philippis, cui nomen Sardicenſis Concilij falsò indiderunt, eo ipſo tempore quo vera Sardicenſis Synodus celebrabatur. ibid.
Euſtathium infami calumnia ſugillant, accuſant, & à Sede Epiſcopali abdicant.n.20. p.89
Euſebius Nicomedienſis dolorum artifex adverſus Athanaſium.n.4. p.126

*Euſtathius.*

Euſtathius Antiochenus alterum cum Athanaſio Fidei propugnaculum.n.20. p.88
Ab Arianis calumnioſè diffamatus & accuſatus, tandémque Epiſcopatu expulſus. ibid.p.89

*Eutyches.*

Eutyches archimandrita hæreſim invexit, utramque naturam in Chriſto confundens. num. 20. pag.188
Ad Synodum ea de cauſa ab Euſebio Dorylæi Epiſcopo coactam vocatus venit turbulentis monachis & militum manu ſtipatus. ibid.
Audaciter ſuum errorem propugnat coram Patribus, à quibus damnatur. ibid.
Conciliabulum procurat, quo authoritate Theodorij & Eudoxiæ, abſente Pulcheria, per dolos priſtinæ Sedi reſtituitur, Flavianus Conſtantinopolis Epiſcopus deponitur, deportatur, interficitur.ibid.& n.2.p.214.& n.5. p.214
Concilium œcumenico Chalcedonenſi ſub Leone Pontifice coacta, Marciano & Pulcheria Auguſtis, Eutyches damnatur, & geſta in conciliabulo reprobantur.n.21.p.189.& num.6. p.215
Vid. *Chalcedo.*
Flaviani memoria honorificè reſtituitur: & Dioſcorus Eutychetis comes & ſectarius Gangram relegatur. ibid.
Dioſcoro Gangræ mortuo, Eutychiani ſeditionem inter Alexandrinos excitant.n.22. p.189
Timotheus Ælurus Monachus Sedem vi occupat, Proterio dejecto & interfecto. ibid.
Timotheus inſtante Leone Pontifice, Cherſonam relegatur. ibid.
Eutychiani aliam quoque tempeſtatem movent in Eccleſia Antiochena, novámque Theopaſchitarum hæreſim.n.23. p.189
Edictum pacis conciliatorium inter Catholicos & ſectarios à Zenone promulgatum ſuaſione Acacij vafri hominis qui ſucceſſerat Gennadio Præſuli Conſtantinopolitano.n.24. ibid.
Huic Edicto Catholici conſtanter reſtiterunt, quòd tacitè definitionem Chalcedonenſis Concilij abrogaret. ibid.
Eutychiani perſecutio adverſus Orthodoxos. n.4. 5.& 6. p.215

*Examen.*

Nullus ordinetur Clericus niſi probatus Epiſcopi examine. num.8.p.168.& n.2. p.568. & num.1. pag.635
Examen fugientes, & ad Curiam Rom.confugientes etiam ſine dimiſſoriis, ſi fortè ſic ordinati fuerint, Epiſcopi Diœceſani non permittant ordinum executionem niſi, &c.n.5. p.569
Examen Ordinandorum eſt optimus modus reformandi Eccleſiam.n.4.& 8. p.572
Sine Examine promoti à Sacrificio excluſi. col.1. p.568
De quibus inquiri oporteat in Examine Ordinandorum.n.1.p.635.& n.3. p.649
De Examine Ordinandorum, & in quo ſtatu ſe præſentare debeant.col.2.p.643.& p.644.per tot.
Examinatores quot & quales requirantur. num. 3. pag.649

*Exceptio.*

Exceptio litis finitæ impedit litis ingreſſum, ſecùs de cæteris.col.1. p.452
Exceptio Excommunicationis.col.2. ibid.
Exceptio ſpoliationis.col.1. p.453
Exceptio recuſatoria.col.2. p.454
Exceptio de continentia cauſæ non dividenda. col.1. p.451

*Excommunicatio.*

Excommunicatio non ſuſpenditur per appellationem, niſi ſententia eſſet apertè invalida, quo caſu non ligaret, nec opus eſſet appellatione. num.1. p.111
Excommunicatio prærequirit peccatum cum contumacia, & ſic præmonitionem. ibid.
Excommunicationis pœna pro levibus cauſis non infligenda. An & quando pro rebus deperditis, & à quo.n.2.p.261.Et pro injuriis. n.9.p.570.& num.8. p.650
Excommunicationis ſententia an habeat effectum ſuſpenſivum: & de abſolutione ad cautelam latè.n.3.p.326.& col.2. p.456
Excommunicati vitandi. num.6. p.403. & Can.1. pag.408
Quod temperatur.n.13. p.534
Excommunicatio adverſus inferentes manus injurioſas in Clericos. Can.15. pag.404. & Can.23. pag.409
Excommunicatio non ferenda ante monitionem. Can.6.p.414.& n.9. p.547
Excommunicationis pœna eſt medicinalis, non tamen temerè infligenda: & quid excommunicans obſervare debeat.col.1. p.456
Quid de participantibus cum excommunicatis. col.2. ibid.
Illam non incurrunt Epiſcopi, niſi de illis mentio fiat.col.1. p.557
Excommunicationis ſententia non feratur pro culpis futuris, neque pro præteritis vel præſentibus abſque monitione: neque in Vniuerſitatem vel Collegium. ibid.
Neque in caſibus enumeratis.n.8. p.650
De monitionibus præviis circa participantes cum Excommunicatis.n.8. p.471
Excommunicati ab omni officio publico removeantur.Can.16.p.493.& n.8. p.497
Excommunicatio eſt gladius ſpiritualis quo Eccleſia fideles omnes continet in officio, vel reducit.n.24. p.575
Excommunicationis gladius non exeratur niſi ex gravi cauſa, & cum magna prudentia. num.86. pag.605
Et quis illam decernere poſſit pro rebus deperditis. ibid.
Excommunicationum litteræ pro rebus omninò occultis,

occultis, vel criminoſis, vel deperditis parui momenti non concedendæ.n.8. p.650

*Exemptio.*

Exemptione non obſtante Epiſcopus habet jus viſitandi, corrigendi, & emendandi authoritate Apoſtolica Capitula Cathedralium & aliarum Eccleſiarum.n.5.6.& 7. p.331
Exemptiones in Gallia, quantùm fieri poteſt, reſtringuntur.n.6. ibid.
Et de jure communi ex Tridentino.n.7. p.331
Exemptionis privilegium non infringatur, & Exempti ejus limites non excedant:& quod ratione delicti contractus, vel rei, poſſint coram Ordinariis conveniri.col.2. p.455
Exemptus delinquens in loco non exempto ab Ordinario loci puniri poteſt. can.73. p.498
Exemptiones illibatæ ſerventur. n.5. p.578
Exempti in quibus juriſdictioni Epiſcopali ſubjiciantur. n.13. p.579
Exemptiones & ſimilia privilegia turbant juriſdictionem Epiſcopalem, & illis nonobſtantibus Epiſcopus viſitare poteſt Eccleſias exemptas, & nullius Diœceſis. cap.9.& 11. p.600

*Expeditio.*

Expeditio ſacra in Palæſtinam, hortatu Petri Eremitæ Galli. num 3.5.& 6.p.387. & n.3. p.426
Alia ſub Eugenio Pontifice, urgente Bernardo. n.13 p.393. & n.4. p.426
Expeditio ſacra contra Saracenos procurata ab Urbano II. in Concilio Lateranenſi. num.10. p 400. & n.1. p.446
Expeditio bellica adverſus Albigenſes. num.5. p.417
Expeditio ſacra inſtauratur adverſus Saracenos, inſtante Bonifacio VIII. Pontifice, cujus Dux Carolus Valeſius conſtituitur. n.3. p.478
Expeditio ſacra in Turcas, & inſignis Chriſtianorum victoria ad Lepantum. n.16. p.560
Expeditio alia contra Saladinum. n.6. p.417
Expeditio alia ſacra in Palæſtinam ſub Innocentio III. n.10. p.427

F

*Fauſtus hæreticus.*

FAuſti Abbatis Lirinenſis cum Theodoro Epiſcopo Forojulienſi conteſtatio, Arelatenſi Concilio occaſionem dedit. n.1. & 2. p.225
Fauſtus Caſſiani Semipelagiani diſcipulus & ſectator.n.6. p.227
Epiſcopus Regienſis factus, Semipelagianorum dogmatum aſſertor. ibid.
Ejus Apologia non admittenda. ibid.
Fauſti calliditates deteguntur.n.7.& ſeqq. p.228
Falſum eſt, ejus errores fuiſſe approbatos à Concilijs duobus Arelatenſi, & Lugdunenſi. num.8. ibid.
Ejus libri à Gelaſio, & Hormiſda damnati. num.10. p.229
Fauſtus vir mendax, & vulpecula verſipellis, & mendacij aſſertor.n.6. p.227

*Felix.*

Felix III. Pontifex Rom.convocato Romæ Concilio tres Legatos miſit Conſtantinopolim, ut Joannes Epiſcopatu Alexandrino injuſtè ab Acacio deturbatus reſtitueretur.n.1. p.229
Duos Legatos ex tribus, quos miſerat, prævaricatores, ſimulque Acacium Eutychianum deponit & excommunicat. ibid.
Et ſimiliter Petrum Cnaphæum pſeudo-Epiſcopum Antiochenum qui Martyrio Epiſcopo Orthodoxo & expulſo ſuffectus erat. ibid.
Epiſtolas ſcripſit ad Zenonem Imperatorem ne communicaret cum illis pſeudoepiſcopis hæreticis & excommunicatis. ibid.
Felix fuit atavus Gregorij Magni, cujus amitæ Tarſillæ apparuit, & ad manſionem lucis æternæ invitavit.n.2. p.230
Calamitoſiſſimis temporibus ſanctiſſimè Eccleſiam rexit. ibid.& n.3

*Fides.*

Fidei ſymbolum Apoſtoli compoſuerunt tanquam Teſſeram militarem Fidelium. n.9. p.5
Fidei Teſſera vox ὁμοούσιος fuit in Eccleſia uſurpata à Patribus Nicæni Concilij, qua impietas Ariana à vera Fide diſcerneretur. n.1. p.118
Fidei ſymbolum in Nicæna Synodo compoſitum inviti Ariani diſſimulanter ſuſceperunt ad ſuas Eccleſias ſibi conſervandas, num.1. & 2. p.125.126
Fidei formulas varias Ariani inſtabiles ſibi confinxerunt, rejecta in omnibus *conſubſtantialis* voce. num.1.p.131.& 135. & n.20. p.137

*Florentinum Concilium.*

Florentia primaria eſt Tuſciæ civitas quam Arnus præterfluit. n.11. p.514
In eam, Concilium primò Baſileæ congregatum, deinde Ferrariam juſtis de cauſis tranſlatum ab Eugenio Papa IV.poſt ſextam ſeſſionem ingruente peſte iterum tranſmiſſum, ibid. & num.9. p.541
Plura réferuntur de Imperatoris Palæologi, & Græcorum adventu ad Concilium Ferrariæ congregatum, & ordine ſive ceremonijs receptionis, & ſeſſionis in Concilio, & perorationibus ex parte Græcorum & Latinorum habitis ad unionem utriuſque Eccleſiæ. p.514. & n.3. cum alijs ſeqq. p.538
Florentiæ ſeptima ſeſſio celebrata eſt,in qua diſputatum eſt de proceſſione Spiritus ſancti.num.31. p.514. & n.9. p.541
Hæc diſceptatio ſex tenuit Seſſiones. ibid.
Tandemque hortatu Patriarchæ Ioſephi Conſtantinopolitani, qui tunc decumbebat extrema ægritudine qua ſanctiſſime deceſſit, Imperator, cæterique Prælati Græci, excepto ſolo Epheſino, veritatem agnoverunt, & profeſſi ſunt.n.31. p.514. & n.9. p.541
De pœnis Purgatorij in eodem Concilio actum eſt, de quibus omnes conſenſerunt; & omnia acta Concilij obſignarunt. n.32. p.515. & n.5. p.539
Armenorum acceſſio ad Catholicam fidem & unitatem Eccleſiæ Romanæ. num.33 p.515. & n.13. & 14. p.542. & 543
Hoc de Armenis decretum promulgatum eſt Florentiæ ante Concilium ſolutum. num.33. p.515
Symbolo Conſtantinopolitano vox, *Filióque*, addita eſt. num.33.p.515. & n.7. p.540
Et de ratione hujus Additionis plura traduntur ibid. & n.8. & 10. p.541
Quo ordine & ritu Eugenius Papa & reliqui Patres Ferrariâ digreſſi Florentiam acceſſerint. num.9. ibid.
Epheſinus Præſul pertinax & malæ fidei tricas opponit de objectis ſibi à Latinis Antiſtitibus libris ignotis & apocryphis:quem eruditè refellit Ioannes Ordinis S.Dominici, Vir ſummi ingenij & profundæ doctrinæ. n.11. p.542


Epheſinus

Epheſinus ille, præ mœrore, in obſtinata perfidia poſt paucos dies expiravit. n.12. ibid.

*Formoſus Papa.*

Formoſi Papæ elogia. n.1. p.360
Formoſus novum in Italia Imperium erigit,& Vidonem Imperiali corona redimit. n.2. ibid.
Arnulphum Germaniæ Regem evocat ad repellendas injurias & vexationes ab ingrato Vidone ſibi illatas. n.6. p.361
Eundem Arnulphum, poſt captam ab ipſo Romam, in æde D.Petri, corona Imperiali decoravit, rejectis Vidone ejuſque filio quos ipſe priùs inauguraverat. n.6. p.362
Indigniſſimè in ejus cadaver Stephanus VI. vel VII. ſucceſſor ſævijt. n.4. p.361
Ejus memoriam Joannes IX. honorificè reſtituit, in Synodo Ravennatenſi,an.898. ibid.
Quam iterum impius Sergius an.904. damnavit. ibid.

*Forumjulium.*

Forumjulium oppidum in Italiæ decima regione. num 1. p.312
Forojulienſe Concilium celebratum ſub Carolo Magno, præſidente Paulino Epiſcopo, & ſedente Hadriano I. Pontifice. ibid.
Hæc Synodus convênit, ad aſſerendam Sanctiſſimæ Trinitatis fidem, & Incarnationis Verbi. ibid.
*Can.*1. Omnis Simonia ab Eccleſia eliminatur. num.2. p.312
*Can.*2. Vitæ integritas & prædicationis ſinceritas Paſtoribus injungitur. ibid.
*Can.*3. Victus ſobrietas Clericis indicitur. ibid.
*Can.*4. Fœminarum cohabitatio interdicitur. ibid.
*Can.*5. Negotia ſæcularia prohibentur eiſdem. num 2. p.313
*Can.*6. Item mundanæ dignitates, ornatus, venationes, luſus,& alij cantus quàm Eccleſiaſtici, ibid.
*Can.*7. Clandeſtinæ nuptiæ prohibentur Fidelibus. ibid.
*Can.*8. Arcentur impuberum matrimonia. ibid.
*Can.*10.Adulterij prætextu non licet alteri conjugi innocenti aliud matrimonium contrahere vivente conjuge à qua ſeparatus eſt. ibid.
*Can.*12. Providet Monialium clauſuræ. ibid.

*Francia.*

Francica majeſtas & amplitudo in apice ſub Carolo Magno. n.1. p.318
Multas clades patitur à domeſticis turbis. n.9. p.319. & n.17. p.322
Francia Chriſtianam Religionem amplectitur ſub Clodovæo Rege, ſuadente Clotilde. n.5. p.239
Vid. *Clodovæum.*
Francia ad extremas redacta anguſtias mirabiliter ope puellæ Joannæ D'Arc liberatur. num.22.& ſeqq. p.509

*Franciſcus I.*

Franciſcus I. ſucceſſit Ludovico XII. Francorum Regi. num.10. p.554
Ejus bella in Italia ad recuperandam ditionem Mediolanenſem. ibid.
Recedit à Pragmatica Sanctione, & nova inivit Concordata cum Leone X. Pontifice. ibid.
Navarræ regnum deceſſoribus ſuis ereptum vindicare armis ſatagit. n.11. p.554
Ab eo deficit Borbonius Comeſtabilis & ad Carolum V. transfugit. ibid.
Ticinum oppugnat, vincitur, fit captivus, & in Hiſpaniam abducitur. n.12. & 13. p.555
Duris conditionibus libertatem recuperat. n.13. ibid.
Libertati redditus promiſſis non ſtetit, unde novum bellum exoritur. ibid.
Clementem VII. Pontificem in arce S. Angeli obſeſſum liberat. n.14. p.556
Imprudens Turcas belli ſocios accivit adverſus Cæſarem. ibid.

*Francofordium.*

Francofordium duplex in Germania. n.1. p.314
Francofordienſe Concilium coactum eſt Francofordij ad fluenta Mœni, an.794. ſub Zacharia Pontifice, & Carolo Magno Imperatore, ad Neſtorianam hæreſim repullulantem in Hiſpania penitus extirpandam. n.1. p.314
In eo,*Can.*1. Elipandus Toletanus,& Felix Urgelitanus relapſus, hujus hæreſis fautores damnati ſunt, & ſequaces. ibid.
*Can.*2. Ambiguus eſt perplexus de Imaginibus. num.2. ibid.
De Epiſtola Caroli Magni ad Adrianum Pontificem. ibid.
*Ejuſdem Canonis* 2. Editio juxta Sirmundum. num.3. p.315
Vtrùm iſtud Concilium adverſetur Nicæno circa ſacrarum Imaginum venerationem. n.2.& 3. pag.315
*Can.*3. de Taſſilone perduellionis reo. n.4. ib.
*Can.*7. Ne Epiſcopus authoritate propria ſuam deſerat Eccleſiam, & ad aliam tranſeat. num.5. pag.316
*Can.*8. De Eccleſijs ſuffraganeis Epiſcopo Vienenſi, & Arelatenſi, altercatio dirimitur. n.6. ibid.
Occaſione ſumpta, de Eccleſijs Aquenſi Metropolitano ſuffraganeis. n.7. ibid.
*Can.*16. Ne quidquam pro admittendis Fratribus in Monaſterio Abbates exigant. n.7 p.317
*Can.*27. Ne Clerici ad alienas tranſmigrent Eccleſias abſque commendatitijs literis. n.8. ibid.
*Can.*28. Ne quis abſolutè ordinetur. n.9. ibid.
*Can.*30. de Judice competente inter Clericum & Laïcum. ibid.
*Can.*40. De puellis parentibus orbatis educandis. ibid.
*Can.*41. De reſidentia Epiſcoporum. num.10. pag.317

*Fridericus II. Imperator.*

Fridericus implacabilis Romanæ Eccleſiæ hoſtis, à multis Pontificibus, & Concilijs damnatus, & ab ipſis Imperij Proceribus in Comitijs exauthoratus. n.16. p.422
Ejus turpis pactio & fœdus cum Saracenis.n.3. p.450
Æquiſſimas pacis conditiones ab Innocentio Papa IV. oblatas, & admonitiones deſpexit.n.5. p.450
Patres ad Concilium à Gregorio IX. indictum Romæ accedentes à ſuis captos in diverſos carceres per Apuliam detruſit. n.3. ibid.
Plures Sum. Pontifices laceſſivit. n.1. & ſeqq. ibid.
Citatus ad Concilium generale Lugdunenſe noluit venire, ſed Legatos miſit. n.5. ibid.
A Concilio Imperiali & Regali dignitate deponitur, & in ordinem redigitur. n.7. ibid.
Ab omnibus deſtitutus in Apuliam conceſſit,ubi



Digitized by Google

à Manfredo filio illegitimo ſuffocatus eſt. ibid. & num.16. p.422
Exauthorato Othone Germanorum ſuffragijs fuerat electus. n.4. p.418
Imperij inſignia de manu Honorij recipit præſtita fide cum juramento ſuſcipiendi expeditionem adverſus Saracenos, quam poſtea violavit. num.5. p.419
Italiam, & Eccleſiam diris modis vaſtavit. ibid. & num.1.cum ſeqq. p.450

G

*Gainas.*

GAinas Gothici generis dux, à Stilicone aſſumitur ad profectionem bellicam in Orientem. num.2. p.181
Contra Arcadium conſpirat. n.3. & 4. ibid.
Ejus artibus Eutropius interficitur. ibid.
Gainæ impudentiſſima audacia adverſus Arcadium. num.4. p.181.& 182
Arcadius cogitur ipſi morem gerere. p.182
Gainæ reſiſtit Chryſoſtomus Epiſcopus. ibid.
Gainas Arcadij vitæ inſidiatur, cujus imperium tentat invadere. ibid.
Conſtantinopolitani, Fravita duce, collatis ſignis in fugam illum compellunt, & in tanta ſtrage ipſe fortiter dimicans corruit. ibid.

*Galienus.*

Galieno imperante univerſus orbis graviſſimis calamitatibus agitatus, quæ recenſentur. num.23. pag.62
Claudij ducis exercitus dolo occiditur, cujus invadit imperium. n.24. ibid.

*Gallus & Voluſianus.*

Gallus & Voluſianus Imperatores poſt Decios extinctos. n.13. p.60
Uterque trucidatus exacto imperij biennio dum excitatam à Decio perſecutionem in Chriſtianos proſequeretur. n.16. p.61

*Gangrenſe Concilium.*

Gangrenſe Concilium ſub Sylveſtro Pontifice Rom. & Imperio Conſtantini Magni habitum. num.1. p.131
Collectum fuit ad hæreſes Euſtatianorum reprimendas. ibid.
*Can.*1. Vituperatores Matrimonij legitimè contracti damnantur. n.2. p.132
*Can.*2. In condemnatores eorum qui carnes cum pietate & fide comedunt, juxta præceptum Eccleſiæ. n.3. ibid.
In cæteris Canonibus *ibidem* conciſis verbis Euſtachianæ hæreſis deliria condemnantur. ib.

*Godofredus Bullionius.*

Godofredo ductore ſacra Expeditio ſuſcipitur à Proceribus Chriſtianis adverſus Infideles; cui ſe adjungunt Rogerius & Boëmundus filij Roberti Altavillani. n.14. p.373
Inſtante Urbano II. in generali Concilio Claromontano, multi Heroës ad illam ſe accingunt. n.16. p.374
Godofredus ſuppetias fert Boëmundo adverſus Solimannum Sultanum, & victoriam inſignem reportat. ibid.
Ieroſolymam obſidet, primus murum tranſcendit, urbem capit, ab exercitu Rex ſalutatur, quem titulum modeſtè recuſat, ejúſque pia reſponſio refertur. ibid. & n.2. p.426
Godofredi Geneſis exponitur. ibid.
Moritur anno milleſimo centeſimo: eique ſuccedit Balduinus frater in regno Ieroſolymitano. num.5. p.390
Regnum Ieroſolymitanum extinctum.n.7.p.417

*Gordianus.*

Gordiani, pater & filius, accepto nuntio de interfectione Alexandri, Imperij inſignia Carthagine ſumpſerunt. n.10, p.59
Vterque à Philippo extinctus. ibid.

*Goteſcalchus.*

Goteſcalchus Monachus cùm impia & hæretica dogmata per varias Provincias & regna diſſeminaſſet, diverſis locis Concilia congregata fuerunt ad illa examinanda. p.343
In Concilio Moguntino dogmata illa fuerunt diligenter diſcuſſa & condemnata tanquam hæretica. num.1. ibid.
Goteſcalchus remittitur ad Præſulem Rhemenſem cui erat ille ſubditus ratione originis, ordinationis, & juriſdictionis, an.848. ibid.
Sequenti anno 849. apud Cariſiacum coactum eſt Concilium, in quo iterum damnatur. n.2. pag.343
Ipſéque pertinax verberibus cæſus perpetuo mancipatur ergaſtulo, & ejus libri flammis addicuntur. ibid.
Goteſcalchi hæreſis quatuor Articulis ſequentibus reprobata.
I. Quod una tantum ſit prædeſtinatio Dei.n.3. ibid.
II. Quod liberum hominis arbitrium per Gratiam ſanetur. n.4. p.343
III. Quod Deus omnes *homines* velit ſalvos fieri. num.5. ibid.
IV. Quod Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit. num.6. ibid.
Goteſcalchi errores referuntur ex epiſtola Synodali Rabani Moguntini Archipræſulis ad Hincmarum Antiſtitem Rhemenſem. n.7. p.343

*Gratia.*

Auguſtini doctrina, & Decreta Concilij Arauſicani de Gratia Chriſti ad ſalutem neceſſaria. n.1. & ſeqq. p.254. & 255
Gratia prædeſtinationis non cadit ſub meritum. ibid.
Gratia præveniens. n.5. p.256
Gratia ſufficiens. n.6. ibid.
Diſſertatio de condemnationibus Semipelagianæ hæreſis, quæ Concilium Arauſicanum præceſſerunt, ubi plura de Gratia. n.1. & ſeqq. p.257
De Gratia & juſtificatione per merita Chriſti. num.12. p.583
Guelphiorum, & Gibellinorum factiones. num.5. p.479. & n.6. & 8. p.480

H

*Hæreſis.*

HÆreſes plures à ſecundo ſæculo ortæ Eccleſiam afflixerunt. n.12. p.22
Hæreſis Marcionis quæ fuerit. n.13. ibid.
Hæreſis Montani. n.14. p.23
Hæreſis Sabellij quæ Trinitatem, Perſonarúmque diſtinctionem rejiciebat. n.21. p.62
Chiliaſtarum ſeu Millenariorum error. ibid.
Hæreſis Pauli Samoſateni Chriſti divinitatem negantis. n.22. p.62
Hæreſis Meletij. n.9. p.85
Hæreſis Arij. ibid. & plurib. ſeqq.



Digitized by Google

Hæreſis Donatiſtarum. n.1. & ſeqq. p.81

Hæreſis Manichæorum. n.25. p.63

Hæreſes Priſcilliani permiſta Gnoſticorum & Manichæorum erroribus. n.38. p.93

Hæreſis Pelegianorum, Neſtorianorum, & Eutychianorum quinto ſæculo ab inferis emerſerunt. num.16. & ſeqq. p.186

Hæreſis Semipelagiana. n.16. ad fin. p.187

Hæreſis Theopaſchitarum appendix Eutychianæ. num.23. p.189

Hæreſis Priſcillianiſtarum damnata in Concilio Toletano I. n.2. p.195

Hæreſis Valentini. n.1. p.214

Hæreſis Berengarij. n.4. p.370

Tumultus Arnaldi Brixiani, Abailardi diſcipuli ſuadentis Romanis ut ſe in priſtinam Reipublicæ Ethnicæ libertatem aſſererent. num.14. pag.394

Hæreſis Petri de Bruis, cujus prava dogmata breviter referuntur & damnantur. n.9. p.405

Hæreſis Abailardi ſubtilis & ſuperbi Philoſophi tribus verbis à S.Bernardo delineatur, à quo idem hæreticus in Synodo Senonenſi ſuperatur, & pudore confuſus Abailardus anathemate feritur, & ejus libri igni addicuntur. n.1. p.407

Hæreſis Giliberti Porretani Pictavienſi Epiſcopi damnata in Concilio Remenſi. num.1. & ſeqq. pag.408

Hæreſis Catharorum ſeu Manichæorum repullulans in Vaſconia lociſque finitimis profligatur in Concilio Lateranenſi. n.1. & ſeqq. p.413. & priùs in Concilio Turonenſi can.4. p.411. & poſtea in Toloſano. n.1.2. & ſeqq. p.447

Hæreſis morbus ſpiritualis, peſtilentiæ æquiparatur. n.6. p.480

Hæreſis Lutheri perfidi apoſtatæ. n.15. p.557
Vid. *Lutherus*.

Hæreſis Zuinglij apud Helvetios. col.2. p.557. & num.19. p.559

Hæreſis Calvini. num.17. p.558. & n.27. p.561
Vid. *Calvinus*.

Hæreſis Iconoclaſtarum. num.3.p.301. & n.1.cum ſeqq. p.306

Hæreſis Albigenſium. n.5.p.417. Vid.ſup. *Hæreſis Catharorum*. & n.2. p.446

Hæreſis Begardorum & Beguinarum.num.2. & 3. pag.490

*Hæretici.*

Hæretici primi ſæculi Chriſtianorum qui naſcentem Eccleſiam oppugnarunt, recenſentur. n.24. pag.7

Hæretici ſecundi ſæculi complures qui quaſi viperei fœtus viſcera matris Eccleſiæ immaniter lacerarunt. n.12. p.22

Hæretici Gnoſtici,Carpocratiani,alij deſignati.ib.

Hæreticus Marcion ob ſtuprum ſacrilegum excommunicatus hæreſis ſuæ veneno multos infecit. num.13. ibid.

Hæreticus Montanus regnante Aurelio.n.14. p.23

Hæretici Donatiſtæ unde duxerunt originem.n.2. p.81. Vid. *Donatiſtæ*.

Meletius hæreticus. num.9. p.85

Hæretici Ariani. ibid. & ſeqq. & n.1. & 2. p.119
Vid. *Arius*.

Hæretici Euſebiani. n.16. & ſeqq. p.87

Hæretici Pelagiani, & Semipelagiani.n.16. p.186

Hæretici Neſtoriani. Vid. *Neſtorius*.n.17. p.187

Hæretici Eutychiani. Vid.*Eutyches*.n.20. p.188

Hæretici Eunomij ſeu Anomœi. n.2. p.119

Hæretici Paulianiſtæ. n.6. p.118

Hæretici Euſtathiani Concilio Gangrenſi damnati. n.1. & ſeqq. p.131

Hæreticorum Macedonij, Eunomij,& Apollinaris blaſphemiæ damnatæ in Concilio Alexandrino. num.4. p.160

Hæretici Sabellij impium dogma adverſus Sanctiſſimam Trinitatem reprobatur. ibid.

Hæretici Apollinaris & Timothei ejus diſcipuli damnantur. n.5. p.162

Hæretici fraudulenti. n.1. p.225. & ſeq.

Hæretici Theopaſchitæ, qui fuerint. n.1. p.230. & n.23. p.189

Hæretici Hydroparaſtæ, qui ſolam aquam in Calice offerebant. n.4. p.297

Hæretici Prædeſtinatiani, quorum author Goteſcalchus Monachus, damnati in Concilio Cariſiaco. n.1.2. & ſeqq. p.343

Hæretici Semiariani. n.4. p.148

Hæretici Iconoclaſtæ. n.2. cum alijs ſeqq. p.300. & n.1. cum ſeqq. p.306

*Helvetij.*

Helvetij jugum Imperij excuſſerunt. n.15. p.422
Zuinglij erroribus infecti. n.19. p.559
Bellum inter pagos Catholicos & Hæreticos.ib.
Catholici Victores antiqua fœdera inſtaurant. num.20. ibid.

*Henoticum Edictum.*

Henoticum Edictum condidit Zeno Imperator ſuadente Acacio Præſule Conſtantinopolitano hæretico. n.1. p.229
Hujus Edicti occaſione Schiſma ortum eſt.n.7. pag.240

Henoticum ſic dictum quaſi pacis Conciliatorium: imò potius prævaricatorium dicendum. num.24. p.189
Cui ideo Catholici fortiter reſtiterunt. ibid.

*Henricus Imperator.*

Henricus Imperator ſanctiſſimæ vitæ Othoni III. ſine liberis defuncto ſucceſſit. num.31.p.368. & num.1. p.369
Virginitatem perpetuam cum uxore Cunegunde ſervavit. n.1 p.369
Stephanum Hungarorum Ducem ad Fidem Chriſtianam convertit. ibid.
Humilitatis & obſequij mutui ſingulare exemplum inter ipſum, & Robertum Franciæ Regem. n.3. ibid.

*Henricus III. Imperator.*

Henricus Romanam Eccleſiam, Romanóſque Pontifices bellis continuis inſectatus eſt. n.1. p.389
Variorum Schiſmatum auctor diris ſacris ab Eccleſia devotus ingentes clades patitur. ibid.
Ab omnibus Proceribus deſtitutus ſe ipſum Imperio abdicavit,& filio tradidit.ib. & n.2. p.389
Profugus & ad privatam ſortem redactus Leodium venit, ubi novas turbas excitat,& novum Schiſma,tandémq; infeliciſſimè moritur. ibid.

*Henricus IV. Imperator.*

Henricus IV. mali corvi ovum peſſimum; coronationem à Paſchali Pontifice per vim extorquet, aliáque contra libertatem electionis Pontificum. n.3. p.389
Excommunicatur in Concilio Lateranenſi, in quo revocantur privilegia per vim extorta.n.4. pag.390
Sub Calliſto II. reconciliatur Eccleſiæ. ibid.
Vivere deſijt anno 1125. nullo ſuperſtite filio. num.6. p.391

*Henricus VIII. Rex Angliæ.*

Henricus Angliæ Rex Annæ Bolenæ pellicis amoribus captus, uxorem repudiat, pellicem ducit, & miſerrimè in hæreſim labitur. n.16. p.557

Excommunicatus ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, renitentes, & in his Thomam Morum Cancellarium ultimo afficit ſupplicio, aliaque indigna peregit. ibid.

*Henricus III. Francorum Rex.*

Henricus III. Francorum Rex belli ſopiendi neceſſitate coactus edictum promulgat in favorem hæreticorum. n.31. p.562

Catholici Principes Regni obſiſtunt, & fœdere facto inſiſtunt ne Princeps hæreticus in regno ſuccedat poſt mortem Henrici. ibid.

Sixtus V. ſuo diplomate fœdus illud comprobat, & hæreticos anathemate ferit. ibid.

Rex ſibi metuens, & conjurationem ſuſpicatus Guiſios occidi jubet. ibid.

Excommunicatur à Pontifice ob cædem Cardinali Guiſio illatam. ibid.

In eo Valeſiorum ſtirps Regia interijt. ibid.

*Henricus IV.*

Henricus IV. ob Hæreſim quam profitebatur reperit regnum in duas partes diviſum. num.31. p.585.

Bellum civile exardet. ibid.

Hæreſim abjurat, & Eccleſiæ reconciliatur. ibid.

Catholico facto populus univerſus obedientiam præſtat. ibid.

*Heraclius.*

Heraclius Africæ Præfectus inſtructa claſſe Conſtantinopolim occupat, & Phocæ ſupplicio Mauricio Auguſto à Phoca jugulato parentat. num.5. p.276

A Coſroë Perſarum Rege invaditur, qui captis multis Aſiæ Provincijs, & Ieroſolymis Crucem Domini cum ingenti captivorum multitudine in Perſidem tranſportat. ibid. p.277

Pacem poſcit quæ denegatur niſi ſub conditione abnegandi Chriſtum, & Solem adorandi. ibid.

Heraclius, reſumpta in Deum fiducia, vires & copias colligit, Coſroëm in extremas redigit anguſtias. ibid.

Coſroës à filio Siroë interficitur juſto Dei judicio. ibid.

Crux ſalutifera unà cum captivis Chriſtianis Heraclio, pace inita cum Siroë, reſtituuntur. ibid.

Heraclius ſuis humeris Ieroſolymam Crucem ſanctam tranſportavit. p.277

Ipſo regnante, Mahometana peſtis ex erebo eructatur. n.6. ibid.

Heraclius iram Dei provocat Monothelitarum hæreſi infectus. n.7. ibid.

Ecteſim ſive publicum edictum proponit, quo unicam in Chriſto eſſe voluntatem tanquam fidei articulum recipi jubet. ibid.

Aqua intercute extinguitur. ibid.

Duos liberos reliquit Imperij ſucceſſores, Conſtantinum ex priore conjuge Eudoxia, & Heraclium ex Martina ſororis filia. n.8. p.278

Conſtantino à Noverca Martina perempto, Heraclius unà cum matre imperio dejicitur, & Conſtans Conſtantini nepos ſolus imperio præficitur. ibid.

Heraclij Ecteſim promulgato ſuo typo Conſtans recipi mandat. ibid.

Heraclij Ectheſis, & Conſtantis typus damnantur in Concilio Conſtantinopolitano generali in Trullo. n.10. ibid. & n.5.6. & ſeqq. p.293

*Herodes.*

Herodes Agrippa Ariſtobuli filius Regia dignitate decoratur à Caligula. n.8. p.3

Herodes Antipas eandem ambiens dignitatem relegatur Lugdunum, quem inceſta uxor Herodias comitatur. ibid.

Herodes Agrippa Chriſtianæ religionis infenſus hoſtis Jacobum Apoſtolum decollavit, & Petrum in vincula conjecit: ſed brevi, divina ultione, miſerè perijt. ibid.

*Hierarchia.*

Hierarchia & ſubordinatio in Eccleſia Militante. num.1. & 2. p.112. & n.12. p.165

Vid. *Eccleſia.* Vid. *Clerus.*

Hierarchia & ſubordinatio Magiſtratuum civilium. n.1. p.113

Hierarchia & ſubordinatio inter Clerum & Laïcos etiam Principes obſervatur. n.10. 11. & 12. p.258. & n.13. 14. 15. & 16.

*Hilarius.*

Hilarius Pictavorum Epiſcopus, quòd ſtrenuè Arianis reſiſteret, in exilium mittitur in Orientem. n.7. p.130

Seleucienſi Concilio anno 359. interfuit, in quo admirabili conſtantia, & ingenij acumine, contra Arianos pro Nicæna fide diſputavit. ibid.

Ab exilio redux Gallicanas Eccleſias quas Saturninus Arianus infecerat, ad veram fidem revocat, & nova luce lætitiaque perfundit. ibid.

Frequentes Synodos ea de cauſa convocari procuravit, & nominatim Pariſienſem, in qua Saturninus damnatus eſt, & ſede quam per tyrannidem occupaverat, deturbatus. ibid.

*Hincmarus.*

Hincmari duo, Patruus & Nepos. num.1. & 2. p.344. 345

Hincmarus Patruus Archiepiſcopus Rhemenſis Caroli Calvi Francorum Regis gratia & favore pollens ſuperbus & crudelis evaſit. ibid.

Nepotem Epiſcopum Laudunenſem pietate inſignem calumniatur in Conciliabulo apud Vermeriam convocato ann.869. n.2. p.345

Nepos judicium prævenit Sedem Apoſtolicam appellans. ibid.

Pontifex ad ſe cauſam evocat, cujus vadimonio Rhemenſis obtemperare noluit, & Laudunenſis detentus non potuit. ibid.

Aliud Concilium vel Conciliabulum apud Attiniacum coactum adverſus Hincmarum Laudunenſem; qui iterum provocat ad Pontificem. num.3. p.345

Appellationibus inſuper habitis Laudunenſis Epiſcopatu privatur & in carcerem conjicitur innocens & indefenſus. ibid.

Tertia Synodus inita eſt apud Duziacum, in qua ab invitis Prælatis iterum damnatur, quòd nullus auderet Regi, & Rhemenſi Præſuli contradicere. n.4. ibid.

Defuncto Pontifice Adriano, ſucceſſit Joannes octavus, qui contra omnem juris rationem infelicem accuſatum & indefenſum condemnat, ſperans hac via ſubſidium adverſus Saracenorum incurſiones. n.5. ibid.

Laudunenſis

Laudunenſis ſic dejectus & in carcere detentus ferrea catena vinctus excœcatur, & deportatur. ibid.

Rege Carolo mortuo, Joannes in Galliam venit, à Ludovico Balbo magnificè exceptus Synodum in civitate Tricaſſina indixit, in qua comparent Hincmarus uterque. n.6. p.346

Laudunenſis cauſam ſuam dicit, omnes tacitè applaudunt, declaratur innocens à Pontifice ſe ipſum excuſante, ipſique etiam cœco indulgetur Miſſam in Pontificali amictu celebrare, aſſignata parte redituum, omnibus plaudentibus. ibid.

Hincmari Rhemenſis crudelitas ſuggillatur. ibid.

*Honorius.*

Honorius Occidentis Imperator. n.1. p.181

Stiliconem habet miniſtrum imperij & ducem generalem exercituum. ibid.

Eundem proditorem apud Ravennam necari juſſit. n.6. p.182

Novi tumultus Honorium agitant in Britannia. num.16. p.190

Conſtantinus quidam illorum author à Conſtantio prope Arelatam ſuperatus, & captus, jubente Honorio jugulatur. ibid.

Conſtantius, poſt Attaulphi Gothi prioris mariti Placidiæ obitum, illam ducit, Honorio iſtas nuptias conciliante, & in imperij conſortium aſſumitur. ibid.

Honorio mortuo ſuccedit Valentinianus III ex ſorore nepos. ibid.

*Hungaria.*

Hungarorum ad Religionem Chriſtianam converſio. n.1. p.369

Ipſorum rebellio adverſus S.Elizabetham n.21 p.485

I

*Iacobus Minor.*

IAcobus Minor à Judæis de Templi pinnaculo præcipitatur. n.21. p.6

Ejus Epiſcopatui Simeon ſucceſſit. ibid.

Poſt Petrum primus ceremonias legales ablegavit, in Concilio Ieroſolymitano, num.15. pag.5

*Iejunium.*

Jejunij Quadrageſimalis origo inveſtigatur. n.1. & ſeqq. p.55

Ab Apoſtolis fuit inſtitutum. ibid.

Jejunia ſimul cum Vigilijs in profeſtis magnarum ſolemnitatum indicta. n.2. ibid.

Jejuniorum diebus non à carnibus ſolùm, ſed à vino quoque & oleo olim abſtinendum erat. num.3. p.55

Jejunium Quadrageſimale qualiter obſervabatur apud veteres. ibid.

Jejunium Quadrageſimale, continuis duodecim ſeculis, nonniſi veſperi, ac tribus poſt horam nonam horis ſolvi licitum erat. n.4. ibid.

Reliqua jejunia poſt Nonæ officium. ibid.

Et ſimiliter jam à ſæculo 13. Quadrageſimale. num.6. p.56

Jejunia Sabbathorum, num.5. ibid. & n.7. latè, p.194. & 195

Jejunium Feriarum Sextarum in memoriam Dominicæ Paſſionis, per omnes totius orbis Eccleſias obſervatum. n.13. p.73

Jejunium Sabbathi non utique ſervabatur. ibid.

Jejunium Sabbati cur Superpoſitionis dictum. ibid.

Jejunium Sabbati interdum prohibitum, ubi aſſignatur ratio, interdum ſtatutum. p.73

Jejunium Quadrageſimale quanta cum auſteritate obſervatum olim. n.22. p.157

Jejunium ſolvere non licet Feria quinta poſtremæ hebdomadæ Quadrageſimæ. ibid.

de jejunio Sabbati iterum tractatur. n.23. p.157. & n.7. p.298

de jejunijs Monachorum. n.4. p.269

Jejuniorum diebus Miſſa differri ſolita ad horam octavam: & de hora refectionis plura traduntur. num.5. p.270

de Iejunio Quinquageſimæ, vel Quadrageſimæ, & Rogationum. num.8. & 9. p.251

In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & ſancto Annuntiationis die apud Græcos Miſſa non celebrabatur, ſed præſanctificata offerebantur ſicut apud nos in ſancto Paraſceves die. n.6. p.297

Jejunium Quadrageſimale ſub pœna mortis obſervandum præcipitur in Capitularibus Caroli Magni. col.1. p.329

Tres olim Quadrageſimæ, n.6. p.318. & 329

Præter omnes Ferias ſextas quibus ob Paſſionem Domini etiam jejunatur, nec non pleriſque in locis die Sabbati. ibid.

Xerophagia in jejunijs quid ſit. n.22. p.157

Iejunio Quadrageſimali certi dies eximebantur. num.5. p.297

*Ignis.*

Ignis Græcanicus à quo fuerit inventus. num.9. p.278

Ignis novus & Cereus in pervigilio Paſchæ benedicitur in Eccleſia. n.5. p.281

*Ignorantia.*

Ignorantia mater omnium errorum, perniciosa Eccleſiæ, & ſummoperè extirpanda. n.8.9. & 10. p.282

Maximè in Sacerdotibus qui cæteros docere debent, damnanda. n.2. p.330

*Imago.*

Chriſtus Dominus ſub humana figura atque etiam ſub Imagine Agni repræſentari & coli poteſt. num.18. p.299

Imaginum ſacrarum cultum feralibus edictis prohibuit Conſtantinus Copronymus. num.2. pag.306

Conciliabulum indixit quo per ſummam tyrannidem in ſacras Imagines conclamatum eſt. n.3. ibid.

Ea de cauſa Fideles diriſſimis ſupplicijs cruciati fuerunt. ibid.

Imaginum ſacrarum cultus in Synodo Nicæna reſtituitur. n.7. & 8. p.307

Imago Salvatoris in Synodo profertur, & ab omnibus Patribus ſuppliciter procumbentibus adoratur. n.9. ibid.

Idola Gentium nihil habent commune cum ſacris Imaginibus quibus utitur Eccleſia, ut probatur. ibid.

Dicta, & ſcripta adverſus ſanctas Imagines edita diligenter requiruntur ut cum reliquis libris hæreticis damnentur & publicè comburantur. num.16. p.315

Differentia vera inter Idolum & Imaginem ex profeſſo diſquiritur & aſſignatur. num.1. p.314. & ſeqq.

Hæc differentia aſtruitur ex Sacra Scriptura. num.2. ibid.
Vocabulum, *Sculptile*, eſt indifferens, neque abſolutè prohibentur Sculptilia, ut demonſtratur.n.3. ibid.
Elucidantur quædam Scripturæ loca de Imaginibus & germanus ſenſus traditur.n.4. p.313
An liceat Deum ſub humana figura repræſentare & venerari. ibid.
Duobus modis res quæpiam repræſentari poteſt.n.5. ibid.
Quo reſpectu liceat Imagines venerari. num.6. ibid.
Chriſti, Sanctorumque Imaginibus honor ritè defertur ac debetur.n.7.& 10. p.314
Vtrùm par Imaginibus debeatur veneratio ei quæ ipſarum exemplaribus immediatè debetur in Cœlo regnantibus? Variæ Doctorum ſententiæ referuntur.n.8.& 9. ibid.
Media ſententia, nimirum Imagines in ſeipſis & propriè honorandas quidem eſſe, ſed honore minori quàm Exemplar, adducitur & probatur. num.10. ibid.
Differentia inter cultum Latriæ, & Duliæ.ibid.
Objectionibus fit ſatis; & exponitur quo ſenſu Eccleſia Sanctam Chriſti Domini Crucem adoret.n.11. ibid.
Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, aliorúmque Sanctorum in Templis habendæ & venerandæ. num.12. p.*313
Ex Sacris Imaginibus magnus fructus ſpiritualis percipitur.n.13. ibid.
Secundus Canon Francofordienſis Synodi circa Imagines perplexus & involutus diſcutitur. n.2 p*314 & n.3. p.315
Imagines Latriæ cultu non adorantur.n.3. p.315
Superſtitioſæ Imaginum denominationes quæſtûs causâ reprobantur.Can.7. p.545
Imagini cultus debetur propter rem ſignificatam ad quam refertur.Tit.22.cap.3, p.619
Imagines ponuntur ut earum aſpectu populus fidelis patrocinium Divorum invocet, & eorum vitam imitetur. cap 4. ibid.
In geſtationibus Imaginum per vias & compita, choreæ, tripudia, tympana, aliáque indecora prohibentur.tit.6. p.640
De Sacrarum Imaginum veneratione ex Tridentino ſeſſ.25 actum eſt.n.76. p.602
Imago Salvatoris æquali honore cum libro SS. Evangeliorum adoratur.n.10. p.350

*Immunitas.*

Immunitas reorum qui ad Eccleſias confugiunt. num.7. p.211
Non admittitur in Gallia. ibid.
Quamvis olim religioſè ſervaretur.n.2. p.149
Rei ad Eccleſiam confugientes extrahi non debent, niſi de omni pœnarum corporis genere ſint ſecuri.n.2. ibid.
Immunitas Clericorum à foro ſeculari. n.3. p.172. & p.180
Et ab omni publica indictione, & labore. n.15. pag.285
Et à viſitatione Judicum ſecularium,n.8. p.287
Immunitas bonorum Eccleſiaſticorum. Can. 20. p.421 & n.13.p.437 & Can.19. p.416
Immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum. Can.15. p.404.& Can.21. p.409
Immunitas localis, ne quis ad Eccleſiam confugiens per vim abripiatur. Can. 14. p.410
Immunitas Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Clauſtrorum, non violanda, nec rei eò confugientes abſtrahendi, neque res ibi depoſitæ violenter aſportandæ.n.5. p.461
Immunitates, libertates, & prærogativæ Eccleſiæ maneant inviolabiles ſub pœna Excommunicationis.Can.12.p.495. & n.91. p.609
Immunitates & privilegia, atque Exemptiones Regularium in Provincia Treverenſi illibatæ conſerventur.n.5. p.578

*Imperium.*

Imperium novum in Italia inſtauratum, Formoſo Pontifice Vidonem coronante.n.2. p.60
Variis civilibus bellis agitatum, crudelitatibus & perfidiis inſigne duos ſupra ſeptuaginta annos duravit ad Othonis uſque imperium. n.2. 6.7.8.9.& 10. ibid.
Imperium à Græcis ad Germanos tranſlatum fuit ex mera Romani Papæ authoritate Leonis III. qui Carolum Magnum ad illud promovit. n.50. pag.368
Imperij ſucceſſores creandi facultas ex decreto Gregorij Pontificis V. & Othonis III. num.30. ibid.
Imperium Occidentis in Auguſto exortum in Auguſtulo extinctum n 28. p 191
Imperij variæ mutationes ibid.& n.29. p 192
Sub Imperio malorum Principum interdum expedit ſervire tempori, ut variis exemplis probatur.n.2. p.130
Imperium Orientis cœptum à Conſtantino I.everſum eſt ſub Conſtantino VIII. & in prædam Turcarum miſerrimè ceſſit.n.38. p.317

*Incendiarij.*

Incendiarij, eiſque auxilium dantes ſcienter excommunicantur.n.8 p.404.& Can.15. p 410
Incendiariorum pœnitentium pœna. ibid.
Impœnitentes ſepultura Eccleſiaſtica privantur. ibid.

*Indictio.*

Indictionum Author quis fuerit in Eccleſia.diſſ.7. pag 31
Indictio quindecim annorum ſeriem complectitur. ibid.
Indictionum triplex differentia notatur, nempe Conſtantinopolitanæ, Cæſareæ, & Romanæ. ibid.

*Indulgentia.*

Indulgentiarum origo ex libellis Martyrum quorum intuitu & precibus pœnitentiæ Canonicæ minuebantur, vel remittebantur.n.10. p.99
Indulgentiæ conceſſæ illis qui aſſociant Presbyterum deferentem Sacroſanctum Viaticum ægrotis.Can.1. p.493
Indulgentiarum ſalutaris uſus populo Chriſtiano commendatur.cap.11. p.609
Qui negant Eccleſiæ conceſſam à Chriſto poteſtatem Indulgentiarum,anathemate feriuntur. ibid.& n.4. p.619
Indulgentiæ non ita facilè olim concedebantur; licèt poſtmodum disiectis Canonum pœnitentialium repagulis compulſa ſit Eccleſia eas admittere.n.3. p.377

*Innocentius II. Pontifex.*

Innocentius eligitur Pontifex ſtatim poſt obitum Honorij, ad præveniendam factionem ambitioſam quorundam.n.7. p. 91
Hæc electio Schiſmati occaſionem dedit, inter ipſum, & Petrum Leonis ſive Anacletum.ibid.

Inferior

Inferior æmulo nobilitate Natalium, Procerum gratia, & cenſu, ſed virtutum ſplendore longè ſuperior, Urbe cedendum exiſtimavit. ibid. & num.8. p.391
Piſas ſeceſſit, & Legatos in Franciam miſit, itérque ipſe inſtituit, inter Piſanos & Genuenſes inducias obtinuit, Claromonte Conventum habuit, in quo Anacletum iterum damnavit. ibid.
Aurelianum acceſſit, ubi à Rege, & Prælatis honorificè excipitur: num.8. p.392. & num.2. p.402
Deinde ab Henrico Anglorum Rege, & Clero, à Bernardo Clarevallenſi impulſis. n.9. p.392. & num.2. p.402
Concilium Remis frequentiſſimum habuit, in quo Anacletum Schiſmaticum denuò condemnavit: & Rege poſtulante Regis filium inauguravit. ibid.
Lotharius Rex Germaniæ, Rex Angliæ, & Rex Hiſpaniæ citerioris per Legatos ejus partes ſuſcipiunt plenum ei obſequium & fidem renovantes. ibid.
Leodium adivit, ubi Lotharij, Cleri, totiuſque Nobilitatis venerationem recipit. n.10. ibid.
Genuam revertitur, pacem inter Genuenſes & Piſanos componit, eorumque Eccleſias in Metropoles erexit. ibid.
Lotharij adventum ibi expectat, ac deinde cum ipſo Romam perrexit; ubi varij tumultus ex parte Anacleti Schiſmatici. n.11. & 12. p.393 & n.2. p.402
Rogerium in fovendis partibus Anacleti pervicacem anathemate percellit, cui poſtea reconciliatur. ibid.
Concilium Lateranenſe ſecundum generale convocat. n.1. p.402
Lotharium Imperiali diademate coronat. n.2. ibid.

*Innocentius III.*

Innocentius III. Pontifex animum ad Terræ Sanctæ recuperationem adjecit. n.8. p.417
Lateranenſe Concilium generale ad propagandam Chriſtianam fidem ann.1215. Romæ congregavit. ibid. & n.9.
Ejus ſapientia inſignis, piáque ſolicitudo, circa res Fidei, & diſciplinam Eccleſiæ in hac Synodo effulget. num.10. ibid.
Othonem Imperatorem Romæ coronavit. n.1. pag.418
Eundem hoſtiliter Italiam & Eccleſiam vexantem Sacrorum communione & Imperio ſubmovit. ibid.
Ejus hortatu ſacra militia adverſus Raymundum Comitem Toloſanum, & Petrum Aragonum Regem hæreticos ſuſcipitur, & felici exitu terminatur. num.7. p.420
Ipſo conſentiente Latinus Patriarcha Thomas Venetus Conſtantinopoli ſtabilitus eſt, & publicus Latinorum cultus. num.9. ibid.
Vir magni ſpiritus nec minoris prudentiæ in regenda Eccleſia, quam pijs & eruditis ſcriptis illuſtravit. num.18. p.424

*Innocentius IV.*

Innocentius IV. Pontifex, patriâ Genuenſis, ex illuſtri Fliſcorum gente, Cæleſtino ſucceſſit. num.5. p.450
Æquiſſimas pacis conditiones Friderico Imperatori obtulit, quibus rejectis, in Galliam ſe recepit. ibid.
Lugduni Concilium generale indixit, S.Ludovico regnante, ad quod citatur Fridericus qui ire renuit, ſed miſit Legatos. ibid.
Concilio ipſe Pontifex præſedit. num.6. ibid.
Fridericum de Synodi ſententia Imperio, & regno Apuliæ, Siciliæque ſpoliavit. n.7. ibid.
Sacram militiam in Saracenos indixit, cui paruit S.Ludovicus Francorum Rex cum magno apparatu. num.14. p.421

*Interdictum.*

Interdictum Eccleſiaſticum adverſus fautores hæreticorum, eóſque in ſuis Terris recipientes. Ca.18. p.410
Interdicti tempore qua ratione Epiſcopi, & alij privilegiati divina officia celebrare poſſint. n.38. pag.441
Beneficium relaxationis ad cautelam quoad Interdicti ſententias locum aliquatenùs non habere. Can.30. p.471
Religioſi etiam exempti violantes Interdictum Eccleſiaſticum excommunicantur. num. 18. pag.492
Interdicta Eccleſiaſtica non leniter ponenda ex decreto Concilij Baſileenſis. n.14. p.535

*Inventarium.*

Priores Eccleſiarum, & Rectores Hoſpitalium, Inventarium authoritate publica conficiant bonorum, &c. num.5. p.494
Inſtrumenta quoque in eo deſcribantur, & in Archivio Epiſcopali deponantur. n.5. & 6. p.625. & num.9. p.646. & n.4. p.648.
Inſtrumenta Eccleſiaſtica ſupprimentes, vel retinentes, quibus pœnis ſubjiciantur. num.9. pag.498

*Ioanna.*

Ioanna Papiſſæ fabulæ quæ fuerit occaſio. num.5. p.345
Ioanna Regina Neapolis in ſuſpicionem conjugis ſui adducitur. n.11. p.481
Ab ea Clemens Papa VI. Avenionem emit. n.12. pag.482
Regno ſpoliatur. n.13. ibid.
A Dyrrachino perimitur. n.14. ibid.
Ioanna Darcia ruſtica virago inſignis cœlitùs miſſa ad liberandam Franciam ab Anglis undique oppreſſam. num.26. p.511
Ejus præclara facinora bellica enarrantur. ibid. & num.27. p.512

*Iovinianus.*

Iovinianus Chriſtianus Orthodoxus omnibus virtutum ornamentis excultus renuntiatur Imperator. num.27. p.91
Imperium noluit ſuſcipere quin prius offerentes milites fierent Chriſtiani. ibid.
Largitionem à Conſtantino Eccleſijs aſſignatam, & à Iuliano Apoſtata ſuppreſſam reſtituit. ibid.
Eodem anno quo ſuſcepit Imperium, obijt. ibid.

*Irregularitas.*

Irregularitates ab Ordinibus Eccleſiaſticis arcentes ex Concilio Neoceſareenſi. num.1. & ſeqq. pag.96.
Ex bigamia interpretativa propter adulterium uxoris ordinandi. n.2. ibid.
Item ex peccato animali, vel etiam fornicatione ab ordinando commiſſa. n.3. ibid.

Item

Item ex defectu ætatis. numero 4. ibid.
Item ex negligentia in ſuſcipiendo baptiſmo. num.5. p.97
Irregularitatem incurrunt Energumeni.n.15. p.74
Vid.*Energumenus*. & n.4. p.291
Irregularitas ex eunuchiſmo voluntario.n.1. & 2. pag.106
Irregularitas ex homicidio in bello commiſſo. n.9. pag.319
Ex homicidio coacto, diſtinguitur. n. 2. p.354
Irregularitas ex defectu natalium. n. 5. p. 378. & Can.11. p.387
Ex defectu libertatis. ibid. & num. 6. p.378
Vid. *Ordinatio*.
Irregularitas declaranda & revelanda. num.6.ibid.
Irregularitas ex morbo epileptico.n 4. p.291
Super quibus Irregularitatibus Epiſcopus diſpenſare poſſit.n.70. p.600

*Iudæi.*

Judæorum converſorum, & Gentilium etiam converſorum diſſenſio circa obſervationem præceptorum legalium, Concilio Jeroſolymitano deciſa.n.15. p.5
Judæorum tumultus adverſus Apoſtolos Chriſti divinitatem prædicantes.n.4. p.2
Iudæorum Sacrilegam impietatem ultus eſt Deus per Romanos Principes.n.23. p.7
Iudæorum undecies centena millia in obſidione Ieroſolymitana perierunt. ibid.
Iudæi Cyrenenſes & Palæſtini fanatico ſpiritu abrepti ex improviſo ingentem Romanorum & Græcorum multitudinem immani crudelitate occiderunt n.4. p.10
Judæorum pars alia per inſulam Cyprum effuſa, ducenta & quadraginta hominum millia ferro & igni deleverunt. ibid.
Iudæi à Trajano devicti. ibid.
Iudæi aliam defectionem machinantes adverſus Adrianum Trajani ſucceſſorem, poſt bellum in Iudæa excitatum, tandem innumeris cladibus afflicti & perdomiti.n.6. p.11
Iudæi ante ſacras preces, manus abluebant. n. 10. pag 41
Iudæi quando celebrabant ſuum Paſcha. num. 5. pag.123
Nulla apud ipſos erat olim Epactarum ſubductio; hodie ſecùs. ibid.
Iudæorum filij converſi à parentibus ſeparari debent.n.16. p.285
Similiter conjux Chriſtianam amplexa Religionem n. 7. ibid.
Iudæis deambulandi licentia denegetur à Cœna Domini uſque ad primum Paſcha.Can.14.p.172
Iudæorum conviviis nullus Chriſtianus interſit. Can.1. ibid.
Iudæi uſurarij puniendi.n.41. p.442
Iudæis peculiare indumenti genus præſcribitur. num.42. ibid.
Non ſunt præficiendi publicis officiis. num.43. ibid.
Ad fidem converſi judaizare non ſinantur.n.44. ibid.
Iudæi ceſſent ab uſuris, blaſphemiis, ſortilegiis, libri eorum Thalmud, & ſimiles comburantur: tranſgreſſores puniantur, & expellantur. cap.23. p.459

*Iudex.*

Iudicis Eccleſiaſtici religio & officium in ferendo ſententiam.col.1.& 2. p.453
Iudicis conſervatoris poteſtas. col. 2. p.451

*Iulianus.*

Iulianus Apoſtata Conſtantio mortuo proclamatur Imperator.n.24. p 90
Chriſtianam Religionem procaciter impugnat. ibid.
Templo Apollinis Daphnæi igne divino conflagrato, hujus incendij calumniam in Chriſtianos rejici juſſit.n.25. ibid.
Dum expeditionem parat, cæſis etiam humanis victimis, incerto telo transfixus, cruorem ex vulnere exceptum in Cœlum jaciens, cum hac blaſphema voce, *Viciſti Galilæe*, periit. n. 26. pag.91

*Iulius II.*

Iulius II. expers literaturæ, indole ferox, gloriæ militaris appetentiſſimus creatur Pontifex anno 1504.n.3. p.550
Bellum movet contra Venetos, uſus armis & fortitudine Ludovici XII. Francorum Regis. ibid.
Tanti beneficij immemor, cum ipſis Venetis aliiſque Principibus fœdus percutit adverſus Francos.ibid. p.551
Imperator Maximilianus fruſtra ſatagit reducere eos ad pacem ob duriores conditiones ex parte Iulij.n.4. ibid.
Concilium Lateranenſe convocat ad irritandum conciliabulum Piſanum.n.5. p.552
Indictum bellum ipſe loricatus, & enſe ſuccinctus, acriùs proſequitur, & hinc inde magna ſtrages editur.n.7. ibid.
Lateranenſi Concilio præſedit, ſed poſt quartam ſeſſionem lenta febri correptus deinceps intereſſe non potuit.n.8. p.553
Ejus decretum adverſus Ludovicum Francorum Regem & Regnum. ibid.
Obiit anno 1513. cui ſucceſſit Leo. ibid.

*Iuriſdictio.*

Iuriſdictio Eccleſiaſtica ab Officiariis ſecularibus turbari non debet. Can.37. p 531. & n.25.& 26. pag.575
Perſonæ Eccleſiaſticæ in criminalibus cauſis, vel perſonalibus actionibus coram Iudicibus ſecularibus non conveniantur.n.7. p.497
Archidiaconus an & quando de cauſis matrimonialibus cognoſcere poſſit.n.5. p.497
Iuriſdictio Eccleſiaſtica in poteſtate Clavium maximè conſiſtit: eſtque optimus modus defendendi Eccleſiam, ac reformandi mores. n. 24. & ſeqq. p.575
Iuriſdictio Epiſcopalis in Religioſos etiam exemptos,n.13.p.579.& cap.9. p.600
Et in Eccleſias nullius diœceſis.cap.11. ibid.

*Iuſtinianus.*

Iuſtinianus multis edictis Catholicæ Religioni conſultum voluit: ſed juſtæ poteſtatis limites in multis tranſilivit.n.16. p.244
Sylverium Pontificem in exilium miſit, ipſique Vigilium ſuadente uxore ſuffecit.n.17.p 245
Sub ejus Imperio, Religio Chriſtiana, ipſúmque Romanum Imperium ampliſſimum incrementum receperunt.n.18. ibid.
Beliſarij & Narſetis præſtantiſſimorum Ducum opera magnas victorias reportavit. ibid.

*Iuſtinus Imperator.*

Iuſtinus ex abjectiſſima ſorte oriundus per virtutum & honorum gradus ad Thronum Imperij evectus.n.15. p.243

Miſſis ad ipſum Legatis Hormiſda Pontifex Rom. impetravit ut omnes hæreticorum ſectæ imperiali edicto proſcriberentur. ibid. p.244
Hæreticos inſectando, Theodoricum Arianum Regem in ſe commovit ibid.
Exacto Imperij novennio diem obijt extremum. n.16. p.244
Ei ſucceſſit in Imperio Juſtinianus ex ſorore nepos. n.16. p.244

L

*Laodicenum Concilium.*

Laodicenum Concilium quo tempore collectum fuerit, inquiritur. n.1. p.151
Rationes Baronij qui exiſtimat iſtud Concilium præceſſiſſe Nicænum refelluntur. n.2. ibid.
Hieronymi authoritas ibidem adducta explicatur, de Libris Canonicis. ibid.
Convocatum eſt Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ: non Laodiceæ Syriæ. n.3. p.152
*Can.*1. Binubis ad aliquod tempus communionem Euchariſticam interdicit, eiſque preces & jejunia præſcribit, n.4. ibid.
*Can.*2. De peccatoribus in oratione, confeſſione, & pœnitentia perſeverantibus ad communionem admittendis. n.5. p.152
Novatianorum impietas ſimulque noſtri temporis hæreticorum perſtringitur. ibid.
*Can.*3. De Neophitis non ordinandis ſtatim. num.6. ibid.
*Can.*4. De Clericis uſurarijs. ibid.
*Can.*7. De hæreticis converſis, an & quando rebaptizandi, vel confirmandi. n.7. ibid.
*Can.*10. De Nuptijs cum hæreticis indifferenter non contrahendis. n.8. p.153
*Can.*12 De prævio examine Ordinandorum ratione fidei, & morum. ibid.
*Can.*13. Non permittendum turbis eligere eos qui ſunt ad Sacerdotium promovendi. num.9. ibid.
*Can.*14. Eulogiæ in feſto Paſchæ in alias Parœcias non tranſmittendæ. ibid.
*Can.*15. De Cantoribus in Eccleſia. n.10. p.153
*Can.* 19. Quo ritu ſacrificium Miſſæ celebrandum, & de pacis oſculo. n.11. p.154
*Can.*20. Ne Diaconus ſedeat ante Presbyterum. num.12. ibid.
*Can.*21. De Subdiaconis: ne vaſa ſacra contingant. ibid.
*Can.*24. Ne Clerici, vel Monachi cauponam ingrediantur. n.14. p.155
*Can.*28. De Agapis ſeu convivijs in ædibus ſacris prohibendis. n.15. ibid.
*Can.* 29. Non oportet diem Sabbati judaïco ritu celebrare. n.16. p.155
*Can.* 33. Non oportet cum ſchiſmaticis, vel hæreticis orare. ibid.
*Can.*35. De idolorum cultu fugiendo, & ab invocatione cacodæmonum abſtinendum ſub pœna anathematis. n.17. p.155
*Can.*36. De Clericis incantatoribus ab Eccleſia projiciendis. n.18. p.156
*Can.*40. Non oportet Clericum ſine Canonicis literis iter facere. n.19. ibid.
*Can.*41. Neque ſine juſſu Epiſcopi. ibid.
*Can.*48. Baptizati ſacro Chriſmate inungi debent. n.20. p.156
*Can.*49. Non oportet in Quadrageſima panem offerre niſi Sabbato, & ſolis Dominicis, n.21, ib.
*Can.*50. Non licet feria quinta poſtremæ ſeptimanæ Quadrageſimalis jejunium ſolvere. n.22. p.157
Sed Xerophagiam ſervare, ut declaratur. n.23. ibid.
Et utrùm liceat jejunare Sabbato. n.23. & 24. ibid.
*Can.*51. Martyrum feſta celebrari vetat in Quadrageſima, niſi Sabbatis, & Dominicis, n.25. p.158
*Can* 54. Non licere Clericis ludicris ſpectaculis intereſſe. n.26. ibid.
*Can.*56. De jure honorifico Epiſcopis debito & à Clericis ipſis exhibendo. n.27. p.158
*Can.*57. Cavetur ne in villis aut vicis conſtituantur Epiſcopi, ſed tantùm viſitatores. n.28. ib.
*Can.*58. Non oportet in domibus privatis oblationes celebrari ab Epiſcopis aut Presbyteris. num.29. ibid.
*Can.* 59. Qui pſallere aut legere in Eccleſia debeant, & quos libros: ubi quædam de libris Canonicis obſervantur. n.30 p.159
*Lampades* ſponte per ſe accenſæ, in Eccleſia Ieroſolymitana. n.5. p.387

*Lapſi.*

De Lapſorum pœnitentium reconciliatione ſaltem in ipſo vitæ exitu latè agitur à num.6. cum ſeqq. pag.70
Tria lapſorum genera apud veteres Sacrificatorum, Thurificatorum, & Libellatorum referuntur & declarantur. n.9. & 10. p.71
De lapſu Marcellini Pontificis plura traduntur in Concilio Sinueſſano. n.1. & ſeqq. p.79
De lapſu Presbyterorum, & Diaconorum, perſecutionis tempore, an & quomodo ipſos à Sacris arceret. n.1.2.3. & 4. p.94
Lapſis Clericis pœnitentiam deſiderantibus ſubveniendum. n.18. p.174. & n.6. p.211
Lapſus Liberij Pontificis, & Oſij Epiſcopi Cordubæ, deploratur. n.21. p.89

*Lateranenſe Concilium.*

Lateranenſe Concilium œcumenicum nonum anno 1123. à Calliſto II. Pontifice convocatum ad ſedandum ſchiſma, ſub Henrico IV. Imperatore. num.7. & 8. p.400
Pacis inter Pontificem & Imperatorem ſancitæ conditiones referuntur. n.9. ibid.
Sacra expeditio inſtituitur adverſus Saracenos Eccleſias Orientis infeſtantes, & Hiſpaniarum. num.10. ibid.
Ordinationes Burdini Schiſmatici & damnati Eccleſiæ Romanæ judicio, irritæ decernuntur. num.11. ibid.
*Can.*1. Ordinationes & promotiones ſimoniacæ prohibentur. ibid. p.400
*Can.*2. Nullus in Præpoſitum, Archipresbyterum, vel Decanum niſi Presbyter; nullus in Archidiaconum niſi Diaconus ordinetur. n.12. ibid.
*Can.*.. Animarum cura principaliter ſpectat ad Epiſcopum, ſine cujus conſenſu nemini permittenda eſt. ibid.
*Can.*8. Ne quis poſſeſſiones S. Romanæ Eccleſiæ invadat. ibid.
*Can.*9. Excommunicati à proprijs Epiſcopis, ab alijs in communionem non recipiantur. ibid.
*Can.*10. Nullus ſacretur Epiſcopus niſi canonicè electus. p.401
*Can.*15. Falſam monetam cudens, vel expendens,

dens, tanquam pauperum oppreſſor excommunicatur. n.13. p.401
*Can.*16. Excommunicationis pœna infligitur illis qui ſpoliant peregrinos viſitantes limina Apoſtolorum, & Sanctorum Oratoria. ibid.
*Can.*20. De Immunitate bonorum Eccleſiaſticorum. ibid.
*Can.*... De continentia Clericorum, & Monachorum. ibid. p.401
Lateranenſe Concilium generale ſub Innocent.II. an.1139. celebratum, n.1. p.402.& n 3. p.403
*Can.*1. Simoniacè Ordinati gradu dejiciuntur. num.4. ibid.
*Can.*2. Vendentes & ementes res ſacras deponuntur honore malè quæſito, & fiunt infames. num.5. ibid.
*Can.*3. Excommunicatos à ſuis Epiſcopis, ab alijs ſuſcipi modis omnibus prohibetur.n.6. ib.
Quod declaratur. ibid. p.403
*Can.*4. De vita & honeſtate Clericorum. ibid.
*Can.*5. Ne bona Epiſcoporum decedentium diripiantur. ibid.
*Can.*6. Matrimonium Subdiaconis, & ſupra, interdicitur. ibid.
*Can.*7. De continentia Clericorum,& quod nemo Miſſas concubinarij Presbyteri audiat. ibid.
*Can.*9. Ne Monachi & Canonici Regulares, Leges ſæculares,& Medicinã addiſcant.n.7. p.403
*Can.*10.de Decimis Eccleſ. præſtandis.ib.p.404
*Can.*13. De pœnis uſurariorum. ibid.
*Can.*14. Ludi periculoſi interdicuntur. ibid.
*Can.*15. Jn Clericos vel Monachos violentas manus injicientes excommunicantur. ibid.
*Can.*16. Ne Eccleſiaſtica beneficia, vel officia hæreditario jure poſſideantur. ibid.
*Can.*18. Incendiarij excommunicantur. num.8. p.404
*Can.*21. De filijs Presbyterorum illegitimis. ib.
*Can.*22. De falſa pœnitentia. ibid.
*Can.*23. Hæreſis Petri de Bruis damnatur. n.9. pag.405
*Can.*26. De clauſura Monialium. n.10. ibid.
*Can.*27. Ne Moniales ſimul cum Canonicis vel Monachis in uno Choro Eccleſiæ pſallant. ibid.
*Can.*30. Ordinationes ab Antipapa factæ irritantur. ibid.
Lateranenſe Concilium generale tertium ſub Alexandro Papa III. ann.1179. n.1. p.413
*Can.*1. De electione Summi Pontificis. ibid.
*Can.*2. Geſta per Antipapam irritantur. ibid.
*Can.*3. De electione & confirmatione Epiſcoporum. ibid.
*Can.*4. De impenſis procurationum ſeu viſitationum moderandis. n.2. p.414
*Can.*5. De titulo Clericali: & quod Epiſcopus Clericum ſine patrimonio ſeu titulo ordinatum alere teneatur. ibid.
*Can.*6. Ne ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententia atque præmiſſa commonitione proferatur. ibid.
*Can.*7. Ne pro inſtallatione Prælatorum, pro exequijs defunctorum, benedictione nubentium, omniumque adminiſtratione Sacramentorum aliquid exigatur; ſed detur gratis quod gratis receptum eſt. p.414
*Can.*8. Beneficia vel Officia Eccleſiaſtica non conferantur, neque promittantur, antequam vacent. ibid.
*Can.*10. Monachi non recipiantur pretio: non præficiantur Eccleſijs Parochialibus; peculium habere non permittantur: & alia quædam de diſciplina Regularium. n.3. p.415
*Can.*11. De continentia Clericorum. ibid.
*Can.*12. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti Advocati vel Procuratoris munere non fungantur coram judice ſæculari, niſi pro Eccleſia, vel miſerabilibus perſonis. ibid.
*Can.*13. De prohibita pluralitate beneficior. ib.
Ne Clericos in Eccleſijs inſtituant, aut deſtituant laici, vel Eccleſias exactionibus gravent. ibid.
Ne ad ſuum forum pertrahant, & judicio ſuo ſtare compellant. ibid.
Ne Decimas Eccleſiæ debitas cum animæ ſuæ periculo detineant. ibid.
*Can.*15. Clerici de bonis Eccleſiæ, vel illius intuitu quæſitis diſponere non poſſunt, ſed penes Eccleſiam remanere debent. p.416
*Can.*16. Quod fit à majore parte Capituli ratum habeatur. ibid.
*Can.*17. De jure patronatus. ibid.
*Can.*18. De præbenda præceptoriali. ibid.
*Can.*19. De immunitate Eccleſiarum. ibid.
*Can.*20. De Torneamentis & alijs ludis periculoſis inhibendis. p.417
*Can.*23. de Leproſis à communi cœtu ſeparandis. n.4. ibid.
*Can.*24. Ne arma & alia id genus ad hoſtes Chriſtiani nominis deferantur. ibid.
Ne quid moleſtiæ inferatur Chriſtianis negotiatoribus. ibid.
*Can.*25. Uſurarij manifeſti excommunicantur. ibid.
*Can.*27. Varij damnantur hæretici, & nominatim Albigenſes; pluribus conceſſis Indulgentijs & privilegijs Principibus qui contra ipſos ſacram expeditionem noverint. n.5. p.417
Lateranenſe Concilium generale IV. ab Innocentio III. Pontifice convocatum, cujus brevis ſynopſis datur. n.3. p.418
Celebratum fuit anno 1215. in quo effulſit ſingularis ſapientia Pontificis & pia ſolicitudo circa res Fidei, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ. n.9. & 10. p.427
*Can.*1. Proceditur Fidei ſymbolum.n.11. ibid.
*Can.*2. Damnatur error Abbatis Joachim,& petulantia adverſus Petrum Lombardum, cujus ſententia de Trinitate & Unitate divinæ ſubſtantiæ aſſeritur. n.12. ibid.
*Can.*3. De pœnis hæreticor. pervicacium.p.428
*Can.*5. De Sedium Patriarchalium ordine & præcedentia ac prærogativis. ibid.
Græcorum ambitio animadvertitur. n.13. ibid.
Innocentius poſt Romanum Pontificem primam dignitatem indulſit Sedi Conſtantinopolitanæ ad conciliãdam unionem in Eccleſia.n.14.p.429
De Sedis Jeroſolymitanæ antiquitate & dignitate. n.15. ibid.
*Can.*6. De Concilijs Provincialibus ſingulis annis à Metropolitanis celebrandis. ibid.
*Can.*7. Ut Prælati ad corrigendos ſubditorum exceſſus & maximè Clericorum diligenter intendant; & qualem in Canonicos Eccleſiæ Cathedralis juriſdictionem exercere poſſint. ibid.
*Can.*8. Qualiter debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum ſubditorum exceſſus. p.430

Quomodo

Quomodo procedendum adverſus Prælatorum ipſorum exceſſus. ibid.
*Can.*10. Ut Prælati per ſe, vel per viros idoneos verbum Dei populo ſibi commiſſo miniſtrent, cæteráque ad ſalutem animarum neceſſaria. ibid.
*Can.*11. De Magiſtris Scholarum in Cathedralibus Eccleſijs, & in alijs, inſtituendis; & de præbenda præceptoriali illis aſſignanda. n.16. p.431 de Theologo in Eccleſia Metropolitana, & præbenda Theologali. ibid.
*Can.*12. De reformatione Regularium per frequentes viſitationes, & Capitula Provincialia. num.17. ibid.
*Can.*13. Prohibentur novæ Cœnobitarum Religiones, cui tamen poſtea derogatum fuit, n.18. p.432
*Can.*14. De diſciplina Eccleſiaſtica & reformatione morum, & de continentia Clericor. ibid.
*Can.*15. A crapula & ebrietate Clerici diligenter abſtineant, venatione, & aucupio. ibid.
*Can.*16. Ut Clerici officia & commercia ſæcularia non exerceant. n.19. p.432
*Can* 17. De divino Officio nocturno diurnóque piè & diligenter celebrando. n.20. ibid.
*Can.*18. A judicio ſanguinis Clerici abſtineant. ibid. Et à Chirurgiæ exercitio ſeu parte quæ uſtionem vel inciſionem inducit. ibid. p.433
*Can.*19. Ut vaſa ſacra, corporalia, & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſerventur. ibid.
*Can.*21. Ut fideles omnes ſaltem ſemel in anno peccata proprio Sacerdoti confiteantur, & Euchariſtiæ Sacramentum ab eo reverenter ſuſcipiant in Paſcha, ut declaratur. ibid. p.433
*Can.*22. Ut Medici moneant & inducant ægrotos quos curant quod priùs de ſalute animæ quam corporis cogitent & Confeſſarios Sacerdotes evocent. ibid.
*Can.*23. Ut Eccleſiæ Cathedrali vel Regulari viduatæ Paſtore intra tres menſes, provideatur. num.22. ibid.
*Can.*24. De forma eligendi Prælatos Eccleſiaſticos. n.23. p.434
*Can.*25. Ne quis patiatur ſe eligi per Poteſtates ſeculares contra Canonicam libertatem. ibid.
*Can.*26. De Prælati electi confirmatione à Superiore habenda. ibid.
*Can.*27. Ne indigni promoveantur ad Ordines ſacros & regimen animarum. n.24. ibid.
*Can.*28. De reſignatione beneficiorum. p.435
*Can.*29. Ne quis plures dignitates Eccleſiaſticas, vel Parochiales Eccleſias recipiat: & de incompatibilitate beneficiorum. n.25. ibid.
*Can.*30. Idonei præficiantur Eccleſijs, & rejiciantur indigni. ibid.
*Can.*31. Ne filij Canonicorum in ſæcularibus Eccleſijs, in quibus inſtituti ſunt eorum patres, admittantur. n.26. ibid.
*Can.*32. De congrua portione Parochis aſſignanda. n.27. p.436
*Can.*35. De appellatione ante ſententiam. n.28. ibid.
*Can.*36. Judex revocans gravamen à quo eſt appellatum, poteſt procedere in cauſa principali, niſi aliunde ſit ſuſpectus. n.29. ibid.
*Can.*37. Ne quis ultra duas diætas extra diœceſim in jus vocetur. n.30. p.436
*Can.*38. De Notario ſeu Graphario ad ſcribenda acta judicialia ne fides veri pereat. ibid.
*Can.*39. De reſtitutione ſpoliatorum. n.31. ibid.
*Can.*40. Adverſus contumaces in judicio. n.32. p.437
*Can.*41. Præſcriptio ſine bona fide non procedit. ibid.
*Can.*42. Ne juriſdictionem Eccleſiaſticam laïci uſurpent, neque Clerici jura laïcorum. ibid.
*Can.*46. De immunitate Eccleſiaſtica. num.33. ibid.
*Can.*47. De Monitorijs præmittendis ante fulminationem cenſurarum Eccleſiaſticarum. ibid.
*Can.*48. De exceptione recuſatoria, & appellationis beneficio. n.34. p.437
*Can.*49. Ne quis ferat ſententiam excommunicationis, vel abſolutionis, per avaritiam. ibid.
*Can.*50. Impedimentum matrimonij inter conſanguineos, vel affines non excedat quartum gradum. n.35. ibid.
*Can.*51. De matrimonio clandeſtino. n.36. p.439
*Can.*52. Teſtes de auditu non recipiantur ad probandum impedimentum matrimonij ex cauſa conſanguinitatis, vel affinitatis. p.440
*Can.*54. de Decimis ſolvendis ante præſtationem tributorum. n.37. ibid.
*Can.*55. Decimæ quomodo ſolvendæ à Religioſis Ciſtercienſibus, & alijs. ibid.
*Can.*58. Tempore Interdicti Eccleſiaſtici generalis poſſunt Epiſcopi, & Monachi, januis clauſis divina celebrare officia. n.38. p.441
Quod declaratur. ibid.
*Can.*60. Ne Abbates jura Epiſcopalia uſurpent. ibid.
*Can.*61. Presbyteri Regulares, vel ſæculares, Eccleſijs parochialibus præficiendi, debent inſtitui ab Epiſcopo. n.39. ibid.
*Can.*62. De Reliquijs Sanctorum extra capſam non oſtendendis, neque vendendis, &c. ibid. de Quæſtoribus eleemoſynarum. ibid.
*Can.*63. Ne pro conſecratione Epiſcoporum, Benedictione Abbatum, & collatione Ordinum quidquam exigatur. p.442
*Can.*66. Pravæ exactiones pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium prohibentur: ſed & piæ conſuetudines aliquid erogandi ſervandæ ſunt. n.40. p.442
*Can.*67. Prohibetur ne Judæi graves uſuras à Chriſtianis extorqueant. n.41. ibid.
*Can.*68. Judæis præcipitur geſtare aliquod indumenti genus, quo à Chriſtianis diſtinguantur. num.42. ibid.
*Can.*69. Vetat ne Judæi publicis officijs præficiantur. n.43. ibid.
*Can.*70. Ne Judæi converſi quidquam de ſuperſtitionibus Judaïcis retineant. n.44. ibid.
Lateranenſe Concilium *Can.*64. prohibet recipi Moniales in Monaſterijs dato pretio, n.1. p.443
Quæ Conſtitutio ex doctrina D.Thomæ, & aliorum latè declaratur ad praxim, & conſcientiæ ſecuritatem. ibid. & n.2. cum alijs ſeqq. p.443
In eodem Concilio indicta eſt ſacra militia adverſus Saracenos. n.8. & 10. p.427. & n.1. & 4. p.446
Item contra Albigenſes hæreticos. n.2. p.416
Ordo Crucigerorum inſtauratur. n.5. ibid.
Ordo S.Dominici, & S.Franciſci, approbantur. num.6. ibid.
Lateranum unde dictum n.1. col.2. p.105
Lateranenſe Concilium à Julio II. Pontifice indictum



Digitized by Google

indictum ad convellendum Conciliabulum Piſanum, & impediendum Schiſma. n.5. p.512
Pontifex illud auſpicatus eſt anno 1512. ſed poſt quartam ſeſſionem febri correptus receſſit. n.8. p.553
Julio ſucceſſit Leo X. ſub quo Concilium continuatur, & Ludovicus Francorum Rex Eccleſiæ reconciliatur. ibid.
Duodecim ſeſſionibus conſtat : duravit quinquennium, ſæpiùs interruptum, finijt ann.1517. num.9. ibid. & n.11. p.554
*Seſſ.*1. Ordinantur præliminaria & creantur Officiales. p.565
*Seſſ.*2. Damnantur acta Conciliabuli Piſani. ibid.
*Seſſ.*3. Pœnæ decernuntur & infliguntur Cardinalibus aliiſque authoribus & fautoribus Conciliabuli Piſani. ibid.
*Seſſ.*4. Pragmatica Sanctio proſcribitur. ibid.
*Seſſ.*5. Julij per ægritudinem abſentis conſtitutio de creatione Romani Pontificis legitur prohibens omnem in ea ſimoniam ſub pœna nullitatis, &c. n.2. p.565
*Seſſ.*6. Diverſi deſignantur Prælati quibus varia munera demandantur relata ibidem. num.3. p.566
*Seſſ.*7. Duo Cardinales Schiſmatici authores conciliabuli Piſani veniam petentes & Schiſma abjurantes ad pedes Leonis Pontificis Julij ſucceſſoris reconciliantur. n.4. ibid.
*Seſſ.*8. Definitum eſt, unicam eſſe hominis animam, eámque immortalem. n.5. p.566
*Seſſ.*9. Bullæ reformationis Romanæ Curiæ leguntur, & renovantur Canones Concilij tertij Lateranenſis qui referuntur. n.6. ibid.
De Cardinalibus ſpecialis Sanctio Concilij traditur. n.7. ibid.
*Seſſ.*10. Edita eſt conſtitutio declarans Montes Pietatis erectos ad ſublevandos inopes non eſſe uſurarios, ſed juſtos & licitos. n.8. p.567
Item, ne imprimantur libri abſque approbatione. ibid.
*Seſſ.*11. Præſcribitur lex Concionatoribus ſervanda in prædicatione Verbi Dei. n.9. ibid.
Item Concordata inter Leonem Pontificem & Franciſcum I. Galliæ Regem leguntur & approbantur. n.10. p.567
*Seſſ.*12. Excommunicantur qui ædes Cardinalium invadunt tempore electionis novi Pontificis. n.11. ibid.

*Lectores. Lectio.*

Lectores impuberes initiabantur. n.7. p.168
Puberes facti cogebantur aut uxores ducere, aut continentiam vovere. ibid.
Lectores poterant uxorem ducere non tamen à recta fide alienam. Can.14. p.221
Lectio Sacræ Scripturæ habeatur in Monaſterijs. num.8. p.582
Lectio ſpiritualis fieri debet in menſa communi Religioſorum, & Monialium. num.4. p.651. & 652. & col.1.n.2.p.335. & n.4. p.333

*Legatum.*

Legata pia relicta incertis perſonis, ubi ſpecificè præſtari non poſſunt, in pias cauſas dividantur de conſilio & aſſenſu Epiſcopi. n.2. p.476
De Legatis pijs Fabricæ S.Petri, & alijs Eccleſijs relictis. n.5. & 6. p.488
Legata pia Notarij revelare debent infra octo dies poſt mortem teſtatoris Prælato, vel Officiali, vel Parocho. Can.20. p.494
Oblationes Defunctorum qui retinent, aut negant, excommunicentur. n.25. p.175
Legata pia negantes, aut ſolvere recuſantes, aut doloſè reticentes, excommunicationis pœna percelluntur. n.4. p.659

*Legatus.*

Legati Apoſtolici in Concilijs primam ſedem obtinuerunt. n.1. & ſeqq. p.103
Legati alio nomine Vicarij appellati. n.2. & ſeqq. p.104
Legatorum Pontificiorum tres ſpecies diſtingunt Canoniſtæ : Legati à latere, Nati, & Miſſi. n.5. p.105
Legatorum à latere ſplendidior dignitas noſtris temporibus. ibid.
Legati à latere præſunt Synodis : cæteris Legatis incumbit munus exequendi. n.10. p.196

*Lemovicenſe Concilium.*

Lemovicenſe Concilium anno 1031. celebratum. num.1. p.479
In eo ſtatuitur de Apoſtolatus honore S. Martiali tribuendo. ibid.
S.Martialis unus ex ſeptuaginta duobus Diſcipulis Galliarum Apoſtolus. n.2. & 3. ibid.
*Can.*2 Conſtituuntur ſinguli menſes ad renovationem Euchariſtiæ. n.4. p.380
Eques ſecularis Abbas abdicatur. n.5. ibid.
Religioſis facta poteſtas à laxiori ad ſtrictiorem Regulam migrandi. n.6. ibid.
De privilegijs Eccleſiæ S.Martialis Lemovicenſis. n.7. ibid.

*Leo X.*

Leo Pontifex Julio II. ſucceſſit, & concitatos à prædeceſſore Principes Chriſtianos ad pacem revocare ſtuduit. n.8. p.553
Conciliabuli Piſani authores veniam deprecantes abſolvit, & ad priſtinas dignitates admiſit. ibid.
Ludovicum Francorum Regem benignè ſuſcipit, & reconciliat Eccleſiæ. ibid.
Leonis & Franciſci I. Regis Galliæ Concordata, num.10. p.554
Piam decernit expeditionem adverſus Turcas in Concilio Lateranenſi. n.11. ibid.

*Leo Imperator Iſauricus.*

Leo Iſauricus genere natus obſcuro, depulſo Theodoſio, Imperium capeſſivit. n.2. p.300
Saracenos Conſtantinopolim obſidentes profligavit. ibid.
Bellum in Sanctorum imagines indixit. ibid.
Studitarum Collegium Religionis & ſcientiarum promptuarium concremavit. ibid. p.301
Prælatos orthodoxos ei adverſantes furioſè vexavit. ibid.
Joannis Damaſceni venerationem ſacrarum Imaginum defendentis dextram amputari juſſit : quam tamen Joannes ipſe miraculo recuperavit. ibid.
Gregorius Papa II. à nefarijs cœptis ipſum revocare per literas tentat. n.1. p.306
Ipſe excandeſcit adverſus Pontificem, quem mandat interfici. ibid.
Ab ipſo deficit exercitus in Italia, quam rebellionem Gregorius ſedare conatur. ibid.
Leo hac defectione Italiæ efferatus collecta ingenti claſſe extremum Pontificis & Italiæ molitur exitium. ibid.

Ad

Digitized by Google

Ad litus Adriaticum violenta tempeſtas impios conatus alliſit, varijſque alijs cladibus affectus, diris viſcerum torminibus cruciatus infelicem animam exhalavit. ibid.

*Libido nefanda.*

Libido nefanda & ſtupratio puerorum pœnis Canonicis & civilibus punitur. num 27. p.78. & n.8. p.96
Qui cum brutis congreſſi erant, inter hyemantes ſive extra Eccleſiam in aperto pœnitentiam publicam agebant. n.8. p.96
Libidines nefandæ non delicta ſed monſtra dicuntur. ibid.

*Libri Canonici.*

De Libris Canonicis diſſertatio ex decretis Conciliorum Laodiceni, & Tridentini : ubi notatur error Calvinianorum. n.10. p.159
Libri veteris & novi Teſtamenti non permittuntur promiſcuè laïcis, excepto Pſalterio, vel Breviario pro divinis Officijs recitandis. Can. 14. p.448
Libri novi non imprimantur ſine examine & approbatione. n.8. p.567
Libri Canonici ex decreto Concilij Tridentini. num.7. p.582
Diatriba Eccleſiaſtica in qua ex profeſſo tractatur de vulgata Bibliorum editione. n.1. & ſeqq. p.611
Libros Canonicos varijs locis hæretici vel corrumpunt, vel mutilant, vel rejiciunt, n.2.3.& 4. ibid.
Librorum Canonicorum ſeu Bibliorum injuria temporum, vel ſcriptorum aut Librariorum imperitia depravatorum corrigendorum curam identidem ſuſcepit Eccleſia, à num. 5. & ſeqq. p.611. & ſeqq.
Gaſpar Sanctius Soc. Jeſu ſuis commentarijs univerſam penè Scripturam elucidavit, & quid ſenſerit de Biblijs vulgatis.n.12. cum alijs ſeqq. p.613
Salmeron, Maldonatus, Tyrinus, Lippomanus, Baronius, & alij referuntur circa idem à n.16. & ſeqq. p.614
Bibliorum vulgata editio Latina an ſit numeris omnibus abſoluta & perfecta. num.22. ibid. & num.26. p.615
Quid cenſendum de Græcis & Hebraïcis. n.23. 24. & 25. p.615
Librorum Sacrorum lectioni & meditationi incumbendum exemplo SS.Patrum. n.27. p.616
Liber inſcriptus *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*, damnatus in Concilio Aquenſi, & Senonenſi. n.11. p.647

*Licinius Imp.*

Licinius Cæſar creatur. n.1. & 2. & 4. p.83
Maximinus illum bello adoritur. n.4. ibid.
Maximini bello ſuperati liberos omnes trucidat. ibid.
Licinius Imperator Orientis. n.5. p.84
Fœdus inivit cum Conſtantino Imperatore Occidentis. ibid.
Sæviens in Chriſtianos à Conſtantino ſuperatur. n.6. ibid.
Conſtantini juſſu extinguitur. ibid.
Sub Licinio innumerabilis Martyrum multitudo extitit. n.10. p.85

*Literæ.*

Literæ Canonicæ, ſive Formatæ uſitatiſſimæ inter Fideles in ipſis Chriſtianiſmi primordijs. Diſſert.7. p.32
Quænam erant illæ literæ, & quid ſignificabant. ibid.
Literæ formatæ in varias diſtinguuntur ſpecies. num. 2. p.33
Literæ formatæ communicatoriæ ab Epiſcopis concedebantur ſubditis ſuis peregrè euntibus. num.2. & 3. ibid.
Literæ formatæ pacificæ ad eundem effectum concedebantur. n.4. p.33
Literæ formatæ commendatitiæ non omnibus, ſed ſolis perſonis honorificis indulgebantur. ibid.
Literæ pacificæ cur ſolis pauperibus dabantur, non tamen commendatitiæ, ubi declaratur mens Concilij Chalcedonenſis, & aliorum. ibid.
Literæ commendatitiæ ad Ordines ſuſcipiendos ab alio quàm proprio Epiſcopo, vel ad ſuſceptos alibi exercendos neceſſariæ ſunt Clericis : quæ ex parte Epiſcopi Dimiſſoriæ vocantur. n.5. pag.33
Literarum Formatarum nomine deſignantur literæ Paſchales indicentes quota ejus anni Dominica celebrandum ſit proximum Paſcha : & quo ritu hæc Indictio olim fieret. n.6. p.34
Deſignantur quoque Circulares epiſtolæ quæ vel à Rom. Pontifice, vel alijs Prælatis mittuntur ad plures Eccleſias. n.7. ibid.
Et memoriales literæ quæ Legatis Apoſtolicis expediuntur præſcribentes ſui miniſterij formam. n.8. ibid.
Item literæ commeatus quæ Prælatis ad Synodum euntibus dabantur. n.9. p.34
Literarum formatarum ſymbolo deſignabatur admirabilis communio Fidelium. n.10. ibid.
Literæ confeſſoriæ quæ ſint, & à quibus dabantur. n.12. p.72. & n.10. p.99
Vid. *Indulgentia.*
Literæ commendatitiæ Metropolitani, vel Epiſcopi neceſſariæ illis qui vel in aulam, vel aliò proficiſci volebant. n.5. p.250
Literæ dimiſſoriæ pro ſuſcipiendis Ordinibus ab alieno Epiſcopo n.4. p.406. & n.3. p.568. & n.5. p.569. n.5. p.572
Literæ Pontificiæ pro celebrando Concilio Vaurenſi referuntur. n.5. p.493
Literæ teſtimoniales Chriſtianis peregrinantibus à Parocho concedendæ. n.7. p.570
Literæ teſtimoniales Ordinis ſuſcepti neceſſariæ illi qui ad alios promoveri intendit. n.6. p.577. & col.1. p.595
Literæ Franciſci I. Galliarum Regis ad Concilium Tridentinum. n.11. p.583
Literæ dimiſſoriæ Clerico neceſſariæ non ſolùm ad Ordines ab alieno Epiſcopo recipiendos, ſed etiam pro tranſmigratione de una ad aliam Diœceſim n.49. p.595
Literæ Expectativæ, reſervationes mentales, & ſimiles Gratiæ abrogantur. cap.19. p.602
Literæ Excommunicationum in quibus caſibus concedi non debent. n.8. p.650
Vid. *Excommunicatio.*
Literæ Dimiſſoriæ ad Ordines quomodo concedendæ ab Epiſcopo impedito, vel Capitulo Sede vacante. n.1. & 2. p.654. 655

*Londonienſe Concilium.*

Londonienſe Concilium totius Angliæ Nationale celebratum ann.1075. ſedente Gregorio VII. Pontifice. n.1. p.383



Digitized by Google

*Can.* 1. Quo ordine Patres in Concilio ſedere debeant.n.2. ibid.
*Can.* 2. De diſciplina Monachorum, & vita Regulari. ibid.
*Can.* 3. De Sede Epiſcopali, non in villis, ſed in civitatibus erigenda. p.384
*Can.* 4. Ne quis alienum Clericum ſine commendatiriis literis retineat, vel ordinet. ibid.
*Can.* 5. Ne quis ſine licentia in Concilio loquatur, exceptis Epiſcopis & Abbatibus. ibid.
*Can.* 6. De impedimento matrimonij ex cognatione naturali intra ſeptimum gradum. ibid.
*Can.* 7. Superſtitiones, & Aruſpicia prohibentur. p.384
*Can.* 8. Clerici debent abſtinere à judicio ſanguinis. ibid.
Londonienſe Concilium anni 1111. ſedente Paſchali Papa II.n.1. p.398
*Can.* 1. Ne Epiſcopi ſæcularium placitorum officium ſuſcipiant. ibid.
*Can.* 7. Ne filij Presbyterorum Eccleſias Patrum jure hæreditario invadant. ibid.
*Can.* 16. Ne Eccleſia ſacretur donec provideantur neceſſaria. ibid.
*Can.* 22. De matrimonio clandeſtino. ibid.
*Can.* 23. Ne laici comam nutriant.n.2. p.398
*Can.* 17. De commercio hominum ad inſtar brutorum in Anglia fieri ſolito inhibendo. ibidem. pag.399
Londonienſe ſeu Vveſtmonaſterienſe Concilium anno 1125.celebratum eſt ſub Honorio II.Pontifice, & Henrico Anglorum Rege.n.1. p.401
*Can.* 2. Vt nihil exigatur pro Chriſmate, pro Oleo, Baptiſmate, Pœnitentia, Vnctione infirmorum, Communione, & ſepultura fidelium. ibid.
*Can.* 5. Ne paterna beneficia Eccleſiaſtica jure hæreditario ad filios tranſeant. ibid.
*Can.* 8. Vt nullus abſolutè ordinetur,ſed ad certum titulum.n.2. p.401
*Can.* 10. Nullus Epiſcopus alienum Clericum ordinare præſumat, vel judicare. num. 3. pag 4 2
*Can.* 11. Excommunicatum à ſuo Epiſcopo nemo in communionem ſuſcipiat.n.4. ibid.
*Can.* 14. Vſura & turpe lucrum Clericis omnibus prohibetur.n.5. ibid.
*Can.* 15. Sortilegi & auguria ſectantes excommunicantur. ibid.
*Can.* 16. Prohibetur matrimonium inter conſanguineos & affines uſque ad ſeptimam generationem.n.6. p.402

*Londinum.*

Londinum primaria Regni Angliæ civitas. n.1. pag.459
Londinenſe Concilium authoritate Clementis Papæ IV. anno 1268. celebratum, Magnum vocatur; cujus decreta religioſè ſervata uſque ad defectionem Henrici VIII. Regis.n.1. ibid.
*Can.* 1. De forma Baptiſmi à Parochis vulgariter omnibus exponenda, ut urgente neceſſitate quilibet baptizare poſſit. ibid.
*Can.* 2. Vt nihil exigatur pro Oleo Sanctificato, & Chriſmate, quacunque conſuetudine, vel prætextu non obſtante.n.2. p.460
Vbi plura de Sacra Vnctione in Eccleſia Romana ſemper uſurpata, adverſus Novatores hæreticos traduntur. ibid.
*Can.* 5. De veſtitu & tonſura Clericorum. n. 3. pag.461
*Can.* 9. De qualitate & ordine proficiendorum, & reſidentia Clericorum curam animarum habentium. ibid.
*Can.* 12. Vt unius beneficij unus ſit Rector.n.4. ibid.
*Can.* 13. De immunitate Eccleſiæ, ne quis ad eam confugiens violenter extrahatur. num. 5. pag.462
*Can.* 18. Vt Clerici ſuorum beneficiorum domos aliáque ædificia reficere & conſervare ſtudeant. ibid.
*Can.* 20. Ne pro pœnitentia peccatorum pecunia exigatur, & nummis culpa redimatur. ibid.
*Can.* 21. Vt Epiſcopi præſentiam ſuam ſaltem diebus ſolemnibus in Eccleſia exhibeant.col.2. pag.462
*Can.* 23. Vt Prælati Religioſi in Eccleſiis ſibi ſubditis Vicarios præſentent ab Ordinario inſtituendos aſſignata ipſis congrua portione. ibid.
*Can.* 30. De Examine præſentati ad beneficium habens curam animarum. p.462
*Can.* 31. De prohibita commendatione beneficiorum. p.463
*Can.* 32. De Prælati electi confirmatione. n. 7. ibid.
*Can.* 33. Per promotionem ad Epiſcopatum beneficia promoti vacant. ibid.
*Can.* 34. Ne quis pecuniam paciſcatur cum Patrono pro obtinenda præſentatione. p.463
*Can.* 41. Vt neceſſaria Religioſis miniſtrentur in ſpeciebus, non in pecunia numerata. ibid.
*Can.* 43. Ne Monachi ſeu Canonici Regulares per ſua Maneria vel Eccleſias ſoli morentur. ibid.
*Can.* 44. Ne Maneria ſeu Eccleſiæ vel Capellæ, & poſſeſſiones Monacho ad firmam dentur. col.1. p.464
Concilia Londinenſia adverſus hæreſim Vvicleffi celebrata obſervantur.n.1.& 2. p.498
Impia illius hæretici dogmata referuntur. n. 3. pag.499

*Lotharius.*

Lotharius adverſus Patrem Ludovicum pium rebellis unà cum Pipino & Ludovico fratribus, quem Imperiali amictu exutum & depoſitum in monaſterium detrudi faciunt.n.9. p.3 9
Pudore hujus flagitij ſuffuſus in Italiam revertitur.n.10. p.320
In Romanum Pontificem Gregorium arma movens à Patre reſtituto Imperio corripitur. n. 11. ibid.
Patre mortuo fratres duos Ludovicum & Carolum laceſſit, & Pipinum tertium fratrem in ſuas partes trahit.n.11. ibid.
Poſt ingentem ſtragem ſuperatur, & ad pacem, quam prius detrectaverat, ineundam cogitur. ibid.
Tres liberos reliquit, inter quos provincias ſuas diviſit, & Monachiſmum profeſſus eſt.n.13. pag.321

*Lotharius ſecundus.*

Lotharius ſecundus Lotharij Imperatoris filius Patri ſucceſſit in provinciis quæ Lotharingiæ appellatione cenſebantur.n.13. p.321
Legitimam uxorem Teutbergam repudiat, & pellicē Valdradam ducit.n.15.ibid.& n.1. p.348

Monetur

Monetur à Summo Pontifice ut ad legitimam uxorem redeat, & pellicem expellat. ibid. & n.2. pag.348
Reconciliationem ſtimulans veniam & communionem petiit & impetravit, ſed poſt paucos menſes perjurij pœnas luit. ibid.
Ab ipſo Auſtraſia cognominata Lotharingia. num.1. p.348

*Ludi.*

Ludi Theatrales ab Eccleſiis arceantur. num. 26. pag.156
Ludis theatralibus intereſſe Clerici prohibentur. ibid.
Ludis & ſpectaculis inhoneſtis omnes Chriſtiani prohibentur accedere.col.1.initio. p.168
Ludi & ludicræ ſaltationes procul abſint ab Eccleſiis, quovis prætextu.n.3. p.173
Ludi & ſpectacula, mercimonia, & tripudia diebus Dominicis & feſtivitatibus celebrioribus permitti non debent. Can.61. p.575. & num.5. pag.6 8
Et maximè tempore quo divina officia celebrantur.cap.11.p.617.& Can.2. p.528
Ludi noxij, qui vulgo Torneamenta vocantur, ſub gravi pœna prohibentur. Can.20. p.417

*Ludovicus Pius Imperator.*

Ludovicus Pius Patri Carolo Magno ſolus ſuperſtes in Imperio ſucceſſit.n.2.& 5. p.318
Bernardum nepotem ex fratre rebellionis veniam petentem excœcari juſſit, qui triduo poſt moritur.n.6. p.319
Hujus ſeveritatis pœnitentiam agit. ibid.
Legatio Imperatorum Orientis ad ipſum ut pacis ſtabiliendæ prætextu iconomochia inſtauraretur.n.7. ibid.
Synodum Pariſienſem permiſſu Eugenij Papæ indixit, in qua deliberatum fuit, Legatos Imperatorum Orientis ſimul cum Legatis Ludovici remittendos ad Eugenium Pontificem pro reprobanda veneratione Imaginum, qui tamen Pontifex in antiqua & Apoſtolica traditione perſiſtit.n.7. p.319
Domeſticis ſeditionibus turbatur, filiis ex priore conjuge adverſus patrem rebellantibus. n.9. pag.319
Rebellionem Gregorius Papa IV. ſedare tentat, qui re infecta Romam redit. ibid.
Imperiali diademate exutus & depoſitus in Monaſterium ad omnem vitam, factione quorundam Prælatorum, detruditur.n.9. p.320
Anno 834. Imperio ſolemniter reſtituitur. n.10. ibid.
Objurgat Lotharium inſectantem Rom. Pontificem.n.11. ibid.
Phriſiorum graſſationes repreſſit. ibid.
Anno 840. prope Moguntiam moritur. ibid.
Capitularia ſive conſtitutiones ejuſdem require in verb. *Carolus Magnus*. p.326
Diſceſſit à jure Patribus ſuis conceſſo confirmandi electionem Rom.Pontificis, in Conventu habito Aquiſgrani.n.1. p.339

*Ludovicus XII.*

Ludovici XII. bella pro Ducatu Mediolanenſi conſequendo.n.1. p.549
Fœdus cum Ferdinando Rege Hiſpaniæ pro Regno Neapolitano, quod ipſi ceſſit, deturbato Friderico poſſeſſore.n.2. p.550
Ludovicus brevi in Galliam reverſus eodem Regno Neapolitano ſpoliatur per Ferdinandũ.ibid.
Ejus armis Julius II. creatus Pontifex utitur ad recuperandas ditiones Romanæ Eccleſiæ præreptas.n.3. p.550.& 551
Ab eodem Julio ex Italia expellitur.ibid. p.551
Imprudenti bonitate, tributa à prædeceſſoribus ſuis impoſita, & tunc temporis neceſſaria ſuſtulit. ibid.
Pampelonam & reliqua regni Navarræ oppida amiſit. ibid.
Quædam conditiones pacis inter ipſum & Julium Pontificem proponuntur, quam conciliare tentabat imperator Maximilianus.num.4. pag.551
Ludovicus infelici conſilio cogitat de exauthorando Pontifice, & novo eligendo. ibid.
Ea de cauſa conciliabulum Piſis indicitur, quod deinde Mediolanum, & Lugdunum transfertur, num.5. p.552
Convocavit Antiſtites & inſignes Doctores apud Turones, quibus octo Quæſtiones propoſuit, quæ referuntur cum reſponſis.n.6. p.552
Pacis cupidiſſimus Julium ſibi infenſum placare non potuit. ibid. Caroli V. Tutor. num. 9. pag.553
Diris devovetur à Iulio, poſt cujus obitum reconciliatur Eccleſiæ ſub Leone Iulij ſucceſſore. num.8. p.553

*S. Ludovicus Francorum Rex.*

S. Ludovicus bellum adverſus hæreticos Albigenſes à prædeceſſore inſtauratum feliciter terminavit.n.7. p.410
Sacram militiam ſuſcepit in Palæſtinam adverſus Infideles, quæ minùs felices habuit exitus. num.14. p.421.& 422
Alteram ſacram expeditionem paravit in Africam contra Saracenos, in qua peſtilentia tactus moritur. ibid.
In Sanctorum Albo adſcriptus à Bonifacio VIII. p.423
Sub ejus Regno Collegium Sorbonicum inſtituit Robertus Sorbonius.n.18. p.424
Interfuit Concilio Toloſano authoritate Gregorij Noni celebrato ad extirpandam penitus hæreſim Albigenſium.n.1.& ſeqq. p.446
Innocentium IV. luctuoſis bellorum tempeſtatibus à Friderico II. Imperatore excitatis in Italia jactatum benignè ſuſcepit.n.5. p.450
Ipſo regnante Concilium generale Lugdunenſe I. authoritate Innocentij IV. inditum eſt. n. 5. 6.& ſeqq. ibid.
S. Ludovici Capitularia quædam ſeu ſtatuta ſelecta referuntur.n.1.& ſeqq. p.458
*Cap.* 1. 2. & 3. Magiſtratus jurejurando adſtringuntur ad juſtitiam rectè adminiſtrandam. ibid.
*Cap.* 4. Item quod muneta per ſe vel per alium non recipient. ibid.
*Cap.* 5. Quod mutuum non recipient ultra ſummam 20. librarum infra duos menſes reſtituendam. ibid.
*Cap.* 11. Poſſeſſiones durante adminiſtratione non ement ſine Regis licentia præcedente. n. 2. pag.458
*Cap.* 12. Matrimonia cum perſonis ſuæ juriſdictionis non contrahent. ibid.
*Cap.* 10. Prohibentur deſaiſire aliquem ſine cauſæ cognitione, vel ſpeciali mandato Regio: & ſubditos novis exactionibus vel oneribus affligere. p.459

*Cap.* 23. Conſtitutiones de Judæis diſtrictè obſervari præcipitur. ibid.
*Cap.* 24. Ludus aleæ, & fabrica ipſa deciorum prohibetur. ibid.
*Cap.* 25. Nullus in tabernis ſeu cauponis niſi viator recipiendus.n.3. p.459
S. Ludovici pragmatica ſanctio de politia Eccleſiaſtica ſex capitibus cōſtans refertur.ibid.p.459

*Lugdunenſe Concilium.*

Lugdunenſe Concilium generale primum ſub Innocentio IV. Pontifice, & S. Ludovico, anno 1245.celebratum.n.5. p.450
Summus Pontifex illi præſedit.n.6. ibid.
Fridericus II Imperator infenſiſſimus Eccleſiæ Romanæ hoſtis imperio deponitur, & ipſi ſubrogatur Henricus Thuringiæ & Haſſiæ Landgravius, &c.n.7. ibid.
De clauſula, *Quidam alij*, in reſcriptis Apoſtolicis, ultra quatuor non extendenda.n.8. p.451
De Poſtulatione, & Electione Prælatorum, & de propria formula utriuſque ſervanda. ibid.
De continentia cauſæ non dividenda, & de mutuis petitionibus, ac reconventionibus coram eodem judice. ibid.
De oppoſitionibus adverſus electionem, vel poſtulationem, intra certum tempus proſequendis. ibid.
In Electionibus & Poſtulationibus vota conditionalia & incerta reprobantur.col.2. p.451
De Conſervatoribus Apoſtolicis. ibid.
De Legatorum Apoſtolicorum poteſtate circa beneficiorum collationem. ibid.
Metropolitanus Remenſis, & alij, in Diœceſibus Suffraganeorum foraneos Officiales conſtituere non poſſunt. p.452
Iudex delegatus à Papa non poteſt abſque ſpeciali mandato compellere partes ut coram ſe perſonaliter compareant, niſi, &c. ibid.
Exceptio peremptoria litis conteſtationem non impedit niſi agatur de re finita. ibid.
De actore intra terminum non comparente. ibid.
Miſſio in poſſeſſionem non fit ob contumaciam partis in cauſis beneficialibus.ibid. p.452
De poſitione negativa admittenda ex æquitate. ibid.
Advocatus, vel Procurator, in priori judicio, an poſſit eſſe teſtis in cauſa appellationis. ibid.
De Exceptione Excommunicationis. ibid.
De Exceptione ſpoliationis. ibid. p.453
De pœna judicis malè judicantis per ſordes corrupti. ibid.
Summus Pontifex Imperatorem deponere poteſt ex juſtis cauſis. ibid.& pag.ſeq.
De Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam certa forma interponendis.col.2. p.454
De exceptione recuſatoria judicis ſuſpecti. ibid.
Decretum contra Aſſaſſinos & homicidas. n.9. pag.455
De Exemptis, ſeu Apoſtolicæ Sedi ſubjectis qua ratione coram judicibus ordinariis conveniri debeant, nec ne, ratione delicti in loco non exempto commiſſi, vel contractus, aut rei.ibid.
De ſtudiis Iuris Canonici & Civilis in Curia Romana, & ſtudentium privilegiis.n.10. p.456
De ſententia Excommunicationis in ſcriptis proferenda, adiecta etiam cauſa: & ſimiliter in ſententiis ſuſpenſionis & Interdicti Eccleſiaſtici. ibid.
De abſolutione à cenſuris Eccleſiaſticis ad cautelam. ibid.
De participantibus cum excommunicatis, quod ante monitionem præmiſſam non ſint excommunicandi. ibid.
Epiſcopi pœnam ſive ſententiam Interdicti vel Suſpenſionis non incurrunt niſi in ſententia ſint expreſſi. p.457
Archiepiſcopus ſententias latas ab Officialibus Suffraganeorum regulariter non relaxat. ibid.
Archiepiſcopi ſententia generalis ligat tantùm ſubditos. ibid.
Sententia Excommunicationis ſine competenti præmonitione, eſt injuſta. ibid.
Pro futuris delictis non eſt ferenda niſi juſta cauſa ſubſit. ibid.
In Vniuerſitatem proferri non debet. col. 1. pag.457
Prælatus contra Poteſtatem ſecularem gladio ſpirituali ſive cenſura Eccleſiaſtica ſe tueri poteſt. ibid.
Lugdunenſe Concilium generale ſecundum à Gregorio XIII. celebratum anno 1274.num.1.& 2. pag.464
In eo Eccleſiam Orientalem ad unitatem cum Romana reducere Pontifex ſatagit. ibid.
Præcipuè tractatum eſt de electione Summi Pontificis à Solis Cardinalibus in Conclavio facienda: & de proceſſione Spiritus Sancti à Patre Filioque; adjecta voce *Filioque*, in Symbolo Conſtantinopolitano.Can.1.& 2. ibid.
*Can.* 1. De proceſſione Spiritus Sancti æternaliter ex Patre & Filio tanquam ex uno principio. pag.464
*Can.* 2. De electione Summi Pontificis. p.465
*Can.* 3. De Electione & poſtulatione Prælatorum, & de oppoſitionibus adverſus eas factis juridicè dirimendis.n.3. p.466
*Can.* 4. Ne electus ad prælaturam ante confirmationem adminiſtret. p.467
*Can.* 5. De conſenſu Electi intra menſem præſtando. ibid.
*Can.* 7. Ne quis propriam electionem impugnet, niſi propter vitium, vel defectum tempore electionis ignoratum. ibid.
*Can.* 13. Nullus ad regimen Eccleſiæ parochialis aſſumatur niſi idoneus ſcientia, moribus, & ætate.n.4. p.467
*Can.* 14. Ne commendetur Eccleſia parochialis ultra Semeſtre. p.468
*Can.* 18. De incompatibilitate beneficiorum. ibid.
*Can.* 19. De Advocationis officio in foro Eccleſiaſtico, & Procurationis, fideliter gerendo, præſtito juramento. ibid.
*Can.* 21. De dignitatibus & beneficiis in Curia Romana vacantibus, à ſolo Rom. Pontifice conferendis. p.469
*Can.* 22. De rebus Eccleſiæ non alienandis niſi ſervatis ſolemnitatibus à jure requiſitis. ibid.
*Can.* 23. Ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis aſſumat prohibetur. ibid.
*Can.* 24. De procuratione ſeu viſitatione Eccleſiarum & quomodo Prælati in ea ſe gerere debeant.n.6. p.470
*Can.* 25. Qua devotione & reverentia Fideles omnes ſacris intereſſe debeant myſteriis in Eccleſia. ibid.

*Can.*

*Can.*26. Contra uſurarios manifeſtos ſtatuitur pœna. n.7. p.471
*Can.*29. Qualem cenſuram incurrant participantes cum excommunicatis ante vel poſt monitionem canonicam. n.8. ibid.
*Can.*30. De Relaxatione ad cautelam interdicti Eccleſiaſtici in Civitates, aliaſve Univerſitates. ibid.

*Lutherus.*

Lutheri impia hæreſis ex erebo prodit anno 1517. quo adverſus indulgentias ad ſacrum bellum in Concilio Lateranenſi publicatas concionari cœpit. n.11. p.554
Deinde poteſtatem Pontificiam impugnavit, totámque Rempublicam diris bellis perturbavit. ibid.
Ex Auguſtinianorum Ordine perfidus apoſtata Saxoniam primùm, deinde univerſam propè Germaniam hæreſis ſuæ peſte infecit. num.15. p.557
Ejus congreſſus & diſceptatio de rebus Fidei cum Joanne Eckio, à quo ſuperatus in iras & convicia prorupit. ibid.
Ex Lutherana radice prodijt venenatus Anabaptiſtarum ſtolo, & Sacramentarij. ibid.

M

*Magiſtratus.*

MAgiſtratus non abutantur ſua authoritate erga ſubditos ſuæ juriſdictioni, quod varijs modis contingere poſſe declaratur. col.2.p.458. & 459. ubi plura de Magiſtratibus.
Uſurarios expellant. n.7. p.471
Non patiantur Judæos uſuras exercere in familiarum Chriſtianarum everſionem. num. 4. p.490

*Mahometes.*

Mahometes ex quibus Sectis ſuam conflavit, & quo tempore. n.6. p.277
Infimæ ſortis homo Pſeudopropheta, Princeps, & Legiſlator evaſit. ibid.
Ferro & flammis exitialem ſectam ſtuduit propagare cum Saracenis ſuis. n.1. p.426
Mahometes Perſarum Rex è ſolio dejectus. n.19. p.484

*Mamia.*

*Mamia* Saracenorum Regina inſignem de Romanis victoriam reportavit. n.31. p.92

*Malefici.*

Malefici & Arioli can.5. Concilij Illiberitani damnantur, qui dæmonum invocatione expreſſa vel tacita ad ſuas præſtigias & maleficia utuntur. num.11.p.72. & n.17. p.75.
Sortilegi, Arioli, eiſque conſentientes excommunicantur. Can.15.p.402. & n.7. p.577.
Malefici, incantatores, blaſphemi, ſuperſtitioſi, & libelli artium Magicarum damnantur. n.2. 3. & 4. p.545
Maleficia & ſortilegia ſub graviſſimis pœnis Eccleſiaſticis prohibentur. n.7. p.577
Malefici & ſuperſtitioſi ab Ordinario coërceantur, & qui malis artibus morbos curant, vel divinare præſumunt, &c. num.1. & 2. p.652. 653

*Manlius Aurelius Carus.*

Manlius Aurelius Carus Narbone oriundus, extincto Probo, Imperator ſuffectus. n.26. p.63
Fulminis ictu perimitur. ibid.

*Mantalenſe Concilium.*

Concilium iſtud plurimùm confert ad notitiam hiſtoriæ Gallicæ, Provincialis quoque, & Italicæ. n.1. p.353
In Caſtro Mantala in Viennenſi territorio celebratum. ibid.
In eo, à Patribus Boſo Rex deſignatur. ibid.
Regnum novum Arelatenſe Legatione ad ipſum Miſſa offertur. ibid. p.354

*Manuum impoſitio.*

Manuum impoſitio in Religione Chriſtiana quid ſignificet. n.1. p.24
Manuum impoſitio manifeſtat Sacramentalem protectionem, & ſacras functiones obire eos qui conſecrati ſunt. ibid.
Manuum impoſitione non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam Diaconi conſecrantur. ibid.
Manuum impoſitione ad diverſos effectus utebatur Eccleſia. n.2. p.24
Manuum impoſitionis quinque ſpecies referuntur. ibid.
Manuum impoſitio ad Confirmationis Sacramentum ſolius eſt Epiſcopi Officium. n.3. ibid.
Manuum impoſitio Epiſcopi ſimul & Cleri fieri ſolebat in reconciliatione publicè pœnitentium. n.4. p.25
Et inter preces quas diebus jejuniorum fundebant Sacerdotes ſupra pœnitentes. ibid.
Et ſupra Energumenos. ibid.
Et in ordinatione Diaconiſſarum. ibid.
Vid. *Diaconiſſæ.*
Manuum impoſitio duplex eſt, Sacramentalis, & Ceremonialis. n.6. p.26
Manuum impoſitio Presbyteris & Diaconis lapſis & depoſitis non fiebat, ſicut laicis, niſi in primis tribus ſæculis. n.9. & 10. p.36
De Manuum impoſitione pœnitentibus. p.174.175
Manus impoſitio per Epiſcopum in Confirmationis Sacramento. n.4. p.110
Manus impoſitio ſolemnis pœnitentibus non concedebatur niſi pœnitentia integrè peracta. n.51. p.211
Diverſæ Manuum impoſitiones in priſca Eccleſia obſervantur, & declarantur. n.20. p.121
Manus impoſitio reconciliatoria ſolemnis à ſolo Epiſcopo vel de ejus mandato fieri debebat. num.18. p.136

*Marcellinus Papa.*

Marcellini lapſus mentio fit in Pontificali Damaſo attributo. n.1. p.79
Auguſtinus tamen de eo ambiguè loquitur. ibid.
Ex varijs tamen Authoribus probatur. n.1. & 2. ibid.
Marcellini lapſus cauſam dedit convocationi Concilij Sinueſſani. n.3. p.79
In eo concilio crimen humiliter fatetur, & ad Tyrannum reverſus martyrio expiavit. ibid.

*Marcion.*

Marcion patre Chriſtiano, qui ſoluto matrimonio meruit fieri Epiſcopus, ob ſtuprum Virgini Deo dicatæ illatum, excommunicatus fuit ab ipſo patre. n.13. p.22
Romam confugit, ubi erroribus ſuis plures infecit. ibid.
Marcionis hæreſis qualis fuerit. ibid.

*Maria Stuard.*

Maria Jacobi V. Scotiæ Regis filia infantula mittitur in Galliam, ne hæreſeos peſte afflaretur. n.17. p.558

Franciſco II. Galliarum Regi deſponſatur. ibid.
Mortuo ſponſo Scotiam repetit ubi continuis rebellionibus & calumnijs vexatur. ibid.
Henricum Stuardum Catholicum ab exilio revocat, eligit ipſum in conjugem, qui dum Rex proclamatur ab hæreticis interficitur. ibid.
Maria in carcerem detruditur in odium Chriſtianæ Religionis Romanæ, & inde elapſa ad Eliſabetham Angliæ reginam viginti annis iterum detinetur ac tandem occiditur. ibid.
*S. Martialis* Aquitaniæ Doctor & Apoſtolus. n.2. p.377. 379. & 380

*S. Mathias.*

Mathias Apoſtolus ſuffectus in locum proditoris Judæ. n.1. p.1. & n.1. p.16.
Mathias an per ſortem, vel electionem fuerit Apoſtolatui adſcriptus. n.2. & ſeqq. p.16
Mathias licet ab Apoſtolis electus, ſors tamen divinitùs directa in ipſum cecidit. n.8. p.17

*S. Maximinus.*

*S. Maximinus*, & *S. Maria Magdalena* in Provincia ab antiquiſſimis temporibus ſingulari devotione coluntur. *n.6.* p.406

*Matiſcona.*

Matiſcona oppidum Æduorum. n.1. p.271
Matiſconenſe Concilium an.581. celebratum. ibid.
*Can.*1. De vita & honeſtate Clericorum. ibid.
*Can.*3. Vt nulla mulier in cubiculum Epiſcopi ingrediatur abſque duobus Presbyteris aut Diaconis. ibid.
*Can.*4. Qui oblationes Fidelium defunctorum retinent ab Eccleſia repellantur. n.2. p.271
*Can.* 5. De veſtitu Clericorum. ibid.
*Can.*6. Vt Archiepiſcopus ſine pallio Miſſam non celebret. p.272
*Can.*7. De Clericorum immunitate & exemptione à foro ſæculari. n.3. ibid.
*Can.*8. Vt nullus Clericus alium Clericum apud judicem ſæcularem accuſet, aut ad cauſam dicendum trahat. ibid.
*Can.*14. Vt Judæis à die Cœnæ Domini uſque ad primum poſt Paſcha ambulandi publicè licentia denegetur. ibid.
*Can.*15. Vt nullus Chriſtianus Judæorum convivijs participet. ibid.
*Can.*17. De perjurij aut falſi teſtimonij reo. ibid.
Concilium Matiſconenſe II. ann. 585. n.1. p.272
*Can.*6. Vt communio Euchariſtica à jejunis accipiatur. n.2. ibid.
*Can.*16 Vxor Subdiaconi, vel Exorciſtæ, vel Acolythi, illo mortuo, viduitatem ſervet. n.3. ib.

*Matrimonium.*

Matrimonium impeditur & dirimitur ex capite cognationis & affinitatis ſpiritualis, col.2. p.327. & col.2. p.334. & n.6. p.402
Vel etiam naturalis. n.6. p.334
Vtrum ſuperveniens inceſtus diſſolvat matrimonium, perplexa fuit olim difficultas in Eccleſia. p.327. & n.7. p.334. & 335.
Matrimonij impedimenta majora ex diverſis cauſis referuntur à n.12. & ſeqq. p.357
Matrimonium clandeſtinum reprobatur. can.22. p.398. & col.1. p.440.
Prohibetur hodie inter cognatos vel affines uſque ad 4. gradū dumtaxat incluſivè. n.36. p.439
Matrimonium contrahens ſcienter in gradu prohibito, vel cum Moniali, excommunicatur. n.25. p.491
Matrimonia Fidelium propter Sacramenti dignitatem in Eccleſia celebrentur. Can.32. p.530
Nec facilè ſuper Bannis ſeu denunciationibus diſpenſetur. n.6. ibid.
Matrimonium eſt unum ex ſeptem Sacramentis. n.52. p.596. & n.58. p.598.
Matrimonium quando dicatur clandeſtinum & nullum. n.53. p.597
Matrimonium filijſfam. invitis parentibus contractum an valeat. n.53. & 54. p.597
Quid ſi coram Parocho invito contrahatur. num.55. ibid.
An valeat coram proprio Parocho in aliena parochia. n.56. p.598
An validè Parochus ei aſſiſtat contra Ordinarij prohibitionem. n.57. p.598
De impedimento publicæ honeſtatis. n.61. p.598
De impedimento affinitatis ex illicito congreſſu. n.62. ibid.
De diſpenſationibus ad matrimonium. num.63. p.599
De impedimento Raptus. n 64. ibid.
Matrimonium vagorum hominum. cap.7. p.599 & col.1. p.645
De libertate ad matrimonium contrahendum neceſſaria, & ne Domini ſubditos cogant ſub pœna anathematis. n.65. p.599. & cap.13. p.630
De Matrimonio per metum contracto. cap.2. p.626
De publicationibus præmittendis. c.5. & 7. ibid.
Et de diſpenſatione illarum juſtis de cauſis. cap.6. p.630
Ad Matrimonium qualiter Fideles accedere debeant. col.1. p.643

*Matthæus.*

Matthæus Apoſtolus primus in Judæa Sanctum Evangelium hebraïco ſermone conſcripſit. n.7. pag.3

*Mauricius Imperator.*

Mauricij Edicto de militibus ante expleta militiæ tempora ad Monaſticam profeſſionem non admittendis obſtitit Gregorius Pontifex. n.2. p.276
Mauricius Dux belli ad Imperium promotus Perſas aggreditur. n.3. ibid.
Decem millia captivorum Romanorum modico pretio redimere recuſat, qui à Chagano trucidati ſunt. ibid.
Culpam ſuam agnoſcit, Deóque ſupplicat, ut ſuæ inhumanitatis pœnas à ſe in hac vita potius repoſcat quàm poſt mortem. ibid.
Votis annuit Deus qui totam ejus familiam coram ipſo extinxit, & in tanta carnificina exclamabat juſtus es Domine & rectum judicium tuum. ibid.
Poſt inſignem conſtantiam ipſe quoque jugulatus eſt. ibid.
Mauricij ultionem ſuſcipit Coſroes adverſus Phocam Rom. Imperij invaſorem qui crudelē hanc in Mauricium tragœdiam ediderat. n.4. p.276

*Mechlinienſe Concilium.*

Mechlinienſe Concilium apud Mechliniam Brabantiæ urbem anno 1570. celebratum, in quo de conſenſu omnium recipiuntur univerſa Concilij Tridentini decreta. n.1. p.616
*Tit. de Matrimonio cap.2.* Monentur Paſtores ut inquirant an contracturi matrimonium ſponte contrahant, non per vim aut metum. ibid.
*Cap.5.* Si contrahentes ſint diverſarum Diœceſum atteſtationes utriuſque Epiſcopi requiri debent. ibid.

*Tit. de Officijs & cultu divino, cap.6.* Qui tempore divinorum Officiorum Miſſam celebrant, pro præſentibus in Choro habentur. num.2. p.626
Quod latiùs declaratur ſecundum jus commune. ibid.
*Cap.*10. Ne in cantu, organis, & campanis laſciva & indecora muſica habeatur, prophanáque omnia ab Eccleſia repellantur. p.627
*Cap.*12. Magiſtratus locorum requirantur ut tempore divinorum Officiorum Tabernæ non ſint apertæ niſi pro viatoribus, & choreæ aliáque id genus prohibeantur. ibid.
*Tit. de Decanis: Cap.*11. Paſtoribus & Sacerdotibus omnibus inhibentur turpes pactiones pro Miſſis votivis celebrandis: & ne ſtipendium plurium Miſſarum ſimul venentur.num.3. ibid.
Obſervatio ad iſtud decretum notabilis. ibid.
*Tit.de vita & honeſtate Clericorum cap.*5.Ebrietas, comeſſationes, & ſuſpectæ cum mulieribus cohabitationes & converſationes Clericis inhibentur. ibid. p.627
*Tit. de uſuris.* Tutores & Curatores pecunias ſuorum pupillorum vel minorum ſub certo lucro ſingulis annis recipiendo, mutuò dare non debent, taléſque contractus decernuntur uſurarij. n.4. ibid.
Mechlinienſe Concilium anni 1604. n.1. p.652
*Tit.*15. *de Superſtitione.* Ut nemo pro curandis morbis remedijs ſuperſtitioſis utatur: neque pro rebus deperditis, aut ſuper futuris eventibus. n.1. ibid.
De Exorciſmis quo ritu, & à quibus faciendis. num.2. p.652. 653

*Medici.*

Medici ante omnia moneant ægrotos ut animæ ſalutem primò quærant & procurent. Can.12. p.433
A Medici officio removeantur infamati de hæreſi. Can.15. p.448
Conſtitutio quæ injungit Medicis ut ægrotos moneant & hortentur ad ſuſcipienda Sacramenta, renovatur. n.5. p.529
Medici poſt tertium diem non viſitent ægrotos niſi peccata per Confeſſionem Sacramentalem eluerint. ibid.

*Mediolanenſe Concilium I.*

Mediolanenſe Concilium primum quo tempore collectum fuerit, inquiritur. n.1. p.144
Corruptè legitur apud Hilarium celebratum fuiſſe ſub *Conſtantino*, ibique reponendum *Conſtante.* ibid. & n.2.
Urſacius, & Valens, ambo Ariani reſipiſcentiam ſponte proteſtantur, & veniam poſtulant. num.2. ibid.
Conſtante Imp. mortuo, Urſacius & Valens ut Conſtantij Ariani gratiam ineant, fœdiſſimè relapſi. n.3. p.145
Valentis & Vrſacij opera utitur Conſtantius aliorúmque Pſeudoepiſcoporum ad Occidentis regiones Ariana peſte inficiendas. n.4. ibid.
Mediolanenſe Concilium II. authoritate Liberij Pontificis convocatum, in quo ſperaverat prævaliturum Catholicorum partem, Conſtantij tyrannide res aliter ceſſit. n.5. p.145
Legati Apoſtolici in eo petebant ſubſcriptionem unanimem Nicænæ Fidei profeſſioni, ad ſtabiliendam Eccleſiæ unitatem. ibid.
Ariani ex adverſo inſtabant, ut omnes Athanaſij condemnationi ſubſcriberent. ibid.
Pio Euſebij Vercellenſis Epiſcopi dolo Dionyſij ſubſcriptio per fraudem ſeducti obliteratur, & uterque conſtantiſſimè Athanaſij cauſam, cæterique orthodoxi propugnant, qui immaniter ea de cauſa vexantur. num.6. & 7. p.145
Ipſe Liberius Papa in exilium mittitur, & Felix in ejus locum ab Arianis ſufficitur: & à Conſtantino in Alexandrina Sede Gregorius homo ſceleratiſſimus. n.8. p.146
Mediolanenſe Concilium I. à S Carolo Borromæo Cardinali & Archiepiſcopo anno 1565. celebratum. n.1. p.619
*Part.1.tit.6.* Quod proprium Epiſcopi officium ſit prædicare Verbum Dei. ibid.
*Part 2.tit.6.* De Confeſſarijs ab Epiſcopo approbandis. ibid.
Moneantur Confeſſarij ne qui bona aliena injuſtè detinent ante debitam ſatisfactionem abſolvant. n.2. ibid.
Quod declaratur ibid & pag.620.
*Part.2. tit.25.* De vita & honeſtate Clericorum, & quod armorum uſu abſtineant. n.3. p.620
Et à venatione, ut exponitur. n.4. ibid.
Et à fabulis, Comœdijs, haſtiludijs, alijſque prophanis ſpectaculis,choreis,& ludis aleæ,&c. ibid.
Ne Clerici artem medendi exerceant, ut explicatur, n.5. p.621
Neque negotiationibus & mercaturis ſe immiſceant, nec tutelam aut curam ſuſcipiant, nec prædia lucri cauſa conducant. ibid.& n.6. ibid.
Neque fidejubeant,neque in famulatu laicorum maneant indecorè, multominus fœminis diſcumbentibus, vel ambulantibus tanquam aſſeclæ aſſiſtant aut ancillentur. ibid.
*Part 3.tit.6.* De puellis novitijs extra Monaſterium examinandis. ibid.
De dote Monialium ſeu eleemoſyna ad vitam tolerandam poſt profeſſionem. n.7. p.621
Concilio *Secundo* hoc ipſum iteratur de dote Monialium judicioE piſcopi taxanda & moderanda. ibid.
Concilium *Tertium* anno 1573. celebratum num.1. p.621
*Tit.*8. Ne Confeſſarij Regulares abſolvant pœnitentes in caſibus reſervatis. ibid.
*Tit.*17. Provida cautio circa Vicarios coadjutores Parochorum in matrimonijs celebrandis, & Sacramentis adminiſtrandis. n.2. p.622
Concilium *Quintum* anni 1579. congregatum,n.1.
*Tit.*11. Si Parochus per errorem aliud oleum quàm infirmorum ad ægrotum ungendum adhibuerit, debet iterare Sacramentum, num.1. p.622
Item ut Parochus ſit diligens in Sacramento extremæ-Vnctionis miniſtrando; ne ægrotus decedens illius gratia fruſtretur. ibid.
*Pars* 2. continet 30. Titulos de ſolicitudine ſpirituali & politia temporali erga fideles tempore peſtis, quæ tunc temporis graviſſimè ſæviebat. num.2. ibid.
Concilium *Sextum* anni 1582. refertur num.1. p.622
*Tit.*10. Vt Epiſcopus ſuſpendat ab audiendis confeſſionibus eos quos viderit hoc munere non rectè fungi. ibid.



Digitized by Google

Item ut Fideles Sacramento Pœnitentiæ ſe præmuniant,in agendis rebus in quibus mortis periculum timetur, ut in peregrinatione, bello,& ſimilibus. ibid. & p.623
Ineunte Quadrageſima qualiter Epiſcopus plebi ſuæ invigilare debeat. ibid.
*Tit.*14. Sacerdotes à Miſſa celebranda ſuſpenſi, diebus Dominicis & Feſtivis ſacram Communionem ſumant. ibid.
*Tit.*15. Quomodo piæ defunctorum voluntati ſatisfieri debeat, quando eleemoſyna tenuis eſt, vel ſufficiunt Sacerdotes pro celebratione Miſſarum, & de ipſarum reductione. p.623
*Tit.*17. Ne quis repentina morte præventus ſepeliatur ante 24.horam poſt obitum. ibid.
*Tit.*16 De Vicario Epiſcopi. ibid.
*Tit.*30. De clauſura Monialium, & ne quis abſque licentia Ordinarij intra ſepta Monaſterij illarum ingrediatur: & de locis collocutionum clavi claudendis, quæ apud Præfectam remaneat,ne abſq; ejus permiſſu colloquia habeantur cum extraneis quibuſlibet. p.621
Item ut Epiſcopi Prælati facultate ingrediendi Monaſteria Monialium quam habent, nonniſi ex neceſſaria cauſa utantur. ibid.
*Tit.*21. Ut Epiſcopus familiam ſuam in officio & regulis bene vivendi ad cæterorum exemplum contineat. p.623
*Tit.*16. Ut Feria V. Cœnæ Domini, in loco, in quo ſanctiſſimum Corpus Chriſti reconditur, unus ſaltem Sacerdos, aut Sacris initiatus excubet ad cuſtodiendum & orandum. ibid.

*Melda.*

Meldæ oppidum ad Matronam ſitum haud procul Lutetia. n.1. p.339
Meldenſe Concilium anno 845. celebratum ad compeſcendas violentias in Eccleſiam commiſſas,quas bellorum licentia invexerat in Gallia Carolo Calvo regnante. ibid.
*Can.*8. De electione Epiſcoporum. p.339
*Can.*11. De Oblationibus Fidelium. ibid.
*Can.*12. Supplex admonitio ad Regem de reſtituendo Ordine Eccleſiaſtico, pœnitentia agenda, & reparandis ruinis Eccleſiarum.n.3. p.340
*Can.*17. Idem poſtulant Patres. ibid.
*Can.*18. Ut præcepta illicita jure beneficiario de rebus Eccleſiaſticis facta à Rege reſcindantur. ibid.
*Can.*19. De immunitate Eccleſiarum, & ne ab eis indebitæ præſtationes exigantur. ibid.
*Can.*24. Ut Rex defenſor Eccleſiarum exiſtat. ibid.
*Can.*28. De reſidentia Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus. n.4. p.340
*Can.*30. De ambitioſa Prælatorum tranſlatione cohibenda. n 5. ibid.
*Can.*34. Ut Canonum ſtatuta ab omnibus cuſtodiantur. p.341
*Can.*37. Ne Clerici armati incedant. ibid.
*Can.*40. Pia admonitio ad Regem pro Hoſpitalibus inſtaurandis. ibid.
*Can.*41. Ut authoritate Regia, vota Fidelium in conſtruendis & dotandis Monaſterijs inconvulſa permaneant, & bona eiſdem reſtituantur ut Religionis officia peragantur liberè. ibid.
*Can.*42. Ut bona Eccleſijs ablata, vel donata à Rege per ſubreptionem, eiſdem reſtituantur. p.341
*Can.*62. De Decimis & Nonis ex rebus Eccleſiaſticis a laicis poſſeſſis perſolvendis ad reparationem Eccleſiarum, & ſuſtentationem Clericorum. n.7. ibid.
*Can.*63. De immunitate rerum Eccleſiæ donatarum & addictarum Regia authoritate tuendanum.8. p.341
*Can.*72. De ſepultura in Eccleſia, & jure ſepulchri hereditarij, vel familiaris. n.9. ibid.

*Meletius.*

Meletius ſede Epiſcopali dejectus quòd idolis ſacrificaſſet in perſecutione Maximini,Schiſma in Eccleſiam induxit. n.9. p.85
Meletio Arius ſe adjunxit ſocium. ibid.
Vide *Arius.*

*Melfia, Melfienſe Concilium.*

Melfia Vrbs Apuliæ. n.1. p.384
In ea celebratum fuit Concilium, cui Vrbanus Papa II. interfuit, anno 1089. ibid.
*Can.*7. Nihil exigendum ab ijs qui convertuntur ad Religionem, quacunque occaſione. ibid.
*Can.*8. Nullus Epiſcopatus, vel Abbatiæ, aut cujuſlibet dignitatis Eccleſiaſticæ inveſtituram de manu laïci ſuſcipere audeat. ibid.
*Can.*9. De Clericis in Curijs verſantibus ad ſuam Eccleſiam retrahendis. n.2. p.384
*Can.*10. Ne Epiſcopus, aut Primas Monachum vagantẽ ſine literis ſui Abbatis retineat.num.3. ibid.
*Can.*13.Luxus in veſtibus prohibetur.n.4.p.385
*Can.*14. De filijs Presbyterorum à ſacris Miniſterijs arcendis. ibid.
*Can.*15. A ſuis Epiſcopis excommunicatos alij Prælati non recipiant. ibid.
*Can.*16. De falſa pœnitentia. n.5. ibid.

*Milevitanum Concilium.*

Milevitana Concilia duo fuiſſe diverſa, licèt à Collectoribus in unum confuſa. n.1. p.199
Quo tempore utrumque fuerit celebratum. ibid.
Canones in utroque editi referuntur. ibid.
*Can.*1. Contra Pelagianos dicentes quod Adam etiam ſi non peccaſſet, fuiſſet morti obnoxius. col.2. p.199
*Can.*2. Omnes baptizari debere in remiſſionem peccatorum, etiam infantes propter peccatum originale. ibid.
*Can.*3. Gratia, qua per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum juſtificamur, non ſolum valet ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, ſed etiam ad adjutorium ne ampliùs committantur. ibid.
*Can.*4. Deciditur quod per gratiam Dei ſciamus quid facere debemus, & diligere ut faciamus. p.200
*Can.*5. Gratia Dei neceſſaria eſt ut legem ipſius impleamus, contra Pelagium: juxta illud Chriſti Domini, ſine me nihil poteſtis facere. ibid.
*Can.*6. Nemo ſine peccato eſſe exiſtimare ſe debet, juxta Joannem Apoſtolum. ibid.
*Can.*7. Omnes etiam juſti dicere debent in Oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. p.200
*Can.*8. Quod verba illa, *Dimitte nobis debita noſtra*,&c. non ſolùm humiliter, ſed etiam veraciter à Sanctis proferantur. n.3. ibid.
Præter hos Canones Fidei in Concilio Milevitano pronunciatos,alios decem ſimiles collegit Dioniſ. Abbas adverſus eandem hæreſim ex ſcrinijs Romanæ Eccleſiæ incerti Authoris. col.1. & ſeqq. p.201

Quos

Quos require in verb. *Canon.*

Milevitani Concilij decreta circa diſciplinam Eccleſiaſticam.

*Can.* 16. Vt pro cauſis Eccleſiarum Defenſores Scholaſtici à Principe poſtulentur.n.4. p.100

*Can.* 17. Dimiſſus, vel dimiſſa à conjuge, alteri non conjungatur, ſed ita maneant, vel reconcilientur. p.201

*Can.* 18. Qui in provincia ſua non communicans, in aliis ad communicandum obrepſerit, communione & clericatu privetur. ibid.

*Can.* 19. De Clericis qui apud Principem judicium poſtulaverint ſeculare, vel Epiſcopale. ibid.

*Can.* 20. Vt ſine formatis nemo ad comitatum proficiſcatur. ibid.

*Can.* 21. De Epiſcopis, qui prætermiſſo judicio Synodali, Eccleſias vel plebes quas ad ſe pertinere putant, invaſerint authoritate propria. p.201

*Can.* 26. De virginibus quæ infra 25. annorum ætatem, neceſſitate cogente, velantur. num.5. ibid.

*Can.* 17. Vt terni quinque provinciarum Africanarum Epiſcopi eligantur, qui ſuppleant ea quæ Carthaginenſis Synodus non potuerat ſufficienter providere.n.6. ibid.

*Miracula.*

Miracula nullam authoritatem habeant ſine judicio Eccleſiæ per Epiſcopum declarato. num. 3. pag.619

*Miſſa.*

Miſſam celebrari in ædibus privatis non oportet ſine gravi neceſſitate publica, aut privata, & ſine conſenſu Epiſcopi, ut declaratur. num.19. p.158

Miſſa integra diebus Dominicis audienda, nec ante benedictionem Sacerdotis diſcedendum.n.20. p.236

In Miſſæ Sacrificio vinum cum aqua modica offerendum.n.1.p.291.& n.4. p.297

Miſſa non niſi à jejunis celebretur excepto die Cœnæ Domini.n.2. p.272

Miſſa olim feriis Quadrageſimæ non celebrabatur, apud Græcos, ſed tantum Præſanctificata offerebantur : & quid ſit Præſanctificatorum Liturgia, exponitur.n.6. p.297

Miſſarum ſolemnia in quibus locis celebranda. col.2. p.338

Miſſam quilibet audiat in ſua Parochia Dominicis & feſtis diebus.n.2. p.358

Turpes pactiones pro Miſſis celebrandis prohibentur.Can.17. p.546

Miſſæ Parochiali diebus Dominicis & feſtivis interſint parochiani, & audiant quæ in pronis proponuntur.n.7. p.570

De Miſſarum reductione, quando omnes celebrari non poſſunt.cap.4.p.606.& Tit.15. p.623

Ne pro Miſſis votivis turpes & Simoniacæ pactiones fiant, ſed quod ſpontè oblatum fuerit Sacerdotes accipiant.n.3. p.627

Miſſam celebrari à peregrino & ignoto Sacerdote ſine literis commendatitiis ſui Epiſcopi non eſt permittendum.n.2. p.642

Cæcatus per injuriam Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus fuit diſpenſatus ad Miſſam dicendam.n.6. p.346

*Miſſiones.*

Miſſio neceſſaria eſt in Verbi Dei miniſterio, & Sacramentorum adminiſtratione.n.2. p.577

Miſſionis charactere omnes hæreſes tolluntur. ibid.

Chriſtus Dominus ab æterno Patre miſſus.ibid.

Ipſe miſit Apoſtolos in orbem univerſum. ibid.

Miſſione omnes hæretici carent. ibid.

*Mitra.*

Mitra, Virginis velamen.col.1. p.176

Vocabulum Perſicum.col.2. ibid.

Varias habet ſignificationes. ibid.

*Moguntia.*

Moguntia ad Rhenum ſita.n.1. p.333

Moguntiæ Archiepiſcopus primus Elector Imperij. ibid.

Moguntinum Concilium ſub Leone III. & Carolo Magno celebratum ann. 813. ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformationem.n.1. ibid.

*Can.*9. De vita Clericorum Canonicorum.n.2. pag.333

Vt in communi vivant & dormiant, ad menſam piam lectionem adhibeant, nihil ſine licentia Epiſcopi aut Magiſtri faciant. ibid.

*Can.*17. Clerici arma & mundana omnia relinquant. p.334

*Can.* 28. Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis propter differentiam Sacerdotij dignitatis.n.5. ibid.

*Can.*45. De Symbolo Fidei & oratione Dominica. ibid.

*Can.*47. Patrini filios ſpirituales Catholicè inſtruant. ibid.

*Can.*54. Nemo in quarto conſanguinitatis gradu matrimonio copuletur. ibid.

*Can.*55. Nullus proprios liberos de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam, aut ejus matrem uxorem ducat: Idemque de Confirmatione. num.6. p.334

*Can.*56. De inceptis & damnatis nuptiis. n. 7. ibid.

Moguntinum Concilium anni 1549. duas habet partes; prima continet 47. Canones Lutheranam hæreſim condemnantes; altera 57. ad mores & ſacram diſciplinam ordinandam. num. 1. p.575

*Can.*48. De præceptis Eccleſiaſticis obſervandis. num.2. ibid.

*Can.*61. Diebus Dominicis & Feſtis ſolemnioribus, mercimonia, ſpectacula, & ſimilia non permittenda, ne devotio Fidelium impediatur. ibid.

*Can.*79. De clauſura Monialium.n.3. ibid.

*Can.* 80. De Vicariis idoneis Paſtorum inſtituendis cum congrua portione.4. p.576

*Can.*85. Vt debitus honor Prælatis exhibeatur. ibid.

*Can.*89. Vt res & ornamenta Eccleſiæ in Indice deſcribantur, & diligenter ſerventur.& Can. ſeq. ibid.

*Can.* 90. De officio fabricæ, ſeu procuratione Eccleſiæ non ſolis Laïcis committenda. ibid.

*Can.*91. Vt nullus Clericus ad beneficium vel dignitatem Eccleſiaſticam admittatur, niſi priùs juraverit nullam commiſiſſe ſimoniam. num. 5. p.576

*Can.* 94. Ne extraneus ſine literis commendatitiis proprij Epiſcopi ordinetur. num. 6. pag.577

*Can.*101. Sortilegia ſub graviſſimis pœnis prohibentur.n.7. ibid.

*Monachi.*

Monachi negotiis ſecularibus abſtineant.num.14. p.218

Epiſcopo loci ſubjiciantur.n.15.ibid. & num.2. p.225

Monaſteria nova, vel domum oratoriam non ædificent ſine conſenſu Epiſcopi. ibid.

Concurſantes per civitates reprimendi. ibid. & p.219.& n.8. p.642

Monachi profeſſi non poſſunt matrimonium contrahere. p.212

Monachum aut paterna devotio facit, aut propria profeſſio.n.16.p.185.& n.3. p.347

Monachi vagi & Eremitæ vel ad Conventum redire compellantur, vel ad ſolitudinem. n. 15. p.218.& n.5.p.297.& Can.43. p.463

Monachiſmus per paternam devotionem latiùs declaratur.n 3. p.347

Populus non regatur per Monachum. num. 39. p.441

De vita, diſciplina & peculio Monachorum. num.3. p.415

Monachus dum Monaſterio exit ſibi ſocium adjungat, nec evagetur ſolus.n.6. p.476

Monachi ad convivia ſecularia non vadant, neque extra monaſterium manducent aut bibant ſine licentia Superioris. ibid.

Monachi non adminiſtrent Sacramenta ſine licentia Parochorum.n.15. p.491

Neque in concionibus ſuis retrahant audientes à ſolutione Decimarum.n.17. p.492

Neque ſuadeant ut ſepultura in Eccleſiis ſuis eligatur. ibid.

Religioſi etiam exempti Interdictum Eccleſiaſticum ſervare debent.n.18. p.492

Regularium effuſiora privilegia temperantur. num.20. ibid.

Monachi, Hoſpitalarij, & alij Religioſi etiam exempti Excommunicationis ſententias ab Ordinariis rationabiliter latas obſervent. num. 3. p 493

Monachi populum non regant, ſed præſentent Presbyteros ab Epiſcopo inſtituendos. num. 4. p.494.& n.13. p.579

Monachorum & Clericorum ſecularium differentia quoad bona poſſidenda.col.2. p.546

Monachi ſeu Religioſi etiam exempti quomodo viſitari & corrigi poſſint ab Epiſcopo. num.13. p.579

Ætas & Novitiatus ad profitendum Monachiſmum.ibid.& n.82. p 604

Vid. *Regularis.*

Monachi ſeu Religioſi qualiter profeſſionem emittere debeant.col.1. p.639

Monaſticæ vitæ duplex genus.n.7. p.641

Monachi nihil proprium habeant. n.3.p.651.col.2. p.463

Regulam fideliter obſervare debent, & divinis intereſſe Officiis ſtatis horis.n.3.& 6. p.652

*Monaſterium.*

Monaſteria ſine licentia Epiſcopi non ædificanda. n.15.p.218.& 219.& n.13.p.234.n.14. p.235.n.5. p 331

Monaſterium Caſſinenſe à Saracenis expilatum & incenſum.n.2. p.360

Et Prumienſe direptum & penè everſum. ibid.

*Moneta falſa.*

Falſam monetam fabricans, vel expendens excommunicatur.n.13.p.401.& n.8. p.489

Falſæ monetæ crimen hæreſi ſeu falſæ doctrinæ confertur ibid. p.401

Pœna corporalis adverſus eos qui falſam monetam cudunt.n.8.p.489 & col.1. p.527

Pecuniam adulterinam, aut minus probabilem qui receperit quamvis ignoranter, alteri tradere non præſumat.col.2. p.638

*Moniales.*

De Clauſura Monialium.n.11.p.251.& n.3. p 575

Moniales ſegregari debent à cohabitatione virorum tam Clericorum quàm Laicorum. num. 4. p.338

Auditorium (vulgò *Parloir*) habeant ad colloquium & petitionem neceſſariorum. ibid. & col.1. p.514

De Dote Monialium latè diſſeritur, & in quibus caſibus citra ſimoniam aliquid dari & recipi poſſit pro Religionis ingreſſu. à n.1.& ſeqq. per totam diſſertationem. p.443.& ſeqq.

Moniales etiam exemptæ quoad clauſuram ſubduntur Epiſcoporum juriſdictioni.n 13. p.580

Monialium clauſuræ curam gerant Epiſcopi. n.77. p.603

De Confeſſione & Communione Sacramentali Monialium.n.80. p.604

Moniales ſtudeant diligenter puellas ſibi commiſſas piè & rectè inſtituere.col 1. p.619

Novitiæ Monialis extra ſepta monaſterij voluntas exploranda.col.2. p.621

De dote ſeu eleemoſyna poſt profeſſionem danda ad neceſſariam ſuſtentationem.n.7. p.621

Ne quis intra ſepta monaſterij Monialium ingrediatur ſub pœna excommunicationis. col. 1. p.614

Et Prælati tam ſeculares quam Regulares ſobriè facultate ingrediendi utantur. ibid.

Moniales profeſſionem ſuam qualiter facere debeant.col.1. p.639

Intra ſepta monaſterij reſideant.col.1. p.642

Monialibus ægrotantibus quomodo Sacramenta miniſtrari debeant. ibid.

Nihil proprium habeant.n.3. p.651

Monialium menſa communis, exceptis ægrotantibus.n 4. ibid.

*Mons pietatis.*

Montes pietatis declarantur juſti & liciti. num. 8. pag.567

*Monothelitæ.*

Monothelitarum hæreſis in Oriente ſub imperio Heraclij.n.1. p.426

Monothelitarum hæreſis damnata in Concilio ſexto Conſtantinopolitano, in Trullo. num. 1. & ſeqq. p.292

Poſt varias diſceptationes decretum eſt duas eſſe in Chriſto Domino voluntates, rejectis omnibus in contrarium adductis.n.8. p.294

Monothelitarum hæreſis ſopita iterum ſuſcitatur. num.2. p.300

*Myſterium.*

Myſterium unde dicatur.n.9. p.40

## N.

*Namnetes. Namnetenſe Concilium.*

NAmnetes ſeu Namnetæ urbs Epiſcopalis ad Ligerim in qua Concilium fuit celebratum.n.1. p.358

*Can.*1. Vt Dominicis, & feſtis diebus unuſquiſque in propria Parochia Miſſam audiat, & qui interſunt

intersunt sacris mysteriis invicem reconcilientur.n.2. ibid.
*Can.*6. Vt pro sepultura Fidelium nihil muneris exigatur, nisi defunctus aliquam dari eleemosynam voluerit.n.3. ibid.
Et ne quis in Ecclesia sepeliatur. ibid.
*Can.*8. Nullus Episcopus aut Presbyter præsumat plures habere Ecclesias; nisi fortè alios sub se Presbyteros in unaquaque habeat qui divinum adimpleant officium.n.4. p.359
*Can.9.* De Eulogiis seu fragmentis panis benedicti populo post Missarum solemnia distribuendis. p.359

*Narbonense Concilium.*

Narbonensis provincia Regi Hispaniæ obtemperabat anno 589.quo celebratum est istud Concilium.n.1. p.273
*Can.*1. De modesto vestitu Clericorum. num.2. ibid.
*Can.*3.Ne Clerici per plateas indecorè deambulent.n.3. p.274
*Can.* 6. Clerici delinquentes in monasterium detrusi, ad pœnitentiam peragendam. num. 4. ibid
*Can.*10. Clericus resideat in loco ubi fuerit ordinatus. ibid.
*Can.*13.De officio Subdiaconi, & aliorum Clericorum inferiorum.n.5. ibid.
Narbonense Concilium anno 1235. trium provinciarum Narbonensis, Arelatensis, & Aquensis celebratum, in quo Inquisitoribus Fidei certæ leges præscriptæ sunt.n.1. p.448
*Can.*6. Ab hæresi conversi culpas suas publicè abjurent. ibid.
*Can.* 7. De pœnitentia conversis injungenda. p.449
*Can.* 11. De relapsis in hæresim puniendis sæculari judicio. ibid.
*Can.* 22. In judicio Inquisitionis testium nomina non publicentur.n.2. p.449
*Can.* 23. Vt nemo sine apertis probationibus condemnetur. ibid.
*Can.*24. & 25. Qui possint esse testes, vel non, in judicio Inquisitionis. ibid.
Narbonense Concilium anni 1609.n.1. p.653
*Tit.* 26. *de Episcopis.* Vt Episcopi sanctis orationibus vacent, familiam in Sacellum convocent ad orandum,Missam frequenter celebrent. ibid.
Pontificalia paratis exerceant, Officiarios probæ vitæ instituant, se faciles præbeant adeuntibus, convivia non faciant, frugali mensa & mediocri supellectile sint contenti, & fœminas in domibus suis non admittant. col.2. ibid.
Picturas prophanas domi non retineant, opera misericordiæ exerceant, familiæ suæ invigilent ut omnes tam laïci quam Clerici nemini sint scandalo,sed pietatis Christianæ exemplo.col.1. p.654
Gravem sibi Confessarium eligant, pium & prudentem. ibid.
Prælato defuncto Capitula Præsules commonefaciant, ut solemniter pro defuncto celebrent. ibid.
*Tit.* 31. *de benef. confer.* Vt provisi de beneficio Inventarium conficiant omnium mobilium ad Ecclesiam pertinentium, ut futuris successoribus conserventur.n 3. p.654

*Narses.*

Narsetis ducis exercitus opera, & Belizarij rebellium plusquam triginta millia hominum uno die occisa.n.18. p.245
Narses Eunuchus præstantissimus belli dux. n. 1. p.275
Narsetes plures fuisse ostenditur. ibid.
Narses Eunuchus ab Imperatrice Sophia atroci affectus injuria rebellat. ibid.
Narsetes alij quales fuerint, disquiritur. ibid.

*Neocæsareense Concilium.*

Neocæsareense Concilium paulò post Ancyranum celebratum eodem anno, & sub eodem Præside.n.1. p.96
Neocæsarea est urbs Cappadociæ quam Lycus flumen interfluit. ibid.
*Can.* 1. Pœnitentiæ delictorum constituuntur: & Irregularitates definiuntur quæ arcent ab Ordinibus. ibid.
*Can.*8.De irregularitate ex bigamia proveniente.n.2. ibid.
*Can.*9. & 10. De irregularitate ex delictis carnis.n.3. p.96
*Can.*11. De ætate 30. annor. ad presbyteratum requisita.n.4. ibid.
*Can.*12. De eo qui in tempus ægritudinis baptismum distulerit, à Sacerdotio excludendo. n. 5. pag.97
*Can.*15. De numero Diaconorum.n.6. ibid.

*Nero.*

Nero Imperator ad omne flagitium natus. num.19. pag.6
Incensæ ab ipso Vrbis crimen in Christianos rejecit, quos innocentes crudelissimis affecit suppliciis. ibid.
Petrum & Paulum ultimo supplicio addixit, num.20. ibid.
Seipsum pugione interfecit. ibid.
Ejus successores in Imperio Rom. recensentur. num.20. p.6

*Nestorius.*

Nestorius Constantinopolitanus Antistes hæresiarcha.n.17. p.187
Duas personas in Christo asserebat, negans B. Virginem esse θεοτόκον, sed solùm θεόδοχον & χριστοτόκον. ibid.
Damnatur in Synodo œcumenica Ephesina. ibid.
Conciliabulum cogit in quo Acta Sacrosanctæ Synodi Ephesinæ insolenti audacia damnat & rescindit, favore Joannis Antiocheni. ibid. & num.5. p.207
Dolis tandem compertis, gesta Antiocheni irrita & nulla declarantur, & reprobantur. n.18. p.188.& n.6. p.208
Nestoriana hæresis proscribitur, & Nestorius ipse. ibid.
In Oasim deportatus tabe conficitur, corrosáque vermibus maledica lingua, miserrimè moritur. ibid.
Nestorianæ hæresi præluserat Leporius Monachus, qui resipuit, & veniam pœnitens petiit. n.19.p.188.& n.1. p.206
Vid. *Ephesinum Concilium.*

*Nicænum Concilium.*

Nicænum Concilium procuravit Constantinus Magnus adversus hæresim Arianam. num.12. pag.86
Concilij Nicæni primi historia, cui causam dedit hæresis

hæreſis impij Arij Alexandrini presbyteri. n. 1. pag.100
Oſius Cordubenſis Epiſcopus Sylveſtri Pontificis Legatus unà cum Victore, & Vincentio Rom. Eccleſiæ Presbyteris, etiam Legatis Apoſtolicis, huic Synodo præſedit, & primus ei ſubſcripſit.n.6. p.101
Ariani etiam interfuerunt, & calumnioſis accuſationibus Orthodoxos in primis inſectati ſunt apud Imperatorem.n.7. ibid.
Patres pro inconcuſſo fundamento conſtituerunt, nihil contra Fidem ab antiquo traditam, & receptam, innovandum.n.8. p.102
Athanaſius adhuc Diaconus in eo admiſſus egregiè diſputando Arium refellit. ibid.
Patres in eo definierunt Filium Dei eſſe coëſſentialem & conſubſtantialem, & coæternum Patri, & Arium condemnarunt unanimi conſenſu. ibid.
Delegati ab Epiſcopis abſentibus eodem ordine ſederunt, quo delegantes conſediſſent. n. 1. p.103
Legati Apoſtolici fuerunt Concilij præſides: primi ſederunt, & ſubſcripſerunt n.2. ibid.
Nicæni Concilij Symbolum.n.1. p.106
*Can.*1. De irregularitate proveniente ex mutilatione corporis.n.2. p.106
*Can.*2. De his qui ſtatim poſt baptiſmum ad Clericatum promoventur.n.3. ibid.
Item qualiter Clerici ordinari & promoveri de ordine inferiore ad ſuperiorem debeant,ſervatis interſtitijs. n.4. p.107
Et de his qui poſt ſuſceptum baptiſmum grave aliquod crimen præſertim luxuriæ admiſerint arcendis à Clericatu n.5. & 6. ibid.
*Can* 3 Vt nulli Clericorum liceat ſubintroducere mulierem, exceptis matre, ſorore, vel alijs non ſuſpectis. n.1. p.107
Cohabitatio Clericorum & mulierum periculoſa. n.2. p.108
An Clericus converſus, ſive uxoratus ad Clericatum promotus uxorem retinere poſſit, diſſentiunt Græci à Romanis. n.3. & ſeqq. ibid.
*Can.*4. Qualiter Epiſcopi ordinari ſeu conſecrari debeant. n.1. & ſeqq. p.109
Vid. *Epiſcopus.*
*Can.*5. De Excommunicatis Clericis,vel laïcis, à Clero repellendis. Et de Synodis Epiſcopalibus ſingulis annis convocandis. n.1.2. & 3. p.111
*Can.*6. De Primatibus Epiſcoporum Metropolitanorum: & ſpecialiter de Primatu Eccleſiæ Romanæ. n.1. ibid. & p.112.
Similiter in Eccleſia Antiochena, & alijs ſua privilegia & prærogativæ ſerventur.n.2. p.112
Quod definitur à majore parte Collegij Eccleſiaſtici, ratum haberi debet. n.3. p.113
*Can.*7. De honore Epiſcopi Hieroſolymitani: Metropoli propria dignitate ſervata. n.1. p.113
*Can.*8. De Novatianis,qui Cathari dicuntur,ad Eccleſiæ unitatem revertentibus priſtinæ ſedi, vel Ordini ſeu gradui reſtituendis.n.2.& 3.p.114
Iſtud decretum factum eſt pro reductione errantium & lapſorum. ibid.
*Can.*9. De examine ordinandorum præmittendo. n.4. ibid.
*Can.*10. De Clericis lapſis ordinatis. ibid.
*Can.*11. Qualiter ſponte lapſi pœnitere debeant. p.115
*Can.*12. Editus eſt in eos, qui ut ſeiné hoatæ pœnitentiæ moleſtijs eriperent, militias affectabant vel redimebant. n.1. p.115
*Can.*13. Nemini pœnitenti in extremis vitæ communionem ſacri Viatici denegandam. n.2. ibid.
*Can.*14. De Catechumenis lapſis pœnitentiæ triennali ſubjiciendis. n.3. ibid.
*Can.*15. De Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis proprias quibus adſcripti ſunt Eccleſias deſerentibus, ad eas revocandis.ibid.& n.4. *Can.*16. p.116
*Can.*16. De Clericis ab alio Antiſtite non ordinandis ſine conſenſu proprij Epiſcopi.num.4. ibid.
*Can.*17. De Clericis uſurarijs deponendis. n.1. ibid.
*Can.*18. Ne Diaconi Euchariſtiam præbeant,vel attingant, niſi eis præbente Epiſcopo, vel Presbytero, nec in medio Presbyterorum ſedeant. num.1. p.117
*Can.*19. De Pauliniſtis rebaptizandis: num.6. p.118
Aſſignatur ratio ibid. & n.7. ibid.
*Can.*20. Vt Fideles Paſchali tempore ſtantes orent n.8. ibid. Exceptis publicis pœnitentibus. ibid. p.118
Nicæni Concilij decretum præcipuum de conſubſtantialitate divinarum Perſonarum. num.1. p.118
Vocem ὁμοούσιον tanti æſtimavit, ut eam voluerit eſſe quaſi teſſeram Fidei in Eccleſia,qua impietas Ariana ſecernitur ab orthodoxa Fide. ibid.
Hæ divinarum Perſonarum conſubſtantialitas, & hypoſtates eruditione Theologica explicantur. n.2.3.4. & ſeqq. p.119
Nicænorum Canonum numerus inter multos controvertitur, & de hoc ipſo Author Diatribam inſtituit. n.1.& ſeqq. p.120
Numerus vicenarius aſſeritur. ibid.
Alij quidam octoginta fuiſſe putant.n.2. ibid.
Canon de appellatione ad Romanam ſedem in illis viginti deſideratur, unde colligunt plures fuiſſe quam viginti. n.3. & 7. p.121
Gelaſius Cyzicenus Novem dumtaxat refert. num.4. ibid.
Ambroſius addit Can. de bigamo non ordinando: Alios quoque Sirmondus in Synodo Tholoſana enuntiatos. n.5. ibid.
Afferuntur etiam alij ex epiſtola Iulij Papæ. num.6. p.121
Canones Arabici longè plures à quibuſdam Nicæno Concilio adſcribuntur: ſed falsò; ut benè Author arguit. ibid. n.8. & 9. p.121.& 122
Ad numerum à Gelaſio adductum reſpondetur. num.10. p.122
Nicænum Concilium quod fuit Septimum Oecumenicum, Niceæ Bithyniæ Metropolis habitum eſt ſub Hadriano Pontifice, cujus Legati in ea præſederunt, procurantibus Conſtantino Imperatore, Irene ejus Matre, & Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano. n.6.& 7. p.307
In eo plures Epiſcopi Iconoclaſtæ, abjurata hæreſi, reconciliati ſunt, & priſtinæ dignitati reſtituti. n.7. ibid.
De veneratione ſanctarum Imaginum decretum ſancitur, & contradicentes hæretici declarantur & anathematè feriuntur. n.7. & 8. ibid.
His conſtitutis, Salvatoris Chriſti imago profertur,

tur, & ab omnibus Patribus procumbentibus adoratur. n.9. p.307

Pſeudoſynodus Copronymi omnium conſenſione damnatur, unà cum Pſeudopatriarchis illius fautoribus & authoribus. ibid.

Nicæni hujus Concilij Acta tranſmittuntur ad Papam Hadrianum qui illud authoritate Apoſtolica munivit, ac defendit apud Carolum Magnum. ibid.

*Can.*1. Sex œcumenicæ Synodi, quæ præceſſerant, confirmantur. n.10. p.307

*Can.*2. Decernitur quod Epiſcopi ordinandi promittent ſe ſacros Canones ſervaturos: ubi etiam traditur boni Paſtoris officium. ibid.

*Can.*3. Prælatorum electiones vi & poteſtate Principum ſæcularium factæ declarantur nullæ. col.1. p.308

*Can.*4. Pœna talionis puniendus Antiſtes qui injuſtè ſuos Clericos arcet à divino Miniſterio, & templum claudit. n.11 ibid.

*Can.*5. Qui per ſimoniam promoventur ad dignitates Eccleſiæ, & ipſi, & Ordinatores deponantur, & pœnis Canonum ſubjiciantur. ibid.

*Can.*6. Synodi Provinciales celebrentur ſaltem ſemel ſingulis annis. ibid.

*Can.*7. Templa ſine Reliquijs Sanctorum conſecrari non debent. n.12. p.309

Plura traduntur de Reliquijs Sanctorum, earumque veneratione ex teſtimonijs Sanctorum Patrum. num.13. ibid. Vid. *Imago*. Vid. *Reliquiæ.*

*Can.*8. Judæi fingentes ſe eſſe Chriſtianos, & Chriſtum Deum noſtrum ſubſannantes occultè, ab Eccleſia extrudantur; ſed verè converſi recipiantur. n.14. p.310

Quædam obſervantur adverſus eos qui ſimulatè profitentur Religionem lucri cauſa. ibid.

*Can.*9. Scripta & dicta contra ſanctas Imagines cum reliquis libris hæreticis reponantur & publicè comburantur. n.15. ibid.

*Can.*10. Ne Clerici parœcia propria relicta in alias excurrant: neque curas ſeculares & mundanas ſuſcipiant. n.16. p.311

*Can.*11. De œconomis in Eccleſia inſtituendis. num.17. ibid.

*Can.*12. Ne Prælatus ſecularis, vel Regularis res ſuæ Eccleſiæ alienet, ſed eas adminiſtret tanquam Deo intuente. ibid.

*Can.*14. Ne Tonſurati Lectoris in Eccleſia officio fungantur ante manuum impoſitionem. ib.

*Can.*15. Ne quis deinceps duabus Eccleſijs præficiatur, ſed una ſit contentus, eique debita officia perſolvat. n. 8. p.312

Traduntur ibidem plura de pluralitate & incompatibilitate beneficiorum. num.19. & 20. p.312

*Can.*16. De luxu & ornatu corporeo Clericis prohibito. col.1. p.313

*Can.*17. Monachis prohibetur Oratoria ædificare ſi non habeant quæ ad perfectionem pertinent. n.21. ibid.

Quid cenſendum de novis identidem Monialium noſtri temporis fundationibus. ibid.

*Can.*18. Ne ulla mulier in domo Epiſcopali, vel Monaſterijs admittatur. n.22. p.313

*Can.*19. Ne quis ad Sacerdotalem Ordinem, aut vitam Monaſticam pecunijs admittatur. ibid.

*Can.*20. Monaſteria Monachorum & Monialium ſibi cohærentia prohibentur, imò etiam confabulationes. n.23. ibid.

*Can.*21. Non oportet Monachum, aut Monialem, proprium relinquere Monaſterium, & ad aliud ſe conferre ſine obedientia Superioris. col.1. p.314

*Normanni.*

Normanni Carnutum obſidentes, Deiparæ auxilio, repentino pavore percuſſi in fugam ſe dedunt. n.15. p.364

Cum Carolo ſimplici fœdus ineunt. ibid.

Abjecto idolorum cultu ad Chriſtianam Religionem convertuntur. ibid.

Normannorum virtus bellica inſignis adverſus Saracenos. n.2. p.369

*Numerianus Imp.*

Numerianus ſucceſſit patri Caro in imperio n.26. pag.63

Debilitatis nimio fletu oculis de morte patris, inſidijs ſoceri ſui imperium ambientis occiditur. ibid.

Nulli ſub Imperio Cari Martyres leguntur: at multi ſub Numeriano. n.27. p.63

*Nuptiæ.*

Nuptiæ illegitimæ inter Lotharium & Valdradam pellicem, repudiata Rheutberga legitima uxore. n.1. p.348

In duobus Conciliabulis Aquiſgranenſi, & Metenſi probatæ, in Romano Lateranenſi Concilio damnatæ unà cum fautoribus Epiſcopis. ib.

Nuptiæ aliæ illegitimæ inter Philippum I. & Bertrandam cognatam, repudiata Bertha legitima uxore, ex qua Ludovicum Craſſum ſuſceperat, num.3. ibid.

Damnatæ ſunt primò in Concilio Nationali Gallicano. ibid.

Deinde in Claromontano ab ipſo Pontifice Urbano indicto. ibid. Vid. *Claromont. Concilium.*

Nuptiæ aliæ illegitimæ inter Philippum Auguſtũ & Mariam Moraviæ Ducis filiam, repudiata Gerberga filia Danorum Regis legitima uxore, ſub prætextu cujuſdam affinitatis. n.5. p.349

Damnatæ ſunt in Synodo Divionenſi, & Regnum Eccleſiaſtico interdicto ob Regis contumaciam ſubmiſſum, quo durante in publicis tabulis ſcribebatur, *Regnante Chriſto*, non Philippo. ibid.

Nuptiæ fœminarum nobilium caſtra & munitiones habentium cum inimicis Fidei Catholicæ, vel pacis publicæ, prohibentur can.42. Concilij Toloſani. p.448

Nuptiæ cum hæreticis non conjungendæ. num.8. p.153

Ijs qui ſecundas inierint nuptias preces & jejunia præſcribuntur: n.4. p.151

A communione ad tempus ſuſpenduntur. ibid.

Et quid de Trigamis. ibid.

O.

*Oblatio.*

OBlationes Fidelium ſolitæ fieri in Miſſæ ſacrificio, ſive Eulogiæ. num.5. p.43 Vid. *Eulogiæ.*

Oblationes impiorum Deo diſplicent. num.14. p.73. & 74.

Oblationes Fidelium retinentes excommunicandi. num.2. p.271

Oblationes quomodo inſumendæ & applicandæ. num.4. p.311

Oblationes diſſidentium fratrum non ſunt recipiendæ. Can.93. p.175
Nec eorum qui pauperes opprimunt. Can.94. ibid.

*Officium.*

Officium divinum integrum & devotè perſolvendum, ut declaratur num.2. p.548. & num.20. p.432
Sub pœna privationis diſtributionum, vel alia arbitraria. n.2. p.527. & 528.
Officij divini tempore prophana omnia ceſſare debent in Eccleſia. Can.2 p.528. Mendici arceantur. col.1. p.640
Sub pœna ſuſpenſionis. n.20. p.432
Abſentes ab Officijs Chori non lucrantur diſtributiones. n.2. p.626. & 627.
Qui abſentes pro præſentibus habeantur. ibid.

*Officium S.Inquiſitionis.*

Officium S.Inquiſitionis inſtitutum ad hæreſim extirpandam, & hæreticos eliminandos. p.417. & ſeqq.
Officium Concionatorum. n.9. p.567
Vid. *Concionator.*

*Opinio.*

Opiniones probabiles non eſſe omninò explodendas, evincitur ex can.48. Concilij Triburienſis. num.14. p.357
Innumeri caſus occurrunt in quibus, dum adſit bona ſedes, licet operari ſecundum opinionem probabilem, ſi probabilior non appareat. col.1. p.358

*Orarium.*

Orarium quid ſit, & unde dicatur. n.4. p.38
Orarij geſtatio & uſus ſolis permittitur Sacerdotibus, & Diaconis: cæteris prohibetur. ibid.
Orarium malè quidam interpretantur veſtem talarem. n.5. ibid.
Orarium, etiam apud prophanos Authores, commune linteum ad os detergendum ſignificat, num.6. p.38
Orariorum uſus in theatris & comitijs ad favoris & plauſus ſignificationem. ibid.
Orarium ab Epiſcopo recipiebat Clericus injuſtè dejectus & reſtitutus. n.11. p.283
Orarium unum oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod orat. Can.40. p.284
Orarium utroque humero circumpoſitum geſtent Sacerdotes cùm ſacrificant, vel Corpus & Sanguinem Chriſti ſumunt. n.2. p.291
Orarij vocabulum plures habet ſignificationes, ut declaratur n.5. p.334.

*Ordo, Sacramentum.*

Ordinis Sacramentum apud veteres Orientis & Occidentis Eccleſias conſideratur. n.1. p.37
Ordinum numerus ſeptenarius jamdudum in Eccleſia Latina receptus. ibid.
Ordines minores an ſint Sacramenta. ibid.
Ordines majores, qui ſacri dicuntur, quales ſint. ibid.
Subdiaconatus olim inter ſacros Ordines non cenſebatur. n.2. p.37
Ordines an ſimiliter computentur in Eccleſia Orientali. n.3. ibid.
Acolythatus apud Græcos non cenſetur inter Ordines. ibid.
Ordines gratis conferantur, nihilque exigatur pro ſigillo, vel literis dimiſſorialibus, vel teſtimonialibus. Cap.1. p.592
Qui ad majores Ordines promoveri volunt, bonum habeant à Parocho & Scholæ Magiſtro teſtimonium. col.1. in fine, p.595. & n.1. p.644
Et Ordinis ſuſcepti functiones obeant. col.2. p.643
Habitu decenti induti coram examinatoribus ſiſtant. ibid.
Ab Ordinum ſuſceptione arceantur canonicis impedimentis irretiti. ibid.
Quanta cautio in conferendis Ordinibus adhibenda ſit, declaratur. n.3. p.655
De Sacramento Ordinis, & de vario ritu conferendi Ordines in utraque Eccleſia. num.3. & ſeqq. p.177
Ordinis character indelebilis, ut & Baptiſmi. col.1. p.283

*Ordo Religioſorum.*

Ordo Cluniacenſis quo tempore ſumpſit exordium. n.22. p.366
Ordo Camalduenſium initium duxit per S. Romualdum Abbatem ſæculo undecimo. num.17. p.375
Ordo Vallis-Umbroſæ per Joannem Galbertum. ibid.
Ordo Ciſtercienſium per Robertum Abbatem. ibid.
Ordo Cœnobitarum S.Antonij, an.1095. ibid.
Ordo Carthuſianorum. ibid.
Ordo Templariorum Militum inſtitutus an.1118. n.21. p.396
Ordo Hoſpitalariorum Sancti Joannis Ieroſolymitani an.1104. & eorum munus. ibid.
Ordo Teutonicorum Militum ſub Innocentio III. Pontifice. ibid.
Ordo Præmonſtratenſium Canonicorum Regularium S.Northerti. n.22. p.396
Ordo Ciſtercienſium Clarevallenſium propagatus à S.Bernardo. ibid. p.397
Ordo Fontis-Ebraldi, cujus author fuit Robertus de Arbruſſellis. ibid.
Ordinum Monaſticorum Inſtauratores ſexto ſæculo Deus ſuſcitavit. n.24. p.247
Ordo Crucigerorum. n.5. p.446
Ordo S.Dominici approbatur in Concilio Lugdunenſi ab Innocentio Papa IV. n.6. p.448
Ordo S.Franciſci in eodem Concilio fuit approbatus. ibid.
Ordinem novum, aut Religionem de cætero, ne quis inveniat, vel habitum novæ Religionis aſſumat. Can.23. p.469
Ordines Mendicantium non confirmati ſeu approbati à Sede Apoſtolica prohibentur: & circa approbatos quædam Regulamenta ſtatuuntur. ibid.
Ordines Religioſorum plures inſtituti ſæculo decimotertio. n.17. p.423
Ordo Societatis JESU, Sanctorum & doctiſſimorum Religioſorum fertile Seminarium. n.29. p.562
De tranſlatione Religioſorum de Ordine in Ordinem quibus conditionibus admittenda. cap.11. p.592

*Ordinatio.*

Ordinatio abſoluta quæ dicatur. n.9. p.317. & c.26. p.327. Reprobatur n.2. p.401. cap.16. p.596
Ordinatio ſimoniaca reprobatur cap.19. p.327. & n.3. p.378. can.1. p.400. & col.2. p.635.
Ordinatio irrita, id eſt illicita, n.6. p.378
Caſus notabilis in materia Ordinationis proponitur. n.7. p.379

Ordinatio

Ordinatio Schiſmatica, valida, ſed illicita. num.5. & ſeqq. p.386
Ordinationum interſtitia. n.10. p.140. & 141
Ordinationes à Schiſmaticis irritantur. num.11. p.400. Can.30. p.405. Can.17. p.410. & can.2. pag.413
Ordinatio præ requirit examen ordinandorum. n.6. p.546. & n.2. & 3. p.568. & n.4. & 8. p.572. & col.1. & 2. p.635
De Ordinatis indebitè ſuſpendendis. n.4. p.568. & n.5. p.569
De proclamatione Ordinandorum, & quo ritu Ordinatio facienda eſt. num.6. & 7. p.572. & num.3. p.643
Ordinatio à proprio Epiſcopo facienda eſt; nec debet fieri ab alieno ſine literis dimiſſorijs. num.48. & 49. p.595. & cap.16. p.596. & n.13. p.631
In examine Ordinandorum quæ attendi debeant & obſervari notabiliter traduntur p.635. per tot. & 644.
Ordinatio non fiat niſi ordinandus Confirmationis Sacramentum priùs ſuſceperit. ibid. & n.5. p.645
Neque ſine titulo ſeu patrimonio Clericali. ibid.
Ordinandorum præparatio, & qualitates. num.3. p.643. & ſeq.
Ab Ordinationis limine arceantur impedimentis Canonicis irretiti. col.2. p.643
Ordinandi ſuper quibus examinari & inquiri debeant, ne temerè manuum impoſitionem ſuſcipiant. p.644. per tot. Vid. *Seminarium.*
Ordinationis ritus varij in Eccleſia Græca & Latina. n.3. & ſeqq. p.177

*Origenes.*

Origenis errores damnati in Concilio quinto Conſtantinopolitano. n.11. p.265
Origenes plures habuit Sectatores. n.13 14. p.266

*Oſius.*

Oſij inſignis meritis lapſus miſerandus. num 21. pag.89
Oſij geſta in Synodo Sardicenſi. num.2. & ſeqq. p.138
Oſij prævaricatio circa conſubſtantialitatem Filij Dei in Conciliabulo Sirmienſi. num.3. & 4. p.147. & 148

## P

*Pallium.*

PAllium inſigne ſublimioris poteſtatis & dignitatis Pontificiæ. n.12. p.165
Quale ſit, & quid repræſentet. ibid. & num.15. p.352
Certis tantum diebus ab Epiſcopo ſeu Archiepiſcopo geſtandum. n.15. p.352
Pallium ſolus Pontifex Romanus ſemper & ubique locorum geſtat: & ab ipſo cæteris Prælatis confertur. ibid.
Pallium Petro Archiepiſcopo Aquenſi à Paſchali Papa II. collatum. n.6. p.406
Pallium Suffraganeis conferunt Patriarchæ poſtquàm à Romano Pontifice ſibi illud acceperunt. can.5. p.428
Sine Pallio Archiepiſcopus Miſſas dicere non præſumat. Can.6. p.272

*Papienſe ac Senenſe Concilium.*

Papienſis civitas cùm deſignata fuiſſet à Martino V. in exitu Concilij Conſtantienſis ad proximum in ea generale celebrandum, propter peſtem celebrari non potuit, & ideo fuit in Senenſem tranſlatum. n.1. p.526
Vide *Senenſe.*

*Pariſienſe Concilium.*

Concilium Pariſienſe Tertium quo tempore celebratum. n.1. p.268
*Can.*1. Ne quiſquam oblationes Eccleſiæ retineat ſub pœna excommunicationis. ibid.
*Can.*2. Si quis res Epiſcoporum, quæ ſunt res Eccleſiæ, confiſcare, invadere & occupare præſumpſerit anathemate perpetuo feriatur. ibid.
Concilium Pariſienſe Quintum anno 615. celebratum. n.1. p.279
*Can.*1. De Epiſcopo novo in locum defuncti canonicè & abſque ſimonia eligendo. ibid.
*Can.*2. Ne Epiſcopus ſibi in Epiſcopatu eligat ſucceſſorem. ibid.
*Can.*3. Vt omnis Clericus proprio ſubditus ſit Epiſcopo: à quo ſi fortè fuerit excommunicatus, ab alio non ſuſcipiatur. n.2. p.280
*Can.*4. Judices ſæculares Clericos judicare non præſumant. ibid.
*Can.*8. Epiſcopi ſeu Clerici defuncti bona à nemine occupentur, ſed ab Archidiacono vel Clero defenſentur, & conſerventur. ibid.
*Can.*10. Vt piæ Clericorum diſpoſitiones omni ſtabilitate ſubſiſtant. ibid.
*Can.*12. De Monachis aut Monialibus ſe de ſua congregatione ſubtrahentibus, ſuo Monaſterio reſtituendis. ibid.
*Can.*14. Inceſtæ conjunctiones inter Chriſtianos penitus reſecentur. n.4. p.280
Concilij iſtius Canones Clotarius Rex ſuo edicto roboravit: facta declaratione ad *Can.*4. de exemptione Clericorum à judicijs ſæcularibus. num.5. ibid.
Pariſienſe Concilium ſub Martino V. celebratum anno 1429. dum arderet bellum inter Carolum VII. Francorum Regem, & Henricum V. Regem Angliæ. n.1. p.527
Præfatio Joannis Archiepiſcopi Senonenſis hoc Provinciale Concilium indicentis. ibid.
*Can.*1. Ut Officia divina devotè & ſanctè celebrentur horis congruentibus. n.2. ibid.
*Can.*2. Caveant Clerici à locutionibus prophanis & deriſionibus in Eccleſijs, & ludis inhoneſtis, qui feſtis diebus fieri conſueverunt. p.528
*Can.*3. Ut Canonici aſſidui ſint omnibus horis divinorum Officiorum ſub pœna privationis diſtributionum. ibid.
*Can.*7. Vt vaſa & ſupellectilia ſacra munda ſint, & nihil prophani fieri patiantur Clerici in Eccleſijs. n.3. ibid.
*Can.*25. Vt dies Dominicales & Feſta Sanctorum ab omnibus Fidelibus devotè obſerventur, abſtinendo ab omni opere ſervili & manuali, & aſſiſtendo divinis Officijs: reprobato abuſu quo Mareſcalli, & Barbitonſores credunt ſibi licitum ſua miniſteria præter neceſſitatem illis diebus exercere. p.529
*Can.*27. Vt eleemoſynarum quæſtorum abuſus corrigantur. n.4. ibid.
*Can.*28. De Confeſſione Sacramentali peccatorum in quinque ſolemnitatibus præter Paſcha. ibid.
*Can.*29. Vt Medici hortentur ægrotos quos curant ad pœnitentiam & confeſſionem Sacramentalem. n.5. ibid.

*Can.*30. Ut turbantes juriſdictionem Eccleſiaſticam ſingulis diebus Dominicis publice denuntientur excommunicati. p.530
*Can.*32. De Matrimonio in Eccleſia celebrando. ibid.
*Can.*33. Ne facilè ſuper bannis ſeu publicationibus matrimonij in Eccleſia diſpenſetur. n.6. ibid.
*Can.*35. Ne laïci dum divina celebrantur myſteria & officia, Clericis ſe immiſceant. num.7. ibid.
*Can.*36. Ne judices ſeculares Clericos in ſuis carceribus detineant, ſed remittant ad ſuos judices Eccleſiaſticos. n.8. ibid.
*Can.*37. De juriſdictione Eccleſiaſtica conſervanda. p.531

Pariſienſe Concilium anno 1528. celebratum, cujus pars prior continet decreta fidei Catholicæ adverſus Lutheranam impietatem. n.1. p.568
Pars poſterior verſatur circa mores & diſciplinam Eccleſiæ. ibid.
*Can.*3. De ætate, moribus, & ſcientia promovendorum ad Ordines diligenter inquirendis. num.2. ibid.
*Can.*5. Quæ præcautiones adhibendæ in literis Dimiſſorijs concedendis. n.3. p.568
*Can.*6. De promotis ante ætatem legitimam, & alijs incapacibus ſuſpendendis, & delinquentibus coërcendis. n.4. ibid.
*Can.*7. De promotis in Curia Romana ſine dimiſſorijs proprij Epiſcopi admittendis, vel ſuſpendendis, præmiſſa inquiſitione ætatis, ſcientiæ, morum, & patrimonij. n.5. p.569
*Can.*8. De examinandis diligenter præſentatis ad parochiales Eccleſias, ne minùs idonei inſtituantur. ibid.
*Can.*9. De indignis à beneficijs Eccleſiaſticis repellendis. n.6. ibid.
*Can.*11. Rectores Eccleſiarum compellantur reſidere, & plebem inſtituere in rebus Fidei. ibid.
*Can.*12. Vt Parochi admoneant ſuos parochianos ut diebus Dominicis Miſſæ parochialis & Prono interſint, ut Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentent, neque peregrinentur abſque literis teſtimonialibus Chriſtianitatis. num.7. p.570
*Can.*30. De Confratrijs novis ſine conſenſu & approbatione Epiſcopi non erigendis, & antiquis, ſi opus fuerit, reformandis. n.8. ibid.
*Can.*31. Excommunicationes niſi pro gravi cauſa non concedantur. n.9. ibid.

*Parochus.*

Parochi reſideant in ſuis Eccleſijs. n.3. p.616
Vid. *Reſidentia.*
Doceant plebem & explicent vernacula lingua myſteria Fidei, & quanta devotione ac reverentia Fideles debeant accedere ad Sacramenta recipienda. Stat.3. p.617. & n.9. p.582
Parochus non ferat quemquam in ſua Eccleſia concionari ſine mandato Ordinarij. col.2. p.618
Parochi non recipiant Vicarios ſeu adminiculatios Sacerdotes niſi ab Ordinario probatos. ibid.
Caveant ab ebrietate. ibid.
Parochus ſi alio oleo quàm infirmorum unxerit ægrotum, errorem emendare debet. n.1. p.622
Caveat ne in adminiſtrandâ Extrema Unctione moram contrahat. ibid.
Piam exerceat ſolicitudinem erga plebem tempore peſtis. n.2. p.622
Parochus doceat diebus feſtis poſt meridiem pueros & puellas in Eccleſia doctrinam Chriſtianam. Can.5. p.625
Parochus moneat ſuſceptores obligari ad docendum prolem in baptiſmo ſuſceptam rudimenta Fidei. n.2. p.632
Ne patiatur imponi nomina Paganorum. n.3. ibid.
Inquirat diligenter utrùm infans fuerit perfuſus aqua, quali, & quibus verbis. Cap.9. p.632
Curam habeat ne Cœmeteria beſtijs ſint pervia. Cap.7. ibid. & col.1. p.640
Parochi officium per plura capita deſcribitur & præſcribitur. Tit.18. p.635. & 636.
Parochus congruam habeat portionem.col.2. ibid.
Verbum Dei prædicet, vel prædicari curet ſuis parochianis. *ibid.*
Parochi jura in ſepeliendis ſuis Parochianis.col.1. p.640
Parochi deligendi ſunt qui tantum munus adimplere noverint. col.1. p.641
Parocho domus Parochianorum expenſis conſtruatur. ibid.
Parochis imperitis ſed honeſtæ vitæ Epiſcopus curet adjungi Vicarios temporales. n.6. ibid.
Parochi officium exponitur. n.7. p.650
Pauperum, orphanorum, puellarum, ſenum ſpecialem curam ſuſcipiat. ibid.
Parochus Dominicis diebus & alijs ſolemnibus ſuos parochianos in fide & moribus inſtruat. Can.18.p.546. & n.69.p.600. & n.9. p.582
Parochialis Eccleſia frequentari debet ad audiendum Verbum Dei. ibid.

*Paſcha.*

Paſchalis diei obſervatio diverſa inter Romanos, & Aſianos cauſa *Schiſmatis fuit*, quod poſtea in Concilio Nicæno ſedatum eſt. num.2. p.19. & num.6. p.98
De Paſchali die plura Concilia celebrata ſunt, tandémque definitum ne alio quàm Dominico die celebraretur. n.3. ibid.
Joannis Apoſtoli traditio explicatur. ibid.
Paſchalibus feſtis Eulogiæ ceſſabant.num.3. p.43. & num.9.p.153. Vid. *Eulogiæ.*
Diſſertatio de Epactis ad rationem Diei Paſchalis ineundam. n.1. & ſeqq. p.122
Paſcha Judæorum quo tempore celebratum. n.5. p.123
Paſchæ dies formatis literis omnibus intimetur. num.4. p.180

*Patronus.*

Patronus non debet paciſci cum præſentando de certa ſumma annuatim ſolvenda Eccleſiæ. Can. 34. p.463
Patroni hæredes ei ſuccedunt in ſtirpes quoad jus patronatus. n.12. p.491
Patronus non habet jus conferendi, ſed præſentandi tantùm. Can.30. p.494
Patronus egenus à Sacerdotibus alendus. num.14. num.284
Patroni laïci infra quatuor menſes provideant Eccleſiæ, & ſi diſſenſerint, ille præficiatur qui majoribus juvatur meritis & plurimorum eligitur & probatur aſſenſu. Can.17. p.416

*Paulus, Saulus.*

Saulus Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus convertitur mirabiliter. n.6. p.2

Paulus

Paulus quamplurimas ubique gentium fundat Eccleſias. n.10. p.3
Curam habuit colligendi eleemoſynas ut fidelibus ſubveniret, urgente dira ſterilitate & fame. ibid.
Amantiſſimè à Jacobo exceptus Ieroſolymis. num.11. p.4
In eum Judæorum tumultus concitatur, à quibus deprehenſus, & peſſimè habitus, à Tribuno ereptus, ad Cæſarem appellavit. ibid.
Romam navi devehitur, & coram Nerone peroravit, à quo liber dimiſſus eſt. n.12. p.4
Ubi tandem unà cum Petro ſanctiſſimos labores martyrio coronavit. ibid.
Poſt ſuam converſionem apud Damaſcum ardenti zelo Chriſtum prædicare cœpit. num.13. pag.4
Varias ſuſcipit peregrinationes cum Barnaba. ibid.
Diſſenſionem inter Gentiles, & Judæos converſos circa inſtituta legalia ſedare contendit, & ad Petrum tunc Ieroſolymæ degentem recurrere conſulit. n.14. p.5
Paulus, adjuncto ſibi Syla, Evangelium in Galatia & Phrygia, & Macedonia prædicat. n.16. p.5
A Philippenſibus virgis cæſi, & in carcerem conjecti mirabili terræ motu liberantur. ibid.
Alia Macedonum oppida peragrant evangelizando. n.17. p.6
Paulus Athenas proficiſcitur: ubi Dionyſium aliosque ad fidem Chriſti convertit. ibid.

*Paulus Samoſatenus.*

Paulus Samoſatenus Antiochiæ Epiſcopus inter mortuam hæreſim Chriſti Domini divinitatem impugnantem, à Victore Papa damnatam, poſt Artemonem ſuſcitavit & propagare voluit. n.1. pag.67
Paulus iſte quo tempore vixerit, inquiritur num.2. pag.68
Paulus in quo Sabellio etiam hæretico conſentiat. num.2. ibid.
Ejus hæreſis damnatur iterum in Synodo Antiochena, ſub Dionyſio Pontifice Romano. n.4. ibid.
Paulus voce ſcriptóque ſimulat ſe Synodo aſſentiri, ut priſtinam ſedem qua dejectus erat recuperet. ibid.
Redit ad vomitum, priſtinamque reſumpſit hæreſim quam fictè abjuraverat. n.5. p.68
Pauli paralogiſmus. n.6. ibid.

*Paulus Conſtantinopolis Antiſtes.*

Paulus ab Arianis falsò varijs criminibus accuſatus apud Conſtantium. n.18. p.88
Quater in exilium miſſus, tandemque in ultimo ſtrangulatus juſſu Philippi Præfecti. ibid.
Quæ etiam repetuntur. n.4. p.130

*Pauperes.*

Pauperes ſuos quælibet Civitas paſcere debet. n.2. p.169
Pauperibus juſtitia gratis adminiſtretur, ipſiſque Curia det Advocatum. Can.44. p.448
Pauperes Clerici erudiendi à Magiſtro cui aſſignatur præbenda præceptorialis. Can.18. p.416. & num.16. p.431
Pauperes converſi erudiendi & paſcendi. num.2. p.419
Pauperes ex bonis Eccleſiæ alendi. n.7. p.532
Pauperes mendici non debent vagari per Eccleſiam tempore divinorum Officiorum. Tit.9. p.640
Pauperes & Senes Eccleſiæ plus cæteris honorandi. Can.83. p.174
Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus rejicienda. Can.94. p.175
Pauperum defenſores ab Imperatoribus conſtituti. n.5. p.180
Pauperibus viam ingredientibus literæ pacificæ dabantur. n.18. p.220
Pauperum defenſor Epiſcopus adverſus Judices & Poteſtates oppreſſores ipſorum. n.12. p.283
Pauperibus ſubveniendum per pias eleemoſynas in domibus Hoſpitalitijs receptis. col.1. p.442

*Pelagius.*

Pelagius natione Scotus, profectus in Palæſtinam, hæreſim Gratiam Chriſti impugnantem fabricavit. n.16. p.186
Varios accuſatores habuit, quos captioſis reſponſis eluſit. ibid.
Tandémque damnatus in Concilio plenario Carthaginenſi. ibid. & n.2. p.257
Ejus impia dogmata ſpecificè damnantur in Concilio Milevitano. num.1. & ſeqq. p.199. & num.3. p.257
Et Canonibus Pontificijs à Dionyſio Abbate collectis ex ſcrinijs Rom. Eccleſiæ, qui referuntur num.1. & ſeqq. p.202. & n.9. p.258. & 259. Vid. *Canon.*
Pelagius & Cœleſtius impij veteratores, larva perfidæ ſimulationis excuſſa damnantur Epiſtola tractoria Zoſimi Papæ, & excommunicati declarantur: cujus mentionem faciunt Auguſtinus, & Proſper. n.5. p.258
Pelagianos, & Semipelagianos, inſectantur Auguſtinus, Bonifacius, Cœleſtinus, & alij Antiſtites, n.6. ibid.

*Perſequutio.*

Perſequutio prima Chriſtianorum à Nerone, qui eos incendij Urbis ab ipſo patrati accuſavit, eaque de cauſa atrociſſimis ſupplicijs cruciavit. num.19. p.6
Perſecutio ſecunda adverſus Chriſtianos ſub Domitiano excitata. n.24. p.7
Perſecutio tertia ſub Trajano. n.1. & ſeqq. p.20
Perſecutio adverſus Chriſtianos ex intentatis falſis criminibus recruduit ſub Aurelio. num.10. pag.22
Illuſtres in ea Lugdunenſes Martyres abrepti ſunt. ibid.
Ceſſavit ſub Commodo ejus filio. n.1. p.57
Perſecutionis procella iterum ſub Severo Commodi & Pertinacis ſucceſſore excitata. n.3. p.57
Quam, Deo ita diſponente, ſedavit & vindicavit Caracalla ſucceſſor & filius Severi. ibid.
Perſecutio alia ſub Alexandro Caracallæ filio mota inſtigante Ulpiano prætorij præfecto, aliiſq; Magiſtratibus Chriſtianæ religioni infenſiſſimis. n.6. p.58
Perſecutio alia immaniſſima ſub Maximino Alexandri interfectore, & Imperij invaſore. num.9. pag.59.
Perſecutio alia crudeliſſima in Eccleſiam indicta ſub Decio. n.12. p.59
Perſecutio ſub Gallo & Voluſiano. n.16. p.61
Perſecutio Valeriana. n.17. & 18. ibid.
Perſecutio Claudij extincto Galieno. n.24. p.62
Perſecutio ſub Numeriano. n.27. p.63
Perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano horrenda. n.28. p.63.64
Perſecutio Maximini, n.4. p.83

Perſecutio Licinij. num. 6. & 10. pag.84
Perſecutio Valentis.n.19. p.91
Perſecutio Vandalica.n 27. p.191
Perſecutio Euthychiana in Legatos Apoſtolicos, alioſque Prælatos orthodoxos.n.4.5.6. p.215
Perſecutio Anaſtaſiana.n.12.13.& 14. p.242
Perſecutio alia à Traſamundo Vandalorum Rege excitata.n.9. p.241
Perſecutio Leovigildi Ariani in Catholicos Hiſpaniæ.n.22. p.246
Perſecutio Dunaam Tyranni Chriſtianæ Religionis deſertoris & ad judaicam perfidiam perverſi.num.23. p.247
Perſecutio Juſtinianea adverſus Liberium, & Vigilium Rom.Pontifices, & alios Prælatos orthodoxos qui approbare noluerunt Concilium quintum Conſtantinopolitanum. n.15. & ſeqq. pag.266
Perſecutio Conſtantini Copronymi.n.3. p.301
Perſecutio Leonis Armeni Iconomachi. num. 6. pag.319
Perſecutio Arabica in Hiſpaniis.n.24. p.366
Perſecutio Ariana.n.7. p.146
Perſecutio Leovigildi Ariani in Hiſpania.num.22. pag.247
Perſecutio Tyranni Dunaam Apoſtatæ. num. 23. ibid.

*Petrus Apoſtolus.*

Petrus Apoſtolorum coryphetus, & princeps, poſt Aſcenſionem Chriſti propoſuit in Concilio de replendo Sacro Collegio.n.1. p.7
Petrus Eccleſiæ caput Spiritu Sancto repletus plura Judæorum millia prædicatione prima, & ſecunda ad Chriſti fidem convertit.n.2. ibid.
Varia in loca peragrat prædicans ubique evangelium.n.7. p.2
Cornelium centurionem Chriſtiana fide imbuit & Gentilibus aditum in Eccleſiam reſeravit. ibid.
Antiochenam Eccleſiam ſexennio tenuit. ibid.
Romam tandem conceſſit, ut in ſede terreni Imperij ſuprema Chriſtianæ Religionis & poteſtatis Eccleſiaſticæ ſedes conſtitueretur. ibid. & num.9. p.3
Petrus in vinculis per Angelum liberatur. num. 8. pag.3
Multos ad fidem convertit; multaſque Eccleſias fundavit, & Marcum Evangeliſtam Alexandriam tranſmiſit.n.9. p.3
Quis primus clavum Eccleſiæ rexit poſt Petrum? quæſtio ambigua.n.21. & 22. p.6
Petrus tanquam caput Eccleſiæ quamvis per ſe plura ſtatuere potuiſſet, nihil tamen egit ſine conſilio.n.17. p.18
Noluit per ſeipſum Apoſtolum eligere in locum Judæ.n.9. p.153

*Perſonatus.*

Perſonatum habens etiam ſine cura, infra annum ad presbyteratum promoveatur.n.4. p.477
Perſonatum habentem dehoneſtans factis, aut verbis, graviter, quomodo puniatur.n.8. ibid.

*Philippus.*

Philippus plures Judæos in Samaria convertit.n.4. pag.2
Eunuchum Candacis Æthiopum Reginæ baptizat.n.5. ibid.

*Philippus Imp.*

Philippus Gordianorum imperium evertit & invaſit.n.10. p.59
Agelaſtus cognominatus. ibid.
Chriſtianus fuit, & ob patrata flagitia inter Pœnitentes redactus.n.11. p.59
Vnà cum filio à militibus trucidatus. ibid.

*Phocas.*

Phocas audax & facinoroſus centurio adverſus Mauritium Imperatorem exercitum concitat. num.3. 276
Mauritij liberos omnes, ipſumque Mauritium crudeliter iugulat. ibid.
Imperium Rom. invadit, ſegnis in hoſtes, in ſuos crudelis, ab Heraclio tandem ſucceſſore perimitur.n.4.& 5. ibid.

*Photius.*

Photius Eunuchus intruditur in Sede Conſtantinopolitana.n.2.p.349.& n.8. p.545
Qualis fuerit: deſcribitur.n.3. ibid.
Damnatur in Concilio Romano à Nicolao Papa I. n.7. p.550
Conciliabulum convocat in quo auſus eſt regerere anathema in Pontificem. ibid.
Damnatur iterum ab Adriano Nicolai ſucceſſore.n.5.& 8. ibid.
Damnatur tertiò in Concilio generali, calamis Sanguine Chriſti intinctis.n.8. ibid.
Ejus reſponſiones in Concilio.n.6. ibid.

*Picturæ.*

Picturas ab Eccleſia removeri in Concilio Illiberitano quomodo interpretandum.n.12. p.77
Cur in primis Eccleſiæ ſæculis Fideles picturis non utebantur, exponitur. ibid.
Sacras Imagines Eccleſia probat & veneratur. num.23. ibid.
Sacrarum Picturarum ſeu Imaginum cultus benè explicatur. ibid. & n.24. p.78. & n.1.p.314. & ſeqq.
Inter Sacras Imagines quas Eccleſia colit, & idola Gentilium, longa eſt differentia.num 22. & 23. ibid.
Imago Chriſti poteſt repræſentari & coli, etiam ſub ſpecie Agni.n.18. p.199
Salvatoris Imago in Synodo Nicæna ab omnibus ſuppliciter procumbentibus adorata.num.9. pag 307
De cultu Sacrarum Imaginum latè. n. 1. p.314. & ſeqq.
Picturæ quæ ad turpes libidines alliciunt prohibentur, & earum opifices excommunicantur. num.21. p. 99
Vid. *Imago.*

*Pipinus.*

Pipinorum geneſis.n.1. p.300
Pipinus Tertius Francorum Rex. ibid. & num. 8. pag.302
Carlomanno fratri Monachiſmum profeſſo Auſtraſiæ Regi ſuccedit.n.9. p.303
Pipini bellica virtus. ibid.
Deſpecto Chilperico, in eum ſuprema poteſtas transfertur.n.10. ibid.
Stephanum III. Pontificem Rom. ab Aſtulfo Rege dejectum Sedi reſtituit.n.11. p.303
Aſtulphum periurum iterumque Pontificem vexantem inſequitur, & in ſuam poteſtatem redigit, variaſque provincias Eccleſiæ Romanæ tradidit. ibid.
Ejus obitus Pariſiis anno 768.n.11. ibid.
Ipſi ſucceſſit Carolus Magnus. ibid.

*Placentinum Concilium.*

Placentinum Concilium ab Vrbano Papa II. celebratum

Digitized by Google

bratum in aperto & latè patenti campo ſub dio, ob Clericorum & laïcorum confluentium multitudinem per aliquos dies.n.1. p.385
In eo Praxedes Regina Germanorum Regis Henrici uxor à pœnitentiis iniunctis abſoluitur.n.2, ibid.
Philippus Galliarum Rex excommunicatus inducias petiit & obtinuit. ibid.
Oratores Alexij Comneni ſuppetias petentis adverſus Turcas auditi ſunt.n.3. ibid.
*Can.* 1. Quæ de Simoniacis à Sanctis Patribus ſtatuta ſunt, confirmantur. ibid.
*Can.*2. Ordinationes Simoniacæ irritantur.ibid.
*Can.* 3. De Ordinatis non Simoniacè à Simoniacis tolerandis, ſi ſint laudabilis vitæ. p.386
*Can.*4. De Ordinatis ſcienter à Simoniacis.ibid.
*Can.* 5. De parvulis per Simoniam parentum promotis ad beneficium Eccleſiaſticum. num.4. ibid.
*Can.*8. *&* 9. de Ordinatis ab hæreticis. ibid.
*Can.* 10. 11. *&* 12. De Ordinatis à Schiſmaticis.n.6. ibid.
*Can.* 13. Nihil pro Baptiſmo, Chriſmate, ſepultura exigendum.n.7. ibid.

*Pœnitentia.*

Pœnitentiæ publicæ variæ fuerunt ſpecies, quæ declarantur n.1.& ſeqq. p.35
Pœnitentiæ publicæ tres claſſes ex Nicæna Synodo, Auditorum, Subſtratorum, & citra oblationem Communicantium. ibid.
Publicè pœnitentium quatuor ordines diſtingunt alij SS. Patres.n.2. ibid.
Publicè pœnitentium habitus, victus, aſperitates.n.3. p.35
Pœnitentiæ publicæ utrum eſſet adjuncta publica criminis confeſſio? diſtinguitur.n.4.& 5. ibid.
In criminibus occultis occulta ac generalis confeſſio in pœnitentia publica ſufficiebat regulariter. ibid.
Pœnitentia publica in qua publica ſpecialis confeſſio criminis non fiebat, pœnitentem non excludebat ab Ordinibus.n 6. p.36
In Pœnitentiis publicis ſufficit ſecreta peccatorum confeſſio, ex decreto Leonis Magni ſeu Epiſtola ad Epiſcopos Campaniæ, Samnij, & Piceni. num.7. ibid.
Decretum Concilij Carthaginenſis contrarium obſervatur. ibid.
Siricij Papæ Epiſtola duas circa Pœnitentiam publicam Regulas præſcribit.n.8. p.36
Aliter cum Clericis, & aliter cum laïcis agebatur. ibid.
Clerici deponebantur, ſed publicæ pœnitentiæ ad inſtar Laïcorum non ſubjiciebantur, niſi in primis 3.ſæculis, ibid.
Ad quod varia Conciliorum decreta conſiderantur.ibid.& n.9. p.36
Pœnitentibus publicis duplex à Sacerdotibus adminiſtrabatur manuum impoſitio.n.10. p.37
Pœnitentia publica ob tria crimina iniungebatur, infidelitatem, luxuriam, & homicidiũ.n.11. ibid.
Pœnitentes publici, qui Auditores dicebantur, non ſtabant in porticu Eccleſiæ, ſed intra ipſam admittebantur.n.2. p.39
Lugentes ſtabant ad fores Eccleſiæ, cujus limen tranſilire vetabantur.n.2.& 3. ibid.
Pœnitentes Auditores antecedebat aliorum Pœnitentium ordo, qui Subſtrati ſeu Proſtrati dicebantur.n.4. p.39
Vtrique ante Offertorium de Eccleſia diſcedebant. ibid.
Pœnitentia publica pro infandis libidinibus qualis fuerit ex Concilio Ancyrano.n.8. p.96
Pœnitentiæ Sacramentum & confeſſio peccatorum ex Can.2.Synodus Laodicenæ demonſtratur adverſus hæreticos.n.5.p.152 & n.6. p.286
Pœnitentia Clericis lapſis impoſita qualis fuerit ex Concilio Carthaginenſi.n.17.& 18. p.174
Pœnitentes primæ Claſſis ingreſſu Eccleſiæ arcebantur.n.21. ibid.
Pœnitentia eſt medela peccatorum.n.6. p.286
Pœnitentia publica pro delictis tantùm publicis & notis imponebatur.n.6. p.286
Pœnitentium reconciliatio in periculo conſtitutorum, & diebus jejunij, & in Cœna Domini. num.18. p.236
Pœnitentia publica interdum irregularitatem perpetuam & indiſpenſabilem inducebat, interdum non, pro diverſitate delictorum.n.6. p.150
Pœnitentiam profeſſi ad Clericatum penitùs non vocentur: quod declaratur.n.2. p.251
Pœnitentiæ publicæ diſciplina, & Communionis Euchariſticæ ſuſpenſio cum auſteris jejuniis vigebat adhuc tempore Concilij Salegustadienſis anni 1022.n.3. p.377
Pœnitentiæ publicæ relaxabantur per libellos Martyribus porrectos: unde fluxerunt Indulgentiæ à Pontificibus conceſſæ noſtris temporibus.n.3. p.377
Pœnitentiæ falſæ pertur[illegible]t Eccleſiam; & quæ dicatur falſa pœnitentia.n.5. p.385
Pœnitentiæ omnes per ſacram expeditionem in Palæſtinam commutatæ ab Vrbano Pontifice in Concilio Claromontano anni 1095 n.3. p.387
de falſis Pœnitentiis, & ne per illas animæ decipiantur, providetur Can. 22. Concilij Lateranenſis. p.404
Ne pro Pœnitentia Confeſſarij pecuniam exigant.Can. 10. p.462
De Pœnitentiæ Sacramento & dolore de peccatis. num.18. p.591
De peccatis omnibus mortalibus, eorumque circunſtantiis confitendis.n.19. ibid.
Pœnitentia falſa quæ ſit, explicatur.col.1. p.620
Pœnitentiæ Sacramentum cùm ſit ſummæ neceſſitatis, ita etiam Confeſſariis idoneis committendum col.2.n.1. p.622
In aliquo mortis periculo verſantes tenentur illud ſuſcipere.col.1. p.623
Ad Pœnitentiam provocandi turpiter viventes, odia foventes, & ſimiles in peccandi conſuetudine jacentes, ab Epiſcopo, vel Parocho, initio præſertim Quadrageſimæ.col.1. p.623

*Polonia.*

Poloni ad Fidem Chriſtianam converſi. num. 23. pag 166
Magna rerum mutatio in Polonia, anni 1041. num.6. p.370

*Pontifex.*

Pontificum Romanorum à Nicolao I. ad Stephanum VI. vera ſeries ex probatis Authoribus refertur.n.1. p.160
Pontificum quorundam impiorum promotio per tyrannidem malorum Principum ſæcularium, intruſionem, & infamem licitationem, multis cladibus Eccleſiam Dei affecit.n.5. p.361
Pontifices quidam notantur tam Romani, quàm inferiores tãta dignitate indigni.n.25.& ſeqq.p.366
Pontifices

Digitized by Google

Pontifices Romanos eligendi jus Imperatoribus conceſſit Leo in Synodo Romana ab ipſo convocata, Othone præſente & acceptante. n.28. p.367
Quod jus poſtea Joannes abrogavit. ibid.
Henricus II. eo jure uſus Henricianam hæreſim induxit, peſſimumque ſucceſſoribus ſuppeditavit exemplum. n.9. p.371
Pontifices quidam ſimulatè deliquerunt. col.2. p.295. & col.1. p.296.
Vel indebitè ſe ſubmiſerunt. n.2. p.230
Pontifex an poſſit juſtis de cauſis Imperatorem deponere. col.1.p.453.454. & n.1 p.457.
De canonica Pontificis electione. Can.1. p.413. & can.1.p.465. & ex profeſſo n.1. & ſeqq. per totam diſſertationem. p.471. & ſeqq. & num.2. p.565
Electus à duabus partibus Cardinalium eſt verus Pontifex. n.19. & 20. ex decreto Concilij Conſtantienſis. p.507
Pontificis poteſtas. n.3.p.531. & n.4 p.532.
In electione Pontificis nulla ſimonia committatur. n.2. p.565
Pontificis poteſtas & authoritas in omnibus, quæ ad Eccleſiam ſpectant, reſervatur. cap.21.p 609
Pontificis poteſtas & authoritas in confirmandis Concilijs, & Decretis Eccleſiaſticis: & de præcellentia ac dignitate Eccleſiæ Romanæ. n.93. p.610
Pontificis electio in [illegible]ſtate Cardinalium Epiſcoporum. n.1. & 5. p.382. & 383.

*Præbenda.*

Præbenda Præceptorialis in Eccleſia Cathedrali. Can.18. p.416
Præbendæ præceptorialis, & Theologalis, inſtituendæ ad eruditionem pauperum Clericorum. num.16. p.431
Theologalis habetur pro præſente in Choro, ſi ſtudiorum cauſa abſit. ibid.
Et quales ſint eligendi ad talem præbendam. ibid.

*Præcedentia.*

Præcedentia ſeu ordo ſeſſionis in Concilijs. n.6. p.101. & n.13. p.104
Præcedentia & Principatus Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes alias. Can.5. p.428
Præcedentia inter Eccleſias Patriarchales. Can 5. & n.13. 14. & 15. p.428.429
Græcorum ambitio pro præcedentia Sedis Conſtantinopolitanæ, præ cæteris Patriarchalibus. num.13. p.428
Illi conſentit Innocentius III. in Concilio Laterano pluribus rationibus adductus. num.14. p.429
Præcedentia Ieroſolymitanæ ratione originis, ſed non dignitatis. n.15. ibid.
De Cardinalium præcedentia, & præcellentia.n.7. p.566
Controverſias omnes de Præcedentia in Proceſſionibus publicis,&c. Epiſcopus, omni appellatione remota, componat ad vitandum ſcandalum. Cap.13. p.604

*Prædeſtinatiani.*

Prædeſtinatianorum nomine deſignantur Orthodoxi à Semipelagianis. n.1. p.225.& 226
Prædeſtinatianorum hæreſis figmentum eſt Semipelagianorum. ibid. & n.5. p 227
Nec ortum habuit ex Monaſterio Adrumelino. num.3. p.226
Gratia Dei quomodo concurrat cum libero arbitrio. num.2. & 3. ibid.
Prædeſtinatianorum nomen attributum diſcipulis S.Auguſtini. n.1. & ſeqq. p.226
A Goteſcalcho ſuſcitata in Cariſiaco Concilio damnatur Prædeſtinatianorum hæreſis. num.2. p.343

*Præfectura.*

Præfectura veteris Imperij Romani ab initio unica fuit, ſummáque Præfecti prætorio poteſtas. num.2. p.47
Poſtea inter duos æmulos diviſa. ibid.
Tandémque inter quatuor Præfectos partita. ibid.
Præfecturæ illæ in plures diſpertiebantur Diœceſes, quæ à Præfectorum Vicarijs regebantur: unde etiam Vicariæ dictæ. ibid.
Diviſo in duas partes Imperio ſex Diœceſes Imperij Orientalis creatæ ſunt. n.3. & 4. p.47
Sex pariter conſtitutæ Occidentis. n.5. ibid.
Diœceſis Africæ tam Imperialis quam Eccleſiaſtica Metropolis fuit Carthago. ibid.
Illyrici, fuit Sardica, Concilio œcumenico illuſtris. n.6. p.48
Hiſpaniarum Metropolis vaga & incerta, ſiquidem antiquior Epiſcopus Metropolitani jura exercebat. n.7. ibid.
Præfectura omnium prima & præcipua Romæ erat conſtituta. Huic Præfecto parebant etiam ſuburbæ regiones intra centeſimum lapidem. n.8. pag.48
Præfecturam quintam creavit Juſtinianus, ejuſque ſedem Carthagine conſtituit. n.9. ibid.
Vicaria Galliarum primò Treviris, poſtea in Arelatenſi urbe à Conſtantino magno ſtabilita. n.10. ibid.
Cujus rei Inſcriptio vetuſta refertur. ibid.
Vicarias tres intra Galliam perperam comminiſcuntur Savaro, & Scaliger. n.11. p.48

*Præſcriptio.*

Nulla valeat Præſcriptio abſque bona fide. can.41 p.437
Præſcriptio tricenaria, & quadragenaria, & centenaria in rebus Eccleſiaſticis diverſa pro locorum & temporum varietate. n.21. p.222
Non ſicut tricennalis poſſeſſio Diœceſim alienam tollit, ita & territorij conventum. num.13. p.284. Vid. *Res.*

*Precariæ.*

Precariarum uſus frequens olim in Eccleſia. n.22. p.236
Quæ ſint iſtæ precariæ. ibid. p.237
Nullo tempore præſcribuntur. ibid.
Ex illis aliquid præſtabatur Eccleſiæ. ibid.
Interdum duplices Decimæ, quas Nonas-decimas vocitabant. n.7. p.341
Precariarum conceſſio non excedat quinquennium, col.1, initio, p.607.

*Presbyterium.*

Presbyterium dicebatur convocatio Sacerdotum & Diaconorum ab Epiſcopo ad regimen rerum Eccleſiaſticarum. num.1.2. & 3. cum alijs ſeqq. pag.53
Presbyterium ſive Collegium Sacerdotum & Diaconorum Sede Epiſcopali vacante, præfecturam & ſolicitudinem Eccleſiarum aſſumebat. n.2. ibid.
Presbyterium Romanum convocatum à Cypriano. ibid.



Digitized by Google

Presbyterium Hieronymus Senatum Eccleſiaſticum vocat. n.3. ibid.
Presbyterium, ſive Senatus Cleri Romani, ex quibus perſonis componitur. ibid.
Presbyterium Epiſcopale hodie dicitur Capitulum Eccleſiæ Cathedralis. n.2.3.4.& 5. p.53
*Primatus.*
Primatus Lugdunenſis. n.4. p.387
*Princeps.*
Princeps ſecularis inveſtituram de Eccleſiaſticis honoribus non faciat. n.10.p.388. & n.3. p.389
Principes jus conferendi Epiſcopatus & Abbatias uſurparunt in maximum Eccleſiæ detrimentum, à n.1. uſque ad 10. p.199
Sub Tyrannide Principum hæreticorum Prælatis interdum expedit ſervire tempori: ut varijs exemplis demonſtratur. n.2. p.230
Sub Tyrannide malorum Principum Italicorum ingemuit Eccleſia cui præficiebantur indigni ab eiſdem. n.5. p.361
*Probus Imp.*
Probus Tacito ſucceſſit in Imperio, paucîſque annis res maximas bello geſſit. n.4. p.62.63
Pacem ſub ipſo habuit Eccleſia. ibid.
Eo regnante hæreſis Manichæorum orta. n.25. pag.63
*Proceſſio Spiritus ſancti.*
Decretum Fidei de proceſſione Spiritus ſancti à Patre Filióque, in Concilio Lugdunenſi. num.2. & can.1 p.464. 465
Et Diſſertatione 1 per totam. p.471. & ſeqq.
Et in Concilio Forojulienſi. n.1. p.313
Et in Concilio Florentino. n.31.p.514. & n.9. & 10. p.541
*Providentia.*
Providentia divina cauſas creatas & naturales inflectit & dirigit ad finem etiam ſupernaturalem. num.8. p.17
Providentiæ ordo interdum regreſſum ad ſortem requirit. n.11. ibid.
*Provinciæ Eccleſiaſticæ, & Imperij Rom.*
Provinciarum Eccleſiaſticarum notitia plurimum conducit ad hiſtoriam Eccleſiaſticam. n.1. p.46
Provinciæ Eccleſiaſticæ ad normam veteris Imperij Romani diſtributæ: ut declaratur ibid. & num.2.3.& ſeqq. p.47
Provinciæ ſeu Præfecturæ Imperij Romani recenſentur. num.2. & ſeqq. p.47
Vid. *Præfectura.*
Qui Primates in Occidente nominantur, in Oriente à Græcis dicuntur Exarchi n.12. p.48
Provinciæ plures continebantur Diœceſis appellatione. ibid.
Singulæ Provinciæ, ſeu Metropoles, plures Parœcias ſeu inferiores Epiſcopatus complectebantur, qui nunc temporis vocantur Diœceſes. ibid.
Provincijs Eccleſiaſticis Vicarios præficiebat Romanus Pontifex, qui Primates appellantur: & Vicariæ, Primatiæ. n.13. p.49
*Pulcheria* n.18. p.188. & 189.
*Purgatio.*
Purgatio per ferrum candens. n.9. p.356
Purgatio duplex, Canonica, & vulgaris: utraque explicatur. ibid.
Purgatio per aquam zelotypiæ in lege veteri. n.10. ibid.
Purgationis vulgaris varia exempla referuntur. ib.
Purgationes vulgares an quando licitæ.n.11. p.357
Purgatio per duellum, per aquam frigidam, &c. remiſſivè. ibid.
*Purgatorium.*
De pœnis Purgatorij. n.32. p.515
Decretum fidei de Purgatorio in Concilio Tridentino. ſeſſ.25.n.76. p.602

## Q

*Quadrageſima.*
QUadrageſimæ jejunium à S.Ignatio Martyre commendatum. num.13. p.73
Et à S.Ambroſio. ibid.
Quadrageſima tota aridis tantùm veſcebantur Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ. n.22. p.157
Vid *Jejunium.*
Tres olim Quadrageſimæ obſervabantur ſingulis annis. n.6. p.328.& 329
Quadrageſima ineunte quid Epiſcopus inveſtigare & facere debeat, ex Concilio Mediolanenſi. col.1. p.623
Quadrageſimæ & Quinquageſimæ jejunium. n.8. & 9. p.151. & col.1. p.495
Quadrageſimale jejunium diſtrictè obſervandum exceptis quibuſdam diebus. num.5. pag.297. & p.329
*Quæſtores.*
Quæſtores eleemoſynarum repellantur niſi literas Apoſtolicas, vel Epiſcopi Diœceſani exhibeant. Can.62. p.441
Quæſtores ad eleemoſynas deputati quales eſſe debeant. col.1. p.412
Quæſtorum artes doloſæ reprimendæ.n.4. p.529
Denominationes Imaginum Quæſtûs causâ prohibentur. Can.7. p.545
Quæſtores uſurpantes prædicationis officium, ſæpius falſas literas circumferentes, & vagantes ad emungendas pecunias, diligenter examinentur ab Epiſcopis, & ubi opus fuerit reprimantur. n.8. p.548
Quæſtorum officium penitus ſublatum à Tridentino. col.2. initio, p. 29.
Quæſtores Fabricæ Eccleſiæ. col.1. p.456
*Quarta funeralis.*
Quarta funeralis Parochiæ ſolvenda quando quis in Eccleſia aliena ſepelitur. Can. 14. p.376. & n.11. p.491
Recuſans ſolvere quartam funerariam poſt tertiam monitionem tanquam ſacrilegus raptor deponatur. n.5. p.406
Electa ſepultura in alia quàm Parochiali Eccleſia, Parochus habet jus educendi corpus, & percipiendi Quartam funerariam. col.1. p.640

## R

REditus Eccleſiaſtici in quatuor partes diſtributi. col.2. p.405
*Regnum.*
Regnum Ieroſolymitanum. n.7. p.427
Regnum novum in Italia. n. p.
*Regenſe Concilium.*
Regenſe Concilium in Civitate Regienſi ſeu Regenſi celebratum. n.1. p.209
Tria ſunt ejuſdem ferè denominationis oppida, Rhegium Brutiorum, Regium Lepidi, in Italia; & Regium Galliæ Narbonenſis. ibid.
Quæ fuerit cauſa iſtius Concilij convocandi, num.2. ibid.



Digitized by Google

Armentarius contra formam Nicæni Concilij male ordinatus deponitur, & alius Eccleſiæ Ebrodunenſi præficitur. n.3. p.109
Vid. *Armentarius*.

*Regularis. Religio.*

De Diſciplina Regulari, & ne Religioſi aliquid proprium habeant in particulari. cap.1. p.602. & cap.2. p.603
Regularibus omnibus Monaſterijs facultas poſſidendi bona immobilia conceditur, exceptis Capucinorum domibus & Minorum de Obſervantia. cap.3. p.603
Regulares ſine licentia Monaſterio non exeant. cap.4. ibid.
De electione Superiorum Regularium. num.78. & 79. p.603
Parochi Regulares ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi. n.81. p.604
De ætate ad profeſſionem vitæ Regularis. n.82. ibid.
Novitij non poſſunt diſponere inter vivos de bonis ſuis ante duos ultimos menſes novitiatus. Cap. 6. p.604
De libertate ad Religionem profitendam, & ne quis illam violet ſub pœna anathematis. n.83. ibid.
De Reclamatione Regularium adverſus profeſſionem nulliter factam, per vim, aut metum, aut propter defectum ætatis, aut quid ſimile. num.84. p.605
Qua ſolemnitate Profeſſio emitti debeat. col.1. pag.639
Religioſæ vitæ duplex genus, unum Anachoreticæ, alterum Cœnobiticæ. n.7. p.641
Regulares nihil proprium habeant, & vota ſua fideliter cuſtodiant. ibid.
Feſta Diœceſeos celebrent. ibid.
Novitij quomodo & à quibus admittendi. ibid.
Divina Officia ſtatutis horis celebrentur. ibid.
Regulares vagantes ad Monaſteria ſua redire compellantur. n.8. p.642
Ne ſoli cum Monialibus ægrotantibus converſentur. ibid.
Paupertas Religioſa commendatur. n.3. p.651
Regularium ſilentium, obedientia, humilitas, charitas, & aliæ virtutes: & præcipuè Monialium. num 5. p.652
Regulares à Regula nomen ducunt quàm ideo fideliter obſervare debent. ibid.
Divinis debent intereſſe Officijs. n.6. ibid.

*Reliquia.*

Reliquias Sanctorum eſſe venerandas, Conciliorum, & SS.Patrum authoritate probatur. n.13. p.309. ubi plura de cultu Sanctarum Reliquiarum.
Reliquias Sanctorum Copronymus ſuccenſis rogis per fora incendit. n.3.p.306. & col.1. p.309.
Reliquiæ ſacræ quo ritu ſolemnibus quibuſdam diebus geſtandæ ac venerandæ. n.4. p.292
Extra capſam non oſtendantur, neque venales exponantur. Can.62. p.441
Cum honore & reverentia ſerventur. Tit.10. p.640
Templa non debent conſecrari ſine Sanctis Reliquijs. n.12. p.309
In veneratione SS.Reliquiar. omnis ſuperſtitio, omnis turpis quæſtus eliminetur.n.13. p.313. *

*Res Eccleſiæ.*

Rerum Eccleſiaſticarum injuſti invaſores, poſſeſſores, & detentores pœnis Eccleſiaſticis ſubjiciuntur. num.4.p.261. & n.5. & num 3. p.412. ubi latè.
Res Eccleſiæ non alienentur,neque concedantur in emphyteoſim, nec ſubjiciantur laicis abſque aſſenſu Sedis Apoſtolicæ. Can 22. p.469
Res Eccleſiæ alienatæ reſtituantur eidem,& poſſeſſores per cenſuras compellantur. Can.1. p.476
Res ſeu bona Eccleſiaſtica ad pios uſus convertantur. n.7. p.512
Res,Ornamenta,Inſtrumenta Eccleſiæ in Inventario deſcribantur & conſerventur.Can 89.p.576
Res Eccleſiæ quanto tempore præſcribantur. n.21. p.222
Res Eccleſiæ in remunerationem vel ſub annuo cenſu conceſſæ ad tempus ſive Clericis,ſive laicis,nunquam præſcribuntur.n.22. p.236.& 237
Vid. *Precaria*.

*Reſidentia.*

Reſidentia Clericorum in ſuis Eccleſijs præſertim diebus ſolemnibus. n.23. p.237
Reſidentia Epiſcoporum. ibid. & n.10. p.317
Reſidentia Parochorum. Can.9.p.461. & n.3.& 4. pag.487
Reſidentia Prælatorum corporalis in ſuo beneficio. Can.21. p.462
Ad reſidentiam perſonalem Rectores Eccleſiarum compellantur. Can.11.p.569. & n.14.p.573. ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſervandam, & corrigendos per ſeipſos ſubditorum exceſſus. ib.
De Reſidentia Abbatum. n.16. p.573
De Reſidentia obtinentium Dignitates, Canonicatus, & præbendas in Eccleſijs Cathedralibus aut Collegiatis. n.71. p.600
De Reſidentia Paſtorum & Officio ipſorum ex Concilio Provinciali Rhemenſi. n.4.p.616. & ex Tridentino. col.1. p.617
Reſideat Epiſcopus in loco ubi eſt Sedes Epiſcopalis. n.2. p.624
Qui celebrant tempore divini Officij pro præſentibus in Choro.n.2. p.626

*Rhemenſe Concilium.*

Rhemenſe Concilium ſecundum ann.813. ſub Carolo Magno celebratum, præſidente Vvſfario Archiepiſcopo. n.1. p.335
*Can*.17. Ut Epiſcopi & Abbates cum benedictione, & laude Domini, & ſacra lectione, adhibitis ſecum pauperibus cibum ſumant.n.2 ibid.
*Can*.20. Ne Presbyteri de minori titulo ad majorem tranſmigrent. n.3. ibid.
*Can*.26. Ne Clerici vel Monachi bibant in Tabernis. ibid.
*Can*.35. Vt diebus Dominicis nemo opera ſervilia perficiat, neque mercata, &c. ibid.
Rhemenſe Concilium ann.1148. adverſus hæreſes Giliberti, cujus falſa dogmata referuntur. n.1. pag.408
Iſtud Concilium fuit celeberrimum ab Eugenio III. Pontifice cui ipſe præſedit convocatum. num.2.3. & 4. ibid.
Aſſertiones Catholicæ ſub nomine Symboli Fidei à Pontifice confirmatæ. n.2. ibid.
Propoſitiones Giliberti in hoc Concilio damnatæ fuerunt; ipſeque Gilibertus errores ſuos humiliter agnovit, veniam petijt, & ore proprio refutavit. n.3. p.408
*Can*.1. Nemo ſcienter communionem habere debet cum excommunicato. ibid.

*Can*.2.

*Can.*2. De vita & modeſto veſtitu Clericorũ. ib.
*Can.*3. Subdiaconus uxorem ducens, aut concubinam retinens, officio & Eccleſiaſtico beneficio careat. p.409
*Can.*4. De reformatione Monialium. ibid.
*Can.*5. De foro Eccleſiaſtico judiciali. ibid.
*Can.*7. De continentia Clericorum. ibid.
*Can.*8. De Decimis Eccleſiæ præſtandis, nec à laïcis retinendis. p.409
*Can.*10. Ut unaquæque Eccleſia proprium habeat Sacerdotem. ibid.
*Can.*11. De ſecuritate publica Fidelium. ibid.
*Can.*13. Ne quis violentas manus in Clericum injiciat. ibid. p.410
*Can.*14. De immunitate confugientium ad Eccleſias. ibid.
*Can.*15. Incendiarij anathemate percelluntur. ib.
*Can.*16. Nihil pro Chriſmate, oleo ſacro, & ſepultura exigatur. ibid.
*Can.*18. Excommunicantur fautores hæreticorum. p.410
Remenſe Concilium Provinciale à Carolo Lotharingo Cardinali Archiepiſcopo Remenſi celebratum anno 1564. n.1. p.616
*Statuto* 1. Monentur Beneficiati ut in Eccleſijs ſuis reſideant, aut renuntient illis, aut idoneos nominent ab Epiſcopis inſtituendos qui illarum curam ſuſcipiant. n.3. ibid.
*Statuto* 3. Vt Parochi invitent ſuos Parochianos ad ſuſcipienda Sacramenta cum fide, reverentia, & devotione. p.617
*Statutum* 6. Decernit ut Rectores Eccleſiarum parochialium ſcandaloſè viventes, Coadjutores accipiant, atque etiam contumaces deponantur. ibid.
Congregatione 13. ſtatutum fuit ut dies Dominici & Feſtivi religioſè obſerventur, & plebs divinis aſſiſtat Officijs, omnéſque pijs operibus vacent. n.5. p.618
Remenſe Concilium à Ludovico Lotharingo Guiſio Cardinali & Archiepiſcopo Remenſi celebratum anno 1583. n.1. p.632
*Tit. de Diebus feſtis, cap.*5. Ne diebus feſtis nundinæ & auctiones publicæ fiant. ibid.
*Tit. de Baptiſmo, cap.*3. De officio ſuſceptorum ſeu Patrinorum erga eos quos de ſacro fonte levarunt. n.1. ibid.
*Cap.*7. Epiſcopus in ſua Diœceſi, Parochus in ſua parochia, Beneficiatus in ſui beneficij loco, Monachus & Monialis abſolutè in ſuſceptores de ſacro fonte aſſumi non debent. ibid.
*Cap.*8. Vt Baptizandis nomina paganorum non imponantur. ibid.
*Cap.*9. Parochus inquirat utrùm infans domi fuerit baptizatus, & qua aqua, quibuſve verbis. ibid.
*Tit. de Sepulturis, cap.*4. Cerei funebres regulariter ad Parochos ſpectant. ibid.
*Cap.*7. Nihil prophanum in Cœmeterijs committatur. ibid.
*Cap.*8. Quid liceat, necne, in tumulis Fidelium erigendis. p.632
*Cap.*13. Quibus Eccleſiaſtica ſepultura denegetur. n.4. ibid.
*Cap.*14. Per ſepulturam hominis excommunicati, vel infidelis polluitur Eccleſia, vel Cœmeterium. n.5. p.633
Pollutâ Eccleſiâ, Cœmeterium contiguum eſt pollutum, non vice verſa. ibid.
*Tit. de Clericis:* Vt Clerus ſuæ vocationi fideliter reſpondeat, & virtutis exemplo cæteris præluceat. ibid.
*Cap.*1. Ne Clerici ſe ſuamque operam laïcis addicant in rebus ſæcularibus & prophanis. ib. pag.633
*Cap.*3. Ne poſſeſſiones alienas conducant. n.6. ibid.
*Cap.*4. A crapula & ebrietate abſtineant. n.7. ibid.
*Cap.*5. Continentiæ ſint amantes: & concubinarij ſecundùm ſacros Canones coërceantur. num.8. ibid.
*Cap.*6. Alea, venationes, omniáque ludorum genera indecora Clericis interdicuntur. num.9. p.634
*Cap.*7. Clerici & morum probitate, & exteriore cultu cæteris modeſtiæ exemplo eſſe debent. num.10. ibid.
*Cap.*8. Tonſura Clericali pro qualitate gradus & Ordinis in capitis vertice inſigniantur. n.11. ibid.

*Rhotadus.*

Rhotadus Sueſſionum Epiſcopus ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo injurioſè deponitur & in Monaſterium detruditur, contempta appellatione ad Summum Pontificem. n.1. p.344
Nicolaus Papa ad ſuam Sedem evocat judicium, nec ei obtemperatur. ibid.
Rhotadum abſolvit in Concilio Rom. an.865. & Epiſcopatui ſuo reſtitui mandat, reſciſſis omnibus contra ipſum decretis in Pſeudoſynodo ab Hincmaro convocata.
Hincmarus ægrè judicio Nicolai Papæ acquieſcit. ibid.

*Ritus.*

Ritus in conſecrandis Diaconiſſis. n.1. & ſeqq. p.25
In velandis Virginibus Deo dicatis. n.1. & ſeqq. pag.27
In Baptiſmo conferendo in primitiva Eccleſia. num.1. & ſeqq. Vid. *Baptiſmus.* p.28
In ſacroſancta Euchariſtia adminiſtranda. n.1. & ſeqq. p.29
Vid. *Euchariſtia.*
Ritus Agaparum inter Fideles. num.1. & ſeqq. pag.32
Ritus literis formatis ſeu Canonicis utendi inter Fideles. n.1. & ſeqq. diſſert.7. p.32
Vid. *Litera.*
Ritus publicarum pœnitentiarum priſcorum Chriſtianorum. n.1. & ſeqq. p.35
Vid. *Pœnitentia.*
Ritus adminiſtrandi Ordines. n.1. & ſeqq. p.37
Vid. *Ordo.*
Ritus conſtruendi Eccleſias, ſive quo ſitu & ordine fierent. n.1. & ſeqq. Vid. *Eccleſia.* p.39
Ritus Eulogiarum. num.1. & ſeqq. p.43
Vid. *Eulogia.*
Ritus & origo veterum Eccleſiæ jejuniorum. n.1. & ſeqq. p.55
Vid. *Ieiunium.*
Quo ritu ſacroſancta Euchariſtia recipienda. num.22. p.299
Vid. *Euchariſtia.* Vid. *Communio.*
Rituales libri præſcribentes uſum ſeu ritum in adminiſtrandis Sacramẽtis, & maximè Sacramento Pœnitentiæ, an ſint neceſſariò obſervandi. num.1. p.176
In utraque Eccleſia Græca & Latina. ibid.

ZZzz 2 Ritus

Ritus diverſi in Eccleſia Orientali ab Eccleſia Romana approbati. num.2.p.177. & num.5. 6. 7. p.178
Ritus diverſos pro locis & temporibus in quorundam Sacramentorum adminiſtratione induxit Eccleſia, ut probatur inductione. ibid. & n.3. & ſeqq. p.177. & n.8. p.179
Ritum Metropolitanæ Eccleſiæ in divinis Officijs inferiores tenere debent. n.2. p.290

*Robertus.*

Robertus Tancredi Altavillani filius ac præcipuum decus ſuæ ſtirpis multa egregia edidit facinora. n.11. p.372
De Eccleſia Romana optimè meritus Græcos rebellantes ab Italia repellens, Terras Eccleſiæ bello recuperatas ſub annuo cenſu ipſi pendendo recepit à Nicolao Papa in dominium. ibid.
Robertus Apuliâ excedens bellum in Sicilia adversùs Saracenos infert, univerſamque ſibi ſubjugat inſulam. n.12. p.372
De Imperio Orientis cogitat adverſus Alexium Comnenum, illúdque debellata impia gente ſibi vindicaſſet, niſi ſtudio defendendi Gregorij Pontificis ad extrema redacti ab Henrico Imperatore Occidentis, à feliciſſimis cœptis deſtitiſſet. n.13. p.373
Gregorio Pontifice ab ipſo liberato, iterum expeditionem parat in Græcos, & parta victoria moritur. n.14. ibid.

*Rogationes.*

Rogationes, ſive Litaniæ ante Aſcenſum Domini præmiſſo triduano jejunio celebrantur. num.9. p.151
A quo fuerint inſtitutæ. ibid.

*Romana Concilia.*

Romana duo Concilia ſub Felice III. Pontifice, an.Chriſti 483. & 484. in primo Felix tres Legatos ad Acacium Epiſcopum Conſtantinop. Eutychianum qui Joannem Talaidam Sede Alexandrina deturbaverat authoritate Zenonis. num.1. p.219
In ſecundo duo Legati prævaricatores ex tribus, quos Felix Pontifex miſerat, ſimulque Acacius exauthorantur, & excommunicantur. ibid.
Romana Concilia extemporanea, & popularia ſeu privata ad occurrentes quaſdam difficultates decidendas collecta. n.1. p.260
Romanum Concilium in æde Lateranenſi convocatum an.1059. à Nicolao II. Pontifice, in quo Berengarij hæreſis damnata eſt. n.1. p.382
*Can.*1. De Summo Pontifice à Cardinalibus canonicè eligendo. ibid. & can.13.n.5. p.383
*Can.*2. Ut nemo invadat facultates Pontificis Romani defuncti, vel aliorum Epiſcoporum. p.382
*Can.*3. Ut nullus Fidelis Miſſam Presbyteri concubinarij audiat : ubi etiam incontinentia Clericorum perſtringitur. n.2. p.382
*Can.*4. De communi Clericorum vita & convictu. n.3. ibid.
*Can.*5. De Decimis, & Primitijs fideliter præſtandis. ibid.
*Can.*6. Ut per laïcos nullo modo Clericus Eccleſiæ præficiatur, nec gratis, nec pretio. n.4. ibid.
Romana obſidio per Arnulphum, qui ridiculo eventu urbem capit. n.24. p.314

*Rotomagenſe Concilium.*

Rotomagenſe Concilium habitum eſt anno 1445. num.1. p.545
*Can.*3. Damnantur omnes libelli ſeu tractatus artium Magicarum & divinatoriarum. num.2. ibid.
*Can.*4. Pœnæ contra Blaſphemos. n.3 ibid.
*Can.*6. Sortilegi & invocatores dæmonum damnantur. n.4. p.545
*Can.*7. Superſtitioſæ denominationes Imaginum quæſtus cauſâ reprobantur. ibid.
*Can.*10. De Confeſſione & Communione Paſchali. n.5. ibid.
*Can.*13. Scholæ idoneis perſonis cõmittantur. p.546
*Can.*14. Beneficia benemeritis conferantur. ibid.
*Can.*15. De examine Ordinandorum. n.6. ibid.
*Can.*17. Ne pro Miſſis celebrandis turpes pactiones fiant. ibid.
*Can.*18. De reſidentia & officio Parochorum. ibid.
*Can.*21. Pœnæ adverſus Clericos concubinarios. num.7. p.547
*Can.*22. Cohabitatio Clericorum cum mulieribus ſuſpectis prohibetur. n.8. ibid.
*Can.*24. Ne quis citetur in judicio niſi præmiſſa informatione, neque propter contumaciam excommunicetur niſi in ſcriptis, &c. n.9. ibid.
Rotomagenſe Concilium à Principe Regiæ ſtirpis Carolo Borbonio Cardinali & Archiepiſcopo ac Primate celebratum anno 1581. n.1. & ſeqq. p.628
Rotomagenſis Eccleſia Primatiæ titulo nobilitata. n.4. p.629
*Tit. de cultu divino, art.*6. Ut Dies Feſti religioſè celebrentur, rejectis nundinis alijſque prophanis in alios dies. n.5. p.629
*Ibid cap.*9. Ut ab Eccleſia colloquia prophana & ſimilia quæ loci ſanctitati non conveniunt procul exulent, & arceantur. n.6. ibid.
*Tit. de Sacramentis, cap.*3. De infantibus recèns natis quamprimùm baptizandis. p.630
*Tit. de Sacramento Confirmationis.* Ut Epiſcopi per oppida ſe conferant ad Sacramentum Confirmationis plebi ſuæ miniſtrandum. ibid.
*Tit. de Matrimonio, cap.*6. Malitioſis denuntiationibus ad impediendum matrimonium ítur obviam, & ex juſta cauſa à publicationibus diſpenſari poteſt. ibid.
*Ibidem cap.*13. Ut matrimonia ſine metu & coactione ſed cum plena libertate contrahantur: monentur tamen Parochi ne filiosfam. invitis parentibus facilè admittant, nec vagos & ignotos homines. n.7. ibid.
*Tit. de Epiſcopis, & Capitulis.* De Sanctis & idoneis Viris Dignitati Epiſcopali præficiendis per Electionem, vel per Nominationem Regiam. num.8. p.630
*Ibidem cap.*15. De bono exemplo à Canonicis Cathedralium Eccleſiarum exhibendo. num.9. ibid.
*Cap.*36 Ne Prælati ſine conſenſu Capituli, vel Capitulum ſine licentia Prælati res Eccleſiæ alienent. n.10. p.631
*Tit. de Epiſcoporum officio.* De extirpandis ſimonijs & confidentijs. n.11. ibid.
De forma à Tridentino Epiſcopis præſcripta in conferendis Ordinibus ſervanda. num.12. & 13. ibid.
*Ibid. cap.*14. Ut de Simonia in confeſſionibus diligenter inquiratur, cùm ſit caſus reſervatus Pontifici. n.14. ibid.
*Ejuſdem Tit. art.*21. Pœnæ conſtituuntur adverſus confidentiarios beneficiorum. n.15. p.631

*Sacerdos.*

Digitized by Google

*Sacerdos.*

Qui habent Perſonatus, vel beneficia curata, ad Sacerdotium promoveri compellantur infra annum.n.4. p.477

Sacerdos à Miſſæ celebratione ſuſpenſus, diebus Dominicis & feſtis, Sacram Communionem ſumat.tit.14. p.613

*Sacramentum.*

Ritus adminiſtrandi Sacramenta in Eccleſia tam Græca quàm Latina obſervandi, & ſcitu neceſſarij ad varias difficultates ſolvendas & conciliandas.n.1. p.176

In forma Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, an ſit neceſſaria expreſſio primæ perſonæ. ibid.

Non eiſdem ſemper formulis Eccleſia uſa eſt in adminiſtrandis quibuſdam Sacramentis. n.2. & 3.p.177.Ex poteſtate ei conceſſa. num.6.7. & 8. pag.178

In Sacramento Ordinis frequenter mentio fit manuum impoſitionis, non traditionis inſtrumentorum.n.4. p.178

Græcorum ritus & ordinationes confirmarunt Romani Pontifices.n.5. p.178

Sacramenti Ordinis conferendi forma à Chriſto Domino Apoſtolis tradita.n.6.& 7. ibid.

Sacramenta tria ſunt in quibus poteſtas à Chriſto Eccleſiæ conceſſa conſpicua eſt. num.6. 7. & 8. ibid. & p.179

Sacramenta Altaris non niſi à jejunis celebrentur. Can.29. p.168

Ad Sacramenta ſuſcipienda fidelis populus cum fide,reverentia, & devotione accedat.Statuto 3. p.617

*Sacrificium.*

Sacrificium Euchariſticum.n.4. p.117

Sacrificium ab Epileptico inchoatum quomodo perfici debeat ab alio Sacerdote.Can.14. p.291

*Salegustadium.*

Salegustadienſe Concilium anno 1022. celebratum.n.1. p.376

*Can.* 8. Vt nemo gladium in Eccleſiam portet, excepto Regali. ibid.

*Can.* 9. Ne prophana habeantur colloquia in atrio Eccleſiæ. ibid.

*Can.*12. Vt laïcorum ædificia Eccleſiis adjuncta tollantur.ibid. p.377

*Can.*13. Ne laïci Clericos Eccleſiis præficiant ſine conſenſu Epiſcopi & approbatione.num.2. ibid.

*Can.* 18. De pœnitentia publica ſuſcipienda à proprio Sacerdote.n.3. ibid.

*Sanctimoniales.*

Sanctimonialium duo genera olim in Eccleſia, quæ ſe perpetuæ continentiæ voto adſtringebant, Diaconiſſarum ſcilicet, & Virginum. num.1. p.27

Vid *Diaconiſſæ.*

Sanctimoniales ſemel Deo conſecratæ nuptiis interdicuntur.col.1. p.222

Sanctimoniales quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, illas docere debent. num.7. p.171

Sanctimonialium duæ olim ſpecies.n.5. p.262

Sanctimonialium irregulariter viventium pœna. Can.4. p.409

Vid. *Moniales*. Vid. *Virgines*.

*Sanctuarium.*

Sanctuarium Eccleſiæ deſcribitur.n.9. p.40

In Sanctuario erat Tabernaculum ſeu Ciborium, & Altare. ibid.

Sanctuarium à reliqua Eccleſia mediis cancellis erat diviſum.n.10. p.41

In Sanctuarij meditullio erat Altare. ibid.

In Sanctuario, præter intermedium Altare, geminæ hinc inde menſæ collocatæ erant. n.12. ibid.

Per interiorem Sanctuarij circuitum diſpoſitæ erant exhedræ pro Sacerdotibus, atque his editior Cathedra Epiſcopalis.n.13. ibid.

Vid. *Cathedra.*

Sanctuarium ſupernè coronabatur abſide, ſeu arcu fornicato, in cujus fronte erant duo Paſtophoria ſive Secretaria hinc inde collocata. n.14. pag.41

Ad Sanctuarij latus eratReconditorium Sacræ Euchariſtiæ.n.15. p.42

Sanctuarium ingredi Solis Clericis in Sacris Ordinibus conſtitutis licebat.n.17. ibid.

*Saraceni.*

Saracenorum excurſio in Aſiam, & Cappadociam.n.1.p.430.& Judæam.n.2. p.426

A Leone Imperatore Iconoclaſtæ profligantur. ibid.

A Juliano Comite in ultionem injuriæ ſibi illatæ à Roderico Hiſpaniarum Rege, evocantur.n.6. p.302

Occiſo Roderico univerſam Hiſpaniam invadunt præter Aſturiam & Cantabriam. ibid.

In Gallias etiam ſe ſe effundunt, donec à Francorum Rege Carolo Martello ingenti clade deleti ſunt.n.7. ibid.

Saracenorum immanitas in Monachos Caſſinenſes, & Prumienſes.n.1. p.360

Italiam innumeris cladibus conflictarunt. n. 4. ibid.

In Hiſpania à Ramiro Rege profligati.num.24. p.366

Saraceni, unde dicti.n.1. p.426

*Sardicenſe Concilium.*

Sardicenſe Concilium Oecumenicum Julij Rom. Pontificis authoritate convocatum ſub imperio Conſtantis inquod convenerant etiam 76.Epiſcopi Ariani, qui cauſæ ſuæ diffiſi, furtim receſſerunt Philippipolim, & citati juridicè detrectarunt adeſſe.n.1.2.& 3. p.138

*Can.*1. Pœna ſtatuitur in Epiſcopos tranſilientes de Epiſcopatu ad alium propria authoritate. num.4. p.138

*Can.*3. Epiſcopus ab alio advocatus in provinciam vocantis tranſire poteſt.n.5. p.139

Vt Appellationes Epiſcoporum ad Apoſtolicam Sedem emittantur.n.6. ibid.

*Can.* 4. Epiſcopo depoſito, non priùs alius in ejus Cathedram ſubſtituatur quàm Romanus Pontifex cauſa cognita ſententiam tulerit. n. 7. ibid.

*Can.*5. De Epiſcopis accuſatis à Pontifice Rom. judicandis ſi ad illum provocaverint, vel ad comprovinciales Epiſcopos remittendis.num.8. pag.140

*Can.*6. Vbi Epiſcopus ordinari debeat. ibid.

*Can.*7. *al.* 8. Ne Epiſcopi paſſim ad comitatum pergant.n.9. p.140

Niſi à Principe fuerit acceſſitus,obtentis à Metropolitano literis,&c.Et de officio Epiſcopi.ib.

*Can.*10.*al.*13. Ne quis ad Epiſcopatum promoveatur niſi priùs Lectoris, Diaconi, & Presbyteri miniſterio functus fuerit.n.10. ibid.





Digitized by Google

Et de ſervandis interſtitiis : & de ætate ordinandorum.ibid. p.141
*Can.*13.*al.*16. Clericus à ſuo Epiſcopo excommunicatus, ab alio non ſuſcipiatur.n.11. p.141
*Can.*11.*al.*14. Ne Epiſcopus in aliena provincia diutiùs ſine neceſſitate immoretur.n.12. ibid.
*Can.*15 *al.*19. Ne Epiſcopus ſibi non ſubditum ordinare præſumat ſine conſenſu proprij Epiſcopi.n.13. ibid.
*Can.*16.*al.*20. Vt extranei Clerici apud Theſſalonicam non immorentur.n.14. p.142
Canones iſti in quibuſdam Codicibus Canonibus Concilij Nicæni, vice Appendicis adjunguntur. ibid.

*Schiſma.*

Schiſma, quod primum legitur in Eccleſia Dei contigiſſe, fuit adverſus Cyprianum, Carthaginis Epiſcopum & Africanarum Eccleſiarum Primatem à Feliciſſimo Sacerdote excitatum. num.14. p.60
Ex hoc infelici germine Schiſmata Novatianorum & Donatiſtarum pullularunt. ibid.
Schiſma Novatianum adverſus Cornelium Papam excitatum ſtrenuè oppugnarunt Cyprianus Carthaginenſis, & Dionyſius Alexandrinus Sanctiſſimi Præſules.n.15. ibid.
Schiſma Donatiſtarum.n.2.p.81.& n.8. p.85
Schiſma Meletianorum Meletium authorem habuit Lycopolis in Ægypto Epiſcopum. num. 9. pag.85
Schiſma inter Joannem XII. & Leonem VIII. num.28. p.367
Schiſmaticum decretum Leonis de Romano Pontifice eligendo ab Imperatoribus multas Schiſmatum & bellorum clades induxit. ibid.
Schiſmata multa orta ſunt ex ambitione & ſuperbia variorum Præſulum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. n.8. p.163. n.10.p.164 & alibi ſæpius.
Schiſma ortum occaſione Edicti Henotici.num.7. pag.240
Schiſma inter Innocentium II. & Petrum Leonis ſive Anacletum II. n.7.& multis ſeqq. p.391
Schiſma adverſus Gelaſium per vim ab Henrico IV. Imperatore expulſum.n.7. p.400
De Schiſmate inter Innocentium II. & Petrum Leonis iterum agitur.n.2. p.402
Schiſma adverſus Alexandrum III.n.1. p.410
Schiſma inter Vrbanum V. & Clementem VII. Avenione Sedentem, quod annos fere 40. perduravit.n.13.p.481.& n.1.& 2. p.500
Aliud. n.4. p.501. pro quo ſedando Concilium Piſis indicitur.n.5.& aliis ſeqq. p.502
Aliud poſt mortem Petri de Luna.col.2. p.527
Schiſma ortum in Concilio Baſileenſi adverſus Eugenium IV. n.1.& 2. p.531
Schiſma Anglicanum ab Henrico VIII. Anglorum Rege invectum.n.16.p.557.n.17. p.558

*Schola.*

Scholarum Vrbis Romæ privilegia & immunitates.n.10. p.456
Scholarum Romanæ Curiæ, Pariſienſis, Oxonienſis, Bononienſis, & Salamanticenſis Profeſſores ſint competenter ſtipendiati. num. 14. pag.491
Duo de qualibet Metropolitana, & Cathedrali Eccleſia, ad Theologiæ, vel juris Canonici ſtudium tranſmittantur,& ſic deinceps Can.III. p.49 .& n.3. p.571
Scholarum & Seminariorũ neceſſitas, pro quorum inſtitutione poſſunt uniri beneficia ſimplicia.n.51.p 596. Vid. *Seminaria.*
Scholæ perſonis ætate, ſcientia & moribus probatis committantur.Can.13.p.546 & n.3. p.571
Scholarum & ſtudiorum inſtauratio eſt optimus modus reformandi mores & diſciplinam Eccleſiaſticam : & qua ratione ſtudiis vacandum.n.3. pag.571

*Scriptores Eccleſiaſtici.*

Scriptores Eccleſiaſtici ſecundi ſæculi deſignantur.n 10. p.23
Scriptores Eccleſiaſtici inſignes Tertij ſæculi recenſentur.n.31. p.64
Scriptores Eccleſiaſtici celeberrimi, ſæculi quarti.n.39. p.94
Scriptores Eccleſiaſtici illuſtriſſimi, ſæculi quinti.n.30. p.192
Scriptores permulti celebres qui ſæculum ſextum illuſtrarunt.n.25. p.248
Scriptores Sacri, ſæculi ſeptimi recenſentur.n.14. pag.279
Scriptores qui ſæculum octavum doctrina ſua illuſtrarunt.n.16. p.305
Scriptores multi Eccleſiaſtici floruerunt ſæculo nono.n.2. p.324
Scriptores ſæculi decimi referuntur.n.32. p.368
Scriptores Sacri qui ſæculum undecimum illuſtrarunt.n.18. p.375
Scriptores qui ſuis operibus ſæculum duodecimum illuſtrarunt, multi recenſentur. num. 23. pag.397
Scriptores permulti referuntur qui ſæculum decimum tertium Scriptis eruditis exornarunt.n.18. p.414.& ſeqq.
Scriptores aliquot celebres Theologos protulit ſæculum decimum quartum qui deſignantur. num.22. p.485
Scriptores eruditi qui *ſæculo decimoquinto* Eccleſiam illuſtrarunt, notantur. n.44. p.519
Scriptores permulti ſæculi decimiſexti.n.34. p.564

*Secretarium.*

Secretaria duo hinc inde poſita in Sanctuario Eccleſia.n.14. p.41
Secretarium erat quæ nunc vocatur Sacriſtia.ibid.
Secretarij vocabulum diverſa ſignificat tam apud Juriſperitos, quam Eccleſiaſticos Scriptores. num.16, p.42
Secretarium aliquando pro ipſo Sanctuario ſumitur.n.9.p.40.& n.16.& 17. p.42

*Sedes.*

Prima Sedes à nemine judicatur : ut ſtatutum fuit in Concilio Sinueſſano.n.3.p.80. & col.1.p.509
Ratio aſſignatur.n.5. p.80
Hoc ipſum decretum fuit repetitum & canonizatum in diverſis Conciliis, ut notatur. ibid.
Sedem Romanam etiam Ariani in veneratione habuerunt & judicio ipſius, decreta ſua approbari affectarunt : adverſus Græcos Schiſmaticos, & hæreticos noſtrorum temporum.n.8.9. & 10. & 11. p.131
Sedes Romana ſupremum agnoſcitur in univerſas Eccleſias Tribunal.n.11. ibid.
Sedis Romanæ dignitas & prærogativa præ cæteris omnibus.n.3. p.162
Sedes Romana centrum eſt Eccleſiaſticæ unitatis & vinculum concordiæ Eccleſiarum. n. 10. pag.164
Sedes Romana Sacerdotalis dignitatis mater, & magiſtra veritatis.Can.30. p.357

Sedium

Sedium Patriarchalium præcedentia & privilegia. Can.5. & n.13 14. & 15. p.428
Sedis Rom. tranſlatio. n.4. p 479

*Seminaria.*

Seminaria minorum Clericorum jamdudùm inſtituta. n.7. & 8. p.181
Erant olim Scholæ in quibus Clerici juniores ſub Magiſtri educatione communiter vivebant, num.3. p.333
Seminaria ad explorandos mores, indolem, & ingenium Ordinandorum nunc temporis inſtituta in Gallia. n.2. p.335
Quatuor Seminariorum Eccleſiaſticorum genera obſervantur. n.4. p.336
Seminaria Clericorum in Monaſterijs inſtituta olim, n.5. ibid. & p.337.
Seminaria & Scholas Epiſcopi inſtituant. num.2. p.337. & n.51.p.596.
De illorum neceſſitate & fundatione. ibid.
Seminaria ſanctiſſimè inſtituta ad explorandos & præparandos eos qui ad Cleri dignitatem aſpirant. n.4. p.644.& 645

*Semipelagiani.*

Semipelagianorum impoſturæ, doli, vaſtrities, ad incautos decipiendos. n.1. & ſeqq. p.225
Semipelagianorum errores refellunt Auguſtinus, Proſper, & Fulgentius, Viri ſanctiſſimi & doctiſſimi. n.2. & ſeqq. p.226
Exiſtimabant prædeſtinationem ab Auguſtino aſſertam ſtare non poſſe cum libero arbitrio. ibid.
Semipelagianorum anteſignani Caſſianus, Gennadius, & Fauſtus. n.4. 5. & 6. p.227
Semipelagianorum condemnationes quæ Arauſicanam Synodum præceſſerunt, obſervantur. n.1. & ſeqq. p.257
Et ideo excuſari non poſſunt, quicquid aliqui ſenſerint. ibid.
Arauſicano Concilio, & Epiſtola Bonifacij II. penitùs condemnati. n.1. & ſeqq. p.254

*Senenſe Concilium.*

Senenſe Concilium celebratum eſt anno 1423. ſub Martino V. quod indictum fuerat in civitate Papienſi, ſed ob peſtem ingruentem in Senenſem fuit tranſlatum. n.1. p.526
Brevi fuit diſſolutum propter metum Schiſmatis quod Alphonſus Rex Aragonum Pontifici infenſus moliebatur: & res decidendas tranſmiſit in aliud poſt ſeptennium ex decreto Synodi Conſtantienſis celebrandum. ibid.

*Senonenſe Concilium.*

Senonenſe Concilium anno 1140. celebratum adverſus hæreſes Petri Abælardi. p.407
S.Bernardus ab hæretico Abælardo provocatus comparuit plenus ſapientia & fortitudine, cujus ſpiritui ſuperbus Abælardus reſiſtere non potuit. ibid.
Synodus Abælardi propoſitiones hæreticas damnavit. ibid.
Vid. *Abailardus.*
Senonenſe Concilium anni 1485. n.1. p 547
*Art.*1. *cap.*1. De ritu celebrandi divini Officij in Eccleſia. n.2. p.548
*Art.*2.*cap.*1. De reſidentia Epiſcoporum, num.3. ibid.
*Cap.*5. Concubinatus prohibetur. n.4. ibid.
*Cap.*6. De habitu & tonſura Clericorum. n.5. ibid.
*Cap.*7. & 8. De vita & honeſtate Clericorum, num.6. & 7. ibid.
*Cap.*9. de Quæſtoribus eleemoſynarum non approbatis coërcendis & inhibendis. n.8. p.548
*Art.*3. De reformatione Religioſorum. num.9. p.549.
*Art.*4. De officijs & obligationibus laïcorum. num.10. ibid.
Vt ſtatuta Eccleſiaſtica in Eccleſijs publicentur. n.11. ibid.

*Sepultura.*

Sepulturæ ſive ſepulchri proprij jus an & quomodo acquiri poſſit. n.9, p.342
Sepulturam pretio vendere non licet, nec gratiam Dei venalem facere. n.7.p.356.& n.3. p 358
Olim in Eccleſiis Fidelium cadavera, præterquam Martyrum, non ſepeliebantur, ſed in atriis, vel Cœmeteriis.n.3. p.358
Nihil pro ſepultura exigendum à Clericis, ſed laudabilis laïcorum conſuetudo erogandi eleemoſynam pro exequiis ſervanda.n.40. p.442
Sepultura eligi poteſt in Eccleſiis Prædicatorum, & Minorum.n.11. p.491
Non tamen ipſi ſuadeant ut eligatur.n.17.p.492
Ne quis in poſterum ſepeliatur niſi duodecim ſaltem horis poſtquam ſpiritum exhalaverit, & ex morte repentina poſt 24.horas.tit.17. p.625
Sepultura Eccleſiaſtica privantur hæretici, & alij gravioribus delictis obſtricti, qui enumerantur. num.4. p.632
Sepulturam in Eccleſia nemo jure proprio ſibi vindicare debet, cùm ſit jus ſpirituale. col. 1. pag.639
Nullius etiam tumulus altiùs erigatur, niſi fortè Prælatorum, vel Principum, in Eccleſiis. n.3.p.640.& cap.8. p.632
Sepultura ſi fuerit electa in alia quàm parochiali Eccleſia Parochus jus habet educendi corpus, & deducendi ad Eccleſiam electam, & percipiendi Quartam funerariam.col.1. p.640
De Cœmeteriis ad ſepelienda Fidelium corpora,ibid.& col.2. p.632
Sepultura in Eccleſiis olim non permittebatur, ſed in locis contiguis.n.3. p.168

*Simon Magus.*

Simon Magus miraculorum dónum à S. Petro mercari voluit, & primus hæreſiarcha evaſit, num.4. p.2
Simon Magus Neronis amicitiam maleficis artibus ſibi conciliat.n.20. p 6
Precibus S.Petri, in aërem à dæmonibus ſubvectus præceps deiicitur, & toto corpore eliſus miſerè interiit. ibid.

*Simonia.*

Simoniaci Clerici vel Laïci quibus pœnis ſubjiciantur.n.14. p.289
De Simonia in Religionis ingreſſu.n.7.p.317.& Can.6. p.411
In Ordinatione.cap.19.p.327.& n.3. p.385
Simonia interpretativa quibus pœnis ſubjiciatur. num.4. p.386
Simoniaca exactio pro miniſtrandis Sacramentis prohibetur. n.1.p.401.Can.16.p.410. & Can.7. p.414.& Can.20. p.462
Simonia an & quando committatur in dote exigenda pro Monialibus recipiendis, latè diſceptatur, à n.1.& ſeqq. p.443
Simoniacæ exactiones pro recipiendo Canonico aboleantur.n.72. p 601

Ad Simoniam eliminandam reſpectu Officialium Epiſcopi, admonetur ne vendat Officia. col. 1. p.626
Simoniacæ ſtipulationes pro Miſſis celebrandis prohibentur.n.3. p.627
Beneficia per Simoniam obtenta omnino dimitti debent.n.11.p.631.& n.5. p.576
In Confeſſionibus de Simonia diligenter inquirendum.n.4. p.631
Simoniæ tres gradus diſtinguntur & declarantur. ibid.
De Simonia confidentiaria.n.15. p.631
Simoniaca pactio cum Patrono pro præſentatione ad beneficium diſtrictè prohibetur. Can. 34. p.463
de Simoniacis pactionibus in Monaſteriorum ingreſſu, latè diſſeritur ad ornatum. Can.64. Lateran. Concilij. n.1. & ſeqq.per totam diſſertationem. p.443
Beneficia per Simoniam obtinentes excommunicantur & ſunt inhabiles ad alia ſimilia obtinenda.n.5. p.576

*Sinueſſanum Concilium.*

Sinueſſanum Concilium quo tempore fuit celebratum.n.1. p.79
Occaſione lapſus Marcellini Pontificis convocatum in cryptam Sinueſſæ.n.1.& 3. ibid.
Sinueſſani Concilij Acta venerandam antiquitatem ſapientia.n.2. ibid.
In eo Marcellinus reatum confeſſus non fuit judicatus nec depoſitus, ſed ſuo ipſius judicio remiſſus: quia Prima Sedes à nemine judicatur.n.1.& n.5. p.80
Sinueſſa erat Campaniæ oppidum.n.4. ibid.
Nunc S ſſa dicitur in Regno Neapolitano.ibid.
Sinueſſani Concilij Acta, qualia nunc habentur, non ſunt judicialia, ſed hiſtoricè ab aliquo Scriptore contexta.n.6. p.80

*Sirmienſe Concilium.*

Concilia duo Sirmij habita, quorum unum legitimum eſt & Catholicum; alterum conciliabulum Arianorum.n.1. p.146
Prius præceſſit alterum duobus annis, neque confundi debent: ut ex Hilario probatur. ibid.
Photinus hæreticus in eo condemnatur. ibid.
Concilium alterum ſeu veriùs conciliabulum biennio poſt ab Arianis cogitur, in quo Religionis ſpecie Photinum Sirmij Epiſcopum pariter condemnant, & manu militari expellunt. num.2. p.147
In eo Liberius exul recuperandæ Sedis deſiderio infeliciter ſubſcribit damnationi Athanaſij. ibid.
Schiſmatis ſpecies inter Liberium & Felicem ipſi ſuffectum tempore quo exulabat Liberius. ibid.
Felix moritur, & Liberius reſipiſcens reſtituitur. ibid.
Ariani novam ſuæ confeſſionis formulam recudunt cui miſerandus Oſius hactenus veræ Fidei defenſor infeliciſſimè ſubſcripſit. num.3. p.147
Liberij, & Oſij lapſus deplorandus. ibid.

*Sors.*

Sors cecidit ſuper Mathiam, Deo illam temperante ac dirigente.n.1.& ſeqq. p.16
Sors iſta, & ſimiles non obſiſtunt divinæ voluntati & vocationi.n.8.& 9. p.17
Sors ab ipſo Deo plerumque præſcripta hominibus & approbata. n. 11. ubi referuntur exempla. ibid.
Sortium remedia etiam jura civilia interdum præcipiunt.n.12. p.18
*Spectacula.* Vide *Ludi.*

*S. Stephanus.*

Stephanus Diaconus prædicans divinitatem Chriſti, à Judæis lapidatur.n.4. p.2
De *Stephano* Rege Galliæ figmentum fabuloſum n.2.p.379.& n.7. p.380

*Stilico.*

Stilico Miniſter generalis Imperij Occidentis.n.1. p.181
Vtriuſque Imperij præfecturæ avidus. ibid.
Inſignem de Gothis victoriam reportat. ibid.
Gainam Gothici generis ducem ſibi devincit. num.2. ibid.
Factionem molitur in Rufinum militum à quibus obtruncatus eſt. *ibid.*
Stiliconis perfidia in Maſceſelem. ibid.
Ejuſdem ambitio & tumultus concitati. num.5. & 6. p.182
Stilico Imperij proditor juſſu Honorij apud Ravennam interficitur. n.6. ibid.

*Subdiaconi.*

Subdiaconi inter ſacratos Miniſtros olim non cenſebantur: quare non poterant Diaconicon ingredi, nec vaſa ſacra contingere. Quod declaratur col.2. p.154
Subdiaconi hodie matrimonium contrahere non poſſunt. p.108. & 109
Ætas ad Subdiaconatum requiſita. num.50. p.596

*Suſceptores.*

Suſceptores ſunt fidei Chriſtianæ ſponſores pro ſuſcepto & ad quid obligentur. n.2. p.632
Debent eſſe ſacro Chriſmate confirmati,& tales qui ſciant reſpondere ad interrogata, munuſque à ſe ſuſceptum intelligant.col.2. p.642
Epiſcopus in ſua Diœceſi, Parochus in ſua Parochia, & Beneficiarius in ſuæ reſidentiæ loco pueros de ſacro fonte non ſuſcipiant. num.3. p.632
Monachus & Monialis ab hoc munere penitùs arceantur. ibid.

*Symbolum.*

Symbolum Fidei Chriſtianæ Apoſtoli compoſuerunt, ut eſſet veluti teſſera militaris Fidelium. num.9. p.3
Symboli S. Athanaſij duæ editiones, una Latina alia Græca. n.1. 2. & 3. p.54
Symbolum Nicæni Concilij ex Athanaſio, Rufino, Socrate, Theodoreto, prout jacet, refertur p.106
Symbolum Nicæni Concilij Ariani ſuſceperunt inviti ſpecie tenus ad res ſuas conſervandas, & ut ſub ſpecie ovili lupi rapaces Eccleſiam Dei faciliùs quàm aperto marte devaſtarent.n.1.& 2. p.125.& 126
Symbolum Fidei Concilij Conſtantinopolitani quod in Eccleſia Catholica decantatur. num.1. p.166
Symbolum Fidei & Orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum. col.2. p.134
Symbolo Fidei an & quando liceat aliquid addere, latè inquiritur & reſolvitur. num.7. & ſeqq. p.540. Et ex profeſſo n.1. & ſeqq. p.543

*Synodus.*

Synodos ſingulis annis Epiſcopi convocare debent, num.2. & 3. p.111. & n.5. p.532. & n.68. p.599
Synodi ad quid convocentur. n.2. p.281
Synodorum convocatio eſt optimus modus reformandi Eccleſiam. n.23. p.574
Synodi Provinciales ſingulis triennijs convocari debent. n.67. p.599
Olim bis ſingulis annis celebrabantur. num.2. p.616
Deinde ſemel ſingulis annis. ibid.
Poſtremò ſingulis triennijs. ibid.
Synodi Provinciales ferè nulli nunc temporis celebrantur, neglectis admodum hac parte conſtitutionibus Eccleſiæ. n.1. p.616
Synodis Provincialibus Epiſcopi ſtata die debent adeſſe, niſi aliquo juſto & gravi impedimento detineantur. n.4. p.655
Et de jure Metropolitani. ibid. & p.656

T

*Tancredus Altavillanus.*

Tancredus Eques Normannus numeroſæ prolis pater ſuaſit liberis undecim maſculis, retento ſibi primogenito, ut in Apulia fortunam armis quærerent. n.11. p.372
Liberorum ejus præclara facinora. ibid.
Romanam Eccleſiam adverſus Græcos alioſque Tyrannos defendunt, & à multis vexationibus vindicant. ibid.
De eiſdem agitur, n.12. p.393

*Taurinenſe Concilium.*

Taurinenſe Concilium quo anno fuerit celebratum. n.1. p.196
Situs urbis deſcribitur. n.2. ibid.
Qua de cauſa iſtud Concilium fuerit indictum. ibid.
Proculus Epiſcopus Maſſilienſis jus Metropoleos prætendens excluditur: & à Zoſimo Pontifice deponitur. n.3. p.197
Quæ ſit Metropolis Provinciæ Narbonenſis? inquiritur n.4. ibid. & n.7. p.198
Quo prætextu Proculus Epiſcopus Maſſilienſis Suffraganeus Arelatenſi, in aliena Provincia jus Metropoleos præſumpſerit. n.7. p.198
*Templarij*. Vide *Viennenſe Concilium*. p.489

*Theodoſius.*

Theodoſius à Gratiano in partem & communionem Imperij aſſumptus. n.35. p.94
Maximum Tyrannum apud Aquileiam acie ſuperatum occidit. ibid.
Valentianum Gratiani fratrem profugum in Imperium reſtituit, & ad fidem veram Ambroſij operâ revocat. ibid.
Eugenium novum Tyrannum qui Valentinianum Viennæ interceptum occiderat, acie victum captúmque ultimo ſupplicio addixit.n.36. pag.95
Eccleſias Ab Arrianis occupatas Catholicis reſtituit. ibid.
Sub ejus Imperio celebrata eſt œcumenica Synodus, in qua Macedonius damnatus eſt. ibid.
In iracundiam nimis propenſus. n.37. p.95
Vindictam de Theſſalonicenſibus ſumit, contra fidem datam Ambroſio pro ipſis veniam rogante. ibid.
Excommunicatur donec publica pœnitentia ſcelus expiaſſet. ibid.

*Theologalis.*

Theologalis officium. col.2. p.451
Ipſi aſſignatur præbenda. n.16. ibid.
Qualis eligi debeat. ibid.
Habetur pro præſente in Choro quando ſtudiorum cauſa abeſt. ibid.
De ejuſdem reſidentia. ibid.

*Theophilus.*

Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Iſidorum Alexandriâ expellit. n.8. p.183
Anachoretas qui Iſidorum exceperant ferociter perſequitur, cellas ipſorum expilat & incendit. ibid.
Chryſoſtomum Præſulem Conſtantinopolitanum ea de cauſa contumelijs afficit. ibid.
Citatur Conſtantinopolim edicto Arcadij. n.9. p.184
Evocatur ab hoſtibus Chryſoſtomi qui ſimul conſilium ineunt ut illum perdant n.10. ibid.
Fretus Eudoxiæ & Aulicorum, nec non Cleri favore, Conſtantinopolim venit, Chryſoſtomo inſultans. n.11. p.184
Pſeudoſynodum in ſuburbio Chalcedonis ad Quercum ipſe multis criminibus reus indicit, ad quam Sanctum Præſulem citat. ibid.
Chryſoſtomum recuſantem judices incompetentes, infenſos & ſuſpectos per ſummam injuriam damnat. ibid.
Iterum Arcadij & Eudoxiæ literis accerſitur adverſus Chryſoſtomum Eccleſiæ reſtitutum, ad ipſum deponendum. n.12. p.185
Ingenti clade & ſacrilegijs Eccleſia Conſtantinopolitana affligitur. n.13. ibid.
Chryſoſtomum etiam defunctum perſequitur. ibid.

*Toletanum Concilium.*

Toletanum Concilium I. non ſub Innocentio, ſed ſub Anaſtaſio Pontifice collectum eſt initio ſæculi quinti. n 1. p.194
Toletum Civitas inſignis ad amnem Tagum ſita, caput Carpetanorum. n.2. p.195
Hujus Concilij cogendi cauſæ duæ præcipuæ fuerunt, ſchiſma Eccleſiarum Hiſpaniæ propter varias Ordinationes factas contra Canonum præſcripta; & hæreſis Priſcillianiſtarum. ibid.
Item in eo novum Fidei ſymbolum editum eſt, quo proceſſio ſancti Spiritus à Patre, Filióque, confirmatur. ibid.
Multæ etiam propoſitæ irregularitates à ſacris Ordinibus arcentes, de quibus remiſſivè.num.3. p.195
*Can.*5. Exigit ut Clerici quotidie interſint Miſſæ ſacrificio. n 4. ibid.
*Can.*6 Ne puellæ Deo conſecratæ virorum habeant familiaritatem. ibid.
*Can.*14. Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur. n.5. p.195
*Can.*17. De uxorato habente concubinam à communione repellendo. n.6. ibid.
Ut Fidelis una dumtaxat vel uxore, vel concubina



Digitized by Google

concubina ſit contentus : & quomodo verbum concubinæ in iſto Can. intelligendum ſit. ibid.
*Can.*18. De vidua Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi, à communione præterquam in mortis articulo, repellenda, ſi maritum acceperit. num.7. p.196
*Can.*20. Ut nullus præter Epiſcopum Chriſma conficiat, & per Diœceſim diſpenſet. num.8. ibid.
Et quod dicitur ibidem, Epiſcopo licere omni tempore Chriſma conficere, quomodo intelligendum. n.9. ibid.
Toletanum Concilium III. quo tempore celebratum. n.1. p.273
Illi Recaredus Rex ſubſcripſit primus. ibid.
In eo Quatuor Conciliorum generalium Canones de Fide editi ſunt & profeſſi. ibid.
Et de Spiritu ſancto quòd ſit Perſona diſtincta à Patre & Filio procedens. ibid.
*Can.*7. Vt in omni Sacerdotali convivio lectio ſacra miſceatur. n.2. p.273
*Can.*13. Ne Clericus Clericum trahat ad judicem ſæcularem neglecto ſuo Epiſcopo. ibid.
*Can.*23. Ludicræ ſaltationes diebus feſtis Sanctorum prohibentur. n.3. ibid.
Toletanum Concilium anni 633. ſedente Honorio Pontifice & regnante in Hiſpania Siſenando. n.1. p.281
*Can.*2. Vt nullus Epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat. ibid.
*Can.*3. De diſciplina Eccleſiaſtica per frequentes Synodos conſervanda. n.2. ibid.
Vbi etiam de Synodorum utilitate. ibid.
*Can.*4. Forma celebrandi Concilij præſcribitur. num.3. p.281
*Can.*6. De Baptiſmo per trinam, vel unicam immerſionem, juxta loci conſuetudinem. n.4. ibid.
*Can.*9. De novo igne excitando, & benedictione Cerei in pervigilio Paſchæ. n.5. ibid.
*Can.*23. An & quomodo Presbyteri & Diaconi unà cum Epiſcopo, vel ex cauſa infirmitatis ſeparatim vivere debeant. n.6. p.281
*Can.*25. De communi Canonicorum & Clericorum vita in Capitulis ſeu Epiſcopijs, & Seminarijs. n.7. p.282
*Can.*24. Vt Clerici juniores à Senioribus probatiſſimæ vitæ regantur, in Seminarijs. num.8. p.282
*Can.*25. Ignorantia errorum omnium mater in Sacerdotibus Dei maximè vitanda. num. 9. ibid.
*Can.*26. Presbyteri in Parochijs ordinati libellum Officialem à Sacerdote ſuo accipiant ad officium ſuum ritè & rectè exequendum. n.10. ibid.
*Can.*28. De Epiſcopo, vel Presbytero, aliiſque Clericis depoſitis injuſtè, in ſecunda Synodo reſtituendis, & qua forma id fieri debeat. n.11. ibid.
*Can.*32. Epiſcopi ſunt populi defenſores à Deo conſtituti. n.12. p.283
*Can.*34. & 35. De triennali præſcriptione Eccleſiæ contra Eccleſiam in eadem Diœceſi. ibid. & num.13. p.284
*Can.*36. De viſitatione ab Epiſcopis ſingulis annis facienda Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. ibid.
*Can.*38. De ſtipendio Sacerdotibus indigentibus exhibendo. n.14. ibid.
*Can.*40. De Orario Levitarum. ibid.
*Can.* 41. De Tonſura Clericorum. num. 15. p.284
*Can.*45. Clerici armis abſtineant. ibid.
*Can.*47. De immunitate Clericorum ab omni publica indictione & labore. p.285
*Can.*49. Monachum facit aut paterna devotio, aut propria profeſſio. n.16. ibid.
*Can.*54. De Pœnitentibus à Clero arcendis, vel non. ibid.
*Can.*60. De filijs aut filiabus Iudæorum converſis educandis. ibid.
*Can.*63. De Judæa uxore ad fidem Chriſti converſa à conjuge infideli ſeparanda. num.17. p.285
*Can.*75. Subditi perduelles in Regem, aut ejus vitæ inſidiantes anathemate percelluntur. n.18. ibid.
Concilium Toletanum Undecimum ſub Vamba Hiſpaniarum Rege, ſedente Rom. Pontifice Adeodato, anno 675. in quo facta eſt diviſio Eccleſiarum Hiſpanicarum. n.1. p.290
*Can.*3. Ut Eccleſiæ inferiores modum & ritum Metropolitanæ obſervent in pſallendis Horis Canonicis. n.2. ibid.
*Can.*4. Oblationes & ſacrificia diſſidentium Clericorum, vel etiam laïcorum non recipiantur in Eccleſia donec ad concordiam redierint. num.3. ibid.
*Can.*6. Clerici abſtineant judicio ſanguinis. ibid.
*Can.*13. De Energumenis, alijſque ſimilibus paſſionibus irretitis à ſacro miniſterio arcendis. num.4. p.291
*Can.*14. Si Clericum celebrantem pernicioſa paſſio vel corporis valetudo arripiat, à tergo alius adſit qui ejus vicem exequatur. ibid.
Concilium Toletanum Pio IV. Pontifice an.1565. celebratum. n.1. p.614
*Act.*1. Edita eſt Fidei profeſſio, aliaque præliminaria fieri ſolita. n.2. ibid.
*Act.*2. Statum eſt de reſidentia Epiſcoporum, in loco ſcilicet in quo ſedes fuit conſtituta. ibid.
Item ut ſuam Diœceſim diligenter viſitent ſingulis annis. n.3. ibid.
Item ut neminem in ſuam familiam aſciſcant qui non ſit probatis moribus. n.4. p.624
*Act.*3.*cap.*1. Ut Epiſcopi publicum Archivum habeant, in quo Scripturæ omnes ad Sedem ſpectantes deponantur cum inventario earum, &c. n.5. p.625
*Can.*5. Ut Parochi diebus feſtis pueros, puelláſque doctrinam Chriſtianam edoceant. ibid.
Duo monita Epiſcopis conducibilia in hoc Concilio propoſita obſervantur. n.6. ibid.

*Toloſanum Concilium.*

Toloſanum Concilium anni 1228. debellatis Albigenſibus celebratum ſub Gregorio IX. Pontifice, & S. Ludovico Francorum Rege. num.1. & 2. p.446
*Can.*1. De hæreſi extirpanda, & hæreticis inquirendis

quirendis ac puniendis. num. 2. pag.447
*Can*. 7. Bailivi non patiantur hæreticos morari in locis ſuæ juriſdictionis, ſub pœna depoſitionis & conſiſcationis bonorum. num. 3. ibid.
*Can*. 8. Ne quis innocens per calumniam accuſetur hæreſeos, neque condemnetur niſi judicio Eccleſiæ interveniente. ibid.
*Can*. 12. Omnes hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam & Catholicam Romanam Eccleſiam abjurent. ibid.
*Can*. 13. De Confeſſione Sacramentali ſaltem ter in anno facienda proprio Sacerdoti, & Sacra Communione ſuſcipienda. p.447
*Can*. 14. Libros veteris & novi Teſtamenti legere prohibetur Laïcis, præſertim in vulgari tranſlatos. p.448
*Can*. 15. Suſpecti de hæreſi Medicinam non exerceant. ibid.
*Can*. 38. Inhibentur omnes conjurationes, colligationes, & Confratriæ ſub variis pœnis mulctatitiis. ibid.
*Can*. 40. Nemo bona aliena per vim rapiat, etiam ſibi debita, vel pignorata, ſed per judicem repetat quæ ſibi deberi credit. p.448
*Can*. 41. Ne Caſtra de novo ædificentur. ibid.
*Can*. 42. Viduæ nobiles inimicis Fidei, vel pacis ſcienter non nubant. ibid.
*Can*. 43. Nullus judex pro juſtitia exhibenda aliquid exigat, ſed gratis omnibus ſine timore, odio, vel gratia illam adminiſtret. ibid.
*Can*. 44. Pauperibus Advocati dentur à Curia. ibid.
Toloſanum Concilium provinciale anno 1590. à Cardinali De Ioyoſa Archipræſule celebratum. num. 1. p.647
Præmiſſa Fidei profeſſione, ab Epiſcopis ſumit exordium, quorum præſcribit officium. n. 1. ibid.
Quales debeant aſſumi Officiales & Promotores n. 2. ibid.
Vt Epiſcopi Parochis invigilent, & de officio ſuo admoneant; ut faciles ſe adeuntibus præbeant, ut ſcandala tollant, Verbum Dei diſpenſent, &c. n. 3. p.647
*Tit. de rer. Eccleſ. alien.* Vt inventarium rerum Eccleſiæ conficiatur, ejuſque duo exempla, quorum unum ad Metropolitanum, vel Epiſcopum mittatur, aliud in Capitulo retineatur. num. 4. p.648
De locatione rerum Eccleſiæ. col. 2. ibid.
Beneficiato defuncto, Epiſcopus compellat heredes ut inſtrumenta ad beneficium ſpectantia gratis reſtituant. ibid.
*Tit. de proviſionib. benef.* Vt proviſi jurent nihil dediſſe aut promiſiſſe contra Sacros Canones pro obtinendo beneficio. col. 2. p.648
Qui præſentato beneficium conferre recuſaverit, recuſationis cauſas ſcripto exhibeat. ibid.
*Tit. de Patronis.* Ne beneficia liberæ collationis uniantur Patronatis, taleſque uniones jam factæ infringantur, & ne Patroni Eccleſiarum bona occupent, vel in alios tranſferant. num. 5. p.649


*Tonſura.*


Tonſura Clericalis commendatur. n. 15. p.284
Ex Tonſura orta eſt conſuetudo obteſtandi & rogandi Epiſcopum per Coronam ipſius. ibid.
Tonſura Clericorum qualiter fieri debeat. num. 3. p.461
Tonſura Laïcorum. n. 2. p.398.399
De Tonſura Clericali pro qualitate gradus. n. 11. p.634


*Traianus.*


Traiani perſecutio adverſus Chriſtianos. n. 1 p.10
Trajani edictum iniquum quo prohibet inquiri Chriſtianos, tanquam innocentes; & jubet delatos puniri tanquam nocentes. n. 2. ibid.
In perſecutione Trajani illuſtres Eccleſiæ Præſules martyrio coronati ſunt. n. 3. ibid.
Trajanus dum Antiochiæ verſaretur parùm abſuit quin fuerit oppreſſus ruina, ex horrendo terræ motu quo civitas illa everſa eſt. n. 4. p.20
Trajani perſecutionem contra Chriſtianos Adrianus ejus ſucceſſor proſecutus eſt. n. 5. p.21
Adverſus Trajanum multæ provinciæ rebellarunt. n. 4. p.20


*Treverenſe Concilium.*


Treverenſe Concilium provinciale anno 1549. celebratum, ad hæreſim extirpandam. num. 1. p.577
Eccleſiæ Romanæ inviolabiliter inhærendum. ibid.
Miſſio neceſſaria eſt ad prædicandum Verbum Dei, & Sacramentorum adminiſtrationem. n. 2. ibid.
*Can*. 5. Deus etſi Spiritus ſit, non tamen internis tantum, ſed etiam externis actibus colendus. n. 3. p.578
*Can*. 6. Vt ab Eccleſiis, præſertim tempore divinorum Officiorum, prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, & ſimilia removeantur. n. 4. ibid.
*Can*. 11. De privilegiis Regularium & immunitatibus non violandis, ſed conſervandis & augendis. n. 5. ibid.
Ne quis ante legitimam ætatem & probationis annum completum ad profeſſionem Religionis admittatur. n. 6. p.578
De vita & honeſtate Religioſorum, & ne ſecularibus negotiis ſe immiſceant. num. 7. 11. & 12. p.579
Ne Moniales extra ſepta monaſterij ſine cauſa & facultate egrediantur. n. 8. ibid.
Vt nullus ſine juſta cauſa & licentia ſpeciali Monialium clauſtra ingrediatur. n. 9. ibid.
Religioſi à conviviis ſæcularium abſtineant, nec illos ad ſua cœnobia invitent niſi ſubſit neceſſitas & honeſtas. n. 10. p.579
De ſcandalo vitando. n. 11. & 12. ibid.
*Can*. 12. Ne Religioſi Eccleſiarum Parochialium curam ſuſcipiant niſi ex licentia Ordinariorum & ſuorum Prælatorum. numero 13. ibid.
Alia plura de juriſdictione Epiſcopali in Religioſos traduntur ibid. p.579. & 580
*Can*. 19. Præſcribitur lex de vita & honeſtate Clericorum. n. 14. p.580


*Triburienſe Concilium.*


Triburienſe Concilium anno 895. celebratum apud

apud Triburiam villam Regiam.n.1. p.354
*Can.*2. Clericus, qui homicidium fecerit etiam coactus, ſive ſit Presbyter, ſive Diaconus, deponatur.n.2. ibid.
*Can.*12. De Baptiſmo, excepto caſu neceſſitatis, non conferendo extra tempus Paſchæ & Pentecoſtes.n.4. p.355
*Can.* 13. Quibus de cauſis Decimæ offerantur. num.5. ibid.
*Can.*16.Ne Sepulturæ Fidelium pretio vendantur.n.7. p.356
*Can.* 18. De vaſculis in quibus Sacra Myſteria conficiuntur.n.8. ibid.
*Can.* 22. De purgatione Canonica per jusjurandum, & vulgari per ferrum candens.num.9. ibid.
*Can.* 28. Vt quiſque Epiſcopus ſua Diœceſi contentus ſit, nec in alienam ſe transferat. p.357
*Can.*30. De dignitate Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Romanæ. p.357
*Can.*40. De nullitate matrimonij illius qui eam duxit quam polluerat per adulterium.n.12. & 15. ibid.
*Can.*41. De concubitu inceſtuoſo, n.13. ibid.
*Can.* 48. De cognatione ſpirituali.n.14. ibid.
*Can.*51. De impedimento matrimonij propter adulterium.n.15. p.358

*Tridentinum Concilium.*

Concilium Tridentinum œcumenicum indictum anno 1542. & inchoatum per primam ſeſſionem anno 1545.n.1. p.580
Seſſiones undecim habitæ ſunt ſub Paulo III. qui illud indixit. ibid.
Reſumptum fuit ſub Julio III. anno 1550.& quot habuerit ſeſſiones.n.2. p.581
Sub Pio IV. continuatur & perficitur ab anno 1560. ad annum 1563. & publicatur Romæ anno 1564.n.3. ibid.
Prælati & Oratores Gallicani de mandato Regis illi interfuerunt.n.4. ibid.
Quo ritu & ſolemnitate inceptum fuerit, exponitur.n.5.ibid.*Seſſione* 1. p.581
*Seſſ.*2. Præliminaria quædam edita ſunt. n. 6. ibid.
*Seſſ.*3. Symbolum Fidei recitatur.n.7. p.582
*Seſſ.* 4. Decretum de Canonicis Scripturis promulgatur. ibid.
*Seſſ.* 5. Præter decretum de peccato originali, edita ſunt alia quædam de reformatione, à n.8. uſque ad 12. ibid.
*Seſſ.*6. Decretum de juſtificatione, quod refertur pluribus capitibus diſtinctum.n.12. p.583
De reſidentia Epiſcoporum.n.13. p.584
De poteſtate Epiſcoporum etiam in Exemptos. n.14.15.& ſeqq.uſque ad n.21. ibid.& num.22. p.586
*Seſſ.*7. Edita ſunt decreta de Sacramentis. n. 21. p.586
De viſitatione Eccleſiarum etiam exemptarum. num.22. p.586
Concilium fuit tranſlatum Bononiam propter peſtem, ubi duæ ſeſſiones factæ ſunt de prorogatione Concilij.n.23. ibid.
Varia acta authentica ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Aquenſi Antonio Filiolo Inſigni Theologo collecta & ad hiſtoricam hujus Concilij notitiam ſpectantia in lucem proferuntur, à num.24. ad 33. pag.587
*Seſſ.*11. Quæ fuit prima ſub Julio III. Pauli III. in Pontificatu ſucceſſore, promulgatur edictum reſumptionis Concilij.n.33. p.590
*Seſſ.*12. Concilij prorogatio decernitur. ibid.
*Seſſ.* 13. Actum eſt de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.n.34. ibid.
*Cap.*3.*de reform.* A ſententia interlocutoria Ordinarij non appellatur niſi inferat irreparabile gravamen.n.35. p.590
Nec poteſt Epiſcopus recuſari ut ſuſpectus in viſitatione.n.36. p.591
Nec citari ut perſonaliter compareat niſi ex cauſa ob quam eſſet deponendus.n.37. ibid.
*Seſſ.*14. Actum eſt de Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis. à num. 38. & ſeqq. p.591
De habitu Clericorum.cap.6.de reform. ibid.
*Cap.*10. *&* 11. De beneficiis, & translationibus Regularium. p.592
Concilium interrupit mors Julij III. cujus loco electus eſt Marcellus II. qui etiam 22.die Pontificatus obiit.n.40. p.592
Ei ſucceſſit Paulus IV. quo ſedente nihil actum eſt in Concilio: & exacto in dignitate quadriennio, obiit. ibid.
Eligitur Pius IV. ſub quo Concilium ſuſpenſum & dilatum reſumitur hortante S. Carolo Borromeo. ibid.
*Seſſ.* 17. 18. 19. *&* 20. Nihil actum eſt præter ſupplices ad Deum preces, & prorogationes. *ibid.*
*Seſſ.*21.Varia decreta circa Sacramentorum adminiſtrationem.n.41. p.592
*Cap.*1. *de reform.*Vt Ordines gratis conferantur. ibid.
*Cap.*2. De titulo Clericali initiandorum Sacris Ordinibus. ibid.
*Cap.* 4. De Vicariis neceſſariis à Parochis aſſumendis & congrua portione illis aſſignanda. p.593
*Cap.*5. De Vnionibus Eccleſiarum.n.42. ibid.
*Cap.*6. Si Beneficiati ſint imperiti, aut turpiter vivant, quomodo providendum. ibid.
*Cap.*7. De reparandis Eccleſiis collapſis. ibid.
*Seſſ.*22. *de reform. cap.* 4. De voce in Capitulo. ibid.
Item de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.ibid.n.43.& 44. p.594
Item, Ne ignoto Sacerdoti Miſſam celebrare permittatur: neque cuiquam extra Eccleſiam. ibid.
*Cap.*8.*&* 9.Cura Hoſpitaliorum, & Confraternitatum Ordinariis demandatur.n.45. ibid.
*Seſſ.*23.*cap.*2.De conſecratione Epiſcoporum intra tres menſes facienda.n.46. p.594
*Cap.* 4. Prohibetur ne quis ad Clerum promoveatur niſi Confirmationis Sacramentum priùs ſuſceperit. numero 47. ubi bene declaratur. ibid
*Cap.*5. De diligenti examine ad majores Ordines promovendorum. p.595
*Cap.*8. De Ordinatione à proprio Epiſcopo facienda.num.48. & 49. ubi de literis dimiſſoriis. ibid.
*Cap.* 12. De ætate ad Subdiaconatum. num. 50. p.596
*Cap.* 15. Epiſcopi approbatio neceſſaria eſt

Presbyteris ut poſſint abſolvere à peccatis. ibid.
*Cap.* 16. Vt non omnes promiſcuè ordinentur. ibid.
*Cap.* 18. De Seminariis Clericorum. num. 51. ibid.
*Seſſ.* 24. Actum eſt de Sacramento Matrimonij. num. 52. p. 596
*Cap.* 1. *de reform matr.* Vt matrimonium celebretur coram Parocho proprio & duobus ſaltem teſtibus. n. 53. p. 597
De poteſtate indicendi nova matrimonij impedimenta etiam dirimentia penes Eccleſiam. num. 54. ibid.
De matrimoniis filiorumfamilias invitis parentibus contractis tam de jure communi ex decreto Concilij, quam jure Gallico. n. 53. & 54. p. 597
An valeat matrimonium in præſentia Parochi inviti contractum. n. 55. ibid.
An in aliena parochia validè Parochus aſſiſtat matrimonio ſui parochiani. n. 56. p. 598
An contra ſui Ordinarij prohibitionem. n. 57. ibid.
Matrimonium Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia, & ſecundum Eccleſiæ leges celebrandum. n. 58. ibid.
*Cap.* 2. Impedimenta ex gradibus affinitatis, & cognationis, reſtringuntur. numero 59. & 60. ibid.
*Cap.* 3. De impedimento publicæ honeſtatis. num. 61. ibid.
*Cap.* 4. De impedimento affinitatis ex illicito congreſſu. n. 62. p. 598
*Cap.* 5. De Diſpenſatione Pontificis circa impedimenta matrimonij. n. 63. p. 599
*Cap.* 6. De impedimento Raptus. n. 64. ibid.
*Cap.* 7. De matrimonio vagorum hominum. ibid.
*Cap.* 9. Domini, & Magiſtratus, cogentes ſubditos ad matrimonium cum certis perſonis contrahendum, excommunicantur. num. 65. ibid.
*Eiuſdem ſeſſ.* 24. *Cap.* 1. *de reformatione Sacra diſcipline*, Et in primis de creatione Epiſcoporum. num 66. p. 599
*Cap.* 2. Vt ſingulis trienniis Concilia provincialia habeantur. n. 67. ibid.
*Cap.* 3. Vt ſingulis annis Epiſcopus Diœceſim viſitet. n. 68. ibid.
*Cap.* 4. De Eccleſia Parochiali frequentanda. num. 69. p. 600
*Cap.* 6. De facultate Epiſcopis conceſſa diſpenſandi in irregularitatibus & ſuſpenſionibus certis. n. 70. ibid.
*Cap.* 8. De publicè & ſcandaloſè peccantibus. ibid.
*Cap.* 9. Epiſcopus poteſt viſitare Eccleſias exemptas, & nullius Diœceſis. p. 600
*Cap.* 11. Epiſcopi jure ſuo uti poſſunt, honorariis titulis & privilegiis particularibus non obſtantibus. ibid.
*Cap.* 12. De reſidentia in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis: & de diſtributionibus: & quod Canonici Epiſcopo celebranti inſerviant. num. 71. ibid.
*Cap.* 14. Vt omnes exactiones Simoniacæ aboleantur. n. 72. p. 601
*Cap.* 17. Pluralitas beneficiorum incompatibilium prohibetur. n. 73. & 74. ibid.
*Cap.* 18. Vt beneficiis animarum curam habentibus per concurſum provideatur, & digniores præferantur. n. 75. p. 602
*Cap.* 19. De revocatione gratiarum Expectativarum. ibid.
*Seſſ.* 25. Decreta varia de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, de Sacris Imaginibus, Indulgentiis, & aliis ad Fidem ſpectantibus. n. 76. p. 602
Deinde alia ſancita ſunt de Regularibus & Monialibus, ad inſtaurandam collapſam Regularem diſciplinam.
*Cap.* 1. *& 2. cum ſeqq. de reformatione.* ibid. & p. 603
*Cap.* 2. Proprietatis vitium extruditur. ibid.
*Cap.* 3. Paupertas rigidior relaxatur præterquam in Religione Capucinorum, & de Obſervantia. ibid.
*Cap.* 4. Ne quis Regularis ſine ſui Superioris licentia obſequio alicujus Prælati, vel Principis ſe ſubiiciat, aut à Conventu recedat. ibid.
*Cap.* 5. Vt clauſuræ Monialium Epiſcopi curam gerant. n. 77. p. 603
*Cap.* 6. De electione Superiorum Regularium. num. 78. ibid.
Ne à Præſidente in electione duæ vel tres perſonæ proponantur, cæteris excluſis. num. 79. ibid.
*Cap.* 10. De Confeſſione & communione Monialium ſingulis ſaltem menſibus facienda. n. 80. p. 604
*Cap.* 11. Parochi Regulares in his quæ pertinent ad curam & Sacramentorum adminiſtrationem ſubjacent juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi. n. 81. p. 604
*Cap.* 13 Controverſiæ de præcedentia ab Epiſcopo, omni appellatione remota cõponantur. ibid.
*Cap.* 15. De ætate ad profeſſionem Regularem. num. 82. ibid.
*Cap.* 16. Omnis donatio inter vivos vel renuntiatio novitiorum ante duos ultimos menſes novitiatus exacti nulla eſt & invalida. ibid. p. 604
*Cap.* 18. Vt nemo cogatur ad profitendam Religionem. n. 83. ibid.
*Cap.* 1 . De reclamatione invalidè profeſſi intra quinquennium facienda. n. 84. p. 605
*In eadem ſeſſ.* 25. Subiiciuntur decreta 21. de reformatione, maximè de officio Prælatorum. cap. 1. n. 85. ibid.
*Cap.* 3. Excommunicationis gladius prudenter & ſobriè exerendus. n. 86. ibid.
*Cap.* 4 Qua ratione magnus Miſſarum celebrandarum numerus reduci poſſit à Prælatis. p. 606
*Cap.* 7. De pacto acceſſus vel regreſſus ad beneficia prohibita. n. 87. ibid.
*Cap.* 11. Ne ultra quinquennium locationes rerum Eccleſiæ & ſolutiones anticipatæ fiant. num. 88. ibid.
*Cap.* 14. De vita & honeſtate Clericorum, & ne concubinas habeant. n. 89. p. 607
*Cap.* 16. De congrua portione Vicario perpetuo beneficij curati aſſignanda. n. 90. ibid.
*Cap.* 19. Duella ſub graviſſimis pœnis prohibentur. n. 91. p. 608
*Cap.* 20. Vt omnes ſanctiones in favorem perſonarum Eccleſiaſticarum, immunitatum, &



Digitized by Google

libertatis Eccleſiæ ſerventur. ibid. & num. 92. p.609
*Cap.* 21. In his omnibus decretis de reformatione atque Eccleſiaſtica diſciplina reſervata cenſetur authoritas Sedis Apoſtolicæ. p.609
*Cap.* 22. Decretum de Indulgentiis, ut earum munus piè ſanctè & incorruptè Fidelibus diſpenſetur. ibid.
*Cap.* 28. Decretum de petenda Sacræ Vniverſalis Synodi à Pontifice confirmatione, quam conceſſit anno 1563.n.93. p.610
Decretum de Canonicis Scripturis *Seſſ.* 4. promulgatum, ſive de vulgata Bibliorum editione latiùs inveſtigatur & exponitur. num.1.& ſeqq. pag.611

*Trullus.*

Trullus erat Secretarium Sacri Palatij in quo ſexta Synodus Conſtantinopolitana celebrata fuit, ſub Conſtantino Auguſto Pogonato, authoritate Agathonis Rom.Pontificis celebrata.n.8. p.405
Et ſimiliter Synodus Quiniſexta ſub Juſtiniano II.n.1. p.40[illegible]

*Turonicum Concilium.*

Turonicum Concilium anno 570. celebratum.n.1. p.169
*Can.* 1. Convocari jubet per Metropolitanos bis ſingulis annis Synodum provincialem, aut ſaltem ſemel; Et quod Epiſcopi illi interſint. num.2. ibid.
*Can.* 4. Vt Laïci dum ſancta celebrantur myſteria, à Clericis ſeparentur. ibid.
*Can.* 5. Vt quælibet civitas pauperes ſuos incolas paſcat. ibid.
*Can.* 10. Vt Clerici victum honeſto artificiolo ſibi comparent, & propriis manibus ſuam refectionem præparent.n.3. p.169
*Can.* 17. De jejuniis Monachorum. numero 4. ibid.

*Turonenſe Concilium.*

Turonenſe Concilium III. ſub Carolo Magno, anno 813.celebratum. p.335
*Can.* 1. & 2. Injungitur Epiſcopis Sacræ Scripturæ lectio. ibid.
*Can.* 3. Commendatur lectio Paſtoralis Gregorij Papæ, & Sanctorum Canonum. ibid.
*Can.* 4. Vt Epiſcopus prædicet Verbum Dei. ibid.
*Can.* 5. Vt Epiſcopi frugaliter vivant. ibid.
*Can.* 6. Vt peregrinos & pauperes habeant convivas. ibid.
*Can.* 10. Vt magnam pauperum curam habeant. p.335
*Can.* 12. De Presbytero non ordinando ante legitimum tempus, & priuſquam officium ſuum didicerit in Epiſcopio. ibid.
*Can.* 14. Ne liceat de minori titulo ad majorem ſe transferre. p.336
*Can.* 23. De regulari obſervantia & vita Canonicorum & Clericorum in Epiſcopiis num.3. ibid.
*Can.* 24. De Regulari obſervantia Monachorum p.337
*Can.* 25. De reformatione Monachorum S. Benedicti, ut ad priſtinum ſtatum & inſtitutum revertantur. ibid.
*Can.* 33. De honore & obedientia Epiſcopis exhibenda. ibid.
*Can.* 35. Ne judices munera accipiant pro judicio. ibid.
*Can.* 49. Ne Domini locorum ſubditos ſuos vexent, ſed piè cum illis agant, neque ſubſtantias eorum tollant. ibid.
*Can.* 50. Si non frequentiùs, ſaltem ter laici ſingulis annis communicent, niſi majoribus criminibus impediantur.n.6. p.337
Turonenſe Concilium anni 1163. ab Alexandro III.Papa celebratum.n.1. p.410
In eo Antipapa dictus Victor III. à Friderico Ænobarbo Imperatore intruſus anathemate perculſus eſt unà cum fautoribus ſuis. ibid.
*Can.* 1. Vt Præbendæ Eccleſiaſticæ ſine diminutione conferantur.n.2. p.410
*Can.* 2. Adverſus Clericos uſurarios. ibid. p.411
*Can.* 3. De laïcis Eccleſias, Decimas, & Oblationes occupantibus & invadentibus excommunicandis. ibid.
*Can.* 4. De hæreticis occultè ſerpentibus per Guaſconiam & alias provincias propulſandis. ibid.
*Can.* 5. De Presbyteris conductitiis, & ne venale Sacerdotium exhibeatur. p.411
*Can.* 6. Ne quid per avaritiam & Simoniam pro rebus ſacris exigatur. ibid.
*Can.* 7. Ne Epiſcopi vices ſuas aliis committant. ibid.
*Can.* 8. De Interdicto Eccleſiaſtico adverſus invadentes, occupantes, & retinentes injuſtè poſſeſſiones Eccleſiæ.n.3. p.412
Turonenſe Concilium anno 1236. ſub Gregorio Papa IX. & S. Ludovico celebratum. num. 1. p.449
*Can.* 2. Nulli Advocatorum officio fungantur niſi per triennium jura audierint, vel aliàs approbati ſint. ibid.
*Can.* 3. Nulli recipiantur Scriptores in Curia niſi ſciant ſtylum Curiæ, & Statuta. ibid.
*Can.* 4. Nulli ſtatuantur Officiales niſi per quinquennium jura audierint, vel aliàs approbati ſint. ibid.
*Can.* 13. Qualiter de novo converſi eruditi in Fide, & pauperes ſuſtentari debeant. num. 2. p.449
*Can.* 24. De hoſpitalitate ab Abbatibus & Prioribus exhibenda omnibus, & maximè Religioſis.n.3. ibid.
Turonenſe Concilium anni 1588.n.1. p.637
*Tit.* 9. *de Matrimonio.* In quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu Epiſcopis diſpenſare non licet. ibid.
*Tit.* 11. De poteſtate Epiſcopali, ratione cujus Epiſcopi plura perficere poſſunt, quæ ſunt Presbyteris interdicta. ibid.
*Tit.* 15. *de Laïcis.* Vt Laïci Parochialem Eccleſiam frequentent, præſertim diebus Dominicis & feſtivis.n.2. p.638
Vt Sacram Euchariſtiam tempore Paſchatis abſque Parochi conſenſu extra Eccleſiam Parochialem non ſuſcipiant. ibid.
Mulieres non niſi velato capite & pectore Eccleſiam ingrediantur.n.1. ibid.
Nullus pecuniam adulterinam etiam ignoranter receptam, alteri tradat, ibid,



Digitized by Google

Deambulationes in Eccleſia prohibentur. ibid.
*Tit. de Monachis & Monaſteriis.* Ut Profeſſiones Religioſorum & Monialium per ſcripturam fiant & regiſtrentur à Superioribus. p.638
*Tit. de Sepulturis.* Ut legata pia fideliter ſolvantur. n.4. p.639
Ut nemo jure proprio ſepulturam ſibi vindicet in Eccleſia. ibid.
*Tit. de Iuriſdictione.* Ne Clericus Clericum ad judicem ſæcularem trahat, nec Pontificem ſuum relinquat, ſub pœna excommunicationis. ibid. p.639
Cauſas Matrimoniales omnes fori eſſe Eccleſiaſtici decernitur, quarum cognitio judicibus laicis à ſacris Canonibus interdicitur. num.5. ibid.

## V

*Valentinianus.*

Valentinianus Joviniano militaribus ſuffragijs ſuffectus eſt. n.28. p.91
Valentem fratrem accivit, cum quo partitur Imperium. ibid.
Initio ambo Nicænam fidem profitentur. ibid.
Adverſus Quados expeditionem parans, ira vehementiùs excandeſcens, adverſus legatos ad ſe miſſos, apoplexia interijt. ibid.
Gratianum ex primis nuptijs, & Valentinianum ex ſecundis ſuperſtites filios reliquit. ibid.

*Valens.*

Valens, peremptis Procopio & Marcello Tyrannis in Oriente, hortatu Arianæ conjugis, in eamdem hæreſim relabitur. n.29. p.91
Præcipuè Monachis orthodoxis infenſus. ibid.
Epiſcopos etiam crudeliter vexavit. ibid.
Legationem 80. venerabilium Sacerdotum & Diaconorum ad ſe miſſam in medio mari incendio ſimul & fluctibus immaniter abſumpſit. ibid.
Lucium Arianum Athanaſio defuncto ſubrogavit, cum maxima clade Alexandriæ, n.30. ibid. & pag.92
à Mamia Saracenorum Regina bello ſuperatur, quæ in tractatu voluit ut ſanctiſſimus anachoreta Moyſes Sedi Alexandrinæ præficeretur. num.31. ibid.
Gothos in belli ſocietatem aſcivit. num.32. pag.92
Gothi fœdus initum brevi infringunt. num.33. ibid.
Valens miſerrimè moritur, ſine liberis. ibid.

*Valerianus Imper.*

Valerianus à Decio Cenſor creatus crudelitatis in Chriſtianos ſuæ pœnas exoluit, à Sapore Perſarum Rege interceptus. n.18. p.61
Sub ejus imperio Sabellius hæreſim ſuam propagavit. n.21. p.62
Galienus ejus filius eidem ſucceſſit in Imperio. ibid.

*Vaſa.*

Vaſa in quibus olim conficiebantur myſteria, n.8. p.356
Vaſa ſacra pretioſa alienari poſſunt pro redimendis captivis Chriſtianis. ibid.
Vaſa & Ornamenta Eccleſiæ munda ſint, & honeſtè teneantur. n.5. p.518

*Vaſio, Vaſenſe ſeu Vaſionenſe Concilium.*

Vaſio, Vocontiorum oppidum. n.1. p.213
Concilia duo in illa civitate celebrata. ibid.
*Can.2.* Pro his, qui pœnitentiâ acceptâ ſubitanea morte præveniuntur, oblationem recipiendam. n.2. ibid.
*Can.3.* Per ſingula territoria Presbyteri, vel Miniſtri ab Epiſcopis proprijs per annos ſingulos Chriſma petant. ibid.
*Can.4.* Qui oblationes defunctorum fidelium retinent, excommunicentur. p.213
*Can.5.* Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, recurrat ad Synodum. n.3. p.214

*Vaurenſe Concilium.*

Vaurenſe Concilium trium Provinciarum anno 1368. celebratum. p.495
Urbani Papæ V. literæ ad Petrum Narbonenſem Archiepiſcopum de celebrando Provinciali Concilio referuntur. n.1. ibid.
*Canonibus primis* exponuntur Catecheſes quibus plebes inſtrui debent à Parochis. num.2. ibid.
*Can.11.* Vt nihil fiat contra libertates, conſuetudines, & immunitates Eccleſiæ. ibid.
*Can.14.* Confraternitates nefariæ, conventicula & conjurationes Nobilium de ſe invicem adjuvando adverſus quoſcunque, &c. prohibentur ſub pœna excommunicationis. num.3. p.496
*Can.15.* Simili pœna percelluntur impedientes Electionem, poſtulationem, præſentationem, aliamvè proviſionem canonicam de beneficio Eccleſiaſtico. ibid.
*Can.16.* Qui fraudulenter procurat impedimenta ſuper poſſeſſione beneficij ſibi collati, excommunicatur. ibid.
*Can.17.* Intruſus, aut per vim occupans beneficium Eccleſiaſticum, ipſo jure privatus exiſtat. num.4. p.497
*Can.25.* Ne Archidiaconus ſine mandato Epiſcopi ſui de cauſis matrimonialibus utpotè graviſſimis cognoſcat. n.5. ibid.
*Can.31.* Vt ſententia excommunicationis legitimè lata in una Diœceſi, ubique ſervetur præmiſſis literis requiſitorijs Epiſcopi qui illam tulit. n.6. ibid.
*Can.36.* Ne Domini temporales, vel Iudices eorum Clericum, exceptis cauſis feudalibus coram ſe citari faciant. n.7. p.497
*Can.37.* Excommunicati ab omnibus dignitatibus & officijs publicis arceantur. num.8. ibid.
*Can.73.* Religioſus exemptus delinquens in loco non exempto, ab Ordinario illius loci corrigi & puniri poteſt. ibid. p.498
*Can.111.* Duo Canonici ſucceſſivè Eccleſiæ Metropolitanæ, & Cathedralis, ad Vniverſitates ſtudiorum cauſa in Theologia, vel Iure



Digitized by Google

Iure Canonico tranſmittantur. ibid.
*Can.*119. Retinentes injuſtè privilegia & inſtrumenta ad Eccleſias pertinentia excommunicantur. n.9. ibid.

*Veſpera Siciliana.*

Veſperæ vulgò dictæ Sicilianæ, ſive conjuratio adverſus Carolum Andegavenſem Siciliæ Regem, qua nefaria cædes patrata eſt. num.15. p.412

*Vicarius.*

Vicariorum Rom. Pontificis multiplex diſcrimen. num.1. p.104
Alij Legati à latere: Alij Cognitores ſeu Commiſſarij: Alij Apocriſiarij ſeu Reſponſales, quales hodie Nuntij Apoſtolici. ibid.
Primatibus tanquam Vicarijs poteſtas & juriſdictio ſupra plures Metropolitanos & Epiſcopos conferebatur à Summo Pontifice. num.1. & ſeqq. p.105
Vigilius Papa Vicariam Theſſalonicæ tranſtulit Acridum Bulgariæ urbem Iuſtiniani patriam. num.3. ibid.
Hormiſdas conſtituit Vicarium per omnem Bœticam & Luſitaniam, Saluſtium Epiſcopum Hiſpalis. n.4. ibid.
Vid. *Legatus.*
Vicarij Generalis Epiſcopi prima inſtitutio. n.3. p.406
In Vicarios & Coadjutores Parochorum non aſſumantur Clerici incogniti. n.4. p.487
De Vicarijs ſeu Coadjutoribus Rectorum Eccleſiarum Parochialium aſſumendis, aſſignata ipſis congrua portione. Cap.4. & 6. p.593. & num.4. p.577
De Vicarijs perpetuis à Capitulis vel Abbatibus nominatis & ab Ordinario inſtitutis. num.2. p.618
De Vicarijs Parochorum ſeu adminicularijs Sacerdotibus non recipiendis niſi ab Ordinario probatis. ibid.
De Vicario Parochi circa matrimonia celebranda. num.2. p.622
Vicarius generalis Epiſcopi qualis eſſe debeat. tit.26. p.623
De Vicarijs Parochorum, col.1. p.641
De Vicarijs foraneis Epiſcoporum, num. 10. p.647
Quam habeant juriſdictionem. ibid.
Vicariæ perpetuæ in titulum beneficij erectæ, ſunt vera beneficia, ut non ſit liberum Rectoribus primitivis Vicarios removere. num.4. p.576. & cap.4. & 6. p.593

*Vidua.*

De Succeſſione Viduarum & Fratrum adducitur Edictum Dagoberti Regis. n.2. p.326
Viduæ Deo devotæ ad alia vota convolare non poterant: & de habitu religioſo Viduarum. Can.104. p.176

*Viennenſe Concilium.*

Concilium Viennæ Allobrogum ad flumen Rhodanum ſitæ à Clemente Papa V. celebratum anno 1311. p.489
In eo Templariorum Ordo ſuppreſſus & extinctus ob atrociſſima flagitia ab ipſis patrata. n.1. ibid.
Similiter impiæ Begardorum, & Beguinarum Sectæ, necnon Fraticellorum ſeu Dulciniſtarum damnatæ fuerunt, quorum errores recenſentur. num.2. & 3. p.490
Præterea damnantur illi qui aſſerunt uſuram non eſſe peccatum: & Principes, vel Communitates tolerantes uſurarios, etiam Iudæos. n.4. ibid.
Reſignatio facta per procuratorem valet, non obſtante revocatione mandati non ſignificata. num.5. ibid.
In impetratione novi beneficij aliorum mentio fieri debet quæ impetrans poſſidet. num.6. ibid.
Ut Epiſcopi Prælatorum Regularium negligentiam in conferendis beneficijs ab ipſis dependentibus ſuppleant. n.7. p.491
Ut Epiſcopi Clericos ſubditos delinquentes diligenter corrigant. n.8. ibid.
Ut Epiſcopi à ſuis ſedibus expulſi poſſint procedere contra expulſores in aliena Diœceſi, petita à Diœceſano licentia, licèt non obtenta. num.9. ibid.
De proviſione beneficij à Pontifice facta motu proprio ei qui jam alia poſſidet beneficia. n.10. ibid.
De ſepultura in Eccleſijs Prædicatorum, vel Minorum, & de Quarta funerali. num.11. p.491
De Patronis, & jure patronatus, & quomodo in eo ſuccedatur. n.12. ibid.
De Matrimonio in gradu prohibito, vel cum Moniali contracto. n.13. ibid.
De Scholis Romanæ Curiæ, & alijs. num.14. ibid.
Ne Religioſi Sacramentum Extremæ-Unctionis, vel Euchariſtiæ, adminiſtrent ſine Parochi licentia, vel benedictionem nuptialem impertiant, vel excommunicatos à Canone abſolvant præterquam in caſibus à jure, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, eiſdem num.15. p.491
Vt Archiepiſcopus Provinciam ſuam peragrans, Crucem ante ſe portari faciat, &c. num.16. p.492
Religioſi excommunicantur qui aliqua proferunt in ſermonibus, vel alibi, ut retrahant audientes à ſolutione Decimarum. num. 17. ibid.
Religioſi etiam exempti violantes interdictum Eccleſiaſticum ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt. n.18. ibid.
Ne Epiſcopi, alijve Prælati ſubditos, vel exemptos injurijs & gravaminibus laceſſant. n.19. ibid.
De privilegijs Regularium. n.20. p.492
Sancti Franciſci Regulæ variæ difficultates & ambiguitates explicantur ac definiuntur. n.21. ibid.

*Vigiliæ.*

Vigiliæ nocturnæ in Eccleſia ad pſallendum & orandum in primitiva Eccleſia. n.19. p.76
Poſtea obſoleverunt, imo etiam prohibitæ ſunt. num.20. & 21. ibid.

*Virgines ſacræ.*

Virginum ætas ad ſacrum velamen ſuſcipiendum. num.3.p.26. & num.3.p.166. & num.4. p.167
Vide *Sanctimoniales.*
Virgines ſacræ, non fungebantur officio Diaconiſſarum. n.1. p.27
Virginum ſacrarum habitus qualis erat. ibid.
Virgines ſacræ velabantur,& quo ritu ſacrum velamen imponebatur. n.1. ibid.
Virgines ſanctimoniales ſolemni ritu ab Epiſcopo conſecratæ. n.3. & 5. p.27. & 28
Virginum Deo conſecratarum duo genera: quædam in parentum ædibus cum ipſis verſabantur, quædam in Monaſterijs à perſonis ſæcularibus ſejunctæ. n.4. ibid.
Virginum ſanctimonialium in Monaſterijs degentium ſtrictior diſciplina & clauſura. ibid.
Virgines ab Epiſcopo ſacrum velamen accipiebant. Non niſi quadrageſimo ætatis anno olim. num.5. p.28
Poſtea anno ætatis vigeſimoquinto: tandemque annum decimumſextum ad regularem utriuſque ſexus profeſſionem ſufficere decrevit Tridentina Synodus. ibid.
Virginibus religioſis præponendus Sacerdos, ſeu Confeſſarius, ab Epiſcopo loci probari debet. num.25. p.175
Virgines conſecratæ ſpeciali veſte induebantur. col.1. p.176

*Viſitatio.*

Viſitare debet Epiſcopus ſingulis annis ſuam Diœceſim, & exquirere ea quæ reparatione indigent. p.284 & n.5. cum alijs ſeqq. p.331
Vid. *Epiſcopus.*
Viſitatio Diœceſana moderatis fiat impenſis. n.2 p.424. & n.21. p.574.
Nec recipiantur procurationes in pecunia, nec munera à viſitatis. n.6. p.470
Viſitatio eſt optimus modus reformandi Eccleſiam. n.19. p.574
Et quod Prælati quibus jus viſitandi onus incumbit, ſuo munere diligenter fungantur. ibid. & num.22.
Et quomodo Epiſcopus viſitare poſſit exemptos. ibid. & n.13.p.579.
Et Hoſpitalia. n.20. p.574
Epiſcopus viſitans an poſſit recuſari ut ſuſpectus. n.36. p.591
Viſitare poteſt Epiſcopus non ſolùm Eccleſias exemptas, ſed etiam nullius Diœceſis. Cap.9. & 11. p.600

*Unctio.*

Unctio Sacramentalis duplex, externa & ſenſibilis; atque interna & inviſibilis, cujus author eſt Spiritus Dei. n.3. p.24
Unctio interior pertinet ad gratiam Sacramenti,& ad omnia ſuperna chariſmata. ibid.
Columba quæ in arcam Noë revolavit, ramum olivæ virentis deferens,eſt ſymbolum unctionis Sancti Spiritus. ibid.
Vnctio ex oleo Catechumenorum Baptiſmum præcedebat : ſequebatur vero unctio Chriſmatis. num.20. p.156
Quomodo talis unctio fiebat apud Græcos. ibid.
Vnctio Imperatorum, & Regum Franciæ. n.9. p.298
Vnctio ſacra ſemper fuit uſurpata in Eccleſia Chriſtiana, ut contra Calvinum multiplici teſtimonio probatur luculenter. n.2. p.460
Vnctio facta ægroto alio oleo quàm infirmorum, nulla eſt & debet iterari. n.1. p.612
Parochus ſit diligens in miniſtrando Extremæ-Vnctionis Sacramento. ibid.
Vnctio Chriſmatis cui, & à quo adhibenda. num.2. 3. & 4. p.210

*Vſura.*

Vſura prohibetur can.17. Concilij Niceni. n.1. pag.116
Primò quidem Clericis, deinde etiam Laïcis. ibid.
Vſuræ centeſimæ quæ dicantur. ibid.
Vſuræ ſeſquialteræ ἡμιόλια. ibid.
Vſura eſt ubi ampliùs requiritur quàm datur. n.1. p.117
Vſura, antichreſis dicta. ibid.
Vſura & turpe lucrum Clericis prohibetur ſub pœna depoſitionis. n.5.p.402. & can.13.p.404. & can.2. p.411.
Vſurarij manifeſti excommunicantur, & privantur Eccleſiaſtica ſepultura. Can.25.p.417. & num.7. p.488
Magiſtratus & Domini locorum Vſurarios de terris ſuis expellant. num.7. p.471. & num.4. p.490
Vſura grave peccatum. num.4. p.490. & num.4. p.627.
Vſuræ Iudæorum inhibendæ. ibid.
Vſuræ etiam pupillares reprobantur. num.4.p.617. & n.3. p.637.
Vſuræ, & contractus uſurarij varijs modis fiunt, qui referuntur, & reprobantur. n.3. p.637

*Vvicleffus.*

Vvicleffi hæreſis damnatur. n.1. p.498
Impia ejus dogmata præcipua referuntur. n.3. p.499. & p.511. per tot. & 512.
Hæc peſtis orta in Anglia aliquas etiam Germaniæ Provincias infecit. num.3.p.499. & n.3. p.501
Ejus Sectatores Joannes Hus, & Hieronymus. ibid. & col.1. p.504
Damnantur in Concilio Conſtantienſi.num.16. p.506
Eorum libri flammis addicuntur. p.521.522

*Vvormatia.*

Vvormatia civitas Vangiorum ripæ Rheni verſus Galliam adjacens. n.1. p.147
Concilium in illa celebratum ſub Adriano Papa II. & Imperatore Ludovico II. an.868. ibid.
*Can.*3. Nihil à Fundatoribus exigendum pro conſecratione Eccleſiæ : quæ tamen indotata conſecrari non debet. ibid.
*Can.*8. In quibus Presbyteri ab Epiſcopis conveniant, vel differant. n.2. ibid.

*Can.*22.

Digitized by Google

*Can.*22. De parvulis à parentibus Monaſterijs devotis & traditis. p.347
*Can.*23. Monachum facit aut paterna devotio, aut propria profeſſio. n.3. ibid.
Monachiſmus ex devotione paterna in poſterioribus Concilijs fuit abrogatus. num. 4. p 348
*Can.*29. De homicidio culpoſo, vel caſuali. ibid.

X

*Xerophagia.*

XErophagiæ auſteritas in jejunijs declaratur. num.22. p.157
Etiam ab Orientalibus aliqua ex parte obſervatur. ibid.

Z

*Zeno.*

ZEno Acacij ſuaſionibus in deteriora mutatus Orthodoxos proſequitur. n.24. p.189
Impium Edictum *Henoticum* nuncupatum promulgavit. ibid. & n.25. p.190
A Baſiliſco dejectus Imperio poſtea reſtituitur. num.24.p.189. & n.1.p.238.
Reſtitutus Imperio nihilo melior factus eſt, animo & corpore fœdus, Synodum Chalcedonenſem impugnavit, & alia impia perpetravit. ibid.

*FINIS.*

Digitized by Google

Ad Simoniam eliminandam reſpectu Officialium Epiſcopi, admonetur ne vendat Officia. col. 1. p.626
Simoniacæ ſtipulationes pro Miſſis celebrandis prohibentur.n.3. p.627
Beneficia per Simoniam obtenta omnino dimitti debent.n.11.p.631.& n.5. p.576
In Confeſſionibus de Simonia diligenter inquirendum.n.4. p.631
Simoniæ tres gradus diſtinguntur & declarantur. ibid.
De Simonia confidentiaria.n.15. p.631
Simoniaca pactio cum Patrono pro præſentatione ad beneficium diſtricte prohibetur. Can. 34. p.463
de Simoniacis pactionibus in Monaſteriorum ingreſſu, late differitur ad ornatum. Can.64. Lateran. Concilij. n.1. & ſeqq.per totam diſſertationem. p.443
Beneficia per Simoniam obtinentes excommunicantur & ſunt inhabiles ad alia ſimilia obtinenda.n.5. p.576

*Sinueſſanum Concilium.*

Sinueſſanum Concilium quo tempore fuit celebratum.n.1. p.79
Occaſione lapſus Marcellini Pontificis convocatum in cryptam Sinueſſæ.n.1.& 3. ibid.
Sinueſſani Concilij Acta venerandam antiquitatem ſapientia.n.2. ibid.
In eo Marcellinus reatum confeſſus non fuit judicatus nec depoſitus, ſed ſuo ipſius judicio remiſſus: quia Prima Sedes à nemine judicatur.n.1.& n.5. p.80
Sinueſſa erat Campaniæ oppidum.n.4. ibid.
Nunc S. ſſa dicitur in Regno Neapolitano.ibid.
Sinueſſani Concilij Acta, qualia nunc habentur, non ſunt judicialia, ſed hiſtoricè ab aliquo Scriptore contexta.n.6. p.80

*Sirmienſe Concilium.*

Concilia duo Sirmij habita, quorum unum legitimum eſt & Catholicum; alterum conciliabulum Arianorum.n.1. p.146
Prius præceſſit alterum duobus annis, neque confundi debent: ut ex Hilario probatur. ibid.
Photinus hæreticus in eo condemnatur. ibid.
Concilium alterum ſeu veriùs conciliabulum biennio poſt ab Arianis cogitur, in quo Religionis ſpecie Photinum Sirmij Epiſcopum pariter condemnant, & manu militari expellunt. num.2. p.147
In eo Liberius exul recuperandæ Sedis deſiderio infeliciter ſubſcribit damnationi Athanaſij. ibid.
Schiſmatis ſpecies inter Liberium & Felicem ipſi ſuffectum tempore quo exulabat Liberius. ibid.
Felix moritur, & Liberius reſipiſcens reſtituitur. ibid.
Ariani novam ſuæ confeſſionis formulam recudunt cui miſerandus Oſius hactenus veræ Fidei defenſor infeliciſſimè ſubſcripſit. num.3. p.147
Liberij, & Oſij lapſus deplorandus. ibid.

*Sors.*

Sors cecidit ſuper Mathiam, Deo illam temperante ac dirigente.n.1.& ſeqq. p.16
Sors iſta, & ſimiles non obſiſtunt divinæ voluntati & vocationi.n.8.& 9. p.17
Sors ab ipſo Deo plerumque præſcripta hominibus & approbata. n. 11. ubi referuntur exempla. ibid.
Sortium remedia etiam jura civilia interdum præcipiunt.n.12. p.18
*Spectacula.* Vide *Ludi.*

*S. Stephanus.*

Stephanus Diaconus prædicans divinitatem Chriſti, à Judæis lapidatur.n.4. p.2
De *Stephano* Rege Galliæ figmentum fabuloſum n.2.p.379.& n.7. p.380

*Stilico.*

Stilico Miniſter generalis Imperij Occidentis.n.1. p.181
Vtriuſque Imperij præfecturæ avidus. ibid.
Inſignem de Gothis victoriam reportat. ibid.
Gainam Gothici generis ducem ſibi devincit. num.2. ibid.
Factionem molitur in Ruſinum militum à quibus obtruncatus eſt. *ibid.*
Stiliconis perfidia in Maſceſelem. ibid.
Ejuſdem ambitio & tumultus concitati. num.5. & 6. p.182
Stilico Imperij proditor juſſu Honorij apud Ravennam interficitur. n.6. ibid.

*Subdiaconi.*

Subdiaconi inter ſacratos Miniſtros olim non cenſebantur: quare non poterant Diaconicon ingredi, nec vaſa ſacra contingere. Quod declaratur col.2. p.154
Subdiaconi hodie matrimonium contrahere non poſſunt. p 108. & 109
Ætas ad Subdiaconatum requiſita. num.50. p.596

*Suſceptores.*

Suſceptores ſunt fidei Chriſtianæ ſponſores pro ſuſcepto & ad quid obligentur. n.2. p.632
Debent eſſe ſacro Chriſmate confirmati,& tales qui ſciant reſpondere ad interrogata, munuſque à ſe ſuſceptum intelligant.col.2. p.642
Epiſcopus in ſua Diœceſi, Parochus in ſua Parochia, & Beneficiarius in ſuæ reſidentiæ loco pueros de ſacro fonte non ſuſcipiant. num.3. p.632
Monachus & Monialis ab hoc munere penitùs arceantur. ibid.

*Symbolum.*

Symbolum Fidei Chriſtianæ Apoſtoli compoſuerunt, ut eſſet veluti teſſera militaris Fidelium. num.9. p.3
Symboli S.Athanaſij duæ editiones, una Latina alia Græca. n.1. 2. & 3. p.54
Symbolum Nicæni Concilij ex Athanaſio, Rufino, Socrate, Theodoreto, prout jacet, refertur p.106
Symbolum Nicæni Concilij Ariani ſuſceperunt inviti ſpecie tenus ad res ſuas conſervandas, & ut ſub ſpecie ovili lupi rapaces Eccleſiam Dei faciliùs quàm aperto marte devaſtarent.n.1.& 2. p.125.& 126
Symbolum Fidei Concilij Conſtantinopolitani quod in Eccleſia Catholica decantatur. num.1. p.166
Symbolum Fidei & Orationem Dominicam diſcere ſemper admoneant Sacerdotes populum Chriſtianum. col.2. p.134
Symbolo Fidei an & quando liceat aliquid addere, latè inquiritur & reſolvitur. num.7. & ſeqq. p.540. Et ex profeſſo n.1. & ſeqq. p.543

*Synodus.*

Synodos ſingulis annis Epiſcopi convocare debent, num.1. & 5. p.111. & n.5. p.532. & n.68. p.599
Synodi ad quid convocentur. n.2. p.281
Synodorum convocatio eſt optimus modus reformandi Eccleſiam. n.23. p.574
Synodi Provinciales ſingulis triennijs convocari debent. n.67. p.599
Olim bis ſingulis annis celebrabantur. num.1. p.616
Deinde ſemel ſingulis annis. ibid.
Poſtremò ſingulis triennijs. ibid.
Synodi Provinciales ferè nulli nunc temporis celebrantur, neglectis admodum hac parte conſtitutionibus Eccleſiæ. n.1. p.616
Synodis Provincialibus Epiſcopi ſtata die debent adeſſe, niſi aliquo juſto & gravi impedimento detineantur. n.4. p.655
Et de jure Metropolitani. ibid. & p.656

T

*Tancredus Altavillanus.*

TAncredus Eques Normannus numeroſæ prolis pater ſuaſit liberis undecim maſculis, retento ſibi primogenito, ut in Apulia fortunam armis quærerent. n.11. p.372
Liberorum ejus præclara facinora. ibid.
Romanam Eccleſiam adverſus Græcos aliosque Tyrannos defendunt, & à multis vexationibus vindicant. ibid.
De eiſdem agitur, n.12. p.393

*Taurinenſe Concilium.*

Taurinenſe Concilium quo anno fuerit celebratum. n.1. p.196
Situs urbis deſcribitur. n.2. ibid.
Qua de cauſa iſtud Concilium fuerit indictum. ibid.
Proculus Epiſcopus Maſſilienſis jus Metropoleos prætendens excluditur: & à Zoſimo Pontifice deponitur. n.3. p.197
Quæ ſit Metropolis Provinciæ Narbonenſis? inquiritur n.4. ibid. & n.7. p.198
Quo prætextu Proculus Epiſcopus Maſſilienſis Suffraganeus Arelatenſi, in aliena Provincia jus Metropoleos præſumpſerit. n.7. p.198
*Templarij.* Vide *Viennenſe Concilium.* p.489

*Theodoſius.*

Theodoſius à Gratiano in partem & communionem Imperij aſſumptus. n.35. p.94
Maximum Tyrannum apud Aquileïam acie ſuperatum occîdit. ibid.
Valentianum Gratiani fratrem profugum in Imperium reſtituit, & ad fidem veram Ambroſij operâ revocat. ibid.
Eugenium novum Tyrannum qui Valentinianum Viennæ interceptum occiderat, acie victum captúmque ultimo ſupplicio addixit. n.36. pag.95
Eccleſias Ab Arrianis occupatas Catholicis reſtituit. ibid.
Sub ejus Imperio celebrata eſt œcumenica Synodus, in qua Macedonius damnatus eſt. ibid.
In iracundiam nimis propenſus. n.37. p.95
Vindictam de Theſſalonicenſibus ſumit, contra fidem datam Ambroſio pro ipſis veniam rogante. ibid.
Excommunicatur donec publica pœnitentia ſcelus expiaſſet. ibid.

*Theologalis.*

Theologalis officium. col.2. p.431
Ipſi aſſignatur præbenda. n.16. ibid.
Qualis eligi debeat. ibid.
Habetur pro præſente in Choro quando ſtudiorum cauſa abeſt. ibid.
De ejuſdem reſidentia. ibid.

*Theophilus.*

Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Iſidorum Alexandriâ expellit. n.8. p.183
Anachoretas qui Iſidorum exceperant ferociter perſequitur, cellas ipſorum expilat & incendit. ibid.
Chryſoſtomum Præſulem Conſtantinopolitanum ea de cauſa contumelijs afficit. ibid.
Citatur Conſtantinopolim edicto Arcadij. n.9. p.184
Evocatur ab hoſtibus Chryſoſtomi qui ſimul conſilium ineunt ut illum perdant n.10. ibid.
Fretus Eudoxiæ & Aulicorum, nec non Cleri favore, Conſtantinopolim venit, Chryſoſtomo inſultans. n.11. p.184
Pſeudoſynodum in ſuburbio Chalcedonis ad Quercum ipſe multis criminibus reus indicit, ad quam Sanctum Præſulem citat. ibid.
Chryſoſtomum recuſantem judices incompetentes, infenſos & ſuſpectos per ſummam injuriam damnat. ibid.
Iterum Arcadij & Eudoxiæ literis acceſſitur adverſus Chryſoſtomum Eccleſiæ reſtitutum, ad ipſum deponendum. n.12. p.185
Ingenti clade & ſacrilegijs Eccleſia Conſtantinopolitana affligitur. n.13. ibid.
Chryſoſtomum etiam defunctum perſequitur. ibid.

*Toletanum Concilium.*

Toletanum Concilium I. non ſub Innocentio, ſed ſub Anaſtaſio Pontifice collectum eſt initio ſæculi quinti. n 1. p.194
Toletum Civitas inſignis ad amnem Tagum ſita, caput Carpetanorum. n.2. p.195
Hujus Concilij cogendi cauſæ duæ præcipuæ fuerunt, ſchiſma Eccleſiarum Hiſpaniæ propter varias Ordinationes factas contra Canonum præſcripta; & hæreſis Priſcillianiſtarum. ibid.
Item in eo novum Fidei ſymbolum edictum eſt, quo proceſſio ſancti Spiritus à Patre, Filióque, confirmatur. ibid.
Multæ etiam propoſitæ irregularitates à ſacris Ordinibus arcentes, de quibus remiſſivè. num.3. p.195
*Can.5.* Exigit ut Clerici quotidie interſint Miſſæ ſacrificio. n 4. ibid.
*Can.6* Ne puellæ Deo conſecratæ virorum habeant familiaritatem. ibid.
*Can.14.* Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur. n.5. p.195
*Can.17.* De uxorato habente concubinam à communione repellendo. n.6. ibid.
Ut Fidelis una duntaxat vel uxore, vel



Digitized by Google

concubina ſit contentus: & quomodo verbum concubinæ in iſto Can. intelligendum ſit. ibid.
*Can.*18. De vidua Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi, à communione præterquam in mortis articulo, repellenda, ſi maritum acceperit. num.7. p.196
*Can.*20. Ut nullus præter Epiſcopum Chriſma conficiat, & per Diœceſim diſpenſet. num.8. ibid.
Et quod dicitur ibidem, Epiſcopo licere omni tempore Chriſma conficere, quomodo intelligendum. n.9. ibid.
Toletanum Concilium III. quo tempore celebratum. n.1. p.273
Illi Recaredus Rex ſubſcripſit primus. ibid.
In eo Quatuor Conciliorum generalium Canones de Fide editi ſunt & profeſſi. ibid.
Et de Spiritu ſancto quòd ſit Perſona diſtincta à Patre & Filio procedens. ibid.
*Can.*7. Vt in omni Sacerdotali convivio lectio ſacra miſceatur. n.2. p.273
*Can.*13. Ne Clericus Clericum trahat ad judicem ſæcularem neglecto ſuo Epiſcopo. ibid.
*Can.*23. Ludicræ ſaltationes diebus feſtis Sanctorum prohibentur. n.3. ibid.
Toletanum Concilium anni 633. ſedente Honorio Pontifice & regnante in Hiſpania Siſenando. n.1. p.281
*Can.*2. Vt nullus Epiſcoporum ſe vivente alium in loco ſuo eligat. ibid.
*Can.*3. De diſciplina Eccleſiaſtica per frequentes Synodos conſervanda. n.2. ibid.
Vbi etiam de Synodorum utilitate. ibid.
*Can.*4. Forma celebrandi Concilij præſcribitur. num.3. p.281
*Can.*6. De Baptiſmo per trinam, vel unicam immerſionem, juxta loci conſuetudinem. n.4. ibid.
*Can.*9. De nòvo igne excitando, & benedictione Cerei in pervigilio Paſchæ. n.5. ibid.
*Can.*23. An & quomodo Presbyteri & Diaconi unà cum Epiſcopo, vel ex cauſa infirmitatis ſeparatim vivere debeant. n.6. p.281
*Can.*25. De communi Canonicorum & Clericorum vita in Capitulis ſeu Epiſcopijs, & Seminarijs. n.7. p.282
*Can.*24. Vt Clerici juniores à Senioribus probatiſſimæ vitæ regantur, in Seminarijs. num.8. p.282
*Can.*25. Ignorantia errorum omnium mater in Sacerdotibus Dei maximè vitanda. num. 9. ibid.
*Can.*26. Presbyteri in Parochijs ordinati libellum Officialem à Sacerdote ſuo accipiant ad officium ſuum ritè & rectè exequendum. n.10. ibid.
*Can.*28. De Epiſcopo, vel Presbytero, aliiſque Clericis depoſitis injuſtè, in ſecunda Synodo reſtituendis, & qua forma id fieri debeat. n.11. ibid.
*Can.*32. Epiſcopi ſunt populi defenſores à Deo conſtituti. n.12. p.283
*Can.*34. & 35. De tricennali præſcriptione Eccleſiæ contra Eccleſiam in eadem Diœceſi. ibid. & num.13. p.284
*Can.*36. De viſitatione ab Epiſcopis ſingulis annis facienda Eccleſiarum ſibi ſubjectarum. ibid.
*Can.*38. De ſtipendio Sacerdotibus indigentibus exhibendo. n.14. ibid.
*Can.*40. De Orario Levitarum. ibid.
*Can.*41. De Tonſura Clericorum. num. 15. p.284
*Can.*45. Clerici armis abſtineant. ibid.
*Can.*47. De immunitate Clericorum ab omni publica indictione & labore. p.285
*Can.*49. Monachum facit aut paterna devotio, aut propria profeſſio. n.16. ibid.
*Can.*54. De Pœnitentibus à Clero arcendis, vel non. ibid.
*Can.*60. De filijs aut filiabus Iudæorum converſis educandis. ibid.
*Can.*63. De Judæa uxore ad fidem Chriſti converſa à conjuge infideli ſeparanda. num.17. p.285
*Can.*75. Subditi perduelles in Regem, aut ejus vitæ inſidiantes anathemate percelluntur. n.18. ibid.
Concilium Toletanum Undecimum ſub Vamba Hiſpaniarum Rege, ſedente Rom. Pontifice Adeodato, anno 675. in quo facta eſt diviſio Eccleſiarum Hiſpanicarum. n.1. p.290
*Can.*3. Ut Eccleſiæ inferiores modum & ritum Metropolitanæ obſervent in pſallendis Horis Canonicis. n.2. ibid.
*Can.*4. Oblationes & ſacrificia diſſidentium Clericorum, vel etiam laïcorum non recipiantur in Eccleſia donec ad concordiam redierint. num.3. ibid.
*Can.*6. Clerici abſtineant judicio ſanguinis. ibid.
*Can.*13. De Energumenis, alijſque ſimilibus paſſionibus irretitis à ſacro miniſterio arcendis. num.4. p.291
*Can.*14. Si Clericum celebrantem pernicioſa paſſio vel corporis valetudo arripiat, à tergo alius adſit qui ejus vicem exequatur. ibid.
Concilium Toletanum Pio IV. Pontifice an.1565. celebratum. n.1. p.614
*Act.*1. Edita eſt Fidei profeſſio, aliaque præliminaria fieri ſolita. n.2. ibid.
*Act.*2. Statum eſt de reſidentia Epiſcoporum, in loco ſcilicet in quo ſedes fuit conſtituta. ibid.
Item ut ſuam Diœceſim diligenter viſitent ſingulis annis. n.3. ibid.
Item ut neminem in ſuam familiam aſciſcant qui non ſit probatis moribus. n.4. p.624
*Act.*3.*cap.*1. Ut Epiſcopi publicum Archivum habeant, in quo Scripturæ omnes ad Sedem ſpectantes deponantur cum inventario earum, &c. n.5. p.625
*Can.*5. Ut Parochi diebus feſtis pueros, puellaſque doctrinam Chriſtianam edoceant. ibid.
Duo monita Epiſcopis conducibilia in hoc Concilio propoſita obſervantur. n.6. ibid.

*Toloſanum Concilium.*

Toloſanum Concilium anni 1228. debellatis Albigenſibus celebratum ſub Gregorio IX. Pontifice, & S.Ludovico Francorum Rege. num.1. & 2. p.446
*Can.*1. De hæreſi extirpanda, & hæreticis inquirendis

Digitized by Google

quirendis ac puniendis. num. 2. pag.447
*Can.* 7. Bailivi non patiantur hæreticos morari in locis ſuæ juriſdictionis, ſub pœna depoſitionis & confiſcationis bonorum. num. 3. ibid.
*Can.* 8. Ne quis innocens per calumniam accuſetur hæreſeos, neque condemnetur niſi judicio Eccleſiæ interveniente. ibid.
*Can.* 12. Omnes hæreſim extollentem ſe adverſus Sanctam & Catholicam Romanam Eccleſiam abjurent. ibid.
*Can.* 13. De Confeſſione Sacramentali ſaltem ter in anno facienda proprio Sacerdoti, & Sacra Communione ſuſcipienda. p.447
*Can.* 14. Libros veteris & novi Teſtamenti legere prohibetur Laïcis, præſertim in vulgari tranſlatos. p.448
*Can.* 15. Suſpecti de hæreſi Medicinam non exerceant. ibid.
*Can.* 38. Inhibentur omnes conjurationes, colligationes, & Confratriæ ſub variis pœnis mulctatitiis. ibid.
*Can.* 40. Nemo bona aliena per vim rapiat, etiam ſibi debita, vel pignorata, ſed per judicem repetat quæ ſibi deberi credit. p.448
*Can.* 41. Ne Caſtra de novo ædificentur. ibid.
*Can.* 42. Viduæ nobiles inimicis Fidei, vel pacis ſcienter non nubant. ibid.
*Can.* 43. Nullus judex pro juſtitia exhibenda aliquid exigat, ſed gratis omnibus ſine timore, odio, vel gratia illam adminiſtret. ibid.
*Can.* 44. Pauperibus Advocati dentur à Curia. ibid.
Toloſanum Concilium provinciale anno 1590. à Cardinali De Ioyoſa Archipræſule celebratum. num.1. p.647
Præmiſſa Fidei profeſſione, ab Epiſcopis ſumit exordium, quorum præſcribit officium. n.1. ibid.
Quales debeant aſſumi Officiales & Promotores n.2. ibid.
Vt Epiſcopi Parochis invigilent, & de officio ſuo admoneant; ut faciles ſe adeuntibus præbeant, ut ſcandala tollant, Verbum Dei diſpenſent, &c. n.3. p.647
*Tit. de rer. Eccleſ. alien.* Vt inventarium rerum Eccleſiæ conficiatur, ejuſque duo exempla, quorum unum ad Metropolitanum, vel Epiſcopum mittatur, aliud in Capitulo retineatur. num.4. p.648
De locatione rerum Eccleſiæ. col.2. ibid.
Beneficiato defuncto, Epiſcopus compellat heredes ut inſtrumenta ad beneficium ſpectantia gratis reſtituant. ibid.
*Tit. de proviſionib. benef.* Vt proviſi jurent nihil dediſſe aut promiſiſſe contra Sacros Canones pro obtinendo beneficio. col.2. p.648
Qui præſentato beneficium conferre recuſaverit, recuſationis cauſas ſcripto exhibeat. ibid.
*Tit. de Patronis.* Ne beneficia liberæ collationis uniantur Patronatis, taleſque uniones jam factæ infringantur, & ne Patroni Eccleſiarum bona occupent, vel in alios transferant. num.5. p.649

*Tonſura.*

Tonſura Clericalis commendatur. n.15. p.284
Ex Tonſura orta eſt conſuetudo obteſtandi & rogandi Epiſcopum per Coronam ipſius. ibid.
Tonſura Clericorum qualiter fieri debeat. num. 3. p.461
Tonſura Laïcorum. n.2. p.398.399
De Tonſura Clericali pro qualitate gradus. n. 11. p.634

*Traianus.*

Traiani perſecutio adverſus Chriſtianos. n.1 p.20
Trajani edictum iniquum quo prohibet inquiri Chriſtianos, tanquam innocentes; & jubet delatos puniri tanquam nocentes. n.2. ibid.
In perſecutione Trajani illuſtres Eccleſiæ Præſules martyrio coronati ſunt. n.3. ibid.
Trajanus dum Antiochiæ verſaretur parùm abfuit quin fuerit oppreſſus ruina, ex horrendo terræ motu quo civitas illa everſa eſt. n.4. p.20
Trajani perſecutionem contra Chriſtianos Adrianus ejus ſucceſſor proſecutus eſt. n.5. p.21
Adverſus Trajanum multæ provinciæ rebellarunt. n.4. p.20

*Treverenſe Concilium.*

Treverenſe Concilium provinciale anno 1549. celebratum, ad hæreſim extirpandam. num. 1. p.577
Eccleſiæ Romanæ inviolabiliter inhærendum. ibid.
Miſſio neceſſaria eſt ad prædicandum Verbum Dei, & Sacramentorum adminiſtrationem. n.2. ibid.
*Can.* 5. Deus etſi Spiritus ſit, non tamen internis tantum, ſed etiam externis actibus colendus. n.3. p.578
*Can.* 6. Vt ab Eccleſiis, præſertim tempore divinorum Officiorum, prophana colloquia, deambulationes, ſtrepitus, & ſimilia removeantur. n.4. ibid.
*Can.* 11. De privilegiis Regularium & immunitatibus non violandis, ſed conſervandis & augendis. n.5. ibid.
Ne quis ante legitimam ætatem & probationis annum completum ad profeſſionem Religionis admittatur. n.6. p.578
De vita & honeſtate Religioſorum, & ne ſecularibus negotiis ſe immiſceant. num.7.11.& 12. p.579
Ne Moniales extra ſepta monaſterij ſine cauſa & facultate egrediantur. n.8. ibid.
Vt nullus ſine juſta cauſa & licentia ſpeciali Monialium clauſtra ingrediatur. n.9. ibid.
Religioſi à conviviis ſæcularium abſtineant, nec illos ad ſua cœnobia invitent niſi ſubſit neceſſitas & honeſtas. n.10. p.579
De ſcandalo vitando. n.11.& 12. ibid.
*Can.* 12. Ne Religioſi Eccleſiarum Parochialium curam ſuſcipiant niſi ex licentia Ordinariorum & ſuorum Prælatorum. numero 13. ibid.
Alia plura de juriſdictione Epiſcopali in Religioſos traduntur ibid. p.579.& 580
*Can.* 19. Præſcribitur lex de vita & honeſtate Clericorum. n.14. p.580

*Triburienſe Concilium.*

Triburienſe Concilium anno 895. celebratum

apud Triburiam villam Regiam.n.1. p.354
*Can.*2. Clericus, qui homicidium fecerit etiam coactus, ſive ſit Presbyter, ſive Diaconus, deponatur.n.2. ibid.
*Can.*12. De Baptiſmo, excepto caſu neceſſitatis, non conferendo extra tempus Paſchæ & Pentecoſtes.n.4. p.355
*Can.* 13. Quibus de cauſis Decimæ offerantur. num.5. ibid.
*Can.*16.Ne Sepulturæ Fidelium pretio vendantur.n.7. p.356
*Can.* 18. De vaſculis in quibus Sacra Myſteria conficiuntur.n.8. ibid.
*Can.* 22. De purgatione Canonica per jusjurandum, & vulgari per ferrum candens.num.9. ibid.
*Can.* 28. Vt quiſque Epiſcopus ſua Diœceſi contentus ſit, nec in alienam ſe transferat. p.357
*Can.*30. De dignitate Sanctæ Apoſtolicæ Sedis Romanæ. p.357
*Can.*40. De nullitate matrimonij illius qui eam duxit quam polluerat per adulterium.n.12.& 15. ibid.
*Can.*41. De concubitu inceſtuoſo. n.13. ibid.
*Can.* 48. De cognatione ſpirituali.n.14. ibid.
*Can.*51. De impedimento matrimonij propter adulterium.n.15. p.358

*Tridentinum Concilium.*

Concilium Tridentinum œcumenicum indictum anno 1542. & inchoatum per primam ſeſſionem anno 1545.n.1. p.580
Seſſiones undecim habitæ ſunt ſub Paulo III. qui illud indixit. ibid.
Reſumptum fuit ſub Julio III. anno 1550.& quot habuerit ſeſſiones.n.2. p.581
Sub Pio IV. continuatur & perficitur ab anno 1560. ad annum 1563. & publicatur Romæ anno 1564.n.3. ibid.
Prælati & Oratores Gallicani de mandato Regis illi interfuerunt.n.4. ibid.
Quo ritu & ſolemnitate inceptum fuerit, exponitur.n.5.ibid.*Seſſione* 1. p.581
*Seſſ.*2. Præliminaria quædam edita ſunt. n. 6. ibid.
*Seſſ.*3. Symbolum Fidei recitatur.n.7. p.582
*Seſſ.* 4. Decretum de Canonicis Scripturis promulgatur. ibid.
*Seſſ.* 5. Præter decretum de peccato originali, edita ſunt alia quædam de reformatione, à n.8. uſque ad 12. ibid.
*Seſſ.*6. Decretum de juſtificatione, quod refertur pluribus capitibus diſtinctum.n.12. p.583
De reſidentia Epiſcoporum.n.13. p.584
De poteſtate Epiſcoporum etiam in Exemptos. n.14.15.& ſeqq.uſque ad n.21. ibid.& num.22. p.586
*Seſſ.*7. Edita ſunt decreta de Sacramentis. n. 21. p.586
De viſitatione Eccleſiarum etiam exemptarum. num.22. p.586
Concilium fuit tranſlatum Bononiam propter peſtem, ubi duæ ſeſſiones factæ ſunt de prorogatione Concilij.n.23. ibid.
Varia acta authentica ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Aquenſi Antonio Filiolo Inſigni Theologo collecta & ad hiſtoricam hujus Concilij notitiam ſpectantia in lucem proferuntur, à num.24. ad 33. pag.587
*Seſſ.*11. Quæ fuit prima ſub Julio III. Pauli III. in Pontificatu ſucceſſore, promulgatur edictum reſumptionis Concilij.n.33. p.590
*Seſſ.*12. Concilij prorogatio decernitur. ibid.
*Seſſ.* 13. Actum eſt de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.n.34. ibid.
*Cap.*3.*de reform.* A ſententia interlocutoria Ordinarij non appellatur niſi inferat irreparabile gravamen.n.35. p.590
Nec poteſt Epiſcopus recuſari ut ſuſpectus in viſitatione.n.36. p.591
Nec citari ut perſonaliter compareat niſi ex cauſa ob quam eſſet deponendus.n.37. ibid.
*Seſſ.*14. Actum eſt de Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis. à num. 38. & ſeqq. p.591
De habitu Clericorum.cap.6.de reform. ibid.
*Cap.*10. *&* 11. De beneficiis, & translationibus Regularium. p.591
Concilium interrupit mors Julij III. cujus loco electus eſt Marcellus II. qui etiam 22.die Pontificatus obiit.n.40. p.592
Ei ſucceſſit Paulus IV. quo ſedente nihil actum eſt in Concilio:& exacto in dignitate quadriennio, obiit. ibid.
Eligitur Pius IV. ſub quo Concilium ſuſpenſum & dilatum reſumitur hortante S. Carolo Borromeo. ibid.
*Seſſ.* 17. 18. 19. *&* 20. Nihil actum eſt præter ſupplices ad Deum preces, & prorogationes. *ibid.*
*Seſſ.*21.Varia decreta circa Sacramentorum adminiſtrationem.n.41. p.592
*Cap.*1. *de reform.*Vt Ordines gratis conferantur. ibid.
*Cap.*2. De titulo Clericali initiandorum Sacris Ordinibus. ibid.
*Cap.* 4. De Vicariis neceſſariis à Parochis aſſumendis & congrua portione illis aſſignanda. p.593
*Cap.*5. De Vnionibus Eccleſiarum.n.42. ibid.
*Cap.*6. Si Beneficiati ſint imperiti, aut turpiter vivant, quomodo providendum. ibid.
*Cap.*7. De reparandis Eccleſiis collapſis. ibid.
*Seſſ.*22. *de reform. cap.* 4 De voce in Capitulo. ibid.
Item de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.ibid.n.43.& 44. p.594
Item, Ne ignoto Sacerdoti Miſſam celebrare permittatur: neque cuiquam extra Eccleſiam. ibid.
*Cap.*8.*&* 9.Cura Hoſpitaliorum, & Confraternitatum Ordinariis demandatur.n.45. ibid.
*Seſſ.*23.*cap.*2.De conſecratione Epiſcoporum intra tres menſes facienda.n.46. p.594
*Cap.* 4. Prohibetur ne quis ad Clerum promoveatur niſi Confirmationis Sacramentum priùs ſuſceperit. numero 47. ubi bene declaratur. ibid.
*Cap.*5. De diligenti examine ad majores Ordines promovendorum. p.595
*Cap.*8. De Ordinatione à proprio Epiſcopo facienda.num.48. & 49. ubi de literis dimiſſoriis. ibid.
*Cap.* 12. De ætate ad Subdiaconatum. num. 50. p.596
*Cap.* 15. Epiſcopi approbatio neceſſaria eſt

Presbyteris

Digitized by Google

Presbyteris ut poſſint abſolvere à peccatis. ibid.
*Cap.* 16. Vt non omnes promiſcuè ordinentur. ibid.
*Cap.* 18. De Seminariis Clericorum. num. 51. ibid.
*Seſſ.* 24. Actum eſt de Sacramento Matrimonij. num. 52. p. 596
*Cap.* 1. *de reform. matr.* Vt matrimonium celebretur coram Parocho proprio & duobus ſaltem teſtibus. n. 53. p. 597
De poteſtate indicendi nova matrimonij impedimenta etiam dirimentia penes Eccleſiam. num. 54. ibid.
De matrimoniis filiorumfamilias invitis parentibus contractis tam de jure communi ex decreto Concilij, quam jure Gallico. n. 53. & 54. p. 597
An valeat matrimonium in præſentia Parochi inviti contractum. n. 55. ibid.
An in aliena parochia validè Parochus aſſiſtat matrimonio ſui parochiani. n. 56. p. 598
An contra ſui Ordinarij prohibitionem. n. 57. ibid.
Matrimonium Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia, & ſecundum Eccleſiæ leges celebrandum. n. 58. ibid.
*Cap.* 2. Impedimenta ex gradibus affinitatis, & cognationis, reſtringuntur. numero 59. & 60. ibid.
*Cap.* 3. De impedimento publicæ honeſtatis. num. 61. ibid.
*Cap.* 4. De impedimento affinitatis ex illicito congreſſu. n. 62. p. 598
*Cap.* 5. De Diſpenſatione Pontificis circa impedimenta matrimonij. n. 63. p. 599
*Cap.* 6. De impedimento Raptus. n. 64. ibid.
*Cap.* 7. De matrimonio vagorum hominum. ibid.
*Cap.* 9. Domini, & Magiſtratus, cogentes ſubditos ad matrimonium cum certis perſonis contrahendum, excommunicantur. num. 65. ibid.
*Eiuſdem ſeſſ.* 24. *Cap.* 1. *de reformatione Sacræ diſciplinæ*, Et in primis de creatione Epiſcoporum. num 66. p. 599
*Cap.* 2. Vt ſingulis trienniis Concilia provincialia habeantur. n. 67. ibid.
*Cap.* 3. Vt ſingulis annis Epiſcopus Diœceſim viſitet. n. 68. ibid.
*Cap.* 4. De Eccleſia Parochiali frequentanda. num. 69. p. 600
*Cap.* 6. De facultate Epiſcopis conceſſa diſpenſandi in irregularitatibus & ſuſpenſionibus certis. n. 70. ibid.
*Cap.* 8. De publicè & ſcandaloſè peccantibus. ibid.
*Cap.* 9. Epiſcopus poteſt viſitare Eccleſias exemptas, & nullius Diœceſis. p. 600
*Cap.* 11. Epiſcopi jure ſuo uti poſſunt, honorariis titulis & privilegiis particularibus non obſtantibus. ibid.
*Cap.* 12. De reſidentia in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis: & de diſtributionibus: & quod Canonici Epiſcopo celebranti inſerviant. num. 71. ibid.
*Cap.* 14. Vt omnes exactiones Simoniacæ aboleantur. n. 72. p. 601
*Cap.* 17. Pluralitas beneficiorum incompatibilium prohibetur. n. 73. & 74. ibid.
*Cap.* 18. Vt beneficiis animarum curam habentibus per concurſum provideatur, & digniores præferantur. n. 75. p. 602
*Cap.* 19. De revocatione gratiarum Expectativarum. ibid.
*Seſſ.* 25. Decreta varia de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, de Sacris Imaginibus, Indulgentiis, & aliis ad Fidem ſpectantibus. n. 76. p. 602
Deinde alia ſancita ſunt de Regularibus & Monialibus, ad inſtaurandam collapſam Regularem diſciplinam.
*Cap.* 1. *&* 2. *cum ſeqq. de reformatione.* ibid. & p. 603
*Cap.* 2. Proprietatis vitium extruditur. ibid.
*Cap.* 3. Paupertas rigidior relaxatur præterquam in Religione Capucinorum, & de Obſervantia. ibid.
*Cap.* 4. Ne quis Regularis ſine ſui Superioris licentia obſequio alicujus Prælati, vel Principis ſe ſubiiciat, aut à Conventu recedat. ibid.
*Cap.* 5. Vt clauſuræ Monialium Epiſcopi curam gerant. n. 77. p. 603
*Cap.* 6. De electione Superiorum Regularium. num. 78. ibid.
Ne à Præſidente in electione duæ vel tres perſonæ proponantur, cæteris excluſis. num. 79. ibid.
*Cap.* 10. De Confeſſione & communione Monialium ſingulis ſaltem menſibus facienda. n. 80. p. 604
*Cap.* 11. Parochi Regulares in his quæ pertinent ad curam & Sacramentorum adminiſtrationem ſubjacent juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi. n. 81. p. 604
*Cap.* 13 Controverſiæ de præcedentia ab Epiſcopo, omni appellatione remota cōponantur. ibid.
*Cap.* 15. De ætate ad profeſſionem Regularem. num. 82. ibid.
*Cap.* 16. Omnis donatio inter vivos vel renuntiatio novitiorum ante duos ultimos menſes novitiatus exacti nulla eſt & invalida. ibid. p. 604
*Cap.* 18. Vt nemo cogatur ad profitendam Religionem. n. 83. ibid.
*Cap.* 19. De reclamatione invalidè profeſſi intra quinquennium facienda. n. 84. p. 605
*In eadem ſeſſ.* 25. Subiiciuntur decreta 21. de reformatione, maximè de officio Prælatorum. cap. 1. n. 85. ibid.
*Cap.* 3. Excommunicationis gladius prudenter & ſobriè exercendus. n. 86. ibid.
*Cap.* 4 Qua ratione magnus Miſſarum celebrandarum numerus reduci poſſit à Prælatis. p. 606
*Cap.* 7. De pacto acceſſus vel regreſſus ad beneficia prohibita. n. 87. ibid.
*Cap.* 11. Ne ultra quinquennium locationes rerum Eccleſiæ & ſolutiones anticipatæ fiant. num. 88. ibid.
*Cap.* 14. De vita & honeſtate Clericorum, & ne concubinas habeant. n. 89. p. 607
*Cap.* 16. De congrua portione Vicario perpetuo beneficij curati aſſignanda. n. 90. ibid.
*Cap.* 19. Duella ſub graviſſimis pœnis prohibentur. n. 91. p. 608
*Cap.* 20. Vt omnes ſanctiones in favorem perſonarum Eccleſiaſticarum, immunitatum, & libertatis



Digitized by Google

libertatis Eccleſiæ ſerventur. ibid. & num. 92. p.609

*Cap.* 21. In his omnibus decretis de reformatione atque Eccleſiaſtica diſciplina reſervata cenſetur authoritas Sedis Apoſtolicæ. p.609

*Cap.* 21. Decretum de Indulgentiis, ut earum munus piè ſanctè & incorruptè Fidelibus diſpenſetur. ibid.

*Cap.* 28. Decretum de petenda Sacræ Vniverſalis Synodi à Pontifice confirmatione, quam conceſſit anno 1563.n.93. p.610

Decretum de Canonicis Scripturis *Seſſ.* 4. promulgatum, ſive de vulgata Bibliorum editione latiùs inveſtigatur & exponitur. num.1.& ſeqq. pag.611

*Trullus.*

Trullus erat Secretarium Sacri Palatij in quo ſexta Synodus Conſtantinopolitana celebrata fuit, ſub Conſtantino Auguſto Pogonato, authoritate Agathonis Rom.Pontificis celebrata.n.8. p.[illegible]

Et ſimiliter Synodus Quiniſexta ſub Juſtiniano II.n.1. p.[illegible]

*Turonicum Concilium.*

Turonicum Concilium anno 570. celebratum.n.1. p.169

*Can.* 1. Convocari jubet per Metropolitanos bis ſingulis annis Synodum provincialem, aut ſaltem ſemel; Et quod Epiſcopi illi interſint. num.2. ibid.

*Can.* 4. Vt Laïci dum ſancta celebrantur myſteria, à Clericis ſeparentur. ibid.

*Can.* 5. Vt quælibet civitas pauperes ſuos incolas paſcat. ibid.

*Can.* 10. Vt Clerici victum honeſto artificiolo ſibi comparent, & propriis manibus ſuam refectionem præparent.n.3. p.169

*Can.* 17. De jejuniis Monachorum. numero 4. ibid.

*Turonenſe Concilium.*

Turonenſe Concilium III. ſub Carolo Magno, anno 813.celebratum. p.335

*Can.* 1. *&* 2. Injungitur Epiſcopis Sacræ Scripturæ lectio. ibid.

*Can.* 3. Commendatur lectio Paſtoralis Gregorij Papæ, & Sanctorum Canonum. ibid.

*Can.* 4. Vt Epiſcopus prædicet Verbum Dei. ibid.

*Can.* 5. Vt Epiſcopi frugaliter vivant. ibid.

*Can.* 6. Vt peregrinos & pauperes habeant convivas. ibid.

*Can.* 10. Vt magnam pauperum curam habeant. p.335

*Can.* 12. De Presbytero non ordinando ante legitimum tempus, & priuſquam officium ſuum didicerit in Epiſcopio. ibid.

*Can.* 14. Ne liceat de minori titulo ad majorem ſe transferre. p.336

*Can.* 23. De regulari obſervantia & vita Canonicorum & Clericorum in Epiſcopiis num.3. ibid.

*Can.* 24. De Regulari obſervantia Monachorum p.337

*Can.* 25. De reformatione Monachorum S. Benedicti, ut ad priſtinum ſtatum & inſtitutum revertantur. ibid.

*Can.* 31. De honore & obedientia Epiſcopis exhibenda. ibid.

*Can.* 35. Ne judices munera accipiant pro judicio. ibid.

*Can.* 49. Ne Domini locorum ſubditos ſuos vexent, ſed piè cum illis agant, neque ſubſtantias eorum tollant. ibid.

*Can.* 50. Si non frequentiùs, ſaltem ter laïci ſingulis annis communicent, niſi majoribus criminibus impediantur.n.6. p.337

Turonenſe Concilium anni 1163. ab Alexandro III.Papa celebratum.n.1. p.410

In eo Antipapa dictus Victor III. à Friderico Ænobarbo Imperatore intruſus anathemate percuſſus eſt unà cum fautoribus ſuis. ibid.

*Can.* 1. Vt Præbendæ Eccleſiaſticæ ſine diminutione conferantur.n.2. p.410

*Can.* 2. Adverſus Clericos uſurarios. ibid. p.411

*Can.* 3. De laïcis Eccleſias, Decimas, & Oblationes occupantibus & invadentibus excommunicandis. ibid.

*Can.* 4. De hæreticis occultè ſerpentibus per Guaſconiam & alias provincias propulſandis. ibid.

*Can.* 5. De Presbyteris conductitiis, & ne venale Sacerdotium exhibeatur. p.411

*Can.* 6. Ne quid per avaritiam & Simoniam pro rebus ſacris exigatur. ibid.

*Can.* 7. Ne Epiſcopi vices ſuas aliis committant. ibid.

*Can.* 8. De Interdicto Eccleſiaſtico adverſus invadentes, occupantes, & retinentes injuſtè poſſeſſiones Eccleſiæ.n.3. p.412

Turonenſe Concilium anno 1236. ſub Gregorio Papa IX. & S. Ludovico celebratum. num. 1. p.449

*Can.* 2. Nulli Advocatorum officio fungantur niſi per triennium jura audierint, vel aliàs approbati ſint. ibid.

*Can.* 3. Nulli recipiantur Scriptores in Curia niſi ſciant ſtylum Curiæ, & Statuta. ibid.

*Can.* 4. Nulli ſtatuantur Officiales niſi per quinquennium jura audierint, vel aliàs approbati ſint. ibid.

*Can.* 13. Qualiter de novo converſi erudiri in Fide, & pauperes ſuſtentari debeant. num. 2. p.449

*Can.* 24. De hoſpitalitate ab Abbatibus & Prioribus exhibenda omnibus, & maximè Religioſis.n.3. ibid.

Turonenſe Concilium anni 1588.n.1. p.637

*Tit.* 9. *de Matrimonio.* In quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu Epiſcopis diſpenſare non licet. ibid.

*Tit.* 11. De poteſtate Epiſcopali, ratione cujus Epiſcopi plura perficere poſſunt, quæ ſunt Presbyteris interdicta. ibid.

*Tit.* 15. *de Laïcis.* Vt Laïci Parochialem Eccleſiam frequentent, præſertim diebus Dominicis & feſtivis.n.2. p.638

Vt Sacram Euchariſtiam tempore Paſchatis abſque Parochi conſenſu extra Eccleſiam Parochialem non ſuſcipiant. ibid.

Mulieres non niſi velato capite & pectore Eccleſiam ingrediantur.n.3. ibid.

Nullus pecuniam adulterinam etiam ignoranter receptam, alteri tradat, ibid,

Deambulationes in Eccleſia prohibentur. ibid.
*Tit. de Monachis & Monaſteriis.* Ut Profeſſiones Religioſorum & Monialium per ſcripturam fiant & regiſtrentur à Superioribus. p.638
*Tit. de Sepulturis.* Ut legata pia fideliter ſolvantur. n.4. p.639
Ut nemo jure proprio ſepulturam ſibi vindicet in Eccleſia. ibid.
*Tit. de Iuriſdictione.* Ne Clericus Clericum ad judicem ſæcularem trahat, nec Pontificem ſuum relinquat, ſub pœna excommunicationis. ibid. p.639
Cauſas Matrimoniales omnes fori eſſe Eccleſiaſtici decernitur, quarum cognitio judicibus laicis à ſacris Canonibus interdicitur. num.5. ibid.

## V

*Valentinianus.*

Valentinianus Joviniano militaribus ſuffragijs ſuffectus eſt. n.28. p.91
Valentem fratrem accivit, cum quo partitur Imperium. ibid.
Initio ambo Nicænam fidem profitentur. ibid.
Adverſus Quados expeditionem parans, ira vehementiùs excandeſcens, adverſus legatos ad ſe miſſos, apoplexia interijt. ibid.
Gratianum ex primis nuptijs, & Valentinianum ex ſecundis ſuperſtites filios reliquit. ibid.

*Valens.*

Valens, peremptis Procopio & Marcello Tyrannis in Oriente, hortatu Arianæ conjugis, in eamdem hæreſim relabitur. n.29. p.91
Præcipuè Monachis orthodoxis infenſus. ibid.
Epiſcopos etiam crudeliter vexavit. ibid.
Legationem 80. venerabilium Sacerdotum & Diaconorum ad ſe miſſam in medio mari incendio ſimul & fluctibus immaniter abſumpſit. ibid.
Lucium Arianum Athanaſio defuncto ſubrogavit, cum maxima clade Alexandriæ. n.30. ibid. & pag.92
à Mamia Saracenorum Regina bello ſuperatur, quæ in tractatu voluit ut ſanctiſſimus anachoreta Moyſes Sedi Alexandrinæ præficeretur. num.31. ibid.
Gothos in belli ſocietatem aſcivit. num.32. pag.92
Gothi fœdus initum brevi infringunt. num.33. ibid.
Valens miſerrimè moritur, ſine liberis. ibid.

*Valerianus Imper.*

Valerianus à Decio Cenſor creatus crudelitatis in Chriſtianos ſuæ pœnas exoluit, à Sapore Perſarum Rege interceptus. n.18. p.61
Sub ejus imperio Sabellius hæreſim ſuam propagavit. n.21. p.62
Galienus ejus filius eidem ſucceſſit in Imperio. ibid.

*Vaſa.*

Vaſa in quibus olim conficiebantur myſteria. n.8. p.356
Vaſa ſacra pretioſa alienari poſſunt pro redimendis captivis Chriſtianis. ibid.
Vaſa & Ornamenta Eccleſiæ munda ſint, & honeſtè teneantur. n.5. p.518

*Vaſio, Vaſenſe ſeu Vaſionenſe Concilium.*

Vaſio, Vocontiorum oppidum. n.1. p.213
Concilia duo in illa civitate celebrata. ibid.
*Can.*2. Pro his, qui pœnitentiâ acceptâ ſubitanea morte præveniuntur, oblationem recipiendam. n.2. ibid.
*Can.*3. Per ſingula territoria Presbyteri, vel Miniſtri ab Epiſcopis proprijs per annos ſingulos Chriſma petant. ibid.
*Can.*4. Qui oblationes defunctorum fidelium retinent, excommunicentur. p.213
*Can.*5. Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, recurrat ad Synodum. n.3. p.214

*Vaurenſe Concilium.*

Vaurenſe Concilium trium Provinciarum anno 1368. celebratum. p.495
Urbani Papæ V. literæ ad Petrum Narbonenſem Archiepiſcopum de celebrando Provinciali Concilio referuntur. n.1. ibid.
*Canonibus primis* exponuntur Catecheſes quibus plebes inſtrui debent à Parochis. num.2. ibid.
*Can.*12. Vt nihil fiat contra libertates, conſuetudines, & immunitates Eccleſiæ. ibid.
*Can.*14. Confraternitates nefariæ, conventicula & conjurationes Nobilium de ſe invicem adjuvando adverſus quoſcunque, &c. prohibentur ſub pœna excommunicationis. num.3. p.496
*Can.*15. Simili pœna percelluntur impedientes Electionem, poſtulationem, præſentationem, aliamvè proviſionem canonicam de beneficio Eccleſiaſtico. ibid.
*Can.*16. Qui fraudulenter procurat impedimenta ſuper poſſeſſione beneficij ſibi collati, excommunicatur. ibid.
*Can.*17. Intruſus, aut per vim occupans beneficium Eccleſiaſticum, ipſo jure privatus exiſtat. num.4. p.497
*Can.*25. Ne Archidiaconus ſine mandato Epiſcopi ſui de cauſis matrimonialibus utpotè graviſſimis cognoſcat. n.5. ibid.
*Can.*31. Vt ſententia excommunicationis legitimè lata in una Diœceſi, ubique ſervetur præmiſſis literis requiſitorijs Epiſcopi qui illam tulit. n.6. ibid.
*Can.*36. Ne Domini temporales, vel Iudices eorum Clericum, exceptis cauſis feudalibus coram ſe citari faciant. n.7. p.497
*Can.*37. Excommunicati ab omnibus dignitatibus & officijs publicis arceantur. num.8. ibid.
*Can.*73. Religioſus exemptus delinquens in loco non exempto, ab Ordinario illius loci corrigi & puniri poteſt. ibid. p.498
*Can.*111. Duo Canonici ſucceſſivè Eccleſiæ Metropolitanæ, & Cathedralis, ad Vniverſitates ſtudiorum cauſa in Theologia, vel

Iure Canonico tranſmittantur. ibid.
*Can.* 119. Retinentes injuſtè privilegia & inſtrumenta ad Eccleſias pertinentia excommunicantur. n.9. ibid.

*Veſpera Siciliana.*

Veſperæ vulgò dictæ Sicilianæ, ſive conjuratio adverſus Carolum Andegavenſem Siciliæ Regem, qua nefaria cædes patrata eſt. num.15. p.412

*Vicarius.*

Vicariorum Rom. Pontificis multiplex diſcrimen. num.1. p.104
Alij Legati à latere: Alij Cognitores ſeu Commiſſarij: Alij Apocriſiarij ſeu Reſponſales, quales hodie Nuntij Apoſtolici. ibid.
Primatibus tanquam Vicarijs poteſtas & juriſdictio ſupra plures Metropolitanos & Epiſcopos conferebatur à Summo Pontifice. num.2. & ſeqq. p.105
Vigilius Papa Vicariam Theſſalonicæ tranſtulit Acridum Bulgariæ urbem Iuſtiniani patriam. num.3. ibid.
Hormiſdas conſtituit Vicarium per omnem Bœticam & Luſitaniam, Saluſtium Epiſcopum Hiſpalis. n.4. ibid.
Vid. *Legatus.*
Vicarij Generalis Epiſcopi prima inſtitutio. n.3. p.406
In Vicarios & Coadjutores Parochorum non aſſumantur Clerici incogniti. n.4. p.487
De Vicarijs ſeu Coadjutoribus Rectorum Eccleſiarum Parochialium aſſumendis, aſſignata ipſis congrua portione. Cap.4. & 6. p.593. & num.4. p.577
De Vicarijs perpetuis à Capitulis vel Abbatibus nominatis & ab Ordinario inſtitutis. num.2. p.618
De Vicarijs Parochorum ſeu adminicularijs Sacerdotibus non recipiendis niſi ab Ordinario probatis. ibid.
De Vicario Parochi circa matrimonia celebranda. num.2. p.622
Vicarius generalis Epiſcopi qualis eſſe debeat. tit.26. p.623
De Vicarijs Parochorum, col.1. p.641
De Vicarijs foraneis Epiſcoporum, num. 10. p.647
Quam habeant juriſdictionem. ibid.
Vicariæ perpetuæ in titulum beneficij erectæ, ſunt vera beneficia, ut non ſit liberum Rectoribus primitivis Vicarios removere. num.4. p.576. & cap.4. & 6. p.593

*Vidua.*

De Succeſſione Viduarum & Fratrum adducitur Edictum Dagoberti Regis. n.2. p.326
Viduæ Deo devotæ ad alia vota convolare non poterant: & de habitu religioſo Viduarum. Can.124. p.176

*Viennenſe Concilium.*

Concilium Viennæ Allobrogum ad flumen Rhodanum ſitæ à Clemente Papa V. celebratum anno 1311. p.489
In eo Templariorum Ordo ſuppreſſus & extinctus ob atrociſſima flagitia ab ipſis patrata. n.1. ibid.
Similiter impiæ Begardorum, & Beguinarum Sectæ, necnon Fraticellorum ſeu Dulciniſtarum damnatæ fuerunt, quorum errores recenſentur. num.2. & 3. p.490
Præterea damnantur illi qui aſſerunt uſuram non eſſe peccatum: & Principes, vel Communitates tolerantes uſurarios, etiam Iudæos. n.4. ibid.
Reſignatio facta per procuratorem valet, non obſtante revocatione mandati non ſignificata. num.5. ibid.
In impetratione novi beneficij aliorum mentio fieri debet quæ impetrans poſſidet. num.6. ibid.
Ut Epiſcopi Prælatorum Regularium negligentiam in conferendis beneficijs ab ipſis dependentibus ſuppleant. n.7. p.491
Ut Epiſcopi Clericos ſubditos delinquentes diligenter corrigant. n.8. ibid.
Ut Epiſcopi à ſuis ſedibus expulſi poſſint procedere contra expulſores in aliena Diœceſi, petita à Diœceſano licentia, licèt non obtenta. num.9. ibid.
De proviſione beneficij à Pontifice facta motu proprio ei qui jam alia poſſidet beneficia. n.10. ibid.
De ſepultura in Eccleſijs Prædicatorum, vel Minorum, & de Quarta funerali. num.11. p.491
De Patronis, & jure patronatus, & quomodo in eo ſuccedatur. n.12. ibid.
De Matrimonio in gradu prohibito, vel cum Moniali contracto. n.13. ibid.
De Scholis Romanæ Curiæ, & alijs. num.14. ibid.
Ne Religioſi Sacramentum Extremæ-Unctionis, vel Euchariſtiæ, adminiſtrent ſine Parochi licentia, vel benedictionem nuptialem impertiant, vel excommunicatos à Canone abſolvant præterquam in caſibus à jure, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis, eiſdem num.15. p.492
Ut Archiepiſcopus Provinciam ſuam peragrans, Crucem ante ſe portari faciat, &c. num.16. p.492
Religioſi excommunicantur qui aliqua proferunt in ſermonibus, vel alibi, ut retrahant audientes à ſolutione Decimarum. num. 17. ibid.
Religioſi etiam exempti violantes interdictum Eccleſiaſticum ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt. n.18. ibid.
Ne Epiſcopi, alijve Prælati ſubditos, vel exemptos injurijs & gravaminibus laceſſant. n.19. ibid.
De privilegijs Regularium. n.20. p.492
Sancti Franciſci Regulæ variæ difficultates & ambiguitates explicantur ac definiuntur. n.21. ibid.

*Vigiliæ.*

Vigiliæ nocturnæ in Eccleſia ad pſallendum & orandum in primitiva Eccleſia. n.19. p.76
Poſtea obſoleverunt, imo etiam prohibitæ ſunt. num.20. & 21. ibid.

# Rerum omnium Notabilium.

*Virgines ſacræ.*

Virginum ætas ad ſacrum velamen ſuſcipiendum. num.3.p.26. & num.3.p.166. & num.4. p.167

Vide *Sanctimoniales.*

Virgines ſacræ, non fungebantur officio Diaconiſſarum. n.1. p.27

Virginum ſacrarum habitus qualis erat. ibid.

Virgines ſacræ velabantur,& quo ritu ſacrum velamen imponebatur. n.2. ibid.

Virgines ſanctimoniales ſolemni ritu ab Epiſcopo conſecratæ. n.3. & 5. p.27. & 28

Virginum Deo conſecratarum duo genera: quædam in parentum ædibus cum ipſis verſabantur, quædam in Monaſterijs à perſonis ſæcularibus ſejunctæ. n.4. ibid.

Virginum ſanctimonialium in Monaſterijs degentium ſtrictior diſciplina & clauſura. ibid.

Virgines ab Epiſcopo ſacrum velamen accipiebant. Non niſi quadrageſimo ætatis anno olim. num.5. p.28

Poſtea anno ætatis vigeſimoquinto: tandemque annum decimumſextum ad regularem utriuſque ſexus profeſſionem ſufficere decrevit Tridentina Synodus. ibid.

Virginibus religioſis præponendus Sacerdos, ſeu Confeſſarius, ab Epiſcopo loci probari debet. num.25. p.175

Virgines conſecratæ ſpeciali veſte induebantur. col.1. p.176

*Viſitatio.*

Viſitare debet Epiſcopus ſingulis annis ſuam Diœceſim, & exquirere ea quæ reparatione indigent. p.284 & n.5. cum alijs ſeqq. p.331

Vid. *Epiſcopus.*

Viſitatio Diœceſana moderatis fiat impenſis. n.2 p.414. & n.21. p.574.

Nec recipiantur procurationes in pecunia, nec munera à viſitatis. n.6. p.470

Viſitatio eſt optimus modus reformandi Eccleſiam. n.19. p.574

Et quod Prælati quibus jus viſitandi onus incumbit, ſuo munere diligenter fungantur. ibid. & num.22.

Et quomodo Epiſcopus viſitare poſſit exemptos. ibid. & n.13.p.579.

Et Hoſpitalia. n.20. p.574

Epiſcopus viſitans an poſſit recuſari ut ſuſpectus.n.36. p.591

Viſitare poteſt Epiſcopus non ſolùm Eccleſias exemptas, ſed etiam nullius Diœceſis. Cap.9. & 11. p.600

*Unctio.*

Unctio Sacramentalis duplex, externa & ſenſibilis; atque interna & inviſibilis, cujus author eſt Spiritus Dei. n.3. p.24

Unctio interior pertinet ad gratiam Sacramenti,& ad omnia ſuperna chariſmata. ibid.

Columba quæ in arcam Noë revolavit, ramum olivæ virentis deferens,eſt ſymbolum unctionis Sancti Spiritus. ibid.

Vnctio ex oleo Catechumenorum Baptiſmum præcedebat: ſequebatur vero unctio Chriſmatis. num.20. p.156

Quomodo talis unctio fiebat apud Græcos. ibid.

Vnctio Imperatorum, & Regum Franciæ. n.9. p.298

Vnctio ſacra ſemper fuit uſurpata in Eccleſia Chriſtiana, ut contra Calvinum multiplici teſtimonio probatur luculenter. n.2. p.460

Vnctio facta ægroto alio oleo quàm infirmorum, nulla eſt & debet iterari. n.1. p.621

Parochus ſit diligens in miniſtrando Extremæ-Vnctionis Sacramento. ibid.

Vnctio Chriſmatis cui, & à quo adhibenda. num.2. 3. & 4. p.210

*Uſura.*

Vſura prohibetur can.17. Concilij Niceni. n.1. pag.116

Primò quidem Clericis, deinde etiam Laïcis. ibid.

Vſuræ centeſimæ quæ dicantur. ibid.

Vſuræ ſeſquialteræ ἡμιολία. ibid.

Vſura eſt ubi ampliùs requiritur quàm datur. n.1. p.117

Vſura, antichreſis dicta. ibid.

Vſura & turpe lucrum Clericis prohibetur ſub pœna depoſitionis. n.5.p.402. & can.13.p.404. & can.2. p.411.

Vſurarij manifeſti excommunicantur, & privantur Eccleſiaſtica ſepultura. Can.25.p.417. & num.7. p.488

Magiſtratus & Domini locorum Vſurarios de terris ſuis expellant. num.7. p.471. & num.4. p.490

Vſura grave peccatum. num.4. p.490. & num.4. p.617.

Vſuræ Iudæorum inhibendæ. ibid.

Vſuræ etiam pupillares reprobantur. num.4.p.617. & n.3. p.637.

Vſuræ, & contractus uſurarij varijs modis fiunt, qui referuntur, & reprobantur. n.3. p.637

*Vvicleffus.*

Vvicleffi hæreſis damnatur. n.1. p.498

Impia ejus dogmata præcipua referuntur. n.3. p.499. & p.521. per tot. & 522.

Hæc peſtis orta in Anglia aliquas etiam Germaniæ Provincias infecit. num.3.p.499. & n.3. p.501

Ejus Sectatores Joannes Hus, & Hieronymus. ibid. & col.1. p.504

Damnantur in Concilio Conſtantienſi.num.16. p.506

Eorum libri flammis addicuntur. p.521.522

*Vvormatia.*

Vvormatia civitas Vangiorum ripæ Rheni verſus Galliam adjacens. n.1. p.147

Concilium in illa celebratum ſub Adriano Papa II. & Imperatore Ludovico II. an.868. ibid.

*Can.*3. Nihil à Fundatoribus exigendum pro conſecratione Eccleſiæ: quæ tamen indotata conſecrari non debet. ibid.

*Can.*8. In quibus Presbyteri ab Epiſcopis conveniant, vel differant. n.2. ibid.

*Can.*22.

*Can.*22. De parvulis à parentibus Monaſterijs devotis & traditis. p.347
*Can.*23. Monachum facit aut paterna devotio, aut propria profeſſio. n.3. ibid.
Monachiſmus ex devotione paterna in poſterioribus Concilijs fuit abrogatus. num. 4. p 348
*Can.*29. De homicidio culpoſo, vel caſuali. ibid.

X

*Xerophagia.*

Xerophagiæ auſteritas in jejunijs declaratur. num.22. p.157
Etiam ab Orientalibus aliqua ex parte obſervatur. ibid.

Z

*Zeno.*

Zeno Acacij ſuaſionibus in deteriora mutatus Orthodoxos proſequitur. n.14. p.189
Impium Edictum *Henoticum* nuncupatum promulgavit. ibid. & n.15. p.190
A Baſiliſco dejectus Imperio poſtea reſtituitur. num.24.p.189. & n.1.p.138.
Reſtitutus Imperio nihilo melior factus eſt, animo & corpore fœdus, Synodum Chalcedonenſem impugnavit, & alia impia perpetravit. ibid.

*FINIS.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google